


# DECURIÆ
# ANNORUM SECUNDÆ
# MISCELLANEORUM
# MEDICO-PHYSICORUM
*Sive*
# EPHEMERIDUM
# GERMANICARUM
# ANNUS PRIMUS.


COLLEGIUM
ACADEMIÆ
NATURÆ
CURIOSORUM.
NUNQUAM OTIOSUS
EPHEMERID. GERM. MEDICO-PHYSICAR. CURIOSORUM
ANIMALIA.
MINERALIA.
VEGETAB.
ANATOM.
CHYMIA.
BOTANICA.
DEC: II. ANNUS I.
GERMANIA.
Francoǹia
Noriberga
Misnia
M.B.d.B. M.D.
S.R.M.P.M. à Sec.

# MISCELLANEA CURIOSA
*SIVE*
# EPHEMERIDUM
## MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM,
*DECURIÆ II.*
## ANNUS PRIMUS,
Anni M. DC. LXXXII.

*Continens*

Celeberrimorum Virorum,

*Tùm Medicorum, tùm aliorum Eruditorum in Germaniâ & extra Eam*

**OBSERVATIONES**

MEDICAS, PHYSICAS, CHYMICAS,

*Nec non*

MATHEMATICAS.

*Cum*

APPENDICE.

---

*NORIMBERGÆ,*
Sumptibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI.
*ANNO M. DC. LXXXIII.*



POTENTISSIMO

*AC*

INVICTISSIMO

ROMANORUM

IMPERATORI

LEOPOLDO,

PERPETUO AUGUSTO,

GERMANIÆ,

HUNGARIÆ,

BOHEMIÆ,

DALMATIÆ,

CROATIÆ,

SCLAVONIÆ,

&c.

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,
BURGUNDIÆ,
BRABANTIÆ,
STIRIÆ,
CARINTHIÆ,
CARNIOLÆ,
&c.
MARCHIONI
MORAVIÆ,
DUCI
LUCEMBURGI,
*ac*
SUPER. & INFER.
SILESIÆ,
WIRTEMBERGÆ & TECKÆ,
PRINCIPI SVEVIÆ,
COMITI
HABSPURGI, TYROLIS,
FERRETIS,
KYBURGI & GORITIÆ,
&c. &c.

AUGU.



# AUGUSTISSIME
# IMPERATOR.



SI faſtis Veterum, horumque certioribus teſtibus nummis fidem damus, in uſu ſolemni erat vota Deo nuncupare pro ſalute Cæſaris Auguſti, Deo, Conſervatori Patris patriæ, non minus ac ſolvere. Fiebat id quotannis, ordine menſium ſtationem priſtinam occupante; ſeorſim verò ſingulo decennio, ſive geſti imperii, ſive ludorum de-

cennalium recursu, capite velato, togato corpore.

Suscepit & Academia Naturæ Curiosorum vota hactenus humillima pro salute Majestatis Vestræ, & decennio expleto solvit jam DEO Ter Optimo Ter Maximo, aliaque de integro suscipit, simul ac mutuæ communicationis conventio stabilita fuit, uno Vestræ Majestatis auspicio visa est caput erigere magis societas, & progredi felicibus successibus ausus iste scrutandi naturæ arcana, & posterorum negotium in notandis experimentis curiosis.

Uti Solis vivifici radii torpida hyberno frigore animant germina, ut læta exporrigant folia, & oculorum Panegyri omnigenos parturiant flores, & fructus uberrimos: Sic Vestræ Majestatis gratiosissimo nutu incaluere pectora penitiùs, & novis quotannis nisibus industriosus calamus succrevit. Exceptæ Serenissimâ manu Ephemerides humillimè toties oblatæ, Augustissimâ gratiâ indulta confirmatio Legum, pluribus vicibus clementiam summam & congiaria tanto largitore digna experti

perti noſtri; verbo, fortunatiſſimè ceſsêre radii Solis Auſtriaci univerſo Collegio & orbi erudito.

Nullis elogiis aſſequi licet gratiæ illam incomparabilis ſublimitatem, nec ſuppetunt, quæ illum exprimant, aut dignè deprædicent verba. Satis eſt, teſtari devotiſſimâ ſubjectione, indignos nos eſſe, toties & tam luculenter in ſtudia noſtra derivatâ gratiâ, deditiſſimos tamen gloriæ Celſiſſimæ Cæſareæ.

Superent nos alii ſplendore & officiis, qui propiùs Auguſtiſſimam intuentur faciem, qui orbis ſaluti invigilant diviſis operis, & in quos reclinant ſe Majeſtatis Veſtræ curæ publicæ. Veneramur & iſta fulgentiſſima orbis & aulæ lumina; largietur tamen indulgentiſſima Pietas Veſtra, ut quamvis infimis reliquorum æqui affulgeant & nobis ulterius radii.

DEO dicati ſunt labores noſtri, dum illa eruere ſatagimus, quæ admirandis dotibus & infinitâ virtute imperſcrutabili ſapientia in terræ viſceribus & mundi totius compendio, homine

 condi-

condidit æternum Numen. Ubivis præsentem offendimus DEUM, undique noscendum & laudandum. Obvia tenerioris corporis tot plantarum millia divinam manum exhibent, maximâ varietate, texturâ stupendâ, virtutibus insignissimis in dies non prius visa vel cogitata offerentia. Tacemus ex animatorum extispicina eruta, & marinorum, mineralium, ac metallorum scrutandos profundiores thesauros.

Non metus est, aliis quoque in societatem operis venientibus, imò certatim in eundem campum latis non suffectura nova, vel colligi ac edi hinc non posse lectu digna; inexhaustum hoc mare est, nullis seculis suppetentibus, nullo studio etiam omnium in universum hominum.

Referimus ergò ad aram Majestatis Vestræ hæc nostra, Augustissime Imperator, quem in terris coli voluit DEUS supremum post se statorem. Incolumitate Vestrâ publica salus continetur, formidantibus hostibus, vel nequicquam impetentibus sub divino tutamine Cæsaream potentiam.

Glorio-

Gloriosissimo exemplo servare pacem Germaniæ, vel extorquere armis Suum putat, infensa ambitiosis belligerandi conatibus, justitiam unicè æstimans, & æquissimo moderamine dispensans florentissimo Imperio. Nemo verò majorem gratiam commodat literis, LEOPOLDO, PIO, JUSTO, FELICI. Nemo nostros hosce labores potentius protegit, gratiosius solatur, intimius fovet.

Uni ergo Tutori Optimo Maximo audemus subjectissimè acceptum referre Annum hunc primum Decadis secundæ, perpetuam nobis humillimè spondentes gratiam, quam sine exemplo hactenus experti sumus, Deumque precati, ut velit hæc vota semper solvi, semperque signari etiam pro Serenissimâ familiâ Archiducali, ad paternum ac avitum perennaturæ successionis fastigium æmulâ virtute, laude & excelsis animi dotibus non tam adspirantibus, quàm natis hæredibus. Largiatur Majestati Vestræ DEUS, quæ olim Christianorum pro Imperatore preces erant, vitam prolixam, imperium securum, domum

tutam,

tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt; quod nomine Academicæ Societatis humillimè vovet,

Sacræ Cæſ. Majeſt. Veſtræ

*Subjectiſſimus Servus,*

*Academ. Nat. Cur. Præſes d. Argonauta*

JOH. MICHAEL FEHR, Phil. & Med. D.
Phyſ. Svinfurt. Ord. Urbisque Prætor Imperialis.

PRO-

# PROGRESSUS
# ACADEMIÆ
## NATURÆ CURIOSORUM,
# CATALOGO
## PATRONORUM ET COLLEGARUM EXPRESSUS

à


GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

Archiatro Ducali Saxonico, S. R. I. Academ. Nat. Cur. Adjuncto, d. HERCULE.


---


*NORIMBERGÆ,*

ANNO cIↄ Iↄc LXXXIII.





Aturam ſcrutandam eſſe, & in hujus arcanis rimandum æternum Numen, nemo forſitan negaverit, qui ſe hominem, ad inſtar divinæ mentis conditum meminerit. Emiſſi enim incolæ terrarum in mundum hunc ſumus tanquam in Academiam, ut diſcendo conſeneſcamus, & ſeneſcendo diſcamus.

Hoc ut omnibus in univerſum commune debet eſſe ſtudium, unde *Abderitanus Philoſophus* omnes oportere homines ajebat ἰητρικὴν τέχνην ἐπίςαϑαι, *medicam artem noſſe*, tanquam rem honeſtam ſimul & utilem ad vitam, & ex his maximè eos, qui eruditionis ac eloquentiæ cognitionem habent; Ita cumprimis medicos id addecet.

Turpè fuerit miniſtrum domini ſui res vel negligenter tractare, vel inſuper habere, vel neſcire penitus. Medicus naturæ miniſter indignus hoc nomine habendus, ſi magiſtram ſuam non ſectetur improbo labore, nec imbutus ſecretis ulterius provehere ſplendorem hunc dignetur, quo à largitore bonorum omnium dotata eſt.

Nec panſa verò omnia ſunt, licet quàm maximè appareant, multa ſcrutanda reſtant, multa invenienda & excutienda, multa illuſtranda.

Blandiri videmur nobis & applaudere, quod noſtro hoc ſeculo velut è copiæ quodam cornu vaſtum effuſum ſit arcanorum quoddam pelagus; Quod inventa circulatione machinæ corporæ magis jam pateat ſtatus; quod noviter invento uſu teſtium muliebrium, glandularum ſubcutanearum, & vaſorum lymphaticorum illuſtrato ambitu ratio jam plurimorum reddi queat melior, ut alia taceamus ex anatomicorum forulis petita,

 tita,

tita. Sic & per Chimiam in apricum poſita jam omnia & luce meridianâ patere credibile videtur, ſi non perſvaſum nobis, poſtquam tot novis, & Veteribus inauditis armis contra morborum exercitum progredi licet.

Idque adeò animos demulſit, ut vetera jam multis ſordere videantur, ut nec legendæ quidem è ſterquilinio perlæ dignæ habeantur labore, quin unusquisque jam ſuo vivere genio poſſit, & nova aſſerta tueri, citra ullius curam.

Sed ſi fateri volumus quod res eſt, æmulari videmur hoc ipſo illos, qui hæreditate amplâ neglectâ ſibi ſolis opes aucupantur de novo, negligentes à majoribus relictos theſauros.

Profundiſſima apud Veteres latet ſapientia, quæ per ſecula quidem barbara paſſa eſt quandam velut eclipſin, eluctata tamen jam novo ſplendore reſulget.

Quis non miretur vel unici *Hippocratis* ſcripta vaſtam artem ultra unius hominis ætatem inimitabili dexteritate emenſa. Brevi ſtylo, Laconum more compoſito, multa dicit, & in receſſu condit, ubivis remiſcens, quæ & alio foro non medico ſatisfacere queant.

Inveniant hic Theologi τὸ εὔχεσθαι πρέπον καὶ λίην εἶναι ἀγαθὸν, *orare decorum & valdè bonum eſſe*; JCti, quæ decidere caſus forenſes, naturæ legibus innixos plurimos queant; Philoſophi ἀδελφὴν ἰητρικῆς σοφίαν, *ſororem Medicinæ Philoſophiam*; Medici verò cumprimis totius artis regulas utiliſſimas. Quis unquam certius prædixit, divino ſene? Quis curioſius obſervavit ſingula ægrorum accidentia? Quis tot arcana reſperſit ſcriptis, ut quoties hunc autorem evolvas, quod diffiteri nefas fuerit, toties diſcedas doctior?

Non mirandum hinc eſt, negari veteribus cognitos morbos quosdam, cujus rei ſcorbutus exemplum ſolus præbeat, à *Coo* luculenter deſcriptus, *l. de intern. affect.* & alibi; Haberi hodiè arcanorum loco, quæ prolixè propalavit idem, aliique, doloribus mederi uſtulationem cum artemiſiæ concerptæ lanugine, Moxam vocant peregrino nomine, quod

idem

idem dudum notavit, licet fungos vel similia nominaverit, qui & dentes dolentes non temerè eximendos, sed cauterio resiccandos ab affluxu præcepit.

Tacemus rariores observationes, quæ ab eo citantur, ut barbatæ fœminæ; historica quæ in opere & additis occurrunt, qualis locus est de Trojano excidio, non esse hoc μῦθος *fabulam*, apologum, ἀλλ' ἔργα, *reverageſta.*

Neque opus est ad alios excurrere. Suffecerit dixisse, reperiri apud Veteres quoque, quæ hodie ignoramus, vel si noverimus, certius longè exinde proficere.

Est verò & in his, in quo exerceas ingenium & demerearis publicum; magnus & utilis labor est, sistere veterem orbem nostro, explorare, quæ isti noverint, illustrare, corrigere, expolire. Nec est, quod objicias, Criticos in medicinâ excolendâ parum fuisse vel utiles, vel felices, malle enim artem hanc experimentis stabiliri, quàm locorum parallelorum, quàm aliorum deductione, quæ aliàs laude sua defraudanda non sunt.

Demus hoc, aliud sibi pensum sumant, aliam mereantur gloriam, restituta loca, correctos textus, suppleta hiulca & incongruè locata debeamus illis, vel solùm id summâ habendum est in laude.

Dolendum hac occasione nostro hoc seculo cessari ferè in editione autorum correctiorum & palmam relinqui superiori isti: Dudum *Hoffmannianâ* ineffabili industriâ *Galeni* opera prodire potuissent elimata, nitida, in communem usum concinnè aptata, correcta, dato etiam exemplo, nisi deessent, qui obstetricantem manum denegarent, minus utilibus edendis sæpè magis intenti. Et gaudendum tamen, privatis scriniis servari seculorum memoriâ dignum opus ab *Excellentissimo Helianthο* nostro, cui si *Cornarii* eruditissimi & celeberrimi Viri, notæ & lectiones variæ accedant, (servantur verò eæ in Bibliothecâ Academiæ Salanæ, eleganter ad marginem

 inser-

infertæ,) nefcio an dignius fcriptum fit, quod communibus fumtibus imprimatur.

Quin ftudia ifta medicum apprimè decent, & fuggerunt largius media, quibus juvari fi non ars medica, res tamen literaria poffit.

Reperiuntur & in autoribus non medicis, maximè hiftoricis obfervationes infignes, & notatu alia digna, quæ legenti *Platonem*, *Xenophontem*, *Socraticos*, *Strabonem*, *Tacitum*, *Dionem*, *Ciceronem* ipfum & fimiles alios obveniunt, unde egregiam his colligendis locis operam infumpfit *Beverovicius*. Ubique invenias, quod animum delectet, vel fatiet.

Utque hæc fparfim apud literatos invenias; ita penes medicos literæ apprimè floruerunt, & ab iisdem fi non excultæ, faltim fervatæ funt præ reliquis. Quis Græcam linguam puriorem quam apud medicos, *Coum*, *Pergamenum*, *Paulum*, *Actium*, *Aretæum*; quis Arabicam elegantiorem, quàm apud *Ebnfinam* invenerit? Mitto Ciceronem medicorum *Celfum*, aliosque Latinos.

Literæ & nummi florentis imperii fignum funt. Barbaris feculis cufi nummi vix reperiuntur, vel pauciores faltim, quàm florido magis ftatu; pauci item libri docti, faltim medici, ut ex utrisque ftatim liceat colligere feculi felicitatem. Eandem fortunam cum utrisque experta eft medicina.

Paucum incrementum fœneratum eft, fatemur, ad elapfum usque feculum, ubi cum vigorem recepere utraque, etiam in medicinam redundavit illa felicitas, ipfique artis cultores eisdem excolendis fimul dedére operam, artem, literas, & rem publicam demeriti.

Operæ pretium itaque eft, & hæreditate aditâ frui, & noftro labore locupletare eandem pro pofteris. Sint priftina illa imperfecta, perfectionem acceffione novorum experimentorum experunt; fint manca, fint futilia fæpè & falfa, fuppleri, corrigi, expungi defiderant. Latet & fub fordido pallio fæpè profunda fapientia. Quin non affequimur fæpè fub-

limita-

limitatem illam, instructissimi licèt supellectili librorum longè fertiliori. Tectus sub cortice vili fructus amœnus, secreta clausa scientia sub sacrario intimiori, clave sola opus est, quâ obtentâ clarior exin lux effulget.

Primus hic labor est, occupari in aliis, qui nisi susceptus â viris summis superiori seculo fuisset, mirum quantum caligaremus. Glacie fractâ facilis per vastam intercapedinem transitus. Delio natatore prævio expedita sequela est. Restat nobis selectus è mercibus istis eruendus, in commodum nostrum prostantibus gratis, si laborem & studium exceperis, quo solo istæ veneunt. Restant apud Anatomicos exauctoranda, penes Chimicos hyperbolicâ superbiâ & phaleratis encomiis plena probanda, ubivis stabilienda firmius, nullibi non expectantia facem pleniorem, & incrementum novum. Consultum hinc visum fuit tum aliis, tum Societatis nostræ Antistitibus primis, partiri operas, & certa subjecta examinanda sibi sumere, conquirere curiosè autorum loca, probare asserta, usum excutere & ampliare, notare digniora, atque adeò quæ sparsa extabant, culmina in fasciculos digerere, aptare experimentis, factâque largâ messe, cistas adornare fœcundas, additis pro unius cujusque modulo aliis ad rem aptis, etiam παρεκβατικῶς.

Hæc cum publicè legenda extent monumenta, non laudabimus latius. Visum verò paulò longius hoc fuit institutum, & posse præter id ipsum, satis commodum & laudabile, aliam quoque iniri viam, referendo quasi infastos seu Ephemerides, quæ hinc inde observatu digna occurrerint, conferente pro lubitu unoquoque symbolam; unde annuâ velut operâ historia medica nostri temporis crescere cœpit.

Ut ut verò objici quædam visa sunt partim à malevolis, partim ab amicis, aliis molem, aliis non satis curiosa immixta, aliis, in priori præsertim instituto, colligendi licet improbum, minus tamen utilem laborem culpantibus, fastidientibus, multis interim magnis viris nondum in societatem saltim operæ

&

& laboris hujus venientibus; mitius tamen videntur interpretanda singula.

Nullus liber est, in quo non desiderari quædam possint, quique omnibus sit ad palatum. Pro captu lectoris habent sua fata libelli. Sunt, quorum eruditionis fastigium non assequuntur omnia æquè; sunt, quibus omnia nova, sunt, quibus nostra sordent, extera saltim grata obveniunt, & nemo non multum fœtus suos amat, præ aliis, & sibi ipsi sæpè mentitur.

Pluribus opinio inhæret, posse majora expectari à Collegio, nondum satisfacere isthæc orbi erudito. Sed velim illos cogitare illud Cyri apud *Xenophontem*: ὔτε γὰρ ἅρμα δήπυ ταχὺ γένοιτ' ἂν βραδέων ἵππων ἐνόντων, *nequit esse currus celer, in quo equi tardi sunt.* Absque jactantiâ tamen dici posse putaverim, esse aliquid præstitum à Germanis, additum esse non minimum arti momentum in istorum his lucubrationibus, quod laudem mereatur maximam, saltim in medicinâ nostrâ.

Absit, ut alios spernamus, veneramur potius merita quorumlibet; liceat verò & nobis uti nostrâ fortunâ, ut si non numerus sumus, tamen & hic Deos esse monstremus.

Commune vitium est, vitia magis seligere, quàm prædicare bona, in scriptis aliorum errata si quæ sunt, eruere vel fingere quoque, publico sarcasmo excipere, autoresque benè meritos aliis deridendos propinare nullâ habitâ ratione præstitorum nobiliorum, cum potius laudanda hæc fuerint, illa mittenda; communis hæc solet esse gratia scriptorum. Nostrum est, citra liticulas illas vel nominis quoque innocuam usuram, quæ aliquibus visa fuit indecens, strenuè naturæ scrutinio incumbere, & meliora fata expectare, favente sacratissimo Imperatore *LEOPOLDO*, cujus Augustissimæ Majestatis gratia tanto modestius uti debemus, quanto pleniorem experimur.

Nunquam sanè in medicinâ quoque nostrâ vanæ velitationes, refutationes, sugillationes publicæ aliquid contulere boni, odimus ista omnia & potius, occasione *Catalogi Dnn. Pa-*

*trono-*

*tronorum, Fautorum, Collegarum*, conſultum duximus, & inſtituti noſtri rationem denuò exponere, & non ſolùm ſubjectiſſimè ulteriores Solis Auſtriaci gratioſiſſimos radios nobis exorare, ſed & officioſiſſimè honoratiſſimorum reliquorum virorum incluta nomina invitare, ut vel ſuggerant media, vel conferant, quæ digna judicent, vel faveant ſaltim honeſtis conatibus; noſtros verò ipſos laudare, ut in ſtudio ſuo pergant, monere, ut ſtrenuè ampliùs parturiant nova incrementa.

Obſtacula non pauca ſe obtulêre hactenus, quo minus majores adhuc fructus edere potuerit ſocietas, & majori effulgere ſplendore, diſtantia locorum, quibus diſſiti Collegæ degunt, defectus mediorum publicorum, ſumtibus non aliis quàm privatis ſuppetentibus, quos ſi largirentur Mæcenates, huic ſaltim vel illi, ſi non omnibus, provehi longius ſanè Argo hæc potuerit.

Illum interim defectum amicum per literas initum commercium aliquo modo ſupplere poteſt, hunc erogandi promptitudo, amore juvandi proximum & poſteritatem etiam mediocris æris. Publici Eleemoſinarii ſunt Medici, digni hinc, quibus vel hoc nomine ubivis concedatur diſpenſatio propria, vel ſelectiorum tantum medicaminum, unicum hujus rei remedium, potiſſimum incrementi artis præſidium.

Præter hæc candor animorum non parum conferre poterit, eorumdemque concordia, hæc enim ut in nummis olim in militum laudem prædicabatur, non minus reipublicæ literariæ ponderis addere apta nata eſt. Concordia inquam, candor, modeſtia Curioſorum, tanquam vincula ſocietatis, citra ullum reſpectum conditionis, religionis, ambitionis. Unanimis eſt intentio, juvare publicum, ſcrutari naturam, ampliare nota, eruere incognita, luci ſiſtere arcana.

Hoc fine & aliis patet accedendi promta via. Quin invitamus ſubmiſsè, devotè, amicè, officiosè, velint favere Magnates gratioſiſſimi, protegere, juvare. Suſtineant conferre alii, ſi non ut Collegæ, tamen ut Patroni, ut Fautores, ut amici,

quæ huc faciunt; inquirere ſinguli, quibus id cupido eſt, nobiſcum.

Quid glorioſius hoc ipſo ſummo beneficio eſſe poteſt, juvare literas & imprimis naturæ ſeu antiſtites & ſcrutatores, ſeu ſervos ſolum? Nil terrenos hos DEOS magis æternitati commendat, ac ipſa hæc gratia, nil immortalitatis encomiis magis induit hâc liberalitate.

Nullum eſt enim, *verbis C. Plin. Sec. panegyr. Trajano dicto p. m. 12.* magno Principe, immortalitatemque merituro, impendii genus dignius, quàm quod erogatur in poſteros. Demerentur hoc ipſo benefici hi altores & nutritii humanum genus, rempublicam florentem reddunt, DEO O. M. ſimiles ſe maximè oſtendunt redduntque.

Nec honorificum magis quicquam cogitari poteſt, quàm in amœnis naturæ theatris oculorum, quin mentium panegyri venerari Divinum Numen.

Quot herbas decerpimus, quot mineras ſcrutamur, quot viventium inquirimus varietatem & viſcera, tot hymnos DEO canimus. Eſt hæc & ſummorum regum aliorumque potentum orbis luminum cura, delectari chimicis ſpeculationibus, experimentis, arcanis. Nullum aliud præmium ſit, quàm laudis & gloriæ, quid quæſo excelſius? Ne hoc quidem detur, ſatis eſt occupari in divinis hisce rebus. Voluit Deus & in Cœlo celebrari, & in terra agnoſci, ubique præſens eſt divinitatis jubar, nullibi non elucet & ad ſe vocat.

Et niſi eò animum appellamus & ſpectatores agamus potius quàm actores, ſanè & illa, quæ poſſidere videmur, perdemus, & quibus beatiores nos putare poſſemus, carebimus. In perpetuo motu eſt natura, perpete etiam ſtudio inveſtigari amat. Niſi Indias adiremus occidentales, quas vocant, brevi cum veteribus obliterabitur denuò novus ille orbis, Columbo detectus. Si non indies acceſſio quædam fiat, retrò ſublapſa ſcientia hinc è Democriti quaſi puteo arceſſenda fuerit, extricanda labyrinthis, eripienda è barbarie conſequente.

Contra

Contra ea, si sedulo hanc calcemus semitam, insistentes vestigiis Veterum & Recentiorum, & quasi per manus παρὰ τὴν τῶν ἀλλήλων διαδοχὴν tradamus accepta, porrigamus lampada, quæ non exinde in communem rem redundabunt commoda? Brevior ubique se ostendet via, facilior methodus, felicior praxis, usus & ambitus major. Non aliter ac fontes hauriendo non exhauriuntur, sed lætiori scaturigine exiliunt vividæ inde magis aquæ; eodem modo quò plus sunt potæ, plus satiabunt hæ aquæ.

Nec caret hæc ipsa opera suis deliciis, varietas inventorum quem non delectat? Quis non audito novo opere, compendio recenti, artificio & ἐγχειρήσει delectetur & gaudeat? Exorientes indies novæ gazæ locupletis naturæ singularia præmia investigantes continuo delectant

A successu hinc felici, emergente etiam ex curiosâ mixturâ eleganti Tincturâ, animus non immeritò delibuitur insigni dulcedine. Adeò pulchra sunt nova, adeò grata, ut vel eo nomine compensent omne inquirendi studium laborum exantlatorum tædium, sumtuum molestias.

Et tanto quidem minori operâ accessionem inventis fœnerare licet, quantò magis obvia sunt naturæ regna, & ubique se offerunt occasiones benè merendi publicum.

Tacemus quæ in botanicis digerenda, quæ in physiologicis extricanda & stabilienda, quæ in praxi firmanda; vel aliud agendo sæpe se sistunt, modo attendas, curiosa. In mineris multa adhuc scrutanda restant, effodiuntur opes, irritamenta laboris hujus.

Subterraneæ cellæ rarius à curiosis lustratæ, & sæpe magis in animo generatio metallorum efficta hinc inde legitur, quàm in sacris illis cryptis verè fieri ex variis experimentis colligere licet. Sunt in corpore quoque nostro & brutorum, quæ ignoremus. Plures in eodem glandulas extare, quàm quis cogitet, vel credat, quod *Fallopius* suo seculo scripserat, hodiè investigatum sic satis claret. Sin mobile illud perpetuum scrutari mens

 sedeat,

ſedeat, quomodo ejus beneficio continuo rotetur ſanguis & tota vegetetur machina, latiſſimus erit campus inquirendi, & exercendi ingenium.

Quin in aulis, in muſeis, velut fornicibus quibusdam naturæ merces expoſitæ accuratiorem deſiderant luſtrationem. Ad exteros excurrentibus fuerit inquirendus nativorum ibidem & arte factorum proventus; domi quoque eſt, quod indages. Plurimis utimur, quæ adhuc dum, unde ſint, non novimus, quod exemplo benzoes, camphoræ (quam ex radice cinnamomi noviſſimè arceſſunt ſcriptores) terræ Japonicæ, boracis ipſius, ut alia mittamus, eſt quàm clariſſimum.

Sic ſal ammoniacum, quod per aliquot ſecula in Officinis deſideratum eſt, Puteolis ex Italiâ magnâ copiâ parabile eſt, & longè magis ſpiritu, quem artificiali, experimento noſtro, contra fundit, ſummè urinoſo & ſubtiliſſimo commendabile.

Idem verò & ex alumine, floribus elegantiſſimis & puritate enitens parari facile poteſt, unaque ſpiritus aluminis acidus eximius egregia ἐγχειρήσει effici, modò cum eodem crudo cap. mort. à deſtillatione ſpiritus ſalis reſiduum propellere per Retortam ſuſtineas, uti alias acceſſu calcis vivæ urentiſſimus urinoſus ſpiritus ex eodem funditur.

Conſimili quoque artificio ſpiritus vitrioli viridis in copia haberi poteſt, qui per phiolam quoque rectificando, aſcendit, in uſus plurimos aptandus, unaque, paucarum horarum labore, ſpiritus ejusdem ſiccus, butyroſus quaſi, obtinetur, quod vel verbo indicaſſe hoc loco ſufficiat in exempli vicem. Nimirum viſcedo in alumine major, & in vitriolo minor, ἀναθυμίασιν prohibet, unde factâ diſſociatione, quod hactenus negleximus, compendium laboris habetur, idque impetratur, quod cœteroqui vix credas, vel pro non ente habeas. Sic decantata hodiè Tinctura martis ſolaris extemplò longè pulchriori veſte ornari poteſt, modo eidem, prout ex minera vitrioli Haſſiacâ, ad aërem collabente & pulverata,

cum

cum aquâ ror. majal. in liquorem ex flavo fuſcum ſolutione extracta eſt, parum vel q. ſ. de arcano tartari affuderis. Ita enim in momento color rubicundus eidem conciliabitur, & longe gratior priori, longè viribus quoque anteferendus liquor emerget.

Quis non delectetur tam inopinâ μεταμορφώσει; quis non voluptatem capiat ab adauctis cum colore viribus, ut adeò & proſit eminentius medicamentum & gratius ſe commendet colore. Idem verò in quàmplurimis aliis largo fœnore obſervare licet, modò ex receptâ parœmia nunquam otioſi velimus his inſiſtere vel notare plura, vel non negligere ſaltim.

Sic quoque in bello ipſo, in omnibus mundi angulis uberrima exiſtit anſa, largiſſima materia ſpectandi, rimandi, notandi, & in uſus humanos vertendi arcana.

Cum itaque non id opus ſit unius hominis, nec unius loci, vel ſumtuum, nemo non, opinamur, plauſu proſequetur, vel benevolo affectu ſociatum noſtrum ſtudium finem tam honeſtum, tàm jucundum laborem, tàm facilem, aſt neceſſariam tamen operam.

Εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ᾽ ὁρᾷ, plus vident oculi, quàm oculus, mutuæ operæ facilius abſolvunt & felicius peragunt corpora.

Commune id nobis eſt cum aliis Societatibus variis in & extra Germaniam, ſingulis eò annitentibus, quò excolere magis artes, linguas, ſcientias poſſint. Tantò faventiores ergò ſperamus nos habituros omnes & ſingulos, quo alacriores in naturæ & artis penetralibus inveſtigandis deprehendimur.

Neque enim ſeorſim ſolùm unusquisque pro ſuo modulo ſatagit eruere, expolire, invenire quædam, ſed & conjunctim, factâ communicatione, longè rectius & felicius procedi poteſt. Concordia & commercium literarum, vinculum quaſi ſocietatis eſt. Tentatum tale quid fuit ſub hujus ſeculi initium à fratribus roſeæ crucis dictis, ab aliisque quoque pro-

posita similia Collegia, sed brevi exspiravit prius illud institutum, & in fumum abiit, alterum vero non successit.

Non tectis latitare nominibus nostrum est, multo minus illicitis occupari artibus, venditare ampullas & sesquipedalia verba, illudere alios, falsa pro veris exhibere curiosis indagatoribus. Si quæ secretiora suis adhuc conduntur loculis, spes est, eadem quoque commodo tempore proditura in publicum.

Odimus verò aliàs illud scribendi genus, quo curati leguntur epileptici, febricitantes, dysenterici aliive pulvere anonymo, arcano non revelando, specifico soli autori cognito. De hoc sive dubites sive minus, perinde fuerit; Non timendum est æquè luci exposita vilescere, quin ausim dicere hoc pacto sæpe minus attendi solis dignis, & accuratioribus ingeniis imitantibus & intelligentibus utilitatis ambitum & applicandi modum.

Utcunque fuerit, laudabile magis est, cedere in communem notitiam, & aliorum usui inservire, quæ primus deprehenderas, quàm sepeliri tecum, quàm spei promulside factâ deludi alios, vel multum dicendo nihil dici. Spreta etiam in tempore gloria sæpè cumulatior redit. Et quid gloriosius quàm publicum edere φιλανθρωπίας monumentum, ære quovis perennius?

Idem de secretiori Chimiâ valet. Sanè suspicionem in se derivant φιλαυτίας, qui in editione scriptorum Philosophicorum horum, ut vocant, obscure scribunt, ut mitius dicam. Condonabunt enim lectoribus, si adeptos illos non credant, præcipuè cum ipsi in eâdem navi vecti aliis sibi invicem insultent. Majorem laudem merentur, qui ex nostro quoque ordine ingenuè in hæc arcana inquirunt, & Chimiam specialissimam stabilire & in artis formam redigere gestiunt.

Sed tempus est, ut de proposito scriptionis hujus summatim quædam repetamus.

Catalogum edi opus fuit visum, ut in collegium cooptatis

tis innotescat, quibus cum eandem decurrunt metam, ut alii ipsique exteri, quorum aliqui id flagitare visi sunt, de Sociis, de progressu & incremento Academiæ certiores reddantur.

Quodque primo loco memorandum erat, ut Patroni & Mæcenates debitâ affecti gloriâ noverint, quàm sanctè, quàm officiosè eorum memoriam alere & ad posteritatem transscribere nostrum sit.

Servet Deus Optimus Maximus *Augustissimum Imperatorem*, & munificentissimè rependat abundantissimè locatam in Societatem nostram gratiam. Supplicamus verò porrò PIETATI, VIRTUTI, CLEMENTIÆ, LIBERALITATI AUGUSTI, clementissimè porro fovere eandem dignetur, ut FORTUNA redux Germaniam nostram ditet, ac gratiosissimi Austriaci Solis radii universum orbem literarium & præsertim nostrum hunc ordinem adspirent. Vota pro salute & incolumitate Domus hujus Sacratissimæ quotannis, vota publica, vota pro AUGUSTO, vota pro AUGUSTA, vota pro PRINCIPIBUS JUVENTUTIS suscipiemus, certi spem publicam, gloriam seculi, restitutorem reipublicæ, conservatorem studiorum, Patrem patriæ, Cæsarem, quàm diutissimè felicitatem tempori huic fœneraturum, ut vivus æternitatis substantiâ indutus ad ultimum orbis terminum deprædicetur.

Vivet in oculis nostris Imperator, vivet in mentibus nostris, vivet apud posteros cum Domo Austriacâ, domo æternâ, gloria LEOPOLDI sempiterna.

Veneramur etiam votis Serenissimos & Potentissimos alios orbis nostri Proceres, qui tanquam Jovis adstites hæc inferiora irradiant suâ gratia, splendore suo universum orbem illustrantia, famâque utramque solis domum pervagantia cœli Europæi sidera.

Gloriosas statuas erigemus Illustrissimo PROTECTORI, qui perpetuum reddere Cæsaream gratiam nobis dignatus est, qui patrocinio suo Academiæ nova augmenta spondet, & universos ac singulos in naturæ sacraria autoritate suâ comitabitur.

Sospitet

Sospitet hunc nobis æternum numen, cujus triumphos pleno ore ebuccinat fama, cujus heroica facta æternitatis jam fastis inserta, & posteris, si qua futura, seculis commendata sunt.

Non adversa sunt literarum & armorum commercia, unde Pallas armata celebratur, nec ignotum est Martis sidus, & armis & Medicis præesse. Quin si illa auferas, tu tamen abstuleris, si arma absint protectoria, silent Musæ & hostium expositæ injuriis ad internecionem properant.

Exosculemur submissâ devotione gratiosissimum patrocinium. Investigemus hoc auspicio almam matrem diversis scriniis thesauros suos occulentem.

Promit terra dotes suas, & fœcundo proventu ostentat instrata germina. Nemora quotannis virescunt, animantur in novos fructus arbores, prata & tempe oculorum panegyri stellas meditantur. Ubique mirabilis est natura, ubique admirandus supremus naturæ conditor. Spectemus hæc cimelia, miremur nitorem, rimemur arcana, prædicemus & eruamus virtutes. Tot Deo canemus laudes, tot hymnos resonabimus, quot plantas curiosè lustrabimus.

Lustratæ sunt hactenus vegetabiles hæ gemmæ à nonnullis nostri ordinis, plurimæ scrutandæ restant. Nec superficietenus se offerentibus contenta natura, quæ subtus occulit, attendi quoque vult, ut in viscera terræ demittamus oculos & animum curiosos, ut subterraneam officinam adeamus, omne mineralium genus, metallica & hisce affinia evolvamus, non tantùm quomodo provehantur singula, qua ratione aliud ex alio coquatur, nutriatur, resultet, & hinc in communes usus cedat divitiarum, utensilium & arte factorum, sed imprimis quoque, ut se commendent singula in morborum perniciem, corporis humani salutem, animi delectationem.

Tantò digniora sunt hæc arcana, quanto firmioribus claustris sigillata. Visitur hic velut cœlum quoddam corporeum,

saturnia

ſaturnia regna, jovialis benignitas, martiale robur, ſolaris ſplendor, venerea pulchritudo, lunare decus.

Hîc Dii minorum gentium ſpectandi, hîc terrarum, ſulphurum, bituminum, ſalium varia genera; hîc venena quoque indaganti auſcultant, quorum non tam virus quàm virtus eximia eſt.

Et quis enumerandis his ſufficiat? quis prædicandis par eſſe queat.

Tacemus animalium infinitam ſobolem à maximo elephante ad minimum usque acarum, marina monſtra, & his juncta nullibi non naturæ rarithecia, latitant & condita ſunt. Locus quicunque aliquid ſuggerit ſcrutantibus, modò aquis immerſa eruenda ſe ſiſtunt, modò cavernis incluſa ad ſe invitant oculos, quin maxima ſæpe ſunt, ubi minima putes.

Nec tam invida eſt natura, ut ab hoc divite copiæ cornu arceat amantes, ut nusquam egena eſt, ita ubique liberalis, ubique ſparſæ gazæ, nullibi exhauriendæ.

Annuat æternum Numen conatibus tàm laudabilibus, florentem ſervet Academiam, incrementa largiatur, Patronos ſuſcitet, aptet mentes noſtras, ut dignè eruamus ſingula, & ad ſeros usque nepotes derivemus uſum. Jenæ Cal. Martii, 1680.

---

*Qui quondam fuerat* PRÆSES *noſtri ordinis, eheu!*

Sereniſſimus Princeps ac Heros, DN. DN.

RAYMUNDUS, Sac. Rom. Imperii Comes De Montecucoli, Dominus in Hoenegg & Juppendorff, Aurei Velleris Eques, Sac. Cæſar. Majeſt. Conſiliarius Intimus, Camerarius, Conſilii Aulico-Bellici Præſes, Generalis Locumtenens, Campi-Mareſchallus, Rei Tormentariæ ſupremus Præfectus, Equitum Colonellus, Jaurinenſis Præſidii ac Confiniorum Generalis, PR. grat. &c.

*Jam nunc æthereâ ſede beatus ovat.*

# SYLLABUS PATRONORUM ET FAUTORUM ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM.

*EMINENTISSIMUS ET CELSISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS*

DN. ANSELMUS FRANCISCUS, S. Sedis Moguntinæ Archi-Epiſcopus, S. R. I. per Germaniam Archi-Cancellarius ac Princeps Elector &c. &c.

Daniel Angelus, Com. Odoardi de Pepolis in Italia Archiater.
Sylv. Samuel Anhorn, Phyſ. Sangallenſis.
Wilhelm. Becker, S. Cæſ. Maj. Perſonæ & Aulæ Medicus.
Jacobus Barnerus, Medicus Elbingenſis.
Eraſmus Bartholinus, P. P. Hafnienſis.
Laurentius Bellinus, P. P. Piſis in Hetruria.
Martinus Bernhardi, à Bernitz, Regis Polon. Archiater.
Olaus Borrichius P. P. Hafn. & Med. Regis.
Franciſcus Bouchardus P. P. Regis Hiſp.
Dn. Michaël Bohemus à Behmenfeld, Burggravius Reg. Gedani.
Jacobus Breynius, rerum Naturalium ſcrutator ſingularis Ged.
Joh. Rudolph. Burckhardus P. P. Baſilienſis.
Joh. Butz, Phyſ. Geislingenſis.
Petrus à Caſtro, Ducis Mantuæ Archiater.
Alhard. Hermann. Cummius Brunſvic. Duc. Archiater.
Joh. Antonius Clotzius, Phyſ. Buzbacenſis,
Andreas Cnöphelius, S. R. Maj. Poloniæ Archiater.
Timotheus Clarcke, Med. Londin.
Juſtus Cortnummius, P. P. Soravienſis.
Wenceslaus Dobrzensky de Negroponte P. P. Pragenſis.
Johannes Dalæus, Archiater Naſſovienſis.
Caſpar Feldner. Pr. Uratislav.
Joh. Chriſtian. Frommann P. P. Coburg. & Med. Provinc.
Martinus Fogelius, Pract. Hamburg.

Regne-

Regnerus de Graef. Phyſ. Delphenſis.
Sigismundus Graſſius, Phyſ. Suidnic. Sileſ.
Cæſo Gramm. P. P. Kilienſis in Holſ.
Nicolaus Hermannus Grimm, Practicus Indiæ Orient.
Ludovicus Hammer, Phyſ. Dantiſc.
Auguſtinus Hermannus, P. P. Erfurtenſ.
Benedictus Hermannus Medicus Auguſt.
Matth. Franciſcus Hertodius, Med. Prov. Morav.
Dn. Hiarne, Comitis de Tott Archiater.
Mauritius Hofmann P. P. Altdorffinus.
Joh. Cornel. Hönn, Ph. Norib.
Fridericus Huldenreich, Phyſ. Esling.
Friderich Ferdinand Ilmer à Warttenberg, P. P. Viennenſis.
Athanaſius Kircherus, S. I.
Adamus Abrahamus Kochanski. S. I.
Alphonſus Kohnius, Phyſ Ulmenſis.
Joh. Kunckelius, Chymicus inſignis.
Fridericus Lachmund, Phyſ. Hildeſienſis.
Joh. Laurentius Lælius, Phyſ. Onoldinus.
Joel Langelottus, Holſat. Duc. Archiater.
Samuel Ledelius, Med. Grünberg. & Med. Provin.
Chriſtophorus Lipſtorpius, Stadæ Phyſ.
Daniel Ludovicus, Archiater Saxo-Gothanus.
Ericus Mauricius, Aſſeſſor Cameræ Spirenſ.
Maiganquetz, Epiſc. Baſil. Archiater.
Julius Wilhelmus Mannagetta, 3. Imp. Rom. Archiater.
Zacharias Mannagetta, Phyſ. Znaymenſ.
Philippus Marcus Marci, Med. Provin. Saxo-Goth.
Juſtin. Ortolph. Marold, Phyſ. Schleuſingenſis.
Joh. Wolffgang Mögling, Phyſ. Pforzheim.
Chriſtianus Nitzke, Forſta-Luſatus.
Joh. Matthias Neſter, Archiater Beruthinus.
Carolus Offredi, Medicus Patavinus.
Heinricus Oldenburgius, Illuſtr. Soc. Angl. Secretarius.

Friedericus Ortlobius, Phyſ. Uratisl.
Joh. Jacob. Parſenius, Med. Hamb.
Joh. Paterſon Hayn, Phyſ. Eperienſ.
Joh. Pilas, S. Cæſ. Maj. Cameræ Chirurgus.
Joh. Jacob Piſani, Pr. Viennenſ.
Antonius de Pozzis, S. Cæſ. Maj. Medicus.
Carolus Raygerus, Phyſ. Poſonienſis.
Vitus Riedlin, Phyſ. Auguſt.
Petrus Rommelius, Poliater Ulmenſis.
Jacobus Rothius, Practicus Baſilienſis.
Chriſtianus Rudnicius, Pract. Gedan.
Henr. Samſon, Med. Lond. Angl.
Joh. Baptiſta Scaramucius.
Joh. Theodorus Schenckius P. P. Jenenſ.
Sebaſtianus Scheffer, Phyſ. Mœno-Francofurt.
Joh. Schmidius, Phyſ. Gedan.
Lucas Schröckius, Sen. Phyſ. Auguſt.
Simon Scholtzius, Phyſ. Thorun. S. R. M. Pol. Med.
Heinricus Screta à Zavorzitz, Pract. Schafhuſ.
Georgius Segerus, S. R. M. Pol. Med. Phyſ. Gedan.
Petrus Specht, R. M. Svec. Med.
Chriſtoph. Seliger, Phyſ. Sittavienſis.
Joh. Georg. Sommer, Archiater Arnſtadio-Schwarzeburg.
Joh. Chriſtoph. Sturmius, P. P. Altdorf.
Philipp. Thalducci à Domo, architect. mil. per Bohem. Præfectus.
Gothofredus Thileſius, Phyſ. Uratislav.
Joh. Frid. Treubler, Svinfurt. Phyſ. Berg. in Norwegia.
Simon Aloyſius Tudecius de monte Galea, Med. Prag.
Erhardus Weigelius, Matheſ. Prof. P. Jen.
Joh. Jacob Wepfer, Phyſ. Schafhuſ.
Daniel Winckler, Arch. Ligio-Bregenſis in Sil.
Joh. Ludwig Witzel, Phyſ. Francofurt.
Laurentius Wolffſtrigel, P. P. Viennæ.

CATA-

# CATALOGUS

## *S. R. I. Academiæ Naturæ Curiosorum Collegarum omnium, cum Nominibus, Agnominibus & tempore Receptionis.*

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 1 | Joh. Laurent. Bausch, Svvinf. Acad. Nat. Curiosf. Fundator & Præses I. | Jason | Phys. Svvinf. | 1652. |
| 2 | Joh. Michaël Fehr, Kittinga Francus, Acad. Nat. Curios. Adjunctus I. jam Præses II. | Argonauta | Phys. Svvinf. | 52. |
| 3 | Georg. Balthas. Metzger Svvinf. | Americus | P. P. Tubing. | 52. |
| 4 | Georg. Balthas. Wolfart Svvinf. | Alceus | Pract. Svvinf. | 52. |
| 5 | Christoph. Keiling Islebiensis. | Æson | Phys. Isleb. | 52. |
| 6 | Valentinus Andr. Mollenbrock Erffurt. | Pegasus | P. P. Erff. | 52. |
| 7 | Gregorius Horstius Ulmens. | — — | Phys. Ulmens. | 52. |
| 8 | Joh. Pfautz Ulmens. | — — | Med. Ulmens. | 52. |
| 9 | Conrad. Theod. Lüncker Marpurg. | — — | P. P. Marpurg. | 52. |
| 10 | David Wilhelmi Baccharac. | — — | Phys. & P. P. Bern. | 52. |
| 11 | Andr. Wolffius Jenens. | — — | Phys. Smalcald. | 1653. |
| 12 | Joh. Martin. Uhlius Svvinf. | — — | P. P. Sleusing. | 53. |
| 13 | Alb. Conrad. Langenauer Uffenheim. | — — | Phys. Weidens. | 53. |
| 14 | Nicol. Balthas. Merz Herbipol. | — — | P. P. ibid. | 1654. |
| 15 | Joh. Daniel Horstius Giessens. | Phœnix | Arch. Francof. | 1655. |
| 16 | Joh. Adam Stoer Herbip. | — — | P. P. ibid. | 1656. |
| 17 | Philipp. Jacob. Sachs Uratislav. A. N. C. Adj. | Phosphorus | Phys. ibid. | 1658. |

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 18 | Joh. Deutſchlender Frauſtad. | — — | Arch. Polon. | 1661. |
| 19 | Leonhard UrſinusNorimberg. | Zephyrus | P. P. Lipſienſ. | 61. |
| 20 | Elias Schmidt Haslac. A. N. C. Adj. | Phaëton | Phyſ. Svvinf. | 61. |
| 21 | Joh. Andr. Grabe Mulhuſ. | Cephalus | Phyſ. Erff. | 61. |
| 22 | Joh. Jacob Sauer Palatin. | — — | Phyſ. Herbip. | 61. |
| 23 | Joh. Philipp. Deisler Svvinſ. | — — | Phyſ. Sulan. | 61. |
| 24 | Joh. Jacob Wittig. Erff. | — — | P. P. Erff. | 61. |
| 25 | Georg. Chriſtoph. Petri Erff. | Achilles | P.P. Erff. Arch. Mog. | 1662. |
| 26 | Jacob. à Typſma Harlem. Friſius. | — — | Phyſ. Leoward. | 1663. |
| 27 | Hieron. Conrad. Virdungus ab Hartung. Marp. | Meliſſus | P. P Herbip. | 1664. |
| 28 | Paulus Amman, Uratislav. | Dryander | P. P. Lipſ. | 64. |
| 29 | Joh. Daniel Major Uratislav, A. N. C. Adj. | Heſperus | P.P. Chilonien. | 64. |
| 30 | Chriſt. Frider. Garman Martisb. | Pollux | Phyſ. Chemnic. | 1668. |
| 31 | Jeremias Rhoetius Arſtad. | Caſtor | Phyſ. Arnſtad. | 68. |
| 32 | Joh. Rudolph. Camerarius Tubingenſ. | Hector | Phyſ. Tubing. | 68. |
| 33 | Heinr. Vollgnad, Uratislav. A. N. C. Adj. | Sirius | Phyſ. Uratislav. | 1669. |
| 34 | Joh. Jæniſius Uratislav. | Arcturus | Phyſ. Uratislav. | 69. |
| 35 | Joh. Chriſtian Mackius, Cob. | — — | Phyſ. Schneb. | 69. |
| 36 | Michaël Ettmüller Lipſ. | — — | Fac. Med. Aſſeſſ. Lipſ. | 1670. |
| 37 | Joh. Ferdinand Hertod à Todenfeld Morav. | Orpheus | Phyſ. Brunn. | 70. |
| 38 | Joh. Georg Greiſelius Viennenſ. | — — | P. P. ibid. | 70. |
| 39 | Georg. Sebaſtian Jungius Viennenſ. A.N.C. Adj. | Podalirius | Arch. Cæſar. | 70. |

40. Salo-

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 40 | Salomon Braunius, Chilon. Holſat. | — — | Phyſ. Biberac. | 1672. |
| 41 | Paulus de Sorbait, Belga. | Machaon | Arch. Cæſ. | 72. |
| 42 | Gottlieb Georg Schramm, Frauenſtad. | — — | Phyſ. ibid. | 72. |
| 43 | Melchior Friebe, Friedland. Sileſ. | Cleander | Phyſ. Præf. Hayn. | 72. |
| 44 | Georg. Wolffg. Wedelius, Luſatus, A. N. C. Adj. | Hercules | P. P. Jenenſ. | 72. |
| 44 | Joh. Sculterus Norimb. A. N. C. Adj. | Perſeus | Phyſ. Norimb. | 72. |
| 46 | Georgius Francus, Naumburg. | Argus | P. P. Heidelb. | 72. |
| 47 | Joh. Georg. Elsner Uratislav. | — — | Phyſ ibid. | 1673. |
| 48 | Gottfried. Schubart, Uratislav. | — — | Phyſ. Breg. | 73. |
| 49 | Gottfried. Chriſtian. Winckler Breg. | — — | Phyſ. ibid. | 73. |
| 50 | Chriſtianus Adolph. Balduin, Dobela Miſnic. | Hermes | Præf. Hayn. | 73. |
| 51 | Matthias Tilingius Jevera Friſ. | Zephyrus | P. P. Rinthel. & Arch. Haſſ. | 1674. |
| 52 | Salomon Reiſelius Hirſchberg. | Amphion | Phyſ. Worm. | 74. |
| 53 | Joh. Sigmund. Elsholtz Berlin. | — — | Arch. Brand. | 74. |
| 54 | Caſp. Theophilus Bierling Lipſ. | — — | Phyſ. Magd. | 74. |
| 55 | Ehrnfried Hagendorn, Gorlitz. | Pegaſus II. | Arch. Sax. Görl | 74. |
| 56 | Dn. Chriſtian. Auguſt. L. B. à Frieſen. | Jaſon II. | — — | 1675. |
| 57 | Chriſtianus Mentzelius Fürſtenvvald. | Apollo | Arch. Brand. | 75. |
| 58 | Caſpar. Marchius Stettino-Pomeran. | — — | Arch. Brand. | 75. |
| 59 | Chriſtianus Franciſcus Paullini Iſnacenſ. | Arion | Arch. Corbej. | 75. |

60. Joh.

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 60 | Joh. Laurent. Fehr Svvinf. | — — | Med. ibid. | 75. |
| 61 | Joh. Petrus Prückelius Ratisb. | — — | Phyſ. Ratisb. | 75. |
| 62 | Joh. Georg Trumphius Goslar. | — — | Phyſ. Goslar. | 1676. |
| 63 | Gothofred. Sculterus Uratislav. | — — | Phyſ. ibid. | 76. |
| 64 | Georg Hieron. Welſch, Auguſt. | Neſtor | Phyſ. Auguſt. | 76. |
| 65 | Rudolphus Wilhelmus Kraus, Naumb. | Tiphys | P. P. Jenenſ. | 76. |
| 66 | Georg. Abraham Merclin Junior Nor. | Chiron | Phyſ. Norimb. | 76. |
| 67 | Gabriel Clauderus Altenburg. | Theſeus | Arch. Altenb. | 1677. |
| 68 | Benjamin Scharff Sondershuſ. | Bias | Arch. Svvartz. | 77. |
| 69 | Georg. Caſpar. Kirchmaier. | Phoſphor. II | P. P. Witteb. | 77. |
| 70 | Joh. Burg Uratislav. | — — | Phyſ. Uratislav. | 77. |
| 71 | Gothofr. Samuel Poliſius Francof. ad Viadr. (Adj. | — — | Phyſ. Francof. | 77. |
| 72 | Luc. Schröck Jun. Aug. A. N. C. | Celſus | Phyſ. ibid. | 77. |
| 73 | Dn. Dietericus de Warvvitz Eq. Hieroſ. | Ulyſſes | — — | 77. |
| 74 | Joh. Nicol. Pechlinus Batav. | Telamon | P. P. Kilon. | 1678. |
| 75 | Joh. Jac. Waldſchmidt Wetter. | Priamus | P. P. Marpurg. | 78. |
| 76 | Dn. Heinricus L. B. à Friſen. | Atlas | — — | 78. |
| 77 | Joh. Chriſtoph. Adlungius Erff. | Ajax | P. P. Erff. | 78. |
| 78 | Joh. Georg. Volckamer Norimberg. A. N. C. Adj. | Helianthus | Phyſ. ibid. | 78. |
| 79 | Joh. Sieboldus Gothanus. | Laomedon | Arch. Magdeb. | 78. |
| 80 | Laurentius Giesler, Sen. Brunſvvicenſ. | Hippocrates | Phyſ. Brunſvic. | 78. |
| 81 | Andreas Cleverus. | Dioſcorides | Ph. Bat Ind. Or. | 78. |
| 82 | Joh. Fried. Allmacher. | Zethes | Arch. & Phyſ. Wertheim. | 78. |
| 83 | Tobias Czaſchelius. | Æſculapius | Arch. Cæſar. | 1679. |
| 84 | Joh. Georg. Sartorius Bamberg. | Calais | Phyſ. Bamberg. | 79. |

85. Joh.

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 85 | Joh. Christianus Tralles. | — — | Physf.Uratisl | 79. |
| 86 | Jacob Wolffius Numb. | Socrates | Physf.Altenb | 79. |
| 87 | Carolus Patinus, Parisiensis Gallus. | Galenus | P. P. Patav. | 79. |
| 88 | Günther Christoph. Schelhammer Jen. | Theophrastus | P.P. Helmst | 79. |
| 89 | Johannes Pfeiffer Geran. | Musa | Arch.Ruth. | 1680. |
| 90 | Joh.Ludov.Hannemannus. | Nestor II. | P.P.Chilon. | 80. |
| 91 | Joh. Dolæus. | Andromachus | P.P.Hannov | 80. |
| 92 | Sebast.Scheffer A. N. C. Adj. | Perseus II. | Ph. Francof. | 1681. |
| 93 | Hieron. Ambros. Langemantel. | Solon | Patr.& Can. Aug. | 81. |
| 94 | Joh. Jacobus Harder. | Pæon | P. P. Basil. | 81. |
| 95 | Joh. Daniel Widdt. | Asclepiades | Arch. Trev. | 81. |
| 96 | Joh. Conrad Peyer. | Pythagoras | Ph. Schafh. | 81. |
| 97 | Joh. Paulus Wurffbain. | Hermes II. | Physf.Norib. | 81. |
| 98 | Georg. Eberhard. Rumph. | Plinius | Hist.inAmb. | 81. |
| 99 | D. Joh. Petrus Albrecht. | Castor II. | Ph.Hildesh. | 81. |
| 100 | Joh. de Muralto. | Aretæus | Physf. Tigur. | 81. |
| 101 | Henricus Screta. | Nicander | Ph. Schafh. | 1682. |
| 102 | Joh. Adam Limprecht. | Fabius | Physf.Uratisl. | 82. |
| 103 | Gerard. Blasius. | Podalirius II. | P.P. Amstel. | 82. |
| 104 | Joh. Jacob. Döbelius. | Hippocrat. II. | P.P.Rostoch | 82. |
| 105 | Emanuel König. | Avicenna. | Physf. Basil. | 82. |
| 106 | Mart. Joh. Haësbart. | Rhases | — — | 82. |
| 107 | Joh. Georg Hieronymi. | Aëtius | Ph. Gvelph. | 82. |
| 108 | Joh. Georg Landbeck. | Serapio. | Pract.Kittin | 82. |
| 109 | Carolus Oheim. | Sirius II. | Physf.Uratisl. | 82. |
| 110 | Jacobus Schmidius. | Podalirius III. | Arch. Anh. | 82. |
| 111 | Jacobus Weizius. | Æson II. | Arch. Goth. | 82. |
| 112 | Joh. Matth. Faber. | Plato | Physf.Heilbr. | 1683. |
| 113 | Adamus à Levvenvald. | Æsculapius II. | M.Con.Stir. | 83. |

Continuatione vide A. IIIæ. Dec. IIæ.

 *PRÆFA-*



# PRÆFATIO AD LECTOREM.



Um recens opus Ephemeridum adparamus, operæpretium videtur laudare divini *Hippocratis* locum ex *l. de arte c. 1. l. 4.* ubi, ἐμοὶ τὸ μὲν τὶ τῶν μὴ εὑρημένον ἐξευρίσκειν, ὅτι καὶ εὑρεθὲν κρέσσον ἢ ἀνεξεύρετον, ξυνέσιος δοκέει ἐπιθύμημά τε, καὶ ἔργον εἶναι. mihi, *inquit*, invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa ſunt, quod ipſum notum, quàm occultum eſſe præſtet, ſcientiæ (*Medicæ*) votum ac opus eſſe videtur: ſimiliterque & ſemiperfecta ad finem perducere & abſolvere. Id ipſum nempe unicum propoſitum fuit hactenus Societatis noſtræ Academicæ, eruere naturæ arcana ex centris ſuis, & eruta illuſtrare.

Sunt, qui nihil inveniri poſſe amplius rentur, omnia jam panſa, nudam ſine veſte Dianam, haberi jam cuncta parata ac confecta, nihilque dici poſſe, quod non jam dictum ſit. Et verum eſt, inventa jam plura eſſe, quàm credi potuiſſet. Felix hoc ſeculum plura alia hâc laude ſuperat Ideò tamen nil ſupereſſe amplius, quod inveniri, ſeligi, illuſtrari, & perfici poſſit, nimis arrogans foret, qui contendat.

Natura, quæ *Juſtini Martyris* eſt parœmia, imitatur fontem, qui quanto hauritur magis, tanto limpidiores profundit aquas. Non minus de eâdem ac de pietate valet, quod dicitur, niſi eam inveſtigando progrediamur, regredimur. Quin

brevi

brevi imminens barbaries visenda fuerit, nisi hæc studia excolamus perpete studio. Non ideò hæreditas tam ampla ad nos traducta est à tot seculis, ut otiosi consenescamus spectatores. Ut ferrum movendo splendorem suum servat, imò auget, quietum verò rubiginem contrahit brevi; eundem in modum artes excultæ ditescunt & evehuntur magis, neglectæ vilescunt & oblivioni traduntur.

Non alius scopus fuit hactenus, quàm dictus, nec institutum aliud nostrum, quod *nunquam otiosos* esse deceat naturæ ministros, ut ipsa feriatur nunquam, agit semper, invitat perpetuò, & promptè expromit thesauros, quibus ditissima gaudet.

Et invenire annisi sumus, & inventa provehere amplius, laudatissimo sanè conatu; sed quis æquè finem assequitur semper, quem intenderat? Quis saltim, sine censurâ, sine exceptione, omnium calculum & applausum impetrat? Satis fuerit, innocente nisu tentata omnia, neque id sine fructu insigni, ut speramus. Condonandum potius erat, si non æquali stadio decurramus omnes, iique suâ operâ mutuâ juvare studia, potius debebant, qui otiosi an invidi, vel doctiores potius non omnia ad palatum suum posita reperiunt.

Maximæ debentur laudes Uratislaviæ, quæ Silesiæ est metropolis, & Germaniæ decus, luminibus, SACHSIO, VOLLGNADIO, quique in vivis adhuc existentes alii, indefessâ operâ, candore summo, colligendi edendique Ephemerides per integros decem annos sustinuêre strenuè provinciam. Demeriti sunt officio hoc suo universam artem, peplo Minervæ Curiosorum inscribendi, & posteritati commendandi.

Primi hoc pensum absolverunt, summâ cum nominum suo-

rum gloriâ, alterum jam demandatum Noribergæ, centro Germaniæ, ac ſoli, ne in molem nimis vaſtam excreſcat non interpolatum opus, ſed diviſum hoc pacto novam apud eruditos, cumprimis verò horum Patronos & Mæcenates, & quorum in fide eſt ſocietas, & alios ambiat gratiam.

Quicunque ergò in poſterum inventa ſua nova, vel priſtinis novam acceſſionem fœnerantia nobiscum communicare amant ac dignantur, amicè & perofficiosè rogamus, invitamusque, ut vel Noribergam ſtatim dirigant elaboratas ad prelum Obſervationes, vel in quovis circulo proximiori ad Adjunctos Societatis mittant, ſecuri de integrâ famâ ac nominis gloriâ, quam inde ex mente reportabunt. Ordinis rationem tam accuratam attendere nobis non licuit. Ordinem quippe absque ordine obſervavimus, qualem in priori, talem & in præſenti decuriâ novâ, nullius Authoritati, nullius Eruditioni quidquam derogantes. Omnibus officioſum teſtabimur animum, quin obſtetricantem hanc æternæ nominis famæ occaſionem offerimus, ſeu ex noſtro jam ordine ſint, ſeu illum, quod non meretur, deſpicatui non habeant.

Primum novi operis hunc ſiſtimus fœtum, edituri porrò deinceps, quicquid curioſi parturierint ingenia, benevolâ communicatione ad nos miſſum. Vale LECTOR AMICE, & conatus noſtros Tuâ gratiâ ac favore promove.



Ad

Ad Inclytam
*Naturæ Curiosorum Societatem.*

S. R. I. Academiæ Nat. Curiosorum
*Nobilissimis, Excellentissimis & Experientissimis*
Dnn. Patronis, Fautoribus, Adjunctis,
cæterisque Collegis suis
*Salutem & Felicitatem dicit*
JOHANN. MICHAEL FEHR,
PRÆSES d. Argonauta.



Ub felicissimo auspicio Eminentissimi nostri Protectoris, Dn. ANSHELMI FRANCISCI, Electoris Moguntini &c. placuit Academiæ N. Cur. typographiam, ob loci, per Rom. Imperium, commoditatem, Noribergam transferre, eamque Wolffgango Mauritio Endtero, Typographo & Bibliopolæ ejusdem Civitatis, commendare; quod E. E. E. V. V. V. omninò notificandum duximus, ut suas quisque Observationes probè elimatas, cum titulo in peculiari schedâ consignato, eâque formâ, quâ typis expressas volunt, eò ablegent: vel, si via est longior, easdem ad vicinum cujusque circuli Adjunctum ita elaboratas amandent, revidendas tamen, & ulterius promovendas.

II. Dabunt etiam sedulam Adjuncti operam, ut si quæ in revisione Observationum notanda & corrigenda videantur, illa statim ad Scripti Authorem referant; Illi manum à corrigendo penitus abstineant: expolitæ autem, vel necessitatis, vel jucunditatis aut utilitatis specie arridentes Noribergam quantocyus transmittantur.

III. Ad eosdem quoque Adjunctos deferri possunt nomina & morbi eorum, qui ex Collegis piè sunt defuncti, ut annuus Collegarum tam vivorum, quàm mortuorum, ut & noviter receptorum Catalogus ad singulas editiones pleniùs adornari possit.

 Vivunt

Vivunt autem adhuc per Dei gratiam & clarent Nobilissimi & Excellentissimi Domini Adjuncti:

In circulo Franconico,

D. ELIAS SCHMID, d. Phaëton Svinfurti.

In circulo Saxonico,

D. GEORGIUS WOLFFG. WEDEL, d. Hercules Jenæ.

In circulo Svevico,

D. LUCAS SCHRÖCK, d. Celsus, August. Vind.

In circulo Rhenano,

D. SEBASTIANUS SCHEFFER, d. Perseus II. Francof. ad Mœnum.

Ad mare Balthicum,

D. JOH. DANIEL MAJOR, d. Hesperus, Kiliæ Cimbrorum.

In circulo Austriaco,

D. JOH. JÆNISIUS, d. Arcturus, Uratisl.

In circulo Norico,

D. JOH. GEORG. VOLCKAMER, d. Helianthus, Noribergæ.



# CATALOGUS

*Excellentissimorum Dnn. Medicorum,*

Qui pro augendo primo hoc secundæ Ephemeridum Physico-Medicarum Decuriæ anno Observationes communicarunt, secundum ordinem Alphabeticum.

1. D. JOH. PETRUS ALBRECHT, *Physicus Hildesheimensis*, Academicus Curiosus.
2. D. PAULUS AMMAN, *Professor Publicus Lipsiensis & Botanicus insignis*, Academicus Curiosus.
3. D. SYLV. SAMUEL ANHORNIUS, *Physicus Sangallensis Ordinarius.*
4. D. LAURENTIUS BAUSCHIUS, *quondam Physicus Svinfurtensis*, Fundator Academ. N. Curiosorum, & Præses I.
5. L. BALTHASAR CHILIANUS, *Medicus Provincialis Saxon. Eysfeldæ.*
6. D. ANDREAS CLEYERUS, *Protomedicus & Senator Bataviæ Orient.* Academicus Curiosus.
7. D. JOH. DOLÆUS, *Archiater & Prof. Publ. Hannoviensis*, Academicus Curiosus.
8. D. JOH. GEORG. ERNST, *Practicus Wolaviensis in Silesia.*
9. D. JOH. MICHAEL FEHRIUS, *Consul & Archiater Svinfurtensis*, Acad. Nat. Cur. PRÆSES, d. Argonauta.

10. D. JOH.

10. D. JOH. LAURENT. FEHR, *Physicus Svinfurtensis*, Nat. Cur.

11. D. GEORGIUS FRANCUS, *Prof. Publ. Heydelbergæ, Universitatis Pro-Cancellarius, Serenissimi March. Badens. Archiater*, Academicus Curiosus.

12. D. HENR. NICOL. GRIMMIUS, *Practicus quondam in India Orient. Celeberrimus.*

13. D. JOH. LUDOVICUS HANNEMANNUS, *Profess. Publicus Chiloniensis*, Academicus Curiosus.

14. D. JOH. EHRENFRID HAGENDORN, *Phys. Görliz*, Nat. Curiosus.

15. D. JOH. JACOB. HARDERUS, *Prof. Publ. Basiliensis Ordinarius*, Academicus Curiosus.

16. D. BENEDICTUS HERMANNUS, *Medicus Augustanus.*

17. D. GREGOR. HILLINGIUS, *Physicus Norib.*

18. D. JOH. MAURICIUS HOFFMANNUS, *P.P. Altdorf.*

19. D. JOH. CORNELIUS HÖNN, *Physicus Noribergensis.*

20. R. P. AD. ABRAHAMUS KOCHANSKI, *Societatis Jesu.*

21. D. EMANUEL KÖNIG, *Phil. & Med. Basiliensis*, Academicus Curiosus.

22. D. JOH. LAURENT. LÆLIUS, *Physicus Onoldinus.*

23. D. SAMUEL LEDELIUS, *Medicus Grünbergensis in inferiore Silesiâ.*

24. D. PHILIP. MARCUS MARCI, *Med. Provincialis Sax. Gothan.*

25. Dn.

25. Dn. THEODORICUS à MARWITZ, *Serenissimo Electori Brandenburgico à Consiliis in Neomarchiæ Statu & Consistorio, Ordinis Johannitici Hierosolymitani Eques, & Commendator designatus in Witersheim &c.*

26. D. CHRISTIANUS MENZELIUS, *Sereniß. Electoris Brandenburgici Consil. & Archiater*, Academicus Curiosus.

27. D. GEORGIUS ABRAHAMUS MERCLINUS, *Physicus Noriberg.* Academicus Curiosus.

28. D. JOH. de MURALTO, *Physicus Tigurinus*, Academicus Curiosus.

29. Dn. CAROLUS OFFREDI, *Medicus Patavinus.*

30. D. CAROLUS PATINUS, *Eques D. Marci, Doctor Medicus Parisiensis, & in Archilyceo Patavino Primarius Chirurgiæ Professor*, Academicus Curiosus.

31. D. JOH. CONRAD. PEYERUS, *Physicus Schaffhusanus*, Academicus Curiosus.

32. D. SALOMON REISEL, *Sereniß. Ducis Wirtemb. Consiliar. & Archiater Stutgardianus*, Academicus Curiosus.

33. D. VITUS RIEDLINUS, *Physicus Augustanus.*

34. D. PETRUS ROMMELIUS, *Poliater Ulmensis.*

35. Dn. GEORGIUS EVERHARDUS RUMPHIUS, *Illustris Societatis Indiæ Orientalis in Insula Moluccarum Ambona apud Belgas Senator, & Mercator emeritus*, Academicus Curiosus.

36. D. JOH. GEORG. SARTORIUS, *Archiater Bambergensis*, Academicus Curiosus.

37. D. GUNTHER CHRISTOPH. SCHELHAMMER, *P. P. Helmstadiensis*, Academicus Curiosus.

38. D. JOH. BAPTISTA SCARAMUCCIUS.

39. D. SEBASTIANUS SCHEFFERUS, *Physicus Francofurtanus*, Nat. Curiosorum Adjunctus d. Perseus II.

40. D. HENRICUS SCRETA, *Physicus Schaffhusianus*.

41. D. CHRISTOPHORUS SELIGERUS, *Practicus Zittaviensis in Silesia.*

42. D. JOH. GEORGIUS SOMMER, *Archiater Arnstadio Schwarzenburgicus.*


43. Dn. JOH. CHRISTOPH. STURMIUS, *Profess. Publ. Mathem. & Physic. Altdorffii.*

44. D. JOH. GEORG. VOLCKAMER, *Physic. Norib.* Nat. Curios. Adjunctus d. Helianthus.

45. D. GEORGIUS WOLFFGANGUS WEDELIUS, *Archiater Ducalis Saxonicus, in Universitate Jenensi P. P. &* Acad. Nat. Cur. Adjunctus d. Hercules.

46. D. JOH. PAULUS WURFFBEINIUS, *Physicus Noribergensis*, Academicus Curiosus.





# CATALOGUS OBSERVATIONUM.

## D JOH. MICHAELIS FEHRII.

38. De

112. Pro-

D. GUN-

D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.



D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.



D. JOH. PAULI WURFBAINII.



D. GEORGII WOLFFG. WEDELII.



D. GREGORII HILLINGII.



D. EHRNFRIDI HAGENDORNII.



D. JOH. LAURENTII EFHR.



165. Cal-

D. EMANUEL. KÖNIG.



D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.



D. JOH. CORNELII HÖNNII.



D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.

D. GEORG. ABRAHAM. MERCLINI.




D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.



ADDENDA.





EPHE-

# EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM CURIOSARUM
## *DECURIÆ II.*
## ANNI PRIMI
### OBSERVATIO I.
### D. JOHANNIS MICHAELIS FEHR.
### Catalepsis ſtataria Periodica.



Nter Anni conſtitutiones ſiccitates ſalubriores eſſe continuis imbribus, veriſſimè pronunciavit *Cous noſter 3. aphor. 15.* quod & hoc ipſo anno 81. plus ſatis ſumus experti. Adultâ enim hieme cum principio veris exiſtente frigidâ & humidâ, ſuccedente quoque æſtate calidâ quidem, ſed & plurimùm humidâ, in Autumno

Continuis vexata madet Vindemia nimbis.

Ab Arcturi enim exortu ad finem usque hujus Anni Auſtrina ingruit tempeſtas, cum frigore, licèt illo mitiori; pluviis tamen ferè aſſiduis cum ventorum immani fremitu, fulgure, quandoque tonitru, & procellis pluribus horrida: hinc tot naufragia, & ineunte anno 82. multis retrò ſeculis non auditæ terrarum inundationes, ædificiorum ruinæ, ac iſta graviſſimorum morborum colluvies, ex humorum pravorum copiâ, ac exinde natâ putredine propullulârunt, quos longâ ſerie in pluribus aureis ſuis Aphorismis *ibidem* recenſet *divinus ſenex*, dolores ſcilicet capitis, otalgiæ, odontalgiæ, gravedines, tuſſes, pleuriti-

des, asthmata, hydropes, febres omnis generis, intermittentes & continuæ, pleræque malignæ, cum variolis, morbillis, petechiis, profluvia ventris, plurimi abortus, molæ ac difficiles partus, mensium suppressiones, suffocationes uteri, dolores colici, arthritici, ischiadici & scorbutici, vertigines, epilepsiæ, apoplexiæ, paralyses, cum soporosis affectibus, ac deliriis &c. Ex quibus postremis quædam saltem proferam specimina præ cæteris hîc notanda: Rustica quædam puella annorum circiter 15. jam à quinquennio Catalepsi laborat (liceat ita loqui) statariâ, eâque brevi, ac sæpius de die, inter eundum in media via, nullo præcedente frigoris sensu, subitò instar Mercurialis statuæ consistit, omnibus sensibus tam internis, quàm externis quasi consopitis, oculis apertis non videt, non audit inclamata, nec se loco movet, nec progreditur, nec unquam cadit etiam graviter onerata, nec onus deponit aut projicit, quin & in templo ad sacram cœnam accessura sæpius ita consistit, & Pastorem in altari moratur, sed mox quasi è profundo somno excitata ad pristinum vigoris statum redit, præteritorum omnium ignara, cæteroquin & extra paroxysmum omnium animæ corporisque functionum sic satis capax. Unica convalescentiæ spes in felici menstruorum eruptione, quæ nondum apparuére. Ab ejusmodi diuturna Austrinâ tempestate correptæ Catalepticæ quinquennis puellæ admodum somnolentæ & morosæ mentio quoque facta est in *Hierâ mea picra* seu *Tractatu de Absinthio p. 59.* quæ in prandio ob pinguioris boli præsumtionem à sorore offensa subitò obriguit, cum manu & cochleari ad patinam extensâ, irretorto oculo quasi indignabunda sororem adspiciens, fortiter inclamata & increpata neque audit, neque os, aut labia movet, manu ducta & coacta incedit, brachia ejusdem sursum ac deorsum vel etiam transversim tracta in eodem situ perstant, ceream hominis statuam dixisses: Ante paroxysmum marmoris instar frigidissimi rigebat, post horam ferè unam cum pandiculatione, ventris murmuribus, ac profundis suspiriis sensim iterum incalescebat, largoque sudore profuso restitueba-

tuebatur in integrum, ant-epilepticis tùm curata, & helmintagogis. Vorax enim erat, sed anno insequenti variolis publicè grassantibus graviter afflicta obiit, Catalepsi non amplius tentata. Sic Prætor quidam in vicinia à quodam maleferiato subdito aculeatis cavillis præter modum petitus tantoperè excandescit, ut subitò ac in ipso adhuc tribunali sedens obrigesceret quasi minitabundus, ac superveniente apoplexiâ forti statim expiraret, quasi fulmine percussus. Quo fato etiam abrepti sunt octo messores in Insula Lemno sub quercu cœnantes, & subitò exanimati, qui sub ea specie, quâ discubuerant, rigidi permanserunt, ita ut unus comedere, alter ori poculum manu admovere, alius bibere videretur: Cùmque omnes nigri essent, imaginem totidem statuarum repræsentarent, *P. Zacchias Quæst. Med. Legal. è Card. p. 395.* Unde non inscitè Catalepsis morbus attonitus à quibusdam nuncupatur, & catochus seu subita quædam quasi congelatio totius corporis viventis. Geminum quid patitur obstetrix nostra, epilepticis aliàs convulsionibus ex aura maligna à summo pedis digito sursum exhalante obnoxia. Quoties enim ad maxillas usque ascendit aura ista frigida, ibique penitius se insinuat, caput obrigescit, nec os claudere, nec verbulum eloqui potest, donec succedente stertore paroxysmus finiatur: Vesicatorium pedi impositum, & aqua ciconiar. exhibita cum successu. Cor quoque ciconiar. comestum hîc quidam maximopere probant.

Comate vigili laborabat N. N. atrabiliarius, qui cùm pridie cum Amicis plusculùm sese invitâsset, mediâ nocte in hoc malum incidit cum hemiplexia sinistri lateris, dolore capitis dextro, deliro sermone, oculis conniventibus, linguæ gravitate, siti, fauciumque ardore, & brachii crurisque dextri inordinatà jactatione &c. Imperata statim omnis generis revellentia cum confortantibus & anodynis. Sed in carum denique lapsus intra triduum naturæ debitum solvit.

Alter quidam Hospes civis hinc ταβακόφιλος eodem morbo, modoque ferè simili corripitur, cum oculorum conniven-


tiâ, nauſeâ, vomitu, capitisque dolore, ac perpetuis vigiliis, qui provocatus, quidpiam reſpondet, mox ſupervenit febrilis horror cum ſubſequenti æſtu & ſiti, in lethargum degenerans, cum delirio continuo & memoriæ læſione, floccos legit, 8. die ſudat frigidè, huc illuc jactatur, difficulter reſpirat; 9. moritur, Anno 1671.

Unum caroticum vidi hoc anno 82. inſtar trunci decumbentem, & intra 6. horas expirantem; & 3. comatoſos, cum hemiplexia ex quibus unus in carum tandem delapſus intra triduum obiit, alter adhuc dum capitis ſtupore ac dextri lateris paralyſi laborat; tertius ſiniſtri lateris paralyſi præter extremam manum ferè defunctus ex vernalis aëris clementiâ radiorumque Solarium tepidioſo afflatu, ſummam ſibi convaleſcentiæ ſpem pollicetur. Optandum certè eſſet, ut Faſtorum conditores non tam ex varia ſiderum conſtellatione & Lunæ phaſibus, quàm aëris ſubtiliſſimæ noſtræ nutriculæ tùm deſuper appulſæ, tùm ſurſum indies ex terræ poroſitatibus exhalantis varietate ventorumque impetu certiora nobis traderent tempeſtatum indicia, quibus innixi Medici & in humano corpore ſecundæ ac adverſæ valetudinis præſagia longè glorioſius edere, curasque ſuas feliciores abſolvere poſſent, cùm omnium ferè morborum cauſas Veteres non inſcitè ſtatuerint πνεύματα καὶ ῥεύματα; quæ ex diuturna Auſtrina conſtitutione potiſſimùm oriuntur.

Inter deliria graviſſimum eſt, & tali aëris conſtitutione frequentiſſimum Melancholia præſertim hypochondriaca, Literatorum pediſſequa, modò garrula, modò planè muta, cum metu & triſtitia ſemper conjuncta; cujus curâ joculari horridas hasce & inſuaves literas dulciori quodam quaſi condimento conſignare volui, ut gratiam aliquam à B. L. fœnerarent. Inſignis quidam Melancholicus, Muſices haut imperitus, cùm variis remediorum formulis diu multumque vexaretur ita, ut tandem omnia ferè pharmaca reſpueret, novo tamen eoque graviſſimo paroxysmo obrutus in ſummis anguſtiis ac

inter

inter profunda suspiria me unicum adhuc, idque præstantissimum remedium instantissimè rogat, cui tunc temporis nihil aliud præscripsi; nisi clausulam sacræ istius cantionis (**vom Himmel kam der Engel-Schaar**) cum vulgata melodiâ notis sequenti modo in schedula consignatis, quâ conspectâ statim in profusum cachinnum solutus, grabato se levat exultans & à gravissimo hoc malo penitùs liberatur.




In hunc censum referri posse videtur 25. annorum juvenis, LL. Studiosus taciturnus, & morosus, qui à nimio motu in æstate æstuans subitò in aphoniam labitur, cum totius corporis refrigeratione quasi syncopticâ; sed nullis revellentibus, nullis fomentis refocillatur; totus riget; nec inclamatus audit, nec movetur, nec meminit eorum, quæ in paroxysmo acta sunt, à paroxysmo autem unius plerunque horæ spacio crebrò suspirat, & punctiones quasdam in extremis digitis persentiscit; bis ita laboravit, sed non ad phases Lunæ; cætera vivus valensque nuper cum compta quadam virgine sub spe omnimodæ convalescentiæ matrimonium contraxit.

# OBSERVATIO II.

## D. JOHANNIS MICHAEL, FEHR.

De

# Anatomia Hydropici, & Liene monſtroſo.

SEcuimus aliquando Hydropicum nomine Tobiam Vachen, Scriniarium, qui morbo iſto ferè per trimeſtre graviter laboraverat. Aderant enim ipſi primò exquiſiti circa umbilicum dolores, quos excipiebant totius abdominis laterumque tenſiones, ac mox inſignis ventris intumeſcentia, cum ſiti intenſa, gracilitate ſuperiorum partium ſummâ, tuſſiculâ plerumque ſiccâ, nonnunquam cum pauco ſputo cruento: Pulſus celer, frequens, varius, urina pauca, craſſa & rubicundiſſima, cereviſiæ vel lixivii inſtar, alvi obſtructio pertinaciſſima: Accedentibus poſtea inſomniis, inquietudine, pedum & ſcroti tumore œdematode, mox in veſiculas plures inſignem ſeri copiam cum graviſſimis doloribus continenter effundentes abeunte. Medicamenta quidem adhibita fuerunt plurima, ſed omnia fruſtra, expiravit noctu, ratione ad ultimum vitæ halitum perſiſtente integrâ. Umbilicus, qui non tumebat, leviter ſcalpello inciſus, ingentem ſeri citrini copiam effudit 14. vel 16. circiter menſuras. Abdomen cum omnibus ſuis muſculis & velamentis ſalvum erat, inteſtina itidem, ſed hepar ſcirrhoſum totum conſpiciebatur, coloris erat flavi, cum puſtulis aqueis ejusdem coloris undiquaque obſitum, ſanguis inerat pauciſſimus, loturæ carnis ſimilior, ventriculus flatibus refertus, & paucâ aquâ, in meſenterio intra duplicaturam tunicarum comparebant tubercula quædam grandinum inſtar, quæ in ſuibus quandoque obvia ſunt, ſed mirum hoc unum & rarum oppidò occurrebat, lien figuræ triquetræ & 7. lobis diſtinctis erat conſpicuus,



ſpicuus, coloris violacei extùs, intrinſecùs verò rubicundi floridi, ut facilè cuivis exinde conſtaret, ipſum hepatis jamdudum ſcirrhoſi vices aliquandiu ſubiiſſe, quapropter & ſingulari tunicâ eâque ſat robuſtâ à fundo ventriculi antrorſum ac peritonæo ſub coſtis ſpuriis extensâ, quæ quaſi quodam ſemidiaphragmate à provida Naturâ velatus erat,ut in officinâ peculiari à ſaburra & colluvie ventris quodammodo excluſus expeditius ſuæ functioni præeſſe poſſet.Unde non injuriâ lien νόθον ἧπαρ, ſpurium ſive vicarium hepar cognominatur. E veſicula fellis inciſa bilis atra confertim effluebat, pulmones etiam vitio non caruiſſe videbantur, varii enim coloris erant, ut plurimum punicei ſive lividi: Pancreas ventriculo arctiſſimè connexum totum etiam ſcirrhoſum erat, in renibus & veſica vitium nullum.

Confirmare mihi videtur caſus hic noſter ſententiam P. Martiani ſolertiſſ. Hipp. Commentatoris & ipſiſſimi ejusdem Genii, qui *Com. in ſ. 4. de victus acutor. ratione p. 415.* omnem hydropem in humida quadam intemperie (unde & ipſi nomen eſt) modò frigiditati, unde Aſcites, modò caliditati cum flatibus

flatibus junctum, conſiſtere, ait. E poſterioris genere eſt tympanites vulgò dictus, qui reſpectu alterius jure merito ſiccus hydrops in Aphoriſmis & alibi ab Hipp. cognominatur. Et ſicut ille plerunque pro incurabili habetur; ita ad alterius, tympanitidis ſcil. curationem multâ bonâ fortunâ opus eſſe ait &c. Anaſarca autem ſive leucophlegmatia ipſi via eſt ad hydropem, ut cachexia prodromus ad utrumque.

De monſtroſo autem iſto liene Excellent. Dominus Joh. Veslingius P.P. Patavinus & Anatomicus famigeratiſſimus in ſuis ad me literis ſub 17. Sept. Anno 47. monſtroſi, inquit, lienis adumbrationem vidi libentiſſimè, meminique ſæpius nunc inciſuris diſtinctum lienem, nunc lobis aliquot diſtractum, in ſectionibus me publicis obſervâſſe: Quin annô proximè exactô ſeſe offerebat, qui partibus quinque diſpari magnitudine præditis pedem hominis pulchrè ſatis exprimebat. Nonnunquam habitu parenchymatis, roſeoque colore tam ſimilem hepati deprehendi, ut lac lacti ſimilius eſſe non potuerit. Ea res me quoque confirmavit, ut etiam jecore ſalvo lienem αἱματώσεως officium tanquam naturale munus ſuſtinere exiſtimem.

## OBSERVATIO III.

## D. JOH. MICHAEL. FEHR.

*De*

# Fiſtulâ Umbilici feliciter curatâ in Patre Theatino.

AFfectus præternaturales, à quibus proximis jam elapſis diebus admodum Rev. Pater vexabatur, duo quidem erant; quorum alter totum corpus detinebat, eratque de genere putridarum febrium, i. e. tertiana ſimplex notha continua cum urinis rubris, qui de more Gal. non ſolùm ex typo, verùm ex propria illius coloris ſubſtantia ab

ab aliis hujusce generis distinguebatur: Alter verò & similarium & dissimilarium partium erat communis, pertinebatque ad magnitudinem auctam partium umbilico circumstantium, à quo, nescio quid, ichorosi tum temporis exibat. Horum morborum causæ à Medico creditæ fuerunt non minùs externæ, quàm internæ; & ex internis, tam mediatæ, quàm immediatæ; prægressis enim & studendi & legendi summis laboribus non solùm quod naturâ tale erat, fuit conservatum, sed magis magisque adauctum, unde factum fuit, ut non minus ab hepate calidiori, quàm à languidiori ventriculo humidiorique cerebro suppeditata materia non solùm in venis mediis, in quibus erat focus putredinis, obstructiones adauctæ, verùm & in musculorum abdominis cavitatibus abscessus fuerit obortus. His ergò benè consideratis, & ab iisdem jam desumtis indicationibus tum per Chirurgiam, tum per pharmaciam, & diætam adeò fuit provisum, ut 15. dierum spatio à febre penitus fuerit immunis, abscessusque imminutus, ut vix amplius quid commentatione dignum è se emiserit. Recidivavit tamen aliquid steatomatis substantiæ, ut firmatam fluxionem minimè esse, sit credendum, novoque præsidio, generosiorique remedio indigere, si modò verum est, quod à venerabili Sene fuit sancitum, non esse (nimirum) ad aliud transeundum, stante eo, quod visum fuit à principio, unde nova totius corporis expurgatio ab ipsius Medico proponebatur. Doct. Guajac. l. visc. quern. cum salsa & santalis & cichoraceis proportionatis per 60. dies proponebatur.

Excellentissimus autem Dn. Carmerus Bononiensis alia viâ procedit, asseritque, hunc morbum originem ducere ab hepate, eò quòd non benè sanguificet, quare docet, non esse adhibenda multa valdè calida, sed potius approbat electuarium ad confortandum & corroborandum hepar, præmissâ prius expurgatione.

Primarius autem affectus, quo admodum Rev. P. fuit de-

B tentus,

tentus, inflammatio fuit musculorum abdominis, partes circa umbilicum existentes occupans. Febris enim subsecuta est, non præcessit inflammationem, ex qua deinde abscessus & ulcus genita fuêre. Modô verò abscessus & ulcus admodum remissa & extincta, adeò ut si origines & causæ, quas epar primò, lien secundò, cerebrum tertiò (ventriculum imbecillem non prætermittens) ut existimo, contulerunt, spero, vel absque localibus & abscessum & ulcus, si subsint, posse extirpari; quod ut fieri possit refrigerantibus moderatè & humectantibus non qualitate, sed substantiâ (observa hoc diligenter, cùm in hac tota curatio consistat) contrariæ intemperiei dictarum partium corrigendæ. Victus igitur temperatus observetur, nempe cal. & hum. hominis temperamento consimilis: sanguis in pauca quantitate educatur ex salvatella primò, ex hæmorrhoidalibus secundò, & utrâque evacuatione educantur ad summum ℥xij. ℥v. è vena salvatella; ℥vj. è venis sedalibus. Fiat fonticulus in coxa dextra, si fonticulus superior est in sinistra, sin minus, è contra. Post omnia tam universalia, quàm localia adhibita, ulcus si non exsiccaretur, ad incisionem esset deveniendum, ut musculi subjecti affecti detegerentur, ut localia partem possint attingere. Ad pharmaciam quod attinet 1. toti corpori est providendum â materiis remediorum, quæ indicationibus propositis satisfacere valeant, quas brevitatis gratiâ, cùm notissima sint, missas facio, quibus prægressis devenirem ad decoctum factum ex china, quæ pro basi inservire debet, cum temperata sit, & substantificè (quod summoperè desidero) humectet, & santalis, è visco querno &c. Ante hæc sumat bolum terebinthin. Cypriæ, ex qua miram recipiet utilitatem, ▽ Tetucii ad primas vias expurgandas, & exsiccandam partem affectam utilissimam. Parti affectæ pro insessu adhibeatur ▽ balnei D. Petri Patavii.

## CONTINUATIO.

REver. hic Pater convalescendi gratiâ ad varios in Italia Medicos profectus & plurimis remediis, sed frustra, diu multumque

tumque fatigatus, Anno 1640. ineunte Septembri Patavium delatus, curæ Excellentissimi Dn. Marchettis Chirurg. & Anat. Prof. P. se subjecit, qui perspecto ulcere, quod tanto temporis intervallo in profundam fistulam abierat, & actis sub cute cuniculis per pinguedinem ad carnosum usque panniculum penetrârat, statim animum ad incisionem intendit, inditâque turundâ sat crassâ foramen ulceris dilatat primùm, pòst 9. Septemb. idipsum cultello recurvo à principio lato in acutum mucronem globulo cereo munitum desinente fistulosum ulcus feliciter incidit & secundum longitudinem fistulæ cultellum trahit, ut ulceris anfractus exactissimè paterent, adjecto simul illo polythryllito: Chirurgorum operationes debere esse, citas, tutas & jucundas: Cui Excell. Dn. Joh. Georg Wirsung. Med & Chirurg. D. Inventor Ductûs Pancreatici &c. adstans respondit: De cito ac tuto verum quidem hoc esse, sed de jucunditate se nonnihil dubitare: Ex parte, regerit Rev. Dn. Patiens, nimirum respectu Dnn. Spectatorum (eramus autem plus minus 30.) qui ex eo utilitatem simul & jucunditatem quandam percipiunt, ex quo ægrotus minimè &c. Absterso igitur sanguine, pro avertenda inflammatione vulneri imposuit alb. ovi cum ▽ rosar. conquassatum in petiis, superaddito empl. s. Galeni, apertoque per aliquot dies vulnere calloque indies abscisso, hoc sinuosum ulcus &, ut putabatur, immedicabile malum, brevi fuit sublatum.

Fig. I.

[*Ex Collectaneis D. J. M. Fehr Argonautæ.*]

## OBSERVATIO IV.

## D. JOH. MICHAEL. FEHR.

*De*

# Uva verſicolore.

Dec. II. An. II. Obs. CLIII. p. 347.

DUx Franconiæ feſto Kiliani muſto ex uva Franconica recens expreſſo ſacra facit: quapropter circa idem feſtum mittere placuit effigiem uvæ maturæ quidem, ſed autumno præterlapſi proximè anni & (quod mirum) uvam ex rubris & flaveſcentibus acinis, iisq́ue omnibus maturis & mellitiſſimis conſtantem. Vini quidem ex utrisque eadem eſt qualitas & vigor, & utriusq́ue exinde apparet affinitas vel conſanguinitas, (**Traminer und gut Fränckiſch**) ſed forma miranda, quæ unam eandemq́ue uvam hoc anno fertili (qualis præterlapſus erat) præter ſolitum, acinis rubris & flaveſcentibus ex eodem ſcapo quaſi pro lubitu, & ſingulari Naturæ luſu informat & exornat.

### *SCHOLION.*


IN celebri quadam Miſniæ civitate aliquoties maturas circa feſtum D. Johannis uvas ad Sereniſſimum Electorem Saxoniæ pro ſingulari raritate fuiſſe miſſas, teſtatum mihi fecit Vir quidam celeberrimus: Cauſam præmaturi iſtius fœtus à fide mea non adeò alienam hanc eſſe ratus, quòd fornax piſtoris cujusdam viti propior quotidie pro panificio calefacta radices vitis ad maturiorem uvarum proventum excitaverit. Sic Illuſtris quondam Guido Patinus, Regis Galliarum Chriſtianiſſimi Conſiliarius & Medicus celeberrimus, calce viva ad arborum radices pro promovendis atq; maturandis frugibus admotâ celeriorem earundem proventum quidem impetrari, ſed promtiorem iſtarum interitum conſequi, innuit, in quæſtione medicâ agitatâ Pariſiis 14. Martii Anno 1647.


Fig. II.
[*Helianthus.*]

OBSER-




Fig. 1. p. 11.






I. a. Anterior excrescentiæ pars visui oblata, dum ante uvulam adhærebat ejus b. prior et c. posterior particula.

II. a. Posterior excrescentiæ facies versus uvulam b. posteriorq; ejus particula adhærens.

III. a. a. Dissecta per medium excrescentia ipsa, ejusq; b. una, quæ adhæsit, particula c. altera.

IV. Cultellus operationi inserviens.

# OBSERVATIO V.
# D. JOH. LAURENTII BAUSCHII.
## *De*
## Calculorum varietate.

EMi nuperrimè Methodum curandi calculum Michaelis Raphaelis Schmuzen à Poysſtorff; eandem perlegendo nihil quidem novi reperi, præterquam deſcriptionem hiſtoriæ, & delineationem figuræ & magnitudinis calculi in rene dextro Imp. Aug. Ferdinandi II. cùm exenteraretur, inventi. In memoriam tamen mihi revocavit calculum, quem unà mecum vidiſti, & quem etiamnum in Muséo meo aſſervo, Senis illius Masbacenſis, Joh. Hartmanni Carpentarii, quem itidem in domo meâ urinam reddentem contemplatus es: Is per 20. continuos annos inſignes perpeſſus eſt dolores. Tandem tamen ſub ſcroto, non procul à loco, ubi aliàs ſectio fieri ſolet, facto foramine, ſpontè prorupit. Ex eo foramine poſtea, labiis vulneris callo duratis, urinam, quamdiu vixit, nec ſine moleſtiâ, reddidit, minimâ illius parte per ductum urinarium conſuetum profluente. Melius tamen habuit, & aliquot annis ſupervixit, mendicando victum quærens. Lapidem hunc, colore album, pondere unciam unam, & tres drachmas cum dimidiâ æquantem, prædictus ſenex, jam ſeptuagenario major, mihi obtulit 4. Jan. 1640.

Similes ferè hiſtorias habet Schenckius *l. 3. obſ.* ex Dodonæo, Benivenio, Anton. Valet. in Holler. literis J. Funcii ad A. Occonem.

Quid quæſo non faceret ejusmodi lapis in obſtruendâ urinâ, cùm ſæpiſſimè videamus parvos lapillos magnum facere negotium tùm ægrotantibus tùm Medicis? ſicuti nuperrimè ego & Dn. Compater meus, & affinis tuus, Joh. Phil.

Sachs / vidimus apud Dn. Casp. Reinhardt, cui lapillus lentis magnitudine in glande penis substiterat, & oculis conspici poterat, nihilominus instrumento Chirurgico extrahendus erat. Quatriduanam urinæ retentionem causârat Anno 1639. hôc paullo major (pisum enim magnitudine superabat) in extremo balani existens, visuique obvius apud F. Mauritium, Canonicum Regularem in Monasterio nobis vicino Heidenfeld/ qui tamen à prædicto Dn. Saxone extrahi non poterat, nisi viâ patentiore factâ per incisionem glandis penis. Tantas inferre molestias, tanta creare tormina possunt hi lapides; idque non tantùm in renibus & vesicâ, sed etiam in aliis, ut nosti, partibus. Habeo lapides aliquot, diversæ magnitudinis, citrinos, ex tunicis seu crustis, instar lapidum Bezoarticorum, concretos, qui ex hypochondrii dextri propè umbilicum ulcere, quo laborabat Dn. Bartholomæus Falckius, Pastor Ecclesiæ patriæ tuæ, per intervalla egressi sunt, quos à Dn. D. Joh. Conr. Sinapii, Physici Kitzingensis p. m. viduâ habeo. Unde autem, & ubinam hi generati fuerint, divinare non possum.

[*Ex literis ad D. Joh. Mich. Fehr, 1641. datis.*]

## OBSERVATIO VI.

## D. GEORGII WOLFGANGI WEDELII,

*De*

# Moxâ Germanicâ.

Quod de Africâ in proverbio olim erat, illam semper aliquid novi apportare, & duobus hisce seculis de Indiis reverà valuit, id imprimis de medicinâ hodiernâ verum est. Nova quærimus, nova exhibemus, & venditamus. Sordent vetera, nova cordi habentur unicè. Anni sunt non ita multi, cùm innotuit orbi pariter & medicis Europæis *Moxa Sinensis:* novum nomen, nova medicina,

co

eo maximè deprædicata nomine, quod medeatur podagræ, morbo Magnatum incurabili credito, vel ſaltim, ſi quis alius, rebelli. Celebrata primitus fuit *ab Hermanno Buſchovio*, Seniore, Trajectino, edito de eâdem Tractatu Belgico & Germanico idiomate, ſubjecta experimentis hinc illinc, felici partim, partim infelici ſucceſſu, mirantibus plerisque quale ſit, & cujus originis novum hoc & inauditum medicamentum.

Abblandiuntur ſanè peregrina omnia magis, & gratiam applauſumque merentur majorem, quàm ante fores nata, præcipuè apud noſtrates, qui genio ſuo modeſto inducti aliena præ ſuis æſtimare conſueverunt. Nec caritas pretii deterret, modò curioſum quid, & quod maximum eſt, utilitatem cum novitate præ ſe ferat.

Duo ergò potiſſimum occaſione Moxæ Sinenſis hujus inquiſitu digna ſe obtulêre: morbus cui medetur, & remedium, quo morbum, non ſolùm podagram, ſed omnes in univerſum quaſi dolorificos inſultus, debellare poſſe viſum eſt. Et hoc quidem tantò magis ſalivam movit curioſis inquiſitoribus, quò minus notum fuit hactenus. Ignota enim magni facimus, nota vilipendimus communiter, ipsâ quotidianâ aſſuetudine velut familiaritatem indeq; contemptum poſt ſe trahente.

Non noſtrum eſt, alios jam laudare, qui publicis Scriptis in Moxam inquiſivêre. Quot capita, tot ſententiæ. Unusquisque ſcire hoc ſatagit, ac inquirere; una tamen eſt & ſimplex veritas, una Moxa, licèt plura ſuccedanea. Habeant ergò pro Moxâ Sinenſi herbam exoticam, quicunque velint: alii molluginem pappoſam, quam clematis ſepium, ut nos vocare ſolemus, offert; utrumque bonum eſt, noſſe, quid proſit, & quid itidem æquè proſit, idemque præſtet effectu, licèt non idem ſit ſpecie.

Audiamus *Autorem* ipſum, qui *l. de Curat. Podagræ, Part. 2. c. 4. p. m. 91.* quid Moxa ſit, & ubi reperienda, quærens, reſpondet, eſſe Moxam lanuginoſam & mollem ſubſtantiam, artificiali

ciali præparatione, ex certâ herbâ paratam, cujus nomen & præparatio ipsum quidem Autorem lateat, certum tamen, nobilissimam omnium esse plantam, optimoque jure matrem herbarum vocari posse. Habere in arcanis, addit, Sinas & Japones Moxam parandi hunc modum, licèt magnâ copiâ haberi possit.

Suo linquimus loco, reverâne nescierit Autor herbam, modumque parandi, an studio id finxerit, ut autoritatem medicamento conciliaret majorem. Satis nobis sit, ipsum illum nominasse eandem satis sapientibus. Id verò ne nobis venditemus, jubet candor & gratitudo, magni à nobis æstimatæ virtutes, si reperiantur in Medico.

Detexit nempe nobis & herbam & parandæ Moxæ modum vir excellentissimus, nobisque præter meritum faventissimus *Johannes Hartmannus Kornmann, ab Hornsbach, Phil. & Med. Doctor, Consiliarius & Archiater Hassiacus*, plurimorum arcanorum naturæ callentissimus. Moxa, undecunque nomen traxerit, mollugo artemisiæ est.

Recipiantur folia artemisiæ, quantum lubet, exsiccata probè & caule suo decerpta conterantur manibus eo usque, donec excusso pulvillo viridi lanuginosæ interiores fibræ, velut subtegmen substratæ, remaneant. Sin madefiant udore manus, repetendum opus est, ad desideratam teneritudinem.

Innotuit ipsi ἐγχείρησις hæc inde, quòd cùm ex Belgio nonnemo, dives æquè ac curiosus, magnam quantitatem Moxæ afferendam curasset, ipsique ad examinandum misisset, foliola deprehendit, lanugini adhærentia, quæ microscopii ope inspecta penitius artemisiam exhibuerint. Experimento hæc subjecta respondit ex voto, ut ovum ovo, simillimam lanuginem, seu Moxam potius largiens.

Eandem quoque excoluit ulterius, carminando, ad instar lunæ, ut flexa adhuc tenerior meliorque reddi & variari possit magis. Quod si igitur non æquè statim respondeat, huic Sinensis illa dicta, & cum bacillis suis aromaticis, (quoad exte-

riora

riora quidem, non interiora) recondita differre videatur paulum, tenendum est, in culpâ esse partim herbam non unâ ætate collectam, partim leviorem, vel curatiorem parandi modum. Quin facile est, vel affuso sp.vin. virorem extrahere, eoque evocato, si nata folia instrumento lanæ aliàs pectendæ debito aptare operi, vel eadem præparata aquâ aluminosâ depurare & albidiora reddere, ipsove fumo sulphuris id tentare.

Geminum hunc processum esse, duo evincunt extranea argumenta, sensus, & affectus, quorum uterque Moxam Moxam esse testatur; unumque domesticum, Autoris confessioni innixum, licèt non primâ fronte obvium legenti. Vocat enim l. c. *matrem herbarum* matrem Moxæ. Ast hoc nomine venire Botanicis artemisiam latifoliam vulgarem, testimonio *Lobelii, Dodonæi*, aliorumque, est quàm clarissimum. Ut adeò non opus sit, trium vel quatuor imperialium pretio Moxæ ʒj. quantum nimirum scatula oblonga capit, redimere, sed facillimo negotio eandem liceat comparare.

Ut verò hæc illustremus magis, notamus 1. *lanuginem plantarum duplicem esse, aliam exteriorem*, qualis in tussilagine, gramine lanigero, clemati sepium, aliisque observatur; *aliam internam*, qualis in radice tussilaginis pro ὑποκαύματεν laudatur *à Scaligero Exerc. 180. n. 2. p. m. 585.* & in notissimo lino occurrit. Talis est & artemisiæ dicta Moxa.

2. *Non novum esse, hunc ipsum, curandi dolorem, modum, per inustionem actualem*, quod tamen nil derogat commendationi, sed pondus potiùs addit. Laudabimus hanc in rem unum *Hippocratem*, antiquissimum medicinæ parentem, qui *libro de Affection. c. 30. t. 12.* si in unum aliquem locum incubuerit dolor, & constiterit, & medicamentis non fuerit exactus, καῦσαι, *inquit*, καθ' ὁκοῖον ἂν τόπον τυγχάνη ἐῦσα ἡ ὀδύνη· καίειν ᾗ τῷ ὠμολίνῳ, *urito, quocunque loco fuerit dolor: urito autem lino crudo.* Non potuisset sanè ipsius Moxæ tam decantatæ meliorem descriptionem dare, & quoad materiam, & morbum, cui debetur, ipsamque medendi methodum. Quod ut magis pateat, tenendum est,

per linum crudum non intelligere ipsum sine ullâ præparatione tale; sed nondum in fila aptatum. *Prosper Martianus Comm. in l. de Affect. s. 2. v. 25. p. 170.* processum integrum doctè & nervosè his descripsit: accipiatur linum crudum, & arctè conglobatum reducatur in formam pyramidis, cujus basis latior in angustum coarctetur. Magnitudinem seu latitudinem basis indicabit locus inurendus: non ignorato, ustionem aliquanto latiorem fieri, quàm sit basis pyramidis. Hæc igitur in summitate accensa loco inurendo apponatur, ibique resideat, donec tota materia absumpta sit; nam ignis serpendo ad cutim perveniens ustionem facit; Et quod mirum videtur, ferè insensibiliter, & sine dolore. Extincto igne porrum elixum imponebat Hippocrates, donec, quod exustum est, decidat. Nostri butyrum cum caule adhibent; indeque ulcus apertum servetur ad libitum.

Hæc transscribere, visum fuit operæ pretium, cùm per omnia concordet cum recentiori hâc inurendi materiâ, Moxâ. Quæ verò subjungit alia, quibuscum alii laudatas ustiones parârint, videantur apud ipsum *l. c.* Præstant nempe eundem effectum sicciora filamentosa, vel lanuginosa & porosa corpora quævis, telæ aranearum, (quibus eodem modo adhibitis, Vir supra laudatus celeberrimus verrucas in manibus multis etiam insignibus Viris sine dolore abstulit, post inustionem ablatâ verrucâ & imposito emplastro, unde intra unum alterumque diem res peracta est) fungi arborum, medulla junci, sambuci, & alia similia.

3. *Inustionem per Moxam factam prodesse magis in doloribus profundis, nec cum ardore & rubore conjunctis.* Observatum est, aliis profuisse eandem eximiè, aliis nocuisse, quin periculum gangrænæ intulisse. Distinctione ergò opus omninò fuerit eâdem, quæ communis est cum vesicatoriis, vel cauteriis etiam actualibus. Parti afflictæ ipsi dicto modo non addenda est afflictio; tutò verò profuerit id remedii genus magis, ubi humor serosus, frigidus consistens, nullo contraindicante ad exi-

cum

tum invitandus, vel absumendus est. Quod si verò promiscuè eandem applicueris, exacerbari malum facilè potest, & in deterius verti, cùm contrà ea datâ ichori portâ proficuum esse possit præ aliis, factâ simul discussione, factâ velut partis ipsius quâdam per ignem hunc roboratione.

## OBSERVATIO VII.

## D. G. W. WEDELII.

## Vomitus cruentus à lumbricis.

UT mira atque dira symptomata à lumbricis in corpore stabulantibus observare licuit medicis; ita & vomitum cruentum satis vehementem inde ortum lustravimus nuper. Sartor 36. annorum tussi, dolore capitis, & à cibo sumpto φλογώσει cum quâdam anxietate correptus opem nostram expetit. Propinamus interius *elixir proprietatis antiscorbuticum* guttulis paucis *liquoris ♂tis* medicatum, additâ guttulâ *olei caryophyllorum*, quæ compositio & elegans & polychresta est, licet extemporanea. Exterius *balsamum stomachicum* præscribitur. Quarto die pòst vomitu mediante insignem quantitatem sanguinis excernit, subsequente pallore faciei & lipothymiâ. Dato pulvere styptico anodyno & resolvente, *ex pulv. stypt.* ʒj. *oc.* ♋. ℈j. *laud. op. gr. j.* & potiunculâ ad methodum Sylvianum ad hæmorrhagias sistendas, restitit per ☍ cruor, inde verò repetiit paroxysmus, excreto unà cum sanguine lumbrico longo, tereti. Exhibita tum prædicta, tum *essentia traumatica*, cum *anodynâ* roborata. Triduo post denuô excrevit vermem, adhuc majorem, & sic ex voto convaluit. Exesum sine dubio vas à lumbrico sanguiferum viam laxavit sanguini, quo extravasato & excreto rodens quoque hospes exclusus est.

## OBSERVATIO VIII.
## D. G. W. WEDELII.
# Fons oſſibus ſcaturiens.

IN confiniis urbis Mansfeldenſis, prope pagum ejusdem Diſtrictus, Gorenten dictum, fons reperitur mirabilis, qui in nemore ad radicem montis amœnâ & limpidâ ſcaturigine diverſis temporibus oſſicula quædam ejicit. Nec adhuc dum ſatis inquiſitum eſt, cujusmodi animalium generi illa debeantur. Licèt enim Phyſici nonnulli eadem pro oſſiculis Salamandræ habuerint, rati, in montis adjacentis cryptis has ipſas non minimâ copiâ reperiri, quarum corpora nonnunquam impetu aëris, ſulphurei, corroſivi humoris abrepta ad oſſium reliquias usque conſumantur, hæcque conſequenter per dictam ſcaturiginem in auram educantur; alii tamen anatomicâ experientiâ freti negarunt oſſicula hæc, præſertim uniformia ferè, cum Salamandræ crate convenire. Nomen verò inde fons obtinuit, ut audiat der Knochenbrunn/ quem Conſultiſſimi & Ampliſſimi *Dn. Ehrenfried Geyeri*, Conſiliarii & Præfecti Ruthenici, B. Parens, curioſus naturæ obſervator, ſæpiùs viſitavit, & oculis teſtibus erumpentia è fonte oſſicula manu ſuâ collecta inter rariora ſua, quæ viſenda adhuc non pauca, ſed auctiora longè repoſuit.

## OBSERVATIO IX.
## D. G. W. WEDELII.
*De*
# Thermarum elementis, ortu & uſu.

IN examine thermalium aquarum Carolenſium deprehendi, plurimis partibus aquæ ſimplicis, ſeu phlegmatis immerſum eſſe 1. Sal alcalicum, quod cum acido, ut ſpiritu vitrioli, efferveſcit, & ſapore ſe prodit; 2. Cremorem terreum,

reum, qualis etiam sponte in iisdem thermis coagulari solet, & sub nomine Badeſteins notus est, foliolis subtilissimis cremorem Tart. æmulans, non item sapore. Ex quo didici, differre thermas multum ab acidulis; non valere illud recentiorum quorundam: ubi calor, ibi acidum; aperire, detergere, purgare, diureticum esse, & morborum chronicorum, ab acido oriundorum remedium thermas, siccare item, nec biliosis & siccioribus ac macrioribus convenire ob illud ipsum sal dictum intimè immixtum. Originem verò, quomodo in terræ visceribus hæc fiant, & calorem tantum excitent, definire quidem certò difficile est primâ facie. Videtur tamen non tam ob concursum perpetuum acidi cum alcali id fieri, quippe quæ commixta effervescunt & ebulliunt; vel ob aliam quandam analogam huic causam, de qua egimus *tr. 2. de sal. vol. plant.* Quàm ob latentem ignem, bituminosis forsan partibus fotum, qui dum partes terreas obvias in calcem disgregat, & resolvit, allabentes suis rivulis aquas & calore proprio, & à resolutione calcis oriundo inficit, ac medicatas reddit. Unde sine dubio pyrophylacii alicujus, (quo de vid. *Kircher. in mund. subterr.*) cum hydrophylacio fit concursus, ob quam viciniam utriusque Numinis divini munus experiuntur illa loca, ubi hi fontes scaturiunt.

## OBSERVATIO X.

### D. G. W. WEDELII.

# Syncope Periodica.

MUlti morbi graviores, si diutiùs paulò duraverint, communi vulgi, quin & medicorum opinione sæpè, sphæram naturæ transcendere putantur, ad fascina relati, curandi nihilominus non raro, si falsa hæc hypothesis mittatur. Exempla alia quædam daturi sequentem casum mirandum primo loco offerimus. Duo juvenes pistorum operibus addicti, intra annum constituti vigesimum at-

queſextum, ſani corpore & vegeti, niſi quòd gentilitio regionis ſcorbutico ſeminio laborare præſumi poſſent, præbibito ſpiritus vini frumentacei hauſtulo, ut tuti eſſent à vaporibus aëris jam denſioribus, circa imminentia Michaelis tempora, negotiorum causâ urbe egrediuntur, Menſe Septembri ſcilicet, Ann. 1674. in loco, quem petiverunt, nullum ſumpſerunt cibum, niſi quem ipſi ſecum urbe extulerant, farcimen pinguius, caſeumque, quem poſtquam uno alteroque cereviſiæ poculo irrigaverunt, negotio confecto domum redierunt ad ſuas in urbe patriâ domos, nullâ cæteroquin occaſione morbificâ ſe exerente, niſi tenebrarum veſperi irruentium fictas inſidias terrorem incutientes incuſemus. Primus illorum, quem Jonam nominabimus, ſtatim altero die poſt reditum, cùm ſuis operibus mechanicis adſtaret, maximâ pectoris anxietate corripitur deſubitò, eodemque momento turbatur caput, linguæ uſus ſiſtitur, ut, qui juvet, invocare poſſet neminem. Collapſus itaque jacuit, ſemihoræ quaſi ſpatio, omnis ſenſus expers, ſed quietus, absque tremore & motibus convulſivis ullis, facie pallidus & uvidus circa frontem, ſine reſpiratione ſenſibili, inſtar mortui, absque pulſu notabili. Eluctatus tandem, quaſi è ſomno, nullo adhibito remedio, ad ſe rediit, nullo ægritudinis relicto ſigno. Sex hebdomadum elapſo ſpatio, inter media opera eâdem facie illum invaſit, nec quicquam in ſuâ naturâ malum hoc mutavit, ſed immutatam prorſus eam retinuit, niſi quod reditum ſubinde accelerarct, quem antea quodammodo tardabat, uti id apparere poteſt è ſequentibus diebus, anni 1675. exempli loco adductis, quibus ſe prodidit, ſuâ vi corpus infeſtans: 31. Januar. 5. 28. Mart. 11. 29. April. 25. Maji, 3. Jun. 3. 29. Jul. 28. Aug. 2. 5. 21. 23. Septembr. 6. 9. 14. 22. Octobr. Talis ergò fuit affectus, in alterum usque annum, nec ullis medicamentis ſæpiſſimè aſſumptis potuit profligari. Diebus, qui à malo immunes ſunt, à ſano nihil differens negotia ſua expeditè peregit. Conſulti fuimus, elapſo ferè biennio, ipſoque velut faſcinato prognoſtico relicto, an affectus

affectus hic esset naturalis, an verò ab incantatione, rationibus duabus adductis, summè rebelli malo, nullo modo medicamentis vincendo, & socii fato. Nam quod alterum juvenem attinet, quem Lazarum vocabimus, ille octavo post reditum die pedibus laborare cœpit, ut incedere non posset, qui & postea tumoribus fuêre correpti, quorum unus altero latere cum mirum quantum increvisset, apertione ferro factâ magnâ quantitate, sanguini similis exiit materia. Cibum assumptum semper rejecit; medicamenta omnia frustra adhibita, unde post dimidium in morbo annum exactum mortuus est. Maluimus medicamentis obviam ire malo tam rebelli, quod *Ann. II. Ephem. obs. 197.* hujus causam & genium inquisiveramus penitius, quàm ad causas alias dilabi. Misimus ergò non nisi duo medicamina: 1. *mixturam antiscorbuticam* ex ♎ûs cochlear. compos. tartari rectif. & salis striati anaticis partibus, liquore martiali (è fl. sal. ✳ii ♂libus imis nigricantibus) & essentiæ anodynæ aliquot guttis tinctam, manè & vesperi assumendam ad gutt. xxx. vel xxxv. 2. *pulverem absorbentem* nostrum, alibi, in *Opiologiâ* nempe descriptum ad doses x. sub ingressum lecti capiendum, inde singulari Dei gratià statim cedere affectus visus est, nec redire unquam. Repetita ergò ab ægro medicamenta eadem denuò in paulò majori quantitate sola misimus, ut eò certius tolleretur omnis recidivæ metus. Quo penitus liberatus, morà sex mensium factâ, ut constantiam sanitatis pervideret, fostrum gratissimus misit.

## OBSERVATIO XI.
## D. G. W. WEDELII.
*De*
# Tumoribus & Verrucis, cadaveris contactu curatis.

MOrbi sæpè incurabiles visuntur, quod remedium gravius morbo sit, vel ipse facilius toleretur, & curando exasperetur,

tur, qui neglectus indemnis fuerat. Videas id ipſum ſæpè in tumoribus frigidis, inæqualibus tamen, quando devians archéus novum opus hîc illic quaſi meditatur, & ſolicitè de incremento ejusdem proſpicit. Inde parva morborum initia ad ſubruendam non rarò machinam extuberant. Cumque primò nec doleant, nec æquè curentur, neglectu quoque eveniunt majora ejusmodi mala. Hinc verò nec ſectio conſulta utplurimum, nec ignis remedii locum invenit, nec reliqua topica debellare norunt affectum, aperto jam Marte inſurgentem. Quid agas, ubi fruſtra eſſe omnia perſpexeris?

Sunt nihilominus artificia alia, quibus ſubvenire his ipſis integrum eſt, ipſæ etiam curationes magneticæ vulgò dictæ, imò magicæ quibusdam cauſam ignorantibus, vel non inquirentibus. Propoſuimus hujus rei exempla *Phyſiol. p. 289. ſeq.* latius paulò illuſtranda. Conſiliarius Saxonicus, ex cujus ore id hauſimus, ante plures annos Lubecæ laboraverat excreſcentiâ palpebræ ſuperioris oculi dextri ſenſim increſcente, ita ut ad ovì columbini magnitudinem, imò amplius proveheretur, & viſum notabiliter læderet, minitans graviora pericula. Conſultus Neucranzius, Medicus ſcriptis celeberrimus, poſt fruſtra tentata varia, ſuadet, ut affrictu manûs demortuæ tentaret ablationem. Mortuâ fortè tunc temporis amici conjuge, æger occaſione arreptâ & teſtandi affectum, & curandi tumorem, lugubrem domum ingreditur, rogatque, ut funus oſtenderetur. Facto hoc exponit medici conſilium, & annuente viduo, imò ut poſt mortem quoque juvare poſſit defuncta, optante, manum prehendit gelidam, ut lacrumas deterſurus, & aliquoties tumori affricat, felici eventu. Senſim enim ſenſimque tumor ſpontè evanuit, ita ut ne veſtigium ſupereſſet amplius ſedis priſtinæ.

Curavimus incipientia conſimilia in palpebris tubercula emplaſtris emollientibus, & digerendo reſolventibus. Sed utplurimum rebellia ſunt, è glandulis tumefactis, quæ & in teneriori hâc cute ſunt plurimæ, & ſero viſcidiori pedetentim velut infarctis,

infarctis, decubitum à frigore, aliâve causâ occasionali hinc nacto. Studiosus medicinæ, anno superiori 1681. dextri oculi consimile offerens dedecus, internis & externis incassum in usum vocatis, ipsis etiam revellentibus vesicatoriis, à remediis potiùs incrementum sumente morbo, suasu nostro eodem pacto curatus est. Ablegabamus eum ad defunctum phthisicum, quasi funus visurum; solus ibi, præficâ saltim præsente, ne superstitionis reatum aliis arbitris subiret, applicat manum bis vel ter, & frictu mactat affectam partem. Inde abactum malum penitus insensibiliter, ast successivè.

Sed ne oculis solis hanc velut prærogativam attribuere videamur, aliam dabimus historiam. Virgo pulcherrima ante aliquot annos sub mento passa erat tumorem, in abscessum degenerantem, cujus consolidati cicatrix supererat. A. 1679. frigori exposita longius sentit & pristino illo loco, & utrinque pone maxillas tumores glandosos exurgere. Consulit Chirurgum, qui parvi pendens indolens malum, ut ipsa quoque, emplastrum unum alterumque imponit. Exactis sex mensibus malo confirmato ad nos itur. Fiunt omnia ex arte, quæ coagulatum dissipare humorem frigidum norunt, quod vidimus non semel benè cessisse, etiam in ipsis scrophulis & strumis, vel discussis eodem, vel suppurato calidioribus & fortioribus emplastris. Adhibita ab Empirico admorsio tumoris durioris & magis obvii, imposito prius linteamine (quo medio & ganglia & scrophulas curabat,) impositum rubefaciens cataplasma ex acetosa viridi contusâ & cum butyro leviter frixâ; emplastrum diach. cognominatum; de ran. cum ☿rio, & nihil non, citra juvamen vel decrementum ullum. Elevabatur magis magisque tumor prominente valdè mento, & totâ facie utrinque ad latera inflatâ. Proposuimus remedium idem facile, indemne, expers omnis ridiculæ vel anilis superstitionis. Datâ occasione secedit in rus, & contactum manus mortuæ admittit. Restituta, (tumor verò maximus ovum gallinaceum exæquabat, reliqui minores globulos majores, vel nucem juglandem) accessit, & gratias pro consilio egit.

Ante tredecim annos Studiosus Theologiæ, qui jam in Inferioris Saxoniæ aulâ Concionatorem agit, utrâque manu infinitis torquebatur verrucis, non esulæ succo juvante, quo amicum cui averamus in carpo utroque manus mirum quantum densatis verrucis, non aliis vulgò notis afflictum. Ignem ipsum actualem & potentialem in subsidium frustra vocabat. Plures enim erant, & instar hydræ lernææ repullulascebant mox alibi plures, absumptis prioribus. Dedimus idem consiliū jam tunc, quod liberrimus hinc redditus deprædicat in hunc usq; diem.

Operæ pretium est, breviter de causâ seu ratione medelæ hujus dispicere, ut taceamus exempla plura alia, cumprimis, quòd primo intuitu absonum id, vel minus licitum videatur ignaris. Non tam transplantatio hæc est, quàm extinctio radicalis seminii morbosi, contingens in corpore affecto; quamvis liberum cuilibet relinquamus, si quis eo nomine vocare velit. Duo hîc concurrunt præcipuè ad tumores vel excrescentias has fovendas; exorbitans archéus, & humor alibilis serosus, vel per se subsistens magis, vel crispaturæ fibrarum propullulascentium vitiosè admissus.

Quæcunque ergò his obviam eunt, archéum avocant à suscepto munere intempestivo, & humorem consistentem in motum cient, sine dubio proficient ad tollendum effectum exinde resultantem. Aptum verò ad hoc esse cadaveris contactum illum atque frictum, facilè patere potest. Horremus cadavera, quòd exterminium maximè adversetur natura, horremus aspectum, nedum contactum insuetum, ingratumque. Refugit igitur archéus, & desistit ab opere, idéam contrariam complectens; quo adstite & velut fabro destitutum corruit & dilabitur, quod studio quodam congestum videbatur.

Non urgebimus frictum ipsum ad dissipandum natum, non actuale frigus primâ admissione repellens, obstruens poros; quin communicetur cum tumore, pensitemus. Roscidus ille humor est, ultimo agone è glandulis subcutaneis dimissus. An verò hunc inertem putemus, cùm vel salivæ illitus

lichenes

lichenes & tubercula hæmorrhoidalia ipsa, nostro experimento, curent. Salinæ illæ emunctuosæ atomi accedente motu & calore viventis actuatæ resolvere possunt subsistens coagulum, resipiscente simul à peregrino opere & sua hinc curaturo archéo partis ipsius. Stabile & firmum hoc cùm sit fundamentum, meritò nec suâ laude defraudandum fuerit remedium facile & culpæ omnis exors. Sit hoc antipathiæ exemplum nobis, non sympathiæ. Nulla enim hoc loco fieri potest confermentatio mumialis. Neque ad occultam aliquam qualitatem id referre opus est, si aliam, quàm sensibus minus obviam, eligas: sed omnia sic satis possunt clarere, & ulterioribus roborari experimentis,

## OBSERVATIO XII.

## D. G. WOLFG. WEDELII.

# Tumores duri, rebelles, cancriformes.

OCcasione tumorum dictorum memoriam subit aliud genus horum, quod insidias sanitati & vitæ struit, & cautè tractari desiderat; quorum aliquot dabimus exempla. Puella 15. annorum, cui menses nondum fluxerant, sub pondere majori collapsa, ad basin scapulæ dextræ tumore corripitur duro, renitente, lato, & profundo, citra dolorem ullum, non tamen citra molestiam in movendo brachio. Tractata aliquandiu à Chirurgo solo, successu sanitatis nullo: quin indies adaugeri malum observabatur. Consulti ex methodi legibus alterando & purgando correximus humorem peccantem melancholicum vel atrabilarium potius; exterius verò, noscentes mali naturam, sola defensiva topica ex empl. diaphoret. diapomphol. aliisque Saturninis concessimus; prognosi factâ, si neglectim tractaturi essent malum ipsum, causæ verò averruncandæ subinde per purgantia, diaphoretica & sanguinem defæcantia, operam daturi, tolerabilius id futurum; contrario verò casu, quò majori studio era-

dicationi incumberent, eò citius malum exaſperatum iri. Æmulantur enim aut reverà ſunt hi ipſi cancri occulti, quos non curare, puta externis illis aliàs in curatione tumorum fieri conſultis, melius eſt; curati enim, quoad finem primum, & intentionem, citius intereunt ægri, morbo exaſperato & vitalibus principiis infeſto non curati verò longiùs vitam trahunt. teſte *Coo 6. aph. 38.*

Neglecto hoc, ut fit, ſalubri monito, circumforaneum conſulunt, qui pactâ mercede ferro aperit tumorem, eoque ſic magis magisque exſurgente poſt aliquot hebdomades turpiter, ut fit, diſcedit, alibi ſimiles ſtructurus fraudes. Inde ad carnificem curandi defertur provincia, ubi diu etiam cruciata, exareſcente corpore reliquo, domum ferenda in viâ moritur. Nil ſupererat, quàm ut incantamentis apertiùs acceptum ferrent malum, quod poſt obitum factum tamen. Domum enim illato, menſe Majo, cadavere, ſonos & ſibilos adſtantes percipiunt in tumore, ultra dimidium dorſi occupante: occurrunt, & angues inibi latere ſuſpicantes rogant, ut tumorem inſpicerem. Factâ diſſectione, ichor plurimus, putredinem jam ſubiens, conjunctâ fermentatione ſenſibili, ſibilorum cauſa, patuit, partibus carnoſis mirè de tono ſuo dejectis.

Vir primarius fracto pede ſiniſtro paulò ſupra talum, aliàs hypochondriacus & ſcorbuticus eminenti gradu, paulò maturius, jubente officio aulico, à curatione ſolitis occupatur negotiis. Succedente tempore ſupra locum olim affectum ſentit tuberculum, non tam profundum, ob nudum ibi magis os tibiæ, quàm eminens, & non adeò molle. Eadem ferè luditur fabula. Adhibitis topicis, datis internis, nil proficitur, leviori interim viſo malo, quàm ut produceretur curatio: verbo, aperitur tandem tumor, ſuadente id extraneo medico, nil niſi ſanguis effluit; inde verò labia vulneris ſenſim dilatantur, protuberat materia velut fungoſa, fruſtra quibusvis adhibitis. Tumor ſerpit ulterius, & cum omninò ſtatum ſubit, quem deſcribit *Lamzvverde Promptuar. Chir. obſ. 26.* & ipſiſſimum in modum

modum depingit *Tab. 21. p. 146.* Reliquum corpus interim hecticum ſubit ſtatum, cum pulſu ordinario frequenti, donec conſumptis viribus placidè obdormiret. Sectione examinatus pes poſt mortem obtulit fracturam non niſi laxius cohærentem, imò ceu ſcaturiginem omnis hujus mali, callo omni abſumpto. Mechanicus prope femur dextrum conſimili tumore corripitur, qualem ſuperius deſcripſimus. Poſt apertionem improvidam, reliquis licèt nihil juvantibus, nil niſi merum ſanguinem ſtillat, & imminui & conſolidari renuit, donec ad ipſum abdomen facto progreſſu velut ſphacelo afficeret conſentientia inteſtina, ſummo cum fœtore, & conſumptum totum corpus reliquum fatis tandem cederet.

Alius in ſiniſtro thorace tumore ejusdem commatis, ſed dolorifico, affectus, eandem ſubiit fortunam, niſi quòd poſt menſem integrum conſolidationem admiſerit ulcus à vulnere, per apertionem facto, merum itidem ſtillante ſanguinem.

Cauſam horum quod attinet, tria potiſſimùm videntur accuſanda: oſſa, glandulæ, & ſerum, illorum alibilis ſuccus. Sæpiùs oſſa lapſu, vel aliâ læſione affecta ſerum allabens non debitè admittunt, ſibique applicant, unde paulatim corrumpitur, aceſcit, ſubſiſtit, & poris coæquatum diſtendit, ut à ſanguine ſenſim ab archéo partium & texturâ pororum læsâ nequeat in privatum uſum admitti, nec munus alendi ſubire. Sanguis verò ipſe acceſſione ſalium peregrinorum de balſamico ſuo tono remittit itidem & atrabilarium ſtatum adſumit. Hoc ut melius pateat, lubet humorum breviter jungere diviſionem. Ad ſanguinem & ſerum ſcilicet, tanquam principia vitalia, & radicem omnes dum referimus, ſub ſanguine bilem, & alteram melancholiæ ſpeciem, ſeu atram bilem locamus, (quando acidum cum bile, vel ſi mavis, ſanguine eſt confermentatum;) ſub ſero autem pituitam, quando in coagulum abit, & melancholiam, ſeu ſerum acetoſum. Oſſibus verò & ſero affectis, neceſſariò glandulæ, ſeri colatoria & cribra ſuos pati manes coguntur. Seorſim tamen aliquando, quod de

partibus carnoſis vel mollibus magis dixerim, etiam hæ parturire hoc malum ſolent, quando ſerum de ſtatu ſuo dulci, blandoque dejectum easdem, unam poſt alias, minores præſertim, vitiat, inflat, & uno inconvenienti dato, hinc plura exhibet.

Acidum verò junctum intenſius utrique humori, ſuppurandi potentiam domat, quâ conceſsâ facilis foret & ſalubris eventus, negatâ, rebellis iſta renitentia, & exaſperatio ſubſequitur. Nec mirandum, hinc defraudari reliquum corpus ſuo genio, & peregrino charactere inducto, ex communione hâc partium, hecticam febrim & mortem ſenſim induci, niſi naturæ bonitate & maturo medicaminum uſu fermenta illa morboſa extinguantur in primâ herbâ.

## OBSERVATIO XIII.

## D. G. WOLFG. WEDELII,

*De*

# Principiis rerum.

INter reliqua ζητήματα, quæ hodierno ſeculo agitari curioſiùs conſueverunt, ſi non primum, præcipuum tamen eſt, quod de principiis rerum inſtituitur. Nos ipſi rudiori Minervâ de iis quædam commentati ſumus *Ann. VI. obſ. 226. p. 333.* Uti verò inexhauſtus fons eſt naturæ, & nondum aequieſcimus hactenus in ulteriori horum inquiſitione; ita lubido eſt, novam quandam hypotheſin de his inferre, quæ ſatiet fortè animum præ reliquis.

Cùm ergò de principio ſermo eſt, duo cum primis ſupponenda ſunt, quibus probè firmatis, facilè licet progredi, & contrà iis non ſtabilitis vel obſervatis, ad radicem pertingere veritatis, minus obvium eſt. Dum enim *principium* vocamus, illa intelligamus oportet, ex quo omnia reliqua fuerunt, ad quod eadem referenda tanquam primum, quod ulterius tranſcendi renuit, ut acquieſcere tunc queat demum intellectus, qui novit,

vit, Deum omnium primum & ſummum autorem, rectorem & motorem eſſe. Dum *principium rerum* dicimus, corpora naturalia quidem, ſed præcipuè terreno hoſpitio gaudentia, regno tricorpori incluſa, vegetabilia, animalia & mineralia, attendimus, idque ideò, ut quàm ſapientiſſimo & ineffabili modo mens æterna, ſummum numen, omnia ordinaverit, rectius noverimus.

Ex his in genere notatis ulterius efficitur, illud ſine dubio eſſe rerum principium, quo non datur aliquod prius, reſpectu producti cujuſcunque, cujus principium inquirimus; quod omnibus ac ſingulis largitur differentiam ſpecificam, quâ ſine confuſio oriretur infinita; cui reliqua omnia ſubſtant, & principiata hinc ſunt potius, vel ſaltim principia remotiora, miniſtrantia, & velut involucra.

His præmiſſis, genuinam obtinemus clavem, explicandi rerum omnium principia, duo ſcilicet, ab ipſo Deo nominata in univerſali benedictione terræ creatæ: Creſcite inquiente, & multiplicamini. Duo inquam, ſunt: *Semen* & *fermentum.* Semen eſt vis multiplicandi; fermentum eſt vis immutandi. Omnia diſtinctè prodeunt, ipſa adeò magis confuſa viſa mineralia & metalla; ergò ex ſemine, & multiplicabili principio. Omnia modificant elementa ſeu principia reliqua in ſui naturam; ergò ex fermento, & immutandi principio ſemen ad extra principium eſt, unde ſeminalis illa dos etiam quoad vires modificata in reliquis viſitur. Fermentum ad intra, ut non jam amplius aqua, terra, ſed ſerum v. g. in homine, humor alibilis in plantis, viſcidum in metallis, & ſic in reliquis etiam, in ſpecie & individuo, diverſiſſimis modis & gradibus audiat. Semen largitur vitam, vel quaſi talem; fermentum nutritionem, quæ pari paſſu cum vitâ ambulat. Proh! quam ſtupenda ſunt hæc opera divina! quàm ineffabilis abyſſus ſapientiæ æternæ!

Ponamus ergò, velut in arbore prædicamentali primò corpus naturale; deinde ſemen & fermentum; hinc materiam

&

& formam; porrò terram & aquam, velut elementa simpliciora; quartò principia Chimica, Sal, Sulphur, & Mercurium; ultimo atomos, seu particulas minutas. Singula hæc ut corpus constituant, velificantur semini & fermento, velut primis; hæc verò singulis reliquis esse specificum largiuntur, & genuina sunt rerum omnium principia. Nullum aliud nominari potest, utut à variis assignetur varium, quod non sub hisce militet, & ad hæc referendum sit, in quorum recensione non opus est, ut occupemur. Attendere verò, & altera illa, interest, inprimis Chimicorum principia, & in sulphuris matrice contentam lucem, ut ex iisdem conjunctim spectatis, demum major eniteat lux, & pandantur magis secreta naturæ.

## OBSERVATIO XIV.

## D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. FIL.

*De*

# Pilis marinis.

QUàm incertus sit Pilarum marinarum ortus, nemo Medicorum ignorare potest: aliis è sordibus nescio quibus spumarum marinarum crassescentibus: aliis à festucis herbæ cujusdam ipsis innominatæ & ignotæ eum derivantibus: quibusdam cum Halcyoniis confundentibus &c. Vid. *Museum Calceolar. sect. 1. pag. 25.* & *Ferrantis Imperati Hist. natur. lib. 27. cap. 8.* &c. Omnium tamen, quas videre hactenus mihi contigit, optima est conjectura nostri *Georg. Hieron. VVelschii Hecatost. 1. obs. 18.* ex Algarum vel Arundinum familia easdem prodire statuentis. In hoc tamen rem neutiquam adsecutus, quòd lanuginem sive flores papposos esse putaverit, nec, qualis sit Alga vel Arundo illa, edicere potuerit. Ast Arundinis esse progeniem, & quidem foliorum ejusdem, allatæ huc Pilæ ejusmodi quamplurimæ ante triennium fidem mihi fecerunt: quæ nempe intus plantam ipsam,

tanquam

tanquam circumvolutionis principium & fundamentum, continuerunt. Talem itaque cum ad amicissimum meum *D. D. Volckamerum*, Botanicum Excellentissimum, transmisissem, à se olim in marinis litoribus similes fuisse observatas, atque ad *Dalechampii* Arundinem epigéam sive quartam referri posse, respondit. Et quidem optimè: Quamvis enim magnam undarum vim perpessæ fuerint istæ à me repertæ, ac ita elegantia illa, à tot calamorum vel surculorum ex aliis multipliciter prodeuntium congerie enata, non adeò conspicua fuerit; qualem nempe in saccis magnis Costo Arabico & Zingibere plenis repertæ, atque veluti raræ à *Dalechampio lib. 9. Hist. Plant. cap. 5.* delineatæ, in loco fortè non adeò undarum continuo adpulsui exposito enatæ, vel etiam, dum in vigore adhuc erant, evulsæ ostenderunt: ipsa nihilominus descriptio & figura satis cum hisce coincidunt; ita tamen, ut, quod ille corticem fulvum, squamosum adpellat, ego foliola esse ipsius plantæ sibi invicem strictè superimposita existimem. Ipsos verò cauliculos in quibusdam plantis alios multos utrinque emisisse, in quibusdam verò plurimos invicem contortos & variâ flexurâ unitos deprehendi; cæterùm nonnihil nigricantem magis minúsve colorem ostendunt, cavi & fistulosi sunt, aliarum Arundinum modo, fibrillarum tamen ex foliis enatarum congeriem in se recondunt. Ista autem foliola plana & recta, nullâ incisurâ prædita, & in fastigium lunatum sive semirotundum desinentia, coloreque ad flavum vel spiceum, eumque splendentem accedentia, duplici inprimis substantiâ sunt instructa; unâ fibrosâ exteriùs ab utraque parte locatâ; alterâ internâ medullari, quasi papposâ vel lanuginosâ, itidem splendente & spicei coloris, cui tamen obscuriores atomi intermiscentur; quæ ipsa cultelli acie à reliqua fibrosa facilè abradi ac separari potest; cùm econtra prior illa ex meris fibris minutis, eleganti per microscopium spectaculo, invicem cohærentibus & recto tramite in longitudinem excurrentibus, inque ipsum dein caulem, non quidem singulis separatim, sed

in certos quaſi faſciculos collectis, ſeſe immergentibus componatur. Unde continuatâ fluctuum marinorum alliſione, vel etiam aquæ paludoſæ à ventis agitatione conquaſſata foliola, præſertim ſi ætate provectiora in ſui reſolutionem ipſa propendeant, ſenſim fatiſcere, fibroſam eorum ſubſtantiam à medullari paulatim ſeparari, atque ita fibrillarum ſuarum divulſionem pati autumo; quæ fibrillæ dein ulteriori undarum commotione & circumgyratione in corpora illa piloſa, modò rotundiora, modò aliam variè depreſſam & faſtigiatam figuram, pro loci varietate, in quo ſubſiſtunt, aut etiam allidentis aquæ variâ commotione, habentia abeunt. Eſſe autem hanc veram corporum iſtorum originem, evincit: 1. fibroſarum in eis invicem connexarum vel confuſarum particularum cum fibris foliorum adcuratiſſima ſimilitudo; 2. ipſius plantæ in illis involutio, & in quibusdam etiam intimior obſervata conjunctio; 3. foliorum ferè omnium in ſuprema parte ab undis modò levior, modò altius penetrans in ejusmodi dictas fibrillas jam facta diviſio; 4. in aliis quoque Pilis marinis quibusdam interſperſarum particularum à medullari ſubſtantia, aut etiam foliolorum obſervatio, quæ feſtucarum ſuſpicionem nonnullis præbuiſſe potuit. Eandem plantam videtur *Plinius* innuiſſe *lib. 16. hiſt. nat. cap. 36.* ſcribens: *Eſt & obliqua harundo, non in excelſitatem naſcens, ſed juxta terram fruticis modo ſe ſpargens, ſuaviſſima in teneritate animalibus. Vocatur à quibusdam Elegia;* fortaſsè ab: ἕλος, *palus,* &: ἕλειος, *paluſtris*, quòd in locis maritimis paludoſis ortum ſuum inveniat. Ut ita etiam corpus ex ea productum Pila ſtagnalis dici poſſet; qualem *Wormianam* illam fuiſſe arbitror, quam in ſtagno prope Soram inventam in *Muſ. lib. 2. cap. 2.* deſcribit. Vid. etiam *Cæſalpinus lib. 4. de Suffrut. & herb. cap. 59.* & *Geſnerus de hort. Germ.* Cæterùm de viribus, quæ ad ſcrophularum curam facere creduntur, hoc unicum addo, eas in uſtis tum ſali marino, verè ſalſo ſive ex acido & alcali miſto, in Pilis iſtis, ſi linguæ judicium ſequamur, inveniendo: tum Alcali ſive lixivioſo ſali, ex

uſtione

ustione nato, atque per effervescentiam inprimis cum acidis facilè dignoscendo, tribui debere, quorum intuitu lympham crassiorem incidere, acoremque ejus vitiosum absorbere, & ita liberiorem ei per glandulas colli transitum conciliare valent.

[*Augustâ Vratislaviam missa A. 1681. 6. Decembr.*]

## OBSERVATIO XV.

## D. SEBASTIANI SCHEFFERI,

*De*

# Exsecta propè uvulam carnea excrescentia.

PRæsens excrescentia carnea nuper ex collo Conjugis civis nostri Argentinensis propè uvulam antrorsum à Chirurgo fuit excisa, & feliciter, Deo nobis favente, peracta ita operatio, ut nunc fœmina ista nil detrimenti exinde sentiat.

[*Ex literis D. Waldschmidii, ad Excellentiss. Virum datis.*]

Fig. III. vid. p. 13.

## *SCHOLION.*

QUandoque in gula & gutture impedimenta suboriuntur non sine vitæ periculo satis gravia, ut cibum deglutire nequeant, propullulante propè uvulam tuberculo, indies incrementa sumente, quale quid contigit virgunculæ nostrati 13. annorum, Helenæ Göpneriæ, cui cibum amplius assumere non licuit ob amplitudinem exortæ in istius faucibus carunculæ dextrorsum molestæ. Cum nulla exscindendæ ratio superesset Chirurgis, tandem illam excrescentiam aquâ plantaginis cum ol. vitrioli ad sufficientem acorem acuatâ sæpius mediante penicillo ex filamentis contorto attingi & imbui jussi: unde excoriari paulatim cœpit caro illa, in medio cava nigricans. Non cessatum à tali fuit curâ, donec corrupta penitus & à naturali

ſua ſecreta carne prorſus evanuit illa excreſcentia. Dum in ſiniſtra uvulæ regione ſimilis propullulans tumor obſervari cœpit, maturè conſimili aquæ vitriolatæ uſu prorſus diſparuit.

[*Helianthus.*]

## OBSERVATIO XVI.

## D. ANDREÆ CLEYERI.


*De*

# Ovo Gallinaceo, cum ſerpentis imagine in teſtâ.

ANno 1679. die 14. Septembr. S. N. Bataviæ in Java Majore Indorum excluſit Gallina ovum ordinariæ magnitudinis, exteriùs verſus apicem in teſta figuram ſerpentis exactiſſimam cum omnibus corporis partibus præſentans. Aderant non tantùm lineamenta ſerpentis in ſuperficie ejus; ſed etiam trina corporis anguini dimenſio, tanquam foret ab inſigni quodam Sculpturæ Artifice cælatum, aut cerâ, gypsô, aliâve materiâ formæ cuidam impreſſum & ad vivum ſerpentis exemplar expreſſum opus. Conſpiciebantur in capite aures, bifida ex ore lingua & oculi emicantes, qui omnes & internas & externas partes cum ſuis coloribus adeo exactè referebant, ut ipſi ad ſtuporem intueri vel ipſos intuentium oculos viderentur. Tantus Naturæ luſus etiam in reconditis animalium partibus, nempe uteris, ex ſubita animi perturbatione quandoque imprimitur, quod forſan gallinæ noſtræ ovum hoc ophioides parturienti accidit, cùm ei ſerpens aliquis improvisò & ſubitò obviam proſilierit: unde perturbata gallinæ imaginatio ſerpentis Ideam ovo ex ſuo ovario jam elabenti attulerit, eique talem formam impreſſerit.

Fig. IV.

[*Ex literis Dn. Andr. Cleyeri, Protomedici & Aſſeſſoris ſupremi Judicii*


Figura Serpentis per Microscopium delineata.
Fig. 4. Ovi Ophioidis Batavini.
Fig. 5. p. 37.
Fig. 7. p. 38.
Fig. 8. p. 38.
Fig. 6. p. 38.

*Judicii Bataviæ Indorum in Java Majore, ad D. Chriſtianum Mentzelium, die 15. Martii 1680. datis.*]

Hîc admirandum adduci quoque poteſt ovum die 14. Decembr: 1680. Romæ in Capitolio apud miniſtrum quendam primarium à Gallina excluſum, quod Cometam eodem temporis articulo in caput Andromedæ horrendùm tuentem in teſta ſua cum aliis aſteriſmis oſtendit.

Fig. V.

## *SCHOLIUM.*

EJusdem hujus ovi Romæ, 2. d. Decembr. A. 1680. juxta *D. de Blegny*, 14. d. ejusdem Menſ. ſecundùm Nob. *D. Menzelium*, vel 4. d. ex relatione Auguſtam Vind. perſcripta, excluſi mentionem etiam facere libuit *Cl. D. Nicolao de Blegny in Ann. 3. Zodiac. Med. Gall. menſ. Febr. obſ. 8.* additâ inſuper ejusdem figurâ; quæ cùm ab illa, ad nos Auguſtam itidem Româ transmiſſa, plurimùm discrepet, eandem hîc exprimere liceat. Quænam earum legitima ſit, neſcio; qui de utraque tamen dubitare poſſum; quam nempe potiùs humanæ petulantiæ, cui nimium credulis illudere placuit, fuiſſe figmentum, rumor publicus poſtmodum ad nos delatus perſuadere voluit. Quanquam aliàs, contingere tale quid poſſe, non impoſſibile videatur; præſertim ſi Nob. *D. Cleyeri* conjectura de cauſa imaginis ſerpentinæ in teſta ovi impreſſæ locum invenerit; qualem etiam Exc. *D. Sebaſt. Schefferus* de alio ovo, in quo eclipſis fuerat adumbrata, in *Analectis Anno IV. Ephem. Nat. Cur. additis* formaverat, ſicque non minus ex inſolito Cometa fortuitò cum ſtupore à gallina conſpecto idem hîc contigiſſe, dici poſſet. Confer. *Annus cit. Zodiac. Med. Gall. obſ. 1. menſ. Septembr.* Ova cæteroquin inſolitæ figuræ in *Ann. I. Ephem. noſtr.* recenſuit Exc. *D. Chriſt. Frid. Garmannus*, ut & alia *Frid. Wilhelm Schmuckius in faſcic. admirand. Nat.* nimirum bina connata, plicata &c. Quibus etiam tria gallinacea, quæ reſervo, adnumerare liceat: unum vaſtæ molis, cortice plicato præditum; alterum ex una

parte acuminatum, & ferè pyriforme, circa acumen perfectò circulo notatum ac quasi divisum, ita ut sponte dein à reliquo cortice separatum operculi quasi figuram referat; tertium verò caudatum, cujus, utpotè rarioris, iconem subjungere hisce libuit. Vide *Eph. anni primi obs. 140.*

Fig. VI.

[*Luc. Schröck. L. Fil.*]

Antonius Magliabechius in suis ad Nat. Cur. literis 20. Octob. Anni hujus 82. datis sequentia retulit. *A Mesi passati di Româ mi fù mandato l'incluso disegno d'un Vovo nato in Tivoli il di 26. Lugliolo questa Cometa transparente fuori della guscia, con la faccia del sole, e la corda intortigliata. Mirandosi al sole, si conosce del color naturale della rimanente porosità del ovo di è frequentiss. come si vede nella distributione di questi punti.*

Fig. VII.

Inter ova monstrosa & sequens referri meretur, quod Anno 1664. 19. Junii Præstrenuo, & Amplissimo Senatori, D. Georgio Friderico Behaimo hîc Noribergæ fuit oblatum; cujus figuram dare voluimus, non in alio, quàm duplici vitello, cujus inferiori appendix fructum Arbuti præ se ferens caudiformis adhærebat.

Fig. VIII.

[*Helianthus.*]

## OBSERVATIO XVII. D. ANDREÆ CLEYERI.

*De*

# Ovo gallinaceo prægnante & epate gallinarum insigni.

IN Actis Collegii nostri Naturæ curiosorum Anni octavi observatio habetur de Epatis Gallinacei insigni mole, quod exemplum alio confirmare hîc, quod in Indiis nostris accidit, liceat. Illustris Societatis Indiæ Orientalis Chirurgus quidam

quidam in Regno Aracan observabat Gallinam aliquando insolitæ molis ovum exclusisse: id cùm aperuisset Chirurgus, invenit in ejus vitello aliud ovum suâ testâ septum suôque vitellô similiter præditum, licet dimidio minus. Tales gallinarum partus se pluries observasse, easque gallinas semper mole permagnum habuisse epar; signa verò diagnostica hujus affectus in gallinis hæc fuisse: cùm gallina difficulter incederet, atque ambulans subinde prona in pectus caderet, semper in gallina exenterata epar insignis magnitudinis, quandoque uncias 12. pendens repertum fuisse, idem Chirurgus ajebat &c.

[*Ex iisdem literis ad D. Mentzelium datis.*]

## *SCHOLIUM.*

Conferatur similis de hepate gallinæ enormi magnitudine prædito observatio, quam Excell. *Dnn. Collegæ Uratislavienses Ann. VIII. Ephem. Nat. Cur. Observ. 99. p. 187.* legendam dederunt, lapsum illum in terram, præcipuè à concitatiore cursu, ponderi hepatis verosimiliter adscribentes. Ex gallinaceo quoque genere duorum gallorum meminit Nob. *D. Borrichius Act. med. Hafn. Barthol. Volum. 1. obs. 92.* quibus reliquo corpore emaciatis, flaccidis & exsuccis hepar fuerat pinguissimum, & plusquam decuplo justo auctius. Qualem etiam gallinam evisceravit *Joh. Læselius,* uti refert in suo *Renum scrutinio,* & notavit *Ol. Rudbeckius observ. anat. 18.* Cæterùm non minus feminam, scirrhoso, vasto, & mole ponderoso hepate gravatam, pondus illud & molem dextro latere versus terram inclinâsse, Exc. *D. Huldenreich in Ann. VI. dd. Eph. observ. 219.* recensuerat.

[*L. Schröck, L. F.*]

p. 122.

OBSER-

## OBSERVATIO XVIII.
## D. ANDREÆ CLEYERI.
*De*
# Corporibus ſphæricis permultis in ventriculo humano inventis.

NUper in Noſoçomio noſtro hîc Bataviæ Indorum in cadavere humano ſectione apertô inventus fuit ventriculus innumerabilibus ferè repletus corpuſculis oviformibus rotundis, ſed diverſæ magnitudinis. Horum exterior membrana valdè erat lenta & tenax : intus verò continebatur liquor flavus inſtar lymphæ, quemadmodum Schema adjunctum oſtendit. Symptomata, quæ homo in vita perpeſſus erat, proximis enarranda mihi ſervo. Huic caſui congruere videntur ſymptomata illa, quæ hîc vaccis quibusdam in locis quandoque accidunt, quondo atrophiâ correptæ vires recuperare nullatenus poſſunt, donec moriantur. In iſtis cadaveribus apertis ſimiliter corpora multa ſphærica, pliarum inſtar, quibus pueri ſolent ludere, reperiuntur, quæ ejusdem ſunt magnitudinis, uti illa, quæ in corpore humano ſunt inventa. Horum corpuſculorum ſubſtantia interior tanquam gramen à vaccis comeſtum & ruminatione quadam nondum digeſtum, ſed in formam rotundam compacta & coagulata apparet. Hæc corpora inſtar Bezoar alicujus tanquam Alexipharmacum in febribus intra corpus aſſumuntur, quemadmodum quoque Damarum globuli in earum ventriculis reperti idem præſtant &c.

Fig. IX.

[*Ex literis ad D. Chriſtianum Mentzelium Bataviæ Indorum 1681. die 6. Febr. datis.*]

### *SCHOLIUM.*

DIverſam hîc pilarum vaccinarum ſpeciem à vulgaribus illis, & à nemine hactenus deſcriptam, imò rariſſimam, innuere



Fig. 9.

nuere Nob. *D. Autorem*, ipsa interior substantia, gramen nondum omnino digestum exhibens, & usus in febribus ostendunt; cùm reliquæ illæ nil aliud exhibeant, nisi pilorum quandam congeriem (cujus generationis modum dedit *Cl. Ol. Wormius in Mus.* & inprimis Exc. *D. Vollgnadius App. ad Ann. II. Eph. N. Cur. obs. 110.*) crustâ chylosâ obductam; partim & virtute illâ antifebrili careant.

Cæterùm quod sphærulas istas in ventriculo humano inventas concernit, similes innuere videtur *Jacob. Hollerius lib. 1. de Morb. intern. cap. 50. in Schol. Vidi*, inquiens, *intolerabili cruciatu aliquot diebus affectum, qui pituitæ partes velut crystalli, aut concocti succi, quem gelatinam vocant, globulos colore aqueo pellucidos eminxit;* quales etiam Hydatides per meatum urinarium & anum excretas observavit *Thom. Whartonus*, ceu *cap. 11. Adenograph.* testatur; & *Laz. Riverius observ. excerpt. ult.* ex abscessu in dextra parte abdominis rusticum hydropicum vesicularum aquâ repletarum magnum numerum exclusisse recenset; nec non *Frider. Lossius obs. 44.* mulierem de dolore ventris & hypochondriorum distentione querulam, à purgatione quindecim excrevisse vesiculas majores minoresque, aliquibus earum ovum columbinum magnitudine æquantibus, aquâ limpidâ refertis; virum quoque intolerabili lumborum dolore, nauseâ & vomitu conflictatum, cum maximis doloribus & urinæ difficultate, totidem vesiculas exactè sphæricas rejecisse, *Obs. 58.* refert, quarum crassa, dura, & forti digitorum compressioni resistens, sed pellucida substantia tres quatuorve aquæ limpidissimæ guttas in se continuerat. Vid. etiam *Act. Med. Hafn. Barth. Vol. 3. obs. 76.* Quarum generatio, si quis conjecturæ locus est, lymphæ forsan justo viscidiori debetur, ex glandulis stomachicis, ut fermentalis succi munus obiret, in illum exstillanti, quæ in coagulationem prona dum naturali suo vase elabitur, liberioremque aërem experitur, secedentibus, qui eam comitabantur, spiritibus, condensari potest ac spissior evadere, sicque ad ostium tubuli excre-

 torii

torii hærens, atque illud quasi obviſcans, ſi quis flatus, ob contentum ſerum viſcidum, ibidem, calore & animali ſpiritu agitante, promtè generandus, ex eodem tunc egreſſum magno molimine faciat, in bullam & pelliculam facilè extendetur, ſerum dein ulterius ex tubulo proditurum recipiens, ad quod cùm aëri externo aditum pelliculæ denſitas intercludat, eo ipſo à coagulatione ſeſe vindicat. Quale quid etiam in inteſtinis, in pelvi renali ad oſtia tubulorum renalium, aut in ipſa etiam veſica urinaria, ſi quæ glandulæ ibi reperiantur & ductus lymphatici, de quorum præſentia non omnino dubitandum, accidere poteſt.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XIX.

## D. CAROLI PATINI.

# Calculus ingens canalis à naturâ excavatus.

HÆc Obſervatio naturæ vigilantiam, ſagacitatem, & ſapientiam mirum in modum confirmat. Joanni le Blond honeſtiſſimo Mercatori medicinam à decennio Pariſiis faciebam Anno MDCLXV. viro octuagenario, cætera ſano, ſi calculi ſymptomata exceperis. Is quamvis doloribus continuis vexaretur, nunquam tamen eò moleſtiæ deductus eſt, ut lecto detineretur, vel officinam intermitteret. Præcipuum ei negotium faceſſebat, quòd matulam centies in die quæreret, aliquidque urinæ ſingulis vicibus profunderet, niſi ſpongia iis locis collocata, matulæ officium ſubiret. Fractis tandem viribus, ei ſuaſi, ut in lectulo ſe contineret, bono animo eſſe juſſi, brevi doloribus, morbo, ſenio, ac vitæ valedicendum. Alacriter dicentem excepit vir non omninò ἀφιλόσοφος, quamvis ἄμυσος, mirarique ſe affirmabat, non ut plures alios medicamentis obrutos necari, quem ſola ſors perime-

perimeret; gavisus, talem medicum nactum fuisse, quocum quietè mori posset: Et quidem absque ullo dolore provisam mortem occubuit; testamento condito, cujus me executorem, ut summum scilicet amicum scripserat. Pro solito Civium nostrorum more dissectum fuit cadaver, in quo omnia naturaliter & salubriter constituta, exceptâ vesicâ illiusque uretere, deprehensa sunt. Hic intestinorum amplitudinem æquabat superabatque, à rene sinistro ad vesicam seri copiâ distentus, quod nondum urinæ nomen mereri, docent ἰατρῶν παῖδες. Vesica in tantum explicabatur, quantum absque rupturæ periculo poterat, tota calculo rotundo & oblongo, lævi & terete repleta, XIV. uncias pendente, per cujus anteriorem partem architectrix natura canalem effecerat, omnem artificum industriam superantem. Cuilibet facile fuit animadvertere urinam guttatim prodire solitam, quòd in vesica vix præter guttulas quidquam contineri potuerit, ureteremque ab imperante natura vesicæ munus obiisse, qui seri seu urinæ esset receptaculum, sicque ad amplitudinem quadruplo solitâ majorem processisse, unde continui dolores, neque tamen gravissimi.

## *SCHOLIUM.*

Εὐθανασίαν hanc ægroto medicamentorum abstinentiâ fuisse conciliatam, uti in laudem nobilissimi Medici cedit: ita inutilibus medicamentis qui ægros obruunt, & eo ipso dolores tormentis istis augent, aut etiam tardantem mortem accelerant, eò minùs laudandi sunt. Artem sanè istam, quâ mortem minori cum molestia, & quadam quasi cum suavitate ægroti conclamati ut exspectent, efficitur, Medicum callere quàm maximè decet, inter *Desiderata Medicinæ* à nostro Clarissimo *Welschio* olim recensitam, & *in fine Commentarii Meth. Med. Wal.* indicatam; quam in symptomatibus infestis, quæ morbus ipse, remediorum usus intempestivus, adsistentium errores &c. concitant, demulcendis & avertendis, sive id salubrium monitorum & diætæ beneficio, sive remediis aliis fiat,

 potissi-

potiſſimùm conſiſtere autumo. Deſperato autem ægro pharmaca mortem præ foribus jam excubantem, ad concitatiores greſſus advocantia propinare, non hominem, multò minùs Chriſtianum decet Medicum; hinc opio qui in extremè debilitatis, vel in ſummo ſenio conſtitutis, vel agonizantibus ad mortis accelerationem utuntur, erroris meritò incuſantur à Celeberrimo *Guern. Rolfincio,* & cum eo ab Exc. *D. Wedelio noſtro lib. 2. Opiolog. ſect. 3. cap. 3.* Tales ad Perſas ablegandi forent, ut cum iis captivas aviculas emendo, & in libertatem eas ponendo, ſicque citiorem animæ è corpore diſceſſum ſeſe procurare credendo, (vid. Cl. *Adam. Olearius lib. 5. Itiner. Perſic. cap. 22.*) puerili ſuperſtitione potiùs, quàm intempeſtivâ ſpirituum per opiata fugâ, graviori ſcelere (ſcilicet, juxta verba *Senecæ in Excerpt. Controverſ. lib. 3. controv. 9. etiam ubi remedium eſt mori, ſcelus eſt occidere,*) ſe polluerent. *Prudentis enim hominis eſt, eum, qui ſervari non poteſt,* thraſticis & periculoſis remediis *non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, ut occiſi, quem ſors ipſius peremit:* ut verba *Celſi* de inſanabilibus vulneribus *lib. 5. cap. 26.* prolata huc adplicare liceat. Maluit ergo Obſervationis hujus Exc. *D. Autor* calculo mole ſuâ expulſioni inepto quietem conciliare, & unà ægri tranquillitati ſtudere, quàm præſidiis inefficacibus ægroto majores moleſtias ſuſcitare, & inviſum veſicæ hoſpitem temerè commovere. Meliori fato ſimilem calculum Vir quidam nobiliſſimus, referente Cl. *Frid. Loſſio* in eleganti obſervationum ſuarum tractatu *lib. 3. obſ. 53.* in veſica, ſine ullo ejus, cùm in vivis eſſet, indicio, aluit, qui quidem duriſſimus fuit, & quatuordecim unciarum pondere inſignis, in medio tamen, ſecundùm longitudinem, pervius, ut hac viâ, tanquam ex canali quodam, urina ſine omni impedimento profluxerit. Quod ſanè maximè eſt admirandum, quâ tamen ratione Vir iſte urinæ ſtillicidium, aut ſaltem crebriorem mictionem effugerit, non ſatis intelligo; niſi fortè reticere moleſtiam illam maluiſſe eum, dicere liceat. Binas etiam foveas ab urina decurrente excavatas calculus,

tres

tres uncias pondere ſuperans, à femina excretus Cl. *Theod. Kerckringio* exhibuerat. Vid. *ejus Obſerv. Anatom. 67.*

*[Luc. Schröck. L. F.]*

## OBSERVATIO XX.

## D. CAROLI PATINI.

# Vulnus inteſtinale periculoſum feliciter curatum.

ANno MDCLXXVI. Dominicus Simeoni Patavinus, annos natus XXVIII. unus ex palatii apparitoribus, amicum quemdam ſuum litibus obrutum è caſtello Baldo, Patavium inter & Ferrariam ſito, educere cupiens, quem à lictoribus conquiſitum noverat, breviori viâ ſummaque diligentia eò conceſſit. Supervenientibus lictoribus quatuordecim, incluſi tres, portas apprimè obſerârunt, aditumque fortiter negaverunt. Exploſa utrimque ſclopeta, lictori uni vitam eripuêre, duos alios graviter vulneravêre. Caſtelli dominus & ipſe globo transfixus occubuit: Noctis beneficio aufugit amicus ille, ob quem exorta erat rixa. Solus remanſit Dominicus, qui pulvere pyrio deſtitutus, hoſtium numero cedere coactus eſt. In latentis & corpus antrorſum ſubmittentis abdomen, ſclopetum majus (quod *archibugio* Itali nuncupant) exploſum. Lictores actum eſſe de illo opinabantur, quem paulò poſt ſpirantem adhuc cernentes, in curru collocatum, Patavium reduxerunt. Magiſtratus indulgentiâ, Dominico ſaucio in ædes ſuas deportari conceſſum eſt, quem brevi in carcere periturum magna erat conjectura. Medicorum habito conſilio, deſperata ferè omnia cenſebantur. Vulnus maximum in epigaſtrio dextro non procul ab umbilico, disrupti, præter tegumenta, tendines muſculique, rectus, transverſalis & obliqui, ingens αἱμοῤῥαγία, dejectiones ſupernæ infernæque, frequens ſyncope, proſtratæque

vires, ut ægro, ſic Medicis ſpem omnem præſcindere videbantur. Nunquam tamen omnino deſerendum eſſe ægrotantem, dubiamque ſpem certa deſperatione potiorem, & hoc confirmat exemplum. Quippe quinto morbi die, per alvum unâ cum fæcibus à clyſtere ſollicitatis, in pelvim excidit globulus, tragœdiæ inſtrumentum. Longior non ero in enarranda cura: Sæviora abhinc ceſſavêre ſymptomata, atque poſt unius menſis periodum planè liberatus eſt æger. Non deficientibus miraculum eſſe cenſentibus, benefici erga amicum animi pretium: At Medicis opera Naturæ curioſiùs ſcrutantibus aliâ viâ procedere expedit.

Perpendatur imprimis quæ à deciſo globulo oritur maxima difficultas: Quo modo is in inteſtinum penetravit? quo modo & hoc ſanatum eſt? Quî enim fieri poſſet per podicem dejici quod inteſtina non ſubiiſſet? ſi ſubierit, inteſtino perforato quænam fuit Medicina? Hanc cœlo delapſam interpretentur qui ulterius inquirere faſtidiunt. Inteſtinorum qualiacunque illa ſint, ſectionem periculoſiſſimam eſſe docent Autores, ratio & experientia. Craſſa vix ſanantur, tenuia nunquam; ita Hippocrates, *aph. 18. & 28. ſect. 6.* ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν. Nulla proſus facta fuit ἐντεροῤῥαφία. Ergo concludere liceret profundum vulnus, Naturæ providentiâ agglutinatum fuiſſe, ut non immeritò corpus noſtrum innato balſamo ſibi proprio refertum credatur. Quod majus eſt, nihil conſutum fuit, neque cutis, neque muſculi, neque tenuis illa membrana, nervoſa atque exanguis, quæ vix araneæ telam more ſuperat, περιτοναῖον nuncupata, ſed omnia tam citò coivere, ut fidem ſuperet. Nihil perinde incommodi reliquum fuit. Obſervatum in omnibus Galeni præceptum, *Meth. l. 6. c. 4.* exceptâ ſuitione, quæ inutilis cenſita eſt: Exciſa inteſtina cum omento, in ſuum locum recondita ſunt, medicamenta impoſita, & ne qua præſtantior pars ſimul afficeretur, quantum fieri potuit, proſpectum.

Multos audio dicentes globum præter muſculos non pene-

penetrâſſe, ac inter adipoſam abdominis molem latuiſſe, donec tum ſuo pondere, tum etiam Naturæ vi, in imas ejus partes collapſus fuerit. Eſto, nec tamen patet ad exitum via: An deinde globulus in capacitatem inteſtini penetravit, absque ſubſtantiæ deperditione? quo modo reparata illa fuerit? Quî fæces, ne foras proſilirent, coërcitæ? Quid factum de ſanguinis copia in abdomine ſparſa, disrumpentis concutientisque globuli vi? An & hæc per disruptum inteſtinum effluxerit? Obſervationes hûc referat quantumvis curioſior, à Schenckio ſcriptas, *l. 3.* de acu, cultro, aliisque per diverſas à naturali vias excretis, aut alienis humoribus per inteſtina deductis: Naturam continuò beneficam innumera producere liquet arti non expectanda, imò ne ſperanda quidem. Hinc Galeno monente, *lib. 3. de criſibus*, Generoſus Medicus neque difficillimis caſibus terreatur. Celſus ad id, temeritatem aliquando efficere docet in morbis, quod prudentia nullo modo tentare deberet.

Ego quidem ad hujus rei conjecturam nec à temeritate præſidium invenio. Si Dominico ſuperſtes fuero, ab eodem vitam adhuc agente, veniâ jam acceptâ, ſcrutabor in ejus inteſtinis, ſi fortè tam prodigioſæ valetudinis latentem modum dignoſcere potero. Interea ſi Vobis, Viri Eruditiſſimi, aliquid occurrat quod propoſitæ difficultati ſatisfacere queat, pro veſtra & in Collegam benignitate & in rem medicam ſtudio, mihi palam eſſe facturos & ſpero & rogo.

[*E Muſæo Patavino, Kal. Juliis, MDCLXXXII.*]

## *SCHOLIUM.*

INteſtinorum aliquod à globuli exploſi impetu fuiſſe hîc læſum, vix dubitandum eſt; neque enim credibile, eundem tam parvo temporis ſpatio, nec ſingulari aliquâ violentiâ externâ protruſum, cuniculos per tot illæſas partes, etiam ſatis craſſas & membranoſas, agere potuiſſe, ut quinto morbi die jam inteſtinum rectum ingreſſus fuerit: Symptomata etiam gra-

gravissima non levius aliquod vulnus cutem tantum penetrans, sed altiùs progressum, & in specie dejectiones illæ supernæ infernæque &c. ipsorum intestinorum aliquod læsum satis indicare possunt. Neque ullo modo obstat *Hippocratis* autoritas, multiplici ejus experientiâ procul dubio firmata, in *aphorismo 18. sect. 6.* ab Exc. *D. Autore* citato: uti enim *Coum* nostrum letalia sæpè dicere vulnera, quæ utplurimum, non ex necessitate & semper sunt talia, alibi in hoc Libro ex *Galeno* fuit notatum, atque ipse etiam *lib. 2. Prorrhet.* vulnera, quæ magnam quidem perniciem adferunt, non eam tamen, ut, ceu ipse se explicat, nemo ex his servari possit, recensens, intestinorum quoque, nullo inter tenuia & crassa facto discrimine, quæ sunt, eis adnumerat. Dum verò *Coac. prænot. 503.* & *sect. 6. aphor. 24.* ex tenuibus si quod dissectum fuerit, non coalescere scribit, partim de vulneribus utplurimum, ceu dictum, taliter se habentibus, partim etiam de magnis discissionibus interpretari debemus; prout ipse quoque §. *seq. 509. Coac. prænot.* cùm mortem prædixisset in intestino aliquo, sive crasso sive tenui, vulneratis, si nemp. per transversum fiat plaga & magna: si verò parva & recta, quosdam evadere edicit. Nemo itaque amplius, intestina vulnerata mortem simpliciter inferre, ex *Hippocrate* evincet. Neque aliud nos variorum docent observationes, qui tam crassorum, quàm tenuium intestinorum vulnera sanata viderunt; illorum ex. gr. specimen suggerentibus *Nicol. Tulpio lib. 3. observ. Med. cap. 20.* & *Joh. Riolano in app. Sim. Paulli tr. de febb.* horum *Ephemeridibus nostr. Curios. Ann. III. obs. 176. Jacob. Seidelio Obs. Med. 5. Joh. Heurnio in Comm. sect. 6. aph. 18. Hipp.* & *Jacob. Hollerio obs. propr. 17.* nec non *Comm. in cit. aphor.* Conferatur etiam historia ab *Ambros. Paræo lib. 24. Oper. cap. 19.* memorata, nec non alia huic *D. Autoris* admodum similis, quam *Franc. Valleriola lib. 4. obs. 9.* consignavit. Unde etiam quodcunque tandem intestinum in hoc casu globulus transfixerit, licèt vel ipsum jejunum id fuerit, ceu quidem ex denominatione loci percussi, scil. epi-

gastrii

gastrii dextri non procul ab umbilico, quo nempe in loco illud naturaliter situm obtinere solet, nobis conjecturare licet, salvum evadere potuisse ægrum, non adeo est incredibile. Videri quidem hîc posset, scrupulum injicere metuendam chyli ex vulnere isto in cavitatẽ abdominis effusionem, quam olim non nemo pro stabilienda similium in tenuibus intestinis vulnerum letalitate publicè in medium protulit, ita ut æger necessario nutrimento, in sanguinem & ad singulas partes derivando, orbatus perire necesse habeat: ast (ut taceam, quòd ipsa læsæ partis glutinatio, de cujus utpote impossibilitate nullum penitus argumentum producitur, exitum illum chyli impediat, si quem verò egredi detur, sicque consolidationem is retardare queat, eandem tamen omnino inhibere minimè valeat, cùm chylus non continuò à ventriculo suppeditetur, perque intestina permeet,) si in superiori parte intestini, & quidem ita in corpore à natura locati, ut transversum situm obtineat, plaga infligatur, ille chyli ex cavitate istius prolapsus non adeo promtè aut copiosè continget, ut mortis periculum, ob defraudatum corporis alimentum, inde sit metuendum. *Galenus* quidem *lib. 6. Meth. Med. cap. 4.* jejunum omnino incurabile esse adserit, tum propter magnitudinem multitudinemque vasorum, tum quòd tunica ejus prætenuis nervosaque sit, bilemque insuper synceram universam recipiat, & jecinori omnium maximè sit vicinum. Verùm quod attinet 1. magnitudinem multitudinemque vasorum, scrupulo huic satisfecit *Heurnius*, plerunque calamitosum esse, *l. c.* scribens, si intestinum tenue eâ parte vulneretur, quâ mesenterium attingit, ob venarum eò venientium magnitudinem, quæ plurimum sanguinis fundunt; id quod in parte opposita non adeo est metuendum. 2. ipse *Galenus Comm. 6. aph. 18.* tunicæ tenuitatem & nervosam naturam quodammodo impugnat, dum verba faciens de omnibus tenuibus, intestinorum tenuium naturam non parum participare ait carnosæ substantiæ, ideòque in summa parte vulnerata sæpius conglutinari,

tota autem discissa usque ad eorum cavitatem, non quidem nunquam, sed tantùm *rarissimè ; hoc autem*, addens, *non tam propter eorum substantiam mihi videtur accidere , quàm quòd non possumus æquè intrinsecus sicut extrinsecus medicamenta vulneribus imponere.* 3. Bilis in intestino jejuno jam acredinem suam, quâ vulneris unionem impedire posset, deposuit, videlicet tam à lympha pancreatica &c. quàm ipso inprimis chylo acidulo alterata, atque ita in syncera sua natura multum immutata; sic ut humorem viscidum è glandulis intestinalibus egressum, aut etiam serum nutritium ex discissis arteriolarum oscillis exstillans impedire minimè valeat, quò minùs tenacitate suâ vel glutinositate, sive balsamicâ, si ita loqui liceat, virtute, ceu sarcocollâ aliquâ, vulneratæ partis labia, ab aëre externo improportionato , vulnerum sanationi non parùm contrario, ob intimiorem, quem occupat, in corpore situm, sic satis immunia, & post vulnerationem, dum aër in cavitate intestini priùs contentus ex hiatu egreditur, concidentia, sicque propiùs ad invicem accedentia, conjungat, istamque continui solutionem ita reuniat; quod denique 4. de vicinia hepatis dicitur, quomodo in considerationem venire hîc queat, penitus non video.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XXI.
## DN. GEORGII EVERHARDI RUMPHII.
*De*
# Caryophyllis aromaticis.

QUòd vel fama fallax more suo agens, vel amici cujusdam (forsitan Domini *Cleyeri*) indulgentiores literæ me majorem, quàm sum, apud te depinxerint, Vir Clariss. ex honoratis tuis 2. Octobris Anni 1678. Berolinô ad me datis, conjecturam facio; quapropter animi tui cando-

candorem obtestor, ne mihi succenseas, si jam de hisce parvitatem meam intellexeris: humanitate enim tua prolectus amplius te latere nolo: *Germanus sum*, nec inclyto illi Hagensi Rumphio Domini Principis Auriaci Archiatro ullâ (quantum sciam) cognatione junctus; *natus in Comitatu* Solmensi: *educatus Hanoviæ*, ubi Parens meus Augustus Rumphius Architectum egit ante Annum 1666. Ego vero insatiabili rerum peregrinarum cognoscendarum desiderio flagrans maturè Patriam reliqui: primò in Portugalliam delatus, deinde post triennium redux ante 28. abhinc annos in Indiam Orientalem me contuli, & fatô in ultimas versus Ortum Insulas ductus *Ambonæ hæreo*, senectuti jam propinquus. Statim sub meum in Indiam ingressum conscribere cœpi Historico quidem, attamen methodico stylo rariores harum Insularum *stirpes*, *animantia*, *marina*, *mineralia &c.* quæ sese oculis meis obtulerunt, & quantum de eorum viribus ex incolis indagare potui, adjectis (quantum artis in me erat) plerisque *figuris*, idque Latino sermone. Processerat rude chaos in aliquam molem, cùm divina voluntas, absque dubio, meæ saluti, quàm ego, plus consulens, totum mundum cum omnibus creaturis subitò meo visui subtraxit, unde jam per decennium *in tristibus tenebris sedere cogor*: *Catarrhacta* nigra oculos meos invadens id effecit: noluerunt tamen Domini mei Superiores schedulas meas perire; sed subinde Amanuensem unum atque alterum mihi adjunxerunt: horum operâ prædictum chaos in ordinem dirigere & certô consiliô è Latina in vulgarem Belgicam linguam transferre aggressus sum, cum non exiguo prioris nitoris & doctrinæ detrimento, prout talia scripta succedunt, quæ mutuatitiis oculis manibusque componuntur. Plantis decem destinavi libros, quorum jam septem ferè absolvi, & (si Deus vitam mihi protraxerit) alios quinque addere animus est de præcipuis *animantibus* tam terrestribus, quàm aquatilibus, cochleis & lithodendris marinis paucisque mineralibus. Habes jam, Vir honoratiss. Rumphium illum Indicum, quantulus

tulus eſt, & quid ſtudiorum ſatagat. Jam Humanitas tua tantopere me obſtrinxit, ut omnibus viribus petitioni tuæ ſatisfacere debeam, ſi tantæ mihi ſupereſſent, quantæ nominis tui ſplendori convenirent. Conabor ſaltem, quantum poſſum. Principio tamen oro, ut me excuſatum habeas, quòd multa & larga de Caryophyllis, eorum ſatione & cultura transſcribere ſuperſedeam, cavente ſic Superiorum interdictô. Paucula hæc ſufficiant. Caryophyllorum arbores propagantur maturo ipſorum fructu, qui non eſt vulgare illud Caryophyllum, in tabernis notum: illud enim rudimentum ſaltem eſt fructuum: *veri* autem *fructus* ſunt *baccæ* triplo & quadruplo majores, quas vulgò vocant *Anthophylla*, intus duriuſculum oſſiculum habentes laurinarum baccarum ſubſtantiâ. Hæ ſub arboribus delapſæ novas arbores proferunt, quæ poſtea effoſſæ pro lubitu transplantantur: ipſa verò Anthophylla ne quidem per octo dies vegeta in ædibus conſervari poſſunt: ſtatim enim exſiccantur, nec unquam germinant: nullâ quoque curâ homines efficere potuerunt extra circulum *Moluccum*, ut arbores hæ creſcerent & fructus ferrent perfectos. Quando baccæ è viridi aut pallido rubeſcere incipiunt, uſibus humanis maturæ cenſentur, nempe ut aroma fiant: tunc demum verò ſuperius capitellum aperiunt, floremque oſtendunt, qui conſtat meris albis ſtaminibus, ut flos ceraſorum: Tunc igitur vindemia illarum inſtat, & quamprimùm colligi debent: Collectæ cratibus imponuntur, & latis Ari foliis tectæ per aliquot dies in fumo macerantur, deinde in Sole exſiccantur, ubi furvum illum colorem acquirunt, quali vulgò cernuntur: baccæ vero in arboribus remanentes (*arbores* enim ſunt quibusvis Lauris celſiores, non frutices) poſt paucas ſeptimanas turgeſcunt atque in Anthophylla abeunt, quæ ad aroma inepta ſunt. Ipſa *Caryophylla* inter ſe paucas habent differentias, & vix notatu dignas: duas ſaltem reliquis rariores nunc transmitto, arculæ his literis adjunctæ incluſas. De primâ ſex tantùm baccas mitto, eas verò rariſſimas, multum à vul-


Caryophylla Regia in Machian Regno olim nata,
jam v. nullibi existentia coloris ruffi.


Caryophylla Regia Amborica
hodie superstitia.
Fig. 10.


Fructus vel Semen Caryophylli
Officinis Antophyllum; inte-
grum et excorticatum.


Agallochum sive Lignum
Aloës, verum.


Fig. 11. p. 57.



Agallochum spurium.




Resina
Dammar
Selan.





Lignum Laccæ.


Cortex Caryophyllodes
Culilattan.


Cortex Oriinius, sive
Massoy.


Resina Amboinca,
sive


Dammar Battu
pellucidum ut Succinum.

à vulgari Caryophyllorum forma recedentes (v. Fig. X.) & in toto terrarum orbe non amplius provenientes. *Caryophylla Regia* vocant; è meris apicibus ferè conſtantia, per quatuor ordines ſive angulos diſpoſitis: ea olim unica in toto orbe arbor, nata in *Machian* (Moluccarum una) & jam dudum periit, nec ei par unquam reſurrexit. Pauculas adhuc baccas de ea ſervo, reliquas magnatibus & amicis communicavi, ut inter Cimelia & rariſſima luxuriantis naturæ exempla reponerentur: alterius ſpeciei plures transmitto baccas, priorum nonnihil æmulas & congeneres, licèt multùm ab illarum figura recedentes & vulgaribus ſimiliores: nihil enim aliud ſunt, quàm vulgaria Caryophylla in aliquot apices diviſa & in mucronem deſinentia. Profert illa unica ſimiliter arbor in hac Inſula nata & adhuc extans. Regia hæc Caryophylla, tam priſtina, quàm nova, nunquam in Anthophylla abeunt, proinde propagari nequeunt. Cæterùm folia ipſorum à vulgaribus non differunt. Hæc de Caryophyllis ſufficiant: reliqua, quæ licita ſunt, mundo pateſcent, ſi, favente Dei auxilio, *Herbarium meum* in lucem prodierit, in cujus ſecundo libro Caryophylla fusè tractantur &c.

[*Ad Excell. Dn. D. Chriſtian. Mentzelium.*]

## *SCHOLIUM.*

DE Caryophyllo aromatico, quod idem ac Nucifolium ſignificat, nomine ipſi rei neutiquam reſpondente, ceu præter Cl. *Caſp. Hofmannum lib. 2. de medic. offic. cap. 53.* obſervat, etiam *Franc. Alexander* in *Apoll. Pharm. rad. 1.* videri, & partim etiam ex hac curioſa Nobil. *D. Autoris* relatione emendari vel confirmari poſſunt inprimis *Carol. Cluſius Exot. lib. 1. cap. 17. Garcias ab Horto Arom. hiſt. lib 1. cap. 21. Chriſtoph. à Coſta Arom. hiſt. cap. 15. Nard. Ant. Recchus hiſt. Mexic. lib. 2. cap. 10.* & *Joh. Neuhofius deſcript. regn. Sinic. cap. 15.* Ipſe fructus aromaticus, immaturus, paſſim culinis etiam noſtris non eſt incognitus, ut ideo mirari liceat *cit. Alexandrum,* longitudinem ferè digitalem ei tribuentem, & *Recchum* capitulum trifidum eidem adſtruentem. Cæterùm

non aliud esse videtur, quàm quod v,g. in Rosa calycem, & quidem speciatim ejus capitulum, tandem fructum Cynosbati nomine ubique notum constituens, vocamus; hujus pars superior in quatuor cuspidulas divisa cum Rosarum illo cortice laciniosо, alabastri nomine noto, convenire videtur; ipse flos summitati huic innascens exteriùs quatuor crassioribus pelliculis involvitur, quæ invicem complicatæ globulum illum efformant, hisque se pandentibus flos demum in conspectum venit, itidem quatuor foliolis ex umbilico sive quadrato alveolo enatis constans, & multis staminulis, antheræ in modum, quasi totidem flosculis, prominulum ex umbilici medio apicem vel clavum ubique cingentibus, consitus. Anthophyllorum autem officulum, vel, si mavis, nucleus, præter carnosam illam exteriorem substantiam, membranulæ etiam tenui includitur, facilè, si fructus aquæ priùs fuerit immaceratus, oculis sese exhibens; cæterùm ipse, adinstar amygdali, duas in partes, inæqualibus tamen lateribus junctas, est divisus, gemmulam intus vel radiculam, germinationis principium, includens; ubi tamen, ceu in aliis etiam, Naturam quoque ludere, nucleus talis in quatuor partes, duabus gemmulis instructas, divisus me edocuit.

Caryophyllus autem regius, vel uti Exc. *D. Paul. Ammanno sect. 3. Manuduct. ad mat. med. cap. 8.* audit, spicatus, ad monstrosorum Vegetabilium ordinem pertinere videtur, nihilque aliud est, quàm Caryophyllus aromaticus vulgaris in plures cuspidulas sensim enatas, sed sphærulâ floriferâ carentes divisus. Unde speciem ejusdem jam interiisse, haud est mirum. Figura *Wormiana* à sculptore non admodum concinnè est elaborata. *D. Autoris* nostri magis arridet; qualem verò mei, quos aliis seminibus diversis ex India allatis permistos, ex Amici dono possideo, faciem ostendant, addita Figura exhibet, cum *D. Autoris* magis conveniens, &, nî fortè pictoris manus magnitudinem inprimis auxerit, minori saltem maturitate & perfectione (licet caryo-



phyllaceo

phyllaceo sapore satis prægnans sit) discrepans. Quæ de floribus reliquarum vulgatiorum caryophylliferarum arborum, rarâ illâ florente, deciduis, ut & ipsarummet versus hanc incurvatione Cl. *Wormio* fuerunt relata, meram fabulam redolere, nemo facilè dubitabit.

[*L. Schröck. L. F.*] Fig. X.

## OBSERVATIO XXII.
## DN. GEORGII EVERHARDI RUMPHII.
*De*
# Corticibus Massoy & Culilavvan: mari Indico noctiluco, & aliis, nomine saltem insignitis.

IN illam plagam, quæ versus ortum nobis propinqua est & *Nova Guinea* appellatur, ejusque occidentalem partem, quæ *Onim* dicitur, quotannis vicini nostri Ceramienses navigant: Corticem quendam aromaticum afferunt *Massoy* dictum, qui in India nostra divenditur, quia incolæ eô tritô & cum aqua in pultem redacto corpus inungunt tempore frigidô aut pluviosô, eximiè enim calefacit, punctiones & tormina ventris sedat, gratæque est fragrantiæ. Indi plerumque alium corticem adjungunt, similiter calidum & aromaticum in his Insulis nascentem & *Culilavvan* vocatum: de utrôque frustulum in arcula invenies, primâque masticatione efficaciam illorum deprehendes, &c. &c.

Honoratis tuis literis inerat libellus de *Magnete luminari*, & aliquot Duerniones, è quibus velut ex ungue Leonem cognoscere potui, quàm vastum & absolutissimum opus futuræ sint Pandectæ Brandenburgicæ, opus, inquam, omnibus eruditis & mihi in *ultima hac barbarie* & in tanta librorum penuria degenti pernecessarium. &c.

De Magnete luminari, magno illo naturæ mysterio, plus admi-

admirationis quàm reſponſionis proferre poſſum. Miror profectò in tam vili Subjecto, *lapide* videlicet *Bononienſi* tam excellentem proprietatem, nempe luminis attractivam reſidere, ſicut me docuit libellus tuus mihi transmiſſus. Nihil tale antehac in Europa, multò minus in India audivi, præterquam quod in quibusdam gemmariis ejusmodi quid olim legerim, ſub nomine (ni fallor) *Opali nigri.* Talem lapillum videtur deſcribere Joh. de Laet *in ſuo tractatu de gemmis lib.1.cap.18.* ſub nomine *oculi mundi,* cui tribuit colorē eburneum, aſſeritq; in aqua limpida poſitum paulatim incandeſcere & debile lumen ſpargere: quamvis in tractatus tui ſectione ſecunda deprehendam eas notas non omninò reſpondere veſtro lucifero magneti &c.

Numero tertio reperies duo fruſta *Pyritæ,* qui undiquequinquangulos habet, ita ut una ſuperficies alii immerſa videatur, in corde alius ſaxi naſcentis: *Androdamanta* Plinii puto eſſe. Javani eum poliunt, annuloque æreo incluſas geſtant ad victoriam in lite. Magnates Indiæ ſatagunt habere *gemmas noctilucas,* eas tamen quærunt in capitibus vetuſtorum ſerpentum & neſcio quorum Draconum & Baſiliſcorum: ego aliquot tales lapillos vidi, & paucos poſſideo, quos omnes ad Plinianos *Dracontias* refero, nullos tamen noctilucos, ſed omnes Alabaſt. itæ, Silici aut Cryſtallo obſcuriori ſimiles, &c.

Occaſione noctilucarum rerum proponere lubet mare noſtrum maximum, quod circumfluit *Bandanas* Inſulas 30. milliaribus verſus ortum diſſitas, illud enim quotannis bis, Junio nempe & Auguſto *noctu* adeò *candeſcit*, ut *nivis inſtar* ſplendeat; interdiu verò conſuetum cum aliis aquis colorem habet: Mare tunc noxio aliquo humore infici argumentô eſt, quod diu infecta pars noctu diſcerni poſſit à non infecta, quæ pro more nigra eſt. Oro igitur Reverend: *veſtrum Collegium,* an non è Chymicis ſecretis hoc declarari poſſit præparando aquam *aliquam noctilucam* è ſulphureo aluminoſo ſpiritu aquæ ſalſæ permixto. Hoc inde conjicio, quia *Inſulæ* ferè omnes circumjacentes ad propinquam usque *Novam Guineam*, tot Vulcanis

Murex, ferens unguem odoratum majorem.

a: Unguis odor:






Pseudo Corallium rubrum fistulosum.




Amaranthus saxeus cum suo annato saxo.


Fig. 12.
Acarbarium anguinum.
Herba sentiens, vivens sive Æschynomene fol. et florib. longis
pediculis unio thyrso insidentibus, Amboinica Rumphij.
Abrus Alpini, sive Vicia, Pisum Americanum, vel ejus
species Amboinica septem siliquis
unio
petiolo adnatis.


Lithodendrum calca=
rium sive Carana
Calx Am=
bonica.


Pedes lapidei
Echinometræ.


Schoenanthus
Ambonicus.



Corallium ni
grum ramosum
et monoclonum




Corall: cinereum
ramos: et monoclon:




Corall: album
littoreum sive Hip=
puris saxea
Corall: album
pelagium.



vulcanis onuſtæ ſunt, aut fodinis Sulphuris ſcatent, ut credam totum hujus maris fundum, Sulphure prægnatum eſſe: *alumen plumoſum* ſemper comitem habet. &c. Jam facilè crediderim circa novilunia menſium prædictorum aluminoſum illud Sulphur vapores quosdam exhalare, qui aquis marinis mixti eas noctu ſplendidas faciant.

Porrò quid in adjuncta Arcula incluſerim, in *Catalogo* deprehendes &c. &c. Quibus Clar: Vir Fautorque mihi ſemper colende abrumpo & te tuosque divinæ protectioni, me verò tuo perſeveranti favori commendatum volo.

[*Dabam in Inſula Ambona ad Caſtellum Victoriæ die 20. Septembr. ſtyli novi Anno 1680.*]

Fig. XI. p. 53.

*SCHOLIUM.*

OB gratam ſui raritatem & ſequentis nomine ſaltem cognitas icones adjungere viſum fuit conſultum. *Herba viva Ambonica*, dicta, quæ prorſus ſingularis, nunquam à noſtratibus fuit viſa, licet à Nob. Breynio variæ ejus ſpecies proponantur. Exemplar illud ex Ambona ad nos miſſum, vivum quaſi, exiccatum licet, tamen perfectum inviolatumque, quod mirum, comparuit, ſicut ejus teſtatur effigies. Cæteris Corallii ſpeciebus jungi meretur Corallium nigrum anguinum Ambonicum, *Acarbarum* ab ejus loci incolis nominatum. Peramœna porrò quædam *piſi Americani* ſpecies oblata fuit, cujus ex Ambona ramus eleganti florum ſuorum colore oculos etiamnum reficit, & ſiliquæ ſponte ſuâ apertæ, ſicut effigies ejus demonſtrat, fructus ſuos coralliformes nigris punctis notatos juxta pediculos tamen firmè adhuc adhærentes præſentant. Cætera nominetenus ſaltem exhibita ceu curioſa Benevolo Lectori denegare non volui

[*Ex literis Excell. Dn. D. Chriſtian. Mentzelii Berlino ad Helianthum datis.*]

Fig. XII.

## OBSERVATIO XXIII.

## D. PAULI AMMANNI.

De

# Bandura Zingalensium.

BAnduram Zingalensium Vir Excellentissimus ex Indiis sic delineatam accepit, cujus iconem amicè Societati Nat. Cur. offert, tanquam naturæ insigne artificium. De eâ in prodromo suo Nobilissimus Jacobus Breynius sequentia profert. Bandura Cingalensium planta mirabilis Zeilanica in foliorum extremo folliculum pyriformem appensum habet, cujus ramum, foliis, folliculis, floribusque condecoratum ab Excellentissimo & Magno illo Botanico, Dn. Hermanno pulchrè siccatum, & ex Zeilan Insula transmissum Domini Commelini Senatoris Amstelodamensis gratiæ debeo: hujus foliorum folliculum appensum vel Thuris limpidi folium à Joh. Bauhino descriptum ipsissimum, vel eidem valde simile est. Planta mirabili sanè adspectu & admodum rara, cujus descriptione & figurâ accuratissimâ Dn. Hermannus procul dubio nos exhilaraturus & donaturus est.

Fig. XIII.

## OBSERVATIO XXIV.

## D. GEORGII FRANCI.

# Convulsiones accuratæ Periodi ex apostemate cervicis.

FIliolus quidam ferè quadrimus XI. Junii cIↄ Iↄc LXXIII. conqueritur de tumore circa colli vertebras, qui indies augebatur, variis cum symptomatibus, calore summo, siti, vigiliis, anorexia, alvi constipatione atque inquietudine, XIII. Junii hora IV. pomeridian. Convulsionibus corri-


1. Plantæ facies recta.
Fig. 13.
Bandura Zingalensium, vel Priapus Vegetabilis Monorchis.
Breyn Prodrom: p. 18.
A
b
B
c
d
d
C
A
A.A. Folium.
b.b.b. nervus in dorso folii excurrens usq; ad c.
c.c.c.c.c. Lingula nervosa vel Elater, in summo apice folii incipiens et dorsum folliculi peniformis excurrens foliumq; cum folliculo jungens.
d.d. Trochlea Elateris, vel Lingulæ duplicata folliculo peniformi incumbens.
B. Folliculus peniformis. C. orchis.


II. Plantæ facies inuersa.
Fig. 13.
A
B
D
D
C
A
c
c
b
b
AA. Folium inversum.
b.b.b. Lingula nervosa,
vel Elater ab apice folii in
folliculum desinens.
c.c. nervus interioris folii et
Lingulæ principium.
B. folliculus peniformis
inversus.
C. orchis.
D.D. cavitas folliculi peniformis.

corripitur; utut generosa adhibuerimus medicamenta; rediere tamen istæ horis VIII. & XII. nocturnis, quartaque matutina (adeò certas servabant Periodos singulis IV. horis) postremæ omnium erant sævissimæ, ut in illa lucta naturæ cum malo disrumperetur sponte sua maturum, & virulentum apostema, è quo fœdissima effluxit sanies. Quo facto statim cessarunt convulsiones, Deoque propitio, cui laudes, puer rectè convaluit hactenus satis vegetus.

## *SCHOLION.*

OBservatio hæc stabilitur ratione & verbis Cl. *Willis de Morbis convulsivis cap. 1. p. m. 12.* ubi convulsionis causam tribuit sanguini, impuritatem aliunde accipienti, inquientis: Ita in magnis viscerum impuritatibus, ac præcipuè cum partes aliquæ abscessu aut ulcere virulento vel fermento noxio afficiuntur, è talibus enim μιασμάτων νοσερῶν mineris particulæ noxiæ in sanguinem ebulliunt, ejusque commeatu postea in cerebrum deponuntur. *Idem ibidem p. m. 11.* scripserat: *Novi quibus à tumore vel ulcere in mesenterio, utero, aliisque visceribus exsistente convulsiones cùm in parte affecta, tum circum circa eam increbescere solebant: cujus ratio non videtur aliunde petenda, quàm à particulis heterogeneis in loco affecto uberiùs congestis, quæq; simul in fibras nerveas per totam viciniam consitas irrepentes, iis motuum convulsivorum, veluti pulveris pyrii igniendi fomitem subpeditant: At vero spasmi ob tales προφάσεις oriundi haut sese solent longè latèque diffundere, neque semper ad caput adscendere.* Qui *ibid. p. 7.* meminit ab ulcere in cujusdam brachio excitato musculi tendinem prorsus nudatum fuisse; qui cum specillo Chirurgico tangeretur, patientem rigore quodam in toto corpore, & concussione illico obortâ, aliquamdiu inhorruisse. Nec admodum abludit πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, Cl. *Sennertus* noster, quando *Prax. l. 1. p. 2. c 11.* docet, ex vulnere capitis fieri convulsiones: ubi præcipuè hanc addit causam: *quia,* inquiens, à *sanie collecta membranæ & nervi vellicantur.* Quod ante V. annos observavi

in ruſtico Rosbacenſi XXVI. annos nato, qui ab amico per imprudentiam in ſiniſtris temporibus ſclopeti globulo vulnerabatur, ubi pars globuli cum aliquot cranii particulis, poſticæ cerebri parti infigebatur: Inde homo XVII. die poſt inflictum vulnus ſpasmo maxillæ inferioris corripiebatur, XIX. vero die convulſionibus obiit; in cujus apertione materia purulenta in loco affecto cum dictis cranii & globuli particulis inveniebatur. Curationem convulſionis ab Apoſtemate proponit *Foreſtus l. X. obſ. 120.* in Schol. hiſce: *Curetur apoſtema, & præ omnibus dolor ſedetur unctionibus, emplaſtris anodynis, & membrum ponendo in oleo tepido communi, vel huic rei apto. Et oportet magnam rationem habere originis nervorum, iisque oppoſitis temperatè calefacientibus & humectantibus, & ægrum in tinam olei communis tepidi immittere poteris, ſi commodum videatur, & febres, ſi adfuerint, admittant &c.*

[*Author.*]

DE morbi cauſa accuratè omnia Oculatiſſimus noſter *Argus*, ſed de periodorum ſtabilitate addendum videtur, Naturæ frequentiſſimum eſſe, morbi modum moresque in quarto prodere. *2. aphor. Hipp. 29.* præſertim in convulſionibus, quod paſſim conſtat, & illuſtri exemplo confirmatur in *Scorzonera mea p. 95.* ſic variolæ, ſic morbilli & petechiæ quarto plerumque prodeunt, & ut breviter totius hiſtoriæ ſumam, præſertim in variolis oſtendam, tribus quatriduis aut 4. triduis plerumq; abſolvitur eorum periodus, in primo maxima humorum malignorum invaleſcit efferveſcentia, & emulſionibus eſt temperanda, in ſecundo puſtularum effloreſcit intumeſcentia, quæ blandis diaphoreticis promovenda, ſuppuraſcentia autem, quæ in tertium quatriduum incidit, Naturæ committenda & providis adſtantibus, ne quid impedimenti Naturæ benè agenti afferatur. Quarto judicantur peracuti, nec quartus eſt index ſeptimi, quod dicti aphoriſmi interpretes quidam cum Galeno autumant, ſed τῶν ἑπτά, ex ſeptem diebus, vel cujuslibet ſeptimanæ quartus (qualis ex mente *Hippocr.* eſt etiam 11. & 17.) mani-

manifestis signis futuram morbi historiam vel longam vel brevem denunciat; Sanguinis stillæ in quarto sunt funestæ, & febres ac vomitus vulneribus capitis in quarto supervenientes; Quarto febris puerperarum lactaria oritur, 4. quaque septimanâ menses prodeunt, quarto menses embryo movetur, quarto trimestri in lucem editur, vel septem quadragenariis i. e. diebus 280. &c. Oculatioribus causam hujus rei intimiùs eruendam propino.

[*Argonauta.*]

## OBSERVATIO XXV.

## D. GEORGII FRANCI.

## Ova Barbi comesta noxia.

ANno cIↃ IↃc LXXVIII. 22. Mart. uxor J. B. L. jam à VI. Mensibus gravida in cœna apud amicum heic in suburbio magna cum aviditate insignem barbum comedit; & præcipuè ova ejus, quæ satis habebat multa. Tribus à cœna horis noctu summa sentit tormina cum ejulatu: adest anxietas præcordiorum, vomitiones cum sudore ferè frigido, copiosæ per alvum dejectiones, utrinque nil nisi biliosæ, amaræ; flavæ viridibus commistæ tenues &c. Calor, sitis, inquietudo, dolor oris ventriculi; pulsus celer & inæqualis debilisque, lipothymiæ: Cumque maritus simul vitæ periculum & fetus abortionem metueret; me noctis meridie vocat. Cumque viderem ἄνω καὶ κάτω satis magnam rejecisse sentinam, exhibeo theriacæ ℨj. Dein pulverem præcipitantem cum opio in aqua lactucæ. Exterius ventriculo imponi curo fomentum quoddam: inde quieti & somno reconciliatur; ac deinceps commodè vixit, sine ullo abortu.

*SCHOLION.*

BArbi piscis (alii vocant barbatulum, barbionem, barbulonem, mystum, mystacatum, Germ. **Barben / Barmen / Bärble**) esum innoxium esse iis, qui integra sanitate fruuntur,

inprimis qui ad intemperiem calidam inclinant, ſcripſit. Cl. *Greg. Horſtius de Sanitate ſtudioſ. tuend. l. 1. p.m. 69.* caro enim ejus eſt candidiſſima, facilis coctionis & diſtributionis, alimentique & ſucci non mali, adſtipulante *Sennerto Inſt. l. IV. p. 1. c. 3. p. m. 786.* Quamvis *Quercetan. in Diæt. Polyhiſt. ſ. 3. c. 7. p. m. 420.* hoc cum grano ſalis accipiendum ſuadeat. Nihilominus ova ejus comeſta modò enarrata ſymptomata produxerunt, quod & jam olim animadverterunt Viri longiſſima experientia & ſagaci ratione præditi, ut *Platina, Antonius Bazius* (ap. *Jonſton. in Thaumatogr. Claſſe IX. c. 3. p. m. 409.* & *Hiſt. Nat. de Piſce l. 3. tit. 1. c. 5.*) & ipſe Illuſtriſſ. *Dn. Præſes FEHRIUS de Abſinthio p. m. 108.* in Caupone quodam, atque alio viro primario. Noxamque hanc notarunt etiam *Geſnerus l. IV. de aquatil. Aldrovandus l. V. de piſcib. c. 16.* atque *Rondeletius* apud optimum ſenem promotorem olim meum *Melch. Sebizium de aliment. l. 3. c. 14. p. m. 993. Greg. Horſt. l. c. Sennert. l. d. Mœbius Inſt. l. IV. p. 2. c. 6. p. m. 503. Bruyerinus de Re cibar. l. 22. c. 18. p. m. 860.* Hinc *Prævotius de Venenis p. m. 799. ſeq.* non veretur cenſui venenorum ſui generis adſcribere; & *Quercetanus* non malè cum Antimonio vitrificato comparat; atque *Libavius Batrachior. l. 2. c. 16. p. m. 372.* dicit, vim venenatam habere. Immo ipſos Barbiones oculis nocere, ex Montano refert *Schonbornius in Manual. med. pract. p. m. 38.* Hanc malignitatem ova præſertim exerunt Menſe Majo teſte *Prævotio, Jonſton. &c. l. c.* Quamvis in præſente noſtro caſu Martio Menſe hoc acciderit, & ap. Celeb. *Dn. Febrium* ipſo ſolſtitio æſtivo contigerit. Cauſam deterioris hujus effectus aliqui tribuunt idioſyncraſiæ, ut *Jonſtonus*; alii nimiæ mordacitati partes irritanti, ut *Prævotius l. d.* Conf. *Goclen. de Prorog. vitæ p. m. 505.* Aliqui credunt, tum eſſe malefica, cùm ſalicum, quæ fluviorum ripas obſident, floribus in aquam decidentibus veſcuntur: Sed *Jonſtonus* rejicit; quia nec ſalicibus nec aliis Barbi partibus ejusmodi vis ineſt. *Oberndorfer de Lue Ungaric. p. 263.* apud *Camerar. C. IX. memorab. part. 9.* non dicit, an à venenata aliqua vi, aut purgatoria violenta,

aut

aut utrâque ex abdita cœcaque virtute accidat. Hoc tamen possum asseverare, differentiam heic deprehendi tum ratione ipsius piscis, ejusque loci natalis; tum fortè & ipsius comedentis. In Patria mea Naumburgi Misniæ ego, parentes, amici aliique plurimi, sine ulla subsequente molestia aut symptomate multoties læti comedimus. Nil interim dabo illi *Thurnheuseri de aqu. miner. l. 4. c. 18.* qui ova illa vino & sale cocta, & zingibere condita pro suavi purgante commendat: de quo lege *Joh. Bauhin. de Fonte mir. l. 2. c. 1. ap. Camerar. l. a.*

[*Author.*]

OVa barbi piscis etiam sani abstersoriâ pollere & purgatrice facultate in confesso est, multo magis exacerbatur in morbido malefica illa vis, & sub cute tumores Steatomati aut meliceridi similes quandoque producit, quod loco à Nobilissimo *Nat. Cur. Argo* adducto notavi Ipse, & iterùm expertus sum in ejusmodi pisce morbido, qui Anno 78. Mense Junio mihi dono datus, à provida autem coqua, quia maligno ejusmodi tumore laboraret, in fimetum projectus, mox ibidem à glocitante gallina frustillatim discerptus pullis obiicitur, avidè devoratur, sed illi numero decem paucarum horarum spatio extincti sunt ad unum omnes, salvâ manente pullastra, quæ dum pullis suis salutem quærit, mortem invenit: Æstus autem erat tum temporis maximus, firmiterque credunt Neptuni asseclæ, barbum in tali squalida tempestate plerunque ægrotare & minùs vescum esse, hieme autem & sub rigidissimo gelu suavissimum & esui commodissimum. Id ipsum scilicet est inter desiderata Medicinæ palmarium & primarium, quod inter alia *Nestor noster Augustanus* ὁ μακαρίτης tam solicitè, seriò ac severè omnibus Medd. commendat sub finem somnii sui Vindiciani Nosologia scilicet plantarum & animalium diætetica, quam non tam Medici, quam Magnates & Respublicæ quædam cum magno suo malo ferè negligunt.

[*Argonauta.*]

OBSER-

# OBSERVATIO XXVI.

## D. GEORGII FRANCI.

## Tria sclopetorum vulnera notabilia.

JOh. Georg. Koch incola Oedingensis (pagus est uno lapide Heidelberga in occasum distans) annorum XXXIV. præter propter in Acie prope Bingen (quam habuit Sereniss. *Dominus Elector Palatinus*, Dominus meus clementissimus, cum *Domino Electore Moguntino, Duce Lotharingiæ* & *Confœderatis*) A. C. cIↄ Iↄc LXV. Septembr. tribus sclopetorum glandibus diversis in corporis locis trajicitur; una ad medium genæ dextræ adeo maxillam superiorem feriebat, ut omnes dentes penè excuteret; & per sinistram buccam transiret: altera dextrum femur petebat, nec unquam extrahi potuit; adhuc dum inibi sine hominis molestia latitans. Tertia per dextram epigastrii partem sub costis spuriis versus ventriculum ingressa est; quæ magnas homini creavit molestias, cum ventris inflatione, vomitu &c. Verùm post Mensem hæc tertia glans, dum alvum exonerare studebat, præsente Chirurgo Nosodochii Electoralis *M. Joh. Phil. Weislero* unà cum excrementis nigricantibus, sanguineis grumosisque, quæ curiosius scrutabatur dictus Chirurgus, fuit excreta: nihilominus Dei clementiâ, & industriâ dicti Chirurgi, satis exercitati, benè convaluit, ut adhuc dum superstes vivat vegetus, jam quinquagenarius, & singulis ferè septimanis Heidelbergam frequentet.

[*Videatur Observatio XX.*]

### *SCHOLIUM.*

CUm ventriculum in hoc Casu vulneratum fuisse, non admodum dubitare liceat, eo ipso vulnera ejus non simpliciter esse letalia, sequitur. Unde (licet *Celsus lib. 5. cap. 26.* vulnera in insanabilia, difficulter curabilia, & quæ sunt promtioris curationis, distinguens, primo ordini ventriculum quo-

que

que inferat, ac *servari non posse, cui ventriculus sit vulneratus*, clarè innuat, pauloque antea prudentis Medici esse dicat, *eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem ejus ut occisi, quem sors ipsius peremit,*) curationem quoque eorum Medico curæ cordique esse debere, elucescit. Hinc magni nominis Medicus, *D. Joh Riolanus* in *epist. ad D. Simonem Paulli* (vid. *hujus* παρερ. *de febb. pag. 122.*) ventriculus vulneratus quòd sanari possit, multoties se vidisse testatur; & aliquot exemplis illustrat *Jo. Georg. Schenckius in suo Observationum libro 3.* Notabilia inprimis sunt bina illa cultrivororum, Borussi & Bohemi, illius historiam *Georg. Lotho*, & *Dan. Beckero* singularibus libellis, hujus *Osv. Crollio præfat. Basilic. chim.* describentibus. Quare plurimi illa tantùm, quæ magna sunt, vel orificium superius attingunt, letalia proclamare maluerunt, eò quòd ibi sanguis confertim erumpens non sisti, nec tantus hiatus, præcipuè ob loci distantis & in cavitate corporis delitescentis incommoditatem, per convenientia remedia consolidari queat: hîc verò nervorum insignis copia, maximam sensibilitatem parti isti concilians, facilè cor & cerebrum in consensum trahat, convulsionesque & dolores exitiales inferat. Quod ultimum uti veritati quammaximè consonum: ita quoque exemplum vulnerati ea in parte, qui evaserit, nullibi reperio; idque etiam *Celsus d. l.* majori probabilitate innuere voluit, dum Stomachi percussionem letalem pronunciaverat, per Stomachum partem illam dubio procul intelligens. Vulnera magna tamen quod attinet, non sine distinctione aliqua admitti potest, ita ut, licèt plerunque talia mortem adferant, si tamen absque magnorum vasorum gravi læsione, & consequenter maxima sanguinis effusione, vix in angustiis illis coercendâ, accidant, æger evadere possit. *Hippocratem* equidem hîc nonnulli in medium adducunt, ac si ventriculi vulnera letalia simpliciter pronunciasset *sect. 6. aph. 81.* cùm tamen vox: διακοπέντι non simplicem aliquam vulnerationem, sed magnam violentiam & discissionem involvere ac denotare, multi jam animadverterint, ipseque *Galenus in Comment.*

*ment.* *Hippocratem* magna vulnera nominare consuevisse διακοπὰς, testetur. Unde etiam idem *Cous lib. 1. de morb.* cùm cerebri, spinalis medullæ, hepatis, septi transversi, vesicæ, venæ multum sanguinis effundentis, & cordis vulnera mortem inferre doceret, voce τρώματος, non eam vehementiam arguentis tantùm usus, ventriculum exclusit, addens: *Ex vulnere autem minimè mori contingit, si his partibus vulnus acceptum non fuerit.* Accedit quòd *Galenus* verbum: *letale*, ab eodem partim de iis proferri interpretetur, qui ex necessitate: sæpe autem de iis, qui magna ex parte sunt morituri. Quo posteriori sensu *Hippocratis* autoritatem salvam esse si velimus, letalitatis judicium ventriculi vulneribus magnis erit adcommodandum, quia priori sensui experientia reclamat, docens, vulnera magna aut curata interdum fuisse, quod in rusticis illis cultrivoris patet, aut saltem non letalia exstitisse; ceu memorabilem historiam in *Diom. Cornarij histor. admir. 9.* legimus de rustici Bohemi ventriculo, venabulo lato vulnerato, quod amplum vulnus nullâ arte consolidari quidem potuit, labiis tamen ejus tractu temporis occallescentibus, atque hiatu pro lubitu ægri instrumento quodam, pannulis laneis &c. obturari solito, per plurimos annos ut superviveret homo ille, concessit; cui homogeneum exemplum, nî idem fuerit, ex *Nicandri Physica* recenset in suo *tract. German.* inscripto: wahrhaffte Lügen / *Georg. Rollenhagius cap. 9.* [*Luc. Schröck. L. Fil.*]

## OBSERVATIO XXVII.

## D. GEORGII FRANCI.

## Cauterii actualis usus in Arthritide.

USum cauteriorum aut fonticulorum in ipso loco affecto arthriticorum profuisse ex *Spigelio de Arthritide* & *Franc. de Pedemonte c. 3.* docet *Glandorp. in Gazophyl. Polyplusc. c. XVI. p. m. 102. seq.* qui inferius *p. m. 117.* ait, *Cratonem* in podagra improbare *Consil. 221.* adprobare autem *Abr.*

*Seiler.*

*Seiler. in Epist. Craton. X.* quocum & ipse *Glandorpius* facit *p. 118.* Nuper usus villosæ, brevique lanugine pubescentis plantæ Japponicæ Moxæ, referente *Hermanno Buschoff*, in Europa, immo nostrâ Germaniâ quoque invaluit; sed iterum fermè evanuit, ob eventum felicem non semper respondentem. Describunt illam & modum inurendæ lanuginis in loco affecto dictus *Buschoff* it. Illustr. *Dn. Eric. Mauritius* Assessor Camer. Imper. splendidissimus *Ephem. Germ. Cur. Ann. VI. obs. 218.* it. Excell. *D. D. Elsholtius ib. obs. 224.* atque Cl. *Bernhard. Wilhelm. Geilfusius Disp. Inaug. de Moxa, Marpurg. 14. Decembr. 1676. habita.* Effectum aliqui specificæ virtuti cuidam antarthriticæ transscribere satagunt: Verùm Nobiliss. *D. D. Heuschius* Sereniss. *Dn. Electoris Palat.* Archiater, olim Auditor, nunc Fautor & Amicus Carissimus, mihi asseveravit, idem Experimentum respondisse eventu optato per lanuginem verbasci in dolente loco accensam. Simile ferme est, quod Nobiliss. *Dn. D. Screta* Medicus Schafhusiensis Clarissimus enarravit mihi ægerrimè tunc decumbenti 1. Jul. 1679. ubi me benevole invisebat; se scil. in dolore dentium acerbissimo ad musculum temporum apposuisse aliquid è minutim carpto fune inflammabili (Germ. **Lunte oder Zündstrick geschabt**) & candela fumante accendisse summo cum ægri levamine. Sic ad curandum Periodicum dentium dolorem, qui præstantissima etiam illudere solet remedia, felici cum successu usus est *Spigelius* Colomachærio *Tab. XII. fig. 1.* descripto, quo candente eam anthelicis partem, quæ superiorem tragi immediatè contingit, incidit, vulnusque deinde iterum consolidavit, referente *Ch. Constant. Rompsio, ad Schmiz. Comp. Pract. p. m. 84.* Adeo aptissimè in aphorismis *Hippocraticis* παρεμβεβλημένοις VI. dicitur ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται: ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται: ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα. Nec usus cauterii actualis in podagra adeo novus, cum jam ante plures annos hoc docuerit Medicus Gallus, *Claude Dariot en discours de la Goutte p. m. 44. Edit Lyon 1603. in 4.* his verbis: Ceste ouuerture se peut faire


au dessus ou au dessous de la partie malade, ou bien sour le lieu mesme & a l'endroit ou est le mal: ce qui se peut faire avec le fer per incision, ou par le feu actuel diversement applicque. Car on brusle la chair ou la peau avec des cauteres faicts de fer, d'or, d'argent, ou de cujure eschaufez, ou avec certaines racines allumees, comme les amiens faisogent avec alle de strutium ou aristoloche, ou avec de crottes de chieux allumees, & de la laine trempee en l'hayle, comme raporte Aëce de Archigenes: ou par le feu potential en trois sorte: Car l'un escorche seulement la peau par dessus, l'autre fait de vessies, & le troisiesme la brusle & perce jusques a la chair, & faict crouste ou escharre &c. Adeoque rectè docuit *M. Aurel. Severinus de Effic. Medic. p. m. 78.* quod ignis sit remedium omnibus doloribus. Quod tamen non nisi prudenti manui committendum.

## OBSERVATIO XXVIII.
## D. GEORGII FRANCI.
## Aparine lævis fasciata.

PLantis utut rectè denegetur sexus (differentia etenim levis & ex accidenti non ideo novum constituit sexum) ab *Helmont. in Pharmacopolio ac Dispensatorio moderno* §. 4. *Joh. Sperling Inst. Phys. l. 7. c. 3. Henr. Meibomio coroll. 17. ad Disp. de incubatione in fanis Deorum Medicinæ causa olim facta,* atque *Christiano Langio in Miscell. Curios. Med. n. 27. per tot.* nihilominus monstra in iis deprehenduntur varia; quæ descripsere Celeb. *D. D. Major,* aliique Viri doctissimi. Placet unam meminisse, quam offendimus Mens. Martio cIↄ Iↄc LXXVII. & depingendam tradidimus *D. Joh. Georg. Wagnero* pictori celebri, cujus icon hæc est, quæ adjacet. Est autem Aparinæ lævis fasciatæ exemplar una cum radicula & foliis atque caulibus in scapum vermiformem vel potius Erucæ similem confasciatis.


Fig. 14.
p. 69.
Aparine læuis fasciata.


Num. 2.
Num. 1.
Num. 3.
Fig. 17.
p. 77.


phiala.
Fig. 18. p. 81.
Fig. 16.
p. 77.
nocturnus status ☿ii.
levissimus de nocte
æquilibrium.
diurnus
graviss. de die
Elasmea



faſciatis; uti accuratè cognoſcitur ex icone. Illam invenimus ante ſuburbium in horto Excell. *D. D. Joh. à Leuneſchlos Phil. & Med. D. Matheſ. & Phyſic. P. P.* Celeberr. & Academiæ noſtræ Senioris Amici atque Collegæ longè cariſſimi. Alias plantas faſciatas habemus *Ann. VII. harum Ephem. Germ. curioſ. obſ. 239.* item apud Celeberr. *Borrich. in Actis Hafn. Tom. 1. obſ. 63. & Tom. 2. obſ. 59. p. m. 162.* Cæterum de ipſa Aparine vulgari poſſunt evolvi *Dioſc. l. 3. c. 104.* citant. *Lexicon. Græc. Latin. Baſil.* verum *in Edit. Lugdun. 1547.* eſt. *l. 3. c. 86. Theophraſt. Hiſt. Plant. VII. c. 14. & ad h. l. Joh. Bodæus à Stapel p. m. 883. ſeqq.* Vir eruditiſſimus item *C. Bauhin in Pinac. l. IX. ſ. 1. p. m. 334.*

Fig. XIV.

## OBSERVATIO XXIX.
## D. GEORGII FRANCI.
# Vulneri ſupervenientes Convulſiones non lethales.

DIxit equidem Artis noſtræ Atlas maximus, *Cous V. aph. 2.* ἐπὶ τραύματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος θανάσιμον. Verùm non adeo juremus in magiſtri verba, uti quidem videri poſſit doctiſſimus *Bernh. Langvvedelius in Hipp. defenſione:* nec adeo illum rejicimus, uti Cl. *Georg. Fridericus Laurentius in Exercit.* (quorſum enim iſta litigia & ſcommata?) ſed credimus, ſapientiſſimum ſenem locutum ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖςον: nulla enim ſine exceptione regula. *Joh. Valent. Eblin* Ann. XXII. von Weſthoffen in Palat. inferior. cIↄ Iↄc LXXV. ipſa æſtate, (dum inter Imperium Germ. & Gallicum gliſcebat Bellum) à Gallo quodam perfido, cui hodogetæ officium præbebat, fraudulenter minoris ſclopeti globulo pone tempora dextra tribus transverſis digitis ſupra aurem trajicitur, ut octo vel decem oſſicula fracta inde fuerint exemta à perito noſtro Chirurgo *M. J. P. Weislero.* Homo accepta plaga ab equo ce-

cidit, pro mortuo spoliatus relinquebatur ab interfectore. Verùm semi-animis dein inventus, refectus atque (quæ Dei singularis fuit Clementia) curatus fuit feliciter à laudato Chirurgo, cui præerat Nobiliss. *D. D. Steigerus Med. Ord. Elect. Nosodoch. & Poliater Heidelberg.* Amicus suavissimus: utut æger magnas easque repetitas passus fuerit convulsiones, cum aphonia VIII. dierum, & notabili deperditione ipsius substantiæ cerebri; adeo ut ex eodem extraxerit reliquias globuli cum adhærente theca papyracea (von der Patrone) Chirurgus noster. Homo vivit adhuc cætera sanus; nisi quod à potu generosiore citius ac alii deliret, ac ebrius reddatur.

## *SCHOLIUM.*

## De Vulneri superveniente Convulsione non letali.

Similia vulnerati cerebri cum particulæ ejusdem deperditione & convulsione exempla, præter aliorum à *Schenckio lib. 1. observ. med.* citatorum, etiam habent *Sachsius noster Ephem. N. C. Ann. II. obs. 119. Timæus lib. 6. cas. med. 37.* & *Cabrolius obs. 16.* Hinc, si *Hippocratem* salvum velimus, idem quod paulò supra ex *Galeno* notatum fuit, hîc repetere tenemur, ipsum nempe *sect. 6. aph. 18.* vulnerum letalitatem non solùm de iis prædicare, quæ necessariò, suapte naturâ, & semper, sed etiam quæ magna ex parte letalia sunt; idque de cerebri vulneribus, *lib. 1. de morb.* inter letalia primo loco positis, non obscurè edixit *Coac. prænot. 509.* ἀποθνήσκουσι δὲ μάλιστα &c. *ex vulnere ferè mors contingit, si cui vulneratum fuerit cerebrum*, vertente sic *Foësio*, & clariùs *Prorrhet. 2.* inter τρώματα θανατωδέστερα, *quæ magis letalia sunt*, sive, uti *idem Foësius* interpretatur, *ferè mortem adferunt*, illa quoque recenset, quæ cerebrum læserunt, addens: *quæ sanè magnam quidem perniciem afferunt, non eam tamen, ut (quod quidam existimant,) nemo ex his servari possit.* Id quod etiam de convulsione vulneribus superveniente *Galenus comm. sect. 5. aph. 2.* edixerat, τὸ θανάσιμον idem esse scribens ac *periculosum*, ita ut convulsio ista ad mortem sæpius terminetur, non tanquam ex ne-

cessitate


Fig. 15.
Musca culiciformis alba
Mensis Augusti per microscopium vicies major depicta.
Musca culiciformis alba Mensis Augusti naturalis magnitud.
Musca grylliformis.
Ut musca major cœrulea termites suos in carnem ponit.

cessitate ac semper mortem adferens, sed tanquam admodum crebrò.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XXX.

## D. CHRISTIANI MENZELII.

## &

## D. JOHANNIS ABRAHAMI IHLE.

*De*

# Muscis quibusdam Culiciformibus, pediculosis, grylliformibus & aliis.

INsectorum omnium Musca notissima est, æstate & homines & bestias infestans. Animalculum salax, impudicum, nocivum, carnibus plurimùm vivens & ex iis veluti ortum & enascens. Earum permulta sunt genera, adeò ut de illis integer tractatulus facilè construi possit. Nam ut de cæteris nihil addam, observatu dignum videtur, quod Clariss. & Doctiss. Vir, Johannes Abrahamus Ihle Lipsiensis, singulari studio in minutissimis ejusmodi animalculis exercitatus & peritus, paullò ante proximam pestem Lipsiæ & in vicino tractu, Mense Augusto de quibusdam muscis culiciformibus (ita à forma eas appellare liceat) ad me missis annotavit. Eas Clar. Vir à dicto Mense Augst-fliegen nominabat. Erant illæ unciam nondum dimidiam longæ, sex pedibus, quatuor alis duobus longis instar pilorum caudæ appendicibus præditæ, totæ cum alis suis albæ, ut Figura earum & naturalis & per microscopeium vicies auctæ magnitudinis depicta & transmissa ostendit. Hæ prædicto mense laudatam Urbem & totos circa eam ad Albim usque tractus incredibili & ad stuporem hominum anxiorum (unde præfatus Vir, Dn. Ihle, eas Angstfliegen pro Augstfliegen vocandas censebat) multitudine non sine malo subsequentis pestiferæ luis omine occuparunt. Quemadmodum

modum ante hunc 1682. annum tempore æſtivo circa Francofurtum ad Viadrum & in vicinia Neomarchiæ, Croſnæ & Züllich locuſtæ majores tantâ agros infeſtarunt copiâ, ut, cùm legionum multarum ordine (quibus ſingulis dux præfuit) per aërem volarent, nubium inſtar interdiu tenebras aliquo modô induxerint: cùm ſe in terram demitterent, paſcua herbis, agrosque frumentis penitùs ſpoliarint: cùm initio ex terra progenerentur & ope æſtatis ſicciſſimæ ad Cometam iſtum horrendum non procul à noſtro orbe terreno ruentem, inque caput Andromedæ & paullò ulterius ſe abscondentem, ſubſecutæ, ex ovis ſuis excluſæ, altitudine ferè unius ulnæ (quod fidem ſuperare videtur, niſi oculati teſtes fideq; digniſſimi id experti enunciaſſent) coacervatim & cumulatim in viis jacerent bigis quibusvis difficilé dederint progreſſum & vix non denegarint. Talia fortuitò licet, non tamen absque fato & malo plurimùm omine accidunt, ſicuti præfatæ culiciformes muſcæ peſtem portenderunt. Sunt autem harum muſcarum quædam ſpecies mihi obſervatæ. Nam hic ſub altitudine 52. gradûs, menſibus Martii & Aprilis, ingruente calidâ tempeſtate, ventis nempe ex meridie ſpirantibus, ſubitò harum quoddam genus minutum, culicum inſtar, ex aquis erumpit, & mirâ agilitate aërem confertim implet vixque per biduum aut triduum viventes iterum hæ muſcæ emoriuntur & in aquas decidunt. Eſt earum & tertium genus præcedentibus bis vel ter majus, quod Menſibus Junio & Julio ex aquis prorepit & circa eas maximâ copiâ aërem volitando implet. Hoc inſectum lupuli recentis odorem exactè ſpirat. Imbecille hoc inſectum nulli animalium nocivum eſt. Uterque ſexus coit in aëre inter volandum, ſolôque vivit aëre: & cùm per ſeptimanam ſolum vitæ curſum in aëre vitali peregit, naturæque debitum, emiſſo in aquas ſpermate, ſolvit, elanguidum cadit iterum in aquas, piſciumque fit eſca. Talis enim harum muſcarum generatio eſt. Cùm ſemen ſuum, ſive ovula in flumen depoſuerunt, generantur ex iis calore ſolis vermiculi, pedibus tamen aliquot præditi, quò in fundo

fundo aquarum hærere atque ex luto alimentum ſuum per hyemem capere poſſit, donec redeunte ſtatô anni tempore, Sol vermiculos hoſce calore ſuo ex aquis eliciat: ſic egreſſi ex aquis & aëri calido expoſiti poſt moram aliquam deponunt ſuas exuvias, ita ut ex tergo vermiculi disrupto Muſca hæc culiciformis foràs prorepat utriusque ſexûs, quæ in aêre, ut dictum, ludicro volatu quidquid ad ejus vitæ curſum ſpectat, peragit. Ad harum muſcarum exemplum omnia ferè inſecta ſuas per eorum vitam metamorphoſes patiuntur. Excluſa enim calore Solis ex ovulis ſuis fiunt vermiculi, erucula, vel cum pedibus, vel ſerpentum more absque illis. Ex eruculis fiunt chryſalides, pupulæ &c. & ex his muſca, cantharis vel ſimile quid. At muſca domeſtica, ædium incola, viviparum eſt inſectum, rarò oviparum. Nam poſtquam coitu concepit, termites ſuos in ventre, qui eis loco uteri eſt, contentos in carnes maximè recentes ponit: hi carnem exedentes, adulti jam, mutantur in chryſalides, ſive pupulas vel (quod muſcis proprium eſt) in bacillos, ſive cruſtaceum quid, bacillis, feſtucisve ſimile: ex his iterum ſuo erumpunt tempore muſcæ. Hæ domeſticæ proboſcidibus, quibus ſuccos quosvis exſugunt, ſunt armatæ. Ex harum genere unica ſaltem ante annum volatu in me incidit, quæ capta poſteriores duos pedes grylli inſtar longos & robuſtiores habuit, ſaltavitque ut locuſta, unde ei nomen grylliformis impoſui. Vide Figuram. Domeſticam quoque muſcam pediculis inſtar ſcarabæi ſtercorei ſcatentem Lipſiâ tranſmiſit prædictus Vir Cl. Joh. Abrah. Ihle, unde pediculoſam licuit appellare. Sunt domeſticæ aliæ à ſe invicem differentes; Quædam majores, quæ volatu ſuô bombos, ſuſurrosve excitant & ventre ſuo quid cærulei ſplendidi referunt. Hæ carnes mactatas per ſatis longa ſpatia tanquam olfacientes vel in abditiſſimis locis reconditas inſectantur, in eum ſaltem finem, ut ad ſuæ ſpeciei generationem termites ſuos in eas deponant. Harum una obtigit mihi in fruſtulo carnis ſedens & termites ſuos in eo ponens, quod ubi ob exiguitatem æſtate eſſet

exſiccatum & ita Muſcæ uterus in carne occluſus teneretur, miſera parturiens capta ſic pœnam luit partu ſuo. Vide figuram, poſitum parturientis præſentantem. Sunt & aliæ majores domeſticæ, cinerei coloris, oculis rubris, nullum ſtrepitum inter volandum edentes, nec carnes infeſtantes, ſed acidos ſuccos appetentes. His perſimiles ſunt omnium ferè minimæ, quæ ex aceto quovis in vitro hôc liquore ſemipleno, quò aër clauſus vitalitatem præſtare poſſit, generantur, & quidem ex vermiculis iſtis anguiformibus, qui aliquando absque ope microſcopii in aceto conſpiciuntur. Nam egreſſi ex aceto ad latera vitri in pupulas transformati & ex his in muſculas iſtas degenerati à me obſervati ſunt. Domeſticæ quandoque fiunt ſylveſtres, quæ cum pecoribus in civitates pagosve tranſeunt & loco proboscidum aculeis armantur, quibus humanos pedes manusque acriter ſolent pungere. Sunt & muſcæ domeſticis perſimiles, niſi quod aureo ſplendido, viridi, cæruleo colore incruſtentur, & avidè humana appetant ſtercora. Alterius formæ ſunt, quæ bovina inſequuntur excrementa, & alterius, quæ canes infeſtant. Sed de raris ſufficiat hæc enumeraſſe muſcis &c.

## SCHOLIUM.

Si non eædem fuerint, ſaltem haud admodum diverſæ, quas circa fluvium Moſam quotannis ſemel produci ſolitas deſcribit *Zodiacus Medic. Gall. Ann. 2. Menſ. Sept. obſ. 3.*

[*Luc. Schröck. L. Fil.*] Fig. XV. p. 71.

## OBSERVATIO XXXI.
## D. CHRISTIANI MENZELII.
# Secundina in utero retenta.

Anno 1667. Fürſtenwaldiæ ædes locâram paternas cuidam Bibliopego, cui nomen *Michael Koch*: ejus uxor 30. annorum, nomine *Anna Schachin Züllichia* oriunda peperit filium, ſed mortuum. Provida obſtetrix cùm ſentiret ſecundinas, quas avellere non poterat, utero eſſe accretas, umbilici partem ex utero propendentem filo robu-

ſtiore

ſtiore confirmatam femori alligavit, ut eô indies ſecundinarum ſolutionem citra detrimentum uxoris tentare poſſet. At fruſtrà hoc genus remedii adhibitum fuit: etenim pars umbilici extra uterum citò putredine abſumebatur, ſecundinâ in utero firmiter remanente. Cùm autem mulieri propterea nullum gravius ſymptoma accideret, & medicamentis averſaretur, nulla ei fuerunt adhibita remedia, obiitque mulier ſua munera in ædibus ſana per annum integrum cum dimidio, quô transactô tempore ſecundinam aridæ inſtar pellis ſpontè excidiſſe eadem juratò affirmabat. Concipere verò non poterat per id tempus, quô ſecundina in utero hæſit. Alterâ vice imprægnatæ mulieri eadem acciderunt, quæ jam de ipſius partu & ſecundina per unum & dimidium annum in utero retenta enumerata ſunt. Tertiâ autem vice cùm in partu ipſi ſimiliter non poſſent ab utero ſolvi ſecundinæ, mulier cum infante ſuo in ipſo partu mortua eſt. Rarus mihi hic caſus videtur, & notatu dignus, cui fidem vix adhibuiſſem, niſi meâ is conſtaret experientiâ & conjuges prædictos ipſe in ædibus aluiſſem. Docemur hôc caſu, noſtri eſſe officii, jubere, Obſtetrices in ſimilibus caſibus, ubi ſecundinæ ſponte non excidunt, nec facilè ab utero ſeparantur, ut eas ab utero vi ſummâ minimè diſſolvant, aut accretas ſuis unguiculis ad id opus acuminatis felium inſtar ſcalpendo dilacerent & ſic violentiâ quâdam eas extrahendo præſentaneam mortem accelerent, quòd equidem ſæpiùs à me & ab aliis in Praxi Medica obſervatum eſt.

## *SCHOLIUM.*

QUamvis ſecundinæ retentæ magnum ut plurimum minentur periculum, aut ipſam etiam mortem accelerent, nonnunquam tamen abſque ſingulari incommodo easdem in utero diu reſtitare, novimus. Id verò perrarum eſt; qualia præter hîc allatum rariſſimum, exempla tum in *Ann. III. Ephem. N. C. obſ. 117.* tum in *Actis Medd. Hafn. Barth. Vol. 2. obſ. 22.* apud *Theod. Kerckringium obſ. anat. 30.* & *Laz. Riverium cent. 2. obſerv. 3.* occur-

occurrunt. Idque fortaſſis accidit, corpore illo arctiùs utero etiam poſt partum adhærente, eique per humoris ex utero in illud inſtillantis glutinoſitatem quaſi adcreto, humidis autem ſecundinæ particulis ſenſim dein evacuatis aut evaporantibus; vel etiam uteri oſculo poſt partum arctiùs occluſo aëris corruptionem minantis, adpulſum inhibente. Quâ ratione autem tardior illa poſt partum ſecundinarum ab utero ſeparatio providè ſit promovenda, (ne, quod *Hippocrates lib. de ſuperfœtat.* habet, violenter detractæ inflammationem excitent) præ aliis eleganter edocuit *Franc. Mauriceau de Morb. mul. lib. 2. cap. 9. & 13.*

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XXXII.
## D. CHRISTIANI MENZELII.
# Calculus in Cerebro Damæ.

EXhibuit mihi Vir arte Pharmaceuticâ præſtantiſſimus, *Dn. Johannes Heinricus Tonnenbinderus* calculum in cerebro Damæ repertum, quem ante 6. vel 7. annos ex Ungaria miſerat Berolinum Vir Clariſſ. *D. David Spielenberg*, Ungarus, Phil. & Med. Doctor. Calculus hic, quem præfatus *Dn. Tonnenbinderus* adhuc poſſidet, fabam majorem craſſitie, magnitudine & figurâ fermè refert. Totus ille candicat & tenui cuticulâ eſt inveſtitus, alterâ extremitate parùm aſper, parvis nempe tuberculis obſitus: intùs ſubſtantia penitùs eſt alba inſtar cretæ aut gypſi, cujus naturam habere videtur: cæterùm calculô quôvis levior, nec pondus unius drachmæ ſuperans. Vero igitur ſimile eſt, Damam illam fuiſſe enutritam herbis in ſcopulis calceis gypſeisve naſcentibus, unde levior gypſea ſubſtantiæ pars cum ſangvine & humoribus nutrientibus ad cerebrum delata & in aliqua particula menyngis collecta vel in calculum coagulata fuit, vel cum inflammatione

tione quadam ulcuſculum tunicâ quadam ſeptum effecit, quod temporis ſucceſſu in tophaceam gypſeamve materiam ſeceſſit &c. Fig. XVI. vid. p. 58.

## SCHOLIUM.

TAles quoque calculi ſive colliquamenta quaſi cretacea nonnunquam in rupicaprarum ventriculo reperiuntur, ſi venatoribus, illiſve, qui ægagropilas ad nos quandoque adferre ſolent, Alpium incolis, eosdem vel majori, vel ſaltem non minori virtute, quàm dicti globuli, pollere perſuaſis, fides eſt adhibenda, qua de tamen ut dubitemus, cauſam ſufficientem non habemus. Ejusmodi lapillum (Num. 1.) ex Amici dono poſſideo, oblongum, & utroque latere depreſſum, colore albicantem, intus verò omnino candidum, & quaſi ex fecula aliqua compactum, granorum xxij. pondus exhibentem; qui, ſi fucus non latuerit, haud aliud quàm chyloſa aliqua craſſior maſſa dicenda erit, à ſuperfluo humore expreſſione per linteum, cujus veſtigia ſuperficies utraque ſtriata exhibet, ſeparata, cæterùm quæ parum virtutis eximiæ promittere Medicis queat, ſapore utpote nullo notabili, niſi propemodum farinaceo, prædita.

Calculum etiam ex omento rupicapræ durum, & quodammodo oſſeum delineat beat. noſter *Welſchius diſſ. 2. de ægagropil.* deſcribitque *pag. 12* Alios duos meas inter reculas curioſas ſervo, ex omento itidem rupicapræ exciſos; unum rotundum, pellucidum, glabrum, flavedine paululùm tinctum, grana tria pondere parùm ſuperantem, ſolidum & humorem oculi cryſtallinum ferè repræſentantem (Num. 2.) alterum itidem rotundum, ejusdem cum præcedente coloris, non ejusdem tamen pelluciditatis, ex laminulis laxiùs cohærentibus compoſitum, & undecim grana ponderantem; eoque ipſo ſeri quoddam ſtagnantis coagulum generationis cauſam evincunt. (Num. 3.) Quos calculos cælo expreſſos ſubjungere Menzeliano libuit.

[*Luc. Schröck. L. F.*] Fig. XVII. vid. p. 59.

## OBSERVATIO XXXIII.
## D. SALOMONIS REISELII.
# Motor perpetuus diurnus.

SI in tam parvis, tam nullis insectorum corpusculis quæ ratio, quanta vis, quàm inexplicabilis perfectio, cum *Plinio* mirari cogimur; meritò circa immania Elephantorum, balænarum, serpentum corpora stupemus; in ingentissimis verò cœlorum orbibus & lucidis astrorum mundis attoniti planè hæremus, rapti extra nos cum eorum rapidissimo illo, tam constanti totque sæcula perpetuato motu. Quem idcirco plurimi artificioso imitamine assequi sudarunt. *Archimedis* sphæræ vitreæ, cum *Jovis* in fragili luditur orbe labor, primam gloriam *Claudianus*, æreæ *Lactantius Firmianus* tribuit. Hinc *Cornelius Drebbelius* ad Naturæ genium & principia motum universi inclusit vitro, quem Londini se vidisse gloriatur *Joh. Ernestus Burggravius in Præf. ad Libell.* ipsius *de Elementis.* Quid alii vel effecerint, vel tentarint, *Casp. Schottus Techn. Curiosæ l. 10. c. 2.* compilavit & delineavit, ubi & *D. Becheri* Physico-Mathematicus motus perpetuus & annuum horologium animandum laudatur per aquam pluvialem, ut conjicit dictus Schottus, quod verò mihi ipse præsens Inventor negavit. Interim ne & ego otiosus essem ex lege & Symbolo Academiæ nostræ, quæ *nunquam otiosos* vult esse socios suos, sed doliolum meum verterem, illum *Naturæ motorem perpetuum diurnum* experimento quodam simplicissimo *Thermoscopii mercurialis librati* ostendere meditatus sum.

*Thermoscopium* seu Thermometrum quid sit, abundè notum est. Varias ejus fabricas docent Itali, Galli, Angli, Germani; nemo tamen ejus certitudinem adhuc emensus est, aut perfectionis regulas notavit etiam in subtilissimis artificiis, inter quæ Nobiliss. *Otto Gerricke* suum inventum vocat *Mobile perpetuum*, aliudque habet Barometrum, quod *sempervivum* seu Mobile

Mobile perpetuum appellari posse dicit, non tamen perpetuò moveri asserit, sed solùm ad mutationem auræ in tota longè latèque circumfusa regione. Ego tamen jurarem Jovem lapidem, monstrari quoque hîc posse ut alia Naturæ secreta, ita & *motum perpetuum*, si certo modo construeretur machina Thermoscopii. Siquidem cùm Natura nunquam otiosa sit & quiescat, atmosphæra indesinenti fluxu corporum circuletur, hinc aëris quoque variatio, frigorisque & caloris mutatio ne momento quidem cesset, adeoque nec thermometri actio & motus: Ergo si conficiatur vitrum ex maximo globo tenuissimi colli seu recti seu reflexi; ad oculum patebit illius perpetua variatio ascensu descensuque liquidi, vel ad minimam aërii alterationem facta. Clariùs verò & efficacius per diurni spatii intervalla, per frigus noctis & diei calorem, tam hieme, quàm æstate ostendet sub aëre libero *vivus mercurius*, qui impleat vas cylindricum seu oblongum æqualiter latum, cui phiala (seu globus in collum longum extenuatus) vitrea, terrea aut metallica ita insistat aut impendeat liberè, ut vel vas firmum stet & phiala *libræ* brachio uni appensa libretur, vel (quod melius) phialâ alibi firmatâ, vasculum eidem brachio libræ affixum libretur, eâ tamen utrinque conditione, ut phialæ colli extremitas semper tangat Mercurium, nunquam verò fundum vasis subjecti, nisi terminum petitum attigerit priùs alterum brachium, cui antisacoma seu contra pondus Mercurio ferè æquiponderans debet appendi, vel clasma quoddam seu lamina impulsoria eine Druck/oder Schlagfeder/ ejusdem gravatoriæ virtutis contra niti. Quo modo Mercurius pro ratione rarefacti vel condensati aëris in globo contenti vel suspenditur & attrahitur eo adscendit in collum de nocte, vel demittitur & pellitur in subjectum vasculum de die, minuitur adeoque vel crescit pondere, & accedit statui levissimo vel gravissimo tam in phiala quàm in vase. Hoc autem crescente vel diminuto, quod pro magnitudine libræ ad uncias librasque multas potest variari, necessariò brachium

primum

primum & alterum ſimul tantas vires accipiet, ut vel pondus in altero brachio oppoſitum aliquod ſatis grande, ſed proportionatum ſuſpendendo vel demittendo trahat, vel elasma quoddam premat aut elevet, & conſequenter machinulam aliam, vel rotulam vel clepſydram, vel horologium ipſum applicatum, alioque motu ruens de die & nocte bis vel ad minimum ſemel animet, quia nocte quavis propter frigus condenſans adſcendit Mercurius, die quavis propter calorem rarefacientem & prementem deſcendit: nox verò quævis ſeu hieme ſeu æſtate frigidior ſit diei calore aut tepore, idque perpetuò. *Perpetuus* itaque erit, quamdiu nox & dies, calor & frigus erunt perpetui: Perpetuus, quod Mercurius ipſe neque calore ſolis, neque frigore hiberno exhalet aut denſetur ſic ſenſibiliter, ut pondus aut vires experimento aliquo perdidiſſe obſervatus ſit: Perpetuus naturæ liberæ bonitate atque ingenii firmitudine, niſi accedat violenta manus, & ſi fortasſis de pondere aliquid detraxerit cœli ardentis inclementia, facilè reparabilis: ſed *diurnus*, quia diurno quolibet ſpatio horarum 12. aut 24. vel ſemel vel bis æquilibrium transgrediendo ſupra vel infra movet automa ob rationes paulò allatas.

*Rationes* iſtius conſtantiſſimi motus alii ex vacui fuga deducunt, alii Ætheris pulſui & circulationi, alii aëris condenſationi & rarefactioni, alii aëris elateri adſcribunt, alii ignis virtutibus. Quos verò omnes conciliare cùm arduum ſit opus, meosque humeros exſuperans, auderem tamen totam operationem thermoſcopii & motus in eo perpetui, *ignearum particularum* vitri poros penetrantium viribus, ab iisque *rarefacto & condenſato aëri*, dein *gravitanti Mercurio* vel liquori, itemque *continuum* amantibus elementis & elementatis adſignare, ita ut non opus ſit ad alia nova principia accurrere. Ineſſe enim ignem omnibus mixtis quis negabit, niſi qui ipſum hoc Elementum? Ineſſe manui, quæ tangit vitrum, cum liquidum deſcendet rarefacto intus aëre per immiſſas ſeu transmisſas veriùs rarefacientes particulas quis non videt, cùm ab igne ipſo

ipso seu lucido seu latente idem effectus oriatur? Rarescere ab igne admoto porosque penetrante & immixto liquidum omne & aërem, adeoque postulare amplius spatium, nisi quis in vitro concedat, in vesica suilla facilè deprehendet, ubi à paucis intus guttis calefactis inflatam viderit? Condensari contra, in se cedere & minus spatium poscere refrigeratum aërem, evolantibus igneis minimis, & liquido in locum sequente seu vacui fugâ, seu contigui amore, seu alia vi, quis fidem denegabit affirmanti & in vitro verum ostendenti? Gravitare aquam, oleum & omnia liquida, Mercurium verò maximè, id est, ad centrum seu terræ seu universi sponte naturæ vel secundum Recentiores ætheris impulsu inclinare, & quietem quærere, evincunt experimenta ubivis obvia, totque fluviorum sæpè inundantium & gravitate suâ prementium pericula. Cum verò eam gravitatem vasi vitreo indita ad nutum ignearum molecularum ita facile mutent, ut ejus quasi oblita esse videantur, crediderim, latere adhuc aliam vim, qua sequantur vel trahantur corpora, illamque esse *contigui amorem & necessitatem*, simul & *ordinem corporum* ab initiis rerum destinatum, quo infima mediis, media supremis nectuntur, quo levia superius, gravia inferius disponuntur tam firmâ & æterna lege, ut seu vacui seu dissolutionis metu rumpantur potius continentia, ut gravia potius adscendant, levia descendant. Evidentius monstrabit processum figura machinulæ apposita, cujus vel ponderi vel clasmati artifex pro desiderio applicabit horologia sua vel automata alia.

Fig. XVIII. vid. p. 69.

### *SCHOLIUM.*

## Impedimenta occurrunt aliqua in Praxi.

1. Contiguitas Mercurii in utroque vase cohærentis, multum detrahit ponderi.
2. Aqueæ minimæ aëri mistæ collectæ in globo in guttulas

tulas & distillantes super Mercurii superficiem, atque in frigore congelatæ impediunt adscensum descensumque Mercurii, ut sit metus, ne vitrum diffringatur.

3. Impuritas Mercurii aut alteratio ab aëre ambiente cuticulam facit, quæ adhæret lateribus vitri, unde fortè diminui pondere tandem credendum.

## Quibus remedia quærenda.

1. Quomodo ponderi seu gravitationi à Mercurii contiguitate impedita occurratur, nondum mihi certò constat, quamvis per colli in phiala flexuras duas, in quibus Mercurius delabens impetum quendam accipit, eoque pondus vel auget vel minuit, id non infeliciter tentaverim. Quod verò relinquendum posteriori meditationi, & tempori.

2. Aquæ & aëreæ ipsæ particulæ in phiala removebuntur, si inversa tota impleatur Mercurio, ut aër extrudatur omnis, velut in evacuato globo per siphonem fit, obturataque digito & iterum erecta in Mercurium inferioris vasis demergatur, quem modum *Schottus Techn. Cur. l. 3. c. 1. §. 2.* describit de Tubo Torricelliano agens.

3. Cuticulæ seu impuritati Mercurii obviam ibit depuratio vel per expressionem in corio, vel coctionem in aceto, vel destillationem, vel si quis alius peritis sit notus labor.

Sin & alia obtigerint obstacula, illa quoque tolli poterunt in praxi & experimentis futuris.

Notandum denique, quòd libella cum lancibus, quali officinæ argentariæ utuntur, parata creditur perfectior esse illâ inæqualium brachiorum, cui antisacoma versatile appenditur (Germ. eine Schnellwage) quæ & huic Machinæ applicanda.

OBSER-

## OBSERVATIO XXXIV.

## D. HENRICI SCRETÆ.

*De*

# Mercurio cum Auro incalescente.

VErùm enimverò, ne, quæ hactenus disserui, eo torqueantur, ac si laudes animosq; viris illis spagiricis demere velimus, qui nobiliora auri & argenti vivi arcana possident ambiuntve, monendus es mihi, ut advertas, me quod contra suppositam Auri & Mercurii sympathiam objeci, de vulgari duntaxat Mercurio dictum velle, cum ille sit, cujus cum auro sympathia celebrari sueverit. Et quamvis forte magna a me dictorum pars, consultâ experientiâ, ad nativum etiam Mercurium currentem extendi possit; non tamen censere lectorem velim, negare me, dari argentum vivum posse vulgari subtilius & penetrantius, istosque chemicos, qui auri & Mercurii sympathiam niti volunt magis philosophicis operationibus, contendere etiam pro ea multo speciosius posse, quàm si vulgaris dumtaxat Mercurius adhibeatur. Atque ut hac occasione testatum faciam, me viros chemiæ addictos neutiquam aversari; subjungam hic scripti mei partem, ad amicum quendam idcirco exarati, ut meam ipsi de Mercurii cum auro incalescentiâ opinionem depromerem. Nunc verò abruptè sectionem hanc ordiar problematis cujusdam discussione; quod diu multumque inter curiosos fuit agitatum, eos inprimis, qui, sive verè, sive falsò obtendunt, se intimiores, quàm vulgo concessum est, chemiæ recessus adiisse: inter quos id calidè disceptari reperio, utrum ejusmodi detur Mercurius, qui incalescat cum auro, id est, qui, dum nudè metallo isti, ad minutas admodum partes redacto, commiscetur, citra caloris externi adminiculum, facta solum modò duorum illorum corporum cramate, sensibilem valde calorem pariat.

Hujus quæstionis affirmativam mordicus tenent nonnul-

li auctores, aliique, qui metallorum transmutationem ſibi vendicant; inter hos quippe nonnullos videre mihi licuit, qui hanc incaleſcendi cum auro virtutem Mercuriis adſcribunt, ex perfectis quibusdam corporibus, ut autumant, elicitis, quos idcirco Mercurios corporum, ſive Mercurios corporum metallicorum nuncupare ſolent.

At negativam tuentur multo plures, iique non modo Philoſophi & Medici, ſed & ex ipſis ſpagiricis doctrinâ clariores, imprimis ex neotericis & modernis, quorum non pauci hanc Mercuriorũ familiam Chimæris & non-entibus grandiloquentium Chemiſtarum accenſent. Atque eo minus mirabar, complures viros doctos adeo eſſe ab hoc Mercurii cum auro incaleſcentiæ aſſenſu alienos, quia, conſulto quæſiti à me plures ex Alchemiſtis ſagacioribus, qui multum impenderant operæ, plurimaque experimenta peregerant, ad hujus generis arcana depromenda, quique per aliquot annos noviſſimos varias Europæ partes permearant, ut aliorum, qui transmutationes metallicas veſtigant, ſecreta rimarentur; illi inquam, ſinguli ſeorſim à me rogati, apud me ingenuè faſſi ſunt, ſe revera nunquam incaleſcentem ullum Mercurium vidiſſe, licet id quandoque jactatum ab Alchemiſtis audiviſſent; quorum jactabundi obtentus eò minus apud me in hoc negotio valebant, quod à longo jam tempore notaveram, quantam fraus vel ignorantia (non enim omnes illos haberi impoſtores velim, qui hallucinantur) in nonnullis hujusmodi, de quibus loquor, viris fiduciam parere poſſint; quæ ſane tanta erat, ut illi, cum eorum unus bonæ frugis Chemiſtam, multis notum multisque operam ſuam locantem, ſuppoſito Mercurio incaleſcente fefellerat, eo fiduciæ abriperentur, ut apud memet ſe ſiſterent, de experimento illo me convicturi. At re, ut parerat, exploratâ, nullum percepi ſenſibilem illius caloris gradum, quem promiſerant.

Verùm enimverò, his omnibus nequicquam obſtantibus, cùm ex rationibus dudum in alio ſcripto à me expoſitis,

aliisque

aliisque de causis hîc non memorandis, argentum vivum corpus reputem, quod non necessario tam sit homogeneum, ac passim habetur; illa mihi opinio præ cæteris allibuit, quæ Mercurii incalescentis possibilitatem adstruit. Etenim, non obstante vulgo supposita Mercurii, ut sic dicam, similaritate, quam adeò eximiam esse puto, ut parere admirationem possit, meis tamen principiis consonum erat, liquorem quendam, qui pondere, colore, totali volatilitate &c. omnes referebat proprietates essentiales, quarum respectu corpus aliquod Mercurii nomine venit, habere tamen posse internam ejusmodi partium diathesin, quæ in nonnullis hactenus non observatis insignem illi à Mercurio vulgari discrepantiam conciliare queat: Atque has inter qualitates differentes nesciebam, annon ea recenseri merito posset, qua incalescit cum auro commixtus. Atque hanc opinionem rationi eo magis consentaneam arbitrabar, quod, excogitata à me duplici methodo (hactenus à chemicorum nullo, quod sciam, in praxin versa) una quidem, ut manifestum redderem, essetne purus curatèque destillatus Mercurius corpus compositum, partesque contineret non Mercuriales; altera vero, ex purificato ejusmodi & destillato Mercurio partes separandi non paucas manifesto heterogeneas; experiundo comperi, utramque illam methodum à me inventam successu gaudere: id quod auctoramentum mihi haud leve erat, ut possibile existimarem, Mercurium valde defæcatum, quin & per sublimationes & destillationes repurgatum, arte posse eo redigi, ut assumat secumque conflet heterogeneorum corpusculorum multitudinem, quæ non nisi à perito artis filio detegi, multo minus segregari queant, ut fieri de stanneis, plumbeis, &c. corpusculis potest.

Hoc generatim suffecerit, ut meum de problemate, supra proposito, judicium suspendam, & ad experimenta sumenda properem, quibus palam reddatur, annon aliquæ ex particulis illis heterogeneis, quas cum Mercurio in durabilem fluxum Mercurialem reduci posse deprehendi, ita alterare eum possint,

ut ad incalescendum, cum auro ipsum disponant. At non erat hoc satis ad eliciendum à me assensum; ut enim ad Mercurios incalescentes admittendum adducerer, sufficere non debebat, possibiles eos esse, vel etiam probabiles, sed revera tales dari manifestâ probatione erat evincendum: & hoc ipsum quoque, favente Deo, experimenta mea, Anno 1652. circiter comprobarunt.

Post aliquot ab eo tempore annos, quo Mercurium hujusmodi jam possidebam, in quibusdam ex eorum, quos turba chemica philosophos nuncupat, libris obscura quædam loca inveniebam, unde tunc eorum de ipso, vel alio aliquo perquam ei simili, cognitionem conjectabam; atque in ipsorum uno reperiebam (non tamen rem totam in uno plane eodemque loco) descriptionem ejus allegoricam, cujus pars maxima adeo difficilis intellectu mihi non erat: At cum nihil ibi notatum viderem de illa Mercurii hujus proprietate, qua calorem cum auro requirit, in suspicionem incidi, eos vel cognitione illius fuisse destitutos; vel eam silentio premendam censuisse. At Tu sine dubio facti potius narrationes, quam conjecturas à me exspectas. Et sanè æquum omnino fuerit, ut, cum mentionem dumtaxat fecerim phænomeni, cujus à multis negatur credibilitas, circumstantias nonnullas annotem, quæ fidem ei conciliare valeant. Atque eo minus laborem detrectabo aliquot particularia phænomena tradendi, tum quòd ea Tibi non occurrisse autumem, tum quòd ea grata fore putem quibusdam amicis Tuis chemicis nobilem quendam vel jam possidentibus vel paraturis Mercurium, ut scil. hoc qualicunque Scripto nostro ad eum examinandum, &, an referat nostrum, experiundum, juventur.

Itaque ne mihi imponerent alii, pluries Mercurium nostrum, quando solus eram, explorabam. Etenim quando nemo mihi aderat, neque quisquam per somnium quid agerem conjiceret, sumebam unam partem illius Mercurii, ad auri, in calcem, vel pollinem redacti, pondus quandoque dimidium

midium, quandoque æquale. Hoc polline volæ manus sinistræ immisso, & Mercurio superinfuso, utrumque simul agitabam, premebamque nonnihil digito manus dextræ; qua ratione duo hæc ingredientia facile commixta, non modo ad sensum, sed insigniter incalescebant, idque adeo properè, ut incalescentia interdum unius horæ circiter minuto, indicante idipsum horologio minutis instructo, ad ἀκμὴν perveniret. Succedebat hoc experimentum, sive æqualem sumerem, sive dimidiam auri quantitatem; effectus tamen multo videbatur insignior, quando æquali pondere adhibebantur. Atque, ut suspicioni, quæ, licet improbabilis, subnasci tamen posset, occurrerem, immediatum scil. ingredientium & cutis contactum producere posse sensum caloris, qui non debeatur metallorum in se invicem actioni, curiositate ducebar, mixturam hanc in charta servandi; quo facto, interpositionem ejus nequaquam impedire incalescentiæ sensum comperiebam, quamquam ex natura rei, intensiorem illius gradum remitteret.

Porrò Mercurium eundem cum repurgato argento, ad subtilem valdè pulverem redacto, exploravi; at nullum omnino calorem percipere potui; quamquam eo ferar, ut existimem, si sufficiens argenti foliati quantitas, ad peragendum experimentum mihi suppetiisset, me post temporis aliquod spatium incalescentiam suscitaturum fuisse, quamvis multo inferiorem eo, quem eadem Mercurii quantitas cum auro produceret: At hoc nonnisi in transitu. Adjiciam nunc, me, ne mihimet imposuisse censerer, non tantum rem hanc explorasse in manu mea, quando variè erat pro caloris & frigoris ratione temperata, sed & in manibus aliorum, quos non parum attonitos habebat, juvabatque eventus. Atque hoc ipsum pluries, quàm semel bisve feci; unde mihi testes suppetunt experimenti veritatis assertores, probatæ fidei viri, quorum unus erat eruditus Societatis Regiæ Secretarius, quem exhibitis ei ingredientibus rogabam, ut suismet manibus experimentum caperet; in quibus & optatum successum minori

nori quam unius minuti ſpatio ſortiebatur. (Ex quo tempore hoc litteris fuit conſignatum, Illuſtriſſ. & Judicioſiſſ. Reg. Societatis Præſes *Dom. Vice-Comes Brouncker*, idem experimentum ſua cum ejusdem Mercurii portione manu cum ſucceſſu peregit.)

Atque, quod incaleſcentiam hanc inſigniorem reddit, eſt, quòd, cùm parcè uti Mercurio meo cuperem, quippe cujus magna pars (ut conjicio) ſurrepta mihi fuerat, priusquam eum adhiberem, experimenta ſingula nonniſi cum una drachma peragebam, quæ vix fabæ mediocris dimidiæ magnitudinem æquat, cum, ſi copia mihi fuiſſet capiendi experimentum cum cochleari uno alterove Mercurii pleno, ſupparique quantitate Auri, probabile ſit, calorem inde oriturum fuiſſe ſatis intenſum, ut non modo ureret manum, ſed forſan & in phiala vitrea rimas ageret; quandoquidem interdum hujus generis Mercurium habui adeo ſubtilem, ut, adhibente me ſingulis vicibus nonniſi drachmam unam, calor me adegerit ut propere è manibus mixturam deponerem.

Hæc, cum ſint res facti, tradere non dubito; at valde ambigerem inde determinare, num qui appellantur Mercurii corporum, paranturque, ut jactant Chemici, ſola extractione ex metallis & foſſilibus, eorum quilibet calorem acquirat cum auro, quemadmodum, ni multum fallor, Mercurium Antimonialem acquirere comperi. Multoque minus affirmarem, quemvis Mercurium metallicum (quantumcunque ad incaleſcentiam diſpoſitum) quin & Mercurium argenti aurive ipſius eumdem eſſe cum eo, quem ſcriptores chryſopœi per Mercurium ſuum philoſophicum intelliguntur, vel præſtantia ſua ad hunc accedere. Quinimo, ne quidem aſſererem, quemlibet Mercurium, extractione etiam ab ipſis perfectis metallis impetratum, nobiliorem eſſe oportere, & (ut loquuntur Alchemiſtæ) ad philoſophicam operationem magis idoneum, quàm illum, qui, peritia & induſtria comite, obtineri tandem poteſt à Mercurio vulgari, à partibus ſuis recrementitiis hetero-

tero-

terogeneisque purgato, ſubtilibusque & efficacibus metallorum mineraliumve congruorum partibus uberrimè fœto: Hæc, inquam, & ſimilia hoc loco affirmare admodum vererer; cùm hîc nonniſi ea tradere inſtituerim, quæ ad rei hiſtoriam faciunt; quamquam præter rem non exiſtimaverim, jam jam indigitatos rei hujus apices innuere, quòd ſtricturæ iſtæ ea poſſint lectori ingerere, quæ ad meliorem tum dictorum, tum dicendorum intelligentiam conducere queant.

Non dubito, quin hactenus à me enarrata indigitataque curioſitatem in te pepererint, aliquid amplius de hoc Mercurio cognoſcendi: Et fateor, ſi quid veri ſubeſt ei, quod quidam ex probatiſſimis Spagiricis de quodam auri diſſolvente, quod affine videtur noſtro, nec eo forte multo eſt nobilius, tradiderunt; expectare fas fuerit, ipſiſſimum hoc noſtrum in inſignem cùm in Medicinâ, tum in alchemia uſum cedere poſſe. Verùm, cum infortunium illud, quo inſigniore quantitate ejus fui privatus, ſtipatum fuerit ſubitâ morte operatoris unici, cui in eo parando penitus fidebam, mentem planè alienam ab iteranda tam moleſta præparatione ſenſi; maximè cum occupationes, migrationes, adverſa valetudo, ſtudiaque gratioſa aliorſum me traherent; & licet experimenta quædam non ſpernenda, cum Mercurio noſtro peracta, memoriâ meâ non exciderint; cùm tamen ad quæſtionem illam, quæ ſcriptum hoc peperit, non ſint neceſſaria, ſilentio ea involvam, paucula dumtaxat annotaturus, quæ commemorare propemodum fuiſſem oblitus. Quorum primum eſt, quòd, cùm ſolenne ſit, capere Mercurii vulgaris partes quatuor, 5. vel 6. imo 8. vel 10. ad amalgama faciendum cum una parte auri, etiam tum, quando utrumque incaluit igne; ego adeò congruum deprehenderim cum metallo illo Mercurium noſtrum, ut non minus, quàm æquale illius pondus intimè ſtatim pervaderet, ſatisque durum amalgama cramave produceret, in quo adeo diffuſus erat Mercurius, ut aurum colorem ſuum penitus amitteret. Secundum eſt (quod hactenus fuiſſe obſervatum haud

M putem)

putem) vim ſcil. hancce, aurum penetrandi cumque eo incaleſcendi, mordicus adeò inhærere Mercurio noſtro, ne dicam ita in eo radicatam eſſe, ut poſtquam iterum atque iterum ab auro eſſet deſtillatus, proprietatis illius tenacem eum deprehenderim. Et denique cum ſuſpicio inceſſere lectorem poſſit, facultatem hanc citò deperdi, (ut de præparato ad hauriendam lucem Lapide Bononienſi queruntur auctores) experiundo didici; unicam drachmam Mercurii certo modo parati poſt tertium quartumve, à quo ſepoſueram, annum adeò cum auro incaluiſſe, ut, ne adureret manum meam, timerem.

*Hactenus Auctor noſter ad amicum ſuum: ſed cum chartas illas mitteret, voluit eas ſequenti mantiſſa locupletare.*

Non diu te morabor diſſerendo de chartis hîc junctis: dicam ſolummodò, unam ex præcipuis rationibus, quæ in vulgandis prægreſſis obſervationibus cunctabundum me faciunt, hanc eſſe, quòd vereor, nos hoc ipſo variis circa Mercurium hunc quæſtionibus & fortè ſollicitationibus anſam daturos, quas omni ſtudio præcavere velim, cùm ob alias, tum hanc ob cauſam, quòd magna manuum mearum debilitas me impedit, quo minus meamet manu id conſignare litteris valeam, quod conſcribi Amanuenſis operâ conſultum haud judicaveris. Proindeque concedere haud poſſum, ſcriptum hoc è manibus tuis dimitti, niſi rationem ſuggeras probabilem, qua ſecurum me præſtes à moleſtia atque ab ingrata neceſſitate repulſam dandi nonnullis, dum aliis obſecundare ſtudeo. Hac cautela ſi utaris, potero ampliſſimæ tuæ conſuetudinis beneficio citra moleſtiam edoceri, quid ii, qui tanta peritia tantoque judicio valent, ut in hoc negotio magni fieri mereantur, de Mercurio noſtro ſentiant; ad hæc utrum, ſi æſtimationem de eo foveant illi ſupparem, quam præcellentium chemicorum complures (quorum nonnulli me urgent ad eum communicandum) præ ſe ferunt, veriſimile cenſeant, utilitatem, quam præparationes ipſius (cujusmodi ſunt Præcipitata & Turbithi diverſorum generum, Mercurius dulcis,

cis, Cinnabaris ex antimonii sulfure, & cum auro parata &c.) afferre possint rei medicæ, longè superaturam esse incommoda illa politica, quæ nascitura forent, si forte de præstantissima esset indole, atque in maleferiatas manus incideret. Sapientum & peritorum hoc in casu opiniones cognoscere, necessarium mihi fuerit, ut recto tramite in istiusmodi negotio incedere mihi detur. Atque donec edoctus id fuero, silentii sacra colere teneor.

Interim in eorum gratiam, qui Arcana Mercurialia scrutantur, subjungere ausim secretum aliquod, quod Philalethis compluribus, aliisque qui chemicorum Philosophorum libris meditandis incumbunt, Paradoxum, quin & falsum forte videbitur: Mercurium scil. ad incalescendum cum auro aliisve pulveribus idoneum, modis uno binove pluribus parari posse; cum per experientiam certo mihi constet, (quicquid in contrarium obtendant auctoritates & theoriæ) talem Mercurium posse, (non dicam facilè propereve, sed cum successu) parari, non modo antimonium solidaque metalla, puta Martem &c. adhibendo, sed citra ullius omninò metalli, quin vel ipsius Antimonii usum.

Hic statueram finem huic sermoni imponere: at cùm ægerrimè, ut nosti, tum alias, tum hac inprimis occasione, promissi fidem publico obstringam, visum est mihi hoc loco monitum aliquod suggerere, & scrupulo cuidam obviam ire. Prius quod attinet, curiosos illos Spagiricos, quos forte tentandi cupido incesserit, sitne purgatus ipsorum Mercurius incalescendi qualitate instructus, monebo, ne nimis festinanter concludant ipsum eâ præditum non esse, neve eum rejiciant, nisi experimentum fecerint cum auro rite præparato. Comperi quippe, Mercurium meum non incalescere cum ramentis auri, omnium quæ conficere poteram minimis, (quanquam revera intra paucas exinde horas, sine ignis adminiculo, cum ipso in durum amalgama conflaretur;) quod argumento erat metalli illius corpuscula nec dum exigua satis

M 2 fuisse,

fuisse, ut properè â Mercurio penetrarentur: neque quævis auri calx rem nostram conficiet, ut comperi, dum perquam subtilem spongiosamque calcem, modo non vulgari paratam citra successum adhibui, in qua, ut videtur, apprime tenuis sensumque fugiens additamenti pulvis adhærebat particulis aureis, & Mercurialium adhæsionem præpediebat. Jam verò calx auri, qua plerumque utebar, successu ejus inductus, illa erat, quæ Quartationis, [hoc est, per fusionem conflando unam partem auri puri, & tres quatuorve partes argenti cupellati, ut vocant, & tunc immittendo massam, in qua metalla miscentur quasi per minima, in purgatam Aquam fortem, quæ solum argentum dissolvens, aurum in forma calcis relinquit.] (ut vocant) beneficio paratur.

At quia non adeo facile est, ut ipsi Chemici, qui manum operi non admoverunt, sibi imaginantur, bonæ notæ calces auri parare, cumque in methodo jamjam memoratâ requiratur fusio auri & argenti, (cujus peragendæ commoditate non pauci chemici destituuntur) cum etiam crebro à vulgaribus metallorum purgatoribus fallantur; qui hîc passim filorum forma, ejusmodi argentum pro puro venditant (quale, comparatè loquendo, revera est,) quod non esse mixturæ expers deprehendi; adjiciam, quod, dum communi more amalgama conficitur cum auro puro & Mercurio vulgari, Mercuriusque dissolvitur bona Aqua forti, remansurus sit pulvis, qui cum aqua pura, ad conciliandam ei, quam vocant dulcedinem, probè elotus, & aliquamdiu in temperato igne, ad eum penitus exsiccandum citra fusionem asservatus, talem calcem præbebit, qua pluries cum Mercurio nostro feliciter usus fui. Fateor equidem, tum in hac methodo, tum in illa quæ instituitur per Quartationem adhiberi aquam fortem, liquorem scil. corrosivum, ad aurum in pulverem redigendum, unde scrutanti genio suboriri suspicio poterit, incalescentiam illam soli actioni acidarum particularum menstrui acceptam ferendam esse, quod hærens etiamnum auri corpusculis, in Mercurium

opere-

operetur, ſolenni aquæ fortis more. Verùm (ut eas reſponſiones ſileam, quæ paucis tradi non poſſunt,) poſtquam notavi, quod ſi effectus hic non dependet à Mercurio noſtro rite præparato, ſed à ſola calce, non pateat, quare hæc non incaleſcat æquè cum Mercurio vulgari ac noſtro, opus haud fuerit, aliud quicquam adhunc ſcrupulum eximendum, quam obvium hoc experimentum, quod ſequitur, quodque bis terve à me peractum fuit, adjicere: ſumſi, inquam, calcis auri loco, ſufficientem numerum foliorum auri, qualibus utuntur bibliopegi & aurifabri; hoc aurum, quod citra ſalium opem tundendo redactum erat ad tenuitatem ſufficientem (adeo ut ultra ſeptuaginta folia vix unius ſcrupulipondus æquarent,) hoc, inquam, aurum comperi (una vice pluries) cum binum trinumve Mercurii noſtri pondus ipſi commiſcerem, inſignem in manu mea calorem mox peperiſſe.

## OBSERVATIO XXXV.

## D. JOHANNIS JACOBI HARDERI.

## De Puellâ rene dextro cum ſuccenturiato carente.

CHriſtiana Lengvveiler, puella XIII. circiter annorum, Menſ. Jan. 1680. in noſodochio meum expetebat conſilium: Quum acceſſiſſem, ſcabioſam ægram deprehendi, conquerentem de compreſſione circa præcordia, ſiti, tuſſiculâ, quæ comitabatur pulſus celer & debilis: Scabies, uti parentes retulerunt à multo durabat tempore, ſæpius reingruens: In capite uſu externorum eam abegerant; de medicamentis autem reliquo corpori applicatis nihil confiteri voluerunt, licet & hîc jam ſicceſcentem obſervârim, prædictaque ſymptomata ilicò invaſerint: Litem ipſis movere nec Medici nec Chriſtiani eſſe admodum videbatur, quum

fortè ab aëre externo, cui intrinseca sanguinis & viscerum ἀδιάθεσις & ἀτονία accessit, materia scabiosa versus interiora pelli & regurgitare potuerit, uti ex quotidianâ praxi hoc sæpius in infantulis palam fit. Præscripsi tum Spec. liber. cum lapid. bezoar. dilut. in aq. destill. add. Spir. Urin. & aq. aliquam ex antepilep. & diaphoret. paratam per cochlearia sumendam suasi, sed irrito conatu, aliquot enim diebus pòst misellam convulsiones corripuerunt, utriusque generis, nostrates vocant, die schreyenden Gicht / quæ tamen quandoque inducias dabant, ut ægra ad se redierit: mox autem rursus ingruebant, præscripsi. Spec. liber. cum antim. diaph. lap. bezoar. cinnab. antimon rectif. in vehicul. convenient. & quia alvus ab aliquot diebus erat adstricta, clyst. ex rad. pœon. alth. herb. beton. rut. &c. injectus fuit: Ast incassum, hoste impetuoso vincente, ægramque, postquam per biduum integrum motus hosce passa esset, vitæ dispendio afficiente: Cadaver Misellæ hujus cultro aperui, præsentibus Viris Nobilissimis & Præstantiss. *D. Uriele Ritzio* Affine meo, *Pharmacopolâ, D. Davide Zollicofero,* Sangall. *D. Josepho Carolo Müllero,* Tugiens. *D. M. Philippo Speckhero,* Basil. *Medic. Stud.* & *D. Ryhinero,* Bernens. Chirurg. Ventris imi facies erat tumida & flatulenta renitens; separatis ex artis præscripto involucris externis, modicus ichor ex illius capacitate prodiit: Ventriculus & intestina admodum distenta flatibus, nihil tamen per hæc transparebat præter naturalis vel gangrænosi: Epiploon aliquatenus putridum: Hepar insignis magnitudinis & pro ætate & staturâ ipsius ægrotæ, nimiâ, nec tamen colore, vel glandularum præter naturali duritie vitiatum: Pari modo lien & Pancreas mollicula erant, & naturalem διάθεσιν servabant: *Ren* sinister erat maximus, per fissuras quatuor insignes quasi divisus, carne satis compactâ: Cæterum figuram phaseoli retinuit, nisi quod lobus superior, elatior, longior & crassior exstitit: Vasa emulgentia in hunc hiabant maxima, quibus carunculæ renales vasis satis adapertis responderunt; ureter quoque paulò major & amplior erat: intus

intus præternaturalis nihil continebat: Ren huic ſuccenturiatus itidem magnus, longus & latus, vaſis conſpicuis admodum donabatur, videbaturque paulum gangrænoſin paſſus eſſe. *Ren dexter cum ſuo ſuccenturiante deerat*, inque hujus vices natura veſicis pluribus, maximis, minutis & minutiſſimis, in quæ vaſa emulgentia egregie inſerebantur, corpuſculo proſpexit: Diſſectæ hæ veſicæ internè rugoſæ erant, aquâ limpidâ viſcidiusculâ, nec fœtente, nec odoris verè urinoſi plenæ; ureteris veſtigium manifeſtè non deprehendimus, neque hunc ob temporis penuriam accuratius ſcrutari licuit: *Teſtes oblongiusculi*, *ovula* transparentia monſtrabant, quæ medietate teſtis cautè aperta, ex utroque latere adſtantibus videnda exhibui: *Oviductus*, prout in Damarum ſectione quoque notavi, ad usque horum extremitatem ſuperiorem protendebantur: *Uterus adhuc parvulus* & duriuſculus, oblongus: Veſica craſſa & denſiſſima: Venter ſupremus ſpectandam exhibuit duram meningem ſatis denſam, intra cujus duplicaturam, ſectione factâ aliquot polypi gelatinoſi & grumoſi latitabant, quos exemi: Cæterum cerebri *cortex* flaccidus, in parte poſteriore vaſis ſuperbiebat elegantiſſimis: Quum ad *ventriculos* anteriores properabam, ichor ſeroſus effluxit multus, uti etiam ex tertio & quarto ventriculo: *Plexus choroidei* longi erant & lati, ſubpallidi, quaſi jam defluxuri: alicubi glandulas oſtenderunt duriusculas: cerebro exempto, quum in nervos inquirerem, in cavitate, quæ Cerebellum excipit, ichor copioſus ſtagnabat: & ita ſectioni finem impoſuimus.

## *SCHOLIUM.*

QUanta fuerit providæ naturæ in exſtruendo corpusculo humano induſtria, mirari vix ſatis poterit, quicunque Anatomes peritus, artificioſâ ſectione ejus interiora luſtraverit, utpote in quo non tantum ad variarum partium diverſimodam compagem obſtupeſcet, ſed & arteriarum ſeriem amplisſimam, cum amiciſſimo venarum ſodalitio attonitus contemplatur:

platur: Aſt ſi quæ heic admirandæ ſuæ providentiæ & curæ edidiſſe poteſt τεκμήρια non minus in officiis peculiaribus unicuique parti ſtudioſè adjudicatis ſingularis cujuspiam ſagacitatis ac prudentiæ ſpecimen prodidiſſe dicenda eſt, cùm vel ex his potiſſimum eluceat, quantopere pro totius conſervatione ſollicita fuerit: De ſingularum partium ſtructura atque uſu prolixiùs heic diſſerere, inſtituti ratio vetat; neque enim nimium excreſcere diſſertatiunculam hanc conſultum eſſe videtur: Nihilominus de *Renibus*, quorum ope ſanguis à ſero ſuo liberatur, quædam ex occaſione modo enarratæ hiſtoriæ apponere, inque horum ſtructuram ex Veterum & Recentiorum mente inquirere animus eſt, his quædam ſubjuncturi de *glandulis* vulgò dictis *atrabilariis* aliisque quæ ad hiſtoriæ illuſtrationem præcipuè facere arbitrati fuerimus. De *Renibus* ita fatur *Galenus l. vi.* περὶ ἀνατομικῆς ἐγχειρήσεως: Νῦν δ' ἐπὶ τοὺς νεφροὺς μεταβῆναι καιρὸς, ὧν ὁ μὲν ὁ δεξιὸς ἐπὶ πάντων ζώων ἀνωτέρω κεῖται; φαύνων ἐστὶν ὅτε τοῦ μεγάλου, τῶν καθ' ἡμᾶς λοβῶν, ἐμφύεται δ' εἰς αὐτοὺς ἀπὸ τῶν κατὰ ῥάχιν ἀγγείων, τῆς τε ἀρτηρίας καὶ τῆς φλεβὸς, οὐ μικρὰ τὸ μέγεθος ἀγγεῖα τοῖς μὲν πιθήκοις ἓν ἑκατέρωθεν ἐπ' ἄλλων δὲ τίνων ζώων, ὡς αὖθις εἰρήσεται διττά. καὶ μέντοι τὰ σιμὰ μὲν εἰς ἀλλήλους ἔχουσιν ἐστραμμένα. τὰ κυρτὰ δ' ἐστραμμένα πρὸς τὰ πλάγια τοῦ ζώου μέρη, καθιέναι δὲ ἐπὶ τῶν οὐ μεγάλων ζώων ἔλασμα, μέχρι τῶν σιμοτάτων ἑκατέρου δυνήσῃ μερῶν, οὐ μὴν εἰς αὐτὴν ἐμβαλεῖν τὴν κοιλίαν αὐτῶν: ἔτι μείτον τῶν μεγίστων ζώων, ἐὰν παραχρῆμα μετὰ τὸν θάνατον ἐμβάλῃς, θεάσῃ σαφῶς εἰς τὴν κοιλίαν τοῦ νεφροῦ διεξερχόμενον. ὄχει δὲ κατὰ τὴν ἔμφυσιν ἑκατέρων τῶν ἀγγείων σχιζόμενον, εἰς πλείω σαφῶς, ἐναργῶς μέντοι τὴν τοῦ νεφροῦ τὴν κοιλίαν θεάσῃ, κἂν μὴ μέγα τὸ ζῶον ᾖ, περιαλειφομένην μὲν ὑμενώδει τινὶ σώματι: καθ' ἓν δέ τι μέρος αὐτῆς, οὐ πόῤῥω τῆς τῶν ἀγγείων ἐμφύσεως ἕτερον ἔχουσάν τε σῶμα προμηκές τε καὶ κοῖλον ἐμφυόμενον, ὅπερ ἔνιοι μὲν ἀγγεῖον ὀνομάζουσι, κατὰ τὴν κοινὴν μὲν προσηγορίαν ἁπάντων τῶν κοίλων τε καὶ προμήκων σωμάτων, ἔνιοι δὲ πόρον, ἄλλοι δέ τινες ἀρτηρίαν κ. τ. λ. ὀνομάζεσθαι δὲ ὁ πόρος οὗτος οὐρητὴρ, ἕνα μὲν ἔχων τὸν ἴδιον χιτίθια, οὐ μὴν οὕτω γ' ἰσχνὸν, καθάπερ αἱ φλέβες; σὺ δὲ εἰ βουληθείης &c.

Nunc

*Nunc ad renes ire tempestivum est: quorum dexter in omnibus animantibus eminet elatior, nonnunquam grandem jecoris fibram attingens. Porrò è spina vasis, arteria nempe & vena, inseruntur in eos haud exiguæ magnitudinis vasa, simplex quidem singula utrinque, aliis autem quibusdam animantibus bina. Insuper concava in sese conversa obtinent, gibba verò ad animantis latera adversa. At in animalibus non magnis laminam demittere usque ad concavam maximè utriusque partem poteris, haud tamen in eundem ipsorum ventriculum immittere. In maximis verò, si post mortem statim indideris, manifestò in renis sinum permeantem conspicies: item, quà utrinque vas inseritur, in plures palam ramos diffundi. Evidenter tamen renis sinum cernes, etsi animal grande non fuerit, corpore quodam membraneo circundatum: aliquâ verò ipsius parte non procul à vasorum insertione alterum quoddam corpus obtinet concavum & oblongum: quod nonnulli, juxta communem omnium concavorum & oblongorum corporum appellationem, vas nominant: quidam meatum, alii arteriam, sunt, qui venam nuncupent. &c. Nominatur autem meatus iste ab urina* οὐρητὴρ, *cui unica peculiaris tunica adest, non tamen ita gracilis, sicut venis &c.* Accuratè in his verbis Renum situm, connexionem & structuram &c. proponere annititur Rei Medicæ Antistes, quem plures alii non tantùm olim secuti sunt, sed etiamnum venerantur, neque id immeritò; suus enim Vener. Antiquitati honos constare debet, ob multum, quem posteritatis ergô, sedulò impendit laborem; interim si, quod verum est, dicere liceat, nec in hoc, nec aliis in locis hujus visceris compagem distinctè satis enodavit, quamvis ipsius operæ nil eamus detractum: *Casp. Bauhinus* magnum quondam Academiæ nostræ decus, pro voto, quod cum aliis, Veteribus nuncupavit, ex ipso *Galeno; Renum carnem duram esse ait cordi similem, nisi quod fibris careat:* Ast! non aliorum modo Virorum Clariss. fide, sed ipsamet αὐτοψία *hic* aliique ejus sequaces, cæterum de re Medicâ optimè meriti, facilè confunduntur: Sanè qui Hipp. locum lib. περὶ ἀδένων par. IV. exactiùs rimantur, faciliùs in singulorum devenient veritatem, ita autem ille; ἔχουσι δὲ καὶ οἱ νεφροὶ

 ἀδένας,

ἀδένας, καὶ γὰρ οὗτοι κορίσκονται πολλῆς ὑγρασίης &c. *Sed & renes glandulas habent, hi ſiquidem multâ humiditate redundant.* Nonne verba hæc uti aliis anſam potuerunt exhibere in *glandulas venales* inquirendi, ita viciſſim illa (licet minus perſpicua) quæ lib. περὶ ἀρχῶν καὶ σαρκῶν *par. X.* habentur, fibroſæ Renum ſubſtantiæ ſuſpicionem movere debuiſſent? Quid enim facilius, quâm ex eo, quod Vener. hic Senex Renes ibi ἐκ τοῦ κολλώδεος καὶ τοῦ ψυχροῦ, *ex calido & frigido* compactos & productos dicit, fibras autem frigidas & glutinoſas pronuntiat, concludere, etiam hujus viſceris ſtructuram ex parte *fibroſam* aſſeri poſſe, utpote materiæ fibroſæ participem: Egit hoc Excell. *Bellinus*, qui dum multa ſatis obſcurè tradita ſecum reputaret, viſcus hoc aggreſſus eſt, atque dum probè ſingula examini Anatomico ſubjeciſſet, Veteres, quòd fibras Renibus intertextas negarent, graviter hallucinatos eſſe deprehendit. Quem excepit Celeberr. *Malpighius*, qui, quod *ille* laborioſè inceperat, eruditiſſimè abſolvit, neque ſolùm ex fibris Renes conflatos eſſe (quod *Bellinus* ſtatuit) ſed glandulis juxta complurimis, vaſis emulgentibus appenſis, in cortice præcipuè, gaudere oſtendit: Uti ex *cap. 2. de Renum ſtruct.* videre eſt. Non litigationis mutuæ Viros hoſce præclaros quiſpiam heic accuſabit: Cùm *Malpighius Bellinum* non evertat, eò quod hic pro ſuâ ingenuitate Renum omnimodam compagem ad amuſſim reſolviſſe, dici nunquam deſiderarit: Veteres potius utriusque horum fidem dubiam facere annitentur, & ex novaturiendi pruritu, hæc ſcriptitaſſe dicent, ſeculo huic plusquam familiari; neque voto ſuo fruſtrarentur, ſi eadem non eſſet Virorum Clariſſ. αὐτοψίᾳ & diligentiâ obfirmata, qui ſatis nôrunt, non temerè in cujuscunque verba jurandum eſſe: Nos ipſi nimiæ credulitati hactenus non litavimus, utpote quæ Medicos minus decere videbatur, ſed nec nimiæ pertinaciæ vel effictis aliorum hypotheſibus: In rem ipſam deſcendimus, occaſione commodùm oblatâ hoc ipſo anno, ſecandi cadaver *Puellæ Phthiſicæ:* ad cujus Renes quum pergeremus, rurſum aliquid notatu digni occurrit,

currit, nempe observavimus in Rene dextro circa medietatem, eò loci, ubi aliàs vasa emulgentia ingrediuntur, fissuram amplam & cavam, vasis stipatam, duplicatis, binis videlicet arteriis, & binis venis, sinistro altero pari carente; hisce probè ligatis, Renem exemimus, & fervidâ per tubulum in arteriam injectâ, substantiam ejus albidam sensim devenire vidimus, jam tum in cortice transparentibus corpusculis minimis, rotundis, albicantibus: Integrum tamen negotium fervidâ absolvere non licuit, ob aquam per fissuram dictam copiosè emanantem; Liquorem hinc rutilum, postquam aquam prius expressissemus, per tubulum eundem infudimus, quo moderatè albicans *Renis* substantia tingebatur, liquore ad modum serpentis per vascula arteriosa decurrente, relictis semper in medio corpusculo minimis, albidis, ut supra: Incisione factâ, substantia *Bellini* fibrosa internè manifestè comparuit, & cortice presso, ex hisce ipsis glandulis serum egregiè exudavit; Fibras easdem ad usque papillas pergentes, antè in *rene hircino* aliquot φιλιάτροις ad oculum ostendimus, concatenatis tamen experimentis omnia denuò sumus suffulturi, non dubitantes, eundem cum aliis nos experturos successum. Labascente Renum structurâ, eorundem actionem veterum modo explicari solitam, vacillare quis non videt? Detectis enim glandulis tanquam organis secretoriis, & repertis fibris ceu ductibus excretoriis, ac stante circulo sanguinis, quid facultate *attractrice vel expultrice* multum opus? ad quid nomina crepare, res ubi ipsa loquitur? non illa indigent Renes ampliùs ramulorum serie, quâ stipati serum magno cum labore & operâ attrahere queant: Arteriæ siquidem, quæ balsamum vitæ singulis corporis partibus pulsu impertiunt, eundem, quo â sero nimio liberior fiat, ad partes has deducunt per innumeras sui propagines, ex quibus postmodum in glandulas annexas atque convenientibus poris, ritèque figuratis instructas, serum recipitur, & per *ductus excretorios* supra nominatos in pelvim deponitur, ad vesicam per ureteres amandandum:

Fermento heic, quo alias partes glandulosæ donantur, num aliquid tribuendum sit, suo loco relinquimus, ne nimium materiam hanc fermentescere faciamus: Id inficiandum non est, circa secretionis modum isthic plurimam suboriri posse difficultatem; etenim non aqua tantùm, sed particulæ sulphureæ & salinæ, multæque aliæ post abscessus à naturâ huc expelli solitæ particulæ, glandulas istas subintrant; unde qualis hujus machinæ sit figuratio, pororumque constitutio interna, inquisitione & illustratione dignum foret. Verùm si, quòd glandulæ hæ cribrorum structuram imitentur, consideraverimus, si, quòd Natura, quæcunque per has secernere cupit, in corpora determinatæ figuræ efformare, quantum potest, annitatur, perpenderimus, de asserti hujus veritate magis certi esse poterimus, nec dum licet configurationis harum glandularum certissimæ satis periti: Illud mage mirandum, quî in hâc *Puellâ*, quæ altero Rene destituebatur, secretio fuerit peracta? quam aliquando ibi obtinuisse, serum in vesiculis repertum, & vasa emulgentia in easdem pergentia ubertim confirmant, eâ tamen copiâ, eâque serie illud semper fuisse secretum, negat Renis alterius major moles vasaque insignia in hoc conspicua, cum papillis satis hiantibus: Difficultas hinc haud levis isthic propullulat, num aliquando *Ren* dexter adfuerit, cujus substantiâ vel corrosâ vel exesâ, vesiculæ remanserint, an verò à primo ortu vitium hoc in misellæ hujus corpusculo extiterit; Certè si naturæ providentiam & sagacitatem intuiti fuerimus, si quod in ovo, ex quo fœtus humanus prodit, singulæ partes lateant, ruminaverimus, Renem aliquando adfuisse dicendum erit: si rursùm, quòd nulla exesionis, corrosionis, vermium vel abscessuum ruptorum vestigia adfuerint, pensiculaverimus à primo ortu vitiositas hæc derivanda videbitur: Cùm proin hoc in negotio, haud parum dubii versaremur: aliorum etiam Virorum Clarissimorum efflagitavimus sententiam, inprimis autem Celeberr. *Wettero*, & Amiciss. nostro *Pejero* totam Lectionis seriem narravimus, ad

quam

quam *iſte* ita: *Puellæ veſtræ exenteratæ, olim fuiſſe utrumque Renem, in ſecundâ valetudine arbitror, conſumptum dextrum vel vermibus, vel abſceſſu vel acri ſero, quale ſcabiem quoque & convulſiones intulit miſellæ: ſuperſtites veſiculæ, meo judicio, fuerunt Renis abſumpti exuviæ &c.* quibus *nos* ſeq. repoſuimus: *De Renis dextri defectu quæ ſcribis, facilem illa apud me reperirent aſſenſum, ſi ulla vel corroſionis vel abſceſſus, vel alterius cujuspiam morbi adfuiſſent indicia; at magis palam erat à primâ conformatione vitium extitiſſe; etenim veſicæ plures disjunctæ erant, neque unâ diſſectâ, ſerum ex alterâ effluxit, intus rugoſæ & plicatæ adinſtar veſicæ urinariæ apparebant &c.* Ad quæ *ille* ſolertiſſim. hoc epiſtolio iterum reſpondit. *Quo alio errore puella renem ſuum amiſerit, quàm vitioſa quadam & forti matris imaginatione, ſiquidem illum à primo ortu abfuiſſe judices, divinando aſſequi non poſſum, Hardere amicorum ocelle. Dei enim opus cùm ſint animalia omnia & homines, manci aut mutili nihil produci poteſt, niſi ab injuriâ quâdam externâ tale reddatur; Unde ſive animalium partes ovis jam inde à condito mundo formatas ineſſe credam, ſive eas demum accedente congreſſu divinitus effingi autumem, iniquum dictu foret, potentiſſimum ac ſapientiſſimum Creatorem puellæ huic defuiſſe, eamq́; imperfectam reliquiſſe, ceu altero rene truncam. Eſt namque ordo naturæ ſemper idem & immutabilis; Fatendum ergò, ne quid delinquamus, puellam illam aliquando præditam fuiſſe utroque rene; deletum verò poſtea dextrum in utero prava matris imaginatione, nî morbum admittere malimus, quo ren ſit conſumtus, & in veſiculas illas redactus, quæ renis loco in cadavere apparuerunt ſuperſtites. Ob arctiſſimam embryonis cum matre ſuâ unionem & neceſſitudinem hujus imaginatio apud illum mira poteſt, uti exempla quotidiana teſtantur, quibus recenſendis ceu nemini non notis ac obviis ſuperſedeo. Id ſanè ratum nobis poſſe mulierem gravidam viſo rene animalis alicujus corrupto ita affici, ut infantem edat alterutrius renis privum. Sed & fieri poteſt fœtum nephritide laborare in utero, adeoque renem tenellum perire, inprimis ſi eodem affectu teneantur parentes.* Quibus facilè acquievimus, cùm partes ſingulas, etiam *Renes*, aut horum primordia, ex ipſis Veterum dogmat. in ovo contineri certum ſit,

licât de prægreſsè matris monſtroſâ imaginatione, quam facilè admittimus, nihil nobis innotuerit: Fœtoris equidem in *ſero* illo abſentia ſuſpicionem firmiorem ab initio moverat; *Renem* aliquando adfuiſſe, nec à multo tempore ægram illius defectum luiſſe, quam tamen exemit Clariſſ. *Wepferus*, loco, quem antea quoque legeramus, ex Illuſtr. *Boyleo* allegato, *nov. Exper. Phyſ. Mechan.* ob ſolam videlicet aëris excluſionem aquam hanc à fœtore immunem fuiſſe ſervatam, quod probat fruſtulo carnis vitro anguſti colli indito; Sigillat illud, ut loquuntur, Hermeticè, & caro totâ æſtate, etiam ſoli expoſita non putreſcit. Meminit quoque ex induſtrio *Schotto* vitri cujusdam in Muſeo Kircheriano repoſiti, orbicularis, collo turbinato, aquâ fontanâ communi ſemipleni? Aquam hanc ab inſigni Geometrâ *Clavio* illic incluſam atque hermeticè obſignatam limpidam puramque, quaſi jam nunc immiſſa fuisſet, ſervari aſſerit. Et quidem aëris, ſi vel ejus exiſtentiam in hoc univerſo rimati fuerimus, ratione cujus varii generis particulas acres, ſalinas &c. admittit, magnam in corrumpendis corporibus eſſe vim & ἐνέργειαν ipſe *Ariſt. l. IV. Meteorolog. c. 1.* agnovit, dum ait: Ἐν τοῖς ψύχεσιν ἧττον σήπεται, ἢ ἐν ταῖς ἀλέαις, ἐν μὲν τῷ αἰῶν ὀλίγον, ἐν τῷ περιέχοντι ἀέρι καὶ ὕδατι τὸ θερμὸν, ἐν δὲ τῷ θέρει πλέον. *In frigoribus minùs putreſcuut, quàm in æſtate, in hyeme enim paucum eſt in ambiente aëre & aqua calidum, in æſtate autem amplius.* In quibus verbis licet alienarum particularum commixtionem præcipuè accuſare videatur, ipſum tamen aêrem ſalvum non cupit: Illuſtriora his multo narrat *Joſephus Acoſta* in ſuâ *occidentalis Indiæ hiſtoriâ, lib. 3. c. 9.* ubi refert, ſe in illis regionibus vidiſſe ferreas quasdam crates, eo usque à rubigine comminutas ab aëre atque corruptas, ut metallum inter digitos compreſſum in pulverem, ut ipſe loquitur, fœni inſtar ſeu ſtipulæ torrefactæ diſſolveretur. Illi quoque, qui ſerum, vel in Renibus præcipuè urinæ naturam induere, idque ope fermenti evincere ſatagunt, ſibi ex hinc telum parabunt, dum odoris urinoſi in aquâ, hisce in vehiculis contentâ defectum,

ex fermenti renalis absentiâ derivabunt, neque fortè incommodè: Si, quòd alter ren serum urinosum exhibuit, secum examinare quispiam voluerit, quem odorem unde melius quàm à dicto fermento, in sinistro adhuc dum vegeto, deducere? Ne verò nimis sapere velle videamur, πολυδαιδάλου Naturæ potissimùm heic laudabimus providentiam & sagacitatem, quæ dum machinam hanc, ob necessariam seri secretionem, *Rene* deficiente altero, vel impeditam vel abolitam, in deterius ruere vidit, illi omni ope succurrere annixa est, reddito triplo plus vel quadruplo, Reni alteri, quàm prius non accipiebat, quod vasa emulgentia turgida, carunculæque papillares admodum hiantes, evidentissimè comprobarunt: Stupendam hanc ejus prudentiam jam sæpius mirati fuimus, in calculosorum sectionibus, & ante annum ejusdem specimen illustre reperimus in sectione hydropici ex *Renis dextri* materiâ calci simili omnimodâ repletione: in hujus *renem sinistrum* Vasa emulgentia ibidem pergebant insignissima, & tubuli urinarii amplo ore intus hiabant. Quid adhæc illi, qui uno Rene affecto, alterum suo officio defungi planè non posse, asserunt? Contrarium & ex allatis historiis, & quotidianâ patescit experientiâ; id quidem non inficiamur non æquè benè munia requisita peragi, quod & misella hæc etiam experta est, dum impeditâ seri segregatione illud in totam massam sanguineam redundavit, ejusque δίαθεσιν fœdavit, & tandem *Animæ* petendo arcem, ejus satellites cum genere nervoso mirè irritavit, tandiu donec machinulâ ineptâ redditâ, *illa* nobilius, quod cœleste est, quæsierit domicilium: Sed nec illis propterea blandimur, qui uno Rene affecto alterum salvum omnino manere contendunt, quam sententiam fovisse videtur *Casspar. Bauhinus l. 1. anat. cap. XXII.* dum uno obturato alterius perfusionem & attractionem non cessare, inquit: quæ verba si de quacunque obturatione, etiam eâ, quæ à calculis, vel calculosâ intus aggestâ & vellicante materiâ ortum ducit, intellecta velit, minus verisimilia sunt, utpote experientiæ & sanæ ratio-

ni

ni contraria; *illi* quidem, quoniam Rene uno calculo oppleto, Iſchuriam exoriri, alii nobiscum viderunt & nôrunt, ſatisque rei hujus veritatem confirmat hiſtoria puelli tabidi & nephritici, quam *Excell. Bonetus, Medicus Genev.* Amicus noſter honoratiſſimus, ſuo Sepulchret. inſeruit, ubi quòd in renis dextri pelvi calculus tricuſpis impactus hærebat, ſiniſter, licet incolumis, ſuis partibus defungi nequiit : *huic* verò, quia extra aleam eſt, plexu nervoſo Renum irritato, propagines & ſurculos ab eo prodeuntes, ut & ureteres his quàm maximè affines ad modum illius affici & conſtringi, ſicque ſero tranſituro viam obturare, ut jam *attractionem*, quam communiter ingeminant Veteres, ſilentio prætercam. Studiosè etiam proſpexit natura corpuſculo hujus ægrotæ, *Rene ſuccenturiante*, qui itidem major, longior & latior erat, qualemcunque gangrænoſin paſſus, quam à ſeri copioſioris acrimoniâ contraxiſſe poteſt. De uſu horum, licet in illorum ſtructuram ab aliquo tempore ſedulò inquiſiverimus, nihil certi adhuc dum propalare audemus. Cavitatem quâ gaudent, manifeſtam in *Cuniculis Braſil. vulpeculis, canibus*, &c. cum vaſis in eos abeuntibus ſæpius notavimus, animadvertimusque, quoad externam ſubſtantiam, figuram & colorem illos in variis animalibus variè habere: at de *ductu excretorio*, per quem ſuccum, quem conficiunt, deponere neceſſe habent, nihil certi nobis etiamnum conſtat, operam tamen navabimus ulteriorem illi inveniendo: admiraturi interim noſtras Renales veſiculas, quibus, quod & quidem contra naturæ leges, rarenter in corpore humano reperiri conſueverunt, conſimilia quædam, non minus rara & ſcitu jucunda addemus exempla: Cl. *Bauhinus* figuram habet Renis Pueri in octo lobos diviſibilis, qui vitulinos æmulatus eſſe videtur, qui itidem ex plurimis lobulis conflantur: neque abs re foret in Renum ſtructuram in fœtibus immaturioribus & recens natis, datâ occaſione inquirere, inprimis cum *Ariſt. lib. 3. de part. animal. cap. IX.* inquiat, ὅμοιοι δὲ καὶ οἱ τοῦ ἀνθρώπου τοῖς βοείοις, ὥσπερ συγκείμενοι ἐκ πολλῶν νεφρῶν μικρῶν.

μικρῶν. *Hominum etiam renes bubulis similes sunt, quippe qui tanquam compositi ex multis renibus exiguis constant.* Renis dextri ferè absumpti, superstite tantùm exiguo glandularum acervo, vasis omnibus & uretere coalitis, proponit ingeniosiss. *Willis, cap. XIV. de Arthrit.* In nostro subjecto nulla *ureteris*, sed nec consumptionis nec erosionis vestigia deprehendimus, quamvis illa obliterari potuisse temporis tractu non eamus inficias. Unicum quoque Renem vidit *Loselius*, ut & *Arist. not. Bauh. in not. marg. ad c. XXII. lib. 1. Anal.* Monstrosorum Renum exempla, qui voluerit, adeat *Appendicem* Clar. *Blasii ad struct. Ren. Bellin.* ut & *Ephemer. Natur. Curios. An. 3.* &c. De *ovis* atque *oviductibus*, contra quæ Veterani quidam adhuc sæpius mussitant, vel ex hoc exemplo satis conspicuis, plura adferre possem, verùm cùm quâ ab aliis Vir. Clariss. quâ etiam à nobis *Prodr. Physiol. c. 8.* horum existentia &c. abundè fuerit probata, illis prolixius diducendis supersedemus. Nec minorem differendi copiam suppeditarent *polypi* duræ meningis ex sero, quod copiosè affluxit, aggesto & sensim concrescente generati, de quibus aliquando in literis ad Excell. *Sponium Medicum & Consil. Reg. Lugdunens.* uberius egimus, nisi aliorum perspicacitati & eruditioni hæc relinquere mallemus, contenti in præsentiarum levicula hæc propalâsse.

[*Author.*]

## OBSERVATIO XXXVI.

## D. JOH. CHRISTOPHORI STURMII.

# Cometoscopia Indica.

EXhibet adjectus Schematismus communicatam ab Excellentissimo Dn. D. MENZELIO, Archiatro & Consil. Elect. Brandenburg. Observationem Cometæ mense Januario 1681. in Orientali India, & verosimiliter quidem (nam locus Observationis expresè notatus haut est) Bataviæ in Java insula, à Dn. CLEYERO Med. D. habitam: Quam

O equidem

equidem uti vel ſola locorum iſtorum alio ſub ſole calentium diſtantia Curioſo Lectori facilè commendaverit; ſic eo nomine cumprimis æſtimandam cenſemus, quòd loca Cometæ adnotatis menſis Januarii diebus attributa (numerandi verò hi ſunt ſecundum novum ſeu Gregorianum Stylum) apprimè conſentiant Europæorum Obſervationibus: tametſi ſpoſitus caudæ rationem nullam habuiſſe Obſervationis Authorem neceſſum eſt. Nam ita pictam illam offert ubique laudatus Iconiſmus, ac ſi ad angulos rectos in Eclipticam protenſa fuiſſet; cùm certum tamen ſit, illo toto, quod hic aſſignatum eſt, tempore, porrectionem ejus ad Caput Perſei, ejusdem clypeum, tandemque ad Meduſæ caput, collineâſſe, nec alium multò, ſaltem usque adeò deviantem, poſitum ullibi terrarum habere potuiſſe. Id verò mirum alicui videri poſſit, quòd, cùm viteſcentis jam & minus ſpectati Cometæ loca poſt 6. (16.) Jan. 1682. ſolicitè notaverit Author hujus delineationis, ſuperiorum ab 18. (28.) Decemb. 1681. ac deinceps ſtupendorum phænomenorũ indicium nullũ faciat. At enim mirari deſinet, qui ad ſitum loci obſervationis & poli iſthîc terrarum auſtralis elevationem paulo curatiùs attenderit: Videbit enim facilè ex iis Cometæ locis, quæ ab Europæis ſub anni 1681. finem adnotata fuerunt, cum ſolis loco in prioribus gradibus &c. collatis, Cometæ caput in Horizonte illo Indico cum ipſo ſole, aut paulò poſt, occidiſſe, caudam verò ab occidente in ſeptentrionem Horizonti quaſi παραλλήλως extenſam, atque adeò à luce crepuſculari abſorptam, & eodem fere tempore cum capite ſuo occidentem in iſtis oris animadverti facile non potuiſſe, donec aſcenſu ſuo per Pegaſi ſidus Cometa caudam pariter & caput efferret altiùs, & utrumque crepuſculari fulgori paulatim ſubtractum, ſpecie tamen jam minus horrendâ multumque debilitatâ, Indicis quoque terris oſtenderet.

Fig. XIX. p. 206.

OBSER-

# OBSERVATIO XXXVII.
## D. JOH. DOLÆI.
### *De*
## Injectis per fascinationem.

OPtimè & perquam acutè loquitur *Theophr. Paracelsus c. 3. in Fragment. libr. Phil. de sagis & earum operibus. Sed dicendum jam est de simili etiam virtute, quam habent Sagales Adscendentes, dum homines claudos faciunt, & in alios morbos plures agunt, quos universos hic recensere nolumus. Hoc frequentius fit, ut sub cutem corporis mittant aut jaculentur stramen, setas, ramenta, coriorum detrimenta, glomos filorum, ollarum fragmina, fusorum cuspides, floccos, spinas piscium & similia his alia infinita. Tantâ autem subtilitate talia intro in corpus jaculantur, ut cutis nullâ parte rumpatur aut aperiatur, quod quidem oculis videri possit, illæ q. a. contactu aut pressu aliquo manus affectæ sunt. Ictum ergò illum sequuntur morbi naturales, suis doloribus stipati. Si enim tales res intro in corpus missæ sint, jam doloris causa evidens est. Hujusmodi ictus seu morbi vulneribus à sagitta aut sclopeti glande factis graviores sunt ideo, quia nulla apertio cutis, per quam glans aut telum extrahi iterum possit. Sicut enim telum hamatum telis aliis ideo nocentius est, quia retrahi aut eximi non potest; ita hic quoque: taceo, quod, qui per modum talem intro in corpus mittuntur, per se naturæ sint pejoris & periculosioris. Priusquam enim eximi possunt, corpus ita inficiunt & labefactant, ut ad statum pristinum non facilè id reduci possit.*

Scio, plures verba hæc & alia *Paracelsi* ridere, ejusmodi fascinationi vix fidem adhibentes, quam veritatem tamen experientia stultorum æque ac Doctorum Magistra docet. Fateor varia & mira naturaliter in corpore nostro latitare, quod & testantur abundè *Ephemerides nostræ:* Dentem suillum per biennium in corpore latuisse observavit Nobiliss. *Thomas Bartholinus in Ephemerid.* quem fortè faber ferrarius deglutiverat.

Bufones aliáque animalcula in ventriculo, intestinis, aliisque partibus corporis naturaliter inventa fuisse, nemo est, qui dubitat. Ipse experientiâ cognovi, rusticum quendam ex aqua spermate ranarum infectâ bibisse, indeque vomitu magnum ranarum numerum reddidisse. Cæterum casus erat fascino proximus, qualem recenset Illustris *Præses noster in Ephemerid.* de Tumore monstroso, ex quo glomus pilorum sordidorum & horridum ac pilosum animal prodibat.

Huic fascino os humerosque similem casum curiosis communicare mecum constitui. Excurrit tertius Mensis, quo fœmina militis nostratis Hydropica facta conqueritur de maximo dorsi dolore, quem à tactu vicinæ, quæ pro venefica habebatur (nulla enim saga est, quæ non summæ invidiæ & infidelitatis plena sit, ut inquit *Paracels. c. 7. de Sagis*) quam à septennio se sensisse sanctè affirmavit, quæ & tandem remediis omnibus frustra adhibitis vitam cum morte commutat, aperto cadavere seu abdomine offendebatur abscessus circa carneam uteri substantiam prope vesicam, in quo duo ossicula cum fasciculo pilorum, uti videre est ex eis adjectâ sculptura, reperiebantur. Prorsus similem casum mihi retulit Excell. *Dn. Sebastianus Scheferus* Francofurtensis Collega noster & Amicus dulcissimus, quem Francofurti 1676. una cum Nobilissimo *J. Daniele Horstio & Wizelio* in Ancilla quadam observavit, quæ à quodam Satrapa lethaliter glande percussa fuerit, & vitam cum morte commutaverit, in qua post mortem circa eundem locum maximus fasciculus pilorum cute circumdatus inventus fuerit, cujus ancillæ mater etiam pro venefica habebatur; hæc tantummodo per transennam dicta volo, cùm hunc casum ut & pondus istorum pilorum, qui servantur, adhuc Francofurti in cista Chirurgorum, alius curiosus communicaturus sit.

OBSER-

## OBSERVATIO XXXVIII.

## D. JOH. DOLÆI,

*De*

# Puella à variolis aphona facta, & post septennium inopinatò à Naturâ ipsâ restituta.

PRæterit præter propter Mensis, quo hoc in districtu Hanoviensi, in pago Baccho sacrato Hochstatt dicto, Puella ætatis suæ 10. annorum (quæ in ætate infantili anni sc. tertii variolis malignis laborabat, & ab his, materiâ nimirum peccante per metastasin ad nervos linguæ delatâ, reconvalescens aphona tamen & muta reddebatur, & talis ad annum usque decimum ætatis permanebat, ex improviso tempestate maximè æstuante (fortè materiâ nervos obstruente à calore resoluta) cum parentum & consanguineorum maximâ admiratione loqui incipit & nunc cum quolibet, ac si semper locuta esset, sermones habet.

### *SCHOLIUM.*

ANno 77. Mense Martio puella quædam variolis afflicta & negligenter habita in statu morbi diarrhæâ corripitur, quâ suppressâ, succedit epilepsia, aphonia, mors. Alia plebeja sed adulta jam morbillos negligens in respirandi difficultatem incidit cum tussi & raucedine diuturnâ, exorto autem in regione pectoris ulcere purulento, clarè loquitur, sed eo consolidato, iterum in pristinæ raucedinis affectum abripitur: Utrumque hoc malum ut omni & soli homini in quarto ferè modo proprium, ita raro penitùs expugnatur, quin noxam aliquam in sui memoriam affecto corpori imprimat; ut enim variolæ sensuum organa potissimùm afficiunt, ita quoque Morbilli respirandi facultatem quandoque sic infestant, ut lenta tandem tabe pereant, quod fusiùs enarravi in *Scorzonera mea à pag. 81. & seqq.* [*Argonauta.*]

## OBSERVATIO XXXIX.
## D. SYLV. SAMUEL ANHORNII.
# Anatome Puellæ.

PUella decem annos nata, parentibus ſanis ſimilibus orta, ab infantia ranarum, lacertarum, murium, carbonum, cæciliarum, imò & ſerpentum, omnisque inſectorum generis comeſtione mire delectabatur, ut quæcunque etiam ocurrerent, avidè deglutiret. Annum ætatis circiter quintum agens de doloribus ventris & capitis balbutiendo conquerebatur, cùm per totum vitæ curriculum pronunciare nec verbum valeret. Emaciabatur ſenſim miſera, dolores perſeverabant, tantâ interdum atrociâ affligentes, ut beſtialiter debaccharetur, humique ventre ſerperet. Varia à varijs agyrtis, carnificibus &c. adhibuêre parentes remedia, ægrè verò his doloribus eluctata, (puella) quolibet die paroxyſmos convulſivos, horis incertis & ſub ſpecie multiformi redeuntes habuit, maximè tamen manè & ſub veſperam ventriculo jejuno exiſtente invadentes; redibant hi trium annorum ſpatio ſingulis diebus, ultimis tandem annis typum & naturam mutantes, capitis hîc ibi alliſione & ſuccuſſione, per hypocauſtum veloci curſitatione, atrocique ſtipati ejulatu, redeuntes; per plures ſæpe horas hujusmodi motûs, ſtridoris dentium &c. reciprocationes obire ſolebat, per totas interdum ædes curſitans, caput parietibus allidens, eique ſimul inſiſtens. Agyrtarum medicamentis parum valentibus tædio affecti, barbitonſoris cujusdam opem implorârunt, qui partim per ſuperiora, partim per inferiora Emeticis aliis Catarcticis adhibitis lumbricos diverſæ magnitudinis diverſo tempore ad quadraginta expulit: ſuccedebant à fortiore dato Emetico duæ ſerpentes, aquaticis ſimiles, longitudinem dimidiæ ulnæ habentes digitum parvum craſſæ; vivaces valde erant, nec benè contineri poterant; aſſervabat eas barbitonſor in vaſculo luteo

teo leviore operculo tecto, unde eâ nocte exſilientes procul dubio, manè nec veſtigia amplius apparebant, nullibique nec videri nec deprehendi poterant, ſed cum vaſculum extra feneſtram fuerit poſitum, facillimè in ſubjecta prata recipere ſe poterant: unde tamen infandus in vulgo rumor obortus, puellam dæmone obſeſſam vivos duos evomuiſſe dæmones, qui ſtatim nullibi deinceps viſi ſeu reperti, evanuerint. Mitigatæ poſt hinc convulſiones ſenſim remiſêre nec ad finem uſque rediêre; ſed ventriculus ſpaſmo affectus aſſumta nunquam retinebat, verùm quævis ingeſta vomitu reddebat; barbitonſor ab hoc malo liberaturus, miſeræ tres venas ſecabat, abhinc indies viribus & corpore deficiens, inclemente hoc fato abrepta animam luit. Quantum licebat, ex morte ejus in prædicti morbi diagnoſin, omni parentes pejoris ſuſpicione liberaturus, inquirere ſatagebam: proinde à Reverendiſſimo Abbate cadaveris diſſecandi veniâ impetratâ, ſymptomatum in hoc affectu præcipuè urgentium rationes & veſtigia clarius patebant. Cutis per totum erat diſcolor, in hac parte livida, in illa flava, in iſta ſubnigra apparebat: muſculis ejus in membranas penè emaciatis detractis, idque apertum, tetrum ſpirabat odorem; Omentum conſumtum ferè erat, glandulæ meſenterii induratæ erant. Ventriculus & inteſtina benè colorata, facie externâ ſatis bene habebant: ſed Ventriculus valde inflatus, apertus materiam liquidam cineritiam, plumas compactas, fila, continebat, ejusq; tunica interior absque plicis aut rugis plana evaſerat: Inteſtina tenuia maximam partem erant inanita, flatibus ſolum diſtenta, utpote quæ in perpetuas ferè evacuationes ſollicitata fuerint, quæ etiam pluribus in locis mutuò involvebantur parte unius ſuperficie convexa in alterius concavam intruſâ. Inteſtina craſſa fecibus ſubſtantiæ tenuis impensè ex rubro flaveſcentibus penitus oppleta conſpiciebantur, & quod mirum, nec ulla, vel in ventriculo vel toto inteſtinorum tractu, ſemina, quæque vel augurari liceret, etiam ſedulò inveſtiganti prodiêre. Hepar à ſana conſtitutione plurimùm deſciverat,

verat, fuit namque tumidum & ſubdurum, per totam ſubſtantiam merè ochraceum, exſangue prorſus & exſuccum, in unicum continuum lobum concretum; Veſicula fellea ei adnata bilem prorſus viridem continebat. Sanguis in vaſis inferioris regionis contentus colore cum hepate conveniebat; Lien, qui hiſtrionibus peſſimè ſemper audierat, fuerat prorſus inſons, & quavis culpâ immunis apparebat, prout in maximè ſanis obſervamus, fuit ſubatri coloris, mollis, & ſuperficiei æqualis, è compage ejus diſſecta ſanguis copioſus rubicundus effluxit: Renes culpâ non omni carebant, quos duriores multo membranarum contextui penè involutos reperimus; alter eorum inuſitatæ erat figuræ; in plures ſcilicet lobos findebatur. Pulmones colorem monſtrabant lividum & ichore ſpumoſo tenui penitus infarcti videbantur. Ex utriusque cordis ventriculo polypos exemimus, ſanguis in ſubſtantiam nempe ſolidam flaveſcentem concreverat, quæ juxta cordis & vaſorum in pulmones aſcendentium cavitates effigiata, omnes meatus pertranſiit. Nec minus clara morbi hujus veſtigia in capite deteximus, nam calvariæ oſſa cum difficultate detecta (dura enim mater ſuturis firmiſſimè inhæſit) ſtatim vaſa meninges perreptantia ſanguine plurimum turgeſcere conſpiciebantur, quaſi major cruoris maſſa in capite aggereretur, venis namque imi ac medii ventris ſectis aut ruptis parum ſanguinis effluxit. Pars cerebri corticalis & ejus anfractus undique gelatinæ ſimili humore referti fuêre. Jntegumentis cerebri ſubſtantia prorſus madida & humore ſeroſo ſupra modum irrigata videbatur, qualis tamen nulla colluvies ventriculos inundabat; acriter hic humor linguam mordebat, ingrati ſaporis exiſtens. Plexus chorioideus grandior, ſubdurus & nigricans exiſtens plurimùm à naturali deflectebat: Conſpeximus glandulæ pinealis inſignia crura medullaria; Pituitaria verò glandula liquata quaſi & diſſoluta à viſcoſiore lympha, quæ omnes fere partes irrigabat, vix diſcerni poterat, digitis contrita inſtar grandiorum arenularum oſſicula plura ipſi adjuncta

juncta obveniebant: Paria nervorum ad sensus facientium grandia duodecim monstrabamus. Quas raras etiam demonstrationes adstantibus dedi, eas huc addere vel supervacaneum censeo. Sæpius rariora etiam examinanda mihi occurrunt, quæ in aliud tempus differam: In virgine nuper Episcopicellense matrici inclusas septem diversæ magnitudinis molas videre datum, quæ omnes ad manum adhuc mihi sunt, & fortè typis ab admirandi ingenij Viro *Jo. Conrado Peyero*, mandantur, si id nondum præstitum.

## OBSERVATIO XL.

## D. JOH. GEORGII SOMMERI.

# Imaginationis effectus ex terrore matris in recens nato notatus.

NObilissima quædam matrona prægnans filiolam cum canicula in mensam locaverat, mater mensæ assidens videt filiolam durius vellicare aures caniculæ lusûs gratia secum jacentis: ecce, canicula cum inimico faucium strepitu in filiolæ faciem involat, ejusque nasum dentibus petit. Hoc Nob. mater perterrita, paulo post, justo quidem tempore, sed laboriosè enitebatur filium, qui simul ac in lucem editus esset, ex faucibus ronchum sonorum per 36. horas edebat, qui roncho canis in hostem involaturi non erat absimilis. Cumque hic ronchus usu medicamentorum aut parum levaretur, aut paulo pòst rediret, mulieres dictæ caniculæ os, aures & caudam per os recens nati stringebant, quo facto, ronchus quidem disparuit, sed epilepsia pertinax subsequuta, quæ per Dei gratiam medicis auxiliis sublata est. Post paucos dies in tota corporis pheripheria, inprimis autem circa caput ultra centum ulcera solo ferè sanguine repleta exorta sunt, quibus maturatis & consolidatis infans convaluit & adhuc per Dei gratiam incolumi sanitate fruitur. Ronchus hic sonorus per imaginationem matris fœtûs faucibus, ceu sedi parili, impressus vide-

videtur, quia nævus aut ſignatio plerumque ei parti imprimitur, in qua matres vitium externum obſervarunt. Et quia terrore, ceu crebrâ epilepſiæ cauſâ, ſanguis & humores moti & puri impuris ſunt confuſi, fœtus diſpoſitionem epilepticam facilè contraxit, quæ ſub roncho hoc, ceu canis dormiens occultata quievit, donec cauſa materialis ronchi, ceu frænum ideæ epilepticæ diſſoluta in ipſam epilepſiam, & poſtea hæc, naturæ & medicamentorum vigore in ulcera externa ſe reſolverit.

Molitoris cujusdam uxor tempore geſtationis uteri horrendo ſuis grunnitu perterrita, ſtato quidem tempore, peperit filium ſtrepitum huic grunnitui ſimilem gutture edentem: plebejæ mulieres inſolito hoc in caſu quid agendum anxiè quæritant, tandem â vicinis edoctæ in fimeto corruptas quasdam ſetarum ſuillarum reliquias ab illa ſue, (carne ejus nulla amplius ſuperſtite) infanti per os ſtrinxerunt, quo facto, ſtrepitus ille craſſus deſiit, qui infans in robuſtum juvenem nunc adolevit.

## OBSERVATIO XLI.

## D. JOH. GEORGII SOMMERI.

# Mulier nec ante, nec per, nec poſt partum menſes aut lochia paſſa.

FUit in pago Suſra, in diſtrictu Eblebienſi ruſtici cujusdam filia, *Anna Barbara Kunzin* dicta, quæ per plures annos Eblebii Patri- & Matrifamilias, honoratis, fide & vitâ integerrimis usque ad annum ætatis ſuæ vigeſimum octavum ancillavit, dein ruſtico nupſit, in quo matrimonio tres peperit filios, ſanitate omnino integros. Dicta mulier nec ex eo tempore, quo virgo menſium fluxui matura fuit, nec per conjugii decurſum usque ad terminum vitæ unquam menſes paſſa eſt, imò, poſt trium adhuc pancraticè viventium filiorum partum, ne hilum ſanguinis, ante, per aut poſt partum, præter quædam ſeroſa & pituitoſa evacuata, profudit. Hæc

mulier,

mulier, non solùm singulâ vice sine symptomatibus puerperas comitari solitis, sed etiam sine notabili quadam virium dejectione peperit, adeo ut paulo post singulum partum quædam negotia domestica repetiverit, præter consuetudinem puerperarum propter sanguinis exhaustionem ad similia tractanda inhabilium. In hujus mulieris infantum umbilico resecto sanguis ordinariæ quantitatis & qualitatis repertus est. Mater hæc tam antè qàum post matrimonium semper gestavit ventrem elatiorem, quæ circa annum ætatis suæ 48. febre tertianâ mortua est.

## *SCHOLIUM.*

QUod brutis ferè omnibus naturale est, ut absque menstrua sanguinis evacuatione, qua nempe utplurimum carent, concipiant, id in homine est rarissimum, raro utpote feminis, inculpatæ quæ sunt sanitatis, & ita ad generationis opus maximè habiles, lunari istâ depletione penitus carentibus. Quamvis autem denegatus hîc fluxus sterilitatem in plurimis comitem habeat, atque ita fructus conceptionis, quem flos ille purpureus promittere aliàs solet, raro compareat, cùm tamen fluor iste ad conceptionem nullatenus requiratur, solius utpote sanguinis superflui evacuandi gratiâ succedens, absque eo fuisse quasdam fæcundatas, non adeo mirum esse debet; modò ea corporis adsit laudabilis constitutio, quæ seminis virilis ἐνέργειαν non enervet, aut ovorum muliebrium ab eo fæcundatorum suo ex repositorio in uteri cavitatem depositionem & conservationem impediat. Neque etiam ad istiusmet conceptûs ulteriorem perfectionem, augmentum & nutritionem sanguine illo opus est; cùm humorem fætûs nutritium albidum potiùs ex uteri poris in placentam transsudare, sicque à sanguine diversum planè esse *Thom. Cornelius Consentinus Progymn. 5. & Graafii* aliorumque experimenta nobis persuadeant. Licet itaque sanguis in corpore non abundet, modò humoris istius sufficiens quantitas tum generetur & adferatur, corpusculum fœtûs sibi

ipsi sanguinem in debita quantitate ex eo elaborabit. Prout autem omnes humorum à massa sanguinea secretiones mediantibus glandulis fieri modernorum quorundam laudatissimorum Virorum fert sententia: ita cum hoc quoque nutritio succo rem se habere, est credibile; quæ tamen uterinæ glandulæ omnium ferè oculis hactenus sese nondum exhibuerunt; quas nihilominus adesse, aliorum quorundam animalium glandulosa uteri substantia, quam nempe in ruminantibus satis esse conspicuam, Cl. *Needham cap. 2. de form. fœt.* testatur, eique suavitatem illam, cujus intuitu inter gulæ delicias reponuntur quorundam animalium uteri, adsignat, quodammodo credibilem reddit. A quibus ipsis glandulis non minus perpetuum illum interioris uteri superficiei viscidum madorem commodè derivabimus, è porulis exiguis, vasorum utpote excretoriorum osculis, exsudantem, quo de vid. *Joh. Theod. Schenkius exerc. anat. pag. 713.* & *Regn. de Graaf cap. 8. de mul. org. gener. inserv.* quarum glandularum in utero muliebri veritatem Exc. *D. Casp. Bartholinus, Th. fil.* adstruit in *Vol. 4. Act. Med. Hafn. obs. 20.* earundemque etiam præsentiam scirrhosi uteri tumores, exempla eorum describentibus Nob. *Dn. Jo. Conr. Peyero parerg. 6.* & *præfato Graafio in Ann. I. Ephem. nostr. obs. 128.* evincere videntur. Cæterùm adfluxum illum copiosiorem humoris albuginei à succedente in isto conceptionis actu sanguinis aliqua, in partibus cumprimis generationi dicatis, commotione extraordinaria vel effervescentia concitari, autumo, à qua pori uterini magis dilatantur, sicque humoris istius cum sanguine promtior & copiosior influxus ac receptio, suadente id vasorum sanguineorum statim à conceptione observato paulatino incremento, procuratur. Ratio autem, quam hic ex *Aristotele* nonnulli proferunt, parùm satisfacit; ille enim *lib. 7. hist. animal. c. 2.* scribit: *Fieri potest, ut aliquæ etiam sine mensium profluvio concipiant, videlicet quibus tantum humoris colligitur, quantum iis, quæ purgantur, restare solet, quanquam non tantâ copiâ, ut & foras possint profluere;* quæ sanè falsa ex hypothesi, sanguinem menstruum

integri

integri mensis decursu sensim circa uterum in vasis colligi, àque eorum irritatione, per distentionem nimiam excitatâ, non excluso tamen lunari motu, in uteri cavitatem expelli, statuente prolata sunt; quam nempe & ocularis inspectio, venarum illam paulatinam turgescentiam nesciens, & perpetuus sanguinis in toto corpore motus, quin & sanguinis materni pro materiali conceptûs principio insufficientia, abundè revellunt. Nec ratio à *Joh. Bened. Sinibaldo lib. 6. Geneanthr. tr. 1. cap. 11.* Aristotelicæ superaddita, crassiorem utpote seminum mixturam, jamdudum destructam, urgens quidquam evincit, dum possibilem conceptionem in feminis nunquam menstrua patientibus fieri docet, si tanta sit seminum utriusque conjugis affluentia, quæ sanguinis illius menstrui absentiam supplere valeat. Plura aliàs mulierum exempla, quæ nunquam menstruatæ feliciter tamen conceperunt, præter illud in *Ann. III. Ephem. dd. obs. 132.* adductum, ex variis Autoribus collecta, & ab ipsismet etiam observata, *Jo. Georg. Schenckius lib. 4. Observ. Med. Marc. Donatus lib. 4. hist. med. admir. cap. 23.* & *Joh. Rhodius cent. 3. obs. 54.* recensuerunt.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XLII.

## D. JOH. GEORGII SOMMERI.

# Ulcus fistulosum post hæmorrhoides suppressas.

VIr Nobilissimæ prosapiæ superfluitate fluxûs debilitatus ab empirico radicem inter utramque scapulam suspendendam, radici cichorii simillimam, accepit, quâ adhibitâ, totus sanguinis fluxus desiit. Post semestre spacium tuberculum in perinæo oriebatur, quod postquam proprio motu rumperetur, inter gravissimos dolores per duos annos effluxit sanguis cum serosa purulentia. Ho-

rum dolorum frequentia & materiæ profluentis constantia medicamentis externis & internis levabatur quidem, apertura autem nullo modo mutabatur, nec hæmorrhoidum fluxus medicamentis excitari poterat; demum usu thermarum Pirmontensium ulcus coaluit & dein hæmorrhoides sensim redierunt, quamvis non rarò superfluæ.

## *SCHOLIUM.*

QUod *Celsus lib. 6. cap. 18.* generaliùs, parùm tutò in quibusdam hæmorrhoidum fluxum supprimi, scribit, in iis nempe qui sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt, dum purgationem hanc, non morbum habent, ideoque curati quidam cùm sanguis exitum non haberet, inclinatâ in præcordia ac viscera materiâ, subitis & gravissimis morbis correpti sint, id *Hippocrates sect. 6. aph. 12.* specialiter de hydropis & phthiseos periculo edixerat, atque *lib. 4. Epid. in fine* Alcippum insaniâ, & *lib. 6. sect. aph. 28.* multos pleuritide, peripneumoniâ, phagedænâ, furunculis, terminthis, leprâ &c. correptos fuisse scripserat. Prout & *Galenus* hydropis *lib. 2. de Natur. facult. cap. 8.* melancholiæ, insaniæ, intercostalis inflammationis, morbi renalis, vomitûs sanguinei, hæmoptyseos, paraplegiæ & hydropis letalis *cap. 6. de V. S. advers. Erasistr.* mentionem fecit. Sic etiam lassitudinem, sanguinis mictum, & tandem paralysin ab hæmorrhoidibus, quæ maximo cum fructu singulis mensibus fluxerant, subsistentibus, fuisse insecuta, *Guil. Fabricius Hildanus cent. 2. obs. 11.* recensuit; exemplum etiam mictûs sanguinei à fluxûs hujus cessatione *Th. Reinesius Epist. 44. ad I est.* protulit; hydropis autem *Joh. Rhodius cent. 3. obs. 5.* hydropis atque mensium obstructionis *Frid. Lossius lib. 3. obs. med. 26.* & arthritidis *obs. 24.* insaniæ *Zacutus Lusit. Prax. med. admir. lib. 1. obs. 51.* hæmoptyseos *Amatus Lus. cent. 2. cur. 13. & cent. 5. cur. 3.* Cùm enim sanguis ille per hæmorrhoides evacuari solitus vel quantitate, vel qualitate etiam peccet, violentiori illâ suppressione in corpore coacervatus & turgescens, quacunque datâ portâ, exitum

exitum molitur, aut etiam impuritatibus suis viscera inficit. Fuisse autem radicem illam, ab Empirico commendatam, ex Cichorii familia, facilè credi potest, quam nempe hæmorrhagias sistere ab aliquibus credi, alii jam notarunt; quos inter *D. Joh. Schröderus Pharm. Med. Chim. lib. 4. class. 1. cap. 96.* & *D. Frid. Hoffmannus in animadvers.* Quòd verò in ipso nativitatis B. Mariæ festo colligenda esse præcipitur, si quis diem illum simpliciter inculcare voluerit, vix à superstitione immunis erit censendus: secus verò, si virium tantùm vigorem, qui sanè in isto auctumni principio non omnino deesse deprehenditur; id quod *Schröderus* voluisse dici fortè debet, cùm *in sua exaltatione* collectionem designat; licet idem *lib. 1. cap. 23.* cichorii radicem eas inter, quæ vere colligendæ, reposuerit. *Poppius* autem, sole cor Leonis ingresso, integram Cichorii plantam acervo formicarum impositam, in quo flores rubicundi evadant, pro miraculo ideo habiti à *Jo. Bodæo à Stapel*, quod tamen eximere studuit *D. Sim. Paulli class. 3. quadrip. botan. cap. de cichor.* & spiritui formicarum acri, juxta cum *Poppio*, adscripsit, commendat. Aliis tamen virtutem illam non simpliciter Cichorii radici, sed cujus flores albi sunt, & quidem certo tempore collectæ, tribuere tantùm libuit; hinc varia, merè tamen superstitiosa, in collectione observanda, in *Practica MS. Petri à Castro* præcipiuntur, mediam nimirum horam ante solis ortum eligi debere, unico tractu integram plantam evellendam, ideoque circumcirca terram novo cultro, cujus manubrium sit nigrum, priùs esse excavandam. Aliud pro superfluo illo fluxu admirabile, uti vocat, inque seipso expertum secretum *Dominic. Auda in Secret. libello*, radicem scilicet Caryophyllatæ montanæ maj. rotundifoliæ in vere collectam & adpensam commendat. Quorum Amuletorum virtutem certis in casibus & debita cum cautela adhibitam non prorsus negaverim; quo tamen modo operationem suam perficiant, non omni caret obscuritate; Licet enim Cichorio insint particulæ, præternaturales biliosi sanguinis motus compescentes, aut etiam alios

impuros,

impuros, craſſos, acore vel acredine infeſtos humores, qui liberum ſanguinis motum impediendo, ejusdem per loca illa effluxum fovere poſſunt, àque *Galeno* ſub nomine ſanguinis craſſi feculenti proponuntur, alterantes; & licet porrò in Caryophyllata virtutem vaſa nimiùm hiantia adſtringentem, ſeroſioremque ſanguinem balſamico ſuo ſulphure & ſale emendantem agnoſcere teneamur, hasque etiam per poros corporis intromiſſas, & cum ſanguine totum corpus permeantes, operationem ſuam peragere poſſe, vix quisquam diffiteatur, tantum tamen effectum exin ſubſequi meritò admiramur, ſi, paulatinâ exhalatione ſic ſuadente, intromiſſarum atomorum paucitatem conſideremus, cùm tamen ipſa in ſubſtantia, & quidem largè ſatis ſimilia in corpus adſumta eandem vim non exſerant. Niſi fortè hic digeſtio in ventriculo ſubeunda nativas virtutes multùm immutet, antequam ſanguini commiſceantur; id quod, præcipuè cùm tenuiores, ſubtiliores & certo reſpectu præſtantiores ſolùm per cutis poros ingrediantur, atque immediatè cum ſanguine uniantur, imò & quandoque per fortiorem in periapta ſimilia fiduciam, à tot obſervandis in collectione & præparatione ceremoniis non parùm excitatam, in actione roborentur, ab externè adpenſis non adeò erit pertimeſcendum.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XLIII.

## D. JOH. GEORGII SOMMERI.

# Vomitus ex admoto cruribus decocto croco metallorum.

PUero trienni pertinaci herpete miliari in crure affecto poſt adhibita univerſalia decoctum croci metallorum externè admotum aliquoties movit vomitum, poſtque ejusdem adhibitionem herpes diſparuit.

*SCHO-*

## *SCHOLIUM.*

PUrgantium externè adhibitorum virtutem illa inprimis medicamenta, quæ umbilico, ex fortioribus præsertim, helleboro & colocynthide, confecta, imponuntur, satis evincunt; quâ nempe in adplicatione particulæ minimæ & spirituosæ pharmaci, calore corporis excitatæ commoventur, àque transspirante vapore quasi extrahuntur, unde per poros immissæ & sanguini confusæ illum acredine suâ exagitant, serumque colliquando ad excretionem largiorem disponunt; qua ratione in specie mineralium purgandi vim in volatili eorum parte consistere Cl. *Dan. Sennertus cap. 18. consf. & diff. Chim. cum Gal.* statuit; quâ nempe per ignem fixatâ, illam ipsam purgandi potentiam perire observamus. Ubi verò illæ antimonii vel croci metallorum subtiles & acres particulæ non omni veneni labe penitus carent, atrocium sæpè convulsionum causæ, ita & hoc in Casu spasmodicam illam stomachi commotionem excitare potuerunt. Hinc tot alios odore saltem catharticorum hausto sufficienter fuisse purgatos, non miramur; qualia exempla passim, veluti in *Ephem. N. C. Ann. IX. obs. 194.* apud *Ill. Rob. Boyle de nat. determ. effluv. cap. 5. & cap. 6. de insign. effic. eorund.* Exc. *D. Conr. Vict. Schneiderum lib. de oss. cribrif. D. Jo. Nic. Binningerum cent. 2. obs. 86. Phil. Höchstetterum dec. 4. obs. cas. 8. in Schol. Henr. Salmuthum cent. 3. obs. 8.* legimus. Id quod inprimis fieri posse est verisimile, dum in porosam narium substantiam partim insinuantes se particulæ catharticæ ipsi sanguini commiscentur, partim etiam in ipsum ventriculum, dum ex naribus in palatum cum aëre penetrant, descendunt. Quamvis hîc utplurimum imaginationis singularem efficaciam concurrere, fateri debeamus; prout sanè cum odore illo hausto ferè semper magnam catharticorum nauseam fuisse conjunctam, historiæ illæ abundè loquuntur; ita ut dubitare propemodum liceat, num majorem in istis omnibus exemplis per odoratum immissæ purgantium aporrhœæ, quas satis debiles

Q esse

No. 15.

Item Re. 4. Annus ...

eſſe aquæ eorum deſtillatæ arguunt, corporis evacuationem, vel potiùs faſtidium & averſatio medicamenti commoverit; præcipuè cùm multos etiam absque ſimili odore ullo percepto, viſo tantùm pharmaco, aut mentione ſaltem ejusdem factâ, fuiſſe ſufficienter evacuatos, præter alios, *D. Th. Bartholinus cent. 5. hiſt. 64. D. Frid. Hoffmannus meth. med. lib. 1. cap. 8. Salmuth l. c. obſ. 14. & dd. Ephem. Ann. III. obſ. 152.* teſtentur. Atque id quâ ratione fieri queat, omnium optimè edocuit Exc. *D. Jo. Conr. Peyerus diſſ. 1. de gland. inteſt. part. 2. cap. 7.* ſi etiam, quòd Pilulæ quandoque integræ, &, oculorum fide ſtare ſi liceat, immutatæ, exemplum ſuggerente *Binningero cent. 4. obſ. 13.* corpore nihilominus catharſin ſubeunte, iterum ſupernè vel infernè ejiciuntur, præter ſubtiliores molecu'as ex iisdem extractas, perque lacteas in ſanguinem transfuſas, aut etiam nerveam inteſtinorum tunicam vellicantes, eidem imaginationi, nauſeâ excitatæ, commodè adſcribimus.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XLIV.

### D. JOH. GEORGII SOMMERI.

*De*

## Ovo in Ovo.

MAtrona genere & virtute Nobiliſſima *Kinigunda de Wangelin, nata de* Löſchbrand/ ante biennium hîc loci coquum ſuum ex ovis gallinarum Indicarum cibum præparare jubebat, quæ cùm frangerentur, in uno aliud ovum continentis ovi vitello & albugine circumdatum inveniebatur, quod adhuc reſervò, columbino majus.

### *SCHOLIUM.*

OVa in ovis reperta etiam deſcripſerunt *Ciſta Med. Hornungi Epiſt. 256. Guil. Harveus de generat. animal. exerc. 11. Th. Bartholinus in app. Gammarol. Sachſ. cap. 16. cent. 3. epiſt. 42.* & alibi, *Epheme-*

*Ephemerides nostræ Ann.I.obs.36. Ann.III.obs.32.* & *Ann.VI.obs.8.* nec non *obs.122.* Quomodo autem talis ovi prægnantis generatio fieri queat, Nob. *D.Georg. Sebast. Jungius cit. Ann.II. Eph.* satis probabiliter ex consuetæ & naturalis ovorum generationis fundamento proposuit. [*Luc. Schröck. L. F.*]

*Videatur Observatio superior XVII.*

## OBSERVATIO XLV.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

*De*

# Monstro ovillo.

DIe 11. Septembr. è Macello nostro Monstrum ovillum allatum mihi est: Duæ fœmellæ ovillæ se invicem amplectentes ab umbilico ad maxillam inferiorem usque coaluerunt: à dextris qui hærebat fœtus, subsultu quodam validiore pedibus anterioribus premebatur, ut articulatio anteriorum pedum fœtûs sinistro in loco hærentis propè scapulas retrorsum acta fuerit. Fœtus sinistri nasus quidem oblongus, unico narium foramine pertusus erat: palatum ad cranii ossa sphæroidea amplo foramine hiabat, aberant ossa spongiosa; nullum os vomer conspectum. Labium & maxilla inferior utriusque animalculi adeò fortiter cohærebant, ut unicum oris hiatum formarint, superiori maxillæ utriusque quàm exactissimè adaptatum, adeò ut dextri capitis maxilla inferior sinistri capitis maxillæ inferiori firmissimè in angulo conjuncta fuerit. Sterni cartilagines firmiter coaluerunt. Sterno incumbebant scapulæ anteriores. Cartilago mucronata exactè ad commissuram costarum hepati incumbebat, XIII. costæ utrinque fuerunt. Cætera viscera duplicata erant. Collum & ejus vertebræ propter constrictionem costarum antrorsum torquebantur.

# OBSERVATIO XLVI.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

## Examen Anatomicum Mustelæ fluviatilis.

MUstela fluviatilis piscis in Helvetia vulgaris est, & vernaculâ linguâ **Treusch** vocatur. Amplum eios, & series dentium acutissima ac tenuissima, in utraque maxilla branchias habet, quæ foris teguntur auriculis complicatis, fibrosis & glutinosis. Pinnæ quatuor in thorace existunt, quarum binæ medium continent, reliquæ duæ ad latera consistunt: sed hæ illis majores sunt & latiores: Ab ano versus extremum caudæ alia pinna protenditur nigræ marginis aut oræ. Idem fit etiam in dorso: ad caudam tamen utraque pinna quasi sulcata apparet.

Corporis color è flavo viret subinde, nigris punctis & maculis hincinde resplendentibus variegatus. Venter magis albicat. Superficies lubrica & glutinosa est, quippe quam mucus perquam viscidus squammarum loco obducit. Musculorum interstitia plus quàm triginta per cutem apparent, & sub cuticula inde à cauda usque ad oculos & nares utrinque juxta latera corporis effertur insigne vas lymphaticum, tot valvulis instructum, quot sunt musculorum interstitia, in quæ etiam surculi è vase lymphatico supernè & infernè distribuuntur. Vasa autem ista oriuntur à capite & inter se coëunt ac conspirant, humoremque limpidissimum vehunt, glutinosum tamen, utpote quo corpus lubricum redditur.

Prope anum conspicua sanguinea vena rectà per ventris superficiem ad pinnas anteriores pectoris tendit, indeque transversim ab una ad alteram pinnam defertur; Ab hac vena surculi in singula musculorum interstitia utrinque sparguntur: sed in iis tamen nec valvulæ apparent, neque ullum cum lymphaticis vasis commercium.

In

In imo ventris foramina duo proſtant, majus & minus: illud ducit in alvum & inteſtina: hoc in veſicam noviſſimo inteſtinorum adnatam & humore plenam: veſicæ huic adhærent utrinque fibrillæ cavæ, ortæ à binis glandulis rubentibus & concavis infimum locum in abdomine utrinque occupantibus: puto renes eſſe, ureteres, & veſicam, nî alii meliora doceant.

Præterea notavimus propè anum teſticulos geminos, oblongos, quos aliàs lactes vocant, in quos vaſa ſpermatica à vena cava oriunda miro textu inſeruntur. Cæterùm uniti erant teſtes cum ano & veſica propter exitum.

Longitudo inteſtinorum cum ventriculo & gula dimidium ulnæ æquavit.

Pylorum ſtipârunt inſignes glandulæ. Inde via patet utrinque ad proceſſus ſex vermi ſimiles ſeu appendices cæcas, in quibus cibus meliùs digeritur & perficitur.

Veſicula fellis oblonga & viridis bilis amariſſimæ plena in duodenum inſerebatur: à duodeno inteſtina tres convolutiones deſcribebant, antequam ad rectum pertingerent.

Huic lien vicinus erat, qui aliud nihil eſſe videbatur, quàm maſſula carnea rubicunda & tenuis, ramulos à vena ſuperiore recipiens. Per dorſum enim utrinque inſignes venæ duæ verſus cor & branchias tendunt.

Hepar albicabat & conſtabat ex unico lobo, qui ſuperiùs quidem diaphragmati membranoſo: inferiùs autem ſtomacho & ejus proceſſibus jungebatur.

Accidit aliquando Muſtelis fluviatilibus hepar eſſe morboſum & pure vermibusque repletum. Veſica pnevmatica vertebris dorſi molliter hærebat.

Aperto thorace ſupra diaphragma membraneum erat cor, cujus auriculæ unicæ vena cava infernè inſeritur: ſupernè autem ex apice quodam emergit arteria aorta, radice albâ & rotundâ inſtar bulbi ſuffulta.

Superiùs propè occiput glandulæ rubentes duæ crassiusculæ & multis nervis pertextæ cernuntur.

Infra cor sub branchiis vena cava duplex fit, &, ut jam dixi, rectà secundùm dorsi longitudinem utrinque deorsum tendit.

Arteria è corde prodiens sanguinem per omnes branchias circumfert, ut aërem vitalem è poris aquæ suscipiat. Nam branchiæ piscium nihil aliud sunt, quàm arteriæ in minutas propagines dissectæ, & basi cartilagineæ apicibusque affixæ.

Basis branchiarum sustinet linguam cum osse hyoide. In fine autem hæc basis denticulata est, id quod etiam in Lucio pisce observavimus.

Lingua brevis est & carnosa.

Narium foramina manifesta sunt. In Palato alius adhuc dentium ordo reperitur.

Oculus musculos sex habet: His quandoque inhærent insecta, inde ad palatum usque dependentia, quorum descriptio hæc est:

Pedes duo teretes, geniculati & apicibus splendentibus albis instructi, à ventre crassulo, punctato & rotundo, sed instàr cimicis compresso dependent. Ventri hæret caput, è cujus utroque latere binæ quasi manus & brachia prominent, ocellum quendam mirè pellucidum & convexum sustinentia. In capite præterea duos oculos nigricantes observavi & barbulam & osculum latius: ocellus alter, quem sustinebant brachia, firmiter mustelæ oculo infixus hærebat, ita ut insecta hæc fortè humorem oculorum eliciant & mustelas excæcent: nam cæcas reddi *Gesnerus* asseruit.

Utrinque ponè cerebellum oblongos & pellucidos lapillos reperi.

Nervi olfactorii insignem longitudinem obtinebant.

Cerebrum magnum erat; Glandula autem pinealis minima. Nates elegantes. Nervi optici maximi. Glandulam pituitariam obverso cerebro vidi.

Præterea

Præterea quæ de Mustelæ hujus delicato jecinore, horumque grandine, de ventriculi & appendicum viribus miris & oleo in suffusionibus, ab Authoribus tradantur, vide *Joh. Jonston. Thaumatograph. natural. de piscium admirand. pag. 420.*

SCHOLIUM.

BRutorum anatome quamvis primo intuitu res nullius momenti esse videri queat, quâ ideo in hoc Opere frustra aliquot onerentur paginæ, cùm tamen non merè medica hîc tractare, sed & quæ Medicinæ inserviunt, physica, ipsum societatis nostræ nomen indicet, & Naturam intimiùs investigâsse vix dicendus sit, qui nudâ nominum contemplatione incertisque ac sæpe fabulosis quarundam proprietatum relationibus contentus diversorum animalium penetralia curioso ferro, inspectione, & consideratione non adierit, nemo jure nobis propterea irasci poterit, quin potiùs hujus Observationis Autori clarissimo, cæterisque simili in arena exercitatis magnam debebit gratiam. Quamvis nec ars nostra medica, à simili exercitatione nullum in se redundare commodum, conqueri valeat, quem sanè multiplicem nobis exposuit Exc. *D. Joh. Jac. Wepferus* in *Schol. ad Obs. 167. Anni III. Ephem. nostr.* & *b. Th. Bartholinus præf. Anat. reform.* nec non §.7. *Consil. de anat. pract.* Neque *Helmontio* elegantior aliquis Medicus facilè auscultabit, qui §.*33. tr. ignot. act. regim.* omni curiositate anatomicâ valere jussâ, situm, colligationem & usum partium novisse, pro anatome sufficere judicat; uti enim v. g. substantiam partium ritè perpendisse, magna est necessitas, quam tum morborum cognitio, tum & curatio abunde ostendit, & vel unica intestinorum consideratio, à Cl. nostro *Peyero* curiosè tradita, edocet, hac autem ignoratâ, neque de usu solidè quid unquam enunciari poterit: ita cur, tempore & occasione ferente, cadaverum artificiosam lanienam, & vel per totam vitam, exercuisse, vasorumque etiam minimorum ductus investigâsse &c. opprobrio verti debeat, nullam sufficientem causam protulit *Helmontius.* Laudabimus itaque potiùs curiosos ejusmodi Anato-

Anatomicos, & porrò manum ſtudio huic commodare ut dignentur, perofficiosè rogamus.

[*Luc. Schröck. L. Fil.*]

## OBSERVATIO XLVII.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
# Examen Anatomicum Truttæ magnæ.

SAlmoni ſimilis eſt Trutta lacuſtris, Tigurinis familiaris piſcis, quem vernaculâ linguâ **ein Fŏrenen** appellant, maculis variegatus, & toto corpore ſquammoſus, in dorſo autem medio pinnâ unicâ, ac ponè caudam minore aliâ & carnoſiore inſignis: illa ſpinis 14. extenſa erigitur. Cauda falcata eſt & nigricat. Rurſus alia pinna ſub alvo duodecim coſtis cartilagineis ſuſtentata anteriùs rubet: in ventris medio, ut & ſub branchiis duplicatæ pinnæ juxta ſe invicem poſitæ cernuntur & utrinque ſecundùm corporis longitudinem deducta linea à capite ad caudam tendit. Hoc quadantenus acuminatum eſt, & aurium loco branchias duas obtinet, complicatis in ambitu inferiore appendicibus præditas. Utrinque duplicia narium foramina adſunt, ad cerebrum usque porrecta. Intra orbitam oculi perſpicua cartilago mollior loco carunculæ lachrymalis apparet. In ore quadruplex ſeries dentium acutiſſimorum à parte ſuperna & inferna conſpicitur. Oculi prægrandes ſunt, & circulo vireſcente cincti. Præterea diſſecto piſce invenimus ſub inteſtino recto tranſitum in veſicam urinariam oblongam, ſitam ſupra veſicam pnevmaticam, quæ prælonga eſt, membranacea, & tenuioris texturæ. Ex illius latere dextro ureter amplus tendit ad glanduloſam carnem, ſecundùm ſpinam dorſi ſitam, & peritonæo contectam. Inteſtinum rectum utrinque venis lateralibus inſtructum eſt; ſummum inteſtinorum denſo agmine ſtipant appendices cæcæ, & infra pylorum creberrimis oſculis in id dehiſcunt. Inteſtinis

teſtinis utrinque adhærebant membranæ pinguedinem continentes. Ab ore viam ducebat per gulam digitos aliquot tranſverſos longam, & intrinſecùs fibris rectis ſulcatam, qui referebat manicam Hippocratis. Inde retorquebantur inteſtina. In fœmellis ovaria utrinque conſpiciuntur, ovorum multis millibus inſtructa. Ova rotunda ſunt & inter ſe cohærent inſtar ſpermatis ranarum. Hepar oblongum eſt, & unico lobo præditum, in hujus medio veſica bilaria cernitur, bilem ſtomacho infundens. Lien triangularis ſtomacho ſubjacet. Cor inter branchias locatum, muſculoſam carnem æmulatur, pericardioque communi & amplo involvitur. Auricula ei fuit unica, ſed in binas partes divulſa. Ab auricula vena cava tendit, tum ad hepar, tum ad corpus illud nigricans oblongum ſpinæ inſtratum, è quo, ut ſupra innui, ureter in veſicam tendit. Ventriculus cordi unicus eſt. In principio äortæ diſpoſitæ ſunt valvulæ tres ſemilunares. Aorta autem intra branchias ſurſum fertur, & ſanguinem omnibus earum fibris largitur: hinc iterum deorſum tendens progreditur ad carnes & viſcera: venarum & arteriarum propagines branchiis ſunt inſignes, quarum ſurculi in apicum cacumine utrinque aſſurgunt.

## OBSERVATIO XLVIII.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Examen Anatomicum Veſpertilionis fœmellæ.

VEſpertilionum pili mediam inter plumas & crines naturam obtinent. Illorum color erat fuſcus, ac in dorſo magis ad ſpadiceum vergens: Alæ latæ ſunt, depiles, articulumque duplicem ſuſtinent, ut duobus in locis complicari poſſint. Loco Carpi deorſum porrigitur oſſiculum prælongum, quod alam extendit, duplici geniculo flexum, ac mobile. Sequitur hoc aliud longius ad apicem

alæ protenſum, itidem duobus geniculis flexile. Tertium & quartum eodem modo digitorum inſtar flectitur. Tandem in ſummitate apex pollicis inſtar ungue armatus, & quaqua verſum mobilis exit. Superius paulò cubitus adeſt, qui cum humero per ginglymum aptè conjungitur. Ab inferiore parte radius, à ſuperiore ulna proſtat. Os brachii unicum, figurâ cum brachio muris vulgaris convenit. Naſus utrinque binis papillis & myſtace inſignis eſt; Dentes apparent felini. Aures amplæ, quarum anthelix oblongus ad aërem benè reverberandum. Extremitates helicis usque ad inferioris maxillæ rictum tendunt. Oculi ſplendent. Pectus latum eſt, & munitum Claviculis: Venter proportionatus: Coxendix ampla. Femur ex unico oſſe conſtat. Tibia adeſt, & Fibula. Muſculi autem tarſi in ipſis alis firmantur; Harum membranæ duplicatæ ſunt, ut intra duplicationem nervi ſecurè diſtribuantur, adeoq́ue partim à Muſculis Brachii ſupernè, infernè à muſculis femoris, tibiæ, tarſi, & ipſorum digitorum alæ utrinque ad nutum moventur. Cauda Veſpertilionis rotunda intra alæ duplicationem latebat. Pes articulos habet ſeptem, ſex digitos, quorum poſtremus calcari oblongo donatur, retortâ cuſpide aut incurvatâ inſtar unci, quo utuntur ad ligna ex aquis educenda. Vide *Ephemerid. Curioſ. ann. IV. Obſerv. 182. Frid. Lachmund cum Icone.*

Muſculus pectoralis inſeritur oſſi humeri, illudque antrorſum movet. Huic muſculo ſubjacet ſternocoracoidæus. Muſculus adeſt quoque ſubclavius. Deltoides tendinem ſuum mittit ad Cubitum, quem ſurſum trahit. Biceps iterum extendit. Brachiæus in gyrum movet. Scapulæ proceſſus inferior acutus eſt.

Hepar jacet in ſiniſtro hypochondrio. Ren dexter ſuperiore loco poſitus eſt, ſiniſter inferiore. Inteſtinorum longitudo dimidiam ulnam æquabat, integerq́ue ductus æqualis erat capacitatis. Uterus bicornis erat, & præditus ovario duplici.

Partes

Partes cæteræ intraneæ nihil differebant à muris visceribus, quæ exposui *Clav. Med. p. 543.*

## OBSERVATIO XLIX.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
*De*
# Mustelæ Anatome.

QUæ in *Clave Medicinæ* olim de Gazela seu Capra Sylvestri Africana tradidi, nuper illustravit Experientissimus & maximè curiosus *Celsus* noster, in *Historia Moschi* fragrantissima *pag. 42.* Huic quæ de Mustela fœmella repetii experimenta sequentia adjungere placet: Mustelæ caput tanquam soricis in acutum desinit. Mystacem setæ ornant, quæ etiam superciliorum locô positæ sunt. Dentes felini sunt, aures subrotundæ, ac in duos helices sectæ. Corpus proportione longius existit; apex caudæ nigricat. Anteriorum pedum digiti quini sunt, æquè ac posteriorum. Oculi fusci. Odorem corpus exhalat acutissimum, & fœtidissimum, ut adstantes dissipatis spiritibus fermè in lipothymiam incidant. Pectus longum est. Septem lobis distinctum erat hepar, idque pallidum, & vesicula exili præditum. Uterus felinus. In extremitate cornuum duo testiculi glandulosi cum ovulis conspicuis. Longitudo intestinorum sesqui ulnam æquabat. Murium pili stomacho continebantur. Colon deerat. Ren sinister altiori fuit loco positus quàm dexter; in medio papillam habet uterque desinentem in pelvim: Utrinque XIV. costæ numerantur, decem sterno continuæ, quatuor breviores. Claviculæ adsunt. Quatuor lobi pulmonum erant in dextro latere, in sinistro gemini. Cor subrotundum. Viginti sex vertebræ spinam absolvebant à capite ad anum. Nervi optici usque ad meditullium cerebri separati ferebantur, quod & Londini quondam in felibus quibusdam miro naturæ lusu

 spectavi.

ſpectavi. Cerebellum permagnum erat. Oſſeum penem mares poſſident. De Muſtela plura vide apud *Geſnerum, Jonſtonum de Admirandis Quadrupedum p. 324.* & Amicum *D. Wagnerum in Helvetia Curioſa p. 181.*

## OBSERVATIO L.

## D. JOHANNIS de MURALTO,

*De*

# Aquilæ Anatomiá.

AQuilæ ſaxatilis Peritonæo adhæret Omentum, quod inteſtina propemodum involvit. Muſculus Pectoralis ſterno ſuperſtratus ad medium usque cubitum pertingit; ſub hoc muſculo vaſa plurima conſpiciuntur arterioſa æquè ac venoſa. A parte ſuperiore Muſculus Pectoralis claviculam attingit, quæ firmiter ſterno jungitur. Hepar, ventriculus, & lien propriæ membranæ intra coſtas involvuntur, ſed ſpiritalia membra ab iſtis partibus Diaphragma ſeparat, quod vix ac ne vix muſculoſum eſſe apparet. Coxendicis oſſis extremitates cartilagineæ circa anum coëunt. Ad inteſtini recti principium duplex inteſtinum cœcum viſitur; in medio tranſitus patet ad inteſtina reliqua. Colon viret propter viciniam bilis, cui ſupernè jungitur. Pancreas duplex eſt. Et duodenum, & ſtomachus, & hepar glaſteo colore tincta fuerunt à bile. Inteſtina omnia ulnas duas æquarunt. Lobulus, ſeu Particula hepatis ſubrotunda veſiculæ fellis adponebatur. Gula ingentis fuit amplitudinis, ſub cujus initio glandulæ inſignes velut in corona conſitæ. Convoluti pili ſtomacho continebantur, & mucus ſanguineus ac bilioſus viſcidus. Præter ſupradictum hepatis lobulum, qui fortè lien eſt, Hepar in duos lobos ſat magnos diviſum erat. Ureteres utrinque inteſtino recto inſeruntur. Supra renes conſiſtunt utrinque glandulæ duæ ſuccenturiatæ, vitello ovi colore ſimiles.

miles. Renum figura oblonga eſt, pelve & carunculis papillatis præditorum & in tres lobos diviſorum.

SCHOLIUM.

COnferatur Anatome Aquilæ à celeb. *D. Ol. Borrichio* inſtituta, quam *lib. 1. de Herm. Ægypt. cap. 10. §. 7.* exhibuit, & biennio ante in *Act. Medd. Hafn. Volum. 1. obſ. 2.* Nob. *D. Thom. Bartholinus* communicaverat; hiſtoriam etiam muſculorum aquilinorum in *dd. Act. volum. 2. obſerv. 127. D. Nicol. Steno* inſtituit.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LI.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

## Noctua vulgaris.

NOctua, quam nos Tiguri die XIII. Maji MDCLXXVII. diſſecuimus, Geſnerianæ deſcriptioni convenit per omnia.

Hepar in duos lobos diſtinctum eſt, quorum parti mediæ veſicula fellis ingens & turgida adhæret. Ductus ab Hepate mox ſuperato Pancreate inteſtina ſenſim perforat. At ductus è veſicula aliâ viâ incedens locô ſuperiore in duodenum inſeritur. Infra veſiculam fellis lien eſt. Inteſtina cœca duplicia ſunt, & in rectum deſinunt. Rectum inteſtinum abit in podicem, qui ſacculus eſt latus & amplus, ligamento forti lumbis annexus, ac utrinque membranis firmatus. Ad œſophagum ſita eſt cruſta glanduloſa, ventriculum præcingens: ſingulæ glandulæ oblongæ ſunt, & cylindriacæ, ac in tunicam ſubjacentem vaſa dimittunt, & ſuccum ad diſſolvendam alimoniam. Stomachum internè flava pellicula ſuccingit. Pylorum plexus glandularum tubulatarum ſtipat. Renes oblongi ſunt, latentes in cavitatibus oſſeis lumborum. Illis supernè adhæſerunt teſticuli, quorum vaſa deſinebant ad

alvum. Cordi duo ſunt ventriculi, totidemque auriculæ. Lingua & trachea perinde conſtituta erant, atque in noctua ſaxatili, quam poſtea deſcribemus. Narium foramina intùs ſuccingebantur tubulo membranaceo. Oculi protuberabant inſtar nodorum cryſtallinorum, & valdè ſplendebant. Locô orbitæ cornea membrana cernitur, in cartilaginis ſubſtantiam abiens. Cranium ſpongioſum eſt. Figura oculorum non rotunda erat, ſed in baſi depreſſa. Humor cryſtallinus planè ſphæricus eſt. Foramina aurium manifeſta erant, & patula, at auriculæ non tantæ, ſicut ſaxatili noctuæ. Cerebrum valdè flaccidum.

Noctuæ, quam primo Februarii Anni MDCLXXIX. ſecuimus, in ſiniſtro uretere hærebat calx & arena è renibus delata, quæ cùm ob craſſitiem tranſire non poſſet, ureterem tantoperè dilatavit, ut veſicam æmularetur.

### SCHOLIUM.

QUæ de duplici cæco inteſtino, eoque longo, ventriculo amplo & membranoſo, œſophago craſſo, (ſive glanduloſo) hepate molliſſimo, veſiculâ fellis mediocriter amplâ, oculorum item ſtructurâ ſingulari habet *Marc. Aur. Severinus*, in *Zootom. Democr. pag. 336.* videri poſſunt. Noctuas muſculis oculorum carere, Exc. *D. Joh. Dan. Major pag. 16. Hiſt. anat. Kilon. prim.* prodidit, unde aliorſum videre volentes caput totum convertere opus habeant; *niſi tamen*, addens, *veriſimile ſit, quid analogum adeſſe, e. g. membranam aliquam villoſam, uti de Chamæleonte ex Panarolo refert Bartholinus.* [*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LII.

## D. JOHANNIS de MURALTO,

# Noctua Saxatilis rara.

### Die 7. Maji Anni 1680. capta,

TIguri capta fuit Noctua rara, cui roſtrum erat aduncum & foraminibus binis, ceu naribus pertuſum. Oculi inſignes, ac

ac altè reconditi, latisque obvelati palpebris, margine nigricante & circumcirca ciliorum loco pennis rotæ instar ambientibus. Retrò plumeum hunc circulum notantur aures cum auriculis. Auricula quævis lunata est, & foramen auditûs totaliter obtegit. Operculo amoto audiendi organa conspiciuntur, nimirum circulus osseus cum membrana tympani. Post aurem pennæ sunt reflexæ, ne quod obstaculum præbeat auditui, nec crispæ sunt sicut in ciliis, sed latiores & altiores, sic, ut supra priores assurgant. Ciliorum plumæ albicant. Aurium è spadiceo flavescunt. In dorso cæsii sunt coloris, & quasi oculatæ plumæ tanquam in Pavonibus, attamen diversi coloris. Cauda & alæ eandem habent longitudinem, & griseis lineis tribus, quatuorve notatæ sunt, quarum basis pallescit. Venter omnis albicat, subinde nigricantibus punctis pictus atque guttatus. Pedes plumosi sunt usque ad ungues. Hi singulis pedibus quaterni. Longitudo totius avis ulnam mediam superavit; Latitudo passis alis integram. Caput Noctuæ vulgari simile, minus tamen & corpori reliquo proportione respondens. Aperto abdomine pinguedinem circa alvum copiosum observavimus. Ventriculus erat durus, rugosus, & pinguedine obsitus: in quo notavimus & murem vulgarem ferè digestum, & rubeculam avem cum plumis & pilis. Pancreas oblongum. Pylori valvula insignis. Et infra hanc plexus glandulosus apparuit. Intima ventriculi membrana facillimè separabatur à reliquis. Propè ductum Pancreatis meatus bilis tendebat in duodenum. Fellis autem vesiculam desideravimus. Intestinum cœcum duplex fuit. Longitudo omnium intestinorum ulnam nostratem assequebatur. Extremum intestini sacci instar dilatatum ac amplificatum erat. In Pectore Mediastini pericardii amplexu cor oblongum duplici ventriculo præditum claudebatur. Inferiùs duo hepatis lobi insignes, & à latere lobulus alius rotundus unicæ fibrillæ adhærens spectabilis erat, quem lienem esse existimo. Seminis vasa ab Aorta utrinque testes petebant. Mas enim erat, quippe

quippe cui testes oblongi, ad utramque extremitatem liberi, & humore mucoso pleni. Infra testes, sub Peritonæo latent renum corpora, intra cavitatem processuum transversorum vertebrarum lumbalium recondita: inde ureteres in dilatatam alvi extremitatem abeunt. Singulares musculi asperam arteriam suffulciunt, qui feruntur ad pectoris latera & originem suam nanciscuntur paulò supra Tracheæ divisionem. Lingua anteriùs carnea est, posterius dura, & tantùm non ossea. Laryngis hiatus amplus, ponè quem eminebant papillæ tergeminæ. Oesophagus valdè dilatatus erat. Cranium spongiosissimum erat, nec durum.

In Cerebro ventriculos distinctos non vidimus. Tredecim collo vertebræ fuerunt. Costæ in universum sex, sterno junctæ. Digitus medius ex altera parte serratus erat, quemadmodum etiam in Ardeis.

## OBSERVATIO LIII.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
# Anatomia Pediculi.

PEdiculi caput insignes habet oculos protuberantes & nigros, ad latera suturæ sagittalis positos, hinc ab eorum angulis majoribus surgunt utrinque anteriora versus cornua, instar crystalli transparentia, quinque nodis hispidis verticillata. Os hispidum est, scutoque tectum acuminato: ab oculis ad thoracem per collum binæ excurrunt lineæ. Os nigricat & in acutum protenditur. Pedibus senis, utrinque tribus instruitur, articulatis, pilosis, & hamatis. Hami sunt simplices, sed ii cum primi articuli extremitate instar forcipis serratæ stringunt & apprehendunt cutem humanam, cui insident. Venter scutatus est, & ex octo vaginis plicatilibus, sive annulis compositus, per quem transparet sanguis ex cute & venis humanis haustus & ventriculo ac intestinis traditus. Cor in thorace latet. Circa oculos spinæ pilosæ emi-

eminent. Cæterùm notavimus ea omnia, quæ Clarissimus *D. Hookius* Anglus *in sua Micrographia* de Pediculo notavit. Forsan autem quod ille hepar esse existimat, hepar non est, sed tantùm sanguis, qui transparet per ventriculum & intestina.

SCHOLIUM.

MIcroscopii ope in abjectissimo hoc animalculo deprehendit *Joh. Faber* non solùm oculos, barbam, & prætensa duo in fronte cornicula, sed pedes insuper ex utroque latere ternos prælongos & articulatos, qui omnes ungues habent recurvos duos, longum unum, brevem alterum, & pollicis adprimè locum supplentem, quibus & cutem adprehendit, & serpendo gradum figit. Vid. ejus *Exposit. in N. A. Recchi hist. nat. Mexican. pag. 473.* ut & Cl. *D. Frider. Schraderi diss. epist. de Microscop. usu pag. 9.* nec non *Hookium* & *Borellum*, in *Ephemeridibus Germanorum* & *Gallorum* citatos. p. 572

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LIV.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Anatomia Pulicis vulgaris.

EXile hoc animal fusci coloris, capite subrotundo, sex pedibus, ore aculeato, pectore scutato & ventre crasso constat.

Caput quodammodo simile est Locustæ vulgaris capiti; occiput rotundum. In capite utrinque oculi nigerrimi, rotundi, & gagatis instar splendidi. E fronte cornicula duo sexies geniculata hispidaque prominent sub quibus inter osculum duplicatum aculeus teres, striatus, & pilosus apice subtilissimo exit, ad pungendum idoneus. Ad latera oris & aculei pedes anteriores egrediuntur, tribus articulis aptè complicati, spinisque horridi & hamo duplici armati pro manibus.

Pectus deinde alios atque alios pedes promit, spinis longis,

brevibusque horridos, novissimè autem longissimos, quibus fit saltus, simulq; ob id valdè musculosos, ac in femore guttatos. Pedum hami omnes sursum spectant. Dorsum vaginæ sex tegunt, & squammatum reddunt, adsunt & spinæ seu pili.

Venter sulcatus est, & nonnihil hirsutus. Eô pertusô ventriculum cum intestinis flavo humore repletis erumpere vidimus: conspeximus quoque ova candida & perspicua. Corculum sub capite hæret in Pectore.

### *SCHOLIUM.*

COnfer. *Ephem. nostr. Ann. I. obs. 13. fol. 52.* & *Ann. II. obs. 27.* nec non prælaudatus *Schraderus pag. 10.*

## OBSERVATIO LV.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
# Pulex florum scabiosæ.

ANimalculum hoc toto corpore virescit, alas autem quatuor dilutè cœruleas habet, nigris nervis expansas & hispidas.

Externa figura locustam exprimit. Caput transparet oblongum, ex quo producitur apex pilosus, acutissimus, & aliquantùm recurvus. Hoc è floribus alimoniam exugunt: ut sese sustentent: ad latera Capitis prominent oculi bini nigricantes & splendidi instar cutis illius, quam Galli vernaculâ suâ chagria vocant. In capitis parte anteriore & superiore Cornua duo prostant, quatuor nodis hispidis & mobilibus articulata.

Pectus de se mittit sex argenteos pedes, tribus articulis flexos, in extremitate duobus hamulis armatos, & punctis nigris hinc inde notatos. Ab alvi extremitate prominent caudæ oblongæ duæ virescentes, & rotundæ. Juxta articulos pedum & propter cornua ovula albida plurima minima, velut

in

in ſcarabæis pilularibus notantur. Inteſtina transparent, & liquore viridi ſcatent, ſitumque velutin Locuſtis habent.

## OBSERVATIO LVI.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
## Anatomia Crabronis.

CRabrones in Capite antennas habent verticillis denis inſtructas, quorum ultimum propè caput ramo mobili affabrè jungitur, ut velut cornu complicari queat. Verticillorum ſuperficiem puncta exaſperant caſtanei coloris, ſuntque illa geniculata inſtar Cannæ Indicæ, ſeu arundinis: articulatio cum infimo articulo versùs Caput fit per ἐνάρθρωσιν, ita ut ſuperior articulus concavâ ſui parte inferioris articuli caput rotundum cuſtodiat. Porrò in verticillorum extremo viſitur lanugo, quâ objecta mirum in modum percipiuntur. Cæterùm medulla ſpongioſa verticillis hiſcé continetur. In Cranio ſuturæ locô extuberant ſplendida puncta tria nigricantia, tanquam in triangulo diſpoſita; cranii margo undique pallet, & utrinque ſupra oculum emittit proceſſum ex ſpadiceo palleſcentem. Anteriùs Calvaria diviſa eſt margine palleſcente, & quaſi ſuturam habet usque ad ſcutum, cui eſt fimbria fuſca. Aliàs & caput, & reliquum corporis pilis aureolis inſtructum, hiſpidumque cernitur.

Scutum verò propter oculos pallidum eſt, & plus minus quadratum; Forſan commodè frons dici poſſet, punctis protuberantibus, & ſplendentibus notata ac pertuſa. Utrinque ſub fronte os eſt, in quo notantur maxillarum locô è latere oppoſito Cornicula quatuor apicibus ſeu dentibus ſerrata, præterea cava & muſculis annexis prædita, quorum motu maxillæ agitantur ad præmordendam alimoniam. Deinde recurvata lingua quadrifida, pennata, & pilis inæqualibus hiſpida, cujus extremum punctis rubris ornatur: Porrò ſub ore myſtax geniculа-

niculatus duplex major & minor menti locô reperitur: minor articulos tres habet, major quinque. Anterius ſub lingua eminentia eſt, Cor referens, foliis hiſpidulis utrinque adpoſitis, margine nigricante, locô Oſculi nodulus pertuſus, rubeſcens inſtar fragi.

Oculi ſunt oblongi, pellucidi, duri, convexi, & retis formâ contexti: Aperto Cranio Oſſicula plura foraminulenta & ſpongioſa notantur. Illius medio præterea adhæret fibrilla ſeu nervus in omne corpus diſtributus, qui in ſui principio, & fine tenuiſſimus exiſtit, in medio autem craſſeſcit, & ſacculum ſubflavum humore plenum adhærentem habet; figura fermè talis eſt, qualis inteſtini Coli.

Ab Occipite exit collum membranoſum, locô ſpinalis medullæ fibrillâ inſtructum, & puncto ſpadiceo forinſecùs notatum.

Thoraci adhærent muſculi à collo exorti. Pectus munitur ſcuto hiſpido & bifidato, itemque dorſum triangulari, nigricante, binisque rubentibus lineolis picto: apici hujus ſcuti utrinque adponitur cruſta coloris Caſtanei, baſi verò tuberculum geminum bifidum nigricans, & alvum ſeu abdomen margine rubente pectori adnectens.

Pectoris ſcuto articulatim junguntur pedes priores piloſi & hamati, ſeu ſpinis horridi. Extremus pes primi ordinis articulis quinque lunatis gaudet: alter ordo pedum à thoracis nigricantibus tuberculis exoritur, & longior exiſtit: tertius inferiùs è fine pectoris procedit omnium longiſſimus.

Dorſi ſcuto triangulari utrinque adnaſcuntur alæ ſpadiceæ, ſecundùm longitudinem protenſæ & plicatæ, coſtisque ad robur inſtructæ. Sub majoribus his alis latent aliæ minores. Pectoris cavum filamenta muſculoſa ſtipant, quibus pedes ac alæ immiſſis tendinibus variè moventur. A thorace alvus filo tenuiſſimo pendet, infernè luteus, ſupernè ſpadiceus, conſtans è ſex vaginis annulatis, ceu totidem ſegmentis continuis, quæ puncta nigra diſtinguunt.

Pro

Pro pulmonibus in hujusmodi insectis adsunt tracheæ niveæ: cæteræ fibræ sunt musculi.

Aperto alvo visuntur intestina & vasa complura lactea vel potiùs spiritalia. In imo Abdominis glandula porosa observatur, cui adhæret incurvus aculeus nigricans, qui re hortante promi seu exseri, & inter duas caudas pilosas recondi potest, hic à basi crassa & divisa surgit in apicem tenuissimum, cujus superficiem stipant hamuli alii atque alii subtilissimè flexi. Cavus autem est aculeus, cui glandula conglomerata humorem venenatum immittit, quem irritati crabrones identidem excernunt.

## OBSERVATIO LVII.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Anatomia Cimicis murorum & lignorum, Holtzwentelen.

Murorum & lignorum Cimex insectum est pusillum, oblongum, scuto corticato, & sulcato tectum, binis cornibus, oculisque prominentibus totidem, osculo item, dentibus, pedibus quatuordecim & geminâ caudâ instructum, Astaco fluviatili quadantenus simile. Cornua articulos sex habent utrinque scabra, atque mobilia: hinc triplex scutum foliorum instar transversim ad labium superius pertingit: Maxilla superior XV. dentes possidet lunatos, inferior verò utrinque unicum dentem molarem castanei coloris gerit, & sese cum superiore complicat. Oculi ad cornuum latera prominent, ceu gemmæ nigricantes coacervatæ. Sub osculo utrinque binæ visuntur squammulæ pilosæ: in ore verò lingua & palatum exactissimè. Pedes utrinque septem sunt, intra scuti crenas reconditi, unicuique horum acutissimus hamus in extremitate adhæret; prima pedis articulatio crassior est, & ventri apprimè adaptatur, reliquæ celerrimè mobiles antrorsum porriguntur. Scutum capitis crustosum est, &

perinde ut dorsi nodosum, oculis pro tutelâ scutum foliaceum adpositum. Venter pallidus est, intra quatuor primores pedes ova & fœtus plurimi ceu in membrana reconduntur, qui recens nati celerrimè discurrunt: Ovula ex luteo virescunt, cylindriaca sunt, & racematim coacervata. De cætero squammatum hoc est animalculum, squammæ autem caudis & squammis cancrorum assimilantur. Intra pedes posteriores utrinque 2. eminentiæ albidæ notantur, sub quibus vulvæ similis hiatus squammulis tectus cernitur. Ab ore ad anum usque ventriculus & intestina continuantur recto ductu: ad intestini latera decurrit utrinque vas flavum spirale & porosum, à quo circa medium corporis ramus transversim exit, cui glandula conglomerata alba utrinque adjacet. Color hujus vasis croceus est, & catenam plurimis globulis contextam refert. Intestina scatent excrementis nigris, & cellulas instar coli obtinent. Intra duas glandulas ante caudam positas punctum carnis observatur, quod cor esse suspicor. Cauda duplex est & Castoris caudam refert, inæqualem, latam, & in principio ac fine acuminatam, in medio apicula tenuis visitur.

## OBSERVATIO LVIII.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Examen Anatomicum Grylli Sylvestris.

GRyllus insectum est nigricans, capite rotundo, nigro & splendente præditum, insignibus item oculis oblongis, & corniculis binis pilosis, mystace aut barbulâ duplici, lato osculo, quod tenui operculo, folium hederæ referente munitur, duplicibus alis è flavo nigricantibus, & totidem pallidis minoribus, crasso ventre nigro, geminâ caudâ setaceâ, sex pedibus hamatis, quorum postremi cæteris longiores, & crassiores ad saltum faciunt.

*Cornuum*

*Cornuum* locô ſimplex ſeta utrinque exit ante oculos quaquaverſum mobilis: corpora hæc nodoſa ſunt, ſcabra, & nigra: in iis ſingulis articulos plus quàm quadraginta numerare quis poſſet. Præterea ſunt & cava, & ſpumeum liquorem continent.

Extremitati inferioris maxillæ adhæret *Myſtax* mobilis, ſed inſtar fili tenuis, geniculatus tamen & fibroſus, ac in ſummitate convexus, tuberculo enim ſeu papillâ interpunctatâ, & valdè ſenſili inſtruitur.

*Collum* anteriùs pluribus nigris papillis inſtruitur, poſteriùs tribus, ac aliquando pluribus cartilagineis fibris ſpadiceis, quibus lingua ſuffulcitur, binis punctis nigricantibus propè occiput notatur.

*Barbula inferior* utrinque filo ſimplici ſub mento exit, quatuor itidem geniculis plicatilis, hiſpida, piloſa, variegata, & in extremitate ſenſim ſpiſſeſcens, abit in papillam, ſeu tubum valdè ſenſibilem.

*Maxilla ſuperior*, utrinque una, ſubrubens, denis denticulis ſerrata, ac inſtar falcis recurva, ſenſimque in apicem attenuata, & fermè triangularis, ſub oculis capiti firmiſſimo articulamento jungitur. Hinc quicquid iis ingeritur, fortiter comprehendunt. Maxilla hæc cava eſt, & medullâ aliquâ referta.

*Inferior maxilla* duplex eſt, una alteri impoſita, ac ex nigro ſpadicea, ſpinæ ſeu aculei piloſi multi hanc ſtipant. Extremitates chelis armatæ ſunt, vel forcipibus.

Folio mobili *Oſculum* rotundum exactè tegitur, & interiùs membrana carnea binis fibrillis diſtincta apparet.

*Lingua* ſub oſculo bifida & lanuginoſa cernitur, fibriſque (ut ſupra innui) propè collum ſuffulcitur.

*Oculus* utrinque fronti inhæret convexus, naſum verſus, & elegantiſſimo ordine infinitorum punctorum nigrorum ſplendentium refertus, margine albicante cinctus. Nam oculi hi deſtituuntur palpebris.

*Cranium*

*Cranium* medullâ ſeu cerebro repletum eſt, quô ablatô intra cerebelli duo hæmiſphæria *Cor* pulſare cum auricula manifeſtè viſitur, rubicundum, & coniforme.

*Pectoris ſcutum* in margine ſulcatum, & undique nodoſum microſcopio conſpicitur, imò aliquibus in locis hirſutum: ſub hoc ſcuto utrinque muſculi caput adnectentes, & œſophagus amplus cum branchiis cæteriſque viſceribus deorſum pergentibus reconduntur.

*Oeſophagus* amplus membranaceus eſt, cujus lateribus, itemque ventriculo, & inteſtinis *lacteæ fibrillæ* pulchrè adſperguntur, quæ reverà ſunt *tracheæ*, per quas aër ad viſcera commeat; oriuntur hæ fibrillæ duplici ramo è capite, ſub ſcuto pectorali decurrunt, in plures ramuſculos dividuntur, per imum ventrem diſſeminantur, dorſi ſulcis ſeu coſtis omnibus interſperſæ & fiſtulæ modo cavæ, ac è filamentis circulariter intortis, ceu totidem annulis contiguis affabrè factæ, & in filamentum longum reſolubiles, aëre plenæ, per quæ dubium eſt, an ſtridor ſuccuſſo motu alarum aëre edatur: velut arteriæ in toto corpore pulſare videntur.

*Stomachus* Grylli poſt gulam inſtar tibiæ utricularis cibo repletus cernitur. Ab eo pendet *Nodus duriuſculus*, foris æqualis, membranâ tectus, intus rugoſus & ſulcatus, cum inteſtinis continuus, quaſi alter ventriculus, nam ruminare gryllum opinor, eô quòd leviter moleſtatus virentem liquorem copioſum ex ore tangenti affundat. Sulci, ſeu rugæ oblongæ numero ſex, supernè & infernè in anguſtum coëunt. Quivis ſulcus lineâ ſecundùm longitudinem diviſus eſt: porrò internè ex hujus ventriculi ſuperficie & papillæ, ſeu apices denſo agmine protuberant, quibus tanquam limâ cibus è primo ventriculo demiſſus atteritur, & comminuitur. Ventriculorum autem ſtructuram elegantem in Gryllotalpa deſcribet aliquando fideliſſimus noſter *Pythagoras in Obſervationibus ſuis de ruminantibus*, quæ planè eadem eſt cum ſtructura grylli vulgaris, de qua jam ante quadriennium ſcripſit, uti videre eſt

*Exercit.*

*Exercit. familiar. XXX.* Eandem pridem etiam deſcripſerunt *Oligerus Jacobæus in Th. Bartholin. Actis Hafnienſibus* & *Georgius Hieronymus Velſchius in Hecatoſtea I. Obſerv. Phyſico-Medic.* Præter duos iſtos ventriculos bini alii occurrebant ad latera poſt eum, quem jam deſcripſi, poſiti, rugarum expertes, ſed ſordido humore puniceo repleti. *Inteſtina* reliqua *Meſenterio flavo* adhærent. Colon cellulatum & excrementis viridibus refertum eſt.

Ad latera fiſtulæ inteſtinalis utrinque recumbit *glandula albicans rotunda* in maribus, lacteis fibrillis ſeu tracheis minimis exornata, teſtes ſunt inſignes, ad *corpus filamentoſum* & mucoſum pergentes, in quo penis rubellus reperitur; grylli enim non haſtati ſeu mares intra duas ſetas piloſas ano exeuntes in abdomine recondunt *ſacculum*, cui ceu burſæ includitur *granum duriuſculum* albâ medullâ plenum, à qua burſa anteriùs jam dictus penicellus dependet, haſtæ fœminarum longitudini reſpondens. Setæ in maribus juxta alvum collocatæ piloſæ & ſpinoſæ ſunt.

Propè ſetas autem locô anteriore ad anum in fœmellis reperi quatuor *ſpicula longa* & haſtæ cuſpidi ſimilia, quorum unumquodque *fibrillam* ceu in vagina gladium continebat: Hæc duplicia notantur in pluribus, utraque autem rurſus bifida, ut quatuor numeres haſtas, quæ ſeſe momento citiùs tam aptè conjungere & complicare poſſunt, ut unicam haſtam eſſe exiſtimes: ab initio haſtæ illius intra nates *vulvæ* quidpiam ſimile videtur, quæ rotundum foramen eſt à conjunctione haſtæ formatum, & quaqua verſum mobile, cujus ductu intra alvum pervenitur ad *glandulam rotundam* ſtriatam velut ſemen milii ſolis candidam, ad cujus utrinque latera membranis, ceu vaſculis, *ovariis putà* flaveſcentibus, oblongis, *Ova auro* magis ſplendentia propemodum infinita continentur, figuræ ſeminis cumini, ſed longè minoris; qualia etiam è Gryllotalpa *Pythagoras* olim exemit.

*Pedes anteriores* hiſpidi ſunt, concinniter articulati, & forcipe hamato inſtructi: articulis quinque pes flectitur: idem fit

T cum

cum *altero pedum ordine*, *tertius ordo infrà* femora hiſpidior eſt, ſpiniſque horridus, ac præterea inſignibus muſculis & forcipibus inſtructus.

*Abdomen* ſulcis duodecim, quorum inferior ſuperiorem ſubintrat, veſtitur: hi à parte anteriore lineolâ utrinque ſecantur, & contiguitatem ope membranæ ſubfuſcæ acquirunt.

*Ala dextra* ſuperior in maſculis, reticularibus fibris variis inſigniter criſpata, ſupra *ſiniſtram* expanditur, & arctè ad lineæ rectæ amuſſim complicatur utrinque, ut ad vibrationem alarum aêr reverberatus deorſum cogatur, & cùm ſub ſcuto pectoris firmiter conjunctæ implantentur, ſonus ſtridulus concitetur.

*Alæ inferiores* fibras quoque habent, & plicatiles ſunt ſecundùm longitudinem, prædictis multò minores. Cæterùm fœmellarum alæ haud ita criſpæ & fibris variis pictæ, quanquam æqualiter textæ reticulares quoque cernuntur.

Quomodo autem *grylli ſonum* edant, non planè compertum habet amiciſſimus noſter *Pythagoras*: aſt in cicadis, quibus Gallia Narbonenſis per æſtatem abundat, ſingularis quædam, mirandæque ſtructuræ machina hæret propter alas, quæ ſolo motu alarum clangorem illum gratum edit. Cicadæ aërem ore alium nullum hauriunt, præter eum, quem fortè cum cibo & rore abliguriunt, & proin dubitatur, an Grylli ad formandum ſonum illum ſtridulum ore arripiant aërem. Tracheæ equidem hujusmodi inſectis plurimæ ſunt, quas primus notavit & deſcripſit *Malpighius in Epiſt. de Bombyce*, ſed non proveniunt ab ore, uti in homine & aliis animalibus: Annon (cùm juxta œſophagum è capite oriantur bronchiæ, quæ excavatæ ac aëre plenæ interſtitia coſtarum internè adeunt,) dum canit Gryllus, aërem per bronchias arripiendo, & per harum extremitatum fines ſub alis emittendo, dum utrinque alæ mirando modo fabrefactæ eô ſe vibrant & concutiuntur, ſonum efficit?

*Gryllorum cibus* ſunt teneriora foliola herbarum, florumque, quæ magnâ voracitate deglutiunt, ut ſtomachus in amplam

plam molem extendatur: imò esurientes se ipsos discerpunt, & devorant: nisique in libero aëre discurrant, citò moriuntur: *dissidium ipsis* est & æmulatio, si mares alii fœmellis sociis adjungantur, quos initô certamine insigni virilitate irati cantantes perimunt.

*Excrementa* muris instar oblonga deponunt.

## OBSERVATIO LIX.

### D. JOHANNIS de MURALTO.

# Limax major rubicunda terrestris.

Limax eodem, quô cochlea domiporta modo per dorsum sulcata est, & crassissimis fibris longo tempore mobilibus pollet. Cæterùm cornibus utitur minoribus, quàm cochlea domigera. Caput margo nigricans à pectore distinguit, & pectus à ventre. Limacibus cerebrum est tam exile, ut vix conspici possit, tamen in eo cavitates aliquot notantur, quarum una tendit in vasculum nerveum instar filamenti attenuatum; cæteræ cavitates intra caput manent. In capite porrò rictus oris amplus conspicitur, & in hoc supernè dens lunatus & apicibus quindecim crenatus: hinc continuantur intestina, quæ mirè ornant vasa albicantia adinstar venarum lactearum. Utrumque labium protuberantes papillas quindecim ambitu suo comprehendit. Palatum duplex series glandularum utrinque ornat, medium palati lineâ finditur rectâ. Intestina recto ductu pergunt ad ovarium usque. Interiùs ab intestinis foramen sursum vergit ad hepar: post intestina sursum feruntur usque ad caput; inde iterum deorsum in hepatis lobos tendunt. Tandem iterum sursum producta ad capitis latus dextrum exitum inveniunt. Penicellum, uti in domiportis, non reperi, sed tendinosam carnem vomeris figurâ. Hujus extremitati circum posita erant retracta cornua à parte postica. Osculum larynge donatur, ut vi-

delicet oris hiatus pro proportione arcûs dentium ſemper pateat ad œſophagum. Hujus laryngis (ſi modò ita nominare impunè liceat) alius quoque & potior uſus eſt in coitu, quod in Limacologia ſua aliquando magis illuſtrabit *Pœon.* Vaſculum coniforme ſitum eſt infra corpus cylindriacum & deſinit in fibras oblongas, velut in cochlea domiporta.

E capite vaſa lactea duo majora pertingunt non tantùm ad hepar, ſed & ad omnia inteſtina. An, ut chylum ex herbis elicitum deferant ad vaſculum lacteum coniforme, hincque in hepate à bile liberatum cordi adferant? Ad finem hepatis ovaria duo inſignia notavimus, ad quæ etiam pergebant rami lactei : in illis ovorum infinitus erat numerus. Apud eas limaces, quæ gravidæ non ſunt, locô ovarii reperiuntur glandulæ nigricantes, & vaſe albo interſectæ.

Veſica humore viſcido ſub cæruleo plena interiùs lato pedi, ſeu apophyſi inſternitur, & à capitis internâ parte originem ducit.

Cor ſitum eſt infrà caput. Oblongum illud eſt, & pallidum, obductum Pericardio & auriculâ præditum. E corde vaſa tendunt ad hepar. Auricula fibroſa eſt & magnitudine cor multum ſuperat.

Quanquam cor limaci auferatur, tamen vita non ſtatim tollitur, nam fruſtillatim quoque conciſa limax vivit longo tempore.

Cutis duplex eſt. Corticata exterior; interior fibroſa, albida & infinitis foraminibus pervia.

## OBSERVATIO LX.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

## Scarabæi majalis foliacei anatome, Laubkäffer.

HIc Scarabæus longitudine pollicem ſeu unciam æquat. Caput ei lato ſcuto inſtructum, & myſtace ornatum: ad oculi angulum

angulum majorem utrinque nodosæ antennæ seu cornua prominent, ornamento quasi plumeo condecorata. Nodorum maximus ad scutum nasi desinit. Caput intra scutum pectoris recondi potest, & ad oculos usque instar speculi resplendet. Anteriùs & caput & osculum hirsuta sunt. Cornua seu antennæ quatuor nodos habent. Ornamentum eorum plumeum plicatile est. Mystax autem quinque articulos tenet, quorum extimus oblongus in apicem convexam desinit. Oculi sunt convexi, ac è minimis speculis rhombum referentibus conflati. Collum splendida crusta instar speculi nitens intra pectus reconditum delitescit. Os scuto seu labio duriore tectum est, locô oris autem foramen rotundum extat, per quod via patet ad gulam.

Scutum pectorale masculis nigricat, fœmellis rubet. Præterea asperum est, & ad margines ac propter pectus lanuginosum. Infra scutum hoc, ubi alæ aptantur, particula alia nigricans triquetra & splendida ac hirsuta notatur.

Ala utrinque duplex est, quarum inferior membranacea costis seu filis quinque erigitur, aliàs plicatilis est. Costarum color est spadiceus: adnectuntur hæ alæ scuti pectoralis confiniis. Superiores alæ sunt corticatæ, duræ, castanei coloris, transparentes, & lineis decoratæ lenis, aptèque dorso adaptatæ, quod contegunt. Hoc è novem costis, seu sulcis mollibus contextum est. Costarum margo albidus. Coccyx prædurum in apicem recurvum desinit. Venter è septem plicis, aut annulis contiguis constat. Utrinque segmenti cujusvis ora lineolâ albâ tingitur. Pedes sunt sex hamati, hirsuti, seu spinosi: anteriores breviores & minùs carnosi, posteriores musculosi & fortiores existunt. Intra pectus porosæ quædam carnes (vehementer dubito, an pulmones sint?) reperiuntur, subrotundæ, coloris rubentis. Per medium eorum descendit œsophagus nigricans. Supernè cor tanquam punctum rubellum conspicitur. Ova XII. utero bicorni adhæserunt. Pulchrè contorta sunt intestina, & tracheis plurimis, per quas aër vi-

ſceribus affertur, ornata. Stomachus in medio inteſtinorum hæret.

## OBSERVATIO LXI.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Anatomia Simiæ à Generali Capitaneo Lochmanno oblatæ.

FIgura Simiæ externa & canis eſt & hominis; illius, quòd quatuor incedat pedibus, ac valde piloſa ſit, vocemque caninam edat, & ratione deſtituatur: Hujus verò, quòd inde à confinibus frontis usque ad mentum faciem humanam repræſentet, aures ac manus pedesque totidem ac homo digitis inſtructos habeat, & miniſterio manuum ad varia opera utatur, deniqueinſtar hominis ſedeat, & actiones humanas tam appoſitè imitetur, ut quis exiſtimet rationem ſimiis aliqualem denegari non poſſe. Adſunt & mammæ, & in his papillæ. Dentibus os inſignibus, caudâ caret & clunibus, quarum loco cutis calloſa eſt coxendicis oſſi inducta, anus & vulva ſepto transverſo à ſe invicem diſtinguuntur.

Truncus conſtat è tribus ventribus, capite nimirum, pectore & abdomine. Abdomen cæteris ventribus longius exiſtit, undique conſitum pinguedine flavâ, à qua judicium cepimus, ſimiam ætate confectam fuiſſe: Fibræ muſculorum abdominis ad lineam albam usque deſcendunt. Omentum undique adhærebat peritonæo, nulli aderant pyramidales muſculi. Omentum ſimili pinguedine flavâ, & rubentibus vaſis ſtipatum erat. Ligamentum latum hepatis unitum erat diaphragmati; Omentum involvebat inteſtina omnia.

Situs inteſtinorum talis erat; Cæcum, colon, & rectum contegebant inteſtina tenuia, craſſa enim fæcibus inſpiſſatis turgida, præcipuè colon cellulas efformans maximam abdominis partem complevit. Inteſtina tenuia pleraque ſuperiori in loco propè renem dextrum conſita erant. Inteſtinum craſſum

craſſum cingebatur ligamento duplici, & ita vinciebatur, ut cellulæ à coarctatione exiſterent. Siniſter ren inferiore ſede, dexter ſuperiore poſitus erat. Omenti ala ſuperior fundum cingebat ſtomachi, inferior pylorum & lienem triquetrum, Pancreas præterea inſigne juxta duodenum viſitur. Meſenterium amplum eſt & latum, connectens undique inteſtina, & firmiſſimè adhærens lumbis. Hepar in quinque lobos diviſum eſt, quorum maximo veſicula bilis inſculpta hæret.

Ligamenta uteri lata ad lumbos usque pervenére & cum peritonæo conjuncta fuerunt, rotunda autem verſus pubem, & femora tendunt. Renes planiores ſunt quàm renes canum & pelvim parvam habent, veſica urinaria quadrata eſt, glandula ſuccenturiata cava fuit & nigricans. Uterus ſpecie humanum refert. Vagina uteri glanduloſa eſt & ſulcis variis diviſa. Cervix magnitudine uterum ſuperat, in eâ reſidebat glutinoſa pituita: Teſticuli ad latera uteri fuerant ſubrotundi, ligamentis latis innexi, qui operti diſciſſis ovis humorem dimittebant tenuem.

Extremitas teſtium fimbriata eſt, ligamentum latum cum peritonæo continuum: Muſculus pectoralis valdè prolixus exiſtit, principium ſumit à conjunctione clavicularum cum ſterno utrinque, ex oppoſito latere contingens muſculum ſterno-maſtoid. ſterno-thyroideum, & ſterno-hyaideos. Sternum ſimiæ cum ſterno humano penitus convenit. Duodecim cōſtæ ſunt, octo venæ, reliquæ ſpuriæ: Sterno internè Mediaſtinum adhæret, cujus duplicationi cor incluſum habetur. Venæ mammariæ turgebant. Diaphragma undique connectitur extremitati coſtarum. Sub tendine diaphragmatis ſacculus chyli repertus eſt, quo inflato ventriculus cordis dexter intumuit: mox etiam azygos & intercoſtales venæ.

Pericardium nihil aliud eſt, quàm duplicatio Mediaſtini; liquor in pericardio erat, unde cor madidum.

Dexter pulmo habet quatuor alas, ſiniſter duas: Inflatâ aſperâ

aſperâ arteriâ inflantur quoque ſimul omnes pulmonum veſiculæ. Ad bronchiorum latus dextrum ſita eſt arteria venoſa, ſive vena pulmonalis, quæ à corde ſi infletur, quanquam ægrè id fiat ob valvulas, flatus tamen pertingit ad extremitatem loborum pulmonis. Vena arterioſa, ſeu arteria pulmonalis ſi infletur, ad latus dextrum omnes lobi quàm celerrimè inflantur. Subſtantia pulmonum quippe conſtans è veſiculis ſpongioſa eſt: Sanguis per venam cavam fertur ad dextrum cordis ventriculum, in quo valvulæ tricuſpidales tres conſpiciuntur, refluxum ſanguinis è corde in cavam impedientes: Sanguis autem in pulmonibus accedente aëre ventilatus ad ſiniſtrum cordis ventriculum accedit, indeque per aortam in totum corpus diſtribuitur. Ante quam cranium cerebri collustrandi gratiâ effregimus, artificioſè ſeparavimus muſculum Coracohyoideum, ſterno maſtoid. ſternohyoïdeum, ſterno thyroideum, glandulas bronchiales, Muſculum Cricothyroideum, Mylohyoideum ſive Geniohyoideum, Myloglosſum & Baſiglosſum, Digaſtricum, Masſoterem, Crocaphilen, alares oris, Frontis item & occipitis Muſculos: Rurſus ſplenios, complexos, Rectos majores & minores, obliquos deniqueſuperiores & inferiores; laryngis Cartilagines, & os hyoides, quæ omnia humanis partibus appoſitè reſpondent. Tandem aperto Cranio cerebrum durum invenimus, magnæque molis anfractus ad aures inſignes, nervos guſtatorios in multos funiculos diſtinctos, papillasque in lingua grandes: Nates & teſtes in cerebro juncti erant. Glandula pinealis pellucida ac inſignis, Rete mirabile cum pituitaria glandula, à ſinu cerebri interiore huc procedebant vaſa. Cornua osſis hyoidis ſe non extendebant usque ad proceſſum osſis cuneiformis ſtyloidem.

Vidimus præterea muſculos humeri, cubiti & manus, item ſcapulæ & dorſi, inter quos notatu maximè dignum invenimus ligamentum annulare & tenſorem pollicis. Denique luſtravimus quoque muſculos femoris, Tibiæ & digitorum, qui omnes humanis erant quàm ſimillimi.

Plura

Plura de Simiæ natura & fabrica disseruit magnus quondam noster *Gesnerus*, *Blasius in Zootomia p. 253. Jonstonus, alii.*

## SCHOLIUM.

AN homines, an simias secemus, parum referre, quorundam *Galeni* autoritatem prætendentium esse opinionem, quamvis non ignorem, revera tamen magnam inter utrumque subjectum esse differentiam, est certissimum, ita ut, quamvis humani in subjecti defectu illud præ multis aliis commodè substitui, & analogiâ quadam partium humanarum cognitionem præstare valeat, multorum tamen errorum cumulus indè propullulare possit; unde varios in Anatomia defectus alii jam in *Galeno* animadverterunt; quos inter *Andr. Vesalius*, cùm suam *humani corporis fabricam* Potentissimo Cæsari *Carolo V.* dedicaret, eundem suis deceptum simiis crebrò veteres Medicos in hominis consectionibus se exercentes immeritò arguere, accusaverat. Quod licet negari nequeat, nullibi tamen *Galenum* omnimodam Simiarum cum humano cadavere similitudinem proposuisse, autumo; primum enim inter animalia pro dissectione, ob majorem, quam præ cæteris brutis habet, cum humano corpore convenientiam, locum simiæ adsignâsse, id minimè evincit; inprimis cùm hanc ipsam analogiam non omni exceptione carere, ipse clavicularum exemplo *lib. 13. de usu part. cap. 11.* manuum *lib. 15. cap. 8.* pedum *lib. 2. de anat. administr. cap. 8.* &c. edoceat. Interea tamen in multis errâsse, & brutorum in cadavere observatam partium constitutionem minùs aptè homini quoque adplicuisse eum, numerus e. g. musculorum ocularium, & renum situs evincunt; dum his in loco ab Exc. *D. D. Hardero observation.* adducto talem adsignat, ut dextrum in omnibus animantibus elatiorem sinistro pronunciet, contradicente omnino humanâ anatome, ita ut non nisi rarum quid sit, in superiori loco dexter præ sinistro ubi reperitur, cujus exemplum in *Ann. IX. Ephem. nostr. obs. 92.* consignavi: illis verò septenarium numerum tribuit, *cap. 5. de musc. dissect.* & *alibi* oculum à sex musculis moveri, à septi-

mo verò circa oculi basin occurrente (quem etiam parùm providè in hominis structura *præfatus Vesalius* admittit) firmari tradens, imò & usui medico fictitium ejusmodi organum *lib. 4. de loc. adfect. cap. 2.* adplicans. Cæterùm *Galenum* in arte anatomica vel à teneris exercitatum, neque ex solis libris, sed ipsâ autopsiâ anatomicum, ideoque frustra ab *Helmontio cap. 9. de lith. §. 50.* hanc suam doctrinam aliunde verbotenus descripsisse inculpatum, unicè brutorum dissectioni operam dedisse, cui sanè humana, si voluisset, deesse non poterant cadavera, meritò miramur, quem tamen ea neglexisse, ne cultrum in ea stringendo impius, crudelis & scelestus (licet hîc nullum sit scelus, crudelitas aut impietas,) videretur, aut etiam triste spectaculum in proprii generis corpore discerpendo odio habuisse, quo de plura legi possunt in *part. 2. Zootom. Democr. Severini* (ubi *part. 4.* itidem simiæ masculæ anatomia ex *J. Sylvio* adducitur) interea credemus, usque dum humana eum non minùs dissecuisse, solidè aliquis ostenderit; sceleta etenim humana ipsum vidisse, quod etiam Cl. *Thom. Reinesius epist. 38. ad Nester.* notat, huc propriè non spectat. [*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXII.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
## Gryllo-talpa.

QUod *Aldrovandus* vermem cucurbitarium dixit, *Ferantes Imperatus* talpam, id Gryllo-talpa denominatur ab *Olao Wormio*: Nostri id vulgò **Wæhren** appellant.

Insectum hoc minimum digitum longitudine & crassitie æquat.

Ex ano ei utrinque fibrillæ duæ pilosæ ad instar caudæ muris egrediuntur.

Alvus ex octo plicis squammatis leviterque hirsutis castanei coloris construitur.

Venter mollis eſt & obſoleti coloris.

Dorſum tegitur alis binis acuminatis, per quas deducitur linea ſubnigricans: Hæ alæ plicatiles ſunt & aptiſſimè convolvuntur, eo ferè modo, quo pueri noſtrates Lucernos è charta complicant. Alis incumbunt expanſæ antennæ, nigris ſtriis diverſimodè pictæ; breviores quàm alæ, illæ enim ad medium caudæ pertingunt, hæ duntaxat ad medietatem alarum.

Pedes ſunt 4. Ex his poſteriores quidem craſſiores & longiores.

Anteriores verò minores ac breviores.

Noviſſimi initium ducunt à prima alvi ſquama, & quatuor articulis gaudent: quorum primus Femur eſt, alter tibia denticulata, tertius Tarſus, & quartus Pes extremus bifido ramulo digitorum loco munitus. Reliqui pedes ab his nonniſi tenuitate & brevitate differunt.

Pectus munitur ſcuto teſtaceo supernè nigricante, infernè pallido, attamen hirſuto. Infra hoc ſcutum mollis interjacet membrana ventrem à thorace diſtinguens. Ad latera capitis utrinque Brachiorum loco proceſſus bini geniculati duri, ac chelarum inſtar ſerrati extant, quibus animalculum hoc terram fodiendo alimoniam quærit, ſeque defendit. Quilibet proceſſus conſtat è quatuor articulis, quorum primus axillæ rationem habet, alter longior & latior pectori aptatus, appendicemque habet acuminatam, cui ſe manus ſerrata implicat: tertius manum ipſam comprehendit quinque acuminibus ſeu nigricantibus corniculis tanquam digitis præditam. His accedunt duo alia cornicula velut pedes biſulci, pollicis rationem habentia cum apophyſi tenuiore piloſa; Flectuntur manus præcipuè extrorſum, uti in Talpa.

Caput intra ſinum ſcuti latet acuminatum & barbatum, fermè eodem modo ut in Cancris, cornua enim duo infra oculos & poſt naſum conſtituta eminent.

Ad barbam ſetaceam papillæ albicantes diſpoſitæ ſunt.

In alvo veſicam pyriformem ab œſophago productam

reperimus, quæ in ſe continebat viſcoſum, terreſtrem & limoſum ſuccum. Veſica autem iſta nihil erat aliud, niſi ventriculus, quem cingebant Lactea vaſa innumera, per quæ aërem commeare tanquam per tracheas poſtea cognovimus, à *Pythagora* noſtro admoniti.

Notavimus quin etiam alium ventriculum plicatum & denticulatum velut in animalibus ruminantibus. Inteſtina recto tramite deorſum tendebant, vaſis lacteis, hoc eſt, tracheis perſperſa.

Ad alvum cartilaginea quædam pars duplicem caudam ſuffulcit.

Infra has cartilagineas portiones penis minimus latet;

Ad cujus latera corpora duo oblonga ceu lactes aut teſtes cernuntur.

Dorſi ſpina vertebris inſtruitur: Spinalis medulla intra vertebras latitat. Intra duos lobos cor latitat duriore baſi cinctum. Inferior & ſuperior maxilla denticulata eſt: ſuperiori imponitur ſcutum velut labium.

Oculi ſunt duriſſimi, ſplendidi, nigricantes.

Oris rictus amplus, & utrinque duæ tonſillæ.

Cranium ſatis durum. Tunica uvea crocei coloris.

Cerebrum minimum & nervi inſignes cùm ad cornua, tùm ad oculos protenſi.

## OBSERVATIO LXIII.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
## Scarabæus liliaceus,
### Herrgotts Kühlein.

CApue fuſcum eſt & intra pectoris ſcutum politum, ac guttatum, quaquaverſum movetur.

E frontis confiniis cornicula prælonga lanuginoſa, duodecies geniculata & quaquaverſum mobilia, ac in ſummi-

ſummitate flexa egrediuntur: Oculi propter cornicula inſigniter prominent, ex nigro flaveſcentes, tanquam è ſpeculis plurimis anguloſis conflati, & undique palpebris piloſis cincti.

Capitis ſuturæ quodammodo ſtellam effingunt. Scutum oſculi piloſum eſt, & duplex utrinque roſtillum, falcis formâ denticulatum obſervatur, cum plumoſa in medio lingua. Os myſtace præditum eſt, qui tribus particulis hiſpidus ſeſe intra ſcutum aptè recondit. Maxilla inferior ſuperiori brevior eſt, tanquam in ſciuro collum prominet.

De cætero totum caput hirſutum eſt. Collum autem inſigni collari rubente cingitur, in quo puncta quædam ceu gemmarum ſeries. E dorſo alæ ſurgunt duplices, ſuperiores corticatæ rubentes, & margine ſulcato notatæ, ſub quibus reconduntur inferiores membranaceæ, complicatæ, nerviſque ſex rubentibus firmatæ.

Scutum dorſi gibboſum eſt. Etenim thoracis pars poſterior ſupernè protuberat, infernè ambitur Zonâ: deniquelatera ſunt depreſſa.

Pedes notantur ſeni, iique hamati, hiſpidi, aſperi, aculeus autem ex adverſo hamorum exit, ut fortiter inniti, greſſumque firmare queant. Singulorum pedum triplex eſt articulatio, quos ad motum exagitant muſculi ſupernè diſpoſiti.

Abdomen è vaginis fimbriatis & ſplendentibus conſtat.

Inteſtina crocea ſunt, plurimisque vaſis inſtructa.

Præterea glandulæ conſpiciuntur inſignes, & ab initio abdominis cor. In pectore œſophagum ſtipant plurima vaſa pnevmatica, quorum ope ſub ingreſſis alvi annulis procul dubio ſuſurrus editur. Ani loco foliola duo nigricantia proſtant. Alvi extremitas pilis dupliciter horret.

Aliquando etiam ova cylindriaca, pallida, numeroſiſſima reperimus in ovario, minatis venis eleganter picta.

## OBSERVATIO LXIV.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
# Anatomia Muſcæ vulgaris.

Muſca habet caput, pectus & alvum. Capitis partem anteriorem potiſſimum conſtituunt oculi, qui utrinque eminenter proſtant, immobiles ut gryllorum oculi, & punctis infinitis ceu totidem gemmulis elegantiſſimè ornati, ac circulo utplurimùm albo cincti, ſupra quem pilorum ſeries exſurgit, qui ad angulum oculi majorem & corpora duo cylindriaca, in media facie ſita, continuantur, recurvi & ramuſculorum inſtar implexi. Intra pilorum iſtorum ſepem corpus membranaceum, latiuſculum, holoſerico nigro ſimile jacet, quod à circulo albo oculorum prodiens pluribus foraminibus notatum oculos diſtinguit. In ſummitate autem capitis corpori huic implantata eminentia coronam refert, quippe ex circulo aureolo conſertam, ac triplici gemmâ nigrâ pulcherrimè ſplendente ornatam.

Hic etiam ſetæ plures recurvæ exſurgunt.

Infra membranam nigricantem oblonga corpuſcula duo ſurſum deorſumque mobilia, ac interpuncta, viſuntur, quibus plumoſi tres pili, caudæ muris piloſæ ſimiles, inſident, quorum poſterior ſemper brevior eſt, & à levi quacunque aëris agitatione commovetur. His pilis cavitates duæ ſubjacent, intra quas illi aptè reconduntur ad muſcæ irritationem.

In parte capitis inferiore corpora utrinque proſtant maxillas referentia, albida, punctis nigris conſperſa & pilis hiſpida, hæc ab inferiore parte verſus corpora cylindriaca ſenſim incurvantur, & in ſummo acumine pilos prælongos decuſſatim emittunt.

Infra pilos hoſce cavitas alia cernitur ori ſimilis, in qua proboſcis complicata deliteſcit, ſuperior oris hujus pars membranæ adinſtar albicans pellucida eſt. Proboſcis Elephantinæ non

non absimilis in extremitate pilosa est, & oris instar fissa; ex media proboscidis parte progrediuntur corpuscula duo cylindrica pilosa.

Collum à parte postica binos habet musculos, quibus caput pectori adducitur, anterius verò collare griseum & plumosum conspicitur, sub quo speculum spadicei coloris.

A collo œsophagus internè descendit in thoracem, qui â parte posteriori usque ad alvum in utroque latere pilosus est, ac in medio alis binis transparentibus tenuissimæ texturæ instructus.

Dorsum lineæ nigræ sex rectæ & tres transversæ distinguunt.

Extremitas dorsi pallidior est cæteris thoracis partibus.

Internè costæ pulcherrimè differentes videntur, itemque caro flavescens & glutinosa. Duo autem foliola abdomini à dorso incumbunt. Intestina cellulas & vasa nigricantia secundùm longitudinem deducta possident, & flavescentem transparentemque pituitam continent.

A pectore pedes sex prodeunt spinosi & in extima parte ungulati, prætereaque ductus hamis instructi, ad adhærendum aptis; articulus est in femore, genu & pede extimo.

Alvus est versicolor, plurimùm autem ad cæruleum vergens, pilosus propemodum ac è quatuor vaginis complicatus, lineisque totidem notatus.

Ventriculus cum intestinis velut cochleæ intortus est: ovaria duo cum ovulis notantur & in fœminis & in masculis: Existimo me in muscis aculeo instructis flava ovaria nigris fibrillis conspersa notâsse; dubium, an muscæ sint hermaphroditæ.

Cor in abdomine latet sub diaphragmate pallidum, conicum, unico ventriculo simplici donatum & pericardio cinctum.

Stomachus amplus est ac membranaceus, sæpéque compresso digitis alvo vesicæ instar cum sonitu disrumpit.

Mesen-

Meſenterium flavum inteſtina appoſitè conjungit.

Penis oblongus eſt & nodoſus, in medio albidus, ac utrinque lineis nigris notatus, apiceque nigro prædirus.

Vulvam piloſam recurvus apex præcludit.

Doctiſſimus Regiæ ſcientiarum Academiæ ſocius de la Hire exiſtimat, tres illas gemmas in capite muſcarum eſſe oculos cum palpebris, quod tamen ſectio noſtra neutiquam approbat.

## *SCHOLIUM.*

QUæ de muſcarum oculis in *Eruditorum Ephemeridibus Romanis A. 1669. M. Nov.* profertur Obſervatio *P. de Gottignies, Mathem. in Coll. Rom.* uti curioſa eſt, ita hîc adduci meretur, Italici idiomatis ſenſum ſic Latinè reddendo: *In capite muſcarum, culicum, papilionum, aliorumq́ ſimilium animalium exſtant duo corpora irregularis convexitatis, quæ microſcopio obſervata adparent elegantiſſima, inq́ muſcis oculi eſſe creduntur. Quo inſtrumento etiam eadem obſervavit D. Robertus Hooke, & diligenter deſcripſit in ſua Micrographia, ubi partes has ex multis variæ magnitudinis globulis eſſe compoſitas notat, inq́ forma triangulari diſpoſitas, & tam benè unitas, ut inter unum & alterum non niſi ſpatium interſit, quod à talismodi figuris conſequi neceſſe eſt. Quemvis autem horum minutorum globulorum perfectum eſſe oculum credit, ita ut muſcæ oculos quaquaverſum directos habeant, quibus immotis antrorſum, retrorſum, & lateraliter videre queant; quo commodo cætera animalia, paucis oculis prædita, careant. Horum verò globulorum in quadam muſcarum ſpecie usque ad quatuordecim millia numeravit, i. e. ſeptem in quolibet latere, quatuor nempe millia parvorum, & tria millia minorum. Sed P. Gottignies partium iſtarum diligentes obſervationes inſtituit, atque ſuis ex principiis opticis diſcurrendo ſtatuit, non poſſe illas pro organis viſûs inſervire; quia aut quælibet earum unum ſolum oculum conſtituat, aut multos; ſi unicum, iſta extima ſuperficies pro cornea inſervire deberet, quod eſſe nequit, cùm irregularem habeat convexitatem, non æqualem & politam, qualis in cornea requiritur; ſin multos, magna confuſio in viſione ſequeretur. Exiſtimat ideo, alium in finem, quàm ad videndum,*

*dendum, à natura esse constructos; & considerans, quòd tumidæ sint atque instar tympani tensæ, pro auditu inservire, arbitratur, quia organum aptum constituunt ad percipiendam aëris externi trepidationem, i. e. sonum. Tantoq; magis in hac opinione confirmatur, quia per microscopium in capite muscarum vidit partes aliquas oculis aliorum animalium similes. Et certè dubitari potest, an partes hæ realiter sint muscæ oculi, cùm formâ & colore parùm differant à maculis illis nigris, quæ similiter per caput sparsæ reperiuntur. Sed dubium omne demitur, ipso dicente, ab observationibus in aliis animalibus factis, in quibus clarè conspiciuntur oculi & supradicta convexa corpora, prout in cimicibus illis, quos Itali Cimici di campagna vocant, objecto curiosissimo, per microscopium multæ maculæ nigræ, elegantissimo ordine sparsæ in fundo partim albo, partim flavo, adparent, quorum nempe animalculorum in capite clarè conspiciuntur duo corpora elevata, dictis muscarum satis similia, & supra illa duo distincti globuli, quos nihil esse aliud, quàm oculos, satis est verisimile. Inventis itaque in uno eodemq; animali duabus illis eminentiis vel convexitatibus, quæ in muscis occurrunt, & unà oculis evidenter ab iis distinctis, concludit, quod etiam in muscis convexitates illæ non sint oculi, sed potiùs auditûs organa.* Quidquid sit, unicum hic addere liceat, corpora scil. illa globularia naturæ esse membranaceæ, intusque liquore crassiusculo & sanguinis adinstar rubicundo, nonnihil tamen obscuriore oblinita atque infarcta; quo detersò, membranam ipsam sic satis pro corpusculi istius, muscæ nempè, conditione crassam & coloris expertem comparere; cui si corpus aliquod coloratum, rubrum, nigrum &c. supponatur, globulorum istorum (si tales, & non potiùs maculæ albicantes fuerint, præcipuè cùm ex utraque, tam externa sive convexa, quàm interna sive concava membranulæ parte sese videndas exhibeant) summitatem colorem istum non transmittere, sed albicantem suum nitorem servare, reliquum verò spatium intermedium non maculatum, sive spatiola globulorum depressa corporis suppositi colorem ostendere. Microscopii etiam ope in quibusdam muscis pectori eorum, juxta pedum insertionem, insecti mi-

nimi genus, quod ad pediculos fortè referendum arbitror, oberrans deprehendi. Alia quæ microscopii ope observata in muscis fuêre, ex *Fontana*, *Hookio* &c. collecta diligentissimus *Sachsius noster in Schol. obs. 13. Ann. I. Ephem. curios.* exhibuit; quo ipso adminiculo vermes 72. membranæ inclusos deprehendit Nob. *D. Joh. Pet. Hain in Ann. II. dd. Eph. obs. 27.* & in muscis, quæ vermiculum casei progenerant, Exc. *D. Frid. Schraderus* singularem penis structuram, qualis fortè in nullo animali hactenus visus, incurvatum scil. instar capreoli in vite, & in extremitate amplo foramine donatum, quo vulvam excipit, non verò, prout in reliquis consuetum est, eidem inseritur. Tandem insecta splene carere cùm Exc. *D. Thom. Bartholinus lib. 1. Anat. reform. cap. 16.* pronunciasset, illud: *habet & musca splenem*, falsum proclamâsse, notare lubet. [*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXV.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
## Erinacei terrestris Anatome.

ERinaceus inde à capite usque ad caudam spicula gerit aculeata, quæ radice sua nigricante cuti firmiter inhærent: Cæterùm aculei in medio nunc albi sunt, nunc nigri, striati, cornei. Cuspis alba ornatur nigrâ maculâ. Cutis admodum est laxa, ut totum corpus, Erinaceo se conglobante, condere possit. Auriculæ sunt caninæ. Glandula lachrymalis insignis.

Nasus quoque caninus, & lineâ utrinque sulcatus: Præ naribus adsunt denticulatæ quædam epiphyses.

Os in acutum desinit. In maxilla superiore dentes numeravi sedecim, nempe 8. molares, 6. caninos, & 2. incisores: idem observavi etiam in maxilla inferiore, quanquam hæc longè brevior sit.

Helix & anthelix, Tragus & Antitragus, adprimè notantur in aure.

Facies,

Facies, collum, pectus & abdomen pilosa sunt, sub cute vasa exeunt, quæ sauciata sanguinem fundebant copiosum, cuti autem adhærescit singularis musculus.

Pectoralis musculus desinit ad apicem cartilaginis ensiformis: Sternomastoideus ad medium sterni pertingit.

Musculi Abdominis fibris insignibus pollent.

In abdomine conspicitur à sinistris ventriculus omento tectus, cujus duplicatione continentur intestina: arteriæ meseraicæ vehementer pulsabant: glandula dicta pancreas Asellii magna erat ac in medio mesenterii conspicua.

Valvulæ venarum sanguiferarum adprimè erant conspicuæ, loco chyli in lacteis ducebatur lympha instar crystalli perspicua, ob Erinacei inediam.

Omentum in latere sinistro lienem ventriculo connectit linguæ caninæ similem pluribusque vasis sanguiferis præditum. Pancreas Wirsungi inde à liene sub ventriculo ad intestina usque pergit.

Ventriculus tibiam utricularem refert; orificium superiùs coronâ venarum & arteriarum cingitur, inferiùs glandulis. Cœcum intestinum deest. Venæ hæmorrhoidales conspiciuntur insignes, itemque glandulæ recto appositæ; circa anum interior membrana valdè corrugata erat. In intestinis plexus glandulosos 12. reperimus. Pylorum cingebat insignis glandula, infinitis poris pertusa. Stomachus muco impletus, & variè plicatus fuit.

Hepar in 7. lobos sectum erat, intra 1. & 2. lobum vesicula fellis jacebat, bile porraceâ plena. Ex convexa hepatis parte prodibat vena cava, ex concava verò vena porta. Diaphragma in medio tendinosum, ad latera verò circumcirca musculosum erat.

Urachus vesicam urinariam suspendebat; utrinque etiam vestigia arteriarum umbilicalium apparuerunt.

Uteri cornua anteriùs connectebantur cum musculis pubis, supernè verò cum lumbis: cava fuerunt cornua, & hu-

more mucoso plena, os uteri internum fibrosum & penè cartilagineum. Vagina uteri valdè rugosa, & insignibus glandulis prædita.

Ren dexter altiori, sinister decliviori loco situs erat, glandula renalis oblonga, & muco plena: pinguedo multa sub renibus.

Cor pericardio caret. Adsunt autem duæ auriculæ supra cor, thymus utrinque visitur.

Pulmonum lobi tres in dextro, & duo in sinistro latere siti erant.

Ubera sunt in prono corpore & papillæ utrinque 6. binæ scil. propter collum, duæ juxta thoracem, aliæ circa medium costarum, rursus geminæ in abdomine, quintum par in inguinibus, sextum propè pudenda.

Anteriores pedes è 5. digitis constant & armati sunt unguibus. Posteriores pedes itidem digitos 5. possident, & apophysin, omnia rugosa & splendente cute instructa. Per pinguedinem ubique glandulæ nigricantes duriusculæ dispersæ erant: Sub cute musculus circularis ad Echini convolutionem, explicationemque facit. Ab hoc musculo alius transversus exit, qui coarctare corpus potest. Pòst alii musculi in caput, alii ad latera, pectus, ventrem, alii denique in caudam derivari observantur: Capitis musculi ad aurium latera, inde à naso procedentes, carnosi, firmique, cutem amplam capiti superinducunt: His adjacent retro aures alii, fibras suas ad mediam cutem spargentes, & in pedes anteriores derivati: Utriusque hujus musculi fibræ in medio concurrunt. Præterea musculosi processus plures in ventre medio contrahunt, hinc alii ad pedes posteriores derivantur, alii, & quidem fortiores, ad caudam. Insignes verò musculi temporales videntur, qui maxillam inferiorem attrahunt, cucullares & musculi patientiæ, qui ad collum usque scapulas trahunt, sternomastoidei quoque apprimè conspiciuntur; item sternothyroidei,

dei, & sterno-hyoidei, splenii item, complexi, recti &c. Porrò glandulæ colli, laryngis, maxillares & parotides.

Oculi parvi erant, rotundi, pinguedine stipati & lacteo humore è palpebris effluente madidi; cæterùm caput sorici-no simile.

Præterea insigne aderat os hyoides, ut & clavicula eximia, sustentans scapulam, ne pectus comprimat: patella quoque aderat, unctuoso humore suffusa. Musculi psoas insignes fuerunt. Musculi pedum, & caudæ & dorsi omnes exactè conspiciebantur.

Costæ numerabantur quatuordecim.

Colli musculos superiores flava pinguedo stipabat, etiamsi thymus & glandulæ ubique insignes adfuerint, ut dubitari possit, num flavedo hæc ab ætate animalis fuerit. Lingua papillis nerveis undique persperſa erat, præsertim in apice & ad basin; cæterùm linguæ membrana villosa est. Ossis hyoidis cornua tribus utrinque articulis flectuntur, musculi cerato-glossi & basi glossi adfuerunt, cum nervis insignibus ad linguæ extremitatem usque porrectis.

Cranium insignes suturas elevatas tenet, processus mammillares insignes in nasum derivantur.

In Cerebro insignis plexus chorioideus visitur: nervi satis sunt duri, & os cuneiforme insigne.

Remotâ auriculâ per meatum auditorium elegantissimè conspicitur musculus mallei, eleganter quoque tympanum cum circulo & cæteris auditûs ossiculis spectatur.

Sceletum delineatum cætera ossa repræsentabit.

## SCHOLIUM.

SImilem Echini terrestris anatomen exhibuit Nobil *D. Joh. Conr. Peyerus capiti 6. Clavis med. D. Autoris* adnexam; uti & Exc. *D. Ol. Borrichius* Act. *med. Hafn. Barthol. Volum. 1. obs. 91.* nec non Zodiaci Gallici anni II. observatio tertia talem præsentat; quædam etiam, & præcipuè ad Ova quæ spectant, Cl. *D. Nicol. Steno Vol. 2. dd. Act. obs. 88.* [*L. Schröck. L. F.*]

Fig. XX. p. 264. X 3 OBSER-

# OBSERVATIO LXVI.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
## Scorpius.

Sub ore Scorpii utrinque exeunt robustæ chelæ tribus geniculis angulosis & hispidis articulatæ.

Osque ipsum emittit geniculis impositos duos forcipes minimos denticulatos; intra quos residet oris papilla. Maxilla inferior bisulca est atque dentata. Pectoris scutum utrinque quatuor pedes promit, quorum primi breviores, ultimi longiores existunt, quivis pes in hamulos gemellos desinit & sex articulis flectitur.

Dorsum striatum est, & tubercula habet nigricantia; venter squammis septem sese exceptantibus pollet, quarum quamlibet supernè linea condecorat. Lingua pennata est. Dorso præponitur scutum splendidum. Infra ultimos pedes sitæ sunt pennulæ duæ octo striis præditæ.

Cauda Scorpii sex verticillos angulares mobiles atque punctis notatos habet, quorum extremo aculeus recurvus, pilosus & cavus veneno pollens tanquam apophysis adhæret.

### *SCHOLIUM.*

His jungi possunt Observationes, quas de Scorpionum partu recenset Cl. *Joh. Rhodius cent. 3. observ. 90.* & *pag. 244. Comm. in Scribon. Larg.* nec non *D. Francisc. Redus* in *Experim. de Insect.* ubi etiam situm scorpiunculorum in utero materno, Ægyptiorum & Tunetanorum scorpionum descriptionem, nec non de aculeo perforato, aliaque experimenta curiosa producit; Iavensium vernationem habet Nob. *D. Joh. Ott. Helbigius* in *Ann. IX. Ephem. Nat. Cur. obs. 199.* & bicornem vidisse Patavii *Rhodium*, in *Vol. 4. Act. med. Hafn. Barthol. obs. 28.* legitur.

[*Luc. Schröck. L. Fil.*]

## OBSERVATIO LXVII.

## D. JOHANNIS de MURALTO,

# Cicindela.

Cicindelæ dorsum tegitur undecim scutis nodosis splendidis, & per medium lineâ notatis ac fimbriâ pallescente circumscriptis.

Scutum primum lunatum est, & caput aptè recondit. Alterum scutum collare refert. Tertium latius est. Cætera usque ad ultimum æqualia sunt, & sensim angustiora. Ultimum magis pallet, ac in duplicem apophysin caudatam abit.

Caput in summitate utrinque emittit cornua duo, nodis 10. hispidis verticillata, affabrè mobilia, sub quibus utrinque protuberant oculi splendentes angulosi: hinc os visitur denticulatum, & maxilla inferior hispida & triangularis. Caro colli & pectoris velut cinnabaris rubescit.

Pectus promit utrinque 3. pedes, articulis 3. mobiles, duplicique hamo instructos. Juxta 1. & 2. ordinem pedum, triangulus visitur, cujus basis ad pedum ordinem primum, angulus autem ad secundum ordinem spectat. Inter secundum & tertium ordinem pedum protuberat caro punctis notata subrubens, & papilla carnea inter utrumque tertii ordinis pedem.

A pectore quatuor vaginæ, seu scuta fusca exeunt in medio sulcata, instar cutis piscium, quæ Gallis Chagrin dicitur.

Ultima scuta tria eboris instar candicant, & in obscuro lumen emittunt, quo aër vicinus noctu mirè illustratur.

Ovula sex virentia exemi è ventre, & duas venulas per alvum diductas notavi; Lucida autem illa splendensque materia sicca erat, & fibras glutinosas referebat.

OBSER-

## OBSERVATIO LXVIII.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMAN.
*De*
# Dorſi ineffabili pruritu.

D. I. A. IV Ob. LVI. p. 97.

NUper percurrenti aureas noſtræ Naturæ Curioſorum Ephemerides mihi oblata eſt *Dn. Andreæ Cnæffelii* obſervatio oppidò rara, de pruritu dorſi ineffabili; quæ in memoriam revocavit ſimilem dorſi pruritum in Generoſiſſimo & Strenuiſſimo quodam Domino in Ducatu Mecklenburgenſi; Ille Generoſiſſimus Dominus mihi non ſemel confeſſus eſt, quomodo olim & adhuc dorſi pruritus tam vehemens illum divexet, ut ſæpiùs equo deſcendere, & dorſum famuli unguibus ſubjicere, ſtrenuè illud fricaret, coactus fuerit, & ſi pruritus ille ingruit, nihil ipſum placare vel demulcere valet, quàm ſi expertus ſit aliquandiu unguium raſuram: erat hîc nobilis (parco nomini) ex nobiliſſimâ & antiquiſſima *de Bulovv* proſapiâ, cujus filiorum informationi eram præfectus, inque hujus pruritus ætiologiam alii me doctiores inquirant, malo quippe hîc alios audire, quàm proprium judicium ſubnectere.

*SCHOLIUM.*

CAuſa hujus pruritûs moleſtiſſimi non alia videtur fuiſſe, quàm ſerum particulis multis acribus terreſtrioribus vel fixioribus acuatum, in glandulis cutaneis à maſſa ſanguinea ſeparatum, quod tranſſpiratione aliàs in ſtatu naturali ſenſim & inſenſibiliter exhalare ſolitum, hîc tenuiorem tantùm partem diſſipari permittens, craſſiorum in ipſis tubulis excretoriis ſtagnationem, & conſequenter earundem, majore blandiorum & attemperantium divaporatione ſubinde factâ, concentrationem ſenſim procuravit; quæ ita ferociores redditæ acredine ſuâ nervoſas cutis partes pungendo & vellicando moleſtum

ſtum

ſtum illum pruritus ſenſum induxerunt; usque dum forti fricatione ſpiritus majori numero allecti non poros tantùm magis dilataverint, ſicq; craſſioribus iſtis excrementis exitum faciliorem conceſſerint, ſed etiam unà hæc attenuaverint, atq; promtiorem ad divaporationem deduxerint. Hinc quoque maximum illum dorſi pruritum à Celeb. *D. Cnôffelio* deſcriptum ſuſtulit tum Antimonii diaphoretici & Bezoardici mineralis internus uſus, quæ vitioſi ſeri particulas acres abſorbendo, atque ita quaſi volatiliſando liberiorem tranſſpirationem effecerunt, tum & Mercurii ſublimati in aqua ſoluti externa adplicatio, qui activis ſuis particulis in poros penetrans ſerum in cute reſtagnans & coagulatum liquando ac dulcificando vim ſuam exſeruit. Unde non minùs curam à *Petr. Borello (cent. 4. hiſt. 36.)* tentatam proſperè ſucceſſiſſe, credi poteſt, qui pruritum ibi deſcriptum ab humoribus bilioſis & acribus procedere autumans, vini uſu interdicto, quæ ad bilis, & ita acriorum unà humorum evacuationem facerent, juxta cum ptiſana aperiente & victu incraſſante, rebus utpote ad ſeri contemperationem facientibus, ordinaverat. Nec immeritò in exemplo à ſe prolato Nob. *D. Prückelius Ann. IX. Eph. Nat. Cur. obſ. 11.* lactis potui non ultimam curæ feliciter peractæ cauſam adſignaverat. [*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXIX.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMAN.

*De*

# Canitie in juvene.

Buxtehudæ in Ducatu Bremenſi, cujus urbis per triennium, & quod excurrit, Phyſicum egi, antequam à Sereniſſimo Holſatiæ Principe, Domino meo Clementiſſimo ad præſentem functionem vocarer, erat inter milites præſidiarios quidam juvenis annorum XVIII. hic canitie laborabat, dixiſſes ſenem ſexaginta annorum.

## SCHOLIUM.

UTrum in hoc Casu nativa fuerit illa Canities (quam inprimis certis quibusdam Familiis hæreditariam quasi esse, *Mart. Zeilerus cent. 1. epist. 17.* exemplo illustrat; & ipse Studiosum, natione Dalmatam, Patavii vidi, crispis & canis capillis præditum, cujus duos fratres natu majores, cùm Patavii studiis operam darent, eodem capillitio fuisse conspectos, narrabatur,) vel (quod sæpius evenisse ferunt, exempla producentibus nostro *b. Welschio in obs. 63. Jo. Udalr. Rumleri,* præfato *Zeilero, Marc. Donato lib. 1. hist. med. admir. cap. 1.* aliisque) metu nimio inducta; aut etiam externam aliquam causam, qualem v. g. pinguedinis ursinæ inunctionem esse scribunt; vel quamcunque demum aliam habuerit, cùm non addatur, eò difficiliùs etiam causa hujus redditur. In primo tamen ordine, si *Hippocratis* sententiam, ex *lib. de nat. puer.* sequi velimus, alimenti qualitatem colorem pilorum variare, & ita humidum candidissimum canos reddere dicemus. Quamvis autem in statu naturali nutrimentum pilorum semper esse humorem quendam, eumque serosum, facilè credam, ita tamen serum illud, licet aliquos in colore gradus admittere quandoque soleat, semper esse limpidum, & si loqui sic liceat, colore aqueum, nunquam tantâ tincturæ obscuritate, quantam v. g. nigri capilli requirerent, in statu naturali præditum, ipsum verò capillorum colorem in earundem substantia esse implantatum, existimo; unde si fibræ capillos componentes albicent, pili etiam albi comparebunt, illaque ipsa tinctura serum, quod pro nutritione per minutissimos tubulos adfluit, simili colore, dum illis adsimilatur, ceu fermento quodam imbuet. Metus verò insignis uti spiritum quendam à peripheria corporis ad centrum suum recursum vel etiam in partibus remotioribus suffocationem, humorumque magnam conturbationem inducit: ita hîc quoque tincturam istam, spiritus aërei, multum in colorum immutatione præstantis, defectu, ut & seri in cavitate pilorum stabulantis confusione, mutare & quasi suffo-

care

care poterit, difficulter iterum vel nunquam in priorem statum reducendam, cùm exsanguia illa & tenuissima corpuscula, omnimodam νέκρωσιν passa, novum spirituum influxum, & ab iisdem tincturæ, priùs quasi præcipitatæ, reductionem haud facilè admittant, aut ab eodem animari & in vitam quasi reduci queant. Denique utrùm externa quædam colorem pilorum constanter dealbare valeant, experientiæ priùs confirmandum relinquitur, & tum demum si hæc stabilita fuerit, quomodo id accidere queat, singularem discursum requireret. [*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXX.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMAN.

*De*

# Hæmorrhoidum menstruo & ordinario fluxu in Viro.

EXcellent. Dn. *Simon Schulzius* de Republica Asclepiadea, nostra Societate Leopoldina præclarè meritus, de fluxu hæmorrhoidum menstruo in Viro oppidò raram observationem communicat *Tomo 6. & 7. obs. XLIV. p. 39.* cui sociam similem observationem de quodam pastore in Ducatu Bremensi *volumini tertio Actorum Hafniensium* insertam dedi. Accedit nunc alia. Hîc *Kiliæ Holsatorum* est quidam *Vulcani* vel *Tubalcaini minister,* qui quolibet Mense & Lunâ, non secus, ac fœminæ suum pendit vectigal de rosa vitæ, eodemque modo sese præparat, quô fœminæ has lunulas habituræ, & terminum istius fluxus instare præsentire potest.

### SCHOLIUM.

DE hujus sanguinis motus causis hic nihil dicam, fiet fortè alibi, interim nos sumus in hac hæresi, nostræ vitæ rosam sive illud nectar vitale ad Lunæ phasium mutationem quamlibet pati aliquam in suo motu vicissitudinem, citius tardiusve

 fluat,

fluat, iſteque fluxus variat juxta quatuor anni partium ſeriem; multa ſunt quæ hoc noſtrum aſſertum evidentiſſimè probant, neq; deſunt autores idem aſſeverantes, inter quos eſt Nobiliſſimus *Kozack* Medicus Bremenſis famigeratiſſimus. Sed ſubſiſtimus, diſcurſum hunc in aliam occaſionem rejicientes.

## OBSERVATIO LXXI.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMAN.

## Vertigo cœcorum & alia de cœcis.

MEus præceptor *Georgius Kuß* Philoſoph. & Medic. Candidatus Halberſtadenſis, non ſemel mihi retulit, quomodo Halberſtadii inveniatur cœcus *Hans Linnemann* dictus, qui tempore æſtivo aëreque calidiore ſæpius de vertigine unà & phlogoſi fuerit conqueſtus, ut opem implorârit medicam; Eſtque præterea ille cœcus peritus tam organis muſicis ritè utendi, quam conficiendi, & quod præterea non admiratione caret, fila foramini acus curiosè non ſecus ac ſi cerneret, inſerere novit.

Nordæ Friſiorum, in Patria mea, erat Zythopœus, hic ſolius tactus beneficio nummos dignoſcebat: quomodo alii odoratu dignoſcant, docet nos *Volum. III. & IV. act. Hafnienſ.* ab Excell. *Thoma Bartholino* maximo naturæ Bibliothecario collectum editumque.

### *SCHOLIUM.*

DE vertigine quædam philoſophari placet loco ſcholiorum, quæ licet ex proprio cerebro ſatis accuratè depromere potuiſſet hujus obſervationis communicator, modeſtia tamen ejus illud onus in me tranſtulit, quâ magis ſe recommendare, quàm eruditione, quâ cæteroquin ſuam laudem meretur, voluit: Suſcepi ergò in me paucis hanc meam mentem de vertigine ejusq; cauſa & geneſi adumbrare, & tantò lubentius, quoniam conſtitui (Deo annuente) integram pathologiam ex novis

vis & ſolidioribus principiis eductam communicare noſtræ ſocietati Leopoldinæ, & denique Therapiam annectere.

Quilibet morbus humani corporis focum ſuum habet, cui inſidet, cuique inhæret; & videntur morbi quoque ſibi elegiſſe, quaſi ex ſorte, locum quem oppugnent, non ſecus, ac ſi Morbona ſuos exercitus diſtribueret ad oppugnandam corporis œconomiam; ubi quidam manipuli caput, quidam cor, quidam hepar, quidam renes, veſicam, quidam uterum, quidam ſtomachum ex mandato coguntur invadere: Nulla pars corporis noſtri ab injuriis externis ſeu internis tuta eſt, aut ullo immunitatis privilegio gaudet, imò quælibet pars lethaliter, minimâ occaſione & læſione, affici poteſt, quod plurima exempla probant, quomodo etiam ex alapis homines interierint, adeo ut longa ſit eorum hominum ſeries, qui leviſſimis vulneribus & affectibus vitæ ſubtracti, aut etiam miſerrimè fuerint ſuffocati: ita quoque vertigo eſt affectus capitis, capiti infeſtus primariò, imò quodammodo capitaneus vel centurio eorundem morborum, qui memoriæ arcem, intellectus ſedem, debellare à Morbona deſtinantur. Eſt autem ſuâ naturâ vel idiopathicè, vel ſympathicè talis. Quam tamen diſtinctionem cum grano ſalis intellectam volumus, ut quæ & ſuam meretur reformationem; ſed tranſeat.

Affectum, circa cujus examen nunc occupamur, annumeramus morbis vulgò dictis artificialibus. Pueri petulantes & protervi uno calcaneo innitentes ſeſe in gyrum circumgyrantes, facillimè in hunc incidunt morbum, aut ſi etiam diutiùs in circulum ſeſe vertant, citiſſimè vertigine corripiuntur. Præterea vertigo poteſt oriri adſpicientibus res in gyrum vel circulum circum actas; quidam etiam homines vertiginem concipiunt, quoties curru vel navi vehuntur, alii ſi retrorſum vehantur. Præterea & aliis hic affectus familiaris eſt, ſi ex alto proſpiciant: Apparet ſic eſſe affectum ſæpius à noſtro arbitrio pendentem quoad eum concitandum & quodammodo ad eum finiendum, quamvis non ſemper; finem imponere non eſt no-

ſtri arbitrii huic pathemati, ſed progignere, quoties libido quædam nos ejus capit, aut voluptate ducimur circumgyrationis phantaſmata pati, quam voluptatem nos nulli mortalium invidemus, nos verò illa bellaria detrectamus.

Sed ad hujus morbi focum penſiculatiùs ſcrutandum accingimur, & ille noſtro arbitratu nullibi quærendus eſt, quam in ipſo cerebri anteriori antro, quatenus illud abſolvit regionem vel clima, per quod proſerpant nervi optici. Eſſe partis anterioris verò affectum ſequentes evincunt rationes (1.) quoniam illa, quæ in profundò ſinu labyrintheo cerebri aut etiam in ejus cortice vel glandula pineali vel ventriculis peraguntur, illa non poſſunt corpora vel potius phantaſmata circumgyrantia ſiſtere conſpectui, quemadmodum contingere videmus in vertiginoſis. (2.) Eſt affectus, qui nobis ſuboritur, ſi vel ex alto proſpiciamus, aut etiam res in vertices actas contemplemur. (3.) Notum eſt, quomodo vertiginem ſupprimere poſſimus, ſi oculos claudamus, uti multis familiare, vertigini oculos claudendo ſuccurrant. Quæ omnia luce meridianâ clarius evincunt, eſſe vitium in anteriori cerebri parte.

Aſſertâ ſede affectus, ſupereſt paucis contemplemur, quæ hanc noſtram theſin arietare aut impellere videntur, cujus farinæ eſt vertigo cœcorum, quale exemplum ante nos communicavit Germaniæ noſtræ decus, *Georgius Wolfgangus Wedelius*, digniſſimus *Rolfincii* ſucceſſor, Collega & Amicus honoratiſſimus, *Ephem. Tom. VI. Obſervat. CXXI. p. 159.* & ſimilem hiſtoriam nunc adduximus. Celeberr. *Faber*, & qui ejus ſemitam calcant, reſpondent ad allatas hiſtorias diſtinguendo inter *nutationem & circumgyrationem; illam quidem cæcis convenire poſſe, hanc verò neutiquam putant.* In qua diſtinctione cum non acquieſcat curioſiſſimum Magni *Wedelii* ingenium, operæ pretium arbitramur, non ut *Fabro*, cui hactenus, quemadmodum nulli mortalium, juramentum præſtitimus, ſed veritati, cui dudum homagium & vaſallagium exhibuimus, patrocinemur, hæc pauca in medium proferimus. Primò licet concedamus

damus circumgyrationem phantaſticam oriri in cœcis vertigine laborantibus, nihilominus diſtinguendum eſt inter circumgyrationem verè talem, qualem ſibi fingunt videntes, licet & ea phantaſma viſus ſit; & inter circumgyrationem analogicè talem, qualis contingit cœcis in vertigine, ſicque nobis videtur cum cœcis eodem modo eſſe comparatum, quemadmodum cum iis, quibus artus ſunt amputati, illi licet mutilati ſint membris, nihilominus de iſtorum membrorum, quibus etiam carent, dolore conqueruntur, uti exempla ab autoribus allata teſtantur. Præterea, puto theſin noſtram adhuc ſuo inniti fulcro 1. enim quærendum eſt, an in iſtis memoratis cœcis vitium ſit in ipſis nervis opticis, vel alibi; an vel Catarrhactа vel Gutta ſerenâ laborent. Si Catarrhactâ, nervi optici poſſunt eſſe ſalvi, & ita in illis nervis opticis poteſt contingere ille vortex; & etiamſi dicatur guttâ ſerenâ laborare, nihilominus fieri poteſt, nervos opticos in totum non eſſe obſtructos, ſed in tantum, in quantum primò viſibiles ſpecies excipere debent, & ſi tunc ſaltem quædam minima ſpatiola adhuc ſint vacua, in illis ſpatiolis natura hoc phantaſma, aut aliquid analogi ludere poteſt. Sicque patet, minimè opus eſſe, ad diſtinctionem Fabri confugiamus, aut ab illo precariò mutuemur adminiculum, quo theſin noſtram ſalvemus, quæ reverâ adhuc ſtat immota.

Materia, quæ nobis abſolvere videtur aut gignere vertiginem, nihil aliud eſt, quàm ſpiritus nerveus (ut præter quem in œconomia corporis nullum ſpiritum agnoſcimus) in luctam concitatus, cum particulis crudis, quæ particulæ crudæ (ut ſequamur hîc terminum *Wedelio* inſigniſſimo Viro uſitatum) per debitam conquaſſationem in contextum ſpiritus nervei nondum cedere aut vergere potuerunt: Quomodo autem ex alto proſpicientibus vertigo naſcatur, Deo dante, definiemus in alio Tomo noſtrorum laborum, ubi latius vertiginis negotium pathologicè & therapeuticè juxta noſtram hypotheſin tractaturi ſumus. Tantum nunc in medium attuliſſe ſufficiat, & in arduis voluiſſe ſat eſt.

OBSER-

# OBSERVATIO LXXII.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMAN.

## *De* Idiosyncrasiâ.

CEleberrimus *D.D. Olaus Borrichius* Maximus in Dania Eruditorum splendor, artisque decus Pæoniæ, amicus magnus *Tom. II. aureæ messis actor. Hafniens. obs. 87.* aliquot idiosyncrasiæ exempla oppido rara communicavit. Quibus ex fidissima relatione *Dn. Georgii Kuß* M. Studiosi indefessi, olim meorum filiorum præceptoris fidelissimi, jam studiorum gratia Hafniæ ad pedes magnorum *Bartholinorum* aliorumque Virorum insignium sedentis sequentia sociabo. Civis Hafniensis Primarius Vir optimus & integerrimus narravit (sunt propria ipsius Studiosi verba) se, cum adhuc juvenis Noribergæ viveret, in colicam incidisse, quoties odorem malorum citriorum percepisset; jam vero impune sine colicis cruciatibus citriis optimè uti. Causam rejiciebat ipse in mala citria, quod quæ ex Italia Noribergam transvehuntur, alterius sint indolis. Verum alia causa subest, inquit Studiosus: Est enim homo (Galenicè loquendo) *biliosus*, cujus humores facilè illâ fragrantiâ in aliquam effervescentiam vel fermentationem fuerint commoti, non secus ac alia fragrantia quibusdam fœminis hystericam, dicam ne hypochondriacam? juxta *Barbette* mentem, affectionem causari valent. Quod verò nunc ab hoc malo pomis citriis utens immunis sit, in sex rerum non naturalium mutationem rejiciendum: Qua in ætiologia meum assensum Domino Studioso non denego, maximam quippe vim humores in corporibus commovendi inesse, nemo diffiteri potest, suntque plura hujus census exempla, quæ hic congerere, non est operæ pretium. *Sicq; meus socer odorem pomorum citra animi deliquium vix admittebat; pomis verò vescebatur citra metum, ast crudis, non coctis.*

SCHO-

*SCHOLIUM.*

SI ab aliis rebus æquè fragrantibus, aut fortè etiam fragrantioribus, quàm citria poma esse solent, Civis ille Hafniensis nullam offensam, aut humorum effervescentiam vel fermentationem passus fuerit, causa allata, biliosæ nimirum corporis constitutionis, vix omnino satisfaciet, & aliud aliquid necessariò latere debuit; de quo tamen divinare quidquam ulterior historiæ cognitio prohibet.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXXIII.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMAN.
*De*
# Noxio ribium esu.

NOndum annus effluxit, quo hæc scribo die 13. Maji Anno 1679. Hafniæ, quod mercator quidam ribium esui sibi suisque quinque filiis indulgens, iis sæpè & copiosè comestis integrisque deglutitis, sequens malum inde reportarunt: pater cum filiis suis febre correptus, ille quidem pharmaco purgante assumpto dejecit ribes integras & benè tumidas non paucas, quas ante mensem comederat, & non diu post sanitati redditus est; filii vero, qui ejusmodi remedio usi non erant, tandem post satis diutinum cum morbo conflictum, naturâ superante, in summam maciem incurrerunt, ita ut tenera ista corpuscula sceleta cute involuta & motu prædita dixisses, sed pedetentim ad pristinum corporis habitum pervenerunt.

*SCHOLIUM.*

QUantum ex historia hac colligere licet, chylificationis ab immoderato & perverso ribium esu inducta læsio omne hîc punctum tulisse videtur, qui tum copiâ, tum modo sumendi,

integris nempe baccis multis deglutitis, tum qualitate ob pravum à fructibus sperandum alimentum, peccans, ventriculi tonum laxando, crudosque & corruptos acidos humores generando, febri, maciei &c. ansam dedit uberrimam.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO LXXIV.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMAN.

*De*

# Noxâ comestarum radicum Aconiti.

ANno 79. 16. Martii ♄. pueri aliquot. *Buxtehudæ* in Ducatu Bremensi apud portam (Metenthor) dictam, quandam magno suo malo invenerunt radicem incolis istius loci (Wildendinge) appellatam, ireos nostratis radici similem, odoris amœni instar angelicæ, sapore pastinacam æmulatur. Estque genus aconiti vel doronici, copiosè hic in humidis provenit. De hac radice 12. pueri ederunt, qui vix horâ elapsâ in subsequa symptomata magno cum parentum dolore luctuque inciderunt, utpote primò passi sunt maximam cordis anxietatem, omnia dentibus manibusque dilacerantes. Trihorio elapso duo istius infaustæ radicis inventores suæ temeritatis pœnam, vitam cum morte commutando, luerunt. Reliqui adhuc decumbunt, dentium linguæque abbreviationem patientes, maximamque sanguinis copiam evomunt, oculi extra suas orbitas tristi spectaculo rapti protuberant. Pharmacopæus, qui mihi hanc historiam his ipsis verbis, sed Germanicis transscripsit, vocatur *Johannes Julius Herodes*, horumque puerorum curæ præfectus (qui 6. 8. & 10. annorum fuerunt) vomitum omni conatu lac & oleum propinando laudabili methodo promovere studuit. Si hæc cura mihi fuisset demandata, idem remedium, quo olim carbonarii uxorem in *Holsatia*, quæ arsenicum devora-

voraverat, reſtitui, dediſſem. Quæ obſervatio apud illuſtrem *Thomam Bartholinum II. Volum. actor. Hafnienſ. obſ. CIV. p. 253.* legitur. Sudorifera meo arbitratu hic non conveniunt, præſtat quippe in centro venenum ſuffocatum eliminare. Semen hujus plantæ innoxiè devorant, & ex eo poculum abortivum parant, quemadmodum mihi quædam fœmina confeſſa eſt.

### SCHOLIUM.

QUæcunque fuerit planta iſta, ſymptomata lugubria abunde veneni atrociam arguunt, quod in acredine ſingulari, à principio ejus ſalino-ſulphureo deducenda, ſubſiſtere ſi dicamus, atque ad methodum Nobil. *D. Wepferi* in *hiſtoria Cicutæ aquat.* obſervatam, explicare velimus, neutiquam errabimus. Cui ſanè mox in principio vomitoriis obviam ut eatur, opus eſſe, præter *Dioſcoridis lib. 6. cap. 7.* autoritatem, venenum Aconiti comeſti vomitione abigendum, ſtatuentis, ipſa ratio dictitat, nec experientia repugnat; Ubi verò altiùs jam quædam ejus particulæ vaſa ſubierunt, tunc alexipharmacis adpropriatis, aut, pro rei exigentia, etiam ſudoriferis unà eſſe decertandum, nemo diffitebitur.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO LXXV.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMAN.

# Mercurium ex lapide Hæmatite eliciendi methodus.

HÆmatitem primò in alcohol terimus, denique calcinamus cum ſale tart. in furno figulino vel vitrario in vaſe ad illud aptato: furno iſti exempto, ſicque calcinato affundatur ſpirit. urin. ad ſummum rectificatus, inditur retortæ benè lutatæ ad fortiſſimum ignem, ſpiritum ſic abſtrahendo, novum ſemper reaffundendo, idque novies, accipimus hoc labore ſalem volatilem ſaturatâ rube-

 dine

dine tinctum, ex quo paramus tincturam cum ſpir. vin. alcoholiſato; quâ tincturâ tota medicina nihil præſtantius habet. Spiritus urinæ abſtractus confunditur, & ſale tartari imprægnatus exponitur deſtillationi, donec hæc duo benè ſint unita. Iſte liquor urinæ ſic tart. ſalis vi vel animâ animatus affunditur reſiduo hæmatiti, & digeritur vitro hermeticè clauſo in cinere calido per menſes duos, rurſum abſtrahitur ad ſiccitatem: ſiccum hæmatitem tunc ſublimamus, ſublimatum cinnabari admiſcemus, & tunc obtinemus Mercur. Cinnabaris verò in pondere ſuo augetur, & quando hic reducitur ad Mercur. vivum, & hæmatitis Mercur. adeſt, hic ab alio Mercur. cinnabarino colore rutilante diſtinguitur.

## OBSERVATIO LXXVI.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMAN.

## Puella Ecſtatica.

PUella filia cujusdam Lanionis, civis Urbis Buxtehudæ vehementi morbo decumbens incidit in ejusmodi ſymptoma, ut jacuerit per integrum triduum mortuæ ſimillima, ut nihil quoque vitale amplius ineſſe videretur; præter quod exiguo aliquo calere adhuc calore videretur. Exacto triduo clamore excitare potuerunt; excitata ad ſe reverſa ſuccenſuit, quod non in eodem ſtatu reliquiſſent, ineffabilia eſſe gaudia, quæ interea temporis proceſſiſſent.

### SCHOLIUM.

CRedo ego fuiſſe ecſtaſin, & illa (mihi eſt) mentis à corporis exercitiorum vel functionum corporearum conſortio alienatio; quam ſi quis patitur, quum mens ſit ſpiritus, etiam ſpirituum conſortio gaudet, prout autem hominis conditio fuit, vel vita pia, vel vita impia, ita & mens eorum ſpirituum fruitur conſuetudine, quos vel vitæ ſuæ rectores ſibi elegerit vel comites habuerit. Et de Ecſtaſi judicandum juxta vitæ genus,

&

& huic conformia erunt contingentiæ & narrata Ecſtaſis non contemnenda, multò minus pro phantaſiâ accipienda. Ecſtaſis bonæ exempla legimus in ſcripturâ, ſic Adamo in Ecſtaſin collapſo coſta à Deo ad Evæ fabricam fuit adempta: ſic Jacob Ecſtaſin paſſus in viſione, qua ſcalas in cœlum erectas vidit, in quibus Angeli aſcendebant & deſcendebant. Lucta, quâ obtinuit, ut Jacob Iſraël vocaretur à Jehovah, fuit in Ecſtaſi, & tale quid contigiſſe, etiam recordaretur, memoriale fuit illa luxatio, quâ poſtea laboravit. Quid autem illa luxatione Deus ſignificare voluerit, hic addere non eſt hujus fori: ſcilicet poſterorum Iſraël, in ultimis generationibus perpetuam apoſtaſiam; quomodo autem cum eâ & Judæorum converſio poſſit conſiſtere, alia ſuo loco & foro docebo, Myſticè Chriſti paſſionem & Eccleſiæ perſecutionem. Sic & Paulus Ecſtaſin paſſus: Somnium Joſephi, ſomnium Pharaonis, ſomnium Nebucadnezaris, &c. fuerunt parvi paroxyſmi ecſtaſis. [*Ex literis Exc. Dn. Hannemanni.*]

Borellus in obſerv. 54. cent. 2. Domina de Pile Manſi Aſilii in Vaſconia morbum paſſa eſt, perque totum ejus curriculum Hiſpanicè optimè locuta eſt, licet illius linguæ antè & poſtea ignara fuerit; & præterea ecſtaſin tantam paſſa eſt, ut pro mortua haberetur: cumque remediis revocata fuiſſet, adverſus adſtantes indignata non mediocriter fuit, quod à loco miro & delitioſo revocata ab iis fuiſſet; dixit autem inter multa ſe vidiſſe ſenem, qui dixit ei, fratrem ejus in bello mortuum eſſe, patremque in cubiculo remoto Pſalmum certum legere, cujus verba retulit, hæcque omnia vera fuerunt.

Quæ teſtantur, animam in Ecſtaſi quodammodo à corporeis impedimentis ſeparatam aliquid ſcientiæ, quam poſt mortem habitura eſt, acquirere. Sic moribundis idem contingit, cum anima jam jam ſeparari debet. Sic etiam Rev. Vir, D. Phil. Jacob. Spener, Summus ille Theologus, in Poſtillæ ſuæ Chriſtianæ praxeos fol. 857. animam Divi Apoſtoli Pauli in tertium fuiſſe cœlum ſurreptam aſſerit. Exinde, animam

humanam ex corpore vivo, citra vitæ illius extinctionem separatam consistere posse, omninòque possibile esse, affirmat. Si quid absoni tale foret, Divus Apostolus citra ullam se rationem nescire id affirmasset, an ille in corpore, vel extra corpus substitisset.

At hoc, fateor, non congruit cum vulgari nostra vel Aristotelicâ Philosophia: verâ fortasse caremus Philosophiâ, aut ejusdem principiis de humanâ animâ; sic enim de aliis quibusvis rebus imperfectam obtinemus scientiam; de anima autem nostra vel minimam, quin penitus nullam. *Hæc ille.*

Memini cujusdam ancillæ meæ, jam tum in agone constitutæ, cum capite in sinistrum latus reclinato, oculis quasi jam vitreis, mox lumen suum amissuris, & spuma dextris labiis inhærente, cùm ægerrimam propè animam traheret, mundato cum linteis ore illius, diductis istis labiis aquam Langianam cum V. guttis auri soluti me infudisse: exacto ferè horæ quadrante, erecto repente corpore ista conqueri seriò cœpit, se ex amœnissimis campis Elysiis ad nos fuisse retractam. Consimilis legi meretur, quæ in Zodiaci Medici Gallici anno 2. observatio, quæ 1. Jan. edita, sic se habet. Nobilis puella ex febri ardente cum omnium virium amissione pro defunctâ fuit habita, adeò, ut assidentibus mortuam esse ratis de funere tantùm cogitatio superfuerit. Panno ex more consuta fuit; accersuntur sacerdotes, & Libitinæ jam destinata erat; cum emisso ex imo pectore suspirio vitæ superstitis indicia edidit. Omnia hîc, quæ ad vitam revocandam videbantur necessaria, fuere observata. Restituta tandem non gratias egit officiorum sibi præstitorum, sed querelas fudit, quod erepta sibi fuerit incomprehensa & ineffabilis animi tranquillitas, voluptas gratissima, ac talis, quâ mortales frui, nisi ad statum illum deducti fuerint, nequeant, felicitas: quicquid gaudii nomine venit, levissimam tantùm ideam exhibere ejus, quo gavisa fuerat. Addidit, à se perceptos quidem auribus parentum lugubres gemitus, ac quicquid illi circa funus & exequias meditarentur,

tur, menti obverſatum eſſe, nec quicquam vel illorum vel minimam partem excuſſiſſe tranquillitatis, qua potita fuerat; animum quippe deliciis illis tam profundè immerſum fuiſſe, ut mundi & mundanarum rerum omninò obliviſceretur, ne dum de conſervando corpore cogitatio incideret.

## OBSERVATIO LXXVII.
## D. JOH. PETRI ALBRECHTI,
## Vermis per meatum urinarium excluſus.

IN corde, pulmonibus, epate, aliisque corporis humani partibus ſæpius vermiculos naſci, exemplis & authoritatibus Medici paſſim confirmant. Admiratione percuſſus magis obſtupui, cùm legerem apud Cl. *Schenckium*, vermes ex veſica urinali nonnunquam cum lotio exiiſſe. Simile quid Anno 1678. d. 5. Aprilis notare mihi licuit in milite noſtri præſidii, cujus uxor ſummopere mecum conquerens de pertinaci mariti ſui iſchuria precibus me invitabat, ut ipſum inviſerem urinæque tamdiu ſuppreſſæ per medicamenta idonea priſtinum fluxum redderem: Ego officii mei memor poſtulationi hujus deeſſe nolui, & ægrotum miſerè afflictum deprehendi, ſeptimus quippe jam agebatur dies, quo ne guttulam urinæ excreverat: Querelas de ſummis circa umbilicum cruciatibus deque tenſione circa veſicam inſtituebat, talisque aderat tumor abdominis, ut aſcitico miſer non abſimilis videretur. Ego diligenter, tam interna quàm externa ordinavi, nihil intermittens eorum, quæ ad adipiſcendum optatum hujus mali exitum admoveri ſolent. Aſt inani diu me torquebam labore, neque ſucceſſus tam citò ex animi ſententia procedebat. Meditanti igitur mihi de immiſſione catheteris accurrit ægroti uxor apportans vermem craſſitie calami ſcriptorii & longitudine trium digitorum, referensque, ejecto hoc per urethram animalculo poſt multos conatus laboresque, marito ſuo tandem priſtinam facultatem pro lubitu veſicam exonerandi

randi esse redditam. Fœtus hujus inopinati exclusionem lochia quasi insequebantur, nectarisque vitalis fluxus cum urina per aliquot dies propullulabat, qui tamen exhibitâ emulsione terebinthinatâ feliciter esse desiit. Vermis post emissionem vitali quidem fruebatur aurâ, paulò post autem exspiravit. Notandum me suasorem antea exstitisse, ægrotus ut diligenter comederet amygdalas amaras, quæ uti egregiâ pollent virtute diureticâ, ita eas ratione amaritiei vermiculi ex vesica propulsionem masculè adjuvisse, nulla mihi hæret dubitatio, cùm experientiâ constet, quàm salutarem in morbis verminosis aliàs præstent operam, possetque hoc remedium tanquam euporiston catalogo medicaminum vesicæ vermibus resistentium inseri, modò certa signa pathognomica ipsorum præsentiam indicarent. Admiratione me detinuit & hoc imprimis, quâ ratione vermes in vesica degere possint, quî fiat, quod non enecentur aut convertantur in putrilaginem ab acri, mordaci salsoque lotio? Admirari autem desii considerans, in acerrimo aceto innumerabiles sæpius vermiculos reperiri, inque illo vitam transigere satis commodam; quanquam non faciam cum aliis, qui acetum nihil esse aliud quàm congeriem minutissimorum vermiculorum mordicantium, àque horum morsibus omnem aceti acrimoniam dependere rentur. Hac ratione enim quis instare posset, bilem, salem culinarem aliaque acria salina & acida, quæ linguam acrimoniâ suâ feriunt, esse corpora ex atomis & particulis verminosis mordentibus conflata &c. quod absurdum, cùm optima microscopia contrarium etiam in ipso aceto nos edoceant, nisi quis mentis suæ phantasmatibus nimiùm abblandiendo se ipsum decipere amet, non secus uti illi, qui pulverem ex particulis chordarum rubrarum, quales testudinibus adaptari solent, ab impostoribus præparatum assumentes, à plurimis vermiculis se postea liberatos esse firmiter sibi persuadebant, uti literis prodidit *Felix Platerus Quæst. Therapeut. Appendic. Prax. p. m. 192.*

Fig. XXI.

*SCHO-*

## *SCHOLIUM.*

OBſervationi huic reſpondet illa, quam *Bald. Ronſæus Epiſt. medic.* de ſene quodam refert, qui urinæ difficultate graviùs laborans, per ſomnum excrevit vermem cum maxima ſanguinis copia, ſalvusque evaſit; cui addere licet alteram illam *Edmundi de Meara*, videlicet de puero ſemel in menſe, & aliquando ſæpius, poſt duorum vel trium dierum dyſuriam, multos lumbricos per virgæ canalem excernente; ut & *Joh. Rhodij cent. 3. obſ. 36.* de adoleſcente poſt 5. dierum difficilem mictionem tæniam vivam emingente. Quænam verò jam in præſenti caſu exſiſtat diri illius adfectûs cauſa, determinare eſt difficile. Aut enim vermis ille orificium veſicæ urinariæ corpore ſuo obturâſſe, ſicque unà urinæ egreſſum inhibuiſſe, dici poſſet, aut, quòd credibilius, idem veſicæ collum, rodendo ſugendóve nervoſam ejus partem lædens, ad convulſivam contractionem irritaverat, unde fibræ ejus contractæ meatum unà urinarium occludere potuerunt; quâ dolorificâ ceſſante lumbrici adhæſione, eodem nempe ab amygdalorum amarorum virtute, cum ſanguine ad veſicam delata, vel quacunque demum alia à cauſa excuſſo, non fibræ tantùm laxatæ denuo fuerant, ſed & apertum vulnuſculum ſanguinem aliquandiu, priusquam iterum conſolidaretur, ſtillaverat. Quin & vermis ille, ſi primò non ipſa in cavitate veſicæ delituerit, ſed mediante ſanguine ipſas inter cervicis membranas depoſitus fuerit, ſenſim adauctus tumorem illo in loco excitare, ac tenſione iſtâ quandam membranæ internæ excreſcentiam mentiri, ſicque tandem orificium omnino obturare valuit, usque dum membranâ divulsâ exitum ſibi paraverat, ſicque non tantùm hæc denuo ſe contrahens meatûs libertatem reſtituerat, ſed aliquandiu etiam ex apertura iſta ſanguinem emiſerat.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXXVIII.

## D. JOH. PETRI ALBRECHTI.

# Meatus ab inteſtino cœco ad veſicam.

DIſſectio viri ob maleficia decollati inſtituta eſt Francofurti ad Viadrum Anno 1667. à *D. D. Gariep* Medico Colbergenſi: Adfuit ſpectator *Conradus Veſenfeld* Profeſſor olim Academiæ Viadrinæ inſignis & acutus rerum naturalium rimator, cujus in primo ætatis flore exſtincti mors, uti mihi valdè adhuc exiſtit acerba, ita emptionis jure ipſius quondam mihi comparavi manuſcripta, quæ inter alia curioſa accuratam commemoratæ diſſectionis deſcriptionem exhibent: Majuſculis autem literis ſequentia notavit: *Caſu factum*, verba ſunt *Veſenfeldii, ut offenderemus aliquot ductus ab inteſtino cœco deorſum ad veſicam vergentes: Per hos ergo meat materia lotii potatoribus tam ſæpè & copiosè excernendi, hi autem ductus inveniebantur abradendo pinguedinem, circa cœcum inteſtinum ſitam.* Urinam omnem à ſanguine in renibus ſeparari, uti non adeo liquet, ita in deſignanda via, per quam illa ad renes defertur, excellentiores Anatomici dubii incertique hactenus titubârunt: Omnem ſcrupulum evellerent omnemque tollerent dubitationem prædicti ductus, ſi ipſorum veritas conſtaret. Monendi ſunt Anatomici, ut in inveſtigatione horum nonnihil operæ ac diligentiæ impendant experianturque, an vel hos vel Cl. *Diemerbrockii* chyloſa, vel alia ad renes aut veſicam tendentia vaſa invenire queant.

### *SCHOLIUM.*

UTi non facilè ullius Viri boni, & eruditi Anatomici fidem in dubium vocare debemus, ſi varios Naturæ luſus & errores conſiderare velimus: ita etiam hanc de ductibus ab inteſtino cæco ad veſicam vergentibus obſervationem eodem referemus. Sed hoc utique rariſſimum quid fuiſſe dicemus. Neque etiam

etiam tantopore iisdem pro demonſtranda via celerioris & copioſi tranſitûs materiæ potulentæ ad veſicam in potatoribus opus eſſe, videri nonnullis poſſet, ſi viam ex ventriculo ad renes per omentum eruditiſſimè à noſtro Celeb. *D. Helianthо Ephemer. Nat. curios. Ann. IX. obſ. 17.* propoſitam admiſerint, aut ſaltem Exc. *Rich. Loveri* in *tract. de corde cap. 3.* & *Guil. Cole cap. 13. de Secret. anim.* diſcurſum adprobaverint.

[*L. Schrök. L. F.*]

## OBSERVATIO LXXIX.

### D. JOH. PETRI ALBRECHTI.

# Hydropicæ cujusdam aqua ex hypochondriis profluens morbum ſolvit.

VIdua quædam 60. annorum hic loci ſedem rerum ac fortunarum ſuarum habens poſt varios in diæta commiſſos errores ſeptem abhinc annis hydrope aſcite corripiebatur: Quo indies ingraveſcente, accerſitus Medicus nullo ad ſanandum appoſito remedio neglecto curationem tentabat: Sed quodvis incaſſum adhibebatur, neque medicamentorum virtute vires morbi frangere ejusque radices evellere licitum erat. Superfuit Paracenteſis, cujus tamen adminiſtrationem omnimodè recuſavit, nulliusque perſuaſionibus eo impelli potuit, ut dicto medio locum daret, quin potius mortem appetiit. Aſt præter omnium opinionem morbus ad exoptatiorem longè eventum provectus eſt. Ægrota namque vi morbi fermè conſumpta ſenſit aquam ex utriusque lateris hypochondriis, ubi pori cutis mirum in modum aperti conſpiciebantur, promanare: Cui fluxui quod mirum, natura quaſi non neſcia unâ vice hydropicorum aquam non educendam eſſe, præcluſis poris moram interdum imperabat, quæ tamen aliis temporibus remotis obſtaculis ſponte ſolvebatur. Fluxu igitur hoc per intervalla aliquot

menses durante, abdomineque sensim detumescente ægrota morbi gravitate magis magisque levabatur, donec tandem aquâ præternaturali ex corpore ejus ejectâ integritatem pristinæ valetudinis recuperaret, quâ etiam, dum hæc scribo, satis bellè atque commodè fruitur.

## *SCHOLIUM.*

NAturam revera in hoc Casu fuisse morbi medicatricem, constat, quæ sæpius, quod nullus ministri sui, Medici, labor & diligentia efficere valet, promtè saluti suæ feliciter prospicit; idque in hydropis cura non semel præstitit, rarò etiam hîc molimine ex hypochondriis aquarum sarcinam expellens; vi imaginationis fortè eò compulsa dum metu dolorificæ ipsi creditæ, crudelis, multis tamen persuasionibus sollicitatæ Paracenteseos, copiosiorem seri superflui fluxum ad loca sectioni viciniora magno impetu amandavit; quod in glandulis subcutaneis ibi subsistens, nec in vasa lymphatica promtè receptum, sed excretorios sudoris tubulos distendens, per illa exitum sibi paraverat, sicque sensim reliquum etiam serum alibi extravasatum, & dein paulatim in vasa effluxu illo inanita regressum, patente isto in loco successivè evacuaverat; cessante tamen nonnunquam fluxu illo à frigore aëris ambientis diutius admissi, serum naturâ glutinosum in tubulis distentis incrassante, eosque obstruente, donec eodem iterum rarefacto, àque majore seri noviter supervenientis collecta quantitate ulteriùs expulso, novum transitum sibi paraverat; in confusionem illos conjiciens, qui sæpe præ aliis prudentioribus magis sapere sibi visi, hydropicos vehementi evacuatione ab aquarum sarcina, brevi & uno quasi impetu, liberare infeliciter student, quale quid contigisse aliquando novi, dum ex cachexia quidem factus hydropicus, à diuretico nimis liberaliter propinato, parvo quidem temporis spatio ab insigni suo seri stagnantis pondere, non sine triumpho, ante tamen victoriam, decantato, fuit liberatus, paulò post tamen spiri-

ſpiritibus unà exhauſtis præter exſpectationem ſubitò placidè exſtinctus eſt.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXXX.

## D. JOH. PETRI ALBRECHTI.

# Flatus corporis humani cur tam difficulter nonnunquam diſcutiantur.

MEmini me quondam ex Cl. *Sylvio*, cùm in Noſocomio Lugdunenſi ægroti paſſione colicâ decumbentis rationem haberet, audire, hoc malum cujusvis medicaminis nonnunquam vires eludere, difficilisque medelæ cauſam conſiſtere in copia bullarum ex pituita valdè glutinoſa conflatarum flatus intus habentium: Bilem autem tum temporis ſale lixivo acuatam phlegma rarefacere nimis, quo rarefacto hujus latera magis diſtenſa flatusque recipientia dictas bullas producere; non ſecus quàm aquam ſmegmatis beneficio glutinoſiorem redditam pueri in ſphæricas bullas conflare atque formare ſolent: Quicquid enim ibi præſtat ſmegma, illud in corpore humano efficere pituitam; & ſicuti à ſpiritu calido ſmegma rarefactum in bullas effertur, ita bilem tanquam humorem calidum in pituitam agentem hoc munere defungi cenſebat. Quæ omnia, uti non à recta ratione aliena omnimodè cenſenda, ita quoque dictis experientia fidem fecit. Anno 1677. accerſitus ad hujus civitatis incolam, qui per 5. dies cum paſſione colicâ conflictatus erat, ipſius abdomen mirum in modum diſtenſum deprehendi: Quibuslibet medicamentis fruſtra exhibitis incaſſum diu ſudavi, incertusque fui, quî fieret, quòd probatiſſimis pharmacis hocce malum non cederet. Cùm autem in uſu clyſmatum diligenter perſiſterem, ægrotus poſt aliquot dies horum auxilio excrevit maſſam ex multis veſiculis contextam, quarum majo-

res juglandium, minores nucum avellanarum magnitudinem excedebant. Hæ vesiculæ tam tenaciter sibi adhærebant, ut nullâ operâ divelli possent, quin potius disrumperentut mephitimque flatulentam cum fœtore adstantibus valdè molesto emitterent. Hocce spectaculum quamvis sordidum non tamen sine animi voluptate diu intuitus sum, omnemque mihi evulsit hæc observatio admirationem, quare tam infelici Marte contra tympanitidem, colicam flatulentam (quam meritò à colica convulsiva solis humoribus acribus adscribendâ distinguo) bella geramus, cùm de vero remedio dictarum vesicularum rupturam promovente adhuc simus incerti. Sanatus hoc modo noster ægrotus valet adhuc pancraticè, liber suis ex passione colica cruciatibus, cùm quibus antea tam frequenter ipsi confligendum erat. Simili modo fabri cujusdam ferrarii uxori 66. annos habenti, consilio meo quondam præfui, quæ à longo tempore asthmatica & anhelosa suffocationis periculum incurrebat. Hinc perterrita omnes nervos intendebat, ut per tussim obstacula liberum aëri transitum denegantia removeret, & hac ratione post conatus Herculeos laboresque incredibiles ejecit interdum vesicam magnitudine pomi Borstorffiani flatu plenam, qui tamen vesicâ propter summam glutinositatem rupturam difficulter admittente evocari vix poterat. Hoc peracto aliquot horas libero fruebatur spiritu, donec præterlapsis illis regenerata novâ vesicâ novi laboris faces incenderet, quibus tamen cùm ægrota indies magis defatigaretur, factum est, ut exhaustis consumptisque illius viribus brevi post naturæ satisfaciens somno consopiretur æterno.

## *SCHOLIUM.*

Tympanitis & Colica flatulenta licet absque tenacis ejusmodi & viscosæ pituitæ in bullas distentione multoties producantur, à sola utpote humorum variorum præternaturali agitatione vel effervescentia ortæ, quæ tamen vesiculas istas unà conjunctas habent, difficiliorem curam utique suscipiunt; cùm

cùm enim mater earum, pituita viſcidiſſima, quam vitream adpellare quibusdam libuit, ob illam ipſam glutinoſitatem, difficulter eradicari queat, eò magis productæ ex eadem veſicæ, magis utpote condenſatæ, & induratæ, ac quaſi membranoſam naturam indutæ, medicamentorum operationi reſiſtent; quæ ideo non tam phyſagoga propriè dicta, calida & aromatica, quàm potiùs majori penetrandi, incidendi & reſolvendi, imò corrodendi vi prædita requirere unà videntur; quâ ratione fortè v. g. nitri ſpiritus, aliàs jamdudum anticolicorum in numerum receptus, hîc vim ſuam exſerere valebit.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXXXI.

## D. JOH. PETRI ALBRECHTI.

*De*

## Stercorum egregia in nonnullis virtute.

SOcer meus Quæſtor Epiſcopatus Hildesheimenſis ante aliquot annos paſſionibus colicis valdè obnoxius erat, quibus tantopere affligebatur, ut paralyſis dextri lateris cum amiſſione loquelæ ſuccederet. Circumſtantes abſente Medico cùm neſcii eſſent, quid faciendum, accurrit fœmina quædam recens ſtercus ſuillum, quod manibus gerebat, ægroti naribus intrudens; Quo vix peracto ſubitò ille in hæc erumpit verba: O GOtt/ wat ſtinckt dat Sau? & hac ratione non tantùm aphonia ceſſavit, ſed & paralyſis cruciatusque colici extemplo remisêre. Ruſticis aliisque vilioris conditionis hominibus ſæpius autor fui, ut ſuccum fimi equini cum cereviſia calida contra colicum morbum aſſumerent, externè autem dicti fimi portionem cum cineribus calidis commixtam tepidè regioni circa umbilicum apponerent, quod euporiſton nunquam non ipſis exſtitit ſalutare. Cæterùm hoſce ſtercorum effectus non eſt quòd valdè miremur, cùm & in aliis morbis

bis illa non mediocriter prodeſſe & experientiâ & Excellentiſſimorum Virorum teſtimoniis diſcatur noteturque. Sic antidotum napelli ſtercus humanum eſſe affirmat Cl. *Hoffmannus animadverſ. in Schroder. p. m. 664.* Fœtoremque hujus naribus attractum matutino tempore præſervare à peſte refert *Minderer. Medicin. militar. p. 125.* Pleuriticis alii gallinarum, alii columbarum ſtercora commendant. Proſtat in noſtra officina aqua antipleuritica ex fimo equino deſtillata, quam uti cum fructu ſæpius exhibui, ita laudibus illam ſufficienter prædicare nequeo. Infallibile fermè remedium ad conſtringendum fluxum menſtruum eſſe ſtercus aſininum, ejusque ſucco plurimos de ſorditie parùm ſollicitos feliciſſimè ſanatos aſſerunt, *Finckius Enchirid. Dogmat. Hermet. c. 34. Zacut. Luſit. Prax. Hiſt. l. 9. c. 11. Solenander Conſil. Med. ſect. 4. conſ. 8. Schonborn. Manual. Med. p. 184.* pluresque alii. Stercoris ſuilli in narium hæmorrhagia ſiſtenda, anſerini in ictero aliisque morbis curandis efficaciam etiam tyrones medicinæ vix ignorant. Videatur Ann. 9. & 10. obſervatio LVI. Salibus excrementa animalium ſunt plena, quibus volatilium ſtercora præ cæteris abundare, quia acres ſeroſosque humores non emingunt, à curioſis animadvertuntur. Hiſce igitur dictas operationes adſcribendas uti non dubito, ita inſignem inter hæc intercedere differentiam ex virtutum diſcrepantia liquet. Veroſimile enim eſt, ſtercus, quod ſtipticâ gaudens qualitate hæmorrhagiis medetur, vi ſalis cujusdam nitroſi, acidi &c. illud præſtare: Aliud aphoniam cum paralyſi ſolvens beneficio ſalis alkalici volatilis vappeſcentibus ( uti Excellentiſſ. *Hannemannus in Procœmio de uſu & abuſu inebriaminum* de apoplexia judicat) priſtinum vigorem reſtituere. Sed de hac materia liberam cuilibet philoſophandi poteſtatem relinquo.

## SCHOLIUM.

Quamvis σκατοφάγοι, uti eos vocat, quidam medicaſtri malè audiant *Joh. Petr. Lotichio thes. 6. de Caſei nequit.* & revera, ubi delectum remediorum habere poteſt, ſordidis ejusmodi Medicus

cus elegans abstinere teneatur, in necessitatis tamen casu, ubi non, quod decorum magis, sed quod utile est, expetitur, si alia pari efficaciâ prædita eum destituant, cur non similia in usum trahere liceat, sufficiens causa nulla subest. Uti verò in ipsis excrementis spiritûs vitalis præsentiam agnoscere tenemur, (unde vivere eadem, *Guil. Maxuellus de medic. magnet. pag. 27.* scribere sustinuit, & *Joh. Bapt. Helmontius cap. de lithias. §. 35.* spirituum vitalium comparticipationem excrementa servare prodidit,) quam Exc. *D. Jo. Conr. Peyerus exerc. 1. de glandul. intest.* de spiritu non minùs animali verè deprædicat: ita cur recenter adhibita præstantiores quandoque edant effectus, hinc edocemur. Licet & aliàs diversimodè prodesse posse, præter multorum experientiam, ipsa quoque ratio dictitet, sulphure & sale volatili, ut & fixo quandoque in iisdem manifestè se exserentibus, & partim ab adsumtis cibis &c. partim ab interno principio, bile & lympha, ortum trahentibus, sicque etiam eorum diversitatem in ipsa operatione multiplicem & quasi specificam ostendentibus. [*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXXXII.
## D. JOH. PETRI ALBRECHTI,
## Lochia aquosa.

UXor cujusdam Mercatoris expletis Mensibus absque laborioso nixûs puerperio naturâ ipsâ obstetricante partum absolvebat. Circa fœtûs exclusionem mirum & insolitum quid contigit: Conficiebatur enim absque ulla sanguinis profusione, cujus ne guttula in conspectum venit, sed loco ipsius lympha viridis non absimilis solutioni vitrioli commun. cum aqua simplici factæ præter propter pondere 20. librarum lochia constituebat. Aqua erat limpida, dulcis, omnis acrimoniæ expers, duravitque ejus fluxus integrum mensem satis copiosus absque ullius sanguinis vestigio: Neque puerpera hinc malè habebat, sed uti felicitet enixa

erat, ita reliquo tempore puerperii absque multis torminibus aliisque incommodis traducto in hunc usque diem vivit sana optimâque utitur valetudine. Notandum, quòd secundinæ, quanquam dilaceratæ & cultelli acie multoties discissæ nihil sanguinis, sed similem liquorem limpidum & aquosum profuderint. Hasce ob causas fœtus non est exclusus justo infirmior, sed uti integris viribus mundum intravit, ita iisdem adhuc absque ullo sanitatis vitio benè fruitur. Hinc evidenter apparet, quàm lubrica sit illorum opinio, qui sustinere conantur, lochia esse residuam sanguinis partem pro nutritione & augmento fœtûs ad uterum delatam.

## *SCHOLIUM.*

Cùm humorem fœtûs nutritium à matre suppeditatum non purpureum illum esse, sanguinis nomine propriè venientem, compertum sit, verùm albicantem aliquem & serosum, similem seri evacuationem ex osciliis uterinis hîc contigisse; & cùm sanguis puerperis à partu recenter exstillans non aliam originem agnoscat, quàm vasorum sanguineorum in uteri substantia radices agentium, à prægresso enitendi conatu, sive uteri forti commotione, & hinc subsequente placentæ separatione violentam reserationem, in hoc autem casu absque laborioso nixu puerperium successerit, & ita oscula vasorum sanguifluorum non dilacerata fuerint, porulos istos, qui liquorem nutritium graviditatis tempore ex arteriis uterinis in placentam derivaverant, ulteriorem saltem seri istius à sanguine separati fluxum concessisse, crassioribus autem cruoris particulis exitum denegâsse, foret credibile, nisi & ipsa placenta discissa, sanguinis loco, similem aquosum liquorem suppeditâsset; Unde potiùs in hoc subjecto ipsi sanguini tincturam purpuream omnino defuisse dicendum erit. Qualem rubedine destitutum sanguinem in aliis quoque fuisse deprehensum novimus, exempla promentibus *Joh. Rhodio cent. 1. obs. 36. cent. 3. obs. 72. Petr. Borello cent. 1. hist. 25. Thom. Willisio de febb. cap. 1. Henr. Olden-*

*Oldenburgio Act. philoſoph. Angl. Num. 6. §. 4. 10.* & *Num. 8. §. 8. Ephemeridibus Nat. Cur. Ann. II. obſ. 210.* & *Ann. III. obſ. 123.* &c. Quæ tamen dum vel recenter è cibo comeſto prolectum & nondum cum ſanguine intimiùs permiſtum chylum proponunt, vel ſaltem ſanguinem illum in cachecticorum, febricitantium, aut alio morbo laborantium corpore exſtitiſſe innuunt, quid hîc decernere liceat, haud video. Chylum enim non fuiſſe, nec puerperæ fœtusque ſanitatem admodum laboraſſe, ipſa hiſtoria loquitur. Sanguinis equidem in genere conſiderati eſſentiam in purpura non conſiſtere, vel *Hippocrates lib. de glandul.* teſtis eſt, illud album, quod ex glandulis diſſectis erumpit, ſanguinis nomine dignatus, per hunc ipſum tamen ſanguinem album nil niſi ſerum intellexiſſe, *Hier. Barbatus tr. de ſang. & ejus ſer.* benè interpretatur, utpote cujus ſeri quoddam quaſi promtuarium ſunt glandulæ; idipſum verò ita ſolitarium in humano corpore pro ſanguine vitali & ſano nemo facilè agnoverit. Licet enim imperfectiorum quorundam animalium, uti cochlearum (vid. Exc. *D. Joh. Jac. Harderi examen anat. cochl. terr.*) liquorem vitalem albicare certum ſit, in homine tamen ſimilis ubi occurrit, aliquid præternaturale, & ita morboſum, à quacunque demum cauſa, ſulphur ſanguinis rubicundum ſubjugante, ortum habuerit, evincit.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LXXXIII.

## D. JOH. PETRI ALBRECHTI,

*Ex*

# Abſceſſu renum ſubſtantia per urinam expurgata.

QUintus jam agitur annus, cum Nobilis quædam Matrona, quæ à longo tempore jam fuerat nephritica, inflammatione renis dextri corriperetur, huic abſceſſus ſuccedebat, hinc puris mictio. Semper autem

cum urina purulenta excernebat aliquot carunculas, frustula scilicet rubra, crassiora, pinguedine interdum obducta, magnitudine phaseolorum. In tanta copia per aliquot menses hæcce renis corpuscula dubio procul à sanie acri erosa exierunt, ut non dubitem, totâ hujus renis substantiâ corporetenus eliminatâ, illam functionem, quam natura utrique renum injunxerat, in solum sinistrum cecidisse, qui rectissimè quidem officii rationem hactenus persolvit, creavit autem hisce ultimis diebus dictæ matronæ acutissimos cruciatus, videturque hic nimii forsan laboris pertæsus fraterculi emortui officium amplius repudiare; an medicaminibus exhibendis possit reconciliari, inque meliorem statum deduci, tempus docebit. Cæterùm non possum quin hisce apponam observationem anatomicam non malè huc quadrantem, quam non ita pridem Excellentissimus *Dn. Julius Georgius Behrens* Sereniss. & Potentiss. Duc. Brunsvic. & Luneb. in Aula Guelphica Archiater præclarus sequentibus mihi communicavit verbis: Meretrix quædam, quæ per multos menses hîc captiva fuit, peperit gemellos masculos: Unus erat sanus & bonæ constitutionis, alter habebat anum clausum, crura distorta & tumorem spongiosum in ultima vertebra dorsi, de cætero erat tenerrimæ constitutionis infans, ut brevi illum moriturum prædicerem: Ani apertio à Chirurgo hujus loci feliciter peragebatur, excrementaque alvi naturaliter iterum fluebant. Sed post aliquot dies cùm infans mortuus esset, à Magistratu mihi permissum est, ut cadaver ejus anatomiæ subjicerem. Abdomine aperto non aderat omentum. Intestina tenuia & albicantia & splendida erant; crassa inflata & colorem gangrænosum referentia: Colon omnibus cellulis carebat, reliqua omnia sana. Ad renes autem ubi deventum, sinister tantùm aderat, sed satis magnus in tenello isto corpore. Circa vasa quoque natura non omiserat lusum, aderat enim unus ureter & unum vas spermaticum, sed ambo satis ampla. Ille inserebatur vesicæ: Hoc obvolvebat testiculum, qui quoque solitarius erat & subsidio carebat &c. OBSER-

## OBSERVATIO LXXXIV.
## D. JOH. CONRADI PEYERI.
# Uteri & vesicæ urinariæ procidentia.

QUod verum est, meum est, dixit olim *Seneca in Epistolis.* Utinam idem adhuc sentirent ac saperent scriptores omnes, veritatemque pluris facerent, ceu æternum quid ac immutabile, quàm fallacia præjudicia, aut fucatæ novitatis illecebras, & intempestivum contradicendi studium; Quidquid verò delinquant alii, titubentve mente, nobis hercle quidquam affectare præter amabile verum religioni est. Neque enim curiositate nostra & quotidianis exercitationibus aliò collimamus, quàm ad cognoscendam veritatem colendumque Deum, deinde etiam ad curandam mortalium valetudinem. Hic errores tamen non tantum vitare ipsi adhibita summa diligentia, sed etiam ut evitent cæteri efficere pro virili parte tenemur. Inter muliebres morbos omni ævo cognita & perspecta fuit uteri procidentia, grave sanè molestumque malum; quippe generationi plurimum officiens, ac interdum etiam funestum: docuitque universa antiquitas uterum mulieribus aliquando prolabi. Hodie autem post *Theodorum Kerckringium*, præclaris monumentis apud eruditos celebrem, in Belgio famigerati chirurgi duo *Ronhusius* & *Meckeranus* editis observationibus negant matricem procidere posse, quod prisci uno omnes ore affirmaverant, arguuntque erroris ac imperitiæ præclara & vel Æsculapio majora nomina. In hoc ancipiti statu, cum alterutri partium causâ cadendum sit, judicem appellare nullum convenit nisi experientiam. Equidem in rebus ad rationem solam pertinentibus humanæ autoritati tantum fidei nunquam adhibemus, quantum conscientiæ dictamini: semper enim pro falso ambiguoque justè reputamus quidquid claro & distincto mentis nostræ conceptui repugnat, etiamsi gravissimi autores sexcenti id verum ac indubitatum

bitatum esse pronunciarent. Nimirum sapientum ratio sui juris est, & ad quam homines adspirare debent, æternæ veritati, hoc est, Deo, priùs auscultat quàm hominibus. At aliter planè sentiendum est de rebus contingentibus in judicio cui præsidet experientia. Hic votorum pluralitas & testium idem affirmantium multitudo plurimum momenti ac vim veritatis habet, nisi manifestò demonstrari queat, testimonia esse fraudulenta. Quamobrem cum in his casibus magni æstimanda sit bona fides, & scriptorum idem sentientium frequentia atque autoritas, acerbè ferimus Chirurgorum istorum petulantiam, in tot præcellentes Medicos temerè ac perversè insultantium, quorum ipsi neque famam nec eruditionem assequuntur; imo continere nos diutius non possumus, quin contra ipsos pro veritate & antiquitatis honore testimonium publicè dicamus. Accidit anno Christi MDCLXXXII. mense Martio, ut in xenodochio Scaphusiano vidua decumberet, ex diuturna & gravi uteri procidentia laborans. Primum quidem ante plusculos annos, cum uxor adhuc marito frueretur, leve malum fuit, nihilque aliud quàm vaginæ laxamentum: postea verò conceptione & partu iteratis paulatim ita degeneravit, ut vagina omnis inversa prominerer ac inter femora nutaret. Procidentiam ægra sibi identidem ipsa reposuit, & pila cerea utcunque firmavit, donec novissimè difficulter parturienti uterus edito fœtu in vaginam dependulam prolaberetur. Pensilis massa carnis spithamam æquavit longitudine, crassitiem utraque manus facile complecti non potuit, tantumque doloris & molestiæ ægrotanti creavit procidentia, potissimum obambulaturæ ac rem familiarem curaturæ, ut subinde mortem præoptaret. Infernè per patulum uteri orificium menstrua statis temporum intervallis promanarunt. Matricem autem extra pudenda delapsam manibus nostris aliquoties palpavimus, quæ tamen inversa haut erat, ut oculis conspici posset, sed latens intra vaginam propendulam tractari potuit & comprehendi manibus. Illa sursum aliquando compulsa nativam se-

dem

dem cum saltu repetiit; ast vaginam in pristinum restituere locum non licuit. Tandem cum nihil remedii superesset, & alia atque alia mala imminerent hanc amputare visum est. Eventu autem spem non implente ægra mortem occubuit. Docuit post anatome uterum revera procidisse, vaginamque totam fuisse eversam. Adhæc quod magis mirum & planè novum videtur, cum utero vesicam urinariam similiter mutata sede procubuisse annotavimus; ceu pluribus aliquando forsan denarrabit inclytus *Wepferus*, qui horum omnium nos voluit esse testes oculatos. Nec tamen rupta fuerunt uteri & vesicæ vincula, sed tantùm laxata. Resipiscant ergo *Kerckringius*, *Ronhusius* & *Meckeranus*, siquidem adhuc in vivis sint, sententiamque suam erroneam & perniciosam moniti retractent. Cæteri demum quotquot hæc lecturi sunt, & quorum ista novisse interest, vel nostro exemplo discant scrupulose ponderare omnia, ac ubique magnam adhibere diligentiam cautionemque, ne cum delinquant ipsi tum seducant incuriosè alios, aut seducantur.

## OBSERVATIO LXXXV.

## D. JOH. CONRADI PEYERI.

De

# Lepusculis, Salmonum extis, intestino cœco, ventriculo anserino, & renibus anserinis.


DIversa cujuscunque sortis ac ætatis animalia cum viva tum demortua frequenter dissecamus, sive privatim soli, seu coram aliis, nec operam ludimus, etiamsi floccipendant aliqui. Quæ autem nobis usui & oblectamento fuerunt, eadem literis consignata tibi trado, Muralte charissime! cum hæc tua quoque sit occupatio & laboribus nostris tantulis delectari videaris. Mense Augusto ↄIↄ Iↄc LXXV. lepusculos geminos variè torsimus, opitulante

Joh.


Joh. Conrado Wepfero, Poliatri noſtratis celeberrimi filio. Stomachum pylorumque illis viventibus identidem pupugimus, rati vomitum dejectionemve inde orituram, quorum tamen neutrum evenit. Deinde ut pylorum forfice abſcidiſſemus, chylus nullus è ventriculo effluxit, qui ſe ab illato ictu tam vehementer contraxit, obortis convulſionibus, ut ſtylos tubulosque aditu tantiſper prohibere, dum duas treſve guttas liquidas digitis inde exprimeremus. Chylus autem in ventriculo nullus aderat, ſed tantum ſeroſa materia aqueo humore ſtipata. Copia chyli maxima inteſtinis fuit, è quibus lacteas venas ſexcentas oriri vidimus, pulcerrimo ſpectaculo: namque ſurgebant illæ è penitiſſimis inteſtinorum receſſibus, ibidemque tanquam in terra plantæ radices agebant. Chyli receptaculum inter medios renes ſitum erat, quo inflato aër per thoracis ductum in venam cavam & cor è veſtigio tranſiit, unde hoc ſeſe motitavit vehementius. In craſſis inteſtinis cellulæ complures valvulis membranaceis diſtinctæ apparuerunt. Cœcum inteſtinum prælongum fuit, multisque ſpiris contortum, & præterea ſtriatum, ac glandularum agminibus hinc inde inſtructum. In alterius lepuſculi abdomine multum ſeri ſtagnavit, cujus ſcaturiginem perquirentes veſicam urinariam diſruptam fuiſſe vidimus. Quo autem caſu neſcimus. Forſan ex vehementi comprehenſione, dum caperetur, illi veſica lotio turgens diſſiliit. Aperto thorace pulmones conciderunt, ſed diaphragma identidem vibravit. Quinimo alius lepuſculus ſterno jam ablato maxillis repente diductis reſpiraturus, pulmonibus haut intumeſcentibus, diaphragma & coſtas aliquoties ſuccuſſit. Auriculæ cordis adhuc pulſarunt corde pridem emortuo & quieſcente. Teſticuli maribus in ventre latebant, non procul à veſica urinaria, quibus adſtructi paraſtatarum gyri ſunt ſpectabiles & abeunt in vaſa deferentia. Hæc retro veſicam urinariam circumducta pergunt ad veſiculas ſeminarias: cùm enim deferentia vaſa inflaviſſemus, veſiculæ iſtæ protinus ſimul intumuerunt. Proſtatarum

vicem





ICON. I.
p. 201.
ICON. II.
p. 204.
ICON. III.
p. 204.
ICON. V.
p. 205.
ICON. VI.
p. 205.


ICON. IV.
p. 205.
ICON. I.
p. 203.
ICON. VII.
p. 205.



vicem præstant bina glandulosa corpora, testiculis paulo minora, sed ita peni juncta, ut etiam forinsecus deprehendi queant. Hærent namque intra duas capsulas, ad quas per pellem utrinque propter penem patens rima ducit. Quæ omnia distinctiùs fortè ex tabulæ primæ icone I. spectare & dijudicare poteris, ubi *a a* renes designat, quorum dexter altior erat sinistro; *b* truncum venæ cavæ; *c* truncum aortæ; *dd* venas emulgentes; *ee* arterias immulgentes; *ff* ureteres; *gg* vasa præparantia ex arteriis & venis spermaticis composita; *hh* testiculos; *ii* parastatas seu epididymides; *kk* vasa deferentia; *l* vesicam urinariam; *m* cervicem vesicæ urinariæ; *n n* vesiculas seminarias; *o* penem; *pp* prostatas cum folliculo sub quo delitescunt; *q* urethræ exitum. Sed de lepusculis satis; jam Salmonem apponemus, cujus exta in ædibus Excellentissimi Wepferi primùm collustravimus eodem Mense. Branchiæ compositæ erant è pluribus fornicibus, osseis partim, partim cartilagineis, quibus coadunati apices innumeri gaudebant singuli venarum arteriarumque propaginibus apicum fornicumque robore munitis, de quarum usu Thomas Willis de Anim. brutor. cap. III. legi meretur. Infra branchias exstabat cor crucibulo (usitato Chemicis instrumento) assimile, denso fibrarum musculosarum agmine instructum, sed reliqua salmonis carne & musculis rubicundius. Ventriculus ei erat unicus, internè cavernulis multis & tuberculis carneis inæqualis: auricula etiam unica corde coloratior & columnis fibrosis similiter internè prædita ac cavernosa. Hæc sponte sua quandoque adhuc commovebatur, licet pridem è Salmone exemta fuissent interanea. Erat porro duplex cordi ostium geminique canales, per quos sanguis commeat. Vena cava magno hiatu sanguinem immittit, aorta emittit, in caput, branchias & reliquum corporis. In principio aortæ apparuit nobis structura mirabilis. Etenim aorta illic instar bulbi prominens auriculæ speciem habet validisque fibris instructa sanguinem proprio motu impellit. Inter infimum &

 medium


medium ventrem diaphragmatis loco intercedit membrana, ceu paries intergerinus. Ab ore ampla regiaque via ducebat in gulam, quæ poſtea ventriculo inſeritur. Ventriculi tamen amplitudo vix major quàm gulæ videbatur. Hic autem robuſtior erat œſophago. Pollebat enim fibris plurimis & fortiſſimis. Cæterùm ventriculus fermè inanis fuit, nec eo quidquam continebatur præter muci pauxillum: unde nihil certi de eſca ſeu cibo ſalmonum tibi ſignificare poſſum, quanquam ſint è piſcatoribus, qui eos piſcibus minutis victitare affirment. Infra pylorum inteſtinis denſo agmine adhærent appendices inteſtino cœco humano vel lumbricis aſſimiles, quarum numerus ſuperavit ſexageſimum. Pennam anſerinam, qua ſcribimus, ſingulæ æquant craſſitie. Omnium verò longitudo non eſt eadem. Decreſcunt enim pari ordine quo fiſtulæ in organo muſico, quarum ſeries quoque multiplex. Propter ventriculum appendices & numeroſiores & longiores quàm alibi conſpiciuntur, ita ut iis cingatur pylorus. Inde verò paulatim & numerus & longitudo earum deficit, & quinæ, quaternæ, ternæ, binæ cernuntur. Cunctarum ora ſub pylori valvula in inteſtinum hiant, altera extremitas impervia eſt. Appendices haſce univerſas connectunt vaſa & pinguedo plurima, quam omenti vicem præſtare exiſtimavimus. Conſtant autem illæ è fibris muſculoſis, partim rectis, partim ſpiratim circumductis, & membrana nervea, quam multæ rugæ intus caperant, & cruſta tenuis munit. In his appendicibus ſuccum album inſtar chyli reperimus, alibi admixta bile tinctum. Fuit etiam ubi unus alterque lumbricus latus hæreret, quibus piſces nonnunquam abundant. Statuit M. Malpighius Diſſert. de Bombyce pag. m. XLIII. in appendicibus iſtis fermenta colligi: nos ſimul etiam perfici chylum in his receſſibus arbitramur. Propter appendices illas Albertus citante Aldrovando lib. IV. cap. I. & Jonſtono inteſtinum ſalmonis in plures veluti digitos dividi ſcripſit. Porro inde ab appendicibus inteſtinum flexu facto recta pergit usque ad anum. Hujus in-

testini substantia eadem est, quæ ventriculi: sed differt interna superficies. Namque intestinum supernè si dissectum fuerit, planè rugosum aut instar favi configuratum apparet, infernè ostentat multas valvulas, quarum aliæ transversæ, aliæ obliquæ, aliæ decussatim positæ cavent, ne alimenta præproperè effluant, vel feces ascendant. Ubique tamen mucum flavum & feculentum nihilque chyli invenimus. Juxta ventriculum & intestinum in latere sinistro præterea conspeximus vesicam prælongam membranaceam & ventriculo tenuiorem. Longitudo ejus duas fermè spithamas, latitudo pollicem complectebatur. Hærebat autem summæ gulæ, & per eam singulari meatu in fauces patebat. Credidit Gesnerus ventriculum hic adesse secundarium, & salmones fortè ruminare conjecit: sed in vesica ista nullum alimenti vestigium reperimus. Transitus etiam è faucibus in vesicam angustus & difficilis escæ foret. Quare probabile est nihil aliud ibidem recipi præterquam aërem, qui piscibus levitatem conciliat & nandi promtitudinem. Hepar viscerum maximum fuit pallidi coloris, & in geminos lobos divisum. Vesiculæ fellis nullum erat cum hepate aliud commercium quàm per duos canales insignes, qui bilem ex hepate in vesiculam deferebant. Hanc fibræ stipant musculosæ plurimæ, quarum vi bilis inde expellitur per ductum cysticum, penitius junctum hepati & in progressu alios atque alios canales ex hepate recipientem. Foramen autem per quod ductus iste se exonerat sub pyloro exile est, fibrisque ambientibus adeò adstrictum, ut manifesto appareat vi multa opus esse ad bilem in intestina expellendam. Similiter & lien permagnus adfuit, concreti sanguinis specie. Pancreas desideravimus, itemque mesenterium; nam venæ & arteriæ ad intestina ventriculumque liberè excurrebant. Ut autem ea quæ de ventriculo ejusque appendicibus & vesica aërea diximus melius tibi imaginari queas, penicillo nostro adumbrata repræsentamus tab. II. Icone I. ubi αα fauces & gulam indicat, βββ ventriculum, γγγγγγ appendices, δ ductum bilis qua

inteſtinis ſub pyloro jungitur, *ε* pylorum, ζζζζ inteſtinum à ventriculo ad *η* anum uſque protenſum, θθθθ veſicam aëream gulæ junctam. Icone II. litera *aa* gulam exprimit supernè diſſectam, *b* foramen quod per gulam abit in veſicam aëream, *ccc* veſicæ aëreæ portionem diſſectam. Icone III. ob oculos ponitur inteſtini patefacti portio ſuperior. Icone IV. ſpectabis inteſtini adaperti portionem inferiorem valvulis præditam. Porro tabul. III. icone I. adumbrantur appendices diſſoluti, prout inteſtino adhærent inde à pyloro *. Icone II. appendicum ora in inteſtinum patentia ſub pylori valvula †. Icone III. interna facies unius ex appendicibus diſſectis. Atque hæc de ſalmonis interaneis, quæ aliquando forſan dante Deo melius perluſtrabo. Efficit autem appendicum illarum conſideratio ut de inteſtino cœco quædam etiam ſignificem. Profectò mirus in hoc naturæ luſus eſt pro diverſitate animalium. Aliquibus enim planè nullum obtigit, aliis ſimplex, quibusdam duplex, nonnullis denique multiplex. Cœco piſcium plerique carent, niſi in ejus locum appendices ventriculi ſubſtituamus. Sed & multi piſces deſtituuntur appendicibus. Rajæ ventriculus appendices nullas habet, ubi tamen inteſtinum cœcum elegantiſſimè rutilans & planè glanduloſum cernitur. Cœco inteſtino privatæ ſunt etiam volucres nonnullæ, quod haud ita pridem notavi in falconis anatome, quam experimentis tuis adjeciſti. Id deeſt etiam echino ſive erinaceo terreſtri, & talpæ ex quorundam ſententia, quanquam Georg. Segerus Ephem. Curioſ. Anno II. pag. 114. affirmet adeſſe veſiculam glanduloſam, inteſtini cœci vicariam. Simplici cœco gaudent quadrupedia pleraque, & inter ea ruminantia maximo. Humanum, leporinum, felinum, glanduloſa ſunt. Tale quoque eſt caninum, cujus iconem tabul. I. icon. II. & III. exhibet, ubi A A, A A notat inteſtinum ileum clauſum & apertum; B, B B inteſtinum craſſum clauſum & apertum; C C C C inteſtinum cœcum clauſum & apertum; d d d d glandulas per cœcum tranſparentes, e e e e glandulas in cœco protuberan-

tes.

*Icon. I. p.204.*



*Icon. II.*




*Fig. 25. p. 229.*





*Icon. III.*




ICON. II.
p. 204.
ICON. IV.
p. 205.
ICON. III.
p. 204.
ICON. IV.
p. 204.



tes. In gallinis geminum intestinum cœcum prælongum exstat, cujus ideam similiter dabit tab. I. icon IV. & V. ubi A A A ilei portionem effingit, B B intestinum crassum, C C C C intestinum cœcum unius lateris, D D D D intestinum cœcum alterius lateris, E locum ubi cœcum utrumque coit cum reliquis intestinis, F eundem locum apertum. Hanc cœci duplicitatem pridem etiam observavit Harvæus in aureolo libro de Gener. animalium, quem ruminare poteris. Possem & ego plurima alia hic annotare, sed fortassis haut expedit unico conatu omnia producere. Reservamus ergo quædam futuris temporibus tibique ista recensenda tradimus, imò donamus, quibus auctarii vice jam accedit icon anserini stomachi, cujus fabrica similis est ventriculo gallinaceo, quem commentario illustratum evulgavimus cum exercitatione de glandulis intestinorum. Aspice ergo tab. I. icon. VI. & VII. ibi enim A A repræsentat œsophagum musculosum, B ventriculi suburbium, hoc est gulæ appendicem instar bulbi protuberantem, fibris musculosis obductam & glandulosam, ita ut glandularum bases O O O O transpareant; D D Musculum præ limine ventriculi; E E E E musculos collaterales robustissimos; F tendinem alterum musculorum collateralium; G musculum lunatum seu transversum in fundo ventriculi; H pylorum; I internam gulæ superficiem porosam; K K suburbii interiora cum glandularum papillis eminentibus. Tandem colophonem his addat simulacrum renum anserinorum cum partibus quibusdam adhærentibus Tabul. III. icone IV, ubi A A A A A A A A A renum figuram demonstrat ex plurimis lobulis glandulosis compositam, B B B B ureteres, C ovarium, D D D oviductum striatum & supernè patulum, E capsulam sive bursam membranaceam inter utrumque ureterem positam, cum quibus tamen illi nihil intercedit commercii. F Cloacam, g g ureterum exitum, h oviductus meatum, i amplum hiatum, qui tendit in bursam membranaceam, K K intestinum crassum, L L L L L L intestina cœca gemina, M ilei portionem. Fig. XXII.

 OBSER-

## OBSERVATIO LXXXVI.
## D. JOH. CONRADI PEYERI.
### De
# Singularibus Rupicaprarum poſt cornua meatibus.

HAut ita pridem de cornuum in Rupicapris perennitate Ephemeridibus nonnulla credidi, cum ex obſervatione propria, tum relatu aliorum. Juvat nunc quædam de meatibus ſingularibus poſt cornua ſcribere, ſiquidem & curioſa ſint & memoratu tanto digniora, quanto Zoographorum plerorumque ſilentio involuta fuerunt altiùs. Eorum tamen inter Priſcos quondam meminit diligentiſſimus *Oppianus Cyneget. lib. II. verſu 339.*

Αἰγάγροις δὲ τίς ἐστι δὶ αὐτῶν αὐλὸς ὀδόντων
Λεπταλέης πνοιῆς κεράων μέσον, ἔνθεν ἔπειτα
Αὐτὴν εἰς κραδίην καὶ πνεύμονας εὐθὺς ἱκάνει.
Εἰ δέ τις αἰγάγρου κηρὸν κέρας, περιχεύοι,
Ζωῆς ἐξέκλεισεν ὁδοὺς, πνοιῆς τε διαύλους.

Quæ Latinis numeris ita adſtrinxit *Jo. Bodinus:*

*Eſt autem capris agreſtibus ore foramen*
*Anguſtum, medios per dentes cornua verſus*
*Pervadens flexis anfractibus intima cordis.*
*Hac in pulmones penetrat perflatilis aura.*
*Quod ſi quis fusâ ſenſim per cornua cerâ*
*Intercludat inane, citò reſtrinxerit auras*
*Vitales, animamq́, & reſpiracula cordis.*

Scripſit mihi *Pæon noſter* ſe præteritâ æſtate rupicapram in Rhætia perluſtraſſe, atque præter elegantem ventriculorum ſtructuram & figuram lienis orbicularem, aliaque complura, curioſam mentem id inprimis recreaſſe, quòd animal iſtud poſt cornua aëris capiundi ergo utrinque patulo gaudeat foramine; mirumq́ue ſibi videri, cur natura hoc ita parârit, ſiquidem

Fig. 19.

Perseus.
Cete.
Ecliptica.
Pisces.
Andromeda.
Orbita Cometæ.
Colurus
Equin.
Æquator.
Pegasus.
Tropicus
Cancri
6 Ian.

quidem rupicapræ pneumaticas partes obtineant, illis fabricâ omnino similes, quas capræ possident domesticæ, *Num*, inquit *Pæon, quòd locos excelsissimos scandunt & inhabitant, majori aëris copiâ rupicapras indigere dicendum est? Hæreo, cùm oves sylvestres easdem sedes petant.* Nos meatus istos ante duo lustra & quod excurrit in valle transalpina Madia identidem conspeximus, ignari licet tunc temporis, cui essent usui. *Pæoni* autem id responsi dedimus; verosimile non esse rupicapras vel in summis alpium jugis majore aëris copiâ indigere, quàm alia animantia. Interea certum exploratumque haberi illas terram sæpius ore vertere, ut herbis & radicibus fruantur in alimoniam. Fieri ergo facilè posse, ut ruspantibus nares aliquamdiu præclusæ suffocationem inferant, ad quam præcavendam aërem per meatus istos pulmonibus illabi: atque hanc sanè præcipuam causam mihi videri, ob quam Sapientia Divina, saluti animalium ubique miris modis consulens, meatus illos & foramina rupicaprarum cornibus adstruxerit. Ne verò nostrâ culpâ lateant diutius, Naturæ curiosis Symmystisque nostris examinanda hæc proponimus. De cætero è citato *Oppiani* textu patet liquatæ ceræ in meatus & viscera animalium infusionem priscis quoque temporibus usitatam fuisse, quanquam fortassis non eo apparatu & concinnitudine, quâ hodie summo anatomiæ ornamento utimur.

## OBSERVATIO LXXXVII.

## D. JOH. CONRADI PEYERI.

## Ceratographia desiderata, Merycologiæ sciagraphia, Rupicaprarum cornua perennia.

GEorgius Hieronymus Velschius, Nestor quondam noster magna laude perpetuaque memoria dignissimus, Hecatost. I. observat. XX. & LXX. in votis habuit, ut eruditorum aliquis cornuum naturam & ortum differentias.

ferentiasque ac uſum perveſtigaret. Nos idem etiamnum cupientes optatum hodie ingeminamus. Quanquam enim oculatiſſimus Argus exinde aliquid effecerit, edita ſingulari diſſertatione præſtantiſſima, tamen nec Velſchii defuncti cupido neque curioſitatis noſtræ deſideria penitus implentur. Abſit autem vilipendamus probatam aliorum diligentiam, cùm nec ipſi poſſimus aut præſumamus omnia, nemoque ultra teneatur quàm vult ac poteſt: hortamur tantum & rogamus curioſos cæteros, ut obſervationes ſuas animique ſenſa proferant in medium, perennem bonæ famæ laudem reportaturi. Quod eo equidem precamur vehementius, quo res foret inſtituto noſtro magis accommodata. Etenim commentarium parare incepimus de ruminantibus, quibus cornua ſunt præcipua inſignia & arma; cumque opus iſtud experientiæ plurimum requirat, ſimul occaſione hac Naturæ Curioſorum opem implorare viſum fuit. Vos ergo quæſo Myſtæ & Sodales optimi, ſi quæ vos cura tangit ruminantium, à quibus vitæ commoda obveniunt innumera, petitioni animum advertite laboremque noſtrum auxilio levate. Favorem veſtrum grata recolam memoria, penſabuntque mecum ipſa ruminantia, & magni ſemper æſtimabit ſæculorum omnium poſteritas. Atq; ne non ſuccurratis, momenta tangam quædam operis breviſſimè, ſalivam opinor aliis quoque una moturus. In rerum natura complures exſtant animalium ruminantium ſpecies & differentiæ. Quædam autem verè ac propriè ruminantur, alia ruminationem analogo duntaxat actu exprimunt. Illorum nomine continentur boum, vaccarum, arietum, ovium, hircorum, caprarum, cervorum, damarumque, genera omnia, camelus quoque & lepus atque cuniculus. Inter piſces, ſcarum ruminare priſcorum multi tradiderunt, penes quos ſit fides, quoniam nobis id experiri nunquam contigit. Salmones quoque ruminari præclari Viri Conradi Geſneri conjectura fuit, quàm fundamento carere demonſtrabimus. Piſces tamen etiam cognovimus, in quibus ruminationi ſimile quid obtinet,

mirando

mirando naturæ artificio, perinde ac in nonnullis avibus & astacis. Sed & ex hominibus aliquos olim ruminavisse & etiamnum verè ruminari experientia testatur. Observavimus autem ruminationem humanam duplicem esse, nativam & adventitiam: illam imputamus matris, dum adhuc gravida esset, ruminantibus vehementer intentæ cogitationi, hanc morbo, vel vitiosæ consuetudini. Ruminationem porro imitantur muscæ quædam, apes, grylli, vermis cucurbitarius Aldrovandi, seu talpa Ferrantis Imperati, quam alii compositâ voce gryllotalpam nominant, scarabæi nonnulli & insecta alia, quorum artificiosa compositio & concinnus apparatus nos sæpe in admirationem rapuit. Nec dubitamus, quin automatorum divinorum infinitas plura comprehendat animalia ruminantia, præ im̃ensa subtilitate captum imperitiamque nostram fugientia. Cæterùm his missis ut de ruminatione congruenter differamus, pecorum ruminantium ventriculos quadruplices potissimum collustrabimus, quippe è membranarum textu multiplici; venarum item, arteriarum & nervorũ congerie, quibus alicubi adhærent glandularum corpora, denique fibrarum musculosarum spirali ac tortuoso fasce coagmentatos & ad ruminandum aptè dispositos. Quanquam autem ruminationis motus naturalis sit, tamen judicio nostro à spiritibus animalibus cietur, fitque impulsione magis quàm tractu; nec tam autorem habet pabuli ruditatem, cùm asinos ne cardui quidẽ ad ruminandum impellant, quàm Deum, qui ruminationem pecudibus data opera sapienter, alia ut omnia, insevit: tametsi largimur pabuli præsentiam & aspritudinem incitamento illis esse ad ordiendam continuandamq; ruminationem, quam diaphragma & abdominis musculi simul adjuvant. Displicet etiam plurimorum sententia, pecudes appetitu & sensu voluptatis ad ruminandum agi reputantium: Mallemus enim expediretque animalibus rationalibus, bruta animæ sentientis cognoscentisve tandem aliquando expertia credi. Vulgo ruminandi necessitatem præposterè adscribunt dentium primorum absentiæ in superiori mandibula.

Profectò desunt illi animantibus quibusdam ad commodiorem pastionem in pratis, alia primores dentes utrobique ostentant, & tamen ruminantur. De cætero perfectionis potius in brutis quam defectus argumentum esse videtur ruminatio. Hujus causam majori jure statuunt alii ventriculorum pluralitatem; at sufficit etiam ad ruminandum unicus ventriculus. Imo notavimus aliquoties ovibus & vaccis ruminatum pabulum fermè relabi in ventriculm primum, quem Aristoteles κοιλίαν μεγάλην nuncupat. Nec tamen supervacanei sunt cæteri ventriculi: conspirant etenim utiliter ad subigendam perficiendamque alimoniam. Fabricæ autem varia concinnitudo sapientiam divinam extollit. Est ergò ruminantium pecudum magna præstantia, & ruminationis utilitas amplissima. Hallucinantur, quotquot cæteris animalibus hæc inferiora aut miseriora censent. Notatu quoque dignum est in ruminantium ventriculis multos lymphæ ductus reperiri, etsi glandulæ conglobatæ nullæ appareant, quod itidem Exercitationibus familiaribus nuperrimè tradidimus, additâ conjecturâ non parvi ponderis ad pervestigandam lymphæ scaturiginem. Nec minus memorabile est ruminantium ventriculos, quamdiu vivunt ac valent, etiam extra ruminationis tempora in perpetuo motu versari. Sed singulorum explicationem demonstrationemque operi reservamus, quod hic adumbravimus, ut, si fieri potest, etiam aliunde illustratum probatumve nitidius emitteretur. Jam quod superest, ut unde incepimus, per cornua quoque desinamus, Clarissimi Velschii opinionem, qua rupicapras certo tempore cornua sua corticata deponere putaverat Hecatost. I. obs. LXIX, supervacaneam ducimus. Nam & capris domesticis & ovibus quibusdam, & hircis & bobus & aliis animantibus cornua ejusmodi corticata sunt, quæ tamen nisi magno infortunio nunquam abscedunt, & osseo processu perinde atque illa in cranio firmantur. Venatores hercle in Rhætia depositionis istius indicium nullum cognoverunt, sed è rugarum numero in cornibus rupicaprarum ætatem certò

æsti-

æſtimant. Cervina autem cornua & alterius planè texturæ compagem habent, & ſpectaculo magis quàm munimento ſerviunt. Atque hæc annotare tantiſper dum edamus plura, ne incurioſi videremur, operæ pretium judicavimus.

## OBSERVATIO LXXXVIII.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI.

*De*

# Anatome Mulieris, ſuppuratione, ſive abſceſſu Hepatis mortuæ.

HOneſta honeſti apud nos Civis uxor, cujus nomen dicere nihil attinet, XLII. circiter annorum, bilioſo-ſanguinei temperamenti, annuo jam abhinc ſpatio, utero tum gerens, de gravi dolore, tumoreque, circa hepatis regionem, & calore præternaturali per intervalla redeunte, conqueſta, me primùm vocavit Medicum; ubi ego, præſcriptis paucis remediis dicta ſymptomata vix ac ne vix quidem prius mitigatum iri prædixi, quàm fœtus excluſus fuerit; quo facto, cùm eadem ſymptomata adhuc perſiſterent, advocatus eſt & alius Medicus, Excellentiſſ. *D.D. Joh. Chriſtian. Halbach*, præſcriptaque tum ea medicamina, quæ contra abſceſſum, quem ſubeſſe ex ſignis ſuis collegimus, optima viſa ſunt. Sed omnia fruſtra. Tantum enim abeſt, ut remiſerit dolor, ut potius indies magis magisque invaluerit, augeſcente inſuper & tumore & vomitu ſuperveniente moleſtiſſimo. Verbo; obiit patiens fœmina; cumque ſic volentibus Marito & proximis Agnatis Anatomico cultro ſecaretur, en! ablatis communibus abdominis integumentis, factâ eo loci ſectione, quo doloroſum tuber, duorum circiter pugnorum magnitudinem æquans, ſe obtulit, tanta puris tenuis copia effluxit, quam vix integra menſura capere potuiſſet. Unde hujus originem curatiùs ſcrutati permagnam hepatis inferiorem partem abſumptam, & in ſpurciſſimam fœtidiſſimamque putrilaginem ver-

ſam invenimus, cui pauca tantùm ejus fruſtula candicantia, mollia & exeſa parviſque glandulis ſimilia innatabant; ut hinc ea quoque peritonæi portio, quæ tumorem contexit, adeò infecta fuerit, ut plumbeum, æruginoſum, lividumque colorem altiſſimè inde contraxerit, & omninò putrida atque ſqualida apparuerit. Hepar ſimâ ſui parte prope felleæ veſiculæ fundum duas oblongas quaſi appendices gallinacei ovi magnitudine velut duo jecinora ſuccenturiata exhibuit, & gibbere ſuo adeo excrevit, ut præter naturam valdè intumuiſſe videretur, intus marcidum & lurido colore deturpatum. Meſenterium univerſum, quod mireris, nil niſi dura atque denſa pinguedo erat: & inteſtinorum tenuium extremitati glandulæ itidem pingues, citrinæque, concinno ordine velut quædam in partes diviſæ laciniæ ſuperficietenus eleganter appenſæ conſpiciebantur. Et omentum, non, ut naturaliter ſolet, ſuper inteſtina ſe expandebat, ſed ventriculum verſus contractum corrugatumque, quin & ſatis denſum ac multâ pinguedine intertextum deprehendimus. Cætera viſcera intaminata vidimus, præter pulmones, qui ſubrancidi ac purulenti nonnihil erant.

## OBSERVATIO LXXXIX.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI.

*De*

# Anatome Virginis, Cancro Mammæ, & mirâ plerorumque viſcerum corruptione extinctæ.

Pudica ab Honeſtiſſimis Parentibus nata Virgo, annorum circiter 49. jam abhinc penè biennio cancroſo in ſiniſtra mammilla correpta tumore malè exinde toto corpore habere cœpit, ut lecto affixa, Medicum ſimul ac Chirurgum accerſere coacta fuerit, qui etſi nihil intermiſerint, quod ad præſentia ſymptomata averruncanda facere poterat,

tamen

tamen omnia indies invalescere visa sunt. Dolor imo in Ventre acerbissimus tantusque fuit, ut hinc uno sæpè die quinquagies pluriesque animo liquerit patientissima Virgo, idque tantâ virium succedaneâ prostratione, ut nec brachium fortè extensum attrahere, nec caput in aliud latus vertere, multo minus totum corpus ullo loco movere sine alterius adminiculo unquam valuerit. Interea hæc passa totum utrumque pedem extenuatissimum & solâ cute tectum, genu tenus, versus abdomen contractum perpetuò ad ultimum usque vitæ halitum eâdem positurâ tenuit; Et quia præterea nec dextro lateri incumbere, nec supina cubare, ob intolerabilem, quem inde sensit, dolorem, potuit, ideò cadaveri, quàm vivo homini similior fœmina miserrimam vixit vitam, integrum pene biennium, donec nempe animam Deo reddiderat. Cumque ejus exta, Cognatorum consensu, Excell. *Dnn. Drr. Joh. Christ. Halbachio, Theophil. Christoph. Scheurelio*, Collegis meis Honoratissimis, mihique, & Chirurgo Peritissimo, *Dn. Joh. Georg. Freindio* multâ hominum præsentiâ inspicere licuisset, sequentia notatu non indigna deprehendimus. Uterus in se continebat globum sive rotundum cartilagineo-osseum adeoque prædurum tumorem, magnitudine ovi gallinacei. Cordi exteriùs circa utrumq; Ventriculum ipsumq; apicem plures pellucidæ glandulæ, vel, si mavis, quâdam quasi gelatinâ constantes adnatæ conspiciebantur. Hepar naturali majus, durisque albicantibus glandulis hinc inde intertextum adeò induruit, ut cultro non nisi difficulter discindi potuerit. Pulmones marcidi erant, ut-ut nulla tussis, nullaque toto morbi decursu afflixerit spirandi difficultas. Lien oppidò parvùm plumbeum exhibuit colorem. Cætera viscera sic satis rectè se habuerunt, imprimis Ventriculus, unde appetitus nunquam non integer fuit. Reliqua verò dirissima illa mala unde ortum traxerint, ex hac jam descripta viscerum præternaturali constitutione facilè conjicere licet; Ut adeo ulteriori declaratione non opus esse videatur.

## OBSERVATIO XC.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI.

*De*

# Officulis, in trunco Arteriæ magnæ descendente, & utroque Cæliaco ramo, repertis.


INnupta erat fœmina, sexagenariâ major, exsucca atque adeò macilenta, ut cutis vix ossibus hæserit. Hæc cùm ex Melancholia hysterico- hypochondriaca, qua aliquandiu efflictim laboraverat, sibi ipsi forfice gulam dissecuisset, ab Illustri Senatu nostro ad solemnem Anatomiam Collegio Medico concessa est, ubi extis, ut fieri solet, lustratis, in Arteriæ magnæ sive Aortæ descendente trunco & utroque cœliaco ramo aliquot officula teretia, nonque nihil concava, nec adeò parva, ita tamen parietibus Arteriarum adnata, ut liberum sanguinis transitum nequicquam sufflaminarint, reperta sunt, Prout præsente Icone Figur. I. satis clarè ob oculos ponitur.

Huic Observationi affinis illa est, quam Nobilissimus *Dn. Dr. Christoph. Theoph. Scheurl* Patavii Anno 1664. in ædibus Nobilissimi *Dn. Marchettis* notavit, qui in corpore masculino Arteriam magnam, ubi è sinistro cordis ventriculo excurrit, ad palmi ferè longitudinem, juxta hic expressam Figuram, Figur. II. osseam vidit.

Idem Vir curiosissimus & in sectionibus Anatomicis dexterrimus porrò Anno 1668. Mense Februar. hîc Noribergæ in venæ arteriosæ tunicâ externâ, & quidem eâ ejus parte, quâ versus Arteriam magnam se exporrigit, similiter bina officula semini lupini non absimilia, hicque simul Figurâ III. delineata, reperit.

Fig. XXIII.

OBSER-


Fig. 23. p. 214.
Arteria magna ossea.
Ossicula duo in vena arteriosa.
A.A.A. Ossicula in Arteria magna.
B.B.B.B. Ossicula in Arteria cœliaca.
A
A
A
B
B
B
B






Gregorij Horstij Consilior. & Epistolar. Medicinalium p. 428. lib. 3. in 4to.

## OBSERVATIO XCI.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI,

*De*

# Circulari Cranii fracturâ, sublato osse, persanatâ.

JUvenis XXIII. circiter annorum, cujus nomen patriamque non sine ratione reticemus, D. 30. Maji 1679. sclopeto in sinistram capitis partem à Sempronio fortissimè percutitur; Unde cutis in tumorem oblongum aliquatenus attollitur, suggilationis æmulum; sanguinis ne guttâ quidem profusâ; læsâ autem nonnihil ratione & imprimis loquelâ. Accersitur mox Chirurgus *Dn. Georg. Freind,* Vir satis peritus. Hic fomentationes, ut solent, ex cephalicis paratas adhibet, spe, fore, ut tuber inde aut resolvatur, aut mollescat, dehiscatque. Altero die & ego in consilium vocor Medicus. Secatur ilicò vena; præscribuntur cardiaca, cephalica, & quæ contra casum valent, medicamina; abraduntur capilli, continuantur fomenta, inducuntur emplastra accommoda, & nihil intermittitur eorum, quæ hîc necessaria videbantur. Sed omnia frustra. Quid ergò consilii? suadeo incisionem, de cranii fractura suspicans. Audiuntur & alii adhuc quatuor jurati Chirurgi, unusque Medicus, prout in ancipitibus hujusmodi casibus consuetudo apud nos fert. Eunt omnes unanimi consensu in hanc sententiam, decussatim faciendam esse incisionem super tumorem. Hâc D. 3. Jun. factâ, labiisque, ut decet, diductis, cranium in bregmate sinistro ad palmæ latitudinem circulatim fractum, singulari velut suturâ separatum, inque cerebrum depressum, (dubio procul à sclopeti ferrâ) conspiciebatur; prout præsens Icon clariùs exprimit. Quid hic porro agamus? Cunctari pessimum videbatur. Depressam Cranii partem attollendam, eximendamque omnes clamabant.

bant. Sed quomodo? Hic Rhodus, hic ſalta. Poſt multam deliberationem *Hildani* Elevatorium Inſtrumentum nonnihil mutatum, & ad præſens inſtitutum accommodatum præ cæteris placebat. Adaptatur itaque D. 4. Jun. à Chirurgo ordinario, dumque forti manu Inſtrumenti hujus ope, præſentibus plærisque Chirurgis, cum ancipite prognoſtico, & præviis precibus elevatur, ſeparati Cranii portio in partes abit, quas pòſt ſeorſim auferre oportebat; relictâ fiſſurâ Cranii ſive rimâ, quæ ad digiti longitudinem verſus ſuturam lamdoideam ſe exporrigebat, ſummamque difficultatem pariebat, & curationis terminum longius protrahebat. Abſcedere enim nuda oſſis portio fruſtatim ſquamatimque d. 53. demum incipiebat, quod aliàs 40. plerumque fieri ſolet, etſi hîc decantatiſſima remedia, corrupta oſſa exſiccando deſquamantia, aſperſa fuerint, inter quæ *Euphorbium* primas tenuit. Deinde notatu dignum & hoc erat, quòd Æger quàm primùm fracta illa Cranii particula ablata fuit, prægreſsâ largâ ſatis vulneris hæmorrhagiâ, loquelam ilicò receperit; id quod dubio procul inde evenit, quia cerebrum depreſſum, demtâ Cranii illâ parte, iterum ſe elevare, ſpiritusque animales rurſus ſe expandere, & in vocis organa ritè influere poterant. Fecit etiam de cæteris Chirurgus, quæ debuit; inter quæ labia ab inciſione relicta itidem non levem injecerunt difficultatem, quippe quæ interea, ut fit, coarctata ac corrugata, ſeparari ac extendi debuerunt, ut uniri potuerint. Nec Medicus intermiſit quicquam, quod ſuarum erat partium, quo præcautum eſt, ut nullum gravius ſymptoma ſupervenerit. Sic Juvenis patienti animo perlatâ XVII. ſeptimanarum curatione, præter omnium expectationem, relictâ quidem in Cranio caveâ, cuteque ſolùm primò, & dein etiam argenteâ laminâ capillicio ficto inſutâ obductâ, reſtitutis tamen viribus & recuperatâ per Dei gratiam valetudine in patriam dimiſſus eſt, adhuc ſalvus beneque habens. Fig. XXIV.

## OBSERVATIO XCII.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI.

*De*

# Epilepsia, ex contusione capitis, gravissimâ ac diuturnâ, tandem tamen penitus profligatâ.

JUvenis 22. quasi annos natus, athletici habitus, inter compotationem solennem, exortâ magnâ rixâ, benè potus ab aliquot symposiastis in terram prosternitur, saxeo pavimento fortiter aliquoties ita illiso capite, ut inde in occipite paulo supra nucham cutis leviter intumesceret, sugillaretur, & nonnihil attrita conspiceretur; quæ tamen intra octiduum ita iterum subsedit, ut nulla amplius externa læsio appareret. Nihilo autem minus altero statim à percussione nocte inopinatò exorta à sanguine procul dubio extravasato, concreto, acido reddito, ac principium nervorum vellicante epilepsia gravissima miserum Juvenem immaniter invasit, & per menstruum penè illud spatium, quo indies aliquoties eum excruciavit, ita viribus exhausit, ut propemodum exanimis mortis candidatus non semel videretur. Huic malo primo statim die venæ sectione iteratâ obviam itum est, sed irrito fermè molimine. Sanguis enim mox restitit, nec fluere etiam alterâ vice, sicut incepit, ex vena licèt rectissimè tusâ perrexit. Chirurgus capillos novaculâ abrasit, ut inunctiones atque inducta Emplastra efficacius penetrare possent, & ego cardiaca, cephalica & ant-epileptica decantatissima varii generis & diversæ formæ nullis parcens sumptibus continuè adhibui, quibus tandem tantum per Dei gratiam effectum est, ut epilepsia indies mitior deprehenderetur, tandemque planè remitteret, salvo jam atque sic satis rectè se iterum habente hæc perpesso

 ægro,

ægro, niſi quod de capitis gravedine præcipuè circa lunæ phaſes & tempeſtatis mutationes adhuc ſubinde conqueratur.

## OBSERVATIO XCIII.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI.

*De*

# Steatomate, in Gena, ſectione, ſine relicta deformitate, ablato.

VIr mediæ ætatis, egregius Phlegmaticus, in genarum alterâ à pluribus quàm 12. annis tuberculum duriuſculum aluit, quod ſuccedente tempore in tantam molem excrevit, ut faciem non parum defœdaret & incommodum ingens pareret, idque non ſine metu, ne quemadmodum aliquot abhinc annis notabile ſumpſit incrementum, ita & impoſterum adhuc majus ſubinde fieret. Unde Optimus Vir incaſſum quàm plurimis antè adhibitis remediis, tandem deliberato conſilio, meoque imprimis ſuaſu ſectionem ſuſtinere apud animum ſuum concluſit, quando mitiora remedia nihil profutura intellexit. Fit ergò decuſſatim ſectio arcta, & cochleari argenteo eximitur primò ſebo ſimilis materia; & dein ipſe etiam folliculus, quo cinctum erat tuber, forcipe extrahitur, tumque per dies aliquot digeſtivum inditur, & ſubinde tantillum *Balſami Peruviani* inſtillatur; reliquumque curationis conſueto modo perficitur; relictâ exiguâ tantùm cicatrice & penitus ſublatâ illâ deformitate, quam abſceſſus ille, ſteatoma dictus, intulerat,

OBSER-

## OBSERVATIO XCIV.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI.

*De*

# Puſtula Oculi, cum totali viſus ablatione, ex Ophthalmia, feliciter curatâ.

JUvenis Mercatorii ordinis XIX. circiter annorum bilioſo-ſanguinei temperamenti, optimoque & robuſto aliàs corporis habitu præditus, niſi quòd defluxionibus capitis ſubinde obnoxius, à nono jam ætatis ſuæ anno Fonticulum geſtare coactus ſit, utriusque oculi Ophthalmiâ graviſſimâ, aliàs quidem etiam ſatis ſibi familiari, corripitur, quâ cum jam penè ultra octiduum laboraſſet, fruſtra adhibitis euporiſtis quibusdam remediis, me tandem ad ſe accerſit. Suadeo cucurbitularum in dorſo applicationem cum ſcarificatione etiam auricularum; applicatur cum ſtupa utrique oculo *alumen crudum* cum *albumine ovi* agitatum inque unguenti formam redactum, ceu indubitatum præcipuumque hoc in caſu præſidium; & *lac muliebre* tepidum ſubinde inſtillatur; quin & venæ ſectio in brachio celebratur. Et hæc omnia remedia, quamvis non ſine euphoriâ adhibita ſint, tamen tertio ſtatim à venæſectione die, nobis nil tale metuentibus, exorta in ſiniſtro oculo puſtula viſum ante triduum demum adhuc ſalvum penitùs obfuſcavit. Actum eſſe de oculo adſtantes uno ore clamabant: ſed ego quidvis potius tentare, quàm ſocorditer deſperare in caſu licet admodum ancipiti, ſatius duxi. Hinc actutum pilulas purgantes exhibeo, quæ fortiter oculo inhærentes quoscunque vitioſos humores excutiant atque diſturbent; & collyriam aquam præſtantiſſimam inſtillari juſſi. Imò altero mox die Chirurgum & Ophthalmicum dexterrimum *Dn. Brotmannum* in conſilium convoco; is pulviſculum oculo inſpergit, facitque, quod ſuarum erat partium egregiè. Quarto

pòſt die ſetaceum in nucha poſuimus, quod adeò benè ſucceſſit, ut mox puſtulâ nonnihil diſcuſsâ oculus indies propius ad priſtinum ſtatum redire, ac viſio tandem perbellè reſtituta viſa fuerit, relictâ ſolum ſuper oculo exiguâ nubeculæ quaſi cujusdam portione, quam tempore non minus deletum iri confidimus.

## OBSERVATIO XCV.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI.

*De*

# Febre maligna, cum interpolato graviſſimo delirio, & continuâ floccorum lectione, curata.

HOneſta Virgo XXI. annorum boni aliàs habitus, & optimi temperamenti, malignâ corripitur febre, cum exanthematibus petechiis ſimilibus, quæ cum paulo poſt ob admiſſum frigidiorem aërem diſparuiſſent, ſubſequente nocte graviſſimum exarſit delirium. Altero ſummo mane primùm ego accerſor: ſuadeo ilico venæſectionem ſolius delirii ratione, non verò febris, quippe quam jam ad octiduum duraſſe, intellexeram. Hâc celebratâ ſine morâ, eâdem adhuc horâ alexipharmaco-ſudoriferum ex *Diaſcord. Fracaſt. Aq. card. ben. theriacal.* & *camphor. gr. ij.* propinari juſſi, ut retuſa exanthemata fuliginesque retentæ, à quibus delirium ortum duxit, æſtusque febrilis increbuit, ad ambitum corporis iterum protrudantur, atque recluſis poris exturbentur, quo feliciter effecto intra dimidiæ horæ ſpatium omne ceſſavit delirium. Exanthemata autem nequaquam rediêre; utut alexipharmacis ſolicitè ſubinde provocari tentarentur, & udore tota cutis continuè diffluerет, nondum etiam ceſſante alvi fluxu & pervigilio adhuc perſeverante. Unde *emulſionibus alexipharmacis ſemina papav. alb.* & *aquam lactucæ atque endiv.* addere non dubitavi.

dubitavi. Verùm tantum abfuit, ut inde somnus demulserit caput, ut potiùs post aliquot dies eadem vehementiâ redierit delirium cum intensissimo æstu. Quid hic consilii? Venam pedis cephalicam iterum incidendam duxi, spe, fore, ut quemadmodum primâ vice contigit, nunc & alterâ, venâ sectâ, delirium fugetur. Sed jam non sic. Delira enim loqui perrexit Virgo per integram illam diem noctemque usque ad diem sequentem, quo sine loquela sineque omni ratione primò floccos legit, dein pulvillum, quo abdomen operuit, continuâ rotatione ambabus manibus agitavit, non sine luculenta convulsivorum motuum expressione; qui ut in febribus malignis lethale plerunque signum constituunt, ita hîc quoque non potui aliud, quàm lethale ferre prognosticum, maximè cùm maculæ non potuerint iterum expelli. Nihilò tamen minus Clysterem fortem iteratò injici curavi & alexipharmacis continuè institi, quo tantum effectum est, ut mens non solum, sed & valetudo pristina successu temporis integrè præter spem redierit.

## OBSERVATIO XCVI.

## D. GEORGII ABRAHAMI MERCLINI.

## *De*

# Rebus insolitis, post Febrem malignam, per nares & alvum, excretis.

CIvis apud nos uxor, cum febre maligna aliquandiu conflictata, tandem morbo ad declinationem vergente, è naribus tres capitis pediculos, eosque vivos, emunxit, & non longè pòst magnam equinorum pilorum compactorum congeriem per alvum excrevit, mox succedente integrâ valetudine. Et alia Civis filia innupta itidem febre malignâ ultra ordinarium aliàs tempus graviter & dubia spe detenta frequentissimis vomitionibus & ventris torminibus ita excruciata est, ut de recuperanda valetudine planè desperans,

 ne

ne tantillum medicamenti assumere cogi potuerit, solâ aquâ per 14. penè dies contenta, appetitu planè prostrato, denique per inferiorem gutturem, cum Plauto loquor, ultra mille lapillos nucleis mespilorum, vel mali aurei non absimiles egessit, quæ tamen antè nil quicquam ejus fructus unquam comedit, & paulò post integrè convaluit.

## OBSERVATIO XCVII.
## D. PETRI ROMMELII.
### De Aphoniâ rarâ.

Musculus, Pastor in Wilsdorf.

UXor Dn. H. Senatoris in Urbe Imperiali, Leofano, Matrona honestissima, 52. annorum, ante septennium, post V. S. proprio, ut multorum perversus mos est, non Medici consilio celebratam, in leve delirium, hinc post deambulationem (quam convivium aliquod excipiebat) & motum concitatiorem, in Apoplexiam levem, in dextri lateris, præsertim brachii, resolutionem desinentem, incidit, simulque loquelam omnem amisit, ita ut præter: Ja/ &: Und/ nullum aliud verbum, imò ne syllabam quidem pronunciare vel eloqui valeat; exceptis Oratione Dominica, Symbolo Apostolorum, dictis aliquot Biblicis, aliisque Precationibus, quas sine difficultate verbotenus & absque hæsitatione, sed aliquantulum properanter recitare potest; sed quod notandum, ordine à plurimis annis illi consueto, ita ut si prædictus ordo interrumpatur, & precatiunculam vel dictum aliquod Biblicum, extra hunc sibi consuetum ordinem recitare jubeatur, illud vel prorsus non, vel post longam temporis intercapedinem, & non sine difficultate efficere queat. Ego ipse periculum fieri curavi, & cum admiratione aliquot precationes recitantem audivi, sed postquam ex jam recitatis unam repetere jussissem, nullo modo, licet omni conatu id tentârit, præstare

potuit.

potuit, donec ab ancilla, cui à longo tempore ordo precum innotuit, preces immediatè antecedentes recitatæ fuêre, & sic deinceps propositam precatiunculam, sed difficulter admodum recitavit. Jussi pariter ut nonnulla à me prolata verba eodem ordine repeteret, ex. gr. **GOtt wird helffen**/ sed irrito conatu, licet pluries tentaverit, & propterea propriæ miseriæ impatiens, lachrymas præ mœstitia profuderit. Tentatum insuper fuit, utrùm, si formulæ quædam loquendi brevissimæ, ex iisdem saltem verbis in Precationibus ipsius occurrentibus compositæ, proponerentur, illas pronunciare valeret? Sed quoque sine successu. Interim memoria optima est, omnia quæ videt & audit, capit & intelligit, & ad interrogata, etiam de rebus longè præteritis, ab- vel adnuendo respondet, benè vel malè facta in ædibus modo suo aut carpit aut adprobat; Templum frequentat & conciones audit, magnumque inde solatium se habere profitetur. Domi etiam sacrum Codicem aliosque Theologicos legit libros, sed conqueritur, ea quæ legit, ipsam minùs afficere, nec ita memoriæ infixa manere, quàm quæ auditu percipit. Digiti manus dextræ contracti, totumque illud brachium motu & calore destitutum est, non autem sensu: Cæterum optimè valet, appetitus viget, benè dormit, menses, non obstante ætate, raro huic lunari tributo ampliùs obnoxiâ, ritè fluunt; fatetur se jam, cæteris paribus, longè saniorem, quàm antea esse, pluribus medicamentis ab excellentissimis Medicis iteratò præscriptis usa est, spe semper frustrata, & re in eodem statu manente, unde à longo jam tempore ab omnibus abstinet pharmacis, suâque nunc, qualiscunque sit, sorte contenta vivit.

[*Ulmâ Augustam Vind. Ann. 1681, 12. d. Augusti ad Lucam Schrôckium, Luc. Fil.*]

## *SCHOLIUM.*

MIrabilis hæc Aphonia in memoriam mihi revocat illam, quam ab Amicis nonnullis ad me perscriptam, in *Anno X. Ephemer. Nat. Curios. obs. 183.* postea etiam propositam deprehendi;

hendi, Juvenis nempe muti, ab hora tantùm meridiana duodecima usque ad primam loqui valentis. Ubi præter melancholicam imaginationem sive imaginariam mutitatem, consuetudini primas esse tribuendas, autumo. Quamvis enim nulla de functione jam conqueratur, sensusq; tum interni tum externi sint integri, perpessa tamen antea satis diu symptomata, Aphoniam istam im̃ediatè præcedentia, in spiritibus animalibus quandam ejusmodi tenebricosam & vitiosam dispositionem vel errorem relinquere potuerunt, difficillimè eradicandam; atque rusticam gentem minora mala utplurimum non attendere aut magni facere, imò melancholicis sæpius nihil ad sanitatem possidendam deesse, nisi quòd sani ipsimet esse nolint, nemo ignorat. Aphoniam autem istam, licet momentaneam tantùm, à quadam nervorum adfectione primitus ortum habuisse, vix dubitare licet, quam spasmodicam fuisse, sensus ille, quo è ventriculo sursum fauces versus aliquid repere percipiebatur, arguit; nervorum etenim par vagum dictum, præter alia viscera, tum ventriculum inprimis, tum linguam & laryngis musculos ramis suis copiosè accedens, si alicubi lædatur, passionem istam reliquis etiam partibus facilè communicat; atque ita ab infesta in stomacho materia nervi stomachici lacessiti contractiones suas convulsivas ulteriùs in laryngem & linguam propagant, sicque unà & partes constringendo, & liberum spiritibus tansitum denegando Aphoniam, eleganti exemplo ab Exc. *D. Casp. Kölichen in Act. med. Hafn. Barthol. Vol 2. obs. 86.* demonstratam, inducunt; idque eò magis, cùm & alia partes inter illas adsit communio, ob plexum ganglioformem nervi intercostalis cum simili paris vagi plexu; cui nempe præfocationis in gutture sensum in hystericis adfectibus & quibusdam hypochondriacis adscribere libuit Cl. *Thom. Willisio cap. 26. de nerv.* Ut experimentum illud, quo canis ligatis nervis recurrentibus vocem amittere perhibetur, taceam; ut & quòd læsis iisdem nervis mutos quosdam fuisse redditos, *Galenus lib. 1. de loc. aff. cap. 6.* testatus fuerit. Atque hæc loquelæ interceptio cùm

satis

ſatis diu duraverit, tractu temporis eam ſpiritibus animalibus, ſive animæ, ſi ita loqui cum *Williſio* liceat, brutali impreſſionem facere potuit, ut ſenſim magis magisque ad longiores ferias adſuefacti, influere ſe non ſemper poſſe ad loca illa, quaſi perſuaſi fuerint, vel potiùs, licet influxerint, in iſtam tamen ſe expanſionem & motum amplius non reſolverint, quo fibræ muſculorum loquelæ inſervientium carneæ in debitam tenſionem vel inflationem adigerentur; quæ etiam à prægreſſo morbo debilitatæ leviori ſpirituum impulſui non promtè cedunt, imò fortiori eidem quodammodo interdum reſiſtunt, adeo ut menſe Novembri, in præſentia Exc. *D. D. Gmelini*, balbutiem illam & linguæ in motu tarditatem cauſaverint, quo nempe tempore vigor ſanguinis, ad motum utique neceſſarii, minor exiſtens partibus etiam minorem calorem largitur; eodem viciſſim vernali tempore, quo Celeb. *D. D. Wepferi* examini Juvenis dictus ſiſtebatur, magis redintegrato iſtud linguæ impedimentum emendante. Quòd verò ſtatutâ adeo horâ loquela redeat recedatque; non ſanè alteri alicui cauſæ, quàm ſoli conſuetudini, à longiori imaginatione, quâ in hac hora tantùm, & poſtea ampliùs non loqui ſe poſſe delirabat, adquiſitæ poſſum adſcribere; quâ ſpiritus quieti iſti 23. horarum jam longo tempore adſuefacti, & quaſi obdormiſcentes, ſtatuto momento expergiſcant, moveantur, iterumque in ſomnum ſolitum labantur. Quamvis enim nunc, horarum etiam tranſpoſitione aut horologiorum ſilentio falli Juvenis iſtius ſenſus horologicus nequeat, primo tamen tempore, & antequam obſervationes de caſu illo Curioſi ſumerent, ab horologiorum indicio temporis illius determinationem eum deſumſiſſe, interea credam, uſque dum evidentiora fuero edoctus,; qui hæc omnia conjecturando tantùm propoſita volo. Nec ſilere hîc poſſum hiſtoriam à laudato *Williſio part. 1. tr. de anima brut. cap. 16.* memoratam, Morionis nempe, qui utut futilis & ineptus, horarum tamen intervalla, ſine quovis indice exactiſſimè dignoſcebat, & quoties integræ horæ elapſum eſſet

ſpatium, quaſi vivum fuiſſet horologium, illicò totidem numeratis bombis, iſtius horæ numerum talem perſonabat, nullâque circa res alias occupatione in hujus penſi omiſſionem ſeduci poterat; cùm enim ab initio horologii ſonantis ſingulos ictus altâ voce obſtrependo imitari ſoleret, quotieſcunque nimirum campanæ horologicæ ſonitum audivit, ſtatim inclamando: unum, duo, tria &c. eveniſſe hinc judicat *D. Willis*, quòd ſpiritus animales à diuturna imitatione tali motu juxta ſtata temporum intervalla citari aſſueti tandem ſponte ſuâ nulloque ducente, quaſi rotis dentatis ſpatia labentia emetirentur, easdem periodos diſtinguere potuerint. Ut autem ad Nob. *D. Rumelii* obſervationem revertar, in ea ſpirituum animalium quidam defectus itidem eſſe accuſandus mihi videtur, quos nempe à Venæſectione improvida (qua ſanguis intempeſtivè commotus & rarefactus, ſerumque unà copioſiùs in cerebrum inſtillatum, ſpiritus cerebrales in conſenſum traxerat,) in confuſionem vel inordinatum motum in cerebri penetralibus actos, ac ita delirium inducentes, ſuperveniens tandem apoplexia penitus ab influxu retraxerat, usque dum materia morbifica ſeroſa in dextri lateris nervos translata paralyſin excitaverit; quâ ipsâ metaſtaſi quandam ejusdem particulam ad nervos etiam, muſculos laryngis irradiantes ſeceſſiſſe, & eorum tonum relaxâſſe, ſicque ſpiritibus liberiorem in illos influxum præcluſiſſe, autumo. Unde cerebrum præternaturali iſto humore liberatum munia quidem ſua in judicando, imaginando, memorando & intelligendo obire, ſpiritusque ſuos per nervos ſiniſtri lateris abſque impedimento diſpenſare valet: loquelæ tamen libertas inhibetur, atq; ſpiritus, quamvis à cerebro ſuppeditati, ob viarum obſtructarum & conniventium obſtaculum, ad vocis inſtrumenta ulteriùs non feruntur, imò longiori hac excluſione refractarii quaſi facti ad principium ſuum recurrunt; niſi quandoque omni conatu adacti pauci eorum per vias impedimentum quidem objicientes, non tamen penitus occluſas, perſuadente id ſenſu in partibus adfectis ſuperſtite, irruen-

irruentes pro ſimplicium iſtarum vocularum: Ja/ &: Und/ enunciatione potentiam partibus loquelæ deſtinatis largiantur. Dum verò ſpiritus illi cerebrales, ſive, juxta *Williſium*, anima ſenſitiva, talem organorum vocis ſentiunt vel percipiunt motum, ad quem obeundum longo annorum exercitio olim fuerunt adſuefacti, mox, accedente Voluntatis imperio, collectis quaſi copiis inſurgentes vi perrumpunt, & ſolitum decurſum magno conatu & impetu peragunt; hinc deproperatâ precum notarum recitatione opus eſt, ne cunctando ſpirituum motus continuus & per materiam morbificam nervoſque relaxatos tranſitus impediatur ceſſetque; quos aliàs novo denuo ſtimulo ſuſcitare & impellere neceſſum foret. Quare etiam ordo precum ſi invertatur, ſicque motus inconſuetus ſpirituum requiratur, illi neutiquam obtemperant, nec obſtaculum in viis præternaturaliter adfectis perrumpere tentant, niſi quandoque magnâ ſollicitatione & nixu ad id impellantur. Et tandem conſuetudini eò probabiliùs adſcribi id poterit, quò magis indubitatum eſt, magnam ipſi vim eſſe tum in vitali tum animali facultate, (vid. Celebrr. *D. Eraſmi Bartholini Quæſt. academ. de Conſuetud.*) unde etiam altera natura adpellari meruit; prout inprimis ſomni exemplo, pluribus ſtatâ horâ advenientis & recedentis, clarè oſtenditur *l. c.* à *præfato Williſio*. Quin imo devotis etiam cæteroquin hominibus, quæ naturæ humanæ eſt depravatio, magnum ſæpe animæ dolorem imprimens, multoties accidit, ut conſuetas precandi formulas (exemplo hiſtoriæ analogo ut liceat uti,) v. g. Orationem Dominicam, abſque hæſitatione ulla recitent, non intellecto tamen & perpenſo rerum atque verborum in eadem ſenſu, ſed cogitationibus interea alibi circumvagantibus; quæ ſanè inanis battologia & ſine mente ſonus non ſuccederet, niſi ſpiritus motui iſti vocali obeundo jam longo exercitio adſuefacti monſtratum iter decurrere ſponte ſcirent.

[*L. Schrök, L. F.*]

## OBSERVATIO XCVIII.

## D. JOH. LAURENTII LÆLII,

*De*

# Vomitu millepedarum.

ANno 1680. in auctumno ex Puella 15. annos nata, in Herrieden, Episcopatûs Eystettensis urbe, ultra biennium diversis multorum medicamentis frustra adhibitis, tandem plures quàm 60. millepedas mediante *Syrupo emetico Ang. Salæ* expuli, atque à perpessis symptomatibus liberavi; quam, aliquando cùm magnâ siti infestatam ex vetusta aliqua cisterna se bibisse confessa fuerit, seminium illarum inde hausisse conjicio.

### *SCHOLIUM.*

COnferatur Scholium meum ad *Observ. 80. Hellvvigian.* ubi etiam similem millepedarum vivarum vomitum ex *D. Binningeri cent. 4. obs. med. 3.* adnotavi.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XCIX.

## D. JOH. GEORGII ERNST,

*De*

# Verme ex nare sinistra cum longâ hæmorrhagiâ emuncto.

STudiosus quidam ætatis circiter annorum viginti constitutionis phlegmaticæ sanguineæ â teneris unguiculis catarrhis admodum obnoxius, per biennium & quod excurrit, hæmorrhagiâ narium haud infrequenter exercebatur.

cebatur, sine ullo virium lapsu, quam subinde Cephalalgia excipiebat. Morbo temporis tractu adaucto septies de die è nare sinistra copiosissimè profundere cœpit sanguinem: hinc variarum pronata symptomatum congeries, dolor & imbecillitas capitis, virium prostratio, sternutationes frequentes, & tristis ac convulsiva quasi nasi circa appendicem sensatio. Non ita pridem iterum in largam narium incidit hæmorrhagiam, quæ per quatriduum sævire non desinebat; accedente denique quinto, cùm sanguis affatim effluxisset, in sinistro naris spiramine aliquid exitum impediens hærere sentit: quod dum fortiter emungit, vermis hirudinis ad instar sanguine turgens, qui depictus conspiciendus erit, in terram decidit, vixitque per triduum.

Fig. XXV.

*SCHOLIUM.*

PLura vermium, post vigilias perpessas, cephalalgias, & mentis aberrationes, è naribus excretorum exempla habentur in *Anno II. Eph. N. C. obs. 147.* apud *D. Conr. Vict. Schneiderum de oss. cribr. pag. 440. &c. D. Joh. Michaël Fehr N. Cur. in sua Hiera Picra p. 79. D. Th. Bartholinum cent. 2. epist. 74. D. Nicol. de Blegny Ann. I. Zod. Med. Gall. Mens. April. obs. 3. Theod. Kerckringium obs. anat. 43. Nic. Tulpium lib. 4. cap. 1. Petr. Borellum cent. 3. hist. 45. Jac. Hollerium lib. 1. de morb. int. cap. 54. in Schol. Guil. Fabricium Hildanum cent. 1. obs. 8. & cent. 5. obs. 1. Nic. Monardem Hist. Med. simpl. cap. 14. Joh. Georg. Schenckium lib. 1. obs. med. Marc. Donatum lib. 4. de Hist. Med. mir. cap. 26.* nec non *Vinc. Alsarium Crucium de quæs. per Epist. cent. 3.* Nec indictum abire debet, quod Excell. *D. D. Jo. Jac. Harderus* non ita pridem per literas mihi retulit, de maleferiata quadam, nuper scilicet vermes quatuor, præcedente atrocissimâ cephalalgiâ, per nares eam excrevisse, albicantes, oblongos, minimeque hirsutos. Ipse etiam *Ebnsina lib. 3. fen. 1. tr. 2. cap. 3.* ex Medicorum quorundam Indorum fide, cephalalgiam quandoque generari jam edocuit à vermibus in capite generatis, motu suo, tentione & rosione læden-

 tibus,

tibus, addens: *nam vermes multoties nascuntur in anteriore capite & super locum, qui est in strictura narium; & possibile est, ut nascantur apud velamina, etsi rarò contigit.* Locum generationis non semper eundem esse, verisimile videtur; interdum enim, licet rariùs, à partibus inferioribus, utpote ventriculo &c. adscendisse, perque palati foramina sic in nares perrepsisse, interdum verò in ipsa nares investiente membranâ, aut anfractuosâ earum cavitate, quandoque in caverna ossis frontis ad radicem nasi sitâ, quandoque etiam in ipsis ossis ethmoidis spongiosis cavernis stabulari posse, autumo; quin & si cerebrum ipsum per nares excretum aliquando fuisse perpendamus, quod Celeb. *D. Georg. Wolffg. Wedelius Physiolog. Med. sect. 3. cap. 24.* se vidisse testatur, cur non ex ipso cerebro, in quo vermes quandoque inventos fuisse *D. Th. Bartholinus cent. 1. hist. anat. 64.* aliique memorant, eosdem aliquando prodiisse, dicere liceat, haud video. Utrum verò ex ovulis insectorum cum cibis &c. adsumtis atque ad partes illas delatis: an verò ex singulari humorum putredine oriantur, Eruditioribus dijudicandum relinquo; uti enim ovula insectorum ejusmodi, præcipuè minima cùm sint, in remotam illam corporis partem cum massa sangvinea deferri posse, nemo dubitabit: ita tamen argumenta, quæ generationem absque seminio isto arguunt, & à *Franc. Redo in libello de insect.* proferuntur, quâ ratione omnimodè enervari queant, non perspicio.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO C.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

## Abortus cum retentione secundinarum.

CONjugi J. M. dilectissimæ, viginti octo annos natæ, pluriumque liberorum matri, & jam denuò per quinque Menses gravidæ, cùm obluctum, & mœrorem animo vehementer, varieque commoveretur, accidit, ut

ut die XV. Januarii anno MDCLXXXII. humorem viscosum & albidum utero copiosè redderet, & postea diebus novem continuis. Octavo morbi die simul effluxit momentum sanguinis, citra dolorem. Quam evacuationem brevi secuta est membrorum debilitas, & corporis ardor vagus, ac per intervalla recurrens. Absuit tamen pariendi stimulus, & præcordiorum angustia, & facultatum cæterarum, quas vulgò naturales cognominant, languor. Tandem die undecimâ nullo pariendi conatu sponte edita est filiola in vita etiamnum superstes, & exinde per quadrantem horæ vitali aurâ tantisper usa est, dum extingueretur. Remansit autem in utero placenta, eique tanquam immaturus fructus arbori suæ firmiter adhæsit. Portio tamen ejus quædam forâs dependula, ne retrocederet, ligata fuit à Puerpera sine incommodo. Illam inde quantacunque diligentiâ & industriâ manuum separare ac auferre non potui. Interea æstus ingens in corpore exoritur, & horrores, rigoresque dorsum ægræ alternatim pervadunt: membra languent, & excrementa matricis cadaverosum olent. Biduò post, calore ingravescente dorsum & femur dextrum summis torqueri cruciatibus, sanguisque ex utero profluere cœpit, donec vulva adaperta placentam totam eliderer. Quo molimine Puerpera ægrotans tantum sanguinis & virium amisit, ut aliquoties in syncopen lapsa, obortis jam sudoribus frigidis, me ancipitem & sine spe relinqueret. Benedixit tamen Deus remediis, ita ut optatam sanitatem ægrotanti restituerent.

## *SCHOLIUM.*

PAssiones animi (quæ per spirituum animalium motum, & cordis alterationem in mente ita producuntur, conservantur & confirmantur, ut non ampliùs corpori, & externis objectis, sed animæ fermè uni adscribantur) mirâ vi pollent in flectenda corporis humani machina. Faciunt eæ sanè, ut homo jam gaudio exultet, jam mœrore contremiscat, nunc contrahatur metu & horrore, nunc irâ æstuans rapiatur in furorem,

furorem, denique amore mille formas induat, & Protheo mutabilior appareat.

In Gravidis adhuc major est earum potestas: quævis animi commotio, quodvis phantasma mente volutatum altiùs stigma aut nævum tenello embryoni imprimit, simul etiam matri quandoque nociturum. Etenim spiritus animalis ab objectis alienis inordinatè agitati, non tantùm cerebrum debilitant, & sanguinis temperiem bonam corrumpunt, sed imprimis ad uterum ruentes fœtum similiter afficiunt. Quamobrem accidit nonnunquam, ut affectuum vehementiâ secretio humoris nutritii impediatur, vel nutritio & motus infantis in utero planè pervertatur: imò idea objecti imaginatione concepti (quæ quidem idea in lumine & motu consistere mihi videtur) cerebro & reliquis partibus sæpè tantum motûs violenti imprimit, ut fœtum obvolventes membranæ rumpantur, & abortus fiat, quod uxor in casu magno suo malo jam experta est. Ira verò & tristitia imprimis abortûs causæ habentur: illa, inordinatè commovendo; hæc, figendo spiritus & sanguinem. Iratis nempe humores acriores redditi & accensi velociter, rapideque moventur; at mœrentibus ii è contrario quasi coagulati frigore aut acore torpent.

Neque animi commotiones duntaxat abortum causantur, sed etiam quicquid præterea vel tenellum fœtum inquietare, vel uterum inflare, comprimere aut aliter stimulare naturâ sua aptum est; veluti saltatio, equitatio, allisio, casus, ponderum elevatio, candelarum extinctarum fœtor, Zibethum, Moschus, Febres, Plethora, Cacochymia, inordinata victûs ratio, & alia multa, quæ hic commemorare non attinet.

Mirum autem hoc nonnullis videbitur, cur ruptis membranis amnii humor non omnis unicâ vice, unoque die effluxerit? Putamus rimam initiò magnam non fuisse, ut brevi tempore tantum humoris excerni haud posset, quantum in amnio & chorio stagnavit. Deinde hiatus forsan in sublimi fuit,

fuit, ita ut humor nec facilè, nec continuò ac confertim unoque impetu emergeret, sed sensim, & successivè, ad varium Embryonis motum. Tertiò infantis membrum quoddam rimam hiantem quandoque obturâsse potuit, ne tantoperè pateret. Quartò denique novus humor quotidie genitus & secretus fuit, in placenta utero adhuc inhærente, & nec dum avulsa.

At, sanguis octavâ demum die prodiit, quia vasa priùs dilacerata non sunt.

Fluxit autem è ruptis Chorii vasis. At hic fluxus postea cessavit, tantisper dum aliæ uteri venæ aperirentur, è quibus paulatim multum sanguinis denuò manavit, tandemque plurimum.

Jam cùm tanto temporis spatio inde à ruptis uteri membranis, & profuso Amnii humore, infans nihilominus in matre vixerit, & vivus in lucem editus sit, jure, meritoque hic quæri posse mihi videtur, an interea temporis non nutritus fuerit aliorum embryonum more (quem *Clav. Medic. p. 23.* exposui) haustâ per os alimoniâ? Nutritus fuit herculè: nam semper nutrimenti aliquid præstò remansit, quod fœtus abligurirct, nec totum ab initio effluxit; imò quamdiu in utero fœtus hæsit, placenta novum succum perpetuò subministravit: denique sanguis à placenta per venam umbilici refluens embryonem quoque suo modo refecit.

Ardor autem, & membrorum debilitas ægram perstrinxit, ob siccam uteri naturam, stagnantemque ac putredine sua cor & spiritus inquinantem sanguinem. Onus quoque femoribus incumbens nervos pressit, & fatigavit.

Tandem absque pariendi conatibus infans exclusus est: parvus enim is erat, & continuus aquarum fluxus os uteri patulum, & lubricum fecit.

Parturientibus nempe dolores à violenta distractione oris uteri, & tendinum fibrarumque divulsione potissimùm oriuntur.

Gg Porrò

Porrò edito jam fœtu, placenta adhuc utero firmiter adhæsit: quippe immaturus erat fructus, & poris, seu acetabulis uteri arctè innatus.

Haut itaque suaserim violentam placentæ avulsionem, vel intempestivam separationem. Periculum enim foret, ne uterus simul evelleretur, vel è disruptis venis cum sanguine anima erumperet. Satius ergò est Naturæ negotium providè committi, quæ suapte tandem secernit superfluum & emortuum. Juvanda tamen ea est medicamentis roborantibus, & ita secretionis opus accelerandum.

Id verò hic silentio prætermitti non decet, frigus uterum à partu constrinxisse, ita ut obstetricantis manus inde se premi sentiret & doleret, atque propemodum pars placentæ præscindi videretur. Nimirum utero nihil æquè inimicum est, ac frigus. Hoc suffocat, inflatque uterum, lochia supprimit, & multa alia mala funesta causatur.

Quamobrem puerperas alvum exoneraturas aquâ fervente matulæ infusâ præmunimus atque fovemus, potissimùm brumali tempore.

Cæterùm majus utique periculum imminuisset ægræ, si placentæ portionem dependulam non ligâsset. Nam, uterus semel occlusus difficulter reseratur. Quare placentæ pars ligata, & identidem attracta uterum irritavit, & humores corrupti, utiliter emanârunt, qui retenti varias creavissent molestias. Ortus tamen est calor ingens, rigor, & membrorum languor summus: enimverò sanguini & spiritibus vitalibus magnoperè adversantur halitus cadaverosi: quippe destruunt corpus, quod inhabitant, & spiritus planè in fugam vertunt. Quid, quod omnis febris intermittens meo judicio oriatur à spiritibus vitalibus in sanguine per fermentum putridum labefactatis, uti videre est *Clav. Med. p. 85*. Debilitata ergò fuerunt membra ob defectum spirituum animalium; hi enim pauci generabantur, quia vitales cum sanguine labefactati erant. Spiritus quoque omnes relictis partibus exterioribus accesse-

accesserunt ad cor, hostem inde depulsuri. Demum cadaverosus ille fœtor in utero ortus est à solutione particularum sulphurearum & nitrosarum, sanguine & secundinis morâ & cunctatione putrescentibus: fœtor enim ferè putredinem indicat, eamque comitatur, ita ut sæpè etiam contigua & vicina quæque inficiat.

In dorso cruciatus itidem oborti sunt, ob placentam firmiter adhærentem, uterumque dorso alligatum. Forsan & fundus uteri læsus fuit, quæ causa est magnæ illius jacturæ sanguinis, quæ ad lipothymias & sudores frigidos adegit: cui sanguinis fluxui nisi quàm citissimè habenas injecissemus, mors ægram abripuisset.

Puris evacuatio postea per tres hebdomadas duravit, in utero geniti è sanguine putrefacto, & vulnere superficiario post placentæ exclusionem.

Quamdiu sanguis impurus, & particulis putridis contaminatus fuit, tamdiu sudores ingruebant, iique critici & salutares, qui puerperam tandem ad optatam sanitatem perduxerunt.

Medicamenta adhibita fuere varia. Primis diebus, cùm humor Amnii efflueret, dedi uterum & fœtum roborantia, ut balsam. embryon. conserv. ros. rubr. & quædam alia è Cydoniis parata. Deinde, cùm his nihil ampliùs profici posse viderem, suasu & consensu amici & Collegæ mei, Pythagoræ, totis viribus in id incubui, ut uteri vias patefacerem, hærenti fœtui, (quem è quibusdam signis colligebamus vel jam mortuum esse, vel certò moriturum) stagnantique sanguini, aliisque exitum procuraturus, ne obortâ majore putredine, in præsentius vitæ discrimen adduceretur ægra jam periclitans. Consultum enim non erat, diutiùs exspectare spontaneos naturæ conatus. Quare apertis viis lacessivimus & animavimus vires quæsitis irritamentis ad enitendum. Propositum mihi erat hunc in finem balneum, sed verebar, ne frigidus aêr noceret. Itaque contentus fui sacculorum fotu calido ex herbis matrici

dicatis, & putredini resistentibus, item vapore è leporina pelle cocta subtus admisso, unctione spinæ dorsi & ossis sacri ex oleo carminativo & rosato. Nec suppositoria neglexi. Cordialia verò & emmenagoga per cochlearia propinavi, composita è succino, myrrha, borace, aq. lil. alb. conf. Alkermes & Sp. Sal. Arm. quæ sanè præstantissima fuerant. Infante edito, cùm placenta remaneret, nec digitis separari posset, decoctum è vulnerariis & alexipharmacis bis de die calidè hauriendum dedi, adjectis oculis ♋. & sale febrifugo Sylvii. In hypocausto suffitum est succino. In uterum præterea injectiones calidæ, ex absynth. agrimon. chamomill. sanicula, alth. marrub. rad. fumar. Alumine, myrrha & melle rosato, Aquæ incoctis paratæ, fiebant cum successu fortunato; neque emollientia iis addita nocuerunt: promovenda enim & maturanda erat placentæ ab utero separatio. Merum ingruente æstu sanguinis & ardore febrili corporis universi, negavi; postea graminis decocto probè dilutum, additâ conserva rosarum, concessi. Propinavi quoque decoctum C. C. cum Julepo violato, sed absque vitriol. spiritu. Quotidie bis vel ter oleo rosato & violato dorsum omne perunxi. Tandem cùm magna vis sanguinis secretam placentam sequeretur, & extrema jam instare putarem, urgentibus horrendis symptomatibus, confectionem hyacinthorum, cum tantillo laud. opiati exhibui, artuum extrema ligavi, lumbis decoctum rosar. rubr. fl. papav. fol. plantag. adhibui, haustum dedi ex aqua plantag. rosar. violar. fl. tiliæ &c. Denique quietem, & bonum regimen ordinavi.

## OBSERVATIO CI.

### D. JOHANNIS de MURALTO.

# Extractio fœtus mortui, decenter in utero positi.

UXor R. L. quadraginta annorum, primo die Februarii anni MDCLXXXII. parturiens dolores magnos pertulit, quibus tandem Infans vivus decente figurâ usque ad

ad osculum uteri internum depulsus est. At primipara tantos dolores ferre recusans, viribus cohibitis, Naturæ conatum obstinatè suppressit, donec die undecimo Obstetrix auxilium meum imploraret. Igitur opem allaturus, increpavi gravidam, & hortatus sum unâ cum adstantibus ad sustinendos, si urgeant, labores & conatus, ne periret proles. Ast, quæ miseria! viribus fractis, & conatibus jam evanescentibus nulla pariendi vis supererat, & infans spatium inter vesicam & alvum ita occupârat inhærens angustiis, ut nec excrementa, nec urina emitti posset. Quare liberationem rogatus meditans indice caput infantis in vagina exploravi, cumque vulvam admodum arctam deprehendissem, hanc Oleo Chamomillæ, Lil. alborum & carminativis ac emollientibus aliis tepidè perunxi, suppositorio alvum solicitans, quâ depositâ in Balsamo Embryonum præterea liliorum alborum semen cum Castorei tantillo exhibui. Fœminâ tandem ad labores vel vi adactâ caput infantis emortuum exitum moliri cœpit, quod cùm aptè sub mento comprehendissem, hiatuique calvariæ digitos desuper inseruissem, fœtum masculinum integrum sensim eduxi. Placenta mox spontè sequuta est. Urina & lochia manârunt copiosè, ægraque convulsiones per horam passa est, quæ medicamentis congruis discussæ fuerunt. Remansit tamen urinæ incontinentia per tres hebdomadas, quâ demum curatâ, fluor albus puerperam invasit, quem, spes est, convenientibus remediis & exacto victûs regimine, instauratis viribus, brevi tempore sanatum iri.

## *SCHOLIUM.*

MAgna Parturientium felicitas sita est in ætate juvenili, antequam membranæ omnes, cutis & musculi corrugati inarescant, ita ut imminente partu viæ ægrè ampliùs distendi, aut amplificari se patiantur. Vetulis enim & senescere incipientibus quanquam ritè omnia eveniant, optimeque positus sit Embryo, accidit tamen ob vehementem oris uteri tendinosi expansionem, & ossis sacri pertinaciam (dum epiphyses in apo-

physes per ætatem degenerant) ut pariendi nisus ex voto non succedant, vel etiamsi fortes fuerint, non benè impendantur, sed supprimantur, imprimis si matres à liberorum educatione abhorreant, vel ineptæ & truculentæ sint, aut delicatæ nimis. Hæ tamen omnes, quòd labori parcant in sustinendis doloribus, id sæpè & fœtus & matres graviter luunt, interdum etiam cum vita. Imprimis autem accidit, quando conatus non ad uterum dirigitur, sed raptim ad collum & caput, veloci expiratione. Nisus hic aliorsum ab utero deductus & depulsus fœtum suffocat, membra Puerperæ debilitat, collum inflat, ita ut quandoque Bronchocele oriatur. Quapropter completo jam gestationis tempore, instanteque partu, ubi dolores veri ingruunt, Obstetrix parturientem verbis consoletur, & ad obedientiam impellat alacriter. Assideat prona, & manibus oleo delibutis uterum perungat, quô arctiores viæ & os matricis patescat, maximè in iis, quæ primùm pariunt. Has quippe multùm lubricasse expedit. Deinde prægnantem cohortari incipiat, ut omnes conatus ad enitendum deorsum adigat, atque diligenter impendat. Isti enim tales sunt, ut facilè avertantur, idque vel in alterutrum femur, vel dorsum, vel brachia, vel collum, denique Caput. Hinc etiam Puerperarum Paralyses, herniæ, asthmata, & complura alia mala nascuntur: ad quæ præcavenda, & ne eveniant, Obstetrix porrò manum operi comiter admoveat, digitisque inquirat in infantis situm; quod si qua constiterit infans, aut impeditus fuerit, digitis eum deducat, & facilem partum promoveat: nam, si diutius in angustiis hæret infans, de vita periclitabitur. Sed & matri respiratio indè præcluditur, & conatus annihilantur, tum quia uteri fibræ nimis distenduntur, tum quia vires evanidæ corpus quasi immobile relinquunt. Sistitur quoque alvus, cohibetur urina, & matrix infantis collum adeò arctè comprimit, ut spiritu præcluso suffocet. Puerpera postmodum pro tam enormi peccato luens in gravissimos affectus & ipsa præcipitatur, Urinæ nempe & alvi incontinentiam, dum musculi horum

viscerum

viſcerum conſtrictores, onere gravati reſolvuntur: hocne eveniat, ſuppoſitoriis, vel globulis moſchatis ano inditis cavendum eſt; Parienti inſuper os comprimendum, detinendus ſpiritus, provocanda quoque ſternutatio, ut ſpiritus deorſum compulſus, infantem ad exitum detrudat. Profuit etiam ſemen liliorum alborum in balſamo embryonum cum tinctura Caſtorei. Tandem, cùm fœtum eſſe mortuum certò cognoſcerem, manu operi admotâ, externum uteri orificium, quantum fieri poterat, dilatavi, & cultro vertici infantis immiſſo, digitis ſiniſtræ manûs meæ arreptum illius caput hinc inde commovi, dextrâ circumcirca perungens, donec fœtus totus eximeretur. Urina & lochia poſt partum copiosè manarunt; multum enim colluviei longo tempore in utero ſtagnavit. Convulſiones ortæ ſunt, partim ab evacuatione ſubitanea, partim ab alteratione nervorum, membranarum, & reliquarum uteri partium, ob frigus admiſſum. Convulſiones iſtæ nunc manifeſtæ, nunc occultæ & nocentiores fuerunt. Frænum autem iis injecit pulvis Marchionis, ſpiritus C. C. Sp. Arm. Sal volatile oleoſ. Fr. Sylvii, Oleum ſuccini &c. Aqua item valerianæ, jaceæ, anagallidis, pæoniæ, meliſſæ. Notari autem velim, convulſiones in Puerperis ſæpè ſæpius à conſtricta alvo, retentisque flatibus diſtendentibus excitari; proinde alvus iis ſemper ſervetur libera. Noſtra ægra per tres hebdomadas Urinæ incontinentiam ſuſtinuit, uſque dum fibræ veſicæ urinariæ iterum in ſeſe redirent, & vigorem priſtinum adeptæ eſſent, atque genitalia quoque antiquum obtinerent. Intentioni huic inſerviebat exacta diæta, & olei roſati, atque Carminativi noſtri illitus: Cauſa verò Incontinentiæ urinæ erat afflictio muſculoſarum veſicæ partium, & ſphincteris reſolutio. Imperita plebs fermè manum Obſtetricantem accuſat, ſed malè, & plerumque ex invidia, cùm fieri vix poſſit, ut manus veſicæ reconditæ & obvallatæ vim inferat. Imò ſi quis ſecundinarum loco ipſum extraheret uterum, veſica nihilominus urinam contineret. Tunc ergò demum id mali metuendum

endum eſt, quando fortia emmenagoga fœtumque pellentia indiſcriminatim propinantur matribus humidioribus & crebrò micturientibus, quando item æquo diutius hæſit infans in vagina uteri, partusque difficilis & perverſus fuit. In extractione fœtus mortui nonnunquam franguntur coſtæ, aut alia membra, quæ lædunt, & compungunt adeò, ut etiam inflammationes, vulnera & ulcera oriantur: Quo in caſu potionibus vulnerariis certandum, linteaque Oleo roſato imbuta parti adponenda. Denique ægram noſtram ab incontinentia urinæ immunem fluor albus oppreſſit, cauſa eſt ſanguis crudior, qui per uteri vias effluit. In curatione talia requiruntur, quæ & roborant, & incraſſant: roborat Betonica, Plantago, Corallium, Biſtorta, Tormentilla: incraſſant gelatinæ, Crocus ♂. Symphytum &c.

## OBSERVATIO CII.

### D. JOHANNIS de MURALTO.

### Directio & Extractio fœtûs mortui præternaturam in utero poſiti.

SUſanna K. è pago Mediken oriunda & triginta annos nata, die tertio Decembris anni MDCLXXXI. partûs dolores per biduum ſenſit. Cùm brachium infantis dextrum illi jam ex utero prominere nunciaretur, juſſi id lacte tepido foverent, ut poſtea retruderetur. Sed fruſtra hoc tentatum eſt, nam ægra tandem in ſedili omnes naturæ conatus ad enitendum partum die noctuque impendit, usque dum vitæ nullum ſignum in infante amplius perciperetur. Vocatus ad illum pagum, ut ægrè parturienti opem præſens ferrem, dedi aquam liliorum alborum, meliſſæ, cum confectione Alkermes & borace per cochlearia hauriendum; brachium verò infantis mortuum & ſphacelo tactum in articulo abſcidi: mox in pedes ejus inquirens, unum poſt alterum ex utero foràs eduxi, denique corporis reliquum penitùs inverti, quod parturiens

turiens paulò post enixa est. Vulva exinde multum intumuit, & vomitus supervenit, quo sedato, ægra denuò convaluit.

*SCHOLIUM.*

MUltoties accidit prægnantibus, quando gestationis tempora non probè observant, vel pariendi conatus veros à nothis haut benè distinguunt, ut ab Obstetricibus, antequam legitimum partûs tempus instat, ad sellam deducantur, & ad-enitendum laboriosè instigentur, priusquam infans ritè situatus est. Hinc evenit, ut difficili partu nunc manus vel pes alteruter, nunc dorsum aut nates, jam venter & latera, jam humerus, mox inflexum genu, denique umbilici funiculus primùm exitum moliatur.

Quod ad justum pariendi tempus attinet, instante Mense septimo, cùm partium nutritioni dicatarum apparatum solers natura formavit, atque perfecit, fœtus in utero per os amnii liquore nutritus subinde pedibus calcitrare, varieque moveri incipit: tandem, absoluto Mense nono ex tenebrosis uteri carceribus in lucem egredi conatur. Nam fœtui grandescenti nec alimentum ibidem amplius sufficit, nec loci angustia retinendo par est. Quare, ruptis membranis exitum infans sibi ipse quærit. Quod dum fit, dolores parientem corripiunt. Uterus verò importunum hospitem exturbaturus suas & corporis universi vires ad pugnam solicitat. Parturientium conatum insuper mirè adjuvat spiritus cohibitus, quò diaphragma deprimitur, & abdominis musculi irritantur. Adeoque parturientium dolores reipsa nihil aliud esse intelliguntur, quàm perfecti infantis motus & impetus, quo exitum ipse sibi procurat. Ruptis verò ex impetu membranis, & reclusâ matrice, humores diffluere incipiunt, infans aërem haurire cupit, cujus aviditate versus matricis ostium provolvitur, capiteque obverso foribus imminet. Dolores parturientium veri incipiunt in regione lumborum & circa coxendicem, nec continui sunt, sed augentur per vices, & protrahuntur usque ad partum, variis stipati symptomatibus. Initio quidem plu-

ribus adest vomitus, capitis dolor, sitis, urinæ incontinentia, postmodum augetur vomitus, solvitur alvus, dolor capitis ingravescit, pituitosa & cruenta ex utero profluunt, venter infra umbilicum intumescit, & suprà eum detumescit; tandem magna oritur debilitas, & symptomata prædicta intenduntur, cum anxietate tanta, ut parturiens sellæ insidere vel cathedræ accumbere, & divaricatis genubus partum eniti teneatur.

Passiones verò & dolores matricis licet quodammodo similes sint parturientium doloribus, quippe qui in eodem utero excitantur, tamen non ita deorsum vergunt, nec exitum quærunt, sed magis lancinant, & cùm fermè sint intolerabiles, respirationem impediunt, & fœtus exitum per se non molitur. Quòd si nihilominus prægnans tunc ad labores pariendi instigatur, res infeliciter succedit, sicuti accidit mulieri, cujus historiam descripsimus.

Partus figura & situs præterea depravatur quandoque ab infantis debilitate, uteri amplitudine, & inquietudine matris, dum hæc inter parturiendum sæviente cruciatu nullibi quiescens, nec obtemperans sese hinc inde jactitat. Fœtus enim tunc non consistit, sed huc illuc adigitur.

Itaque ægræ nostræ ad pariendum vi deductæ infans brachium dextrum ex utero primùm exseruit. Et hic sanè situs valdè periculosus fuit: quoniam caput ad coxendicis ossa firmiter appulsum hæsit, & inde dimoveri vix potuit. Jussi ergò per internuncium gravidam in lectum deduci, ut ventre elevato & capite demisso recumberet: vel denique partum manu lacte calente fotâ introrsum per pudenda repelli.

At, cùm ita ex voto res statim non succederet, pariens in sedili ad labores ab adstantibus coacta est per diem & noctem continuam iniquissimè.

Quod si præsens adfuissem tempore cùm fœtus adhuc viveret, manu utero insertâ protinus infantis humeros reprimere, prominensque brachium ad latus inclinare, adeoque partum naturalem procurare sategissem.

Verùm

Verùm labore præposterè ac præter omnem rationem instituto, infans jam enecatus fuit, antequam accederem: neque enim ille se movebat amplius, & mater in hypogastrio sensit pondus cum frigore, brachiumque infantis prominens frigidum & lividum erat, sine motu & pulsu, etiamsi variis liquoribus foveretur, dolor præterea matri circa umbilicum adfuit cum frequenti desidendi & mingendi stimulo, ac extenuatione mammarum.

Igitur ægrè parienti exhibui fœtum pellentia, ex borace, trochiscis de myrrha, Castoreo, & croco, cum syrupo de artemisia. Quibus nihil proficientibus ad operationem accedendum fuit, ut servaretur mater.

Quamobrem brachium emortuum & sphacelo corruptum primò abscidi in articulo, ne operantis manui ampliùs impedimento esset: deinde reliquam corporis molem in utero inverti, & membra omnia ad exitum composui: in operatione hac immisericordia nulla est, nulla audacia; præcipitandum tamen non est, sed cum prudentia agendum. Cultello, quem indici digito, ne cerneretur, alligaveram, humerum incidi, mox brachium prominens intorsi multoties, usque dum tendines planè divellerentur, & ita membrum abstuli.

Quod si ab hac brachii separatione infantis corpus vertere nequivissem, sub scapula, inter costas vel claviculam digitis, aut scalpello foramen fecissem, & per id vel instrumentum peculiare, vel funem, re hortante, trajecissem, sicque fœtum eduxissem, vel integrum, vel in partes concisum.

Ast, amputato brachio, dextrâ meâ infantis pedes quæsivi, quibus apprehensis inversum fœtum facillimè protraxi. Labia vulvæ tumebant, quoniam sanguis per venas ab infante hærente compressas promptè reduci nequibat. Hâc quoque de causâ prægnantibus pedes quandoque intumescunt, sed statim liberantur, atque lochia post partum fluxerunt. Hujusmodi vulvæ tumorem sanat & discutit oleum verbasci & chamomillæ. Vomitus adscribendus est consensui stomachi cum

utero per ramos nervorum à pari octavo ortos: quamprimum enim fœtus utero exemptus fuit, aër ingrediens ſaucias uteri membranas & fibras alteravit, quare ſpiritus animales in ventriculo ſimul irritati, impetu factô, fibras inferiores inde â pyloro ſurſum conſtrinxêrunt.

## OBSERVATIO CIII.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

## Partus difficilis in Plethorica.

MUlier Kilchbergenſis viginti annorum, ſanguinea, & primùm gravida toto geſtationis tempore venæſectionem neglexit. Cùm verò partus inſtaret, conatus impendere nequit. Mittitur ad me obſtetrix, accedit etiam maritus conſilii capiendi gratiâ. Suaſi venæſectionem in brachio dextro ſufficientem, quâ celebratâ parturiens puerum vegetum feliciter enixa eſt.

### *SCHOLIUM.*

IN noſtra Helvetia fœminæ ſi conceperint, & ſanæ ac plethoricæ fuerint, toto geſtationis tempore, bis, terve ſanguinem utiliter mittunt, ita enim primis Menſibus præcavetur abortus, proles à conſtitutione capitis humida defenditur, tandemque partus fit facilior. Imprimis autem V. S. celebretur, ſi jam ante mulier aſſueverit.

Primùm itaque venæſectio iis inſtituitur abortûs præcavendi causâ, aliàs enim ſanguinis nimia quantitas fœtum inundat. Interdum etiam disruptis membranis fit communicatio venæ umbilicalis cum ductibus hepaticis bilariis, mediante portâ, ceu notavi in *Clav. Med. Exercit. IV. ann. VII. pag. 158.* Secretiones ſanguinei alimenti per poros parenchymatum infantis ritè non peraguntur, hinc corpus eorum multis ſcatet humoribus, flacceſcunt viſcera, turgent vaſa ſanguisque in placenta coactus abortum cauſatur.

Ne

Ne autem infantes defluxionibus & catarrhis, aliisque cutis, capitis, & faciei vitiis ac exanthematis obnoxii fiant, V. S. necessaria est. Eâdem hepatis calor præterea attemperatur, cerebrum à vaporibus & sanguine nimio præservatur, & sanguinis, spirituumque motus attemperatur.

Felicior ergò partus imminutam plethoram sequitur, nec matricis inflationes, aut febres ita metuendæ sunt, ad quas puerperæ alias valdè sunt proclives, quamdiu enim fœtus uteri umbraculis tegitur, ipso sanguinis flore, seu parte ejus purissimâ, suavissimaque reficitur. Hinc mulieribus, postquam conceperunt, languent oculi, pallet faciei color, oriuntur fastidia, anxietas, animi deliquium, nausea, vomitus, pica.

In brachio dextro V. S. suasi, ut è proximo sanguinis fonte redundans sanguis exhauriretur, naturaque eo fermè obruta vires promptè recolligeret. Gravidis autem quarto, septimo, & nono Mense venæsectio concedi potest: quarto enim Mense firma jam sunt stamina. Hæc à turgente, & stagnante sanguine jacturam facerent, nisi liberalior venæsectio subveniret. Quod ut melius intelligatur, sciendum est, ovum, è quo embryo fit, non diu post mariti consuetudinem uxoribus ab ovario liberari, & ad uterum descendere, uti ex epistola Cl. Viri *Joh. Conradi Peyeri* olim ad me data, & *Clavi Med, exercit, IX. pag. 397.* inserta apparet.

Atque adeò fœtus tunc temporis admodum tenellus, & delicatulus, nec utero firmiter adhærens, missionem sanguinis ægrè ferret.

Septimo Mense quoque plethoricis congruè vena tunditur, si abundat sanguis, quia adhuc robustior existit fœtus & jam movetur, atque vitalis est.

Mense nono idem fieri commodè potest, juxta regulam rusticarum, optima speranda esse puerperia, quando gravidæ fascias venæsectionis indices in manibus gerunt.

Quin apud nos venæsectionem tanti æstimant, ut eam dissuadere nemo facilè ausit.

Et hæc etiam extra graviditatem generosum præstat auxilium: etenim illâ curantur omnes morbi, à plethora oriundi, febrium quoque pleræque species, obstructiones contumaciores, fluxiones, & inflammationes, magna vulnera, contusiones, tumores, ulcera, plurium morborum symptomata. Venæsectio porrò mitigat dolores, conciliat somnum tanquam potentissimum anodynum & hypnoticum. Hinc dysenteriæ & hæmorrhoidibus succurrit, vix alio mitigandis remedio. Quod si venæsectio podagræ curandæ non sufficit, præservabit tamen, si tempore admittatur. Nam lasciviæ, & luxuriæ fœtus est. Præsentaneum quoque & securum remedium est contra apoplexiam sanguineam, curat anginam, libertatem oppressis restituit pulmonibus, variolas & morbillos (ubi urinæ confusæ non fuerint) mitigat, sic ut & cicatrices impediat, & symptomata inde oriunda tollat. Quemadmodum autem venæsectio, si cum ratione instituta fuerit, multorum morborum panacéa est, ita ægris plurimùm nocet, nisi prudenter adhibeatur. Morbi magnitudo, ætatis vigor, viresque ejus necessitatem indicabunt; at victus ratio præcedens, habitus corporis, temperamentum, & aëris constitutio, quantitatem docebunt.

In gravidis hæc majoris momenti sunt. Ante quartum Mensem vix ac ne vix sanguis iis mittitur, & solùm in cubito, neutiquam in malleolo. Non tunditur tunc temporis saphæna, non muscula, non ischias, non poplitæa: Fœtus enim inde cum utero debilitaretur: Virginibus, & iis, quibus Menses subsistunt, inordinateque fluunt, jam dictæ venæ tunduntur, sed cautè.

## OBSERVATIO CIV.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

## Vermis in vesica lactantis.

CApitanei R. uxor, partum undecim septimanarum lactans, declinante Decembre MDCLXXXI. urinæ ardorem & dolorem

rem horrendum in vesica sustinet, ita ut etiam sanguinis guttæ excernerentur. Suasi V. S. adhiberet, & sacculum ex anodynis & emollientibus lacti incoctum pubi imponeret. Emulsiones & serum lactis bibit, sed absque magno levamine. Suasi præterea infantem ablactaret, & subinde spiritu fragorum uteretur. Jussi insuper parari balneum ex herbis diureticis, emollientibus & laxantibus. Cum cibo sumsit elixir proprietatis Paracelsi. Et tamen pungens dolor in vesica remansit. Adhibito cathetere calculum nullum deprehendi. Jussi denuò elixiris & balnei usum continuaret. Tandem insignis vermis ruber, vivus, alvo editus est, dolorque sensim remisit, & ægra convaluit.

## *SCHOLIUM.*

NAtura muliebris ob humiditatis abundantiam, & vitæ fermè ociosæ segnitiem, ut de aliis nihil dicam, & calculo & vermibus crebrò infestatur. Difficile fuit ante catheteris usum vermem à calculo distinguere, siquidem hic eadem ferè symptomata secum trahat, quibus ille ægram nostram afflixit. Quare cùm anceps hærerem, ignoratâ adhuc genuina mali causâ & affectu, symptomati urgentiori potissimùm opitulari studui tantisper, dum usu elixiris & balnei vermis cum lotio excerneretur. Ut autem sciamus, quomodo vermis hic genitus fuerit, ad sequentes duodecim positiones attendendum est, quibus perspectis, simul etiam de generatione calculi renum & vesicæ aptè philosophari, & posthac vermes à calculo meliùs distinguere licebit.

I. Quæ ore assumuntur alimenta, constant è particulis variè configuratis iisque simplicibus, & compositis.

II. Ob fermenti, & caloris differentiam alius homo præ alio cibos in ventriculo magis vel minus resolvit & digerit, adeóque unus præ altero plus minusve humorum crassorum, viscosorum, & malè digestorum in corpore cumulabit.

III. Cum chylo ex intestinis partes crassiores plures pauciores ve transeunt in venas lacteas, prout harum ora vel ampla, vel

vel angusta fuerint. Adeoque, si pori ampli sunt, ita ut multas fæculentas particulas transmittant, sanguis crassus & impurus inde generabitur; sin angusti, purus & subtilis sanguis fiet.

IV. Chylus, postquam ad sanguinem appulit, in Corde, pulmonibusque denuò immutatur per fermentationem; quam moderata corporis exercitia promovent.

V. Sanguis è sinistro Cordis ventriculo erumpens, in totum corpus per arterias distribuitur.

VI. Subtilissimam sanguinis portionem in cerebro generationi spirituum animalium impenditur, à quibus vita & motus præcipuè dependet.

VII. Sanguinis residuum, quod crassiores continet particulas, & per totum corpus diffunditur, ex arteriis faciliùs transit in venas, quàm in poros parenchymatum, propter vias, continuô transitû magis patefactas.

VIII. Sed & sanguis ex arteriis faciliùs transit in parenchymata, quàm glandulas, quæ quasi cribra sunt, per quæ juxta pororum dispositionem aliud atque aliud è sanguine secernitur. Quod dum fit, accidere potest, ut incongruo quodam motu heterogeneæ & crassiores particulæ simul impellantur in glandulas, quæ deinde ibidem hærent.

IX. Si quid percolandum est, illæ tantùm particulæ transeunt per colum, quæ cum ejus poris conveniunt, aut flexibilitate suâ se illis accommodant: nam longæ, & rigidæ particulæ, quantumvis subtiles sint, tamen non facilè intrant pororum anfractus, vel si intrant, protinus hærent, quia flexiles non sunt.

X. Magna sanguinis pars ad renes defertur, ob vasorum magnitudinem.

XI. Renum pori sunt angustiores poris intestinorum.

XII. Serum, quod renes à sanguine separant, secundùm naturam per ureteres in vesicam transit, & urinæ nomine venit. Hæc autem primò Sal volatile in se continet, quod nares

res perstringit, & salsum saporem in lingua excitat: deinde adest fæculenti aliquid, quod in urina frigefacta subsidet, vel matulæ lateribus adhærescit, & post destillationem in vase relinquitur: deinque multum aquæ.

Ex his tandem concludimus, vermem ex materia cruda & pituitosa, ovum tamen fœcundum in se continente, ex intestinis cum chylo, & deinde per arterias cum sanguine ad renes delatâ, genitum fuisse. Pervenisse autem postea cum lotio per ureteres in vesicam: ubi moram nectens nutritus fuit seri crassitudine, usque dum mole auctus vesicam rodendo vulneraret, & dolores cieret gravissimos. Calculi similiter ex limosa & terrea materie oriuntur, crassum & fixum aliquod oleum in sese continente, quæ renibus inhærens, accedente sale urinæ, spissescit magis, & tandem coit in lapidem.

Venæsectionem ægræ huic suasi, ad inflammationem impediendam, dein sacculus ex malva, althæa, parietaria, chamomilla, meliloto, violaria, verbasco, croco, & pulvere opii correcti, lacti incoctus, & tepidè pubi applicatus fuit, & alia usurpata, quæ dolores mitigant, & inflammationi subveniunt.

Infantem ablactari curavi, existimans mammarum suctum dolores augere. Fragorum spiritu urinæ ardorem lactantibus æquè ac gravidis commodè mitigari aliâs expertus fueram.

Balneum è diureticis & emollientibus parátum fuit. Ad Elixir Proprietatis tandem confugi, ambigens an fortè vermis, vel aliud animalculum vesicam rodat, & compungat: imprimis postquam cathetere nihil duri, aut scabri explorarem. Tandem, erosâ & perforatâ vesicâ, vermis in alvum descendit, & exinde foras egressus est. Fugavit eum elixir, utpote constans è Myrrha, Croco, Aloë & spiritu vitrioli.

Quod genus etiam alia vulgo contra vermes prædicántur, uti absinthium, Centaureum minus, succus Nasturtii, sal absinthii, aqua & radix graminis, item Mercurius.

Refert *Fernel. Patholog. lib. vi. cap. 10.* se exiguos vermes in renibus genitos, & cum urina profusos vidisse. Præterito autumno Clarissimus *Peyerus* noster Basileæ vermem vivum à puero quatuordecenni cum lotio excretum vidit, illi planè similem, quem *Plutarchus sympos. lib. VIII. quæst. IX.* scribit ab hospite suo Athenis cum multo semine editum fuisse: θηρίδιον δασὺ, καὶ πολλοῖς ποσὶ ταχὺ βαδίζον. Ego quoque Leydæ anno MDCLXVIII. cum Clariss. *Dom. Doct. Erico Fræresen* Hamburgensi Medico, & Botanico insigni in canis rene dextro duos vermes vivos latitâsse vidi, quorum alter duas spithamas longus, alter brevior erat. Excedebant crassitie pennam anserinam. Ren hujus canis internè exesus, & penè consumptus erat exterius. Præterea inæqualis, & tuberosus. Tale quid etiam *Bartholinus in Anatomia sua capite de renibus* observâsse legitur.

Ante biennium Virginem vicennem curavi, menstruorum expertem, & diris vexatam symptomatibus, potissimùm umbilici dolore immani, ubi motum quoque & volutationem juxtà sentiebat tactu.

Imposui mustelam fluviatilem umbilico per noctem, manè penitus exesa fuit mustella, & puella meliùs habere visa: noctu aliam mustelam vivam alligavi, quæ itidem ad spinas usque consumpta fuit, idem tertiâ vice factum fuit. Tandem cum carne mustelæ vitri pulverem commiscui, cujus mixturæ pars tantùm per noctem absumpta fuit.

Tumor umbilici postea in abscessum degeneravit, quô ruptô, tres crassi, longi & teretes lumbrici cum copia puris excreti sunt, & virgo decocto vulnerario & emplastro nostro camphorato paucarum septimanarum spatio curata est. Menses tamen hactenus promoveri non potuerunt.

Hîc non immeritò quæritur à Doctissimis quibusdam Viris Fautoribus & Collegis meis: An ab ista vesicæ & intestini erosione, utpote viscerum istorum læsione gravissima, non majora incommoda oriri debuerint? item scrupulus ingens & difficultas maxima occurrit: Utrùm vermis alvo editus an-

cea hæserit in vesica urinaria, nec ne? Ego existimo vermem in vesica hæsisse, & postea per vesicam actis cuniculis transiisse ad anum. Fidelissimus meus *Pythagoras* planè sentit contrarium, nec fieri illud posse credit, quod ego factum existimo: nam uterum quoque, vel certè ejus vaginam perrumpere debuisset vermis, antequam ad anum pervenisset: & si dicam, vermem exiisse per vesicæ fundum, quà aliàs pergit urachus, non quidem reluctabitur Amicus meus, sed exitus tunc facilius patuisset per umbilicum, quàm per alvum: namque (me interrogat) anne putem fieri posse, ut forinsecus vermis intestina perfodiat absque torminibus & pessimis aliis symptomatibus, diversis planè ab iis, quæ observantur in calculo? vermis in vesica habitans exitum proclivem invenisset per urethram. Quare ut scrupulum hunc pro modulo solvam, & difficultatem in re obscura quadantenus tollam, vermem Ægræ in vesica hæsisse, indeq; ad alvum transiisse statui, nam ardorem urinæ tantum sustinuit ægra, ut sanguinis guttæ excernerentur; non solus hic ardor sanguinis guttas prolicuit, sed & qui urinæ ardorem concitavit vermis: hæsit & perforavit vesicam horrendo dolore, eoque inflammatorio. Vermis ad alvum penetrare faciliùs potuit, quàm per urethram sphinctere propter exortum circumdatam, ad omnem acrimoniam irritantem sese firmissimè constringentem: fieri enim potest, ut vermis circa vesicæ cervicem musculosam, quo loco cum vagina uteri & intestino recto jungitur, interiore membranâ perforata, intra tunicas carnosas, vel per abscessum, præviâ inflammatione factum, absque aliis symptomatibus cuniculos egerit, & ad anum devenerit: aliud est si vermes intestina tenuia, vel crassorum priora erodant, tunc enim urget capitis dolor, alvus adstringitur, lumbi excruciantur, convulsiones & deliria excitantur, appetitus dejicitur, & dira alia symptomata insurgunt, id quod circa finem Septembris A. MDCLXX. in milite arcis Monspeliensis, quem post mortem aperui, observavi; causa mortis residebat in imo ventre, duodenum enim binis

locis perforatum erat, & à vermibus quinque longis rotundisque eroſum, nulla excrementa hærebant in inteſtinis, in abdominis tamen cavitate aqua copioſa fœtens fluctuabat: color, omentum, & meſenterium inflammata fuerant, ſicut & hepar integrum. Taceo nunc, verme per alvum excreto, ſymptomata ceſsâſſe, urinam liberè profluxiſſe: interea per umbilicum ſi excerni debuiſſet potiùs quàm per alvum hic vermis, ob membranarum craſſitiem, tamen & ſurſum potiùs repere, quàm deorſum, ubi aſcarides plerunque naſcuntur, ſerpere, ac ſpontaneâ naturæ inclinatione vergere debuiſſet, quod vix credibile eſt; vel ergo ſequeretur, vermem hunc in inteſtino hærentem ad veſicam perveniſſe, & in hiſtoria recitata ſymptomata cauſatum eſſe; vel aliud quid ægræ affectum non verò vermem excitâſſe, quod hactenus credere non potui.

## OBSERVATIO CV.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
## Suffocatio hyſterica.

EPhippiarii S. uxor, viginti ſex annorum, in juventute quidem ſua cachexiæ obnoxia; in matrimonio verò paſſionibus, & inflationibus hyſtericis, cùm æſtate prægnans thermis Badenſibus feliciter uſa eſſet, autumno inſequente ventrem currui obvio vehementer illiſit.

Sequutus eſt dolor, & reſpirandi difficultas: ſanguis ex utero copioſè effluxit, & pariendi conatus ægram jam ſeptem Menſes gravidam invaſerunt. Abortum tamen præcavi V.S. in brachio dextro inſtituta, & epithematibus dorſo applicatis, exhibitisque internis ſanguinem ſiſtentibus, & anodynis. Igitur usque ad noni Menſis finem partus auſpicatò dilatus eſt, quo demum fœtum vivum parturiens edidit. In Puerperio benè ſe habuerunt omnia, usque dum ſeptimanâ quartâ pòſt in culinam egrediens puerpera ſuffocatione uteri derepentè correpta,

correpta, præſente marito vitam brevi inopinata cum morte commutaret.

## SCHOLIUM.

QUando in ſanguine particulæ balſamicæ & humidæ, quantitate & qualitate congruentes miſcentur, optima inde ſurgit craſis; quamprimum autem ſeroſæ excedunt, & balſamicæ deficiunt, cachexia oritur, id quod virginibus ſæpè propter Menſium retentionem accidit: nam humiditas, quæ cum abundante ſanguine per vices menſtruas excernenda fuisſet, ad habitum corporis defertur, membra inde debilitantur, caput dolet, cor oppreſſionem patitur, dormiturit ægra ſenſibus hebeſcentibus. Quod ſi matrimonium ineant, nec tamen menſtruales ſint, in paſſiones hyſtericas incidunt, propter frigus uteri, quo membranæ inflantur, diaphragma comprimitur, & ſanguis coagulatur.

Ad mala hæc arcenda thermis Badenſibus utiliter uſa eſt ægra noſtra, quippe quæ multo ſulphure & aluminis ac nitri modico imbutæ plurimis mulierum malis, ipſique ſterilitati quandoque opitulantur.

Aſt, è thermis redux, cùm ventrem currui graviter alliſiſſet, fœtum & uterum improvidè læſit, adeò ut abortus immineret: Impetus nempe alliſionis tumorem & inflammationem excitavit in utero, quare ſolutâ chorii unitate ſanguis copioſus effluxit, & infans commotus attentavit exitum. Tempori autem ſubventum fuit venæſectione cubiti. Inde enim fluxu & impetu ſanguinis cohibito inflammatio mitigata fuit, & infans quieti redditus, Choriique vulnus ſanatum. Quem in finem ſtatim quoque lumbis tepidè applicavi epithema ex burſa paſtoris, anſerina, plantagine, equiſeto, piloſella, roremarino, marrubio, artemiſia, roſis rubris, & floribus papaveris, cum mutellinæ radicibus, & granatorum cortice vino rubro incoctis, addito aceti momento. Internè exhibui ſperniol. Croll. ʒß. boli oriental. pulver. ℈j. in aqua burſæ paſtoris. Item Conſerv. roſar. antiq. ℥ij. lapid. hæmat. trochiſc.

 de

de Carabe & de terra sigill. de spod. Croc. Martis adstring. ãã ℥j. laud. opiat. gr. viij. cum syrup. cydon. & de rosis siccis, redacta in electuar. de quo nucistæ quantitatem quotidie sumebat, quod certè remedium in hoc affectu, aliisque, benedicente Deo mira præstitit. Ita fœtus sensim roborabatur, & multo tempore post vivus in lucem prodibat! At, quia puerperæ nunquam extra periculum versantur, imprimis illæ, quæ temperamenti serosioris sunt, hæc quoque audaciæ suæ pœnam dedit: cùm enim quartâ hebdomadâ, foràs in culinam egressa fuisset, suffocatione uteri superveniente derepentè concidit exanimis Quippe uterus tunc temporis adhuc valdè humidus, & nuper læsus nondum penitùs convaluerat, ut tantum frigus sustineret, quantum culinæ pavimentum tegulis stratum brumali tempore corpori incussit. Quod si tempore præsens aliquis adfuisset & suppetias ægræ tulisset, fortè servari potuisset pannis calidis, & aromatibus odoriferis vulvæ admotis; item castoreo & asa fœtida, aliisque graveolentibus naso traditis. Rursus internè exhibito salis armoniaci, fuliginis, vel Cornu Cervi spiritu, oleoque succini in aqua artemisiæ, liliorum alborum, serpilli, aut embryonum balsamo, denique urgente maximâ necessitate, apertâ saphænâ. Quid verò in aëre frigido vel in utero hæreat, quod ita inflet, & motum sanguinis uno quasi ictu inhibeat, meritò hîc disquiritur? ad quæstionem hanc compositam dupliciter quoque *Pythagoras noster* respondet. Aër sua natura inflat: nam sine aëre ventus aut flatus nullus est. Jam frigidus aër, quia à sole minùs commovetur hyeme, quàm æstate, cùm calido quietior sit, & mage compactus, utique protinus vehementer inflat, si intra corpus calidum receptus & conclusus fuerit: nam calor aërem expandit, atque dilatat, ita ut majus spatium necessariò requirat, quo contineatur; & quantò calor fuerit intensior, tantò major erit aëris expansio. In aëre ergò nihil adfuisse judico, quod tantoperè nocuerit, præter ipsum aërem. Nocuit autem aër & pavimentum frigore suo. Frigus tamen nuspiam subsistit

nisi

nisi in anima sentiente. Igitur contactu nudo brumalis aër damnum intulit, quia quiete suâ superavit motum sanguinis, spirituumque animalium. In utero ipso sunt membranæ, fibræ, nervi irritabiles, præsertim à partu, ubi saucia sunt, & excoriata omnia. Has aër irritavit frigidus, ita ut protinus spasmi orirentur, quibus sanguis coactus, spiritus præclusus, tandemque vita extincta fuit.

## OBSERVATIO CVI.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Tumor in ano Puerperæ, ab Obstetrice causatus.

DOrothea R. quadraginta duos annos nata, die XXIV. Novembris anni MDCLXXXI. cùm partui denuò vicina esset, tumorem ab aliquo tempore sensit in ano, cum ingenti dolore conjunctum, & grandescentem. Ante sesquiannum parturienti ei Obstetrix, digitis ano immissis partum procurare audacter tentarat, sed parùm faustè: nam magnos ab eo tempore matricis languores, & tormenta passa est, propter quam causam hodieque nullos cibos inflantes, vel refrigerantes gustare audet, suasi V. S. Bibit vinum antiquum, agrimoniæ decocto temperatum, sacculum ano applicavit, è gnaphalio, Melissa, Artemisia, Meliloto, floribus verbasci & opio in lacte coctum; symptomata indè mitigata fuerunt, & mater puerum vegetum feliciter peperit.

### *SCHOLIUM.*

DOlendum est, apud nos Magistratum tantis obrui curis, in Republica benè gerenda, ut, quantū par est, animadvertere nequeat in obstetricum, & Puerperarum delicta. Fermè enim garrulis & insciis mulierculis res maximi momenti creditur, neque Medicis meliora suadentibus fides habetur, uti jam olim questus sum in *Clav. Med. Exercit. IX. pag. 434. in annexis.* In pejus

jus ergò ruunt omnia. Conſcientiâ tamen ducor ad ingeminandas querelas. Obſtetrices ſæpiùs per imprudentiam, inſcitiam, & immiſericordiam gravidas nimis citò ad ſedile cogunt, & varia medicamenta pellentia ipſis exhibent: manus improvidè utero, & digitos alvo immittunt, & infantem vel pedibus exire nitentem vel aliter retardatum vi tantâ attrahunt, ut reſoluto collo, caput hæreat in utero. Quin eædem partum quandoque ventre prodeuntem tam audacter manibus arripiunt & duplicatum protrahunt, ut ſimul alvus & uterus prolabantur, ſummo parientium diſcrimine.

Ægræ huic Obſtetrix ani partem extimam vulneravit, ut alvum exoneratura, vel ingravidata ob tumorem cruciatum magnum perſentiret, & pariendi niſus, atque dolores formidaret: Tumor iſte ani inflammatio fuit, quæ ferè ſemper hæmorrhoides ſecum ducit, quandoque etiam prolapſum & fiſtulam cauſatur.

Magna ab eo tempore tormenta paſſa eſt, matrice debilitata, quæ à concepto frigore propter conſenſum nervorum ſeſe inflat, diſtendit, oppreſſionem cordis affert, & ſpaſticis motibus ſtrangulat.

Inter cibos utero infenſos numerantur dulcia, & acida, caro porcina & fumo indurata, lac, caſeus, fructus hornotini, olera &c.

Dulcia matrici nocent, quoniam in ſtomacho facilè corrumpuntur, fermenteſcunt, & in flatus abeunt. Hinc lutulentum reddunt ſanguinem, qui facillimè obſtructiones ferit; etenim materia dulcium eſt pinguis, oleoſa, viſcida, ut teſtatur Mel, manna, Saccharum.

Fit autem dulcedo per coctionem, & quandoque putredinis rudimenta includit: nam Meſpila, Sorba, Pruna Sylveſtria, Mora, fructus cynosbati inodori, putreſcendo dulcedinem acquirunt. Pyra, pruna damaſcena & mala volutata, leviterque manibus preſſa dulceſcunt. Cauſa hujus rei hæc eſt: ſpiritus in fructu ex putredine calorem contrahunt, & ſic par-

tes

tes fixiores attenuant, atque volatiles reddunt: omnis enim putredo aliquem caloris gradum habet: hujus cauſa eſt mollities, quâ aciditas, & auſteritas aufertur.

Acida quoque matrici ſunt inimica, quia vim habent refrigerandi & ſanguinem coagulandi. Acida ſalia figurâ cuneolos referunt, quæ fit ex defectu caloris moventis, qui ſi adeſſet, minutiſſimarum particularum angulos & acumina diffringeret, atque in planitiem redacta lævigaret: hinc remedia teſtacea, ſalſa, aromatica & oleoſa fermentum acidum diffringere poſſunt.

Caro porcina hyſtericis adverſa eſt, quippe quæ eas reddit leproſas, cor opprimit, & flatus ac tormina generat.

Caro fumo ſiccata idem præſtat, ſtomachum premit, & ut digeratur, robuſtum, calidumque ventriculum requirit.

Lac nutrit quidem, humectat, lubricat, emollit, lenit; ſed qualis ventriculus, talis eſt lactis mutatio: ergò bilioſis, melancholicis, gravidis & puerperis aut hyſtericis nocet.

Caſeus eſt ferculum ἐυπόριςον, ventriculo gratum, atque ad plenum victum pertinens, ſed debilem gravat ſtomachum, & vix digeritur, ſanguinem acriorem reddit, & dorſi, lumborumque dolorem atque nephritidem cauſatur.

Pyra, & Poma cocta, cum reliquis hornotinis fructibus ob dulcedinem facilè corrumpuntur, tormina hyſterica, & alvi fluxum cient, præcipuè gravidis: humores in fermentum agunt, cùm ſucco excrementitio acri polleant.

Olera pauciſſimam alimenti materiam præbent, ſanguinem reddunt fæculentum, caput vaporibus replent, & matricem inflant. Imprimis Lactuca ſenſus obtundit, figit ſpiritus animales, refrigerat, & gravidis atque hyſtericis nocet, ſi cum aceto, ſale, & oleo comeditur. Quamobrem lactantes detrimentum proli afferunt, ſi eâ veſcuntur.

Ægræ noſtræ vena ſecta fuit, ut inhiberetur affluxus, mitigaretur dolor, & vel ani fiſtula, vel hæmorrhoides præcaverentur.

Præterea in potu Vinum agrimoniæ decocto contemperatum fuit, quia hoc subadstringit, & hepar corroborat, vulnerarium est, cachexiæ & hydropi subvenit, tensiones hypochondriorum demolitur, & hystericis commodum habetur.

Sacculus paratus fuit ex sequentibus simplicibus vegetabilibus:

1. Gnaphalio montano, quod alvi & uteri fluxus sistit, bilem æstuantem domat, & ulcera ani persanat; hujus decoctum internè sumptum aliàs dolores podagricos lenit, eadem herba de collo suspensa, oculorum nubeculas delet.

2. Melissa. Hæc usûs magni est in affectibus uterinis, lochiis retentis, & suffocatione hysterica.

3. Artemisia. Quæ mundificat uterum, extinguit inflammationes, & præstantissimum vulnerarium est.

4. Meliloto. Is dolorem sedavit, durum tumorem emollivit, & ardorem abstulit.

5. Verbasci floribus: quippe qui hæmorrhoidum dolores leniunt, emolliunt, & tumores discutiendo imminuunt.

6. Opio, quod adjunxi, quia vim habet spiritus inquietos intùs & extra compescendi, iisque torporem inducendi, sicque dolorem mitigandi.

## OBSERVATIO CVII.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
# Mater & fœtus debiles partum impediunt, & urgent.

MAria B. è pago Tallvvyl oriunda, quadragenaria, prægnans, die vigesimo nono Decemb. A. MDCLXXXI. queritur, se inde à quatriduo per intervalla pariendi dolores pati, cum rigore: Infans parùm movebatur, & lac in mammis exaruit. Exhibui aquam lil. alb. serpill. meliss. Cinnamom. & matricalem nostram cum borace & tabulis

lis alkermes: item ſpiritum ſalis armoniaci in juſculis: juſſi bibere vinum decocto agrimoniæ temperatum, & edere juſcula è ciceribus rubris parata, nec multò poſt feliciter peperit, & ſana evaſit.

## SCHOLIUM.

EVenit multoties, ut matris & infantis utero concluſi debilitas partum urgeat, non tantùm propter vitam calamitoſam, quæ lætos ſpiritus vitales obtundit, ſed etiam propter labores graves, & alimenti penuriam: maxima enim pars morborum, quibus affliguntur pauperes, à mala diæta dependet, hoc eſt, primùm à prava ſubſtantia & qualitate alimentorum, quibus utuntur: deinde à victu planè inordinato; nam aliquando cibis abundant, & famem iis nimiùm ſaturant, mox in penuria priſtina vivunt, & diu eſuriunt. Tertiò à labore, & injuriis aëris, namque æſtate expoſiti ſunt ſolis ardori, hyeme ventis & frigori, à quibus ſe defendere nequeunt, cùm veſtimentis bonis careant. Naſcuntur ergò inde cruditates, tot malorum cauſæ, quot morbi premunt inopes.

Ægram noſtram pauperculam ſolus caloris & alimenti defectus ad pariendum ante tempus adegit. Rigoris cauſa eſt nervoſarum partium irritatio. Infans parùm movebatur, quia debilis fuit, debilitata ſimul & mater erat; tam arcta enim inter utrumque eſt conjunctio, ut eodem ſanguine nutriantur, iiſdemque gaudeant ſpiritibus.

Lac in mammis exaruit, quoniam impendebatur chylus ſpirituosâ lymphâ turgidus conficiendo ſanguini, & reſtaurandis viribus, quibus mater valdè opus habebat.

Quamobrem deficiente aptâ materiâ, lactis fons in mammis exaruit.

Quomodo autem lac generetur, dixi in *Clav. Med. Exercit. I. pag. 13.* aliis quoque de cauſis lac in mammis abſumi poteſt: ob nimium videlicet calorem, vel ſanguinis craſſitiem & frigiditatem.

Quia verò ægræ noſtræ lac defecit ob defectum alimenti

& debilitatem virium, exhibui aquam cordialem fœtum pellentem ſuprànotatam. Lac quoque vaccinum vel caprillum cum ſacchari roſati ſ. q. ſumptum alimentum eſt excellens; ſi quando verò calor immodicus lac aufert, venæſectio & uſus ſeri lactis tunc prodeſt. Si craſſities, & frigiditas ſanguinis, juſculum carnium cum ſeminis fœniculi contuſi ℥j. exhibemus; vel etiam decoctum fol. fœnic. cum ℥ß. ſem. urtic. Fomentationes quoque mammarum fiunt ex decocto foliorum fœniculi, naſturtii, erucæ, in vino albo.

Lactis defectus in mammis ſæpè mortem & matri, & infanti præſagit, imprimis ſi præter rigorem alia ſigna mala adfuerint, id quod accidiſſe memini Lugduni Gallorum prægnanti mulieri, quæ octavo graviditatis Menſe exſpiravit. In ea ſectionem cæſaream Menſe Januario MDCLXXI. adminiſtrari juſſit *N. Falconettus Andreæ Filius*: Renuebant parentes. Tandem cultro in uterum immiſſo, extractus fuit fœtus omnibus partibus abſolutus, immobilis tamen & exanimis. Cranium ejus & dexter humerus livore ſuffuſus erat.

Matrem antiquus mœror ex odio confecerat cum ſyncope, cujus cadaver colluſtrantes invenimus glandulas mammarum aridas & exſuccas, cor vietum, flaccidum & pallidum, ſine humore pericardii: pulmones nigris tactos vibicibus & atrâ ſpumâ turgentes: thymum eroſum, cæteraſque glandulas abſumptas; in fundo ſtomachi inflammationis non lævia indicia. Inteſtina tenuia contracta erant, hepar tamen & lien incolumis. Cur verò gravidis & puerperis mammæ turgeſcant lacte, hîc commodè diſquiri poteſt?

Veteres putârunt, Naturam mammis cum utero per infinitas penè vaſorum anaſtomoſes conſenſum indidiſſe, ut ab utero ad mammas ſanguis commearet, & viciſſim à mammis ad uterum, atque ſapienter ordinâſſe, ut toto graviditatis tempore ſanguis verſus uterum deferretur, quò fœtus inde formetur, & nutriatur: at partu edito, ſanguis ab utero ad mammas tenderet, utibi in lac mutatus infanti in alimoniam cedat.

De

De qua ſententia quid ſtatuendum ſit, in *Clavi Med. Exerc. I. p. 17.* expoſui. Gravidis humidioribus & ſanis fermè turgeſcunt omnes glandulæ, utero ampliato & grandeſcente, maximè autem glandulæ mammarum, ceu conſenſum ſingularem per nervos cum utero ſortitæ.

Turgeſcit quoque thymus, & glandulæ alarum, colli, inguinum; dum enim fœtus perfectus eſt, & minus de ſanguine materno, quàm antea in ſe recipit, neceſſariò lympha ſuperabundans glandulis copiosè advehitur, & imprimis etiam ſpirituoſior mammis, quæ lac exinde conficiunt, & per glandularum poros aptè fabricatos percolant.

## OBSERVATIO CVIII.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Inflammatio, & ulcus vulvæ à lapſu.

VErena G. pagi Diebendorf incola, viginti tres annos nata, & jam ſeptimo menſe gravida, die XXIX. Novembris anni MDCLXXXI. præceps per ſcalas ex alto lapſa, vulvam magno cum dolore vulneravit. Mox ſecutus eſt tumor, & inflammatio, denique abſceſſus; quo pertuſo pus effluxit. Tandem ulcere, more aliorum ulcerum curato, prægnans conſueto tempore partum feliciter enixa eſt. In puerperio ſitis afflixit, & vulva iterum intumuit. Pimpinellæ radices potui infuſas ſuaſi, & inunctionem cum oleo chamomillæ, & roſato noſtro, quibus adhibitis convaluit.

### *SCHOLIUM.*

CAſus fuit infortunatus, & periculi plenus, cùm ob abortum illi imminentem, tum ob affectam naturam muliebrem, quæ in partu vehementer extendi debet. Quâ occaſione dicendum mihi eſt, de vulnere, de tumore, & in ſpecie de inflammatione atque ulcere, idque potiſſimùm in gratiam juniorum, ut ſciant, quomodo in his caſibus ſe gerere debeant.

Vulnus est incisio facta in parte corporis molli, profluente sanguine sine putredine per causas externas.

Estque vel simplex, vel compositum. Simplex est, quod nullam habet materiam peregrinam, & cui symptomata gravia juncta nulla sunt, quæ impediant, quò minùs integrascat soluta unitas. Compositum est, cui superveniunt mala accidentia, cum materia peregrina, quæ sanationem retardat.

Vulnera simplicia curantur manuum ministerio. Primùm eorum labia conjunguntur, dein instillatur calidè oleum hyperici, addito visco ex ulmi sylvestris vesiculis, vel terebinthinâ: denique superposito linteo & fasciâ vino calente madefactâ. Potest & sequens Balsamum utiliter adhiberi: ℞. fol. & flor. Hyperici, Salviæ, āā. mij. radic. Valerianæ Sylvestr. ℥ij. Concisa imponantur fictili, affuso vino albo antiquo ad eminentiam, stent in infusione per biduum, pòst adde Ol. veteris ℥iv. frument. integr. ℥j. bulliant ad consumptionem vini, agitando, tandem colato & expresso adde Terebinth. ℥viij. thuris pulverisati ℥ij. lentè denuò coquatur usque dum thus dissolutum fuerit. Feliciter etiam utor Unguento Nicotianæ, quod vulnera & ulcera inveterata sanat, & hoc modo paratur: ℞. fol. Nicotianæ recent. contus. ℔ß. pingued. porc. ℥iv. coq. lento igne in Unguentum. Vulnerariæ potiones ex artemisia, beta rubra, sanicula, vinca pervinca, virga aurea, scabiosa, agrimonia, pimpinella, & oculis cancrorum paratæ, vel maxima percurant vulnera.

Compositorum vulnerum cura restringitur ad hæmorrhagiam, inflammationem, dolorem, contusionem, convulsiones, febres, ceu accidentia, iis supervenientia. Omnibus his symptomatibus succurrit Venæsectio, quæ remedium est universale, si in principio administrata fuerit. Purgatio quoque in declinatione instituta juvat, pure jam concocto, nisi maligna qualitas subsit, convulsiones minitans, quo in casu maturanda ea est, ad debellandam humorum malignitatem.

Hæmorrhagia vulneri superveniens non statim sistenda est,

eſt, ſæpè enim febrem, inflammationem & dolorem inhibet. Illi autem frænum protinus injiciendum, quæ calorem naturalem & ſpiritus enormiter exhaurit: Igitur tunc in parte oppoſita Venæſectio fiat. Hoc enim præſentiſſimum magnis vulneribus remedium eſt, ceu teſtis mihi eſſe poterit Textor Dennickerus, qui enſe crudeliter in facie vulneratus, cùm tantam ſanguinis vim amiſiſſet, ut in lipothymiam & frigidos ſudores magno vitæ periculo laberetur, chirurgis fruſtra ſanguinem aliter inhibere ſatagentibus, à me ſervatus fuit, quippe accerſitus derepentè in ſyncope, & ſine ſenſu jacenti venam brachii aperui, quo facto, impetus ſanguinis à vulnere ita retractus fuit, ut æger ad ſe rediret, & in momento quaſi hæmorrhagia ceſſaret. Cæterùm ad ſiſtendum ſanguinem conducit equiſeti pulvis tenuiſſimus, ſanguini vulneris calenti admixtus.

Eo tempore quo pulvis Sympatheticus inclaruit, creduli eum omnibus vulneribus adhibuerunt. Sufficit autem, ejus loco vitriolum calcinatum, & cum ovi albumine mixtum in linamento implicito vulneribus applicâſſe,

Febris & inflammatio vulneri ſuperveniens Venæſectione, clyſteribus & diætâ refrigerante, ac humectante aufertur; loco affecto eundem in finem commodè applicantur Plantaginis, & Roſarum rubrarum folia contuſa, item farina hordei in lacte cocta addito croco, & roſarum rubrarum pulvere formâ Cataplaſmatis.

Vulnerum Dolorem, Venæſectione & purgatione nihil proficientibus, mitigant anodyna è vitellis ovorum, farina hordei vel mica panis albi, cum croci tantillo in lacte decoctis.

Quod ſi dolor rebellis fuerit, mucilagine ſeminis papaveris albi contuſi cum lacte parata, vel tinctura opii & croci cum oleo roſato atque chamæmelino ſuperabitur. Contuſio & Ecchymoſis levis ovo agitato & cum roſarum oleo applicato curantur, itemque fabarum farina in Oxymelite cocta, admixtis chamomillæ floribus. Ecchymoſis autem & contuſio magna ſuppu-

ſuppuranda eſt. Quòd ſi illa poſt caſum magnam corporis partem occupârit, tergore ovillo recenter detracto & calcenti æger involvatur.

Hìc præterea cyathum Oxycrati bibat, vel uncias duas Oxymelitis cum ℥iij. aquæ ſcabioſæ. Specificum eſt vini ſpiritus à quacunque tandem cauſa contuſio originem traxerit, vel aqua Reginæ Hungariæ.

Vulneribus bombardarum & ſclopetorum cum contuſione conjunctis digeſtivum ſequens fructuosè adhibetur ad impediendam gangrænam: ℞. terebinth. ℥j. Vitell. ovor. n. ij. myrrh. thuris pulv. ãã. ʒj. ſp. vini q. ſ. M. F. Ung.

Tandem convulſio vulneribus accidit, eaque vel ex repletione, vel inanitione, vel punctione nervorum, vel venenata qualitate.

Si à repletione eſt, V. S. & purgatione curabitur. Si ab inanitione aut ſiccitate, fomentationes tepidæ in parte fiant lacte, vel hydrelæo, & adhibeatur diæta humectans & refrigerans.

Si à nervorum compunctione, ol. lil. alborum, lumbricorum, hyperici, proderit: Imprimis autem oleum juniperi non rectificatum eminet, quod etiam animalium rabidorum morſibus medetur.

Tumor eſt diſpoſitio partis præternaturalis, in qua materia aliqua è loco ſuo naturali egreſſa colligitur, & ibidem impletionem, & diſtentionem excitat. Producitur à natura irritata, & interna diſpoſitione depravata, quamvis nonnunquam obſervemus tumores criticos, qui ſunt ſeparationes, vel translationes materiæ impuræ à parte nobili in partem minùs nobilem, vi & dominiô diſpenſantis naturæ. Tumorum cauſæ materiales ſunt vel corporis partes è loco ſuo naturali recedentes, vel aliena corpora præternaturam vel humores in corpore contenti à ſtatu naturali deflectentes: vel ſerum & flatus, vel humores commixti, vel humor quidam non naturalis. Cauſæ tumorum efficientes ſunt: Fluxio, & congeſtio. Fluxio


Fig. 21. p. 184.
Fig. 20.
p. 108.
p. 165.
a. Oßa narium.
b. cavitas oßis Zygomatis.
c. oßa syncipitis.
d. os jugale.
e. maxillæ inferioris pars posterior.
f. ejusd. pars anterior cum dentibus.
g. occiput.
h. vertebra dens dicta colli.
i. vertebræ colli cæteræ
K.K.K.K. vertebræ dorsi cum costis et sterno.
l. vertebræ lumborum.
m. vertebræ sacri oßis.
n. vertebræ caudæ.
o.o.o.o. Pelvis oßa, cum femore.
p.p. patella. q.q. tibiæ. r.r. fibula.
s.s. tarsi oßa. t.t. talus.
u.u. metatarsus. w.w. digiti.
x.x. ungues. y.y. scapulæ.
Z.Z. humerus.
ꝫ.ꝫ. cubitus, cum radiis et carpo.
⊙.⊙. Metacarpus cum digitis et unguibus.



fit, quando humor vel quantitate, vel qualitate molestus aliam in partem propellitur. Fit hoc ordinariè ab humoribus calidis & fervidis.

Congestio fit, cùm vires, quæ humores in parte coquere, ac dissipare deberent, languent: aliquando etiam vitio partis mandantis. Cura tumorum generalis consistit in observatione motûs humorum per quatuor tempora; Cruditatis, Maturitatis incipientis, maturitatis perfectæ, & integræ reductionis, juxta naturæ motum factæ. Sed, ut cura tumorum, quam in Compendio quasi tradam, facilior fiat, ad duo tempora maximè attendendum est, sc. motûs & fixitatis. Fluxus mali incipientis sistendus est; Malum verò jam fixum auferendum est. Illud fit plethoram & cacochymiam tollendo; hoc materiam fixam resolvendo, vel suppurando, ut exemplo inflammationis in specie jam declaraturus sum.

Inflammatio est tumor præternaturali calore, rubore, dolore, tensione & pulsatione stipatus, à sanguinis naturalis collectione ortus.

Extrà vasa ruit sanguis ob sui copiam, & effervescentiam.

Sanguis copiâ peccans imminuendus, & partibus influens cohibendus est.

Quamobrem hic venæsectio ante omnia locum habet, juxta vires, ætatem & temperamentum ægri instituenda, & diæta humectans ac refrigerans. In principio quin etiam parti affectæ applicentur repellentia, veluti est Oxycratum, aut ovi albumen cum oleo rosato mixtum. In usum quoque trahantur folia sempervivi, portulacæ, lactucæ: caseus recens: pulpa pomorum cum aqua rosarum.

Sed cautione opus est, ne in parte affecta siccescere sinantur, sed identidem madidentur Oxycrato. In progressu, tumore manifestè accrescente, sicut etiam in statu, vel vigore, ubi tumor in omnes dimensiones penitùs adolevit, resolvendum quidem adhuc est, & repellendum oleo rosato, fol. sambuci, ebuli, floribus chamomillæ, meliloti, concisis, & cum

aceto & aqua coctis; item oleo chamomillæ, lini & lanâ ſuccidâ: aut fabarum farinâ in urina coctâ, addito melle & chamomillæ oleo: Sed ſi tumor inde altiùs aſſurgit, inflammatioque & tenſio cum dolore augetur, è veſtigio ad ſuppurantia & maturantia procedendum eſt, ut pus generetur: Itaque ℞. Bulbos liliorum alborum ſub cineribus coctos, adde pinguedinem porcinam, oviqúe vitellum, & applica. Prodeſt etiam ſequens Cataplaſma: ℞. rad. bismalv. ℥ij. fol. malv. mj. cochleas cum teſtis n. vj. coctione, & contuſione redigantur in pultem; ſucco expreſſo adde axungiam porci recentem, & F. Cataplaſma. Si pertinax materia neque reſolventibus, neque maturantibus cedit, ad præcavendum Scirrhum, Ceratum de mucilaginibus in uſum trahi conſultum eſt, cujus effectum in nodis & ſcrophulis mirum comperi. Factâ demùm ſuppuratione, abſceſſus aperiendus eſt ſcalpello, vel ſi æger ferrum abhorret & materia in ſuperficie ſita eſt, cauterio potentiali.

Ulcus tandem eſt continui ſolutio cum ſanie & putredine ab humore acri facta. Id vel ſimplex eſt, vel compoſitum. Hoc à mala diſpoſitione fovetur: illud nulla habet accidentia funeſta. Cura uniuscujusque ulceris eſt, impedire humorum ad affectam partem affluxum venæſectione & purgatione, victusqúe regimine ſiccante. Curantur ulcera ſimplicia hoc unguento: ℞. fol. nicotianæ, bugulæ, ſaniculæ ãã. p. j. bulliant in olei olivar. ℥vj. ad conſumptionem humiditatis, poſtea adde reſinæ ℥j. pulv. ireos ʒij. ceræ ℥ß. F. unguentum. Item: ℞. terebinth. ℥iij. ovorum vitella n. v. ſimul agitentur, & addatur mellis q. ſ. ſuper ignem lentè coquantur agitando, usque dum emplaſtrum inde fiat nigrum. His adminiſtratis, adſtringentes pulveres cum linteis carptis ulceri imponantur, ut cinis è combuſtis linteis, creta alba, ſpongia combuſta & lota, calx lota, antimonium calcinatum. Cicatricum inæqualitatem impedit amalgama Merc. cum empl. Diapompholygos, ceruſſa, oleo roſato, ſucco hederæ terreſtris, creta & cera.

Ad hunc planè modum etiam curata fuit ægra noſtra.

Sed

Sed à partu ſitis afflixit, quæ non tam præcedaneæ inflammationi, quàm & puerperio & lochiis & ſudoribus copioſis, & febri lacteæ, & alvi fluxui adſcribenda erat: ad quam compeſcendam, pimpinellæ radices vino diluto infuſas exhibui. Vulva iterum intumuit: nam dubio procul ex recenti cicatrice ingentes cruciatus perpeſſa eſt ægra, quos infans, dum naſceretur, renovato vulnere matri peperit. Igitur affluxus & inflammatio denuò oborta eſt, cui tempeſtivè ſuccurrebam oleo chamomillæ & roſato noſtro, juxtà methodum ſuprà deſcriptam.

## OBSERVATIO CIX.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Hectica in lactante.

LAnionis M. uxor, quadraginta duos annos nata, cholerica, lactans, die XVII. Octobris, Anni MDCLXXXI. apud me conqueſta eſt, ſe totâ æſtate viribus defeciſſe, inde verò à decem hebdomadibus tuſſim ſiccam pati, cum ſiti, citra cordis oppreſſionem: rurſus jam à 14. diebus cibum fermè nullum appetere, paſſionibus hyſtericis crebrò affici, denique ab octiduo ardores, rigores, defluxiones, ſudores copioſos, capitis dolorem, cordis palpitationem, & maciem extremam ſentire: ſuaſi infantem ablactaret, uteretúrque vino medicato, & balſamo, antiphthiſicis, præterea biberet ſerum lactis cum conſerva roſarum, & ſubinde acciperet Diaphoreticum Joviale. His vires inſtauratæ ſunt, & ægra convaluit.

### *SCHOLIUM.*

INfantibus fortiter ſugentibus, etiamſi & mammæ & lac ſanum fuerit, matri optimum nutrimentum decedit, & corpus exſuccum redditur, ita ut tandem marcore tabeſcat, imprimis ſi bilioſa ſimul adeſt temperies. Vires ægræ noſtræ paulatim defecêre, quia optimum, dulciſſimum, & pinguiſſimum ſanguinis

guinis ad alendum infantem matri detractum est, juxta *annexum VIII. Exercit. de Bile in Clav. Med. pag. 105.* item *de spiritib. pag. 557.*

Postmodum tussis sicca invaluit, ob siccitatem pulmonum, & partium vicinarum, ardentes febres, & alias causas, videlicet optimi nutrimenti ablationem. Hæc tussis species curanda est medicamentis attemperatis, modicè refrigerantibus & humectantibus. Imprimis conducit lac vaccinum & asininum, ceu Naturæ humanæ familiarissimum. Dein valdè prodest vinum nostrum aut serum lactis medicatum, cum balsamo antiphthisico.

Singulorum ingredientia præcipua heic proponere, & examinare lubet:

Hedera terrestris vulneraria est, siccat, aperit, abstergit, & consolidat, asthmati medetur, & phthisi, item Coryzæ, & calculo. Odorem habet terreum, gravem; saporem subamarum, acrem, qui multùm salivæ provocat, & linguam abstergit.

Hepatica nobilis saporem habet herbidum, & propè farinaceum, vix perceptibilem, odorem suavem, instar storacis. Modicè refrigerat, & adstringit, sanguinem emundat, hepatis & lienis obstructiones reserat, hernias curat, & phthisicis cum successu exhibetur.

Muscus pulmonarius saxatilis saporem habet aromaticum, odoriferum, gravem, glutinosum, amaricantem, pisces redolet, summum phthiseos remedium est, modicè refrigerat, siccat, abstergit, hepati valdè prodest, & vesicæ obstructionibus, item febri hecticæ, ictero, scabiei, lichenibus, gonorrhœæ, febribus. Extrinsecùs vulnerum hæmorrhagias sanat.

Pinguicula Gesneri saporem habet pinguem, butyrosum, excellentissimarum est virium in phthisi, & acribus humoribus demulcendis, pingues reddit homines, pectus amplificat: è plantæ hujus floribus albis & cæruleis paratur oleum per infusio-

infusionem, quod balsamum nostrum antiphthisicum constituit.

Tussilago saporem habet subamarum, balsamicum, costinum, aqueum & aliquantùm acrem, hinc modicè refrigerat, pectori & inflammationibus prodest, tussim & phthisin curat; flores ejus mense Martio collecti & cum passulis decocti tussim leniunt, alvum laxant, denique fluxiones salsas destillantes ad pectus & asperam arteriam emendant, atque resolvunt.

Viola suaviter olet Martio collecta, tenues & acres destillationes ad pectus persanat, in phthisi sanguini bonam consistentiam largitur, & nervosum genus à convulsivis motibus tuetur.

Rosæ rubræ adstringunt, modicè refrigerant, cor roborant, hepaticæ sunt, & stomachicæ. Præservant à phthisi.

Balsamum antiphthisicum præter pinguiculæ & violarum rosarumque oleum recipit quoque pinguedinem caninam, & oleum hyperici.

Pinguedo hæc reliquis calidior est. Internè adhibetur vulneribus & exulcerationibus abstergendis, ac consolidandis, item in phthisi, & si cruor à casu dissolvendus est: spinæ dorsi inuncta spiritus animales ferocientes mirum in modum refrænat.

Oleum violatum usurpatur fermè in Clysteribus, & inflammationibus. Cæterùm ardores internos lenit, si eo spina dorsi ungatur, inordinatos motus spirituum animalium tollit, somnum conciliat, tabem infantum curat, si addatur ei pinguedo canis & caponis.

Oleum rosatum nostræ compositionis, refrigerat, inflammationes tollit, tumores & œdemata penetrando solvit. Panacea est affectuum externorum, luxationem, & affluxum humorum impedit, acrimoniam mitigat, in phthisi curanda primas tenet.

Oleum Hyperici, vulnera curat, imprimis ligamento-

rum & nervorum, ad ambusta prodest, articulis refrigeratis succurrit, colicæ, dysenteriæ, & phthisi inunctum solatio est.

At non tantùm sicca tussis ægram nostram vexavit, sed etiam sitis humido exhausto à siccitate faucium, cui tamen sero lactis & rosarum rubrarum conservâ subventum est.

Appetitus prostratus erat ob bilem in ventriculo collectam, quæ ibi etiam ardorem excitavit, ad quem curandum usi fuimus decocto herbarum refrigerantium & humectantium, item balneo aquæ dulcis tepido, Emulsionibus, conservâ violarum & rosarum.

Passiones hystericæ adscribendæ sunt uteri imbecillitati, consensui matricis cum mammis. Manifestè hic observatur à partu, cùm lac ad mammas confluit, statim atque sugunt infantes: tormina enim puerperas corripiunt in utero exorta, quibus radice petroselini, cum semine anisi vel fœniculi decoctâ succurritur. Oleum nucum vel florum cheiri in cochleari exhibitum similiter decantatum est. Ventri etiam imponuntur sacculi ex herbis uterinis. Ægræ nostræ multùm profuit infantem lacte depulisse & usurpâsse Diaphoreticum Joviale.

Primùm enim cessavit uteri vellicatio à suctione mammarum orta: deinde alimentum matri non ampliùs subtractum fuit: quare ista sese reficere potuit, & recuperare vigorem pristinum.

Diaphoreticum autem Joviale, seu pulvis antihecticus Poterii ad demulcendam acritudinem humorum matricem & nervos irritantium mirum quantum valet. Idem uterum corroborat, sæpè ex emaciatis quadratos & robustos homines efficit.

Calores & horrores ortum duxerut ex intemperie calida sanguinis febrem hecticam minante.

Defluxiones ortæ sunt à debilitate cerebri, acres eæ erant, ob salsedinem & acrimoniam sanguinis: hinc etiam capitis dolor ingravescebat, dum catarrhus tenuis & acris cerebri tunicas afflixit:

flixit: cordis palpitatio itidem humorum acredini imputanda est.

Macies in corpore toto adfuit, ob chyli, & sanguinis consumptionem.

## OBSERVATIO CX.

### D. JOHANNIS de MURALTO.

## Fluxus Mensium cum gravibus symptomatibus in gravida.

ELisabetha A. è pago Tallwyl oriunda & annum ætatis quadragesimum superans, parvæ staturæ fœmina Anno MDCLXXXI, mense Septembris, cùm jam septem menses gravida esset, fluxum sanguineum passa est, per quinque hebdomadas, cum virium debilitate, tussi, respirandi difficultate, dorsi, lumborum & coxendicum dolore: Ut præcaveretur abortus, sumpsit aquam plantaginis, Equiseti, fol. quercûs, bellidis, flor. tiliæ & rosarum cum Saccharo rosato, & Syrupo violarum per cochlearia: In victu regulariter se gessit. In lecto quievit, tincturam rosarum cum vino bibit, cubitum eunti exhibui tantillum Conserv. flor. papaveris & betonicæ. Quibus usurpatis, convaluit, & legitimo tempore peperit.

### *SCHOLIUM.*

GRavidæ ante partum pluribus vexantur incommodis, vomitu, picâ, mammarum dolore, difficultate & incontinentiâ urinæ, tumore pedum, hæmorrhoidibus, hydrope, albo & sanguineo fluore, menstruis, alvi fluxu, tussi, & respirandi difficultate, dorsi, lumborum & coxendicum dolore, uteri procidentiâ, febribus & aliis morbis atque imprimis abortu. In ipso partu jam narratis malis accedunt matricis passiones atq; tormenta, pariendi conatus præposteri, situ infantis vitiato, lipothymiæ, convulsiones, molæ, monstra, secundinarum retentio,

retentio, infantis mors, genitalium angustiæ, ossis sacri & coccygis obstinata & inflexibilis durities, denique naturam obsidens tumor vel cancer.

A partu puerperas urget hæmorrhagia, inflammatio & ulceratio matricis, & perinæi, tormina ventris. Quin iisdem quandoque supprimuntur lochia, uterus prolabitur, anus procidit, nervi debilitantur, paralyses, deliria, febres oriuntur, mammæ corrumpuntur abscessu papillarum, fissuris & ardore inter lactandum, ut sexcenta mala alia silentio prætercam. Summa, concipere, utero gestare & prægnantem esse, ac parere, tantæ molis res est, ut misericordiâ ductos homines ad iis omni auxilio & arte succurrendum invitet. Quicquid ergò possumus ad mulierum solatium largiter contribuamus. In ægra nostra intempestivi & diuturni mensium fluxûs causæ plures esse potuerunt, nempe sanguinis abundantia & acrimonia, vasorum debilitas, denique infantis motus. Sanguinis abundantia efficit ut spontè abscedat id quod naturam gravat nec in nutrimentum embryonis cedit. Hoc subinde accidit Naturæ robore, quo levantur gravidæ, & liberantur embryones. Oboritur tamen abortûs periculum quòd viâ lubricatâ uterus ad infantis motum facilè aperiatur. Quo in casu V. S. brachii magnoperè conducit, juxta Historias præcedentes.

Plethoricis hæmorrhagiæ istæ protinus cohibendæ non sunt, ne Inflammatio & ulcus in utero excitetur. E contrario sanguine existente bilioso & acri, exhibenda sunt demulcentia, & ea quæ motum sanguinis remorantur; quieti studendum est, & passiones animi fugiendæ. Prodest gelatina C. C. cum succo cydoniorum, & confectione hyacinthorum; item alimenta ex hordeo.

Spina dorsi oleo violato, & rosato inungenda est, & lac vaccinum chalybeatum in potu adhibendum.

Vasis porrò laxatis si placenta ab utero abscedit, & sanguis effluit, nisi vulnus citò per gluten naturale fibrosum sanguinis

guinis uniatur, abortus imminet. Quamobrem in usum trahenda sunt ova sorbilia, caudæ cancrorum, extremitates animalium, mucilagines, cydonia, rosæ, muscus pulmonarius saxatilis, trochisci de carabe, sanguis Draconis, consolida major, flores juglandium siccati, & pulverati. Præterea Cataplasma è duorum ovorum albuminibus cum bolo paratum, & lumbis applicatum, experientia commendat. Motus infantis fluxum hunc quoque concitavit attracto funiculo umbilici, & læsâ placentâ, quare uterum roborantia, adstringentia & cordialia exhibui, ne vires magis dejicerentur.

Re hortante, hæmorrhagiam inhibere quoque potuissem radicibus bistortæ, tormentillæ, filipendulæ, corticibus mori, foliis bursæ pastoris, fructibus berberum: Mammis præterea applicare potuissem magnam cucurbitam & extrema ligare. Tussim & respirandi difficultatem augebat statura parva, dum enim infans ad pectus propiùs accedit, diaphragma inde molestatur; deinde eandem fovebat acrimonia biliosa sanguinis & catarrhorum pectus obruentium. Optimum in casu hoc medicamentum sunt pilulæ è Styrace S.Clossæi, quæ & à phthisi præservant & abortum præcavent; item unguentum pectorale. Hîc loci notandum est, gravidarum pectora thoracibus arctis & balænarum ossibus neutiquam constringenda esse, quia tussis & præcordiorum compressio inde oritur, quâ infans facilè necatur. Dorsi dolor à dilatatione matricis & compressione partium vicinarum, putà Diaphragmatis, Intestinorum, Renum, Lienis &c. originem suam traxit. Commodè hîc inungitur parti affectæ ol. liliorum alborum, hyperici, carminativum, verbasci.

Coxæ & lumborum dolor, à simili causa est, potissimum autem à distentis uteri ligamentis, quibus uterum hærere diximus in *Clav. Med. Exerc. IX. p. 419.* Urgente hoc dolore subligandus venter est & molliter gestandus fasciâ de collo suspensâ. Cæterùm ægra in victu regulariter se gessit: aëre usa est temperato, nam frigus puerperas lædens, hystericas passiones,

tormina, febres, aliaque mala accersit. Calor quoque immodicus enervat & fluxiones concitat. Cibus fuit laudabilis, jusculа confortantia ex decocto capon. galli veteris, carne vitulina, cremore hordei; à carnibus & victu pleniore ægra per dies aliquot abstinuit, potus erat tinctura rosarum cum vini modico. Quievit in lecto, ne sanguis promoveretur, vel uterus agitaretur. Somnus & vigiliæ alternabant, itemque motus & quies; somnus necessarius erat, ad instaurandas vires & sanguinem. Alvus semper naturæ legibus respondit: Menses tamen sistere consultum fuit, ne evacuatione immoderatâ labefactaretur, vel abortiret ægra. Abfuit quoque ira, quæ aliàs spiritus & humores exagitat. Terror aliquando in hæmorrhagia conducit, ob spirituum repentinam cohibitionem.

## OBSERVATIO CXI.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

## Sterilitas à fluore albo, cum Melancholia uterina, feliciter curata.

TExtoris S. Uxor XXIII. annorum, inordinatè cibo & potu à longo tempore usa, triennium integrum sterilis in matrimonio vixit. Inde verò à pubertate novem annis continuis albo fluore tentata est. Tandem adhibitis medicamentis variis concepit. Mox primis Mensibus usque ad medium gestationis, terrore, tristitiâ, metu, & tantùm non desperatione agitata fuit, ita ut solitudinem amaret, & in idem objectum defixâ cogitatione deliraret. Præterea uteri inflationes perpessa est. Demum edidit puerum, qui cùm per Menses novem superstes vixisset, convulsionibus epilepticis nuper correptus interiit.

### *SCHOLIUM.*

IN fœmina prolis cupida, ut votum obtineat, requiritur uterus benè dispositus, pubertatis anni & ætas non ultra quinquage-

quagesimum annum provecta, denique ordinata menstrua. Ad uteri dispositionem quod attinet, orificii matricis coarctatio mulieribus plurimùm incommodat, quâ fit, ut non modò retenti Menses generationem impediant, sed insuper mala alia pullulent. Deinde obest quoque cervicis uteri amplitudo nimia: ita enim semen masculinum non retinetur, sed diffluit, evanescente spiritu. Tertiò oris interni perversio seu obliquitas, recipiendo semini inidonea. Quartò morbi alii organici, inter quos compressio ab omento pingui, cicatrix, tuberculum, callus, adipis copia, membrana hymenæa æquo durior, & strictior: quæ omnia impediunt, ne Menses effluere, & vicissim semen admitti possit. Quintò ovi muliebris, è quo fœtus nascitur, crassities, impediens itidem, ne seminis virilis impressionem fœcundam, aut vitalem characterem recipiat. Sextò tubarum obstructio, quâ ovum descensu prohibetur ad uterum. Septimò denique ovarii marcor, quando caruncula circa ovum fœcundum emergens flaccescit, nec ovum ab ovario liberat. Ætatem quod concernit, ab anno decimo quarto usque ad annum quinquagesimum, fœminæ ad conceptionem aptæ censentur, quia hoc temporis intervallo per naturam singulis Mensibus aliquid sanguinis præviâ effervescentiâ ad uterum mittitur, ut vel fœtui formato alimoniam suppeditet, vel si fœmina gravida non est, nec lactat, expurgetur. Vide *Clav. Med. Exercit. IV. p. 148.*

Menstrua quoque sterilitatem inducunt: si nimia fuerint, ita ut semen virile eluant, & ovum fœcundum inundent, quod per vias lubricas & hiantes frustrato partu evadit.

Sed & retentio menstruorum matricem infestat, & semen utero traditum propter sanguinis boni inopiam luxuriantibus malis humoribus suffocat. Ex mulieribus quoque eæ, quæ nimiùm viragines sunt, generationi minùs idoneæ putantur, cùm purgationibus menstruis, & humoribus nutritiis ferè careant. Menstrua alba, & phlegma superfluum sterilitatem pluries inducit, qui effectus est cacochymiæ pituitosæ

& serosæ, quacum ægra nostra similiter conflictabatur: Curata ea fuit convenientibus remediis; subinde purgationes ex radice Asari, fol. Calaminthæ, sena, Rhabarbaro, & Syrupo, rosar. solutivo exhibui: pro potu ordinario dedi infusum radic. bistortæ, fol. plantag. fruct. berberum in vino; item lac vaccinum chalybeatum: sudorifera etiam optimo cum successu in usum vocavi, è sp. buxi, salis armoniaci, Diaph. Martiali & Joviali parata. Misi ægram ad thermas Badenses: subinde vomitum concitavi hellebori nigri extracto. Exactum & congruum victus regimen observari jussi. Et sic tandem concepit.

Melancholia verò superveniens uterina fuit, & provenit à sanguine impuro frigido ab utero per venas regurgitante: unde mens & spiritus turbati & obumbrati fuerunt. Sicut enim ad videndum spirituum opticorum tenuitas & oculi claritas requiritur, ita nisi spiritus animales puri, atque tenues sint, actionibus principibus non commodè inserviunt, siquidem objecta rationi per spiritus impuros repræsentata caligant perinde atque imagines per vitrum obscurum & nubilum transmissæ, quo fit, ut timor oriatur & tristitia. Et hæc est ratio, cur ægra nostra solitudinis tam amans fuerit: cùm enim vapores & sanguinis imperfecti cruditas alacritatem spiritibus adimunt, dejecta mens aversatur hominum consortia. Accedit & illud, quòd ægra nimiùm intenta suis cogitationibus aliorum præsentiam sibi impedimento esse existimaverit. Sed eo tandem insaniæ processit, ut tantùm non desperabunda deliraret: Quemadmodum enim aqua commota aut nullam effigiem reddit, quæ distinctè appareat, aut obscuram & tortuosam duntaxat, quiescens verò nativam rei imaginem repræsentat: ita dormientibus & delirantibus, dum vapores per cerebrum errantes spiritus animales turbant, imaginum series vel planè obliteratur, vel vitiosè menti offertur, idque eò magis, quò vapores impuriores sunt. Vid. *Clav. Med. Exercit. XII. §. 6.*

Uteri

Uteri affectus cerebrum quoque affecit, ob mirum partium consensum, qui tantus est, ut juvenculis quandoque, cùm Menses iis primum fluere incipiunt, epilepsiam, hemicraniam, vertiginem & alia mala causetur. Vide *Clav. Med. Exercit. I. pag. 17.*

Uteri inflationes flatui & spiritui crasso, sive in cavitate matricis, sive in tubis subsistenti, originem suam referunt acceptam, quem uteri imbecillitas, & frigida sanguinis intemperies genuit.

Omnia tamen hæc symptomata circa medium gestationis mitigata fuerunt, quia fœtus grandior factus, impuritates & humiditates abundantes à cerebro ad se pertraxit.

Hinc liquidò constat, viduas & virgines provectioris ætatis, nisi probè purgentur, morborum semina fovere, & deliris quandoque cogitationibus exagitari: Constat quoque matrimonii legem tam altas in ipsa natura radices egisse, ut qui id spreverit, vel neglexerit, sibi ipsi plurimùm noceat, & in mille morbos sese præcipitem agat. Puerum nono Mense à partu convulsiones sustulerunt.

Nam nutrimentum, quo in utero nutritus fuerat & commotiones animi, quibus mater percellebatur, sanguinem corruperant, oriuntur autem convulsiones, si materia acida, acris, vel austera nervos compungit, & vellicat.

Seri acrimoniam temperare, & nervorum quoque irritationem à dentitione auctam demulcere studui pulvere Marchionis, aq. anagallidis, violarum, jaceæ, pæoniæ, magisterio C. C. & ocul. cancr. illitu gingivarum cum melle rosarum, emulsionibus, syrupo violarum &c. sed vis morbi vicit.

## OBSERVATIO CXII.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Prolapſus Uteri.

ANna K. è pago Schwamendingen oriunda, & annos nata 34. poſtquam ante undecim ſeptimanas partum enixa eſſet, conqueritur mihi die 10. Jul. anni 1681. ſe inde à 9. capitis & faciei ardoribus ſubinde repetentibus divexari, ſiti præterea affligi, ſed appetitu ciborum carere; ab obſtetrice à partu ſecundinis hærentibus læſa eſt, ut uterus nunc foràs promineat cum moleſtia & ardore ſummo, imprimis dum urinam emittit, aut refrigeratur. Hortatu meo uſa eſt per 3. hebdomadas balneo ex herbis traumaticis, naturæ adhibuit peſſos annulorum inſtar perforatos, & reſtituta eſt ſanitati priſtinæ.

### SCHOLIUM.

MAnifeſtum Exemplum hoc eſt imprudentiæ obſtetricis, quæ poſt editum fœtum ſecundinas utero pertinaciter adhærentes violenter extrahens correptis ac divulſis membranis, uterum invertit. Factum hinc, ut lumbi cum pube dolerent & ægra neq; ſtare, nec ſedere, neu prona aut ſupina commodè ac facilè poſſet jacere, ſimulque urinæ ardor, ſitis, faciei fervor, aliaque mala affligerent. Sunt & aliæ cauſæ, ob quas uterus procidere poteſt, hîc obiter enumerandæ: Caſus, percuſſio, ponderum gravium elevatio, curſus velocior, ſaltatio & equitatio intempeſtiva, nimium exercitium, ſeſſio diuturna ſuper tegulas aut terram gelidam, vel pavimentum frigidum, longior mora in aqua frigida, nimius & frequentior frigidæ potus, impetuoſa infantis proruptio in gravidis, partus difficilis, tuſſis frequens, ingens clamor, ſternutatio vehemens, teneſmus, longa menſium retentio, humiditates & flatus retenti, ligamentorum uteri corruptio & debilitas. Symptomata in hiſtoria

ſtoria non omnia recenſentur, ſed præcipua tantùm: ardores capitis & faciei per intervalla recurrentes, ortum ſuum debent uteri procidentiæ, qui inflammationem contraxerat, cùm ab ambiente aëre, tùm à ſalſa Urinæ acrimonia. Indè ſpiritus cum ſanguine effervefcentes ruebant ad caput & faciem, quæ cum utero mirè conſentiunt. Sitis oriebatur à ſalivæ & lymphæ defectu, nam æſtus & calor humidum abſumpſit, ut ſiccitas in ore dominaretur: Appetitus quoque ablatus fuit, immoderato ventriculi calore, & penuriâ fermenti, quod aliàs à ſaliva continuò deglutita in actum deduci & acui putamus, juxta *Clav. Med. Exerc. 1. p. 5.*

Balneum, quo uſa eſt ægra, parabatur ex artemiſia, chamomilla, malva, althæa, fœnugræco, bellide, ſanicula, ſcabioſa, lauri baccis. His & uterus fovebatur, & remittebat urinæ acrimonia ſalina, & lumbi roborabantur.

Tandem uterum prolapſum candelâ ex aſa & cera paratâ trudendo repoſui. Peſſi repoſitum in naturali ſuo loco retinuerunt uterum: hi magnitudine thalerum imperialem æquant, rotundi ſunt, aut quadrangulares, aut inæquales variè, in medio pervii amplo foramine annulum fingunt. Fiunt autem è linteis contortis, cannabe, ſubere, & aliis, ac incerantur. Adhibentur verò cum funiculo peſſorum lateri adligando, & tali modo diriguntur, ut firmiter hæreant, procumbentemque uterum ſuffulciant, ne vel inceſſus, vel concubitus impediatur. Qua de re conſuli meretur *Franciſcus Mauricæus* Chirurgus Pariſinus, Præceptor olim meus honorandus in libro gallico *de Morbis prægnantium & puerperarum lib. 3. cap. 6.*

Fotus poſtmodum è Muſco acaciæ Germanicæ in vino rubro cocto vulvæ calidè adponatur: naribus inſuper admoveantur odorifera, genitalibus autem graveolentia, è pennis perdicum, calceorum corio, & goſſypio combuſtis.

Reſtitutio ſtatim acceleranda eſt poſt partum, nam ſi propendens vagina, aut uterus ab aëre alteratus, ac inflammatus fuerit, facilè gangrænam concipit, cujus cauſa conſiſtere

mihi

mihi videtur in ſale acri, frequentius lixivioſo, rariùs muriatico, quod præter alia videre eſt in Militibus è Dalmatia per Alpes Rheticas ad nos revertentibus, quorum membra frigore exuſta in gangrænam & ſphacelum abeunt.

Nam partium acidarum & auſterarum aëri frigido innatantium acritudine ita figitur & coagulatur ſanguis, ut à motu ceſſet, & intrò penetrent partes ſalinæ acres, perinde atque in vino congelato ſalinæ & ſpirituoſæ particulæ medium verſus ſe recipiunt.

Oborta gangræna curari debet diætâ refrigerante, & modicè ſiccante, item V.S. & blandâ ſeri evacuatione, porrò cordialibus, ſudoriferis, è ſpiritu ſalis dulci, & aquâ ſcabioſæ paratis. Præterea Uterus ſcarificandus eſt, ut aliqua ſalſuginis pars evacuetur, & ſpiritus vitales affluant; mox lixivio in quo radix ſcabioſæ & vincetoxici cum marrubio & ſulphure cocta fuit, addito ſpiritu ſalis, calidè lavanda procidentia, ut putredini reſiſtatur, & corrodentia ſpicula obtundantur. Quem in finem etiam ſpiritus vini camphoratus utiliter adhibetur, nec non mica panis & ſtercus equinum in aceto acerrimo coctum, & applicatum inſtar cataplaſmatis.

## OBSERVATIO CXIII.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
# Procidentia ani, & Hernia umbilicalis in Puerpera.

JOhannis H. uxor, die X. Julii anni MDCLXXXI. in ſedili ad parturiendum intempeſtivè coacta infantem mortuum enixa eſt, partum infauſtum præterea ſequente ani procidentiâ, & umbilici herniâ; Ægram mox invaſit magna ſitis, Appetitus verò ciborum proſtratus eſt. Alvum decenter repoſui, poſtquam eum fotu emolliente excalefeciſſem, deinde ægram ſellæ è ligno querno factæ inſidere juſſi, ſphincterem firmavi

mavi pulveribus adſtringentibus. Umbilicum autem ligavi faſciis, & victum emollientem flatusq́; diſcutientem ordinavi.

## *SCHOLIUM.*

SI pariens conatus ſuos vehementer impendit, infans autem malè ſituatus eſt, alvus facilè protruditur, relaxato & inverſo ſphinctere.

Affectus hic aliàs Pueros ſæpiùs quàm adultos infeſtat, propter pituitæ & flatuum abundantiam, unde ligamenta emolliuntur, ac diſſolvuntur perfacilè: Adultos tamen quandoque idem malum corripit à teneſmo, dyſenteria, apoſtemate & inflammatione, imprimis ſcatentes ſuperfluâ humiditate ſenes, & eos, quibus poſt apoplexiam Paralyſis remanſit. Gravidis item & difficulter parientibus frequenter accidit, ut alvus iis inſtar pugni tumens procidat, cum dolore impediente, ne ſedere aut ambulare poſſint commodè: ardet & facilè inflammatur.

Memini, me aliquando in uxore fabri cujusdam ſerrarii tantam ani procidentiam à partu vidiſſe, quæ ulnam longitudine æquaret, quam tamen graviſſimis licet ſymptomatibus ſtipatam tandem magno labore ſanavi.

Parturientibus porrò à vehementi ſpiritûs cohibitione hernia umbilici oritur, rumpitur enim violentiâ peritonæum, & inteſtina prominentia tumorem pariunt: affectus hic infantibus etiam familiaris eſt, ſi quando umbilicus iis non rectè ligatur, vel fortiter attrahitur, & dum laxatur peritonæum, & tumores ac flatus ſpatio ſe inſinuant, ex ejulatu & tuſſi, quibus tenellum peritonæum ſæpe diſrumpitur.

Sitis ægræ noſtræ procul dubio à calore & efferveſcentia ſanguinis orta fuit. Appetitus verò proſtratus à defectu ſalivæ & fermenti ventriculi.

Cùm ob tumorem alvi reſtitutio difficilis eſſet, è foliis althææ, malvæ, violariæ, floribus chamomillæ, ſem. fœnugræci, lini, in lacte coctis fotum paravi, & oleis lilior. albor. verbaſci & chamomillæ tumentem partem perunxi; mox ſequente die

utrâque manu anum prolapsum molliter intra corpus recondidi; sella quercina, cui ægram insidere jussi, obducta erat panno cœruleo. Pulverem ex cinere scarabæorum pilularium, mastiche, thure, cortic. granatorum, affectæ sedi inspersi: Nates circùm oleo rosato & myrtino inunxi: alvum liberam tenere jussi, urgente verò desidendi necessitate suasi, ut in matulam operculo querno perforato & cœruleo panno similiter vestito instructam alvum exoneraret.

Cœruleus hic color, quem Indigo appellant, è planta quadam insularum Antillidum est, quæ ad pedum duorum altitudinem è terra assurgit, & folia habet parva, viridia. Hæc per maturitatem sensim flavescunt; flos verò ex rubro nigricat, gratissimumque odorem habet, ab Indigo terræ Madagascar longè differentem, cujus flores parvi sunt, & è purpureo candidi: fluxiones hoc colore mirè sistuntur: nam valdè adstringit, ut lochiis nimiùm fluentibus & alvi uterique procidentiæ decantatum remedium præbeat.

Umbilicum fasciis ligavi: initiò autem paravi quoque sacculum è musco prunorum sylvestrium, bursa pastoris, & plantagine in vino rubro decoctum, quem umbilico impositum fasciâ firmavi, deinde cingulum è linteo confeci, quo abdomen devinciebatur: ei verò circa umbilicum pulvinar exile sed duriusculum adaptavi, in cujus centro globulus è corio rubro eminebat, ut iste se in umbilicum dilatatum altius insinuans caveret, ne omentum vel intestina denuo prolaberentur.

Aërem frigidum, & ventum, cibos item flatuosos declinari jussi; Alvus lubrica servanda fuit, denique motus animi & corporis nimii vitandi.

Ex hac Historia liquidò constat, infantem mortuum, quòd instar lapidis immoti in utero hæreat, à matre debili vix edi posse absque periculo: satiùs proin est mulieres tunc non urgeri ad enitendum, sed cultello cautè adhibito fœtum priùs resolvi, ejusque interanea sensim extrahi, donec corpuscu-

lum

lum inanitum concidat, quod postea faciliùs tutiusque eximetur.

## OBSERVATIO CXIV.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Hydrops uteri ex mensium retentione, per umbilicum evacuatus.

ANna F. è pago Attlischwyl oriunda, ante biennium inter pariendum læsa, uteri prolapsum sustinuit. Menses ab eo tempore illi nunquam processerunt: venter autem sensim in maximam molem crevit, ut propinqui prægnantem esse existimantes, tandem judicium, sententiamque meam peterent. Re exploratâ adhibui pessos uterinos, fausto cum successu. Præterea de Electuario contra pestem ter die sumpsit ægra, & bibit vinum tartaro martiali infuso alteratum.

Novissimè die XVII. Martii Anni MDCLXXXII. post usum horum medicamentorum magnus dolor & inflammatio circa umbilicum oborta fuit, cum tumore coloris lividi. Malum degeneravit brevi in abscessum, quo spontè rupto ac aperto foramen apparuit pisi magnitudine, ex quo sesquimensura aquæ protenus effluxit. Inde venter aliquantum detumuit. Presso abdomine aqua copiosa etiamnum egreditur. Jussi continuaret usum medicamentorum suprà memoratorum & Empl. nigr. Helmontii insuper loco aperto imponeret. Appetitus & vires redeunt, respiratio liberior fit, sed Menses hactenus subsistunt.

### *SCHOLIUM.*

FRigus uterum prolapsum ambiens in principio, vasa & poros ejus ita coërcere potest, ut coalescant, & sanguine repulso menstrua cohibeantur, quæ deinde retenta, vel per alias partes foras eliduntur è corpore, vel in scirrhos & sarcomata

 degene-

degenerant. Hujus rei memorabile exemplum prodidit *D. Joh. Conradus Peyerus in Parergo anatom. & med. VI.* quod ipse hortatu nostro postea Scholio sequenti breviter ita illustravit.

Quod mulieribus conjugatis frequenter accidit, uterum sibi excidere, virgines rarò experiuntur. Nec id fieri unquam posse mihi videtur, nisi adhibito conatu summo aut extrinsecus ingruente vi maxima, de qua tamen altum in historia silentium. Quamobrem laxatum uteri collum cervicemque aut osculum virgini prominuisse potius dicamus, quam foras ita prolapsam esse matricem, ac si penitus intelligeretur dependula. Cujus equidem laxitatis causam edimus duplicem, nativam & adventitiam. Illa sit genitalium mollities & humiditas, hæc menstruorum intemperies. Affectui autem persanando quadrassent desiccantia roborantiaque medicamenta interna & externa, seu topica varia, à prominentis partis reductione, neutiquam thermæ. Nam harum usu mirum non est, morbum fuisse adauctum, cùm experientia & ratio testentur, thermis laxari clausos strictioresque æquo loculos atque meatus & proritari magis quàm sisti menstrua. Humores ergo intempestivo balneo allecti ac exagitati stimulatis fibris & membranis nerveis gravia illa exquisitaque uteri tormenta pepererunt. De cæteris medicamentis nihil judicamus, cum eorum materia & forma nos fugiat. Quia tamen non profuere, neque iis devictus aut abactus vel mitigatus perhibetur affectus, nec panaceæ fuerunt, neque convenientia medicamina: optandumque sanè foret, ut id genus homines damno suo irreparabili tandem aliquando sapientes medicina prorsus abstinerent potiùs, quàm uterentur promiscuâ & undique emendicatâ. Imo famæ quoque suæ, conscientiæ, ac ipsis denique ægris clientibus melius consulerent medici, si opem nunquam promitterent aut adhiberent, nisi cognitâ ac expensâ morbi & remedii naturâ, nec latius ulteriusve consilia & formulas remediorum producerent, qàum apud ipsos se extendit valetudinis in illo individuo, cujus curam in se susceperunt,

clara

clara & diſtincta cognitio. Cæterùm mihi videtur virginis iſtius natura à menſtruorum intemperie potiſſimum jacturam feciſſe, quæ non tantum copia peccaſſe, ſed etiam acrimoniâ, probabile eſt: nam cochleæ vitam in otio vixiſſe dicitur, quod pertinaciter ac immoderata ſectantibus, niſi cura accedat maxima, humorum optimi ſæpe in peſſimos degenerant: dum inteſtino calore perinde atque ſtagnans aqua æſtivi ſolis radiis corrumpuntur. Neque otio uſa credi poteſt ita tranquillo & pacato, quin ex miſeriæ ſuæ contemplatione variis animi commotionibus, quibus etiam ſequior ſexus præ altero vehementius indulget, ſubinde tanquam procellis agitaretur, triſtitia, mærore, metu: quorum ſane affectuum dici non poteſt quanta ſit vis ad inducendum corpori torporem, corrumpendumque ſanguinem. Hic enim inde coaceſcens diffluxit, & menſtruo quovis curriculo è reconditis penetralibus juxta ordinem naturæ dimanaturus irritatis membranis tormina urentesque dolores acritudine ſuâ excitavit; à qua acrimonia dubium nullum eſt quin etiam interna uteri ſuperficies læſa fuerit tandemque exulcerata. Quoniam autem acida & acria nervis, membranis, & glandulis inimica ſunt, labem ſuam partibus iſtis utique paſſim affricuit acidus ſanguis & degener. Atque hinc factum, ut menſtruis per ætatem ſubſidentibus acor in uterum & glandulas abdominis redundans ibidemque coactus poros ac meatus primum obſtrueret, deinde ſuo & ſanguinis infarctu omnia in tumorem attolleret. Solent enim degenerantium ejusmodi humorum acumina rigida in glandulis arterias & venas minimas pertundere aut corrodere, & præterea configurationes pororum deſtruere ac immutare, ita ut ſanguis poſtea interceptus ſtagnet tandemque putreſcens vertatur in ſaniem. Quare cùm etiam uteri tumores in hac virgine ab iſta cauſa ortum ſuum duxiſſe mihi videantur, poſthac vix pro molis habendi erunt, niſi hoc nomine licenter & ſine autoritate ſcirrhos quoque complectamur. Genuinæ namque molæ ab ovo humano originem trahunt ex teſticulis per tubas

in uterum delato. Virgini autem totidem ova descendisse quot in ejus matrice tubera pullularunt, verisimile non est. Quid quod molam concipientibus perinde atque mulieribus gravidis menstrua plerumque deficiant? Nostro igitur judicio tumores isti molarum nomen non merentur, sed sunt scirrhi à sanguine coagulante ac uteri poris hinc inde impacto geniti. Cætera omnia mala similiter adscribenda sunt lentori & acredini sanguinis, quorum generatio cum è dictis suapte fluat aut nullo prope negotio deduci possit, operæ pretium non est, cunctis sigillatim exponendis immorari. Deinde quæ in *parergi tertii cap. VI.* commentati fuimus, plurima quoque huc quadrant, imprimis de respiratione difficili, de aqua inter cutem gelatinam mentiente, de hydatidibus, de polypo cordis, quem hic acidum coagulans æquè ac segnities produxit, de pallore hepatis, de hydrope, cujus rudimenta ingenti illi tumori in abdomine imputamus, quippe qui mole suâ venæ cavæ trunco graviter incumbens sanguinis motum coërcuit: ut serum inde difflueret. Quod genus tumores maximos cum ascite conjunctos ante duo prope lustra observavi quoque in cadavere rusticæ, qua de re latior differendi campus forsan alibi dabitur. Jam manum de tabula. Difficilius enim est invisis rebus orationem accommodare, quàm iis quæ quis ipse vidit ac experiundo cognovit. Satius tamen paucis multa & de abstrusis aliquid quàm per ambages aut nihil omnino dixisse, ut satis fiat aliorum solicitationi.

Sed ut ad ægram nostram revertamur, Mensium retentio ventrem in magnam molem illi extulit, serum enim sanguinis inde secretum & regurgitans, tumefactis lymphæ vasis distentisque membranis, vesicas, seu hyatides efficiebat; crassior verò pars sanguinis coacta, tumores in utero & abdomine; dum enim sanguis à quacunque tandem causa in motu suo impeditur, vel alicubi in corpore subsistit, statim lymphæ vasa ultra modum repleta turgent, uti id cumprimis in strangulatorum & hydropicorum cadaveribus dissectis videre est. Imò

lympha

lympha ipsa quandoque in gelatinam quasi concrescens vasa sua & receptacula ista distendit, ut rumpantur, & collectus humor profluens ventrem in tumorem attollat. Ex quo patet, in hydrope non semper hepar primariò laborare, sed frequenter viscera, & partes alias, ut sunt lien, mesenterium, omentum, renes, ureteres, vesica, uterus, testes muliebres: Tubas quin etiam collectioni serosi humoris ansam dare posse, ratio & experientia evincit. Certè apud ægram nostram uterus accusandus esse mihi videtur, quo sede suâ moto, sanguis stagnavit, factumque est, ut serum hinc per tubas regurgitaret, ac tandem in abdomen influeret. Mihi autem mirum videtur, hydropem gravidæ excitari potuisse, absque prolis dispendio. Memini me aliquando uxori pistoris tali tumore per graviditatem pressæ, cùm vulva magnopere tumeret, cultello huic admoto maximam aquæ copiam eduxisse, & exhibitô intùs electuario meo, quod aliàs contra pestem usurpamus, procurâsse, ut salva gemellos vivos pareret, & postea optimè valeret. Dubitari tamen potest, utrùm in uteri cavitate, an abdomine aqua hæserit; Equidem utrumque fieri posse judico. Nam & embryones intra uteri claustra per naturam aquis tutò innatant, & serum in abdomine infanti vegeto cedere tenetur. Cæterùm è sanguine materno succum optimum & spirituosum infans elicit, nec tam labefactatur ipse, coarctatus licet loci angustiâ, quàm utero gravis mater.

Aqua tandem exitum facilem invenit prope umbilicum, ibi enim ligamentum hepatis, qua olim vena umbilici commearat, transit, cutisque tenuis est, & venter fastigiatus.

Præcessit autem dolor & inflammatio, ut per abscessum via aperiretur.

Qua quidem in re Natura valde provida fuit, exili duntaxat foramine efformato, ne intestinis simul procidentibus malum anceps & periculosum redderetur.

Electuarium contra pestem paratur ex rad. angelicæ, Valerianæ sylvestr. helenii, baccis juniperi, scordio, semine rutæ,

& melle despumato. Hæc theriaca est rusticorum, hydropi, matricis inflationibus, cachexiæ, refrigerato hepati, cruditatibus stomachi, febribus pestilentialibus apprimè conveniens.

Tartarus Martialis fit è tartaro crudo, limatura chalybis, cinnamomo, aniso, fœniçulo, & radice caryophyllatæ vulgaris; Hic obstructionibus mensium, cachexiæ & melancholiæ opitulatur, appetitum excitat, sanguinemque perficit.

Aqua per umbilicum effluens, salsa & flava est, quia à spiritibus destituitur & stagnando acrimoniam à sale dissoluto, flavedinemque perinde contrahit, atque stagnantes & corrupti succi alii.

Emplastrum nigrum Helmontii componitur è ceræ citrinæ, olei olivarum āā. ℥iij. resinæ ℥iß. cerussæ ℥ij. cera, oleum, & resina dissolvuntur & igne coquuntur. Tunc cerussa sensim additur, totumque ad aliqualem nigredinem percoquitur.

Hoc Emplastrum præterea nuchæ impositum oculorum affectibus medetur, item lienis tumori atque dolori, nephritidi, lumbagini, mammarum tumoribus dolentibus, torminibus ventris post partum, podagræ, clavisque pedum.

## OBSERVATIO CXV.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Malum hystericum & papillarum fissuræ feliciter curatæ.

UXor Hospitis nostratis R. ad insigne corvi, sex dierum puerpera die XX. Martii Anni MDCLXXXII. ad dolorem & ardorem à fissuris papillarum ortum mitigandum aquæ borraginis calicem plenum exhausit, & in loco frigido alvum exoneravit. Ingruente nocte dolorem in pectoris medio circa cordis regionem atrocissimum, ac tantùm

non

non intolerabilem cum vomitu, suffocationis metu, rigore spinæ dorsi, & sudoribus frigidis pertulit, primùm in ventre motum instar globi vagantis se percepisse asseruit. Quamobrem periculosum esse malum ratus cum balsamo embryonum oleum succini & spirit. armon. exhibui: Zibethum vulvæ adfricari, castoreum & suffitionem ex equorum verrucis naribus adhiberi, sacculos quoque matrici, & pectori amicos, vinoque conspersos calidè apponi, dorsum oleo laterum & succini fortiter perungi, denique corpus injectis clysteribus discutientibus calefieri curavi: dolor tandem disparuit, & sanguis motum pristinum recuperavit. Refeci vires cordialibus, & papillarum malo diligenter prospexi.

*SCHOLIUM.*

PUerpera languens, si valetudini suæ benè consultum velit, probè perpendere debet, quænam assumat alimenta, & quæ subministrentur medicamina. Aniles enim fœmellæ misericordiâ intempestivâ ductæ & commotæ, nec non imperitæ Obstetrices audiendæ non sunt; quippe quæ noxia pro salutaribus, & pro antidotis venena sæpè propinant.

Experta est ægra nostra, dum infantem suum mammis applicaret, immanem dolorem & ardorem. Persuaderi sibi passa est, ejus rei causam esse incendium hepatis & sanguinis. Quare ad haustus aquæ borraginis frigidos & copiosos per aliquot dies continuatos recurrit: & sui negligens alvi necessitatibus in loco frigido satisfecit, ignara malorum à contracto frigore imminentium. Ex his itaque causis ortus est dolor intolerabilis & præcordiorum anxietas, nam sanguis in corde coagulari incipiebat. Hinc excusso sero sudores frigidi coorti sunt, & in pulmonibus suffocationis metus. Frigus in dorso adfuit, quia vena cava & arteria magna spinæ ductum sequitur, & sanguis aliquantum coactus spiritum vitalem calentem amisit.

Vomitus aderat ob inflammationem & spasmum, à frigore contractum, irritatis fibris & membranis nerveis. Globus

bus in ventre volutatus erat uterus convulsus, & inflatus. Aër frigidus hinc per tubas adscendens sanguinem intrà vasa & circa cor coërcuit, ut liberè promoveri nequiret, & dira symptomata, anxietatesque pareret, quales pluries excitavi in canibus viventibus spiritu vitrioli in venam infuso.

Aqua ergo Borraginis ægram nostram nimis refrigeravit immoderatè hausta, licet aliàs cardiaca sit.

Periculum erat in mora, quia virium post partum imbecillitas, & doloris vehementia urgebant. Itaque præsentem opem attuli, succino, balsamo embryonum, & spiritu salis armoniaci.

Succinum bituminis, seu pinguedinis terræ genus est, quod vel in mare effluit, & ab ejus salsedine elaboratur, vel ab igne subterraneo in terræ visceribus coagulatur.

Estque triplex: flavum, nigrum, & album: calefacit, exsiccat, roborat, adstringit leniter, capiti & utero dicatum est, utiliter adhibetur in catarrhis, apoplexia, epilepsia, lethargo, vertigine, inflatione & suffocatione matricis, profluvio sanguinis ac seminis, in fluore albo mulierum: globuli è succino in monilibus & armillis defluxiones ad oculos impediunt.

Zibethum in strangulatu uteri subtus admissum, præstantissimum est. Etenim hunc odorem sequitur matrix, cui jucundissima sunt odorata, ut est ambra, moschus, unguis odoratus, caryophyllus, Cinnamomum, macis, iris, trochisci Galiæ & Aliptæ moschatæ. &c. fœtida vulvæ ingrata & aliena sunt. Fragrantium suavitate & desiderio uterus incitatur, recreaturque ut quasi gestiens iis occurrat, propensione, ut ita loquar, naturali, citra ullam utilium cognitionem. Unde verò hæc inclinatio sit, quærentibus respondemus, à spiritibus, sive à fermento uteri, quod fœtidis labefactatur, odoratis reficitur; spiritus enim animales odoribus gratis nutriuntur, & fœtoribus fugantur. Porrò spiritus animales à fœtidis cum horrore depulsi & commoti spiritus vitales in corde reparant, sanguinemque dissolvunt, Uteri fermentum spirituosissimum miram

vim

vim possidet inficiendi, cùm enim meretricis uterum post partum in Pharmacopolio meo per horam duntaxat asservâssem, aceta omnia & spiritus fragrantissimi, & aquæ aromaticæ magno cum damno immutatæ & corruptæ fuerunt, id quod eatenus evenisse credo, quatenus particulæ sulphureæ rerum odoratarum à fermento illo uteri, tanquam à magnete attractæ, & abreptæ fuerunt.

Ægra castoreum utiliter odorata est, potenter enim discutit: Est autem castoreum castoris animalis circa pubem in quatuor receptaculis collectus succus (vide *Clav. Med. p. 473.*) fœtidus, qui calefacit, siccat, attenuat, aperit, flatus discutit, nervosas partes & caput roborat: spiritus animales excitat, venenis resistit, sternutationem ciet, anodynum est, Menses promovet: proficuum est in lethargo, apoplexia, epilepsia, paralysi, vertigine, artuum tremore, defluxionibus ad articulos, strangulatu uteri, dolore colico, tinnitum aurium corrigit, & dentium dolori medetur.

Suffimentum ex equorum verrucis ad sedandam matricem specificum habetur, ob intolerabilem fœtorem. Verrucæ hæ sunt lichenes in equorum genibus orti, vel prope ungulas indurati calli, qui aliàs triti, & cum aceto poti comitiali morbo mederi traduntur, item ferarum morsibus, sodæ, calculis.

Sacculi ad matricem mihi parantur è radice mutellinæ, primulæ veris, imperatoriæ, fol. melissæ, marrubii, salviæ, serpilli, calaminthæ: Floribus chamæmeli, lavendulæ, hyperici, cheiri: sem. anisi, carvi, cumini & castoreo.

Sacculi verò pectorales recipiunt Rad. scabiosæ, garyophyllat. herb. melissæ, carduibenedict. salv. hed. terrestr. veron. serpilli, cort. citri, crocum, cinnamomum, anisum & fœniculum.

Oleo lateritio & succineo vis inest, spiritus animales in spinali medulla, & nervis ad cor devenientibus calefaciendi, ut liberum motum recuperent, & sanguis in vena cava & aorta dissolvatur, flatusque discutiantur.

Clysteres parabantur è foliis mercurialis, parietariæ, artemisiæ, pulegii, rutæ, calaminthæ, semine carvi, cumini, baccis lauri, hiera, & benedicto laxativo, oleo rutaceo & camphorâ.

Quibus administratis oscitationes supervenêre, ventris flatus discussi sunt, & relaxatæ cordis angustiæ: at debilis tamen adhuc mansit ægra. Igitur consultum fuit illam roborare cardiacis aquis temperatis, sitis enim calidiora prohibuit medicamenta: paratæ autem fuerunt illæ ex aq. fl. tiliæ, jaceæ, cinamomi, meliss. julep. violato, margaritis, coralliis, & oculis cancr. cum tantillo confect Alkerm.

Demùm papillis prospectum fuit axungia canis, & pileolo plumbeo in apice foraminibus pluribus pervio: Mammas oleo rosato nostro bis de die tepidè perungi jussi: ad fissuras papillarum dolentes, quæ vel à suctu fortiore infantum, vel intemperie lactis vel lactentium aphthis cooriuntur, oleum hyperici adhibemus, papillâ priùs salivâ madefactâ, item ol. rosatum, in quo radices pimpinellæ minoris infusæ fuerunt. Aliquibus ol. ceræ prodest, item saccharum aspersum. Ol. amygd. dulc. Ung. nutritum, Ung. Diapompholygos, pomatum, sed hæc pro ratione causarum seligentur.

## OBSERVATIO CXVI.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

## Abortus absque pariendi doloribus cum retentione secundinarum.

UXor Hospitis L. habitantis in domo alba, trigesimum ætatis annum agens, septimo graviditatis suæ Mense domesticis curis multis molestata fortuitò in cubiculo lateribus strato frigori se exponens ex improviso fœtum vivum sola sine magno conatu enixa est, qui in pavimentum frigidum expositus brevi pòst refrigerato corpusculo obiit. Matri placenta in utero remansit. Mox autem ingruente hæmor-

hæmorrhagiâ maximâ dimidiæ horæ ſpacio languens & refrigerata puerpera ab accurrentibus fœminis protinus lecto & curæ meæ tradita fuit. Extemplò igitur lumbis ejus Epithema è vino rubro calente & aceti tantilio adhibui; aquam cardiacam adſtringentem bibendam dedi, extrema ligavi, burſam paſtoris potui immitti juſſi: denique oſcitationibus & vomitionibus inſurgentibus caſtoreum & Confect. hyacinthorum oppoſui, poſtridie placenta auſpicatò tota excreta fuit, hæmorrhagia uteri remiſit, ægra languida ſitire cæpit, & caput ei indoluit, ut è pane ſecalino & ruta atque camphora frontale pararem: aſſumpſit præterea ſpiritum ſalis armoniaci & aquas cardiacas: ad fallendam ſitim vinum dilutum adjectâ cruſtâ panis conceſſi: tandem ægra ſanitati reſtituta convaluit.

## *SCHOLIUM.*

GRavidis incumbit cavere & temperare ſibi â multo & gravi labore, imprimis tempore hyberno, nam fortiores animi & corporis motiones debilitant membranas, in quibus fœtus recumbit, frigus autem ferè omnia membra inſenſibilia reddit & ſtupida. Indeque factum eſt, ut apud hanc ægram vix ulli partûs dolores oborirentur & infans editus paulò poſt vitam amitteret cum diſcrimine matris.

Similem ferè hiſtoriam prodidimus jam in harum mearum Obſervat. initio, ex qua lucem ad hanc melius intelligendam repetere cuilibet licet.

Quæritur quomodo partus ſeptimeſtris absque doloribus edi poſſit? Reſpondemus diſtinguendum eſſe inter partum naturalem & præternaturalem, inter abortum & fœtum perfectum.

Naturaliter dolores parturientibus adſunt, qui ſenſim augentur usque ad partum abſolutum. Præter naturam autem absque ſenſibili dolore fœtus in lucem emittitur, & quaſi procidit. Fermè autem abortus faciliùs quàm grandior & maturus fœtus exit, nec ita vias dilatando parientem excru-

ciat. Embryo namque intra membranas ovi liquamini natat liberrimè, quin imo conceptus ipse, simul ac humanum ovum in uterum delatum est, hinc inde fluctuat. Itaque fieri potest facilè, ut fœtus primis conceptionis Mensibus præceps elabatur. Placenta autem, quò immaturior fœtus fuerit, hoc firmiùs inhærescit utero & difficiliùs abscedit.

Altera porrò causa indolentiæ fuit, genitalium humiditas ac frigus, nam his de causis sensus perit aut obtunditur. Et humiditas quidem in fibris & membranis tenorem destruit, ut flaccescant, & spiritibus præclusis aut interceptis molestiæ perceptio impediatur. Frigus autem stuporem partibus constringendo inducit & ita dolorem tollit, juxta *Aphorism. Hippocr. lib. V. 25*. Itaque stupidæ membranæ continui solutionem non perceperunt, quia sentiendi vis frigore periit.

Sensus enim tum demum peragitur, quando nervi ab objecto quodam vehementiùs agitati confestim cerebri partem quandam, à qua nervi illi oriuntur, concutiunt, non secus ac in funibus vel chordis extensis, unâ extremitate concussâ, altera quoque movetur.

Epithema è vino rubro calente & aceto requirebatur, siquidem periculum adfuerat mortis, ab effuso sanguine, quem sisti in tempore consultum erat.

Vinum rubrum foris usurpatum valdè adstringit, sanguinem incrassat, & ejus impetum refrænat ac sulphure suo narcotico figit: Austeritatis causa in vino rubro est multa terra frigida & crassa è scabris particulis constans.

Acetum commune repercutiens est & discutiens. Aliàs lumbis applicatum efficax est remedium Mensibus immodicè fluentibus; fortiùs autem operatur, si spec. diatr. santal. diarrhod. & pulv. alii adstringentes adjungantur.

Aqua cardiaca prohibuit, ne sanguis repentè coactus cor opprimeret vitamque extingueret. Docet enim experientia, hæmorrhagias non subitò sistendas esse, ne sanguis regurgitans majora mala afferat. Quamobrem & corallia & margaritas,

ritas, & cancrorum oculos pulverisatos addidimus, quibus fermenta acida franguntur.

Oscitationum causa fuerunt vapores & flatus, à frigore spatiis musculorum maxillæ inhærentes.

Vomitus ab inanitione erat, testatur enim experientia eos, quibus nimium sanguinis emittitur, & oscitari & vomere, labefactatis spiritibus & nervis irritatis ventriculum ultimo velut conatu succutientibus.

Castoreum naribus admotum, & hyacinthorum confectio internè assumta profuerunt, illud enim matricis ascensum ac inflationem discussis flatibus impedivit: hæc sudore moto heterogenea à sanguine expulit & ægram refocillavit.

Postridie, cùm placenta totaliter utero ejecta esset, hæmorrhagia uteri cessavit. Adeoque illa ex parte duntaxat separata, hæmorrhagiam excitavit irritatione perpetuâ. Idem confirmat experientia quotidiana cum in mola tum in abortu: Mola si ab utero separari inceperit, hæmorrhagiam maximam sæpè parit, ut in vitæ periculum ægræ labantur: nam mola tunc ob fibras utero ex parte adhuc valdè cohæret; nec priùs desinit hæmorrhagia quàm universum molæ separatum ac exclusum fuerit. In abortu similiter vel minima portio immaturi fructûs hærens, sanguinem è vasis jugiter & copiosè proluit: non tamen negarim placentam diu hærentem & putrescentem persæpè utero sponte excerni, absque magna hæmorrhagia. Hoc tum fit, quando vasorum oscula constricta editis secundinis præcluduntur, aliquando etiam citra vitæ dispendium sanguis ad uterum amplius fluere nequit, viribus jam planè fatiscentibus in puerperio.

Cor enim in corporis humani machina princeps rota est, quæ cùm ad vitæ conservationem maximè necessaria officia præstet, residuum sanguinis sibi reservat, quâ de causâ puerperæ magnam sanguinis jacturam passæ in artubus motum, formicarum motui similem, convulsiones, horrores & rigores experiuntur, quibus nonnunquam finem imponit mors ultima linea rerum.

Sitis

Sitis humoris nativi defectui omnibus partibus ſiccitatem inferenti, itemque aſſumptis medicamentis imputanda eſt.

Capitis dolor læſæ matrici & ſpirituum irritationi, quippe quæ magnum cum capite conſenſum habent.

Frontale æſtum mitigavit, nervos roboravit, & ſpiritibus blandiorem motum conciliavit. Ruta enim & cephalalgiam ex crapula & hemicraniam ab utero mirabiliter ſanat.

Camphora autem præter alios uſus ſuffocationi uteri magnoperè convenit.

## OBSERVATIO CXVII.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

# Funiculus umbilici & manus exerta, fotu reducta, infanti Gangræna à balneo vini inducta.

ELiſabetha S. è Palatinatu oriunda & 35. annos nata nuper paulò ante conſtitutam partûs horam utrâque manu ſurſum extenſâ, aliquid arripere volens, crepitum in ventre perſenſit: dictum factum, funiculus umbilici ex utero procidit, atque ſanguis effluxit ſine dolore. Umbilicum dependulum fovendo calefecerunt: at matris abdomini & cordi præterea impoſuerunt epithema è placentis aromaticis cum vino rubro: obſtetrix imprudenter manum utero admovit, & brachium dextrum eduxit, excoriatum usque ad digitos inde ab axilla: ſed cum nulli pariendi conatus adeſſent, ægra eniti haut potuit. Quare vocatæ ſunt ſupremi locum tenentis *de la Porte* & ſpectabilis Mercatoris *Henrici Römeri* cognati mei ſuſpiciendi uxores ſagaces & miſericordes. Hæ conſuluerant externè quidem vaporem utero ſuſcipiendum eſſe è rapiſtro, artemiſia, hyperico, calamentha, meliſſa, chamomilla, mentha & ſemine lini aquæ incoctis, & laſano immiſſis: Internè

Internè autem hauriendum esse Embryonum balsamum. Quibus administratis noctu sequente infans brachium & umbilicum retraxit intra uterum. Quatriduò pòst doloribus ingravescentibus infans benè situatus, feliciter in lucem prodiit. Accurrentes mulierculæ postquam matrem tractassent, pusionem excoriatum balneo è vino fortiori immiserunt: unde inflammatio & pustulæ ac convulsiones obortæ, ut triduò pòst accedente gangrænâ occubuerit.

*SCHOLIUM.*

GRavidæ ultimis gestationis mensibus manus & brachia in altum extollentes seque pansis artubus exercentes & sibi & partui vim inferunt. Etenim distentis abdominis musculis abdomen & uterus valdè comprimitur & coarctatur, ut membranæ fœtum ambientes inde rumpi queant, & aquis effluentibus abortus existat.

In ægra nostra crepitus, aliquid ruptum fuisse, sonitu significavit; tale quid etiam in herniis, rupto peritonæo, accidere observatur, unde nonnullis crepaturæ audiunt. Funiculus umbilicalis ex utero prominere haut potuisset, nisi ruptæ fuissent membranæ chorion & amnios. Egredi autem umbilicus potest, quemcunque situm servet infans; maximè tamen, si ventrem uteri orificio admovet.

Fotu calefactus fuit umbilicus, & intra uterum retrusus rectissimè: nam necessitas id maximè urgebat, quia umbilico semel refrigerato infantis mors imminet, nisi is statim ligatus discindatur, & quod haud rarò magno cum honore præstiti, infans ex utero arte eximatur. Frigore namque concrescit sanguis in vasis, & nisi liberè fluere queat, vitam protinus extinguit. Operationem imperitè temereque attentabat obstetrix, quæ brachium dextrum violenter arreptum unguibus suis & contactu rudiore excoriavit ac eduxit, nescia educto brachio caput ossi pubis maternæ impingi exitumque fœtui totaliter præcludi. Rectiùs egisset, si manum dextram oleo inunctam utero sensim immisisset, & quæsitis pedibus apprehensum fœ-

tum reduxiſſet; Umbilico interea ab adſtante miniſtra calefacto: ſic enim & funiculus reductus & fœtus ad exitum commodum præparatus fuiſſet. Cæterùm à Matronis adhibitus vapor auſpicatò vigorem infanti inſpiravit, ut is brachium ſuum ſponte retraheret, & alium ſitum adipiſceretur, donec triduò poſt in lucem editus fuerit.

1. Rapiſtrum, à ſimilitudine cum rapi foliis nomen habens, Eryſimi ſive Irionis ſpecies eſt, ſaporem habet acrem, inſtar Erucæ calefacientem, ſiccantem, hinc mucilaginem tartaream incidit, attenuat, reſolvit, viſcera aperit, diuretica, lithontriptica, & antiſcorbutica eſt: Lac quoque imminuit vapor ejus genitalibus admiſſus, penetrantiſſimus & activus eſt, ut membra fœtûs prominula eum fugiant & retrahantur.

2. De Artemiſia & Meliſſa egi *obſerv. CVI. in Scholio.*

3. Hypericon ſaporem habet adſtringentem, ſiccantem, balſamicum; hinc diureticum & vulnerarium eſt, mundificat & conſolidat vulnera, ſanguinem coagulatum reſolvit, calculos renum atterit, lumbricos (certo tempore) fugat, & fotu uterum roborat.

4. Calamintha, ſeu bona & utilis mentha, excellenti odore ſuo ſerpentes fugare ſolet, ut habet *Ariſtophanes*, imo & uterum; ſaporem habet acutum, amarum, ſudorem & urinas movet, colicæ reſiſtit, & exſiccat: Cæterùm cum mentha viribus convenit.

5. Chamomilla planta eſt mali odorem habens gravem & aromaticum, ſaporem amarum, medicum, nauſeoſum, pinguem, calefacit, ſiccat, digerit; laxat, mollit, mitigat dolorem, menſes & urinas ciet, eapropter magni usûs eſt in colica & pareſi: Hæc Antifebrile Clariſſ. *Barbeiraci* Monſpelienſis Medici certiſſimum conſtituit, ſi centaurio & abſinthio addatur. Extrinſecùs utero dicatur in fomentis & vaporibus, ob gravitatem odoris & caliditatis effectum.

6. Lini ſemen unctuoſum eſt, blandum, dolores leniens & fœtum demulcens, tumores maturans, in tuſſi, pleuritide & phthiſi adhibetur.

De

De cætero obstetricum officium requirit, ut à partu spongiam puram aquâ calidâ imbutam sumant, puerperamque adhuc desidentem leniter abluant, & si quid de matrice propendet, aut vulva tumet, oleis calidis, rosarum, violarum, chamæmeli, verbasci, deungant, & omnia quantum fieri potest integritati pristinæ restituant. Quo facto puerpera in lectum deducenda est, illic supina recumbat, cruribus divaricatis, & reliquo corporis ita composito, ut magis sedenti quàm jacenti similis sit. Hac enim ratione quicquid restat superflui, admotis linteis, commodè diffluit. Quod si fluxus iste citiùs æquo cessârit, ut sæpè fit, spiritibus urinosis aut succini oleo concitabitur: sin vehementior fuerit, ut puerpera debilior reddatur, magna requiritur quies, & cibi ficciores, è gallinis & caponibus assatis, nec non ea, quæ in sartagine torrentur, ac friguntur: abstineat à liquidis: Utatur confectione hyacinthorum, vel tragemate roborante è santalis, rosis, coralliis, bistorta, tormentilla & similibus.

Infantes nuper nati, postquam umbilicus ligatus & abscissus est, in balneum immittuntur, ut crusta mollis & caseosa corpusculi superficiem obducens abscedat, & infans in partu nonnihil refrigeratus, fotu isto calefiat, viresque recuperet: paratur balneum è lacte, aqua & vini modico, ut blanda contingat alteratio. Si abrasa fuerit cuticula aut excoriata membra, oleo rosato succurrendum est, vel Empl. griseo: Nam vinum tunc non conducit, quia calore & acrimoniâ suâ tenellum corpusculum affligit, & dolorem, inflammationem, convulsiones, tandemque gangrænam funestam excitat. Lotus infans butyro perungitur, fasciis involvitur & matri, antequam ubera sugit, in lecto decumbenti admovetur, ut materno calore incalescat. Deinde post horam unam aut alteram sugit colostrum quô purgatur Meconium, & infans à motibus spasticis præservatur. Magisterium Corallorum rubeorum in syrupo rosarum solutivo simplici, vel oleo amygdalorum dulcium infantibus utiliter exhibetur: suspenduntur etiam à collo & brachiis

eorum monilia ac armillæ è coralliis rubris & granis pæoniæ: Calyptra è panno ſcarlatino capiti ejus imponatur, inde enim ſpiritus animales excitabuntur, cerebrum confortabitur & hilaris puellus evadet.

## OBSERVATIO CXVIII.

## D. JOHANNIS de MURALTO.

## Ileos à vermibus in puerpera miſera.

UXor V. G. 38. annos nata herniâ duplici laborans, alterâ umbilici ab infantia, alterâ inguinum à partu difficili, & pede ligneo claudicans, jamque duarum ſeptimanarum puerpera cùm Menſe Julio Anni 1681. alvi excrementa & clyſteres vomitionibus crebris rejeciſſet, nec niſi mucum alvo excreviſſet, ingentia ventris tormina percepit: ad quæ mitiganda inunctionibus quoque uſa eſt & fotu cannabinorum filorum vino incoctorum ac inguini impoſitorum: decoctum agrimoniæ cum ſacch. roſ. tabulato ad demulcendam ſitim & oris ſiccitatem emendandam bibit: edit perparum & cuncta revomuit: Suaſi juſcula hordeacea uſurparet, paſſulasque & poma cocta. Tandem extremis imminentibus adhibitum fuit balneum ex herbis calefacientibus, diſcutientibus & uterinis: cardiaca ſimul etiam in uſum vocata. Demum alvo & ore editi fuerunt lumbrici complures vivi, quibus viſis tabulas ſtomachicas contra vermes in aqua aniſi & graminis cum conſerva roſarum vitriolata diſſolutas exhibui. Inde plures lumbrici teretes excreti ſunt. Mox dolores, ſitis & vomitiones remiſerunt, ut ægra non ſine magna omnium admiratione ſanitati reddita fuerit.

### *SCHOLIUM.*

IN puerperis difficillimum eſt affectiones hyſtericas à malis inteſtinorum dignoſcere: Apollo ſanè magnus mihi fuiſſet, qui ſtatim in principio judicâſſet, ægræ hujus accidentia lumbricis

bricis deberi. Quis non flatus potiùs aut hernias malè curatas accusâsset? Quare cùm difficile sit, morborum causas rimari, necesse est medicos ægris frequenter adesse, & quæ illis accidunt, diligenter notare ac observare, ut statâ & certâ ratione medicinam facere possint. Multa autem fuerunt mala, quæ ægra nostra in vita hac ærumnosa, & calamitatibus perinde stipata atque aculeis Erinaceus, sustinuit. Primò hernia umbilici, ubi peritonæum intestina prolapsa strinxit: vide *observat. CXIII.* Deinde ramex inguinis. Hic similiter peritonæum intestina à partu difficili protrusa strangulavit, & tumores, inflammationes aliaque mala excitavit.

In puerperio ileus, nam vermes ad herniosa loca prorepentes, membranis & fibris intestinorum vim intulerunt, ut inverso motu sursum adigerentur omnia.

Adeò hic etiam ratum manet, quod Amicus & Collega meus *Pythagoras Exerc. I. de gland. intest.* scripsit: Ileum à vehementi spirituum animalium excandescentia oriri.

Cæterùm non inficior ampliùs motum intestinorum naturalem quoque sursum deorsumque fieri.

Ilei autem species quatuor sunt:

Prima generatur à coarctatione intestinorum tenuium in hernia.

Etenim notabile est musculorum abdominis & peritonæi foramina sibi invicem ita imposita esse, ut foramen primi paris musculorum locum infimum teneat, secundi paris foramen altiùs in inguine situm sit, transversi denique musculi perforentur suprà obliquè descendentes, adeoque erectus homo herniis non continuò molestatur, nisi vis magna inferatur, quâ viâ patescit: nam in brutis hujusmodi structuram hactenus non conspexi.

Secunda species Ilei est ab obstructionibus intestinorum.

Tertia ab eorundem inflammatione, quâ fibræ pertinaciter corrugantur.

Quarta denique oritur à convolutione & ingreſſu inteſtini unius in alterum.

Ab Hernia ortum dolorem Iliacum curamus fotu è foliis malvæ, bismalvæ, ſemine lini. Deinde oleo liliorum alborum partem inungimus, & ſi fieri poteſt, inteſtina ſenſim ad ſitum naturalem redigimus: Poſt faſciâ ex panno fortiore locum arctè ſtringimus, & ægrotantem balneo immittimus ex anſerina, lupulo, convolvulo, plantagine, radice virgæ paſtoris, aqua parato, idque per hebdomadam quotidiè horis aliquot. In exitu ex balneo auferenda eſt faſcia, & emplaſtrum aſtringens applicandum cum alia nova faſcia: Demum in lecto ægrotans collocetur, ita ut pectus ſit pedibus declivius: die octavâ emplaſtrum aliud admovendum ex pulvere muſci ſaxatilis rubei, glandibus quernis, conſolida majore, cumino & gummibus aſtringentibus vino rubro & melli incoctis. Idque triduo quovis repetendum eſt, faſciâ munimenti loco deſuper adhibitâ. Intus autem quotidie manè & veſperi hauriendus potionis cyathus: ℞. rad. conſolid. maj. & min. ruſci, burs. paſtoris: fol. hepat. nob. ling. cerv. capill. ♀. ana m. j. Croci ʒj. trita & conciſa infunde in ℥xx. vini optimi rubri & dimidio cyatho mellis, digere per diem, & colaturam uſui ſerva: mox ab hac potione dandæ tres pilulæ è pilis leporinis cum melle paratæ. Tandem per decem hebdomadas manè & veſperi utendum eſt pulvere hoc efficaciſſimo, quo plurimos reſtitutos cognovi: ℞. rad. aronis Martio collectæ ℥iv. pyrolæ ℥iß. aeizoi ſ. ſempervivi ſylveſtris radices n. viij. herb. filipendulæ m. j. rad. ſuccisæ ℥ij. ſem. perfoliatæ ʒiß. virg. aur. ſaniculæ, helenii, nummular. veronic. rad. hirundinar. ana m. j. M. F. Pulvis.

Alvus ſi quâ fortè conſtiparetur, ſolvendus eſt clyſteribus aut ſuppoſitoriis: Quòd ſi verò Ileus ab obſtructione inteſtinorum accidit, curandus eſt iis medicamentis, quæ proſunt Colicæ pituitoſæ, nempe clyſteribus & purgantibus.

Hæc ex decocto fœniculi & chærefolii commodè parabuntur,

buntur, in quo Drachmæ iij. & pulveris hermodactylorum ℨj. infusa fuerit.

Clysteres parari possunt ex decocto fol. rutæ, absinth. fœnic. addito chamomillæ vel juglandium oleo copiosè.

Porrò ab inflammatione intestinorum ortus Ileus curatur, ut colica biliosa, venæsectione, clysteribus demulcentibus, balneo aquæ dulcis tepido, potu seri lactis cum sacchаro rosato. Si autem inflammatio à vermibus originem duxerit, ægrum post administratam venæsectionem leniter purgari convenit decocto portulacæ, & fol. cichorii, cui infusum sit rhabarb. ℥ß. cum tantillo cortic. citri & syrup. fl. persic. ℨj.

Paulò post injiciatur clyster ex decocto hordei, furfurum, glycyrrhizæ, cum sacch. rub. ℨj.

Postremò Ileus ab intestinorum ingressu & convolutione solvitur globulo reguli antimon. deglutito, vel Mercur. crudo poto, clysteribus item & balneis.

Apud ægram nostram & clysteres & inunctiones & fotus tam ratione herniæ, quàm puerperii & flatuum respectu adhibita omnia parùm admodum profecerunt, usque dum balneum ex chamomilla, malva, violaria, jacea, mercuriali, radicibus fœniculi, tanaceto & artemisia paratum lumbricos alvo & ore exturbaret, ad quos dein reliquum curæ direxi.

Tres autem lumbricorum differentiæ sunt ex occulto semine in intestinis genitorum.

Primo enim sunt teretes, longi, terræ vermibus figurâ similes, qui in tenuioribus intestinis ferè procreantur. Hi autem sæpè inediâ compulsi aut alimentorum blanditie allecti in ventriculum ascendunt, atque illinc nonnunquam in os & nares per gulam.

Deinde reperiuntur alii breviores, sed lati & seminibus cucurbitæ similes, quorum origo frequens est in cœco intestino & colo. Isti interdum serie quadam invicem connexi in longitudinem incredibilem excrescunt, & vel integri vel in fragmenta dissoluti redduntur.

Tænia

Tænia autem dicitur ejusmodi lumbricus latus, quòd faſciæ ſpeciem habeat inteſtinorum gyros & anfractus ſtipantis. Hi vermes morſu & ſuctu ægris ſenſim atrophiam & bulimum inferunt, cujus rei hiſtorias plures referre poſſem, ſi neceſſitas poſceret. Præ cæteris autem laniorum familias magis infeſtant. Nos eos ſyrupi emetici unciâ propinatâ feliciter expellimus.

Denique ſunt Aſcarides vermiculi exigui, tenues & caſei putris vermibus ſimillimi, qui imprimis in inteſtino recto atque ano magnâ ægrotantium moleſtiâ hærent. Dantur præterea & lumbrici aliarum formarum, videlicet hirſuti, virentes & lacertis ſimiles. Vide ſupra *obſer. CIV.*

Conſule præterea & *Exercitationem familiarem Pythagoræ ad Pæonem.* Miros ego vermes etiam pluries obſervavi in piſcibus tæniarum modo convolutas, quos cave comedas, quia lactibus decipiuntur ancillæ.

Ad hæc in muſtelarum fluviatilium oculis ſingulares vermes notavimus, quorum anatomen æquè ac piſcis iſtius deſcriptionem alibi tradimus.

De cætero muſtelis iſtis umbilico alligatis lumbrici humani mirè delectantur, & tanquam eſcâ capiuntur.

Tabulas ſtomachicas contra vermes ita paramus: ℞. corallin. mar. ℥j. Diaph. Mart. ℥ij. ſem. portulac. ℥iij. ſancti ʒiiß. Dictamn. C. C. uſti āā. ℥j. Rhabarb. ʒiij. Caryophyll. ℥j. Croci ℈ß. M. cum ſacch. ℔. j. in aq. Gramin. q. ſ. ſolut & fiant Tabellæ Doſ. ʒj.

Medicamenta autem hæc ſalſa, amara, & acida, penetrantibus, acutis aſperisque particulis ſuis, ceu totidem hamis & aculeis captos vermes trucidant, & alvo irritato expurgant. Iisdem quoque medicamentis ſanguinem attenuari, flatus diſcuti, pituitoſa incidi, & vermium ovula deſtrui credimus.

OBSER-

## OBSERVATIO CXIX.
## D. JOHANNIS de MURALTO.
# Abortus à balneo Vulturino.

B. E. XXVIII. annos nata, postquam autumno Anni MDCLXXX. balneo Voltureno perinde ac aliæ fœminæ infeliciter usa fuisset, domum repetens, concepit: post tres Menses conquesta est, se fluxum sanguineum pati cum vertigine ac dorsi lassitudine: Internè quidem roborantia medicamenta assumpsit, foris autem lumbos sibi inungi curavit. Tandem die 29. Maji MDCLXXXI. abortivit. Abortus repræsentabat ovum instar nucis aut juglandis. Hoc forinsecus alicubi fibris & glandulis pertextum ac asperum, & intrinsecus lymphâ turgidulum erat, ubi loco capitis apparuit bulla exigua & anteriùs puncta duo nigra. Membrum virile cum testibus conspicuum fuit, itemque pedes & manus exiguæ: corculum pulsabat & venâ umbilici per hepar traductâ suffultum esse videbatur. Post editum ovum hæmorrhagia ingruens magnam virium jacturam attulit, quam tandem victûs regimine exacto, aquâ cor roborante, in primis autem quiete reparavimus.

### *SCHOLIUM.*

Fontes perennes & thermæ æquè ac flumina oriuntur è mari, cujus aqua ad terræ cavernas penetrat, in quibus copiosè collecta fontes abyssi constituit.

Aqua autem marina è terræ cavernis per sabulum & poros angustos transiens salsedine depositâ dulcescit, & postmodum diversa loca minerasque alluens saporem acquirit vel acidum, vel salsum, vel sulphureum, vel bituminosum, vel nitrosum, vel vitriolicum, vel acerbum, vel amarum, vel alium. Unde varii fontes medicinales existunt, qui diversos in corpore humano effectus edunt.

Aqua sulphurata si in terræ cryptis ignem subterraneum vel calcis mineram attingit, promtè incalescit thermasque constituit. Idem fit, si aqua nitro vel chalcantho prægnans per ferri mineram defluit. Nam ope caloris subterranei effervescentia excitatur.

Sed thermæ hinc orientur alterius naturæ.

Illius rei exemplum in Helvetia nostra præbent thermæ Badenses.

Hujus verò Favarienses: præter quas etiam celebres sunt Leucenses in Vallesia.

Balnea verò in territorio Tigurino præcipuè celebrantur Urdorfense, Riedanum & Vulturinum.

De thermis Badensibus *observ. CV.* egi.

Balneum Vulturinum, quô ægra nostra usa fuit, in valle Turbatâ situm est, & aluminosi quid continet, sed fœminis minùs conducit, quia uterum refrigerat, efficitque, ut mulieres à conceptione abortiantur, aliàs intendendo fermentum roborat ventriculum, & appetitum excitat, acrimoniam biliosam contemperat, phthisi pluries medetur, & imprimis in externis affectibus utile reperitur.

## OBSERVATIO CXX.

## D. PHILIPPI MARCI MARCI,

*De*

# Lumbricis.

POst fata hominem in vermes abire, & à vermibus quoque consumi, communiter creditur: ex cerebro namque bufonem gigni ferunt, ex renibus serpentes, ex ventre lumbricos, ex carne vermes, & ex pelle tineas. Hinc Lilius Vicentinus, orator quondam disertissimus, in Oratione de Fugac. & miser. vit. hum. hæreditatem hominis post mortem serpentes & vermes esse ait. At verò veritati & experien-

tiæ hoc non conſentire videtur: Siquidem, hâc teſte, cadavera humana etiam ultra decem & plures annos adhuc integra, vel apparenter talia, in ſepulchris obſervantur.

Quod autem vivi adhuc homines in vermes abeant, & varia in ſemetipſis vermiculorum genera progignant, variosque, miſerabilesque cruciatus, tormina atque dolores ab inteſtinis hiſce hoſtibus experiantur, quotidiana proh dolor! experientia teſtatur, adeò ut verum dixerit, qui ſcripſit: ἄνθρωπον εἶναι ψυχάριον βαστάζον νεκρόν. Quantos, quam multos, quamque longos natura nonnunquam lumbricos in corpore humano progenerare ſoleat, non eſt, ut tibi, Vir, lectione & experientiâ celeberrime, prolixioribus exemplis oſtendam, utpote rem quidem miram, ſed non novam: unum vel alterum mihi obſervatum hic adduxiſſe ſufficiat.

Memorabile & obſervatu digniſſimum exemplum præterito Menſe Novembri hic loci obſervatum eſt, nimirum Mulier per duos fermè annos miris & capitis & brachiorum, imò totius corporis convulſionibus, ſeu potius geſticulationibus in ſtuporem & ſcandalum ferè omnium ſpectantium tentata: alii enim veneficis artibus illam adeò miſerè tractari judicabant: alii illam ipſam veneficam eſſe, artemque non rectè didiciſſe, ideoque à veneficarum Patrono, Diabolo, ita affligi peſſimè exclamabant: (nam ſæpè numero inverſis atque erectis pedibus nolens volens in capite ſtare viſa fuit) Ego verò ſolus, cognitis morbi circumſtantiis, ſignisque pathognomonicis Medicè ponderatis, affectum vermicularem ſuſpicabar, & curam etiam ſpondebam, ſed hanc propter opinionem incantationis ſemel atque iterum impreſſam, ut fit, fruſtra & incaſſum. Cum autem proximè è vivis excederet miſera mulier, tres ipſi lumbrici per guttur egrediebantur. Confirmatus itaque ego primâ opinione meâ, cadaver, conniventibus agnatis, & miniſtrantibus tribus hîc loci Chirurgo & balneatoribus, ſectione aperiebam, & ecce totum abdomen fæcibus & undiquaque lumbricis ſcatebat: dum verò ulterius viam &

egressionem horum vermium inquireremus, foramen in intestino jejuno, ultra unius lumbrici egressum vix amplius apparebat, ex quo tota & fæcum & lumbricorum (quorum numerus 41. erat) colluvies, præter quatuor in intestinis hinc inde restitantes, in abdominis cavitatem proruperat: Præterea intestina undique velut pedibus conculcata, putrilaginosa & gangrænosa videbantur: Omentum itidem totum putridum, & ut videbatur, à vermibus propter denegatum in intestina regressum, nutrimentique defectum, penitus consumptum: quanquam dubius adhuc hæream, num foramen hoc diutius fuerit, muliere adhuc vivente, an verò eadem illa fissura propter impetuosam fæcum in cavum abdominis eruptionem subitæ mortis causa fuerit, insigniter enim venter post mortem intumuit? En miserabilem ab hisce lumbricis tragœdiam, curiositati tuæ non celandam, injuriâ Diabolo imputatam!

Si rectè memini, similem aliquando de puella historiam ante septennium fortè fortuna communicavi, quæ itidem miris corporis atque membrorum concussionibus spasmoticis ultra 3. Menses indesinenter agitabatur, in incantationis suspicionem usque. Hæc post frustraneum tot medicamentorum usum repetitô vomitoriô tartari emetic. ad gr.ij. pro dosi (nam 11. annorum erat) binis vicibus ultra manipulum granorum triticeorum, & ut videbatur germinascentium, cum multa stercorum albicantium saburra ἄνω καὶ κάτω rejecit, & sic solô hôc medicamentô ab istiusmodi convulsionibus, Deo sit laus, penitus liberata evasit, pedibus tamen ultra quadrantem anni ad gressum invalidis. Post annum verò cum iisdem symptomatibus vexari inciperet, adhibitô iterum jam dictô vomitoriô, longissimam tæniam, cujus frustum duarum ulnarum in carta extensum adhuc mecum servo, excrevit, cessante sic iterum affectu, & superstite adhuc integræ sanitatis virgine, sponso suo haud ingratâ. Dubitare hoc me postea fecit, annon eadem tænia primi hujus mali causa fuerit, & tamdiu in

ventre

ventre delituerit, an verò tunc temporis similis tæniarum progenies cum reliquis excrementis, adstantibus id non observantibus, simul rejecta fuerit, & posthac de novo progenerata?

Tertiam, non tam propter raritatem historiæ, quam continuationem materiæ, observationem addere lubet. Nimirum retulit mihi pronuper civis hujus loci frequenter syncopticus, se aliquando in rus abiisse, segetes suas visurum, ante recursum autem frequentioribus sedibus necessitatum, numero 36. lumbricos excrevisse. Idem ille civis, instante hâc lunâ, eôdem malô cum nausea vomendique cupidine, tandem ingenti lipothymia, & copiosô sudore frigido &c. desubitò affectus, suasu meô sem. Santon. cum pulv. jalap. ãã. ℥ß. in melle sumebat, & 8. grandes lumbricos κάτω secernebat, non sine maximo sanitatis impendio. In memoriam jam mihi venit τὸ θεῖον illud Hippocratis: Profectò sæpenumerò in morbis intricatissimis τὸ θεῖον hario[illegible]: at si rem apertioribus oculis pensitamus, vermes sæpè [illegible] atque lumbrici. Adeo peritissimos etiam deludere novit fœdum hoc atque ignobile animalium genus. Ego saltim miror, unde tanti, tamque mirabiles, imo sæpè stupendi effectus, membrorum corporis & omnium artuum concussiones, conquassationes, convulsiones, aliaque symptomata oriantur? genuinam causam lubens ignoro; in musculis eam quærendam esse, certum est; sed quid habent commune intestina cum musculis, propriô atque peculiari motu dotata? Tuam, Vir eruditissime, informationem implorarem, nisi gravioribus negotiis Te occupatum scirem. Pro Tua in me benevolentia facies, ut vel saltim pristinam Te mei memoriam, amoremque tenere cognoscam.

[*Ex literis ad Exc. Dn. G. Wolffg. Wedelium datis.*]

## OBSERVATIO CXXI.

## D. JOH. GEORGII SARTORII.

# Phthiſis inveterata & deplorata curata.

CIvis Bambergenſis opificiô Sartor N. N. ætatis 40. circiter annorum, deterrimâ & longè inveteratâ detinebatur Phthiſi, ſanguinem copiosè pluries evomens, cui puris rejectio, tuſſis moleſtiſſima, lenta & habitualis ſucceſſit febris; Adhæc marcor inſignis & cutis aſperitas, ariditas, facies Hippocratica; omnium tandem peſſimum, alvi laxitas, pilorumque capitis defluvium. Ab omnibus derelictus & humanis privatus mediis Deo tandem Creatori ſuam commiſit & jam jam exſpirantem commendavit animam. Paulò poſt perſuadentibus nonnullis accerſitus ego vivum Sceleton & cute tantummodò hærentem & oſſibus reperi: deſperabam ipſe cum R. R. P. P. Societatis de ejus ſalute eventurâ. Quemadmodum autem ſæpiùs in Medicinâ contingunt aliqua miracula, & ſæpenumerò ſanitati reſtituuntur ii, qui à Medicis morte opprimi exiſtimabantur: ideò ne absque remediis ulterius derelinquerem, ſpe animatâ quædam præcepi, adjunctâ tamen hâc expreſsâ prognoſi, quod ſi præter eventum mors contingat, ne mihi, neque ſaluberrimis medicamentis, quæ aliis ſæpiùs fuêre ſaluti, mortis cauſa adſcribatur. Juſſi igitur, eundem ut nutriant & reficiant ſolô lacte caprillô, admixtâ bonâ ſacch. cand. quantitate, inſuperque ſingulô quôvis die manè & veſperi ʒij. pul. de fungô ſalicis ruffæ cum ſacch. candi tantundem ſumendas præbui: Pultes dedi ex lacte, vitellis ovorum, butyrô inſulsô, ſaccharô, farinâ hordei, oryzæ &c. Pectus & ſpina inungebantur linimentô reſumptivô cum ol. roſar. & violarum. Quibus debitè adhibitis recteque adminiſtratis, omnibus deinceps iis ad hunc morbum fovendum plurimùm juvantibus ſeriò interdictis, intra Menſem ita reſtitutus, ut perfectè & optimè absque ullô hujus affectûs

grava-

gravamine ac molestiâ, à curâ sanus & vegetus, vividioreque etiam, quàm antea, corporis constitutione convaluerit. Eâdem cruentâ correptus Phthisi *Andreas Bock* Celsissimi S. R. I. Principis Episcopi Bambergensium Superioris Aulæ hortulanus præfatô pulvere restitutus fuit, cui præter præfatum pulverem noctu ante lecti ingressum emulsio ex Amygd. dulc. excorticat. sem. quatuor frigid. major. & papav. simpl. & aq. nymph. quotidiè propinabatur; vivit uterque etiamnum satis benè.

## *SCHOLIUM.*

SAlicis virtus uti præter vim refrigerandi adstrictoriâ etiam gaudere creditur: ita cur phthisico huic, juxta cum aliis remediis, prodesse potuerit, hinc edocemur; dum acidum illud morbosum & corrosivum in sanguine & ejus sero abundans, pulmonesque lædens fungi isti alcali suo mitigare & absorbere, sicque febrilem calorem unà compescere, nec non terrestribus adstringentibus particulis vasorum aliarumque fibrarum laxitatem constingere valuerunt. Id quod non solis fungis istis competere, cortex medius tenellæ salicis comprobat, cujus extractum ut singulare remedium pro pulmonibus exulceratis ex *Joh. Prevotio* proponit noster celeberr. *Georg. Hieron. Welschius Mictom. cent. 2. obs. 60.* ubi quoque fungorum istorum, sive pilularum mentionem facit. Imò reliquis etiam partibus in salice eandem vim esse, non est dubium, quibus omnibus vim adstrictoriam *Dioscorides lib. 1. cap. 11.* adjudicat. Et licet ob eandem prælaudatus *Welschius cent. 1. Mictom. obs. 40.* de virtute ejus, quæ in menstruorum defectu à *G. Entio* laudatur, scrupulum moveat, adstringentia tamen fluxum illum quoque ciere posse, non absonum videtur adserere; idque vel soli granatorum cortices testantur, quos menstruorum fluxui deficienti opitulari, ex Nob. *D. Bartholini cent. 4. hist. anat. 39.* constat; causamque in sal eorum volatile aperiens Exc. *D. Langelottus cent. 3. epist. Barth. 63.* vel, quod idem innuit, copiosum eorum alcali, acidum morbosum, obstructionis illius causam, absorbens,

bens, eruditè rejecit Clariss. *Otto Tackenius Hippocr. chim. cap. 17.*
[*L. Schrök, L. F.*]

## OBSERVATIO CXXII.

## D. JOH. PAULI WURFFBAIN.

## Salivatio in Phthisi critica & salutari.

VIri cujusdam charissima Conjux, XXXIV. annorum, binarum filiolarum, unâ hebdomadâ præmaturâ morte circumventarum, mœstissima Mater, tenuioris aliàs corporis constitutione prædita, luctuosis calamitatibus nimiùm commota, XII. Aprilis An. MDCLXXXI. febricula quadam, prædominante tamen calore, cum dolore capitis insigni, & levi ab initio tussi, obruitur; sectâ ab initio statim ad caloris vehementiam infringendam brachii venâ, adhibitisque remediis internis convenientibus, unà cum calore, febris mitiorem se præbebat, ingravescente è contra capitis dolore ac tussi, quam expectoratio pituitosa viscida insequebatur; cui de die 15. ad 20. ferè, vera purulenta quædam materia, quamvis nondum fœtida, Phthiseos tamen incipientis, haud levis index, cum faucium & linguæ scabritie admixta, conspiciebatur, interim die septimo morbi febre hactenus saltim symptomaticâ, aliquoties iterata alvi dejectione (non obstante *Hipp. Sect. V. Aph. 14.*) criticè solutâ, penitus cessante. Die verò 20. Aprilis, cum aliquali, utriusque genæ, maxillas versus dolore, insignis, spontanea, critica & salutaris, sine ulla Mercurialium medicamentorum exhibitione, aborta est salivatio, quæ, cum ad 27. usque, durasset, & ob nimiam limpidæ & salivosæ materiæ copiam, resolutionis virium metum injecisset, sensim adhibitis moderatè incrassantibus, cohibita fuit, symptomatibus de die in diem remittentibus, sanitate brevi, in integrum subsecuta, quâ etiamnum, (velit Deus diu!) optatò fruitur &c.

SCHO-

## SCHOLIUM.

Ptyalismus symptomaticus, in plurimis morbis contingens, uti nunquam in salutem ægri vergit, qualis ex imperitè sectis ranulis contingit, proposita à *D. Car. Raygero in not. ad cap. 2. Aglossostomograph. Roland.* aut sanguinis quandam discrasiam spirituumque pauperiem denotat, exemplo suppeditante *D. Herm. Grube de Arcan. Medic. non arcan. pag. 194. D. Joh. Hellvvigio obs. med. 64. D. Dan. Sennerto Paralip. ad institut. 31. D. August. Thonero lib. 3. observ. &c.* quò etiam præposterum salivantium usum à *D. Thom. Willisio part. 2. de Anim. brutor. cap. 2. Guil. Fabricio Hildano cent. 4. obs. 82.* & *cent. 5. obs. 13.* aliisque notatum referre possumus: ita qui arte paratur, multorum est morborum domitor; ut de lue venerea nil dicam, in capitis dolore, vertigine, mania, epilepsia, ulceribus, & arthritide salutares ejus vidit effectus *D. Guern. Rolfincius Ord. & meth. med. spec. comm. lib. 6. sect. 3. cap. 1.* Quartanam salivatione curatam recenset *Willis lib. de Ferment. cap. 6.* colicam *part. 2. de anim. brut. cap. 15.* podagram *D. Georg. Wolffg. Wedelius lib. 2. de medicam. facult. sect. 2. cap. 12.* corpulentiam nimiam *D. Ol. Borrichius in Act. med. Hafn. vol. 1. obs. 74.* & plicam Polonicam *Herc. Saxonia cap. 57. de PP.* Nonnunquam verò Natura morborum medicatrix, inque debellandis morbis variarum sæpe viarum admodum insuetarum pro evacuanda causa morbifica inventrix, ductus etiam salivales ex glandulis majoribus minoribusque plurimis in oris cavitatem hiantes, pro sanguineæ massæ depuratione serique abundantis ac depravati evacuatione eligit, atque ita morbos feliciter profligat; talemque criticam morborum solutionem, & quidem febris ardentis *Rolfincius l. c. lib. 3. sect. 2. cap. 41.* vertiginis *Nicol. de Blegny Ann. 1. Zod. Med. Gall. Mens. Octobr. obs. 7.* & *Grube d. l.* exhibuerunt.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXXIII.

## D. JOH. GEORGII SARTORII.

# Angina lethalis curata.

EXcellentiſſimus D. D. N. N. in ipsô die Divi Johannis Præcurſoris Chriſti, cujus natalis erat dies, quem aliàs lautè, opiparè & ſolenniter cum ſuis peregiſſet amicis, in ſatis lugubrem, vix non funeſtam incidebat anginam: in quâ muſculi faucium laryngisque omnes horrendè intumebant, reſpirationis & deglutitionis viæ ita reddebantur anguſtæ, ut exinde ſummam perciperet & reſpirandi & deglutiendi difficultatem, ſine thoracis tamen aut pulmonum vitiô, dolor circa fauces erat & guttur, rubor, calor, & febris, lingua arida, vocis languor, potus liquidaque omnia rejiciebantur per nares. Accerſitus conſiderabam ſeriò ac primùm ſedulò, quæ maximè hôc in affectu locum habet, venæſectionem, num illa celebranda, num omittenda foret? Cùm verò eadem paulò antè, & quidem largiùs adminiſtrata fuiſſet, eam pro viribus & robore repetendam conſideratiùs duxi; Apertio venarum ſublingualium raninarum, cucurbitulæ, veſicatoria, enemata, gargariſmata, topica &c. nec proficiebant quidquam. Ex gargariſmis ſequens unus aut alter repellens concinnabatur hâc aut conſimili formâ.

℞. Flor. roſar. rub. balauſtior. āā. pjß. cortic. granat. ℥ß. folior. quercûs mj. Alumin. uſti ℈j. coque ex aq. ferratâ & colat. ℔iß. adde rob. diamor. ℥ij. M. F. gargariſmus. Alius efficacior.

℞. Folior. Taraxaci miß. hederæ terreſtris, violar. āā. mß. coque ex aq. hordei in colat. ℥xx. diſſolve mellis roſat. colat. ℥iß. addendo ſpirit. vitrioli gutt. xv. miſce pro gargariſmate.

Minùs auxilii quid, vel ſpei convaleſcentiæ dabat diſcutiens in hâc formâ.

℞. Radic. liquirit. cortic. granator. āā. ʒij. flor. balauſtior.

ſtior. pj. jujubar. num. xij. ficuum num. iij. paſſular. minor. ʒiij. coque ex aq. hordei. in colat. ℥xx. diſſolve ſyrup. capill. ven. mellis roſat. colat. āā. ℥j. Miſce, fiat gargariſmus &c. Minusque ſublevabant topica, nec cataplaſmata, nec emplaſtra ulla. Utpotè

℞. Radic. Althææ, lilior. albor. āā. ℥j. nid. hirund. n. j. ficuum, dactylor. āā. num. jv. alb. græci ℥ß. cæparum ʒvj. coque ex aquâ hordei, vel cereviſiâ, & colat. ſ. q. adde farinæ tritici, ſemin. lini āā. ℥j. fœnugræci althææ āā. ℥iiß. vitell. ovor. num. ij. Croc. oriental. ʒij. ol. chamomillæ ℥ij. M. F. Cataplaſma.

℞. Succi cæparum ℥ij. ol. lil. albor. irin. āā. ℥iß. coque parùm addendo nid. hirundin. ʒij. picis, & ceræ āā. q. ſ. M. fiat. ſ. a. emplaſtrum.

Poſtremò omnibus his & ſimilibus nihil proficientibus monitô empiricô edoctus, ut lanam ovillam, nigram verò, in ol. chamomillæ frixam, duplicatis involutam linteis, deſuperque Emplaſtrum de melilotô parti affectæ applicarem, quô applicatô intrà pauculas horas talis ſubſequebatur effectus, ut omnes adſtantes ſummoperè admiraremur, ægerque ſe parùm ſublevari, nonnihilque auxilii perſentire voce languidâ effabatur: Cumque ſingulô quôvis die ternis vicibus hoc reiteraretur topicum, præter omnium noſtrûm ſpem & opinionem intrà paucos dies æger convaluit, & hodiè ſaniſſimus ſuo perſtrenuè fungitur munere & officiô.

## SCHOLIUM.

QUod hîc Emplaſtrum de meliloto in Angina præſtitit, id etiam in Caſu, ſi cauſam morbificam ſpectemus, non adeò diſſimili, Pleuritide nempe, effeciſſe, *Auguſt. Thonerus obſ. lib. 3. de pleur. obſ. 2.* recenſuit; cui oleum chamæmelinum, anginoſis inſigniter prodeſſe à Celeb. *D. Simone Paulli Quadrip. Botan. claſſ. 3.* celebratum, vi ſuâ anodynâ, emolliente & reſolutivâ ſuppetias tulit; lana autem nigra, præterquam olei hujus commodiore pro adplicatione quòd inſervierit, aliquam etiam lenien-

di & discutiendi operam, calorem nempe fovendo, contulerat, ab alterius quoque caloris lana cæteroquin non minùs obtinendam.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXXIV.
## D. BENEDICTI HERMANNI.
## Epilepsia rara.

ANno 1678. Mense Januario Puellam vidi Memmingæ, Davidis Hummelii Sutoris filiam, 9. circiter vel 10. annos natam, quæ per vices, non sine veneficii suspicione, horrendis tentabatur convulsionibus epilepticis, quas instare nunc dolor quidam punctorius in externâ aliqua, eâque variâ, corporis parte, maximè in digiti indicis apice perceptus; nunc sensus quidam reptantis intra corpus animalculi, præmonuit. Paroxysmus aliquoties in die nunc sedentem, nunc decumbentem, quin & stantem non rarò corripuit. Motus convulsivi fuêre varii; post mensam sedens corpus coacta retrò ad parietes allisit, ante se quicquid in mensâ occurrebat, manibus disjiciens: humi prostrata pedibus mirum in modum calcitravit, nec uno in loco hærens, huc illuc corpus provolvit: manibus prehensa, nullo membro flexilis tota rigida surrexit: stans erecta aliquando lecti, quo decumbebat, tectum, ponderosum licet & ei firmiter annexum, capite contra nitens è sede suâ movit. Per tres circiter horæ quartas partes paroxysmus duravit; qui hoc singulare habuit, quòd eo durante ægra sensuum tam internorum quàm externorum usum non exuerit, interrogata quippe, quâ nunc in parte punctionem sentiat, vel animalculum reptare percipiat? locum digito monstravit. Aliâ vice, dum paroxysmum sustinenti adsto, illa per fenestram cubiculi apertam hominem notum eminùs venientem vidit, & nomine suo, raucâ licet voce, appellavit. Biennium tunc erat, ex quo affe-

ctus hic primâ vice in eâ fuit notatus, qui eo quidem tempore, post multa remedia frustrâ adhibita, balsamo cuidam Magico, Stutgardiâ allato, cessit: Præterito verò anno, cum malum recrudesceret, nec balsamo modò laudato ampliùs obediret, V.S. profuit; quæ & hoc anno tertiâ vice redeunti, Mense Januario medelam attulit, non diu licet durantem; paucis enim pòst Mensibus malum repullulavit. Tum quidem Mense Junio Emeticum illi fuit exhibitum, quod aliquot per gulam exturbavit vermiculos alatos seu scarabæos parvos, eo tempore circumvolitantes & floribus, rosarum inprimis, insidentes, & à Mense Junio in vernaculâ nostrâ Brachkäferlein appellatos, quorum ego duos vivos ab ipsâ per vomitum rejectos ipse vidi, & manibus palpavi, brevi post avolantes. Curæ postmodum cujusdam sacrificuli Chymistæ commissa, an ab hoc affectu liberata sit, civitate dictâ valere jussâ, ignoro.

## OBSERVATIO CXXV.
## D. CAROLI OFFREDI.
*De*
# Serpente magno & monstroso.

QUod mensibus circiter abhinc duobus scripsit ad me *D. Daples*, Medicus Lausannas eruditissimus, hac vice communico, scilicet in agro illius urbis, nec quidem procul, à rusticis deprehensum serpentem tantæ molis, ut utrumque crus carnosius & crassius æquârit, & quod monstri loco est, auritum, anguem procul dubio, prout describitur in vita Clariss. *Heurnii*, insidias vitæ ejus struentem Patavii, ubi studij medici causa tunc commorabatur, non procul à decurrente fluvio; quid porrò acciderit in relata historia curiosa, animum destituit.

[*Patavii Augustam Vind. Ann. 1680. 21. Maji ad Luc. Schröckium Luc. Fil.*]

## SCHOLIUM.

REctè aures istius Serpentis monstrosæ adpellantur; siquidem *aures etsi habeant, non eminent tamen; rectè cavernas ad audiendum Plinius vocavit*, ut cum Nob. *D. Joh. Jonstono* ex *Hist. natur. de serpent.* loquar. Fortè ipsa quoque magnitudo fuit monstrosa; quamvis enim naturaliter maximos dari serpentes, India inprimis, tum orientalis, tum occidentalis, satis testentur, istud etiam serpentis aquatici genus, Italiæ inquilinum, quod Boas vocatur, & *Heurnio* vitæ discrimen minatum fuerat, ingentem in magnitudinem excrescere soleat, hîc tamen in agro Lausannensi insolitum quid fuisse, est credibile.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO CXXVI.

## D. CAROLI OFFREDI.

*De*

# Fecibus alvinis & lumbricis ex abscessu abdominis prodeuntibus.

NOn adeo monstrorum ferax est Africa, ac ipsa Natura parens, quæ propterea πολύμορφος à Veteribus meritò est nuncupata, prout amplam fidem faciunt quotidiana experimenta, ac nuper potissimùm in muliere anicula, annis pannisque obsita, septuaginta & plus eo annorum, quæ duobus abhinc annis gravi dolore ventris conflictata, irritis variis remediis, pro tenui conditione, nullo levata est, verùm erumpente paulò supra inguina, umbilicum versus, à parte dextra, tumore quodam, eo sponte patefacto & disrupto, lumbrici aliqui rotundi, ac digito longiores, hac sibi viam fecerunt, fluxu alvi per eandem viam succedente, qui hucusque durat, non eâdem tamen semper copiâ, nec materiæ, nec vermium, non intercepto fæcalis materiæ per destinata illi loca fluore; rari verò nunc prodeunt vermes, nec dolore premitur

tur alicujus rei, ambulat, comedit perbellè, & cætera vitæ munia obit ſatis commodè. Memini in hanc rem *Weslingium* clariſſimum, ad ulcus externum inteſtinorum commendâſſe ſummopere decoctum Eupatorii Avicennæ cannabini, quà uſu interno, quà externo, experimento proprio, cui infuſione per ſiphonem admiſcuit Mel roſatum.

[*Ad eundem Ann. 1680. 27. Junii.*]

SCHOLIUM.

PLura excretorum per umbilicum & alia in abdomine loca cibi retrimentorum, ut & lumbricorum exempla paſſim inveniuntur; & quidem partim eorum, qui reſtituti à tanto malo, partim non ſanati fuerunt: Horum v. g. in *Ephem. Nat. Cur. Ann. I. obſ. 145. Ann. III. obſ. 122.* apud *Barth. Cabrolium obſ. med. 13. Guil. Fabricium Hildanum cent. 1. obſ. 74. Henr. Smetium Miſc. med. lib. 10. pag. 566. Greg. Horſtium part. 2. lib. 4. obſ. med. 19. Phil. Höchſtetterum dec. 10. obſ. med. 3. Joh. Rhodium cent. 2. obſ. 92. &c.* Illorum verò itidem in *Ephem. Cur. Germ. Ann. I. obſ. 146. Ann. III. Obſ. 64. 175. Ann. VI. Obſ. 144. Zodiaco Med. Gall. D. Nicol. de Blegny Ann. 3. Menſ. April. Obſ. 4.* & *Menſ. Octobr. Obſ. 4. & 5. Hildani cent. 1. Obſ. 54. Nic. Tulpii lib. 3. Obſ. Med. cap. 12. Joh. Fabri expoſit. in Nard. Ant. Recchi Hiſt. anim. Mexic. pag. 657. 658. Edmundi de Meara Hiſt. med. Schenckii Obſervat. lib. 3. &c.* Quomodo verò ſcybala ita excerni queant, ut non abdominis in cavitatem potiùs excidant, monſtrat *D. Sennertus lib. 3. Med. pract. part. 2. ſect. 2. cap. 9.* in labiorum tum vulnerati abdominis, tum inteſtinorum mutuam conglutinationem cauſam rejiciens, quale exemplum inprimis illud allegatum *Smetii* ſuppeditat. Utrùm autem noſtro in caſu vermes ipſi viam ſibi fecerint ex inteſtinis ad abdomen, vel materia quædam acris partes illas eroſerit, vel utrumque concurrerit, incertum eſt. Acrimoniam quidem humorum tale quid præſtare poſſe, nemo eſt qui dubitet; à lumbricis autem idem eſſe metuendum, cum *Sennerto l. c. ſect. 1. cap. 5.* arbitror, cùm tantus in abdomine, quem ſæpius excitant, roſionis & doloris ſenſus, ipſam etiam

etiam convulsionem inducens, eandem reddat probabilem; præcipuè dum & alia insecta vermiformia, erucas, tineas, teredines &c. dentes, vel saltem analogum quid habere, abundè ex effectu, quem rodendo edunt, constat. Remedium, quod Eupatorium cannabinum suppeditat, etiam commendatum, & fortè ex eodem fonte desumtum, invenitur in *observ. med. D. Georg. Hieron. Welschii episagm. 46.* quod & diversis ex Botanicis libris nemini ignotum esse potest. Aniculam autem istam diem suum obiisse, diuturno morbo confectam, & ætate gravem, idem *Dn. Offredus* me 23. Octobr. Ann. 1681. certiorem reddidit, cujus in abdomine ulcus quidem coaluerat, opem præsentem conferente dicto remedio, lento tamen ploratu materiæ saniosæ per vices dehiscere visum.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXXVII.
## D. CAROLI OFFREDI.
### *De*
# Processu falcato osseo.

THeatrum anatomicum hoc anno exhibuit nobis novum quid & insolens, processum scil. falcatum osseum omnino, quem penes me habeo; Meretricis nempe cadaver fuit attritæ, & obstinati capitis, ut nil mirum, si ejusdem mollia in osseam duritiem concreverint.

[*Ad eundem Ann. 1681. 3. April.*]

### *SCHOLIUM.*

PRocessum falciformem antrorsum cranio arctè adhærentem, & ad dimidiam sui longitudinem penitus osseum pariter descripsit Nobil. *D. Volckamerus* noster in *Ephem. Cur. Germ. Ann. VI. obs. 71.* in Celsissimo Principe Bambergense, Philippo Valentino b. m. inventum, quem tamen miti ingenio fuisse, & longiori vitâ dignum, constat. [*L. Schröck. L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CXXVIII.
## D. CAROLI OFFREDI.
*De*
# Pleuritide Venæſectione curata.

MUlier Veneta 44. circiter annorum, temperamenti calidi & ſicci, gracilis & fuſca, cùm aliquando ex gravi pleuritide convaluiſſet, aliquot pòſt menſibus paſſa eſt ſputum ſanguinis, magnâ ſatis copiâ ſine tuſſi, ex quo ſanata eſt miſſione ſanguinis repetitâ; & quoties impotenti irâ excandeſcit, vel alio quolibet pathemate afficitur, aut immodico exercitio defatigatur, recurrit idem pleuritidis affectus, quo copioſâ ſanguinis evacuatione levatur, nullo ſuperſtite ſigno affecti pulmonis vel empyematis; cæterùm benè comedit, placidè dormit, & aliis vitæ muneribus probè fungitur. [*Ex iisdem literis.*]

*SCHOLIUM.*

PLethoram inprimis hîc eſſe accuſandam, nemo non videt, quæ Venæſectione omnium optimè tollitur. Ira autem uti ſanguinem in majorem & concitatiorem motum concitat, ita eundem ad lateris adfecti vaſa etiam majori in copia amandat, ubi eadem à morbo prægreſſo adhuc debilia ſive laxiora inveniens, facilè in iis ſtagnare, eadem diſtendere, & pleuritidis ita ſenſum inferre poteſt. Nec inaudita eſt multoties recurrens illa in uno ſubjecto adfectio, qualem nempe ſeptuaginta quinque vicibus virum quendam invaſiſſe; mulieri etiam multoties & tandem letaliter infeſtam fuiſſe, refert *Petr. Borellus cent. 4. hiſt. med. 83.*

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXXIX.
## D. VITI RIEDLIN.
# Scroti Tumor ex Colicâ.

SIcut reliquæ humani corporis partes omnes variis subjectæ sunt morbis, ita nec scrotum ab iisdem intactum relinquitur. Ut taceam jam calculos, pruritum, ulcera, sphacelum, aliaque plura in historiis medicis obvenientia, quibus obnoxium est, mala, vix Tumor esse videtur, qui hanc partem non occupaverit. Inter hos sunt, qui â morbis præcedentibus interdum oriuntur, qualem post dysenteriam obortum Augustinus Thonner. l. 4. obs. Med. 9. curavit, aliumque Colicæ Filium sequens historia describet: Juvenis quidam Aurifaber Hamburgensis doloribus colicis sæpius tortus, eosdem sumtâ Mixturâ quâdam ex Aquis calidioribus constante semper mitiores statim sensit, hac de causa his ipsis doloribus & hic Augustæ correptus, ad idem remedium, quod descriptum secum habebat, recurrit, nec sine exoptato eventu, dolores enim Aquâ vix deglutitâ remittebant, & paulo post omninò cessabant; sed ecce! cum nondum omnino ab hoc dolore respirasset, pondus quoddam minus consuetum in scroto sentire cœpit, locum itaque affectum, quia simul dolebat, inspexit, tumorique, duos ferme pugnos viriles æquanti, & sinistram scroti partem extendenti, originem suam debere, ex metu, ne forsan Hernia subesset, non sine terrore vidit, hinc metum hunc Hero suo detexit, qui harum rerum minus gnarus me in consilium vocavit. Accedens igitur tumorem accuratiùs consideravi, eumque tam magnum, ut modò descripsi, duriusculum, &, dum tangebatur, magis dolentem, minimè tamen inflammatum inveni. Interroganti, an nunquam antea similem tumorem notaverit, an non vis externa quædam illata fuerit? an alvus obstructa sit? negando ad singula respondit; Tussire & screare jussus, nullam molestiam sensit, nec tumor ipse

ipse inde auctus conspiciebatur; quibus omnibus attentius consideratis, in flatus huc delatos, causam inprimis rejiciendam esse, conjecturam feci; Bono animo ergo eundem esse, faustumque exitum sperare jussi, & sequentem pulverem in lacte ad consistentiam cataplasmatis coctum cum duplicato linteo sæpius diligenter applicaret, suasi,

℞. Pulv. Rad. Alth.
Herb. Melilot. ãã, ℥iß.
Fl. Chamom.
Farin. Sem. Lin.
Hord. ãã. ℥j.
Misc. ad chart.
Sign. Pulver in Milch zu sieden.

Hoc cum sedulo observasset, tumor per unicam noctem ultra dimidium imminutus fuit, altero verò mane, tum ut corpus ad reliquam curationem aptius redderetur, tum, ut, si forsan humor quidam simul peccaret, idem subduceretur, lene purgans exhibui, & cataplasmatis applicationem continuaret, in mandatis dedi, quibus Deo benedicente effectum est, ut die â morbi principio quarto, tumoris ne vestigio quidem restante, pristinam sanitatem omninò recuperaverit.

## OBSERVATIO CXXX.
## D. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.
# Anatome Talpæ.

AD morborum curationem, ad quam tanquam ad scopum, prudenti Medico omnia dirigenda sunt, cum alia multa, tum exacta morbi cujusvis notitia apprimè necessaria est. Cùm verò in actione læsa morborum formalis, ut ajunt Philosophi, ratio unicè sit quærenda, facilè omnibus patet, eorum cognitionem neutiquam acquiri posse, nisi & partium singularum usum & actionem rectè quis

peceperit. Et verò hæc eſt ipſa Phyſiologia medica, quæ nec in nuda partium per Anatomen contemplatione, nec in Controverſiarum Philoſophicarum prolixa enarratione, ſed in eo potiſſimum collocata eſſe, videri debet, ut quid ad actionem uniuſcujusq; rectè obeundam vel in ipſa parte requiratur, vel aliunde etiam conferatur, inſtituto non vano ratiocinio, innoteſcat. In hac palæſtra cum alii hujus ſeculi præſtantiſſimi Viri adhuc ſtrenue deſudarunt, tum etiam tu cumprimis, Vir ampliſſime, cujus labores Phyſiologici juvenum manus menteſque exercent. Sed multa tamen adhuc deeſſe nobis, nemo facile, niſi quem ſuæ eruditionis magis quam naturalium rerum aſſidua contemplatio oblectet, ibit inficias. Inter alia Diaphragmatis, muſculorum abdominis ac thoracis actio tam intricatè partim, partim etiam perperam vulgo traditur, ut non injuria mireris, in rebus adeò obviis potuiſſe tamdiu eos aberrare, quibus hæc doctrina curæ fuit. Quod, Deo annuente, peculiari diſſertatione aliquando oſtenſurus ſum. Videtur autem mihi ad excolendam phyſiologiam noſtram haud vanam operam allaturus, quisquis animalium brutorum anatomen aggreſſus actiones viſcerum in iis proſequi diligentius non detrectet; nemo enim de naturæ operibus æquum ferre judicium poteſt, niſi qui intimè ipſius modum operandi & varietatem hujus in variis animantibus habeat perſpectum. Cujus rei exemplo ſit vel ſola ciborum in chylum immutatio, quam cum veteres in ſolo ventriculo quæſiverint, & ſuam coctionem nobis obtruſerint, imperfectum opus relinquere coacti ſunt. At poſtquam recentiores, ex collatione variorum volatilium, quadrupedum, aquatilium, cognoverunt, plurima ad eam naturam arceſſere, & vario modo in variis idem præſtare, adeò expeditam nobis dederunt rem omnem, ut dubitem, an ulterius procedendi, aut multa adeò his ſuperaddendi ſequentibus ſeculis facultatem reliquerint. Hanc autem Zootomiam cum plurimi hinc inde, tum ex profeſſo vir maximus, M. Aur. Severinus, de cujus libri publicatione multum Clariſſimo

riſſimo Volkamero noſtro debet eruditus orbis & nuper Blaſius, ſatis amplo volumine, atque etiam ante ipſum neſcio quis alius, cujus nec nomen occurrit, nec libellus, (fertur autem ſat elegans) unquam oculis factus eſt obvius, excoluerunt. Horum premens veſtigia, dum graviora nunc deſunt, ne nihil conferam in publicum uſum, quid in talpâ mihi viſus ſim obſervâſſe haud ita pridem, ſimplici dictione ac bona fide breviter exponam, ſimul etiam quid cauſæ ſubeſſe exiſtimem quod ab aliis animalium partibus hæ ſint diverſæ, ſubjungam.

## In Talpa igitur

1. Pellis hujus animalis duriſſima eſt, & planè nervea, ut, niſi acutiſſimo cultello, vix cedat. Cujus rei præter ipſam pellis nervoſiorem ſubſtantiam hæc eſſe cauſa mihi videtur, quod cum animal ſit frigidius, & ſub terra in locis frigidis degat perpetuò, exhalationes è corpore paucas & rariores emittit, ideoque poros ipſi longè minores in pelle, quàm majoribus animalibus eſſe, veroſimile ſit. Frigus autem, ne per hos ſubrepat promtè nimis, & viſcera interna lædat, erat cavendum naturæ. Qua de re etiam pilos ipſi tenuiſſimos & ob hanc tenuitatem quovis ſerico molliores eſſe videmus, in id, ut frigus repellant. Nec dubium fieri adeò tenues, quia poruli, ex quibus ipſis enitendum eſt, tenuiſſimi ſunt: video enim illis animalibus, quibus circa os ſetarum more craſſiores excreſcunt, ut feli ac lepori, poros ibi & longè majores & conſpicuos planè eſſe, in aliis partibus minores. In lepore præterea (ut obiter hoc) ubi eorum origo eſt, folliculum humore albo plenum ſemper reperio, ſatis amplum, quale quid in capillis etiam humanis quandoque occurrit, & quidem viſum eſt mihi in iis, qui lue venerea laborant; turgidiores hos eſſe, quod tamen an ſemper ita ſit, certum non ſcio. Sed præter hoc aliud æquè novum hic circa pellem talpæ occurrit. Nam

2. Carnoſus panniculus adeò firmiter adnexus ei eſt, ut innatus videatur, ſeparari enim, niſi radendo, eum non licet,

quòd præterquam, quòd motum pelli conciliat, apprimè etiam ad frigus excludendum valet, est enim substantia hæc carnea, ut in minoribus animalibus solet, longè etiam quam in majoribus densior & compactior, ob fibras minores, ac tendinosiores.

3. Post hunc panniculum in conspectum se dabat membrana tenuissima ac pellucida universum abdomen una cum thorace involvens, quæ tota sine dilaceratione inde poterat avelli, &

4. Sub hac demum musculi latebant, ut rectè hanc communem musculorum fortassis appellaveris. Sed quem in finem & superaddita sit, haud ita facilè dixeris, poterant enim frigori parcendo, quæ modo dicta, sufficere: Videtur voluisse pellem omninò à musculis separatam natura, quo magis sit mobilis, cùm aliis de causis, tum ea etiam, ut pedes, qui penè toti sub cute sunt abditi, moveri expeditius possent; circa horum enim, posticorum præprimis, superiores partes etiam in aliis quadrupedibus pellis laxius adhærere conspicitur, in hoc autem breviore animali, penè totum intercutaneum spatium ad motum instituendum requirunt, ut mox patebit.

5. Musculi inferioris ventris erant omninò bini, fibris in longum protensis, ut recti in nobis, constantibus, sed latiore, in membraneam substantiam tandem degenerantes, quâ peritonæo firmissimè adhærebant. Hic, cur obliquis fibris præditi huic animali desint, velim intelligere ab illis, qui statuunt vel ad respirationem, vel exclusionem excrementorum eos majoribus datos: quæ nemo huic animali necessaria esse negabit. Sed hoc alibi docebimns, ne nimium hæc epistola excrescat. Interim videntur hi longitudinales simul transversorum officio præesse, qui revera, & unice abdomini ad fæces excludendas dati sunt. Secùs enim hic se res habet ac in homine, qui cum ventrem breviorem nactus sit, & confideat ad hoc naturæ opus, ejus in latitudinem seu potius profunditatem coarctationem requirebat. At hoc animal dum excrementa


exclu-

excludit, longiorem ventrem verſus pectus contrahit, quo fiat brevior, & altius diaphragma poſſit impelli, quod ipſi cum canibus aliiſque quadrupedibus plurimis commune eſt. Rectos autem muſculos in eum finem datos, fibræ ejus docent, quod nemo non videt qui in hac doctrina hoſpes non eſt. Sed ad ipſa viſcera tandem accedendum eſt.

Itaque in infimo ventre notavi

6. Inteſtina, quæ omentum, (quod multis animalibus deeſt) contegebat, non in tenuia & craſſa dividi, ſed unius craſſitiei ad finem eſſe, niſi quod extrema pars recti amplior ſit, ſed cellulis, ex initio ad finem omnia plena, quod ad chyli retardationem factum, uti in ipſo etiam homine, tenuia quoq; remoris ejusmodi non carent, quod vulgus anatomicorum ignorat. Doleo me in obſervationibus meis non reperire, qualia fuerint quæ his continebantur excrementa, ſuſpicio enim eſt, omnia animalia craſſis inteſtinis deſtituta liquidiora excrementa reddere.

7. Ventriculus latus ſiniſtrum occupabat, ſub eoque lien erat: Hepar verò non dextrum tantum, ſed totam ſuperiorem partem ventris implebat. Idque perpetuum eſſe reperio, ut huic ventriculo cedat, nec aliter fieri poteſt, quam ut à majore jecinore is in ſiniſtrum latus detrudatur: Quod in homine nonnunquam etiam occurrit, ſed non ſemper. Ubi tamen repletus ventriculus eſt, non poteſt non, hepate non cedente, ſiniſtrum verſus extendi, quod practicis notandum eſt. Jecinore autem majore gaudent omnia volatilia; fortaſſis quia lienis



defectus erat compenſandus, ne ſanguis non ſatis comminueretur, id quod notatu dignum eſſe etiam exiſtimo. Erat autem figura ventriculi & inſertio œſophagi ferè talis; qualis etiam in ſciuro aliiſque occurrit: In orificio verò dextro, ſeu pyloro crenam obſervabam veluti ſi filo eſſet conſtrictum

ctum, ut in figura rudicer id expreſſi. Facta videtur hæc inſertio in medio, quia nec œſophagum à vertebris dorſalibus ſecedere par erat, nec ventriculum in medio collocare licebat, adeoque ejus pars altera ſiniſtrorſum erat amandanda: itaque hæc inſertio commodiſſima erat. Internè totus rugoſus erat ſtomachus & ſubſtantiam continebat quam lumbricos terreſtres fuiſſe patebat. His enim atque aliis vermiculis ſubterraneis vivit hoc animal, in eumque finem cùm terram fodit, tum & roſtro attollit ac disjicit, ſic enim accuratius venari lumbricos, & ex latibulis extruſos deprehendere poteſt. Quod facit manè ac veſperi potiſſimum, cùm fames tunc urgeat: poſt pluviam verò jugiter, quia tunc odore facilius percipit eos, & terra laxior eſt, ut vel levi impetu verti poſſit.

8. Fel in veſicula ſua contentum manifeſtam dulcedinem cum amarore conjunctam habebat, id quod ego quidem in omnibus animalibus ita eſſe reperi, & quoties aliis guſtandum præbui, aſſenſum ſuum nemo denegavit: ad quod non advertitur vulgò, quid verò ea de re ſentiam, itidem ſingulari diſſertatione aliquando exponam.

9. Sub inteſtinis in meſenterio corpus glanduloſum inſignis magnitudinis conſpexi, ita ut craſſum inteſtinum referret, quod ex glandulis lacteis in unam congeriem hic congeſtis conſtare exiſtimo; erat enim conglomeratum.

10. Reni etiam utrique candidiſſima adjacebat glandula, quam examinare accuratiùs tum non licebat. Sed in ipſis renibus illud quoque notari merebatur, triplicem eos ſubſtantiam præ ſe ferre. Externè enim limbus ſanguineus lienem colore referens apparebat, altera ſtriis perpetuis ab hac parte decurrebat in pelvim, tertia pelvis erat ipſa, quatuor carunculis prædita. Et hæc quidem, datâ occaſione curatiùs examinari meretur, interim patet facilè, quæ ſit diverſitatis hujus ratio. Eſt enim ſanguinea prior ſubſtantia, in quam ſanguis effunditur & à ſero ſeparatur. Striæ verò albicantes ſunt tubuli, per quos in pelvim influit, ut vel hoc exemplo diſcas, quan-

tum

tum animalium ſectione doctrina partium illuſtretur; hîc enim, quod in majoribus non licet, ſtrias à *Malpighio*, è tenebris erutas, manifeſtò licet cernere.

11. Sed omnium maximè mira circa genitales partes occurrebant. Nam 1. penis intus penè totus, ut ſolet animalibus, abſconditus, longiſſimus erat, ut dimidium ferè totius animalis æquaret. 2. Teſtes non propendentes, ſed ſub cute, magnitudine renes ſuperabant. 3. Paraſtatæ non modò ad teſtes adhærebant, ſed cùm ipſis capiendis non ſufficerent, ſingulari ſacco inſuper eximia earum pars erat incluſa, qui ex fibris carneis conſtabat; ex quo ſacculo demum vas ſeminale prodibat. 4. Corpora extus carnoſa manifeſto, indeque rubicundiſſima; intus nervea, canali nerveo duriſſimo prædita, qui longè ante veſiculas ſeminales in penem ſeorſim inſerebatur. Porrò 5. circa veſicam, quæ craſſiſſima, rugoſa, nervea, aliud occurrebat globoſum, carneum parte exteriore, interiore nerveum in ipſo pene ſitum, in quod cum ex veſica aditus erat, tum etiam vaſa ſemen deferentia terminabantur, ex quo proſtatas eſſe, patebat. Sed poſt hanc demum inſertionem ex dictis corporibus rotundis canales illi nervei ſeorſim in penem abibant. Ita ſe habent hujus animalculi genitales partes, in quibus tantum apparatum haud immerito admireris. Cum enim reliquis præter teſtes valdè mediocres, cujus paraſtatæ appendiculæ ſunt, & glandulas proſtatas veſiculasve nihil natura dederit, huic & maximos illos, & paraſtatas ampliſſimas, & reliqua, & inſuper novum corpus ſeminale ab his diverſum ac ſeparatum, novis ductibus inſtructum conceſſit, penem etiam facilè omnium, ni fallor animalium longiſſimum. Ex quibus colligere eſt, maximam præ omnibus reliquis animalibus voluptatem in coitu hoc abjectum & vile animal percipere, ut habeant quod ipſi invideant, qui in hac ſupremas vitæ ſuæ delicias collocant. Cumprimis verò conſiderari dignum, omnes has partes carnoſis tegumentis muniri, ex quo manifeſtum ſit, contrahi eas atque ſic ſeminalem materiam

propellere: ne verò sistatur, nervosæ sunt viæ ac cedere nesciæ quæ trajiciendæ sunt, aliàs facilè impressione in latera factâ, via illa elanguesceret, ut ad partes destinatas pervenire semen nequiret. Ubi mirari subit, neminem anatomicorum advertere, etiam in nobis semen omnino pulsione, undecunque demum illa pendeat, protrudi in urethram, eaque tanta, ut extra penem longè prosiliat, quod sine maxima vi ac singulari fieri non posset. Antiqui ex turgescentia seminis esse & spiritu statuerunt. Verum hoc tam vanum est, ut nihil magis. Quicquid enim turgescit aut spiritu agitatur, ebullit lentè, nec projicitur, sed intumescit tantum. At hoc longè aliter fit in seminis ejectione, imò manifestis subsultibus cùm extolli uretram, tum recurrere, deprehendere licet, idque repetitis vicibus. Quod turgescentiæ adscribere ineptum est, sed manifesto declarat, impelli aliquo cum impetu tantam seminis copiam, ut spatium non inveniens, eam distendat, sicut à corde propulsus sanguis arterias. Itaque in suspicionem venio, circa partes genitales nondum omnia nos habere explorata, sed superesse adhuc aliquid, quod semen cum impetu propellat: certum enim est, in corpore nihil tractu, omnia pulsu fieri, uti dudum accuratiores philosophi demonstrarunt. Quid verò illud sit, dispiciant illi, quibus in humanis cadaveribus omnia exquirere feliciùs concessum est. In hoc animalculo quid sit, in aperto est, & cum nihil in corpore nostro præter musculos moveat quicquam, idem hic fieri ego quoque existimo, erectores tamen penis esse, nequaquam credo. Sed de his satis. Deinde ex his omnibus mihi videtur lux affulgere controversiæ, quæ inter *Regnerum de Græf* & *Swammerdamium* agitari cæpit, an una eademque sit seminis materia, an vera triplex. Cum enim hic seorsim ex variis locis materia confluat, idque per ductus separatos ac dissitos, manifestum est, hic saltim variam materiam & semen non unum effundi in coitu. Quod cum hic potiùs quàm alibi conspicuum, aut quare quadruplex hic, cum alibi triplex, sit officina sanguinis, doctioribus expendendum relinquo: ad reliqua propero.

12. In

12. In Pectore pericardium aut mediastinum nullum repertum est, sed cor in sinistrum latus devolutum, pulmone in dextro collocato, idque quod mireris, infra cor. An in hac una talpa id præter naturam ita factum sit, nescio; interim causa hujus non patet. Pulmonem autem non denegaverat natura, quia & sub terra aër est, per rimulas & ab ipsa factos aditus penetrans.

13. Ex corde prodiens vena cava, non ad dorsum, sed per mediam pectoris cavitatem suspensa & undique libera pertransibat ad hepar: Post pectoris examen fortè fortuna ad pedes respexi, ubi artificium singulare etiam animadverti. Cùm enim, ut antea dictum, non nisi extremus pes extra cutim promineat, latus & digitis instructus, brevibus illis quidem sed robustis & ad motum compositis, & quibus nec ungues ad terram fodiendam desunt, omnes tamen reliquas partes intus sub cute absconditas reperi. Post pedem enim propriè dictum, duplex est os, quod radium & cubitum nominandum esse patet. Sed loco humeri latum os est triangulare, ne comprimat rotunditate sua quod subjacet: scapulæ verò loco, quia in latitudinem se extendendi spatium deerat, os longum satis, quod cum scapula alterius lateris fortissimo ligamento in dorso nectebatur. His inserviebat musculorum ingens numerus, quos describere, operæ pretium non putavi. Glandulæ etiam cum maximæ, tum numerosissimæ occurrebant, ita ut nullum animal pro ratione magnitudinis tot ac tam magnis abundare existimem: atque hæ fortassis ad motum intra cutim facilitandum hic collocatæ sunt, effundendis continuò humoribus, sunt enim in unum congesta quæ alibi longissimè extra cutim excurrunt.

14. Ultimo cepit animum lubido in organon auditorium inquirendi. Ossicula hic reperi minima, cavitates minimas, tympanum tamen non deerat, aurem externam non habet, cum è longinquo colligi radios auditorios non hic necessum, audit tamen satis exquisitè quæ propiora sunt. Sed de

his clariùs in tractatu de auditu, propediem lucem visuro acturi sumus: Meatus auditorius cartilagineus, flexilis, satis longus.

15. Sed de oculis, inquis, nihil: Equidem nihil, cum nullos reperiam. Rudimenta oculorum conspexi, non oculos, punctulum scilicet nigrum, durius vero, & ni fallor solidum; cui nullum cum cerebro commercium est, sed totum externum est, & sub cute latet, uti dixi, densissima. His non videt: nec poterat sub terra: An verò lucis radios aliquantulum percipiat, sciri non potest, nec interest.

## OBSERVATIO CXXXI.

## D. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

## Calculus cerebri.

SEcui cadaver hominis, dum viveret, validis lacertis adeoque robustissimis, pariter ac audacissimis; animo vero & membris viscera quoque interna respondebant, potissimum sanguini dicata, cor, quod bovis cordi vix cedebat, quod magnanimum signat, secus ac vulgò quibusdam visum est, hepar, lien, renes: Non minus ampla erant vasa, at in his emulgentia duplicata etiam, quatuor scilicet arteriæ, quatuor itidem venæ: quod ob sanguinis copiam, cui bina non sufficiebant, factum, nullus dubito. In fellis vesiculâ lapilli duo, flavescentes, ut ex bile natos constaret, ex friabili substantia leviter cohærenti. In capite verò ad falcis dextram partem alius occurrebat, parvus quidem mole, pisum enim non æquabat, sed silicem duritie & candore æmulans, depressior ubi adhærebat, rotundior versus cerebrum. In depressiori latere duo signa, punctula rubentia ac si venæ & arteriæ, cum nondum lapis esset, huc in nutritionem insertæ vestigia referrent. Eum asservo, Illustris societatis scriniis, inter

rariora

rariora reponendum, ſi gratum eſſe accepero, oblaturus. Ut enim lapilli in corpore haud rarò occurrant, tanta tamen duritie eſſe non ſolent, in parte cumprimis nobili, mentis ſede. De lapilli hujus generatione non lubet jam diſputare, cum id ſatis alii egerint, quamvis in hoc fortaſſis quædam occurrant dubia, quæ ex vulgo notis rationibus diſcuti difficulter poſſent.

## OBSERVATIO CXXXII.

## R. P. ADAMI ADAMANDI KOCHANSKI, S. J.

*De*

# Gallinâ reviviſcente.

REcenſebo rem miram, quam retulit Vir curioſus & Ingenii non vulgaris, factam in loco, in quo ipſe agit ad Aulam Epiſcopi cujusdam. Die 4. Decembris lapſi, coquus gallinam mactare juſſus, id præſtitit eâque aquâ bullienti deplumatâ & exenteratâ, illam in aëre perfrigido & glaciante jacere permiſit aliquo tempore: tum verò conchæ cuidam ampliori injectam frigidâ perfudit, ut ablueret: & ecce gallina maximo illius ſtupore & conſternatione ſubſilit è conchâ, & alis pedibusque ſuccuſſis, non aliter ſe jactavit, ac ſi tum primum cultro fuiſſet ſubjecta. Eodem verò tempore, his peractis, obſervatum eſt â coquo, fluxiſſe è collo gallinæ liquorem quendam inſtar lactis. Hæc coquus ille Vir ſerius, & qui complura gallinarum millia jam jugulaverat, affirmavit coram eodem illo viro Erudito, qui illum ſibi aliâs notum familiariter, putat vera, minimeque conficta narraſſe. Hæc ſi vera ſunt, oritur non levis difficultas in reddendâ causâ convulſionum illarum in Gallinâ jam frigidâ & rigidâ, in quâ ſpiritus Animales inteſtinis exemptis, quomodo conſervari potuerint, non video; ſuſpicor tamen hæc interiora non fuiſſe exempta, ſed tum primum, dum in frigidam conjecta fuerat gallina, ut coquis mos obtinet, eximi debuiſſe, vel certè dum eximerentur, accidiſſe motus illos: Nam ſæpe fit, ut qui mira narrant

eventa, vel audiunt referri, ad has circumstantias, earumque ordinem non attendant, in quo tamen multum est positum.

## SCHOLIUM.

Corde evulso, canes nonnunquam, imò & homines aliquandiu supervivere & moveri, ex *Galeno*, *Josepho à Costa*, *Realdo Columbo*, & *Andr. Laurentio quæst.* 32. *Elys. jucund. quæst. camp. Casp. à Rejes* memorat, idque etiam *Franc. Baco de Verulamio in Hist. vit. & mort. Thom. Bartholinus cent.* 3. *hist. anat.* 15. *Ephemerides nostræ Cur. Ann. II. observ.* 263. & *Ann VIII. obs.* 10. exemplis confirmat. Cor etiam exemptum aliquandiu motum suum retinere, *Galenus 6. cap. 3. de decret. Hipp.* & *in Tim. Plat. comm. cap. ult. Galenus* recenset. Gryllum cinereum exenteratum vixisse integrum ferè diem vidit *M. A. Severinus*, uti refert in *Zootom. part.* 4. Caput crabronis sive scarabæi cornuti (quem cervum volantem indigitant) abscissum, sextiduo post, vivere adhuc & moveri conspexit *Helmontius*, vid. *tr. ignot. act. regim. §.* 35. Cor insuper anguillæ, quorundam piscium, aliorumque animalium exemtum è corpore pulsare, imò partes ejusdem dissectas systolen & diastolen exercere, carnemque anguillarum (quòd & in aliis piscibus fieri novimus) post exenterationem similiter motum habere, & columbæ emortuæ cor à digito salivâ madefacto calidè super imposito fuisse revocatum, *Guil. Harveus cap. 4. de motu cord.* testatur; idem de anguillis, serpentibus & insectis habet *Verulamius*, quorum singulæ partes post concisionem nihilominus diu moventur; & motum cordis felini, canini &c. quasi jam penitus emortui, à contactu, inflatione, & punctura redintegratum, imò mucronem etiam cordis canini vellicatum recuperâsse motum, *D. Steno* observavit *Volum. 2. Act. med. Hafn. observ.* 46. Et *Joh. Walæus* in *Epist. de motu chyli*, *si cor*, scribit, *integrum, aut ejus vivi dissectiq; mucro, aliave major particula cultello aciculâve pungatur, quoties pungitur, toties se quasi naturali motu commovebit, etiamsi jam aliquandiu omnem amisisse motum videatur.* Id quod & alii plures observarunt.

Capita

Capita etiam viperarum à reliquo corpore abſciſſa diu vitam retinere, ipſe non ſemel vidi, & exemplis à *Borello cent. 1. hiſt. 43. Rhodio cent. 3. obſ. 89. &c.* confirmatur. Cujus phænomeni cauſam in ſpirituum reliquias communiter transferunt: ſic e. g. *Corn. ab Hogelande* in *œconom. animal.* particulis ſanguinis mobilioribus cordi adhuc inhærentibus, inque motum reductis adſcribit; & *Th. Willis part. 1. de anim. brut. cap. 2.* liquorem tum vitalem, tum animalem viſcoſum & minùs diſſipabilem in lumbricis, anguillis & viperis eſſe, ideoque in partes etiam diſciſſa aliquandiu ſe movere & compuncta corrugari ſtatuit; quod etiam Cl. *D. Joh. Conr. Peyerus* nuper in *Parerg. ſuis num. 7.* propoſuit. Et hæc ratio uti ſatis eſt veriſimilis, ita eandem qui præſenti Obſervationi adplicare voluerit, dubio procul non errabit. Sive itaque gallina illa eviſcerata fuerit, ſive integra poſt mactationem permanſerit, motum illum convulſivum à ſuperſtite ſpirituum in ſanguine & humore ei analogo ſubſiſtentium manipulo derivabimus, quæ ipſa movendi potentia eò longiùs perduravit, quò largior eorum copia in corpore ſupererat, inque viſcoſiore vel craſſiore humore, qualem lacteus ille fluxus è collo innuit, volatilitas eorum implicabatur. Hi itaque ab aëre perfrigido, & glaciante, partesque gallinæ exteriores dubio procul conſtringente, ne omnimodè exhalarent, fuerunt cohibiti, usque dum aqua ſuperinfuſa ſuperficiariam iſtam conſtrictionem reſolvens, ſimulque novas particulas aëreas ad motus excitandas maximè neceſſarias infundens, latentes ibi ſpiritus in expanſiones iſtas convulſivas excitaverit, fugamque omnimodam ſubire permiſerit. Liquorem autem è collo fluentem lacteum ſuſpicor eum ipſum fuiſſe, qui naturaliter ex glandulis œſophagi, ingluviei & gulæ aliàs ſtillare ſolet, hîc autem in extrema illa ſpirituum lucta ſpaſmodica unà expreſſus fuerat, perque vulnus collo inflictum exitum invenerat; quem nempe ſubviſcidum & albicantem eſſe, conſtat; Vid. *Peyeri noſtri anatome ventriculi gallin.* nec non *Th. Cornelii Conſentini progymn. 6.* & *Th. Willis Pharm. ration. pars 1 ſect. 1. cap. 2.*

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIII.

DN. THEODORICI A MARWITZ.

*De*

# Calculo in corde capreoli invento.

QUod me admones fidei meæ nuperrimè Vobis datæ, ſeu, quod tu mavis dicere, ut memor ſim promiſſorum meorum, quæ fecerim, S. R. Imp. Academiæ Nat. Cur. pro invitatione & receptione ejus; ſcito me memoriam veſtri beneficii eſſe culturum benevolentiâ ſempiternâ: nihilq́ue ferè tantum, quod ego non illius cauſâ facturus ſim ſtudiosè & libenter. Ego, quicquid in me eſt ſtudii & ingenii, quicquid etiam meâ authoritate & conſilio potero, id omne ad Academiæ Veſtræ evehendas operas & opera deferam, omnesq́ue vias perſequar, quibus nos Collegæ ad id, quod volumus, pervenire poſſe putamus. Teſtem jam produco



lapidem, ante annos aliquot in corde capreoli à me in venatione capti & exenterati inventum. Hunc Te volo videre, cognoſcere, & exploratum obſervatione condecorare, ſicq́ue curioſæ poſteritati relinquere, mihi verò eundem remittere.

[*Ex literis ad D. Vollgnadium Uratislaviam datis.*]

OBSERVATIO CXXXIV.

D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

*De*

# Veneno Bufonis feliciter curato.

PUer XVI. annorum bufonem lapide petens, ſemper eundem lapidem in manum reaſſumens, qui veneno bufonis infectus, hinc & ille puer contraxit ſibi hoc malum, ut utraq́ue manus intumuerit, & alter pedum

ad

ad nates retractus, totum corpus tumidum & magnum, asthma præcordiale. Dedi illi quater de nostra theriacâ ʒiß. cum liquore: hinc Dei auxilio planè restitutus, tumidis manibus (meo Consilio) admovit bufonem exiccatum, hinc & illæ detumuerunt. Hæc acta sunt 4. 5. 6. 7. Maji Anno 1681. Die octavo restitutus fuit, ut in publicum egredi rursum potuerit. Hinc Deo debentur grates.

## OBSERVATIO CXXXV.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI,

## Rorismarini resuscitatio.

ANno 1681. ex floribus Rosmarini affuso vino Malvatico eliciebam spiritum: elicito spiritu, & omni humido abstracto vitrum cum capite mortuo seponebam & negligebam. Die 14. Junii A. 82. vitrum illud ad usum reposcens caput mortuum florum Rorismarini erat plenum vermibus, muscis alatis & semi alatis & chrysalidibus vel aureliis, in quos vermes mutabantur, antequam muscarum formâ induebantur.

Jam expendendum propono hoc naturæ phænomenum & metamorphosin in capite mortuo, quod ignis vehementissimi ad summam siccitatem & abstractionem omnis humidi torturam passum. Certus sum, quod aliunde seminium non illatum fuerit in massam capitis mortui. Hinc rectè olim scripsit *Kergerius in suo tractatu de fermentatione*, quòd nulla mors detur in rerum naturâ &c. Vermes in caseo nascentes similiter in chrysalides & denique muscas transmutari docuit me experientia, quum A. 81. spiritum meum antipodagricum pararem, cujus compositionem ingreditur putris caseus, specierum omnium optimus.

## OBSERVATIO CXXXVI.
## D. CHRISTOPHORI SELIGERI,
*De*
# Gonorrhœa virulenta cum excreſcentiis.

JUvenis quidam temperie bilioſus, opulentus & ſalax, ab impuro & impudico proſtibulo numiſma venereum pro aureo permutaverat, ut de ſeminis profluvio dolorifico eoq́ue flavo querelas habere coram me neceſſum haberet, monſtrando inſimul excreſcentias verrucoſas ad fibulam, unicam principio quidem, poſtquam verò eandem acu aperuiſſet, proliferam, nam quousque ſanguis infectus fluxerat, eousque novarum notaverat exortum, ut etiam numerum tandem ſexagenarium tranſcenderent. Huic in anteceſſum nodulum ex lignis, rhabarbaro &c. cum vino ordinavi, deinde Pilul. de Terebinthina cum pauco mercurio dulci præſcripſi, tandemq́ue decoct. nigrum Mynſichti compoſui exterius applicandum, qui nunc aliquot liberorum pater vivit ſanus.

## OBSERVATIO CXXXVII.
## D. CHRISTOPHORI SELIGERI.
# Vomitus infeliciter coercitus.

VIrgo quædam non adeô deformis difficilioribus menſibus laborans cum depravato obſoniorum tanto appetitu, ut quandocunque modò liceret, aut erva, hordeum triticumq́ue molâ confractum crudè devoraret. Anno 1678. Menſe Julii quantitatem myrtillorum illotorum ingerit, ſuperbibendo cerevifiam ſecundariam, ſtatimq́ue vehementiſſimis vomitibus corripitur. Mater infelix neſcio quo medicamine vomitum tandem ſiſtit, ſed eheu! ſupervenit

pervenit in puncto Epilepsia immedicabilis, filiamque intra horas septem è medio viventium abripit.

SCHOLIUM.

VOmitum non omnem esse sistendum, Exc. *D. Joh. Theod. Schenckius Exerc. anatom. pag. 317.* animadvertit, distinguens inter opera morbi & naturæ, sicque, cum *Riolano*, promovendos esse statuit quotidianos illos à ductu cholidocho in ventriculum inserto obortos, criticos, atque à repletione nimia, & ob errorem externum productos. Cùm itaque hoc in Casu ventriculus à depravato victu jam antea debilitatus, ab ingestis copiosè myrtillis, dubio procul ibidem in corruptionem abeuntibus & reliquos in corpore amicos humores unà exagitantibus, admodum oneratus fuerit, blandiori potiùs molimine conatus illos sedare, crudiorumq; humorum evacuationem procurare, simulque ferociam eorum demulcere, & corruptionem alterare decuit: quibus neglectis & ventriculi tantùm motu illo convulsivo, quem vomitum dicimus, violenter inhibito, reliqui in corpore efferati & tumultuantes humores retenti majorem acredinem conceperunt, inque cerebrum delati letalem epilepsiam induxerunt. Myrtilli enim, judicio Celeb. *D. Simonis Paulli Class. 3. Quadripart. botan.* crudo multo excrementitio humore cùm abundent, tonum ventriculi dissolvunt; in quibus itaque edendis modus aut parsimonia est adhibenda; & cùm sint baccæ dulcissimæ, plus aqueæ substantiæ, uti loquitur Cl. *Casp. Hofmannus lib. 2. de medicam. offic. cap. 156. §. 27.* quàm oportet, habentes, eò promtiùs putrefactionem in debili ventriculo subeunt, præcipuè ubi potus cerevisiæ secundariæ insuper accesserit. Quàm periculosa etiam sit Vomitûs intempestiva suppressio, *Joh. Fernelius lib. 4. de febb. cap. 10.* exemplo plethorici, quotidianæ vomitioni biliosæ diu obnoxii, ostendit, quâ nempe repentè suppresśâ, non dolor solùm ventriculi, & tertiana febris, sed etiam paralysis tandem, ipsaque mors successerat.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXXXVIII.
## D. CHRISTOPHORI SELIGERI.
### De
# Epilepsia ex decocti hyoscyami fomentatione.

TExtoris cujusdam filia, quoties Mensium fluxum pateretur, toties immani capitis dolore vexabatur. Mater Empiricos adventantes omnes & singulos à consiliis incassum habuerat. Præterito anno quidam mirum quantum laudibus extulerat decoctum hyoscyami pro fomentatione circa vesperam adhibendum. Cum itaque 28. Novembr. Anno 1681. in cauponâ choreas duceret, & ex hac corporis agitatione nimiùm incalesceret, Mensiumque tempus instaret, cephalalgia irruit; 29. ejusd. circa vesperam prædicti consilii memor decocto hyoscyami fotûs loco utitur, sed post semihorulam horribilis supervenit Epilepsia matrem perterritam ad me adigens, casumque filiæ cum remedii recitatione aperiens. Huic in ipso paroxysmo specificum cephalicum ex Cinnabari nativa & granis aliquot Castorei in aquâ squamariæ & rutæ propinabam, cumque eo per aliquot dies continuabam, dein præmisso nodulo ex uterinis & emmenagogis, cum martialibus patientem plenariè, D. B. restituebam, & ut imposterum cautius mercari disceret, seriò admonebam.

### *SCHOLIUM.*

HYoscyamum letale venenum in sinu suo abscondere, ideoque ex foro medico esse eliminandum, multi sunt qui statuunt; quamvis autem ejusdem in operando vehementiam, & ita, si intempestivè aut nimia in quantitate adhibeatur, nocivam admodum qualitatem, quam tot exempla apud Autores passim notata testantur, negare nemo possit, ritè tamen in

usum

usum vocatus salutaribus non omnino caret viribus; unde eundem *Hippocrates lib. 2. de morb.* in quartana commendare sustinuit; conferantur etiam, si lubet, *Pharmacopœjæ August. à me restitutæ pag. 141. & 142.* Ipse *Dioscorides* licet in *lib. 6. cap. 15.* venena inter reponere eum non dubitaverit, *lib. 4.* tamen *cap. 63.* folia medicamentis omnibus dolorem sedantibus per se, & ex polenta utilissimè imponi, perhibuit. Quare cur in hoc casu epilepsiam excitaverit decoctum hyoscyami pro fotu adhibitum, jam paucis videbimus. Sanguinea scilicet massa, multis dubio procul impuritatibus gravata, & jamjam per instantia catamenia, non sine quadam fermentatione & impuriorum partium evolutione, deplenda, à vehementiori corporis agitatione in ὀργασμὸν concitata impetuosiùs in cerebri membranas cùm irrumperet, adplicitum illud medicamentum, narcoticas suas atomos confertim inspirando, impuras biliosas sanguinis partes altiùs cerebro impegit & quasi in centro detinuit, quæ salino-sulphureis fœtidis atomis junctæ convulsivas istas irritationes commoverant.

[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXXXIX.

## D. CHRISTOPHORI SELIGERI.

# Ex comesta cucurbita notabilis Tragœdia.

EXulis Bohemici filia agens annum decimum octavum per tres menses catamenia non celebraverat, laboribus interim consuetis dedita, dimenso trium milliarium itinere, redux domum ligna findit, & cœnando magnam portionem cucurbitæ cæpatæ, piperatæ & in clibano assatæ consumit, superbibendo portionem aquæ frigidæ, postea consueto more de colo fila ducit; circa decimam vespertinam de quali quali lumborum dolore conqueritur, propter absen-

tiam vero matris sola cubiculum suum petit: sequenti die non videtur; tertia verò, hæc erat Jovis & 14. Octobr. Anno 77. domestici, ubi degebat, recognoscunt, & per fenestram cubiculi indumenta ad lectum reposita conspiciunt, cadaver in lecto. Detegitur factum Judici, qui inspectione habitâ Nobiliss. nostro Physico *Dn. D. Godofredo à* Lauchisch *Hæreditario in* Hörnitz accuratiorem causæ inquisitionem recommendat. Post meridiem itaque cum ipso ego & *Paulus Pauli* Chirurgus cadaver deprehendimus horribiliter fœdum, non ut humanum, sed tumidissimum truncum repræsentans, lividum anterius, posterius nigrum, cuticulâ nudum, superius ad umbilicum usque abominabile, inferius ab umbilico ad extremos pedes mortuorum haud absimile. Venulæ capitis, mammarum atque thoracis capillares, ad obtutum intumescebant, cruor bulliens exstillabat. Aperto cadavere caro musculosa, intestina, mesenterium, partes generationi dicatæ &c. erant salva & naturalia: ventriculus vero mirum quantum infarctus putrilaginosâ materiâ. Hinc veritas elucet asserti Nobilissimi *Jonstoni Id. Med. Pract. l. 1. c. 1. art. 2.* Cucurbita corrupta in ventriculo in malignum succum vertitur.

## *SCHOLIUM.*

S*im. Sethus de aliment. facult. lit. K. 5.* Cucurbitam pituitosos, qui ad colicam proni sunt, offendere scribit, addens: *Si pravi in ventriculo humores morantur, vitiatur, & in malum succum degenerat.* Id quod ex *Galeno* hauserat, qui *lib. de bonit. & vit. succ. cap. 8.* si in ventriculo corrumpatur, malum valde succum generare adserit; corruptionem autem hanc accidere, prout *lib. 2. de aliment. facult. cap. 3.* habet, ubi non benè præparata fuerit, aut succus pravus in ventriculo abundaverit. Imò etiam, quantumvis diligenter coquatur, Judicio *D. Guern. Rolfincii Ord. & meth. med. spec. comment. lib. 2. sect. 3. cap. 67.* facilis tamen est corruptionis. Quæ cùm ita revera se habeant, cur in hoc casu tantam noxam pepererit, facilè dijudicari poterit.

[*L. Schröck. L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CXL.
## D. CHRISTOPHORI SELIGERI.
# Varia ſymptomata ex injectis per incantationem materialibus.

PRæterito anno 1681. Junii tertio diſſecuerunt mecum *Domini Doctores Richteri* Cadaver Ancillæ quinquagenariæ *Sabinæ Kratzerin*, cui ante annos tres & viginti, menſes primùm ſubſtiterant, ſubſequentibus ſubinde graviſſimis, omnium fere partium, morbis atque ſymptomatibus, unà cum tumore ventris inferioris duriſſimo, reliquorum verò membrorum gracilitate & macilentiâ maraſmodicâ. Tradiderant quidem miſerrimæ huic pauperculæ intra tempus tam diuturnum Gratioſæ facultatis Antiſtites hujus loci, multifaria medicamina, abſque omni tamen levamine. Cùm itaque Miſericors Deus tandem beatam analyſin largiretur, & culter anatomicus in cauſam morbi refractarii inquireret, ſub muſculis infimi ventris tenuiſſimis, prope umbilicum, & quidem ſupra peritonæum, per incantamentum, conſpiciebatur injecta non menſurabilis pilorum abraſorum cum calcis quaſi extinctæ liquidioris & croceo colore tinctæ mixtura talis, qualem coriarii abjiciunt, inſuperque globus ex prædictâ materia, cranio quaſi felino cum ſuis maxillis, dentibus bruti caninis, aliquotque vetulæ molaribus compactus & tendinibus adeò intertextus, ut cultellis difficulter admodum cederet. Sub peritonæo cavitatem abdominis putrilaginoſa, præmemoratâ modo ſiccior, ſed abſque pilis, itidem tincta ſaburra, cui torrida quaſi viſcera inhærebant, replebat: Ulteriorem autem inquiſitionem prohibebat fœtor. O miſerabilem hominum ejusmodi conditionem! Nec Adeptorum Medicina hîc fuiſſet ſufficiens.

### *SCHOLIUM.*

SI Dæmonis ſummam velocitatem conſideramus, varias iſtas res è faſcinatorum corpore excretas vel in eodem inveniendas,

nendas, in ipso excernendi actu summâ arte suâ præstigiatoriâ celerrimè eum supponere, aut etiam corpori in ipsa ejus sectione post mortem quandoque instituta injicere posse, dicemus, Quod tamen ita ab eo, aut saltem semper fieri, nemo prudens defendere præfractè sustinebit; cùm non minùs insignis ejusdem in rebus naturalibus scientia, quâ instructus sæpe talia, supra naturam quæ sunt, agere videtur, modos perplures alios intellectui nostro imbecilli admodum & cœcutienti non adeo perspectos adhibere valeat. Imò si corpora ejusmodi insolita, facilioris inprimis quæ sunt flexuræ, vel per naturales in corpore humano meatus, oculis licet nostris vix perceptibiles, artificiosè intrò pellere, aut etiam per vulnus dextrè inflictum & non minùs subtiliter iterum absque mora consolidatum, immittere eum posse, dicamus, non errabimus, quia tam prægrandes in ventriculum deglutitas, aut aliter ab extra violenter intrusas res varias per vias & mæandros inconsuetos aut immensùm dilatatos ad alia loca, vesicam &c. delatas fuisse, tot exemplis passim à fide dignis memoratis convincimur, ut dubitare velle de iis, grande facinus foret reputandum. Quæ omnia pluribus eruditè exposuit in suo eleganti *de Fascinatione tractatu* Exc. *D. Christian. Frommannus lib. 3. part. 6. cap. 16.*

*[L. Schröck. L. F.]*

## OBSERVATIO CXLI.

## D. CHRISTOPHORI SELIGERI.

# Uterus loco fœtûs incautè extractus.

ANno 1681. Junii 20. *Dominus David Richter Medicinæ Doctor*, me præsente, aperiebat Cadaver Juvenculæ, Uxoris *Andreæ Thielens Scriniarii*, cui primiparæ alioquin robustæ obstetrix incauta, sub persuasione fœtus restitantis alterius vesanâ, uterum inversum planè, ut instar marsupii versi propenderet, atque cum hoc, ipsam vitam violentissimè extraxerat.

*SCHO-*

## SCHOLIUM.

Cùm vel aliàs uteri prolapsum feminas à partu difficiliore incurrere novum non sit, eò faciliùs, si obstetricis imperitæ temeraria violentia accesserit, idem continget; quo nempe tempore uteri substantia adhuc cum ligamentis suis laxiori texturâ prædita violentæ tractioni promtiùs cedere cogitur. Quale etiam exemplum *Petr. Marchettis observ. chirurg. 61.* recensuit, ubi obstetrix secundinas à partu non statim prodeuntes extractura, & uterum nonnihil laxatum deprehendens, magnâ vi manibus eundem extra pudendum, letali subsequente effectu, dejecerat, *exemplo,* uti verba Autoris habent, *obstetricibus, quæ omnium peritiam profitentur, quanquam imperitissimæ, ut secundinas sponte potiùs prolabi permittant, non violentis manibus eas sollicitent, aut earum loco uterum ipsum extrahant, quamplurimis mortis auctores.* Confer. *D. Nicol. de Blegny Zodiacus Med. Gall. Ann. 3. Mens. August. obs. 8.* & *D. Franc. Mauriceau de morb. mulier lib. 2. cap. 13.* & *lib. 3. cap. 6.* [*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXLII.
## D. JOH. BAPTISTÆ SCARAMUCCII.
*De*
# Flagri funiculo, è vesicâ à Lithotomo extracto.


GOrdium nodum non Macedonico ense rescindendum, sed anatomico cultro dissecandum Vobis, præclarissimi Medicinæ Proceres, Natura proponit; quæ cùm in necessariis non deficiat, ex Philosophorum assertis, etsi videatur ludibria, & monstra patrare, perfectiones tamen efformat: hinc experimentis sicco pede transactis, quibus certè non ambigere, sed credere fas esset, Naturam aliquando nobiscum jocari, in trutinam vocare non gravabor; quod paucis abhinc diebus accidisse ipse percepi, ut non solùm ejus-

dem Naturæ ſolertiam coadmiremini, ſed ingenii veſtri acumine ipſius penetralia rimando, ea ex Anatome deducatis, quibus facti veritas labyrintheis confuſionibus irretita innoteſcat.


Duobus abhinc Menſibus ſeſe obtulit curandus dyſuriâ & ſtranguriâ detentus *Frater Joſeph*, ex Turre vulgò dicta Ceccona Comitatûs Tuderti, Laicus Capucinus, cumque in pejus rueret ex iis, quæ lixivioſas urinæ particulas edulcorare, ſalino-ſulphurearum portionum exaltationem compeſcere valerent, atque ex eo quòd renum gravitate, ſimulque ureteris dextri dolore paulò antea fuerit detentus, incongruum conjicere haud fuit, patientem veſicæ lithiaſi laborare; Unde à Chirurgo factâ exploratione per catheterem indubitatò lapidem adeſſe autumavit.

Non Apollinem ab æthere, ut jaculis transfigeret, neque Neptunum ab æquore, ut tridente domaret, neque Herculem è terra, ut clavâ contunderet, imploravit patiens, ſed expertiſſimum, & non ſatis laudabilem *D. Jo. Rainaldum Bonajutum*, ex Caſtro Nurſiæ vulgò dicto lo Preci, qui ex animi pietate, absque mercedis ſubſidio, ut ſectionis opus aggrederetur, libentiſſimè huc ſe contulit, prout diligenti manu 15. Kal. Novemb. in actum deduxit.

Sectionis executioni unà mecum interfuit, præter diverſos Capucinos, *D. Michaël Angelus de Benedictis* in arte Chirurgica peritiſſimus, cumque Lithotomus veſicæ collum reſcinderet, atque illius latebras ſcrutaretur, non niſi hujus formæ materiam arenulis circumvolutam deprehendit, cumque eam inſtar funiculi efformatam primo intuitu dijudicarem, obſervaturus, quâ materiâ verè conſtaret, vino abluendam ſuaſi, qua ablutione cùm arenoſa materia exciderit, funiculum eſſe, mea confirmatur opinio; & ex eo, quod Chirurgus admiratione captus,



ptus, adnotaturus an esset funiculus, eum divolvi inceperit, verùm esse flagri funiculum, æquareque hanc longitudinem, & rotunditatem



etiam nunc resiccatum, omnes summâ admiratione contemplantur. Examine facto, an unquam patiens eum deglutiverit, tantùm recordatur, se quondam Mense Junii præteriti insatiabili quadam bibendi licentiâ tam avidè matutinis horis aquam è puteo haustam ore hiante in situla perpotasse, ut aliquod molestum cum aqua hausisse, non sine periculosa deglutiendi difficultate, visum ei fuerit.

Prout tali pacto probatissimum suspicor funiculi transitum ad ventriculum, sic difficillimum intueor iter à primis viis ad vesicam. Non me latet, Anisi semen simulque Carbones, & Pilos (*Hild. cent. 5. obs. 51.*) fuisse cum urina excretos; Pulmonis frustulum (*Idem cent. 2. obs. 30.*) cum urinis emissum; Grana Alkekingi (*Idem cent. 2. obs. 73.*) per urinarias vias demandata; Fungi frustulum (*Nicol. Flor. in Schenck. lib. 3 obs. 22. de urin.*) cum lotio deportatum; Ossicula (*Fel. Plat. de mict. c. 10.*) cum alimentis assumpta, & cum urinis excreta; ex diabetica passione totum (*Amatus Lus. cent. 2. cur. 94.*) quod assumebatur per urinas fuisse exportatum, (non loquor de diversorum animalium per urinas excretione, cùm captu facilior sit modus eorum generationis, vel in renibus, vel in ureteribus, vel in vesica, prout mille testantur testimonia) at latet, quo ductu iter fecerint ad vesicam.

Non enim probabile est, per mesaraicas ad venam portam, à vena porta ad hepar, ab hepate ad cavam, ex hac ad emulgentes venas, & sic ad renes, ureteres, & vesicam, prout transitum fecisse Acum deglutitam (*Jul. Cæs. Claud. resp. med. lib. 1. resp. 40.*) & per urinam transmissam quondam somniatum fuit, nam præterquam quòd impossibilis sit aditus funi-

 culi

culi per hepar, adhuc tamen non concedimus transitum cavæ ad emulgentes venas, cùm à quo innotuit sanguinis motus in orbem, (*Harv. de circul. sang.*) habeamus, motum in venis esse à circumferentia ad centrum, adeoque à minoribus ad majores, simulque edocti, serositates è massâ humorali eliminandas, ut, præcipitatione factâ per renes, ad vesicam per ureteres deponantur, non per venas emulgentes, hæ enim sunt refluæ, sed per arterias emulgentes (*Harveus, Th. Barth. Valæus, Willis, Sylvius de le Boë, Charleton*) transitum obtinere.

Neque reor recurrendum ad intestini, & vesicæ perforationem, prout transitum fecisse præfatam Acum, fuit affirmatum: Esset enim fabulosum id de funiculo asserere.

Cùm verò alius non possit esse transitus ad renes, quàm per arterias emulgentes, non admittimus funiculi motum per Galaxiam viam, nempe quòd per lacteas venas ad cisternam chyli pervenerit, ita ut per thoracicas lacteas ad subclavias, ab his ad venam cavam, à vena cava ad dextrum cordis ventriculum, ex hoc per venam arteriosam ad pulmones, ab his iterum per arteriam venosam ad sinistrum cordis ventriculum, atque ex hoc per arteriam descendentem ad emulgentes arterias transitum obtinuerit: non enim sine regiminis vitalis œconomia interrupta per anfractuosos hos sinus aditum sibi funiculus parasset, sed probabilem suspicarer transitum à primis viis ad renes per venas lacteas, taliter tamen ut funiculus ad cisternam chyli inter renes, ut capsulas atrabilarias situatam (*Pequet.*) delatus, non per thoracicas lacteas iter cum chylo fuerit prosequutus, sed breviori tramite, nempe per surculos lacteos, è dicta cisterna chyli in arterias emulgentes insertos (*Th. Bartholin. cap. 6. de lact. thorac.*) transitum fuerit ingressus.

Per hos surculos enim (*Idem Barth. cap. 8. de ven. lact.*) serum ad renes transfertur ibi à chylo separatum, vel ad capsulas atrabilarias sero melancholico destinatas traducitur.

Hinc cùm ad dictam chyli lacunam è partibus inferioribus lympha progrediatur, sive eam constituamus (*Th. Barth.*

*de*

*de ven. lymphat.*) excrementum tertiæ coctionis, sive credamus partim (*Sylv. de le Boë Prax. Med lib. X. cap. 49.*) fieri ex spiritibus animalibus per nervos delatis, partim ex sanguinis aquosiori parte, eaque acidiori in glandulis conglobatis è massa humorali secreta; sive concludamus (*Gu. Charleton de œcon. anim. exerc. 9.*) ex halitibus tum sanguinis arteriosi, cùm succi nutritii per nervos delati componi, etsi non inficiamur, multùm prodesse, vel cordis æstum temperare, vel sanguinis volatilitatem facilitare, vel sanguinis coagulationem inhibere, & micationem ejusdem promovere, probabilissimam suspicarer lymphæ superfluæ secretionem, & per urinarias vias translationem.

Per hunc breviorem tramitem, sine diabetica passione, paulò à potu vina oligophora, clareta, lacrymæ, Urbevetana vina, vulgò *rasspee*, & similia per urinam excerni conjecturare fas esset: per easdem vias Aquam Nucerinam aliquando immediatè à potu deportari, tutò concludendum, nam cùm sæpissimè eâ utamur, ut fervescentium particularum massæ humoralis morbosa efferatio compescatur (ejus enim aquositate partes sanguinis sulphureæ diluuntur, & ratione boli, seu terræ Samiæ, quâ insignitur, partes salinæ obtunduntur, & ab ea abripiuntur) frustraneus ejus usus comperitur, cum recto tramite à cisterna chyli, non per thoracicas lacteas ad cor, ut cum sanguine circulante transitum obtineat, sed ad renes deferatur. His obiter dictis, redeamus undè digressi sumus.

Neque dijudicandus difficilis aditus ab emulgentibus arteriis ad renes, à renibus per ureteres ad vesicam, nam renum substantia (*ex Bellin. refer. Will. de Pharm. rat. sect. 4. cap. 1.*) nec parenchymate est insignita, ut hepar, lien, nec fibris carneis constat, ut cor, si recentioribus fides habenda, sed tubulorum membranaceorum aggeriem componere videtur, ita ut per eos ductus licet exiguos, facilis fuerit redditus motus funiculo, cùm experientiâ doceamur, calculos non exiguæ magnitudinis à renibus ad vesicam deferri per ureteres, quæ vasa duos digitos posse admittere (*Th. Barth. lib. 1. cap. 19. anat. ref.*) testantur Anatomici.

Sed renum substantia dura sit, compacta, & densa, adhuc non obstat, cùm non solùm renes sinus habeant, in quibus substantia laxa; & cavernosa est, (*Th. Barth. lib. 1. cap. 17. anat*) sed sinus ipsi membranacei existant ex ureteribus in renum cavo expansis & dilatatis, quò minùs funiculus per unum ex renibus transitum obtinuerit.

De lactearum exiguitate major difficultas: ast non solùm affirmandum in vivente corpore meatus longè patentiores esse, & ampliores, quàm in defuncto, prout quendam innuisse legimus, dum Apii radices per urinas excretas deprehenderit (*ex Jul. Alex.* refer. *Schenck. lib. 3. obs. 20. de urin.*) cùm non desint etiam, qui quadruplo majores (*Jo. Fort. cent. 4. consult. 50. tom. 2.*) esse pronuncient; sed concludendum, Naturam sine Doctore (*Hipp. lib. de alim.*) sibi ipsi invenire vias (*lib. 6. Epid. sect. 5. text. 2.*) quæ licet oculorum visum effugiant (*Id. de art.*) ea tamen mentis acie comprehenduntur.

Interim si incongrua Vobis videbitur, quæ rudi Minervâ meditatus fueram, libentissimè ea submitto, ut purgatissimi judicii vestri censurâ meliora reddantur; optarem tamen, ut si quis Vestrûm Arcem Palladis conscenderit, atque Apollineis influxibus verum funiculi excogitaverit iter, de eo per epistolam certior factus, tanquam ab *Æsculapii* Fano in somniis deprompto beneficio mererer dignari favore. Valete. Tuderti IV. Idus Nov. MDCLXXXI.

[*Observationem hanc communicavit Illustr. Dn. Antonius Magliabechius, M. D. Hetruriæ Bibliothecarius, A. 1682. M. Mart.*]

## *SCHOLIUM.*

Cùm Clar. Historiæ hujus Autor ipse aliorum circa rarissimum hunc casum expetat judicium, paucis meum, Palladis licet in arcem nondum receptus, sed tantùm ad atrium excubans, proponere licebit. Quod si itaque meatus illos superiùs Obs. LXXVIII. ab Exc. *D. Albrechto* memoratos crebrior anatomica inspectio confirmaret, quod utique futurum sperare possemus, si naturaliter in corpore humano reperirentur,

eorun-

eorundem extensio egregiè corporum solidiorum, & ita etiam funiculi istius in vesicam transitum dilucidaret, ut ambagibus istis per difficiles adeo vasorum & tubulorum minimorum vias opus haud foret. Quid de vasis lacteis ad renes abeuntibus statui debeat, non minùs incertum est. Dubium sanè non parvi momenti suggerit *Thom. Warthonus Adenograph. cap. 15.* ubi ex naturæ instituto talia immediatè ad renes distribui, conjecturam valde improbabilem vocat, quia succum utilem, non materiam excrementitiam contineant, minusque credibile sit, eum à natura tam sollicitè eum in finem eductum esse, ut mox cum lotio foràs protrudatur. In quem verò usum chylus ad renes delatus inservire debeat, nescitur, qui revera ad nutritionem partium, antequam ulteriùs elaboretur, est ineptus; eum autem in finem tantùm vasa ista adesse, ut, quæ nonnullorum fert opinio, succus alibilis, si copiâ peccet, per ea expellatur, dubio non caret, cùm urinas lacteas, in multis observatas, vel revera tales non esse, vel præternaturalem & morbosam corporis constitutionem aliquam, cui emendandæ Natura nullibi singulares ductus, multò minùs ut eorum ope ingluviei & intemperantiæ humanæ consuleret, unquam efformavit, denotare, in benè autem constitutis corporibus, ciboque copioso se replentibus, ac consequenter chylum multum elaborantibus, similes urinas non conspici, deprehendamus. Ita ut vasa lymphatica potiùs illa esse, eandemque cum hepaticis, primo intuitu similiter chylum ex receptaculo avehere creditis, postea verò solùm lympham in illud invehere, ipsomet Celeberr. *D. Thom. Bartholino diss. de vas. lymph. cap. 3.* candidè fatente, observatis, sortem subire, sicque lympham potiùs, à renibus aut eorum ex vicinia refluam, in glandulas lumbares lacteas infundere, & sic eo ipso nihil ex illis ad renes deferre, Naturâ contrarii istius motûs, quem valvularum etiam in vasis lymphaticis structura non admittit, per unum eundemque canalem omnino nesciâ; vel saltem vasa chylifera ab intestino recto &c. receptaculum versus propè emulgentes adscendentia, de quibus

bus elegantissimè scripsit *Gualt. Needham Disquisit. anat. de form. fœt. cap. 1.* decepisse quosdam, conjecturare mallem. Unde idem prælaudatus *Bartholinus cap. 6.* non absque veri specie dici statuit, à singularum partium (& ita etiam renum) privata coctione aquam separari, peculiaribus istis vasis expurgandam. Atque ita illud quoque sponte corruit, quod *cap. 9. de lact. thorac. Bartholinus* scripserat, viam nempe expeditam suppeditare vasa illa lactea, per quam deglutita multa crassiora corpora per urinas reddantur. Hic quidem viarum aliarum longior strictiorque, quàm qui penetrari queat, trames objicitur, expeditiorem multò vasis hisce spondentibus; si tamen arteriarum emulgentium anfractuosum per renes iter (ut subtilissimam, & tantam extensionem, quantam crassiora illa corpora requirunt, haud absque ruptura sustinentem vasorum lacteorum aut lymphaticorum substantiam non urgeam,) inque minimos surculos divisionem, glandularum porrò renalium minimarum, à Celeb. *D. Marc. Malpighio* detectarum, tenerrima corpuscula perpendere velimus, nec aliam ex arteriis emulgentibus ad pelvem viam naturalem dari certum sit, quomodo longiorem omnino exsibilare valeamus, non video. Sed novus hîc scrupulus injicitur, dum vasa lymphatica à glandulis mesentericis ad renes abeuntia, si ligentur, à ligatura hac, quâ renes spectant, omnino depleri, ex opposito verò, quâ ad glandulas mesenterii vergunt, sero urinæ simili referta conspici, sicque ad pelvem usque renalem, quo pertingunt, serum deferre Cl. *D. Buserius in Zodiaco Med. Gall. Ann. 2. M. Febr. obs. 5.* Eruditis persuadere conatur, quæ etiam numerosa, & tam ampla ac cava esse, perhibet, ut eorum aditus ope setæ porcinæ crassiusculæ etiamnum in cadaveribus inveniri queant. Verùm, ut cum pace Cl. Autoris (à quo dissentire libet, ut sententiam hanc suam communi de chyli & seri motu ac usu tot experimentis confirmatæ repugnantem uberius explicandi, experimentisque evidentibus, si quæ dantur, comprobandi ansam haberet, laborem Eruditis pergratum subiturus) id scribam, præterquam

terquam quòd diligenti habitâ inſpectione, aditus illi in pelvi oculis ſe nunquam exhibuerint, & omnium lymphæ ductuum in iſta corporis regione renali occurrentium liquor, in ſanis puta ſubjectis, colore, odore, & ſapore careat, limpidiſſimæ aquæ inſtar ſe habens, ſerum econtra urinam conſtituens, & flaveſcente colore, & ſalſo ſapore odoreque manifeſto, in ipſo demum renali parenchymate emergentibus, compareat, lymphaticorum inſuper quorundam in regione renum occurrentium intumeſcentia verſus meſenterium ab alia cauſa oriri, ſicque facilè in errorem aliquem conjicere potuit; quam cauſam ſatis probabiliter Exc. *D. Joh. de Muralto*, cùm hac de materia ſententiam ejus perquirerem, nuper 16. Jul. Ann. 1682. hiſce verbis ad me perſcripſit: *Mirari debeo Dn. Buſerium Gallum & motum & ductus lymphæ novos cudere, atque ceu vera Viris curioſiſſimis proponere auſum eſſe. Notantur quidem lymphatica vaſa, à glandulis renalibus ſive ſuccenturiatis orta, per renum pinguedinem diſſeminata, & quandoque emulgentem venam attingentia, ſed quorum liquor verſus ſacculum & ductum chyliferum facilè urgetur: poſito itaque, Dn. Buſerium ligâſſe unum vel alterum horum ductuum, & verſus centrum infra ligaturam ductus intumuiſſe, ac iterum novâ lymphâ adimpletos eſſe, non ideo ſequitur lymphæ motum à centro ad circumferentiam fieri, quia verſus centrum in ductus, quos ligavit, à renum glandula alii inſeruntur canales, qui admodum numeroſi & diverſis in locis conſiti liquorem ſuum ſpatio ultra valvulam integro infundunt, quod ſæpe cum Diſcipulis meis obſervavi.* Novosque hos meatus alter adcuratiſſimus Anatomicus, *D. Joh. Conr. Peyerus* pariter ſe ignorare nuper mihi faſſus eſt, talem in epiſtola 26. d. Jul. ſcripta diſcurſum formans: *Scias velim, me lymphæductus à glandulis meſenterii ad receptaculum urinæ in renibus aut ureteres, nullos unquam reperiſſe, adeoq; Buſerio nondum adſtipulari. Uterq; horum inventum magni momenti æſtimat, & tamen neuter animal in ſpecie denominat, ubi id primùm viderit. De cætero B. experientia anceps eſt. Cùm enim lymphæ motus ſecundùm naturæ leges à renibus tendat ad chylum aut ſanguinem, fieri nequit, ut adhibito vinculo in animali vivente lymphæ ductus verſus renes detumeſcant,*

*& verſus meſenterium intumeſcant, niſi aliquo errore. Quod ſi meatus illi à meſenterio in renes tam conſpicui ſunt, & pori in ureteres tam patuli, ut etiam ſetam porcinam craſſiuſculam admittant, cur eos exactiùs non deſcripſit B. quin icone hos ob oculos omnium poſuit? Nihil experimento illi ſoliditatis eſt, aut ſi quis canalis, præter arterias, venas & nervos, ad renes tendit, oportet illum eſſe à lymphæductibus diverſum: nos autem hucuſque nihil comperimus, neque neceſſarium congruumve eſſe putamus, ut aliquis meatus à meſenterio ad renes abeat.* Objicitur quidem magna lymphæ in chyli receptaculo copia, quæ eapropter inutilis eſſe videtur, nimiam utpote ſanguini liquiditatem conciliatura, ideoque à chylo, antequam ad cor per ductum thoracicum deferatur, ſegregari, inque renes amandari debeat; nec non, ſerum à maſſa ſanguinea ſecretum, tanquam excrementum ſecundæ coctionis iterum chylo commiſceri, deinceps in cor referendum, inque partium alimentum ceſſurum, creditu perquam eſſe difficile; attamen vanum eſſe hunc metum, ipſa Natura nobis perſuadet, quæ non contenta, chylum copioſo ſero vel lymphâ, (ne curioſiùs hæc jam diſtinguamus,) quam undique ex inferiore ventre à ſecunda, aut etiam tertia coctione reſiduam, & ita quaſi excrementitiam, ad receptaculum chyliferum confluere videmus, diluiſſe, ex ipſa quoque ſuperiore corporis regione eandem paulò ante à ſanguine in glandulis paſſim ſegregatam, liberaliter in venas jugulares denuò infundit, non alium ſanè in finem, quàm ut ſanguini, ſi *Hippocratem*, ὄχημα τῆς τροφῆς *in fine lib. de alim.* ὑγρασίαν hanc vocantem, ſequi velimus, majorem liquiditatem conciliet, vel etiam ſimul, in iſto per corpus tranſitu, novo, ut nutrire queat, vigore animetur. Mihi itaque, ut tandem in viam redeam, miſſis tantiſper novis iſtis lymphæ viis, donec evidentiores evaſerint, omnia in ejusmodi Caſibus præter naturam fieri, & non ſine violenta partium diſruptione aut penetratione corpora iſta, ſolidiori ſubſtantiâ prædita, quorum ingentem cumulum ex Autoribus adducere liceret, ad veſicam pervenire, probabile videtur; qua ratione etiam fortè iidem ductus lymphatici

tici à glandulis lumbaribus lacteis ad renes quandoque transitum dare potuerunt. Scilicet, ut *Bartholiniana* verba adducam ex *Cent. 6. hist. anat. 99. ubique sibi viam in corpore humano sternit, humanis mentibus sensibusq; incognitam, quâ alienas res sibiq; molestas expellat.* Et: *Occultas corporis ambages alias quærit natura, ubi manifestæ desunt, idq; ita prudenter moderatur, ne ulli parti nocumentum afferatur.* Quis itaque nobis persuadere ausit, Naturam in corpore aliquo crassiori, compactiori & solidiori ad vesicam propellendo ordinarios quosdam ductus eligere? Imò non ordinarios ejusmodi, sed violentiâ demum factos certo certiùs in expellendis istis adversis corpori rebus præferre, tot aliis exemplis convincitur, quibus ex variis corporis partibus, non servato ductuum naturalium tramite, eas fuisse excretas, constat: sic vulneratus ille apud *Nicol. Tulpium lib. 2. Observ. Med. cap. 15.* turundam cavitati thoracis illapsam screatu rejecit; acus deglutita è crure erumpens inter *observationes D. Henrici à Moinichen*, & *lib. 4. Roderici à Castro de morb. mulier cap. 26.* habetur; graminis ramulum deglutitum & integrum per intercostale spatium, ut & deglutitum gladiolum ex inguine redditum *Ambr. Paræus lib. 24. obs. cap. 19.* recenset; cultellum per gulam demissum ex abscessu inguinali extractum *Hildanus cent. 1. obs. 54.* & spicam siligineam deglutitam è dorso erumpentem *Annus IX. Ephem. nostr. observ. 107.* producunt. Idipsum quoque illustrare videtur observatio in *Volum. 3. Act. medd. Hafniens. obs. 68.* adducta, de candelæ frustulo in rene bubulo invento, in cujus parenchymate sibi fossulam, callo abductam, efformaverat. Talia verò qua ratione per occultos mæandros procedant, Excell. *D. Christian. Frommannus lib. 3. part. 6. cap. 16. de fascinat.* ostendere conatur, *Natura*, scribens, *rei ratione insitæ suæ gravitatis progressum molienti vias extraordinarias quandoque concedit, vel ipsa per insolitas vias, si per ordinarias commodè non licet, rem molestam expellit, sed cùm sit sui conservatrix studiosissima, res transeuntes arctè ambit, ne laudabilis liquoris fiat profusio, easdem sensim & lentè movet, ne subitâ continui solutione partis inflammatio oria-*


*tur. Ut verò pars ipsa continui solutionem passa sensim interea restituatur, curat.*


[*L. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXLIII.
## L. BALTHASARIS CHILIANI.
# Monstrosus foetus.

UXor *Georgii* Schwenckens Civis & Lanionis Eisfeldensis honesta, *Elisabetha*, quæ per VI. annos cum marito vixerat, tres liberos sanos, quorum Filia natu maxima adhuc superstes, genuerat, Anno 1680. d. 4. Maji, nocte inter hor. 11. & 12. obortis tamen uteri doloribus immensis, abortum enixa est monstrosum facie duplici, ad triginta hebdomadas vergentem, fœminei sexûs, cujus caput sine collo axillis insitum, universum occiput aspectu horrendum, additamento carneo deforme, intus cruore refertum; sed laceratum & pendulum. Cranium crassum, Cranii leporini instar, cum pauco cerebello & materiâ mucosâ. Pars superior dorsi gibbosa, media inversa, infimaque iterum elata, sed totum cartilaginosum, tenuissimâ cuticulâ obductum. Frons exigua & propè nulla, inque eâ supernè hinc inde tenelli capilli nigricantes. Oculi tres leporinis similes & aperti, unus quidem cum duabus pupillis in medio frontis, duo in utroque temporum latere siti. Duo nasi compressi. Ora duo leporina, cum unâ linguâ humanâ ad utraque ora flectente & superioribus maxillis fissis. Ambæ aures latæ & flaccidæ. Cutis totius ferè corporis pilosa. Inter utrasque genas foraminulum umbilico simile. Eô dissectô, COR cum lobo pulmon. minimo in dextro inventum latere, magnus verò lobus pulmonum in sinistro. Sub Diaphragmate ingens hepar omnia ilia tegens. Cætera viscera benè constituta. Lubet & hîc alias addere observationes: Eôdem anno Mens. Maji à muliere quâdam Fabri ferrarii zu Hirschendorff / in Præfectura Eisfeldensi,

Fig. 26.





densi, nata puella quidem formosa; sed grandi cum tumore strumoso à dextrâ genâ ad sinistram usque tendente, serosoque humore pleno, quæ eôdem die post sacrum lavacrum denata. Alia prioribus annis Eisfeldiæ vitam iniit puella parentibus tenuioris quidem sortis; sed honestis, cujus summæ occipitis parti adnata moles carnea & rotunda magnæ pilæ palmariæ instar, ut plerumque eô tempore lautioris fortunæ fœminæ crines conglobatos vel vittâ albâ vel reticulo involutos & ligatos juxta verticem capitis gestarunt, ideoque matrem hujus puellæ, tempore prægnationis, accuratiùs ex invidiâ cogitatione intenta facilè formatricem facultatem ad caput fœtûs impulisse crederetur. Anno 1679. circa Mens. Febr. in Horreo *Christophori* Kreuchaufs / Civis & lanionis Eisfeldensis honestissimi, agnellus uno collo biceps cum duobus oribus, quatuor oculis, totidem auribus & rimâ dorsi duplici natus & à plurimis visus. Binos Hœdulos, unum bicipitem cum duobus collis, quatuor oculis, tot auribus, duobus ventribus annexis, quatuor sursum, totidemque deorsum tendentibus pedibus 1680. Mens. Febr. in pago Bockstadt exclusit capra vitalem, sed paulò post denatum. Alterum verò naturalem & vivacem. In pago Alstadt in Ducatu Coburgensi vitulus tripes, qui anticâ parte unum, posticâ verò duos habuit pedes, item alius in eôdem pago capite ursino cum fronte crispâ & ore ursino in lucem editi & demortui.

Fig. XXVI.

## OBSERVATIO CXLIV.
## D. SAMUEL. LEDELII.
### De
# Spica siliginea deglutitâ, & per costarum interstitium exclusa.

DOctor Polisius, Medicus Francofurtanus cis Viadrum, Academicus curiosus, Amicus meus dum Zullichii viveret,

singularis, obtulit observationem Anno 9. & 10. Ephemeridum insertam, de spica siliginea deglutita & in tergo exclusa. Scribit, quòd habeat ex relatione civis primarii Steinaviensis in Silesia, & coincidit cum mea, quam jam exhibeo, observatione: an verò una eademque sit, judicandum relinquo. In pago Comitatus Sorani inferioris Lusatiæ Gratig / rusticus cum marita in horreo laboriosus dum est, seponit uxor puellam unius anni in aream stramine repletam. Puella fortè fortuna arripit spicam & deglutit, statimque ut suffocanda vehementer tussit. Accurrunt parentes, inveniunt difficillimam respirationem, summum calorem, tussim aridam, consilium in arena vix capere possunt, accersunt itaque balneatorem Soranum. Hic omnia in faucibus accuratè explorat, videt prædicta symptomata, unde tamen nescit, consulit ergò Medicum loci t. t. b. m. Dn. à Rähtel / qui putat esse defluxiones: adhibent medicamenta pectoralia, & quia fit absque euphoria, Prognostico relinquitur ægrota. Elapsa gemina septimana insignis fœtor per os erumpit, vomitque pus puella fœtidissimum. Tandem tumor in dextro latere circa costas superiores se exerit; sinunt parentes per aliquot dies, & iterum deinde balneatorem adeunt, petentes ut ægrotam invisat tumoremque palpet. Dum hic more solito tumorem examinat, tangendoque premit, invenit tumorem esse maturum, ut vocant, & mollem, & tamen aliquid renitentis offendit. Aperit ferro tumorem & exit cum pure sanguis tandemque arista, fast wie verwesen / ut loquebatur balneator. Quoties tumorem aperuit, emplastris sepositis, sibilus exiit talis, qui candelam ardentem extinxit, & puella jacuit tanquam exanimis: quamprimum autem iterum aptè vulnus deligavit, tanquam è somno exporrecta ægrota sibi restituebatur. Copiosissimus autem vomitus puris fœtidissimi adfuit per totam curam. Dederunt matri potiones vulnerarias, infanti sirupos pectorales, & mediante Dei benedictione expleto quinque septimanarum spatio pristinæ sanitati reddita. Vivit exnunc

vegeta

vegeta & ſana virgo, facie roſea. Hic balneator retulit gratioſiſſimæ Facultati Medicæ in Alma Lipſienſi, dum propter Baronis à Rechenberg ſtatum morboſum & Chronicum ibidem fuit, & pomum Eridos veluti projecit: nam pro & contra fuit diſputatum, utrum per aſperam arteriam, an per œſophagum ſpica corpus intrarit, tandem perpenſis omnibus circumſtantiis concluſum per aſperam iviſſe arteriam, & ut rarum quid fuit conſignatum. Vivit hic Grünbergæ fabri ferrarii filia, quæ anno ætatis tertio nucleum nucis avellanæ deglutivit, ſuccedente tuſſi arida moleſtiſſima cum conſumptione corporis. Jam agit 15. annum & vegetior reddita tuſſit adhuc, licet nihil exſpuat, benè ingerit, digerit, egerit, nucleus tamen adhuc hæret in pulmonibus, ut ipſa fatetur & conjectura fert, quid tandem futurum ſit, Deo vitam concedente, diligenter annotabo. *Bartholinus Centur. 2. Obſervat. Anatomic. rar. Obſervat. 27.* habet ſimile quid de deglutito nucleo, ſed feliciter iterum rejecto, conſilium ſuppeditante D. D. Sala.

## OBSERVATIO CXLV.
## D. SAMUEL. LEDELII.
### *De*
# Gallo gallinaceo oviparo.

Dec. V. Obs. 211. p. 435.

Alebat loci judex, Dn. Pahde à Creutzenſtein / gallum gallinaceum admodum alacrem & grandem, quem præter propter ſex annos compleſſe judicabamus. Hic hujus anni 1682. quinto die Auguſti ovum ponebat, quod in ſcatula transmittimus. Eſt minus ovo gallinaceo, majus columbino, & oblongius. Omnes qui audiebant, admiratio capiebat, & plures de veritate dubitabant, quia inſolitum erat gallum ova parere. Aſt dum quærebant, quid ſtatuerem, porrigebam obſervationem Bartholinianam, quæ de ſimili refert gallo unum ovum excludente *Obſervat. Anatomic. rar. Cent. 1. hiſtor. 99.* Quid fit: dum pro & contra diſcurrimus,

&

&omnibus expensis circumstantiis pro vero galli ovo statuimus, secundum ponit, &spatio unius Mensis numero sex adhuc, quæ tamen omnia ipse gallus rostro statim post exclusionem transfodit, utut fœmina, cujus provisioni suberat, me monente diligenter præcavere allaborârit. Duas dimidietates fractorum ovorum mihi exhibuit: nil inerat nisi liquor limpidus & viscidus instar albuminis, sed non ita crassus, nullum autem vestigium vitelli. Interim quoad pondus grave est nostrum ovum secundum proportionem, nec ut Bartholini pellucidum. An naturaliter fieri potuerit nec ne? hæreo: siquidem iteratio exclusionis auget dubitationem, & procuravi ut gallus diligenter custodiatur, expectaturus quousque numerus ovorum sese sit extensurus. Huc accedit quod gallus semper admodum iracundus fuit toto die ante exclusionem ovi, adeò ut omnes gallinas, quarum numerosa erat multitudo, acriter lacessiverit & rostro petierit, fœminaque rectè judicaverit, cum ita in gallinas sævierit, ipsum iterum ovum positurum. Spatio quinque dierum semel ovum peperit, & postmodum se cicurem exhibuit, usque ad modo scriptum diem ultimum ante exclusionem. Anilem fabulam, quod basiliscus excludatur, si veteris galli ovum per rubetam aut ipsum gallum foveatur, hic allegare, supersedeo, cum rem nervosè exhauserit Nobilissimus Dominus Conterraneus Wedelius Observat. 128. Anni 3. Academ. N. C. cum additamento, ideò hic cramben bis coctam nolo. Sirius num aliquid faciat ad exclusionem ovorum galli, uti Scotus in Physica curiosa habet, non determino, attamen sub hoc ipsum tempus noster gallus ova sua posuit, & hoc assertum non de nihilo esse confirmavit. De cane oviparo dicit Observatio 250. Anni secundi Academiæ Naturæ curiosorum.

## Continuatio Observationis de Gallo gallinaceo Oviparo.

UBi ovum cum Observatione & literis Uratislaviam ablegaveram, sequenti die gallus noster iterum ovum & quidem ultimum,

ultimum, nempè ſeptimum poſuit. Figura erat exactè rotunda, & magnitudo paulò minor transmiſſo: ipſe galli dominus ſibi reſervabat, aliàs etiam miſiſſem. Petebat autem valdè, ut gallum morti traderem, ne amplius in ſua domo alere moleſtaretur, ſiquidem mali quid ſibi portendere hoc inſclitum ſtatuebat. Tandem cum ſpatio aliquot dierum amplius nullum ovum excluderet, exenterationi deſtinabam, & quidem primo die Octobris, ſereno die, ſub aëre frigido, circa horam matutinam nonam & decimam; aſtantes erant Domini domûs inquilinus, & Proviſor Officinæ Vogelianæ. Ipſe manum ſectioni admovere certis de cauſis renuebam, ideò ſubſtituebam fœminam, quæ gallo alimenta præbuerat. Primùm jubebam, ut firmè, dum collum diſſecaret, ipſum teneret, ne avolaret, aut alias ipſi moleſtias excitaret; quia ſolito erat major: morem gerebat, & ſanguis probi coloris poſt inciſionem copiosè ſtillabat, quem ut arena tegeret, monebam, ne reliquæ gallinæ, quæ frequentes aderant, noxam, ſi attingerent, caperent. Anteaquam autem poterat obtemperare, una gallinarum de cruore guſtat, ſtatimque incipit vacillare, & altero die moritur. Ubi deplumaſſet aquâ fervente gallum, plumas ut defoderet ſub fimo, inſto, dum autem non accuratè obtexiſſet, en canis poſt aliquot horas accedit, qui veſtigando eruit pennas, & ubi deguſtaſſet, ſtatim fit rabioſus, quem lictor etiam ſclopo trajecit tertio abhinc die, ne, quod fecerat, plures gallinas diſcerperet, & alios canes laceſſeret & morderet. His ſepoſitis gallum menſulæ imponimus; & fœmina me præeunte & monſtrante pro commodâ viſitatione gallum diſſecat. Propiùs dum accedo & extra inſpicio, odor teter & ingratus mihi nares ferit, quo commotus retrogredior & è longinquo ſpecto. Nihil autem inconſueti offendimus; omnia interanea erant naturaliter conſtituta, & gallus hicce, niſi culter eum vitâ privaſſet, aliquot annos ſupereſſe potuiſſet, ita omnia viſcera in ipſo erant ſana & optima.

Dum nihil curioſi vidimus, ſeceſſimus, fœminæ injungentes,

gentes, ut corpus vel inter dumeta in campo absconderet, vel sepeliret. Inquilinus aut minister Domini Judicis post inspectionem domum regressus, malè habet, & lectum quærere cogitur: ego & Pharmacopola immunes per Dei gratiam fuimus, & ego nil amplius sensi. Fœmina dum exportat gallum, & proximum in suburbiis petit agrum, ventus vehemens incipit furere, & ipsa veluti in turbinem acta vertiginosa projicit cadaver, vixque à procubitu in terram se tutari potest. Postquam autem sibi redditur, domum repetit, in via tamen adhuc semel corripitur vertigine & deliquiis animi. Domum tandem post longam moram ingressa, laboribus se accingit domesticis, & ecce semi-animis concidit, accurrunt liberi, dumque consilium à me quærunt, præscribo hocce ut cochleatim infunderent,

℞. Aq. Card. bened. ℥iiß.
Cinam. ʒiiß.
Tinct. Bez. D. Mich. ʒiß.
Misce Sign. Bez. Mixtur. Löffel-weise einzuflössen.

& Deo benedicente restituebatur: dabam tamen ulterius ʒiß. Theriacæ Andromachi, & post copiosissimum sudorem sanam se esse in publicum prodiens comprobabat. Jam sensim incipit manus incurvescere, & digiti ad laborem fiunt inepti, quid amplius futurum sit, videbimus: Ita me mea conjectura non fefellit, ab incantatione hæc omnia ortum trahere. Hicce gallus dum cum gallinis coiit, antequam cœpit ova ponere, semper morbidas reddidit, & sub pectore & circa uropygium fuerunt lividæ, unaque gallinarum à coitu obiit excluso ichore per os & anum: reliquæ omnes post coitum semper fuerunt ægrotæ, imò pro posse se defenderunt ab ipsius coitu, & tergis illapsæ ipsum pedibus amoverunt. Interim gallinæ bona pepererunt ova, siquidem fœmina aliquot confregit & plena invenit. Carnem galli in dumetis jacentem nullum animal attigit, ideò per lictorem terræ mandabatur. Erat civium aliquis, qui petierat, ut sibi darent post inspectionem gallum,

vellet


Planta mirabilis distillatoria.
Fig. 27.



vellet coquere pro cibo, sed denegabam, quia ante aliquot annos tragicum hîc fuit exemplum, dum civis etiam obiit, qui de gallina comederat, quam lictor in publico foro trucidarat propè mensam judicis, in quam volarat in actu publico, quo venefica fuerat ad rogum condemnata. Et hæc est relatio de gallo nostro gallinaceo oviparo, qui in vita & post mortem fuit admirabilis.

[*Grünebergâ Uratislaviam ad Excell. Dn. Jænisium, Med. D. 12. Octobr. 1682. scriptæ.*]

## OBSERVATIO CXLVI.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM,

*De*

# Planta mirabili destillatoria.

MAgna sunt opera Jehovæ, inquit sapiens ille, qui considerat ea, meram delectationem exinde percipit. Hujus dicti exemplum, nobis præbet hæc planta, quæ tanquam miraculum Naturæ, considerationem meretur. Nam quoties eam conspexerim, imò, adhuc hodie considerem, gaudium percipio ex mirandis Naturæ productis: idque multò magis, cum sæpè memet, hoc Nectare, recreaverim, lassitudine ac siti defatigatus.

De forma hujus plantæ nihil dicam, quoniam in hâc picturâ, cum fructu, flore & seminibus, sese, ad vivum repræsentat; sed destillationem Naturæ, in hâc plantâ, paucis solummodò attingam. Radix ex terra humorem attrahit, qui beneficio radiorum solis in plantam ipsam ascendens, per caules & nervos foliorum defluit, & in hoc naturali vase recipienti, tandem reservatur, donec ad necessarium hominis usum adhibeatur. Receptacula hujus humoris, quamdiu nondum ad extremam pervenerunt maturitatem, superius, operculo eleganter clausa sunt, quod interdum digitis pressum, dissilit, hancque dulcem, limpidam, amabilem, confortantem & fri-

gidam aquam ſuppeditat: ita, ut interdum ſex vel octo receptacula, plus minus, tantum aquæ contineant, quantum unius hominis ſitim, cum maximâ delectatione, benè reſtinguere poſſit. Interdum receptacula ferè plena ſunt, interdum ſemiplena, & nonnunquam vel minus ineſt, nec etiam omnes eandem habent capacitatem, quod proficiſcitur à conſtitutione aeris, prout ille diu ſiccus, calidus, vel humidus extiterit. In Medicinâ ſuas etiam habet virtutes. Radix aſtringentis eſt facultatis. Herba frigefacit & humectat: & poteſt ſuccus, cum proprio deſtillato liquore expreſſus, internè uſurpari ad febres ardentes, & externè ad Inflammationes, Eryſipelata, & ſimilia. Creſcit non longe à Colombo, quæ eſt Metropolis Inſulæ Ceylon, in humidis & umbroſis ſylvis. Et ſic deſcriptioni hujus plantæ mirabilis finem imponemus.

Fig. XXVII.

## OBSERVATIO CXLVII.
## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.
*De*

# Quibusdam Lapidibus medicinalibus, qui inter Luſitanos, Cingalenſes, & Malabaros in uſu ſunt.

INter has gentes magni æſtimantur lapides ex animalibus, ut &, quos omnium Mater, terra nobis profert. Qui ex terrâ, inter eos, frequenti uſu teruntur, ſunt inter cæteros quatuor ſpecies, qui ab eis Pedra frigoa, hoc eſt lapides frigidantes, vocantur. Prima ſpecies flava eſt, in quâ tamen, quidam diverſos colores, ut cœruleum, rubrum, album, & viridem, intermixtos habent: Sunt quidem mediocriter duri, ſed tamen fragiles, ut facilè conteri poſſint. Ego accepi fruſtulum, quod multis Granatis, & quibusdam Rubinis erat conſperſum; unde certior ſum factus, quod illud hujusmodi Gemmarum

mater

mater sit; & propterea non immeritò frequenter ab eis usurpari.

Secunda species est viridis, quæ polita, speciem viridis jaspidis exhibet: Discussa verò, fibrosa est secundum longitudinem & fragilis, atque mediocri labore potest conteri.

Tertia species cana est, & etiam fibrosa instar Talci. Quarta species est candida, & magis naturæ lapideæ, quam priores.

Hæc quatuor lapidum species, ab eis, in omnibus affectibus cordis usurpantur, quos ex calore natos judicant, quoniam in eorum morbis, maxime calorem & frigus observant, & juxta hanc methodum medentur. Imprimis verò eas commendant, ad febres ardentes cum siccitate, ad morsus & ictus venenatos serpentum aut aliorum venenatorum animalium, ut & adversus assumptum venenum. Externè utuntur eis, cum aquis vel succis herbarum contritis, ad inflammationes oculorum, & aliarum corporis partium, quibus allinunt. Non observant differentias lapidum; nam, si una species non est ad manus, sumunt alteram; nisi, quod viridi, in affectibus renum majores vires tribuant. Ego curiosis, usum & experientiam meam, qualis qualis illa est, hic communicabo. Certum est, hos lapides terrestris & alcalinæ esse naturæ, & eas possidere virtutes, ut omnes acres, acidos, & corrosivos humores imbibant, absorbeant; & quando hi effervescunt, præcipitare possint. Magno usui mihi fuerunt in febribus continuis, in ebullitione acidorum, & superfluorum humorum, in ventriculo & intestinis, & exindè orto vomitu: in omnibus DiarrhϾ speciebus, acres & corrodentes humores mitigant. Externè eos, collyriis additos, in Ophthalmiâ, & aliis oculorum affectibus, excellentissimos inveni. In ulceribus depascentibus, lavamentis inspersi, enecant affluentes acres & acidos humores, & mirandum in modum incarnationem & cicatrisationem accelerant. Tandem, etsi in compendio meo Medico-chymico, quibusdam in locis, illorum usum docuerim: attamen curioso Lectori proponam, quomodo à me usurpati sint. Exempli gratia.

In febribus continuis & ardentibus.

℞. Lap. frigid. citrin. præparat. ʒß.
Matr. Perlar. præparat. ℈j.
Antim. Diaphoretic. gr. xij.
Sal. Prunellæ gr. viij.
Misc. f. pulvis pro 1. dosi.

Vel ℞. Lap. frigid. alb. ʒß.
Margarit. præparat. ℈j.
Bezoartic. duplicat. gr. xij.
Nitri Antim. gr. x.
Misc. f. pulv. pro 1. dosi.

Hoc modo etiam viridis exhiberi potest.

In Diarrhœa, Lienteria, & Dysenteria sequenti modo utor.

In forma pulveris.

℞. Lap. frigid. citrin. alb. seu cœrul. ʒj.
Croc. Martis ℈j.
Tinct. Solaris orient.
Sangv. Draconis ãã. ℈ß.
Misc. f. pulvis pro 2. dosibus.

In forma Boli.

℞. Conserv. Ros. rubr. ℥j.
Extr. Rad. Cinnamom. ʒj.
Tinct. Sangv. Dracon. ℈j.
Pulver. Lign. Calitur. ʒß.
Lap. frigid. ʒj.
Misc. f. Bolus dosis ʒj. pro dosi.

Quibus, ubi opus est, aliquantulum pulveris Rhabarbari, & Myrobalan. citrinorum addere soleo.

In Ebullitione acidorum humorum in ventriculo, seu in ructu acido, eos per se contritos, vel præparatos, à ℈j. ad ʒß. in vino rubro, exhibeo; & sic optimè vires suas exerunt. Externè

ternè ad inflammationes oculorum, cum defluxu humorum acrium, sequenti modo adhibeo:

℞. Aq. Rosar. ℥ij.
Succ. Solan. ℥ß.
Sempervivi ʒij.
Sacchar. Saturni ℈j.
Lap. frigid. alb. seu citrin. ʒj.
Misc. f. Collyrium.

Ad ulcera corrosiva hoc modo.

℞. Aq. Calcis Mercurialis ℥ij.
Succ. Plantag. ℥j.
Sacchar. Saturni ʒß.
Lapid. frigid. alb. ʒj.
Misc. f. lavamentum.

Et hæc de hisce lapidibus sufficiant.

## OBSERVATIO CXLVIII.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

## Gammari in lapides conversi.

HIc lapis, qui Cancri marini, seu Gammari naturalem habet formam, & reverà etiam est, Gammarus in lapidem conversus, reperitur in Chinâ, &, ut narratur, in lutoso, arenoso, & humido loco, qui hanc habet naturam, ut omnia, in eum projecta, in lapidem convertat. Ad hunc ergo locum, è mari, victum petitum, advenientes Gammari, ad majores usus, in hoc Laboratorio Naturæ, convertuntur in tam egregios lapides, quemadmodum in hâc figurâ conspicitur.

Hic lapis, à Lusitanis pedro de Kameron dictus, magni ab iis æstimatur, & usurpatur in febribus, in pleuritide, in obstructione urinæ, in calculo, & Erysipelate, internè, & etiam externè inunctus: tam in frigidis morbis, quam calidis; sed hâc differentiâ: quando percipiunt calorem, in liquore aquoso

ſo eum exhibent; ubi verò frigus adeſt, in vino Hiſpanico, vel alio generoſo. In Eryſipelate cum aceto eum, interne & externè adhibent.

Hunc modum Naturæ conſentaneum eſſe invenio. Cum enim ex Alcali fixo conſtet, etiam fortiſſima corroſiva dulcare valet; idque imbibendo, abſorbendo, & præcipitando; quod nobis, hoc tempore, qui hanc ſcientiam poſſidemus, ſatis patet; Sed admiratione dignum eſt, illos homines, uſum harum & aliarum rerum, ſine cognitione Naturæ didiciſſe. Quare certum eſt, in homine habitare aliquid innati, quod ſupernè tactum, ſolâ inſpiratione tales ſcientias ei communicat.

Fig. XXVIII.

## OBSERVATIO CXLIX.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

# Lapides de Bombaco, vel Mombaza.


Hic lapis, qui magni æſtimatur à Luſitanis, reperitur in animali quodam, & ſecundum relationem quorundam, in equo fero: magnitudine ad ovum columbinum ferè accedens: ſumma duritie, colore cinereo, externè aliquantulum ad flavedinem vergens, eleganter concretus, & inſtar lapidis Bezoar, cruſtulatim compactus. In centro ſubpiloſus eſt: deinde aliqualiter calciformis, & poſteà ſequitur durities. Nomen habet à loco, in quo invenitur.

A Luſitanis uſurpatur ad Colicam, dolorem ventris, varias febrium ſpecies, Melancholiam, & præcipuè commendatur ad partum facilitandum, nec, niſi in ſummâ neceſſitate eo utuntur, cum aliàs, ut perhibent, ante debitum tempus, fœtum propelleret virtute ſuâ maximâ. Propinant eum ferè à ℈j. ad ʒß. in vino, cùm adeſt frigus: & in aqua, quando calorem ſentiunt.

Fig. XXIX.

OBSER-












Ad annotat. Anni 9. et 10. obs. 1. p. 448.

Dec


Fig. 30
Videatur Anni 9. et 10.
fol. 459.



## OBSERVATIO CL.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

*De*

# Pedro Pouw, vel lapidibus ex ligno factis.

Augustoburgi in puteo.

HIc lapis, qui ex ligno conversus est in lapidem, reperitur in aquâ quâdam, in Ternatâ; quæ omnia ligna in lapidem convertit. Colorem habet fuscum, & formam fissi, vel fracti ligni, Utuntur eo ad omnes febres, & ad ructum acidum ventriculi, à ℈ß. ad ʒß. in aqua vel vino.

## OBSERVATIO CLI.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

# Generatio cujusdam Mannæ.

INsula Ceylon, præ cæteris Regnis in Oriente, multis admirandis naturæ actionibus est prædita. In hâc vidi generationem alicujus Mannæ subtilis, facilè solubilis, & grati saporis, in arboribus quibusdam vetustis, factam ab animalculis quibusdam parvæ apis magnitudine: quæ super caput & medium corpus contecta sunt cute squamosâ, scuti formam repræsentante, longis pedibus: & tacta, saltu se servant. In tempore laboris non sunt alata; neque ab arbore illâ, vel ramo recedunt, in quo operantur, & semper pulvere, farinæ instar, albo, sunt conspersa. Unde patet, hæc animalcula, ad præparationem dulcis hujus Mannæ, rorem, cum adjunctis quibusdam aëris particulis, attrahere, & exinde Mannam hanc conficere: quia non, instar apum, ex diversis herbis & floribus nutrimentum quærunt; sed in eodem loco permanent. Neque etiam negabo, sese simul aliquid de succo illius arboris at-

trahere, cui insident. Hic illorum labor à pluviâ valdè impeditur. Nam quando sicca pars anni præteriit, abluitur hæc Manna destillante pluviâ. Et tunc temporis etiam à labore desistunt: In quo hanc arborem perscrutatus sum, nullamque Mannam inveni; sed animalcula, tam mirabiliter mutata, ut reputarem ea esse viscum quendam, qui instar Clematidis arborum ramos circumvolvitur: & cum vellem ejus aliquid decerpere, resiliebant: quo perturbatus, vidi ea istiusmodi virides & crassas alas obtinuisse, quibus totum corpus erat contectum: sicque conjuncta erant omnia, ut impossibile esset, solo aspectu, ea cognoscere, & à dicto visco discernere. Quapropter ego curiosis picturam formæ eorum, in ambobus temporibus, offerre volui.

Fig. XXX.

## OBSERVATIO CLII.
## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.
### De
# Arbore Benzoini.

HÆc arbor, quæ egregium illud Gummi Benzoinum profert, crescit in Sylvâ propè Baros, qui situs est in terra occidentali Sumatræ. Ego curiosis communicabo quantum de Naturâ & formâ illius experiri potui. Arbor est egregiæ formæ, recti caudicis, & mediocris altitudinis; viri plærumque habet crassitiem; quanquam sine dubio vel crassior evaderet, si ad finem incrementi sui perveniret, quod non fit. Nam incolæ has arbores ultrà sex annos non permittunt excrescere; sed decidunt eas, & tanquam inutiles evellunt. Interim novum arboretum plantarunt, quod ex fructibus ejus perficitur. Quales habeat flores hæc arbor, experiri non potui; fructum verò accepi ab amico quodam, qui rotunditatem habet compressam: magnitudinem parvæ nucis avellanæ, & inclusus est tunicæ, instar nucum magnarum,

quæ


Fig. 31.
Arbor Benzoini.




Arbor Camphoræ.
Fig. 33.
Fig. 32.

quæ tamen aliquantulum pilosâ est, quemadmodum adjuncta figura demonstrat. Folia sunt tenera & mollia, inferius colore pallido-viridia; superius verò saturatè viridia. Nucleus hujus fructus saporem habet ingratum & amarum, ut comedi nequeat. De forma nihil amplius dicemus, sed solummodò proponemus modum, quo incolæ ejus Gummi colligunt: quod fit, ut sequitur.

Postquam dicta arbor ad 5. vel 6. ætatis suæ annum pervenerit, supra, ad principium ramorum, secundum longitudinem, sed aliquantulum obliquè, ad lignum usque inciditur; unde tunc præstantissimum hoc Gummi profluit, quod à sole & aëre suam maturitatem & coagulationem acquirit. Primò collectum est colore albo, tenue, viscosum, glutinosum & pellucidum, tractu verò temporis flavedinem contrahit. Ex tali arbore non ultra unum Catti Baros Gummi impetrant, hoc est, tres libras nostrates. Duplex semper Gummi ab eis affertur; primum, quod eleganter album & flavum est: Secundum, quod est crassius, subfuscum, durum, & recrementa habet admixta; cujus rei causa est, quod Surcamici, & Cœrlangici populi eorum Gummi diutius in arboribus relinquunt, & magis intra montes habitant, qui arena scatent crystallinâ, quæ cum aliis recrementis à ventis in hoc Gummi injicitur, præsertim in tempore collectionis. Et sic hæc arbor satis descripta sit. Fig. XXXI.

## OBSERVATIO CLIII.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

### *De*

# Arbore Camphoræ.

IN eodem loco prope Baros, non verò intra montes crescit hæc arbor, hîc describenda & cujus figura heic depicta est. Arbor magna & densa est: Ejus lignum ob duritiem & firmitatem ad ædificia perutile caudicem habet rectè ascen-

dentem: ramos ſuos ordinatè explicat: elegantis formæ: folia magna & carnoſa, anterius acuta, & contrita, odorem ſpirant Camphoræ, qui tamen ceſſat, ſi aliquantiſper retineantur, ob volatilitatem Camphoræ; formoſos profert fructus, parvæ nucis avellanæ magnitudine, oblongè rotundos, tenui tunicâ indutos, quæ rurſus, inſtar nucum avellanarum, alteri elegantis formæ tunicæ incluſa jacet, quæ diverſos habet colores, ut rubrum, purpureum, flavum, & viridem; integrum fructum contegit, & inſtar tulipæ ſuperius ſeſe aperit. De collectione Camphoræ nunc dicemus, quæ fit ſequenti modo. Poſtquam incolæ externis ſignis, illis notis, percipiunt, arborem divitem eſſe camphorâ, ſpoliant eam omnibus foliis, cortice, & externo ligno, usque ad medullam, quæ ab eis finditur. In hac medulla camphora eleganter in formâ coagulatâ, inſtar tenuis cryſtallini foliati ſalis reſidet, quæ â medullâ ab eis ſeparatur. Ex hâc tam magnâ arbore colligitur ℔j. ℔iß. ℔ij. ℔iiß. & ad ſummum ℔iij. quæ faciunt unum Catti Baros: certè perpaucum, quod noſtris in terris non foret laboris & operæ pretium; multò minus, ut tam egregiam arborem propterea decidérent. Ego verò in eâ ſum ſententiâ, ut hi homines, ſi artem callerent diſtillatoriam, & lignum illud in parva fruſtula diſcinderent, longè majorem quantitatem impetrarent: percepi enim, quod illud lignum, etſi odore camphoræ videtur carere, multum tamen camphoræ in ſeſe adhuc contineat. Si enim transverſim ſerrâ diſcinditur, ſpirat odorem, & multum oſtendit pinguedinis; quod Japannenſes melius ſciunt ad uſum eorum transferre, hanc enim Camphoram omnem, ex ligno eorum, per deſtillationem expellunt, quanquam purificatio ejus eos adhuc latet: Vili pretio nobis hanc camphoram vendunt, & è contra tenuiſſimam camphoram, ut & quæ ex Borneo adducitur maximo pretio redimunt, quia magni ab eis æſtimatur in Medicinâ: ducunt enim camphoram reliquis medicamentis admixtam, inſtar centurionis aut Præfecti militum ſeſe habere, qui in copias ſuas

ad

ad destinatum locum ducit, ut cum hoste confligant. Ego putavi arborem illam in Japan esse eandem, quæ crescit in Sumatrâ. Sed postquam parvum sacculum cum foliis ejus accepi, vidi aliam esse speciem, quemadmodum ex figura XXXII. hic depictâ apparet: Sunt tenuiora, molliora, & diutissimè odorem camphoræ spirant, totque habent venulas & nervos, quàm illa in Sumatrâ. Quod attinet ad arborem illam in Borneo, de hâc nihil experiri potui, videtur tamen eandem esse arborem cum illa in Sumatrâ, quia eodem modo collecta hæc camphora eandem habet naturam; quare hisce contentus esse debui, quod etiam erunt curiosi indagatores, donec à Dn. D. Wilhelmo ten Rhyne Amico meo integerrimo, qui fuit in Japan, prolixior descriptio edatur. Usus ejus in Medicina satis notus est & propterea hic non describendus. Hoc solummodo dicam, quòd fructus conditi grati sint, & subtilem saporem camphoræ teneant, suntque egregium Antidotum & Alexipharmacum; sed difficillimè impetrari possunt, propter bella, quæ illic sæpè geruntur. Ex hisce fructibus, floribus & foliis etiam aqua destillata, oleum destillatum & expressum confici posset, quia lignum, quando aperitur usque ad medullam, oleum in abundanti quantitate profundit. Et sic finem imponemus. Fig. XXXIII.

## OBSERVATIO CLIV.

## D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.

## Anatome ovis fœtum utero gerentis.

(In Theatro Anatomico Altdorffino Mense Februar. Anno 1680. habita.)

FOetum cum suis involucris membranaceis in uteri hospitio delitescentem cupidis Philiatrorum oculis expondituri, ovem partui vicinam dissecandam è brutorum genere selegimus, quia, teste Clarissimo Gvaltero Needham in Tr. de formato fœtu, si ad prima usque Anatomiæ in-

cunabula redire placet, Historiam generationis hinc initium sumsisse, vocabulaque ab ovium sectoribus imposita, ad alia animalia subsequentibus seculis translata esse constabit, ut ita eorum veræ & genuinæ significationes quàm optimè ex frequentatâ partium generationi in ove dicatarum contemplatione addisci possint.

Primò itaque in expanso supra tabulam prægnantis matris corpore, conspectum subibant ubera turgida, quæ dissecta lac ex albo flavescens crassum copiosè fundebant; substantia verò eorum glandulosa firma membranaceos tubulos hinc inde distributos complectebatur, hos dum stilo immisso explorare conabamur, vidimus tandem ultrà 10. apertis ostiis majoribus hiare in sinum concavum papillæ oppositum, & lactis præparati collectioni faventem; iis perlustratis, divisâ per medium papillâ, membranaceas valvulas exiles interiori superficiei adhærentes, lactis motione proliciti regressum forsan impedire aptas monstravimus. Hinc manum conferebamus ad reliqua uberum vasa evolvenda, visuri an præter sanguinea lactea etiam candicantia in animali hoc ante violentam mortem pasto adessent? Sed cultri obtutusque aciem postrema hæc subterfugiebant, lymphatica autem inde suprà venam cavam ad receptaculum assurgentia conspiciebantur, lympham eò vehentia, quod injectus per siphonem liquor confirmabat: Quare arteriis id muneris reliquimus, ut cum sanguine chylum, ceu proximam lactis materiam, ad ubera deferant, qui in earum glandulosâ substantiâ intercipiatur, percoletur, & depuretur, depuratusque asservetur, sanguine intereà consueto cursu per venas redeunte, lymphaque superfluâ, lactis consistentiam aliàs nimis diluiturâ, per lymphatica refluente.

Viso lactis promtuario, domicilium fœtus primumque hospitium quærendum erat, resectis itaque musculis abdominis cavum pandebamus, & uterum in situ proprio demonstrabamus, cum processibus lateralibus cornibus à figuræ similitudine

litudine dictis, fœtus receptioni in plurium brutorum familiâ destinatis; mox uteri substantiam, tenuem satis, nec tam crassam, prout à quibusdam describitur, è triplicis membranæ complexu constantem exhibebamus; quarum extima prorsus fibrosa erat, valida, nullâ venâ aut arteriâ conspicuâ prædita, certissimo indicio, non alii eandem usui inservire, quàm continendis & fovendis interioribus tunicis; hâc remotâ secunda tunica apparebat multiplici vasorum sanguineorum serie cincta, quæ sanguine turgida paulatim subingrediebantur & desinebant ad tertiam sive intimam tunicam, cujus interiorem superficiem occupabant tubercula quædam glandulosa albicantia, quibus totidem chorio adnatæ glandulæ sive cotyledones per fibrosas digitatas productiones firmiter adhærebant, ut facile ab invicem separari non possent; observabamus insimul, quod Needhamius notaverat, ad priora vasa materna uteri, ad posteriores vasa fœtus per chorion distributa desinere, sine minimo tamen anastomoseos vestigio, cùm ab invicem distracta ne guttulam sanguinis prodiderint, verùm factâ compressione lacteum quid exhibuerint.

Separatis uteri tunicis fœtum involventes membranæ attentionem merebantur: inter eas prima chorion cotyledonibus sive carunculis suis à tuberculis uteri sejunctis quasi tot rosis variegata occurrebat, ubi nominis quoque rationem, cur cotyledones appellentur, cognoscere licebat, nam κοτύλην i.e. cavitatem continebant manifestam; considerabamus tunc ad prædictas cotyledones vasorum umbilicalium propagines non solùm abire, sed & multiplici choro ipsam membranam cingere, cujus etiam usum constituebamus, ut vasa umbilicalia cum cotyledonibus fulciat, & depurando liquori nutricio fœtui offerendo secundariò inserviat, in glanduliferis siquidem animantibus cotyledones eum primariò usum præstant, ut in tuberculis internæ uteri tunicæ depositas sanguinis arteriosi materni portiones chylosas spirituosas inde recipiant, & percolatas sanguini per venam umbilicalem ad fœtum refluo associent.

Vulne-

Vulnerato leviter chorio & ad latera digitorum ope deducto, membrana altera, nempe Allantoides super amnion prope funiculi finem obliquè ad utrumque uteri cornu expansa cernebatur, figuræ similitudine farcimen exprimens, unde & latinum nomen ad græci imitationem obtinuit, atque farciminalis dicta est, aliàs urinalis etiam denominata, ob liquorem contentum urinosum, salsum, quem ex vesicâ fœtus per urachum ad hanc membranam effundi, vesicâ compressâ demonstrabamus.

Inde ad tertiam nos recipiebamus membranam explicandam, Amnion nominatam, & fœtum integrum proximè complexu suo foventem; tenuitate hæc mollitie & lævore non multum dissimilis priori videbatur, sed minutissima tamen ipsam vascula hincinde perreptabant (quorum ne minimum in Allantoide vestigium) & liquor inclusus purior transparebat. Liquorem istum nutricium insignivimus, cùm eo nutriatur fœtus, quod aperto hujus ventriculo verum esse quivis experiebatur. Dum verò ita in Amnio explicando versabamur, en fœtus per intervalla movebatur, & inductam proximè membranam subinde attollebat.

Remotis velamentis membranaceis ad fœtum ipsum tenerâ multa lana vestitum oculos convertebamus, & primùm quidem ad funiculum vasa cum uracho à fœtu prodeuntia & umbilicum perforantia colligentem. Vasa itaque illa umbilicalia dicta videbamus esse Arterias binas cum venis sociis & uracho. Arteriæ non ex Aortæ trunco (aliàs enim sanguinis impulsus fuisset vehementior, adeoque vel teneros arteriarum canales disrupisset, vel certè metus fuisset, ne spirituum repentina fieret jactura, & dispendium difficulter resarciendum) sed ab internis Iliacis ramis propagabantur, & vesicam perreptabant, atque urachum medio loco pergentem ad funiculi usque finem comitabantur, ubi ab invicem diductæ dextrorsum sinistrorsumque infinitos ramulos ad cotyledones amandabant; harum usum cum modernis Anatomicis con-

stitueba-

ſtituebamus, ut, dum ſanguinem à fœtu ad cotyledones propellunt, liquorem exteriùs circumfluum ope caloris ſanguinei colliquando præpararent, & quoniam fœtus intra uteri ergaſtulum liberioris auræ uſurâ protinus frui nequit, reſpirationis defectum ſupplerent, cùm ſanguis per eas hinc inde excurrens non poſſit non à colliquamento tepido ejusque particulis nitro-aëreis blandè attemperari, ſicque flamma vitalis à ſuffocationis periculo vindicari. Poſt arterias monſtrabamus venam umbilicalem ex ſciſſurâ epatis enatam, unicam quidem in itinere breviori ab Epate ad umbilicum, hoc verò ſuperato mox duplicem factam, ſicque arteriarum numero reſpondentem, & cum iisdem ad cotyledones usque in infinitos ramulos diviſam; unde uſum ſequentem concludebamus, nempe enim quemadmodum arteriæ ſanguinem ad cotyledones diffundunt, ita vena umbilicalis geminatas propagines illum reducere, ſimulque portiones quasdam nutricias ex cotyledonibus reaſſumere, fœtuique offerre. Reſtabat urachus, quem ex fundo veſicæ protenſum medio inter arterias umbilicales loco tendere, tandem verò ubi ſanguinea vaſa ad latera diſtribuuntur, in annexam allantoidem tunicam expandi, & liquorem contentum illûc effundere factâ compreſſione cuivis patebat.

Adhæc fœtus corpuſculum rimabamur, in cujus aperto abdomine inteſtinorum ſitum contemplabamur, & inter illa cœcum fecibus diſtentum oſtendebamus, rectum quoq; excrementa continebat multa, imò talia jamdum rejecta fœtui exterius adhærere conſpiciebantur. Ventriculus turgidulus vaſculis ſanguineis ceu lineis purpureis elegantiſſimè pictus, liquorem ſubſtantiâ, conſiſtentiâ atque colore alteri in amnio contento ſimilem, guſtui verò acido-ſalinum, exhibebat. Epar tenellum purpureo nitebat colore, glanduloſis acinis diſtinctè conſpicuis, ac ei annexa veſicula fellea arteriis venisque cyſticis eleganter cincta ſervabat bilem copioſam, quam etiam per ductum cholidochum ad duodenum jamdum expurgaverat. Lien ſubfuſci coloris numeroſam vaſorum copiam obti-

nebat. Renes cum glandulis adjacentibus vel renibus succenturiatis magnitudine admodum conſpicui erant, & per mediam longitudinem diſſecti carunculas papillares diſtinctè exhibebant. Ab imo ventre ad Thoracem progrediebamur, ubi ſternum cartilagineum albicans, tenuiſſimas coſtarum cartilagines molliſſimasque recipiebat. Diaphragma ambitu carnoſo lumborum vertebris coſtisque ſpuriis adnatum, centrum nervoſum tenuiſſimum concavum habebat. Pericardium aquâ paucâ repletum erat, quo ceu involucro detracto Cor obveniebat figurâ vaſisque coronariis diſperſis adulto exterius ſimile, ſed colore differebat; auriculæ enim ſolæ admodum rubebant, reliquâ ventriculorum ſubſtantia exiſtente pallidâ, certiſſimo indicio, ſanguinem prius per illas, quàm hos tranſiiſſe. Enimverò quia ea propter quoad internas cordis partes diverſitas quædam vaſorum & capſularum notanda erat, hinc porrò monſtrabamus, 1. foramen ovale ab auriculâ dextrâ ad ſiniſtram ita patens, ut ſanguis V. C. ex illâ ad hanc ſtatim influere, haud facile tamen ex hâc ad illam regredi poſſet, propter adhæſum membranulæ valvulæ vicem præſtantis; 2. canalem oſtendebamus arterioſum ab arteriâ pulmonali ad Aortam protenſum, ut ex illâ in hanc ſanguis deſcenderet, nec omnis ad pulmones abiret. Pulmones verò colore cineritio præditi flaccidi concidebant, perque tunicam exterius ſuccingentem transparebant punctula ſubnigricantia innumera, veſicularum deſinentium oſcula. Iis perluſtratis tandem in ſupremo ventre cerebrum quidem curioſum præbuiſſet ſpectaculum, ſed cùm ad ſceleti ornatum oſſa cranii illæſa ſervanda eſſent, commodiori illud reſervavimus occaſioni. Cæterum in capite oculi protuberabant, palpebris ſuperinductis clauſi, dentes inciſores inferioris maxillæ cum molaribus utriusque maxillæ perfecti occurrebant, præterquam quòd molares in medio cavitatem inter laminas oſſeas tenuiſſimâ membranâ obvelatam habuerint. Oſſa cranii & maxillarum poroſa fibrarum ſpermaticarum ductus egregiè monſtrabant, noſtramque

confir-

confirmabant sententiam, ossa ex filamentis plurimis spermaticis sibi invicem appositis & agglutinatis produci. Mastoides & graphioides processus integri osseam jamdum acquisiverant duritiem; ossicula tria auris internæ per expansam tympani membranam in situ proprio eleganter transparebant. Plura indagare temporis ratio prohibebat, & ut aliqua Medis relinqueremus monebat. Sceleton ovis matris & fœtus in Theatro nostro Anatomico adhuc asservatur.

## OBSERVATIO CLV.

## D. JOH. PAULI WURFBAINII,

*De*

# Oculis cancrorum monstrosis.

ETsi novum quidem non sit, tam in homine, quàm brutis, variarum nonnunquam figurarum inveniri lapillos, imo & in cancris sive Gammaris fluviatilibus, annuatim mense præsertim Junio & Julio, binos occultari lapillos hemisphæricos, ob animalium oculos, quorum figuram repræsentare creduntur, oculos cancrorum vulgò dictos: novum tamen, vel ad minimùm minùs quotidianum puto, hos ipsos lapillos gammarinos monstrosos fuisse inventos, uti priori jam anno mihi observanti contigisse, recordor: Incidi enim fortè fortuna, appositis in prandio gammaris fluviatilibus, in aliquem eorum, mediæ magnitudinis, lapidem (quem penes me adhuc curiosè servo) figuræ rotundæ, ℈ij. ferè pendentem, in capite foventem, quem fortius nonnihil contacto, exque una parte disrupto, binos illos vulgares lapillos, firmiter sibi mutuo cohærentes, in se continere, & folliculo quasi lapidefacto circumclusos seu rectius incrustatos, adinveni. Num verò quoad causam, ad mentem Cl. Helmontii de generatione horum lapillorum genuina lib. de Lithiasi cap. VII. §. 32. stomachus cancrorum, in mucilaginem alimenta-

riam aliàs ábſumendus, ex lactei liquoris, ſtomachi convexum globum exteriorem attingentis, ſtatimque lapideſcentis copiâ hoc modo præternaturaliter induratus aut incruſtatus fuerit? anpotius, quod probabilius, ſecundum Excell. Phoſphori quondam noſtri, deſideratiſſimi Sachſii circa gammarorum generationem ſententiam, Gammarolog. lib. I. cap. XIV. §. 19. hic naturæ error, â Salis terræ centralis (quo littora inhabitantes, ejusque antra perreptantes gammari, nutriuntur) coagulati nimia copiâ, originem ſuam debeat? aliis judicandum relinquo. Fig. XXXIV. p. 394.

## OBSERVATIO CLVI.
## D. GEORGII WOLFFG. WEDELII,
### De
# Miſy Dioſcoridis.

PLura ſenſim obſcuris mergi tenebris, & neſciri veteribus nota, quæ eſſe tamen non deſierint, exempla in Medicinâ non pauca probant. Ut alia mittamus, notiſſimum olim fuit Miſy, non tam vegetabile illud, de quo *Plinius l. 19. N. H. c. 3. p. m. 540.* quàm minerale, cum ſori, chalcitide & melanteriâ affinitate gaudens.

Utut verò ignoretur citrà inſigne detrimentum, ſuppetente in uſus illos vitriolo; mirari tamen licet illam ſeu incuriam, ſeu tenebras, quibus involutum hæſit hactenus. Sanè quò plures evolvas hanc in rem autores, ab ipſo *Galeno l. 9. de ſimpl. med. fac. cap. 47. ad Cæſium usq; l. 2. de mineral. cap. 4. ſ. 15. & Schröderum, lib. 3. cap. 18. p. m. 458.* ne plures laudemus, â dictis tactos, alioſque, eò abeas incertior. Quin nec *Plinius l. 34. c. 12.* Dioſcorideas notas expreſſit ſatis.

Optimum ergò fuerit fontem conſulere, & *Dioſcoridis* deſcriptioni genuinæ aptare naturæ theſaurum. Ita verò ille delineat, *l. 5. cap. 117.* Miſy eligendum Cyprium, quod auri ſpeciem præ ſe fert, durum, & cum friatur, aureis ſcintillis micat,

cat, & stellæ modo radiat splendescitque. Omnia hæc quadrant exactè mineræ martis Hassiacæ, seu potius vitrioli, qualis etiam in Angliâ extat, & vitriolum præbet. Est hæc corpus χρυσοφανὲς, *auri colore æmulum*, præsertim nobilior, unde & vulgò minera martis solaris salutatur; ob colorem scilicet, aliàs enim cum auro nihil habet commune; Est σκληρὸν, *durum*, sibi adhuc relictum; καὶ ἐν τῷ θραυσθῆναι χρυσίζον, non solùm extus aureo colore splendet, sed *& cum frangitur, aureis scintillis micat*; καὶ ἀποστίλβον ἀστροειδῶς, *& stellæ modo radiat.* Accedit affinitas cum vitriolo tanta, ut aëreâ calcinatione factâ efflorescat, fatiscat in pulverem & vitriolum elegans hinc à solutione exhibeat. Liceat ergò nobis concludere, ipsissimum hoc esse & genuinum Misy Dioscoridis. Elegantem de hâc minerâ Dissertationem edidit *D. Joh. Thile*, vir in Chimiâ versatissimus.

## OBSERVATIO CLVII.

## D. GEORGII WOLFFG. WEDELII.

*De*

# Pisce monstroso pedato.

MOnstra sæpè fieri in animalium præsertim genere, quotidiana testatur experientia, ita ut frustra non rarò occupemur in ludentis naturæ his jocis & exorbitantiâ. Duplex verò potissimum assignari horum potest causa, seminum confusio, & idearum formatricium turbatio. Illius exemplum præbet mulus & consimiles diversæ speciei commixtorum animalium fœtus; unde & velut pertæsa operis sui natura non plus ultra tendit, contenta quod monstrum excluserit abhorrens infaustè semel generatorum propagationem. Neque enim credere fas est, in altero orbis hæmisphærio, quod nonnullis visum est, miranda brutorum genera ex commixtione tali coaluisse, & adhuc dum perstare. Hujus exemplum videre licet in bicipite vitulo, agnove, quale

 sceleton

sceleton ex cadavere ante triennium secto asservamus, quandoquidem gemellos productura natura impedita corpori uni duos quasi adsuit foetus. Tacemus varias phantasiæ oblatas species naturalissimum opus deturpantes.

Ad quamnam classem referendus sit pisciculus monstrosus, quem exhibemus, lectori arbitrari liberum esto. Repertus est in aulâ Serenissimâ Gothanâ d. 25. Augusti labentis anni, immixtus reliquis coctis & Principum Juniorum mensæ appositis, hinc in ministrantium fercula cedente patinâ, à puellâ XII. annorum. Hæc ori ingerendum pedibus instructum conspicata à proposito destitit, quem territa aliis monstravit, ad nos tandem cum sufficienti descriptione rei gestæ missum. Caput, os, pinnæ, oculi, & totus superior ac medius venter piscem verum notant, cauda latius paulò desinit, anticè verò gemini pedes cum coxis adhærentes æquo cum caudâ spatio exporrecti & officulis suis conspicui.

Fig. XXXV. p. 394.

## OBSERVATIO CLVIII.

## D. GEORGII WOLFFG. WEDELII,

De

# Mercurio Saturni.

INter reliquas operationes Chymicas seu Pharmáceuticas neglectior paulò est putrefactio, cum tamen velut manuducat ad ἀνάλυσιν corporum mixtorum, quæ in prima velut sua elementa resolvit. De hâc egimus latius in *Pharmaciâ acroamaticâ*, ex quâ prius, quam id quod intendimus, proponamus, summa quasi quædam hîc adferemus capita. Asserimus nempe præter alia 1. putrefactionem esse destructionem corporum mixtorum: 2. fieri à resolutione principiorum vitalium materialium; 3. speciatim per eandem destrui & corrumpi sulphur & aquam; 4. subire illam non solùm animalia

&

& vegetabilia, verùm etiam mineralia & metalla; 5. sal in se incorruptibile destruendo & corrumpendo sulphuri cum aquâ inservire; 6. putrefactione ex vegetabilibus & animalibus elici Mercurium seu sal volatile, 7. ex mineralibus verò & metallis Mercurium corporum. Hujus ultimi asserti unicum dabimus exemplum, Mercurium Saturni.

Inservit studiis nostris per quindecim circiter annos vas plumbeum, atramentum asservans, in quo dudum vidimus superiorem coronam subinde mollescere, limosumque corpus præ se ferre, & exutâ metallicâ duritie & qualitate imminui. Interni quoque parietes quadrati simile quid offerebant sæpius. Neglêximus id & mortem etiam saxis marmoribusque venire memores absumi sensim usu putavimus & atteri plumbum, ejecto per ministrum sæpius consimili magmate. Tandem ipse aliquando putrilaginem scrutatus cogitavi, annon mercuriale quid ex interitu hoc metalli resurgat, elutriantes spissiorem limum. Dictum, factum; invenimus miculas Mercurii vivi plures, admodum mobiles, quas in unum cocuntes collectas etiamnum adservamus, ostensâ re novâ domesticis Philiatris. Unà verò parietibus ærosi quid, seu rubentes veneris particulas invenimus.

Hoc ipsum experimentum satis probat, dari Mercurium Saturni, eumque verum ac genuinum, esse etiam reverà salia resuscitativa, quæ Mercurium vario charactere in metallis & mineralibus fumosis diversificatum, & sulphuri vario immersum ac coagulatum, sibi reddant ac oculis sistant, cum & sine obstetricante igne, de quo impræsentiarum plura adducere non vacat.

## OBSERVATIO CLIX.
## D. GEORGII WOLFFG. WEDELII,
## *De*
## Pilâ Cervinâ.

DEfraudati occasione videndi pilam cervinam, quam *Ann. X. Ephemer. obs. 169. p. 374.* descripsimus, feliciores fuimus nuper,

per, poſtquam laudatus ibidem Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dn. *Johannes Erneſtus*, elapſo autumno repertas in duobus cervis geminas pilas gratioſiſſimè oſtendit & delineandas conceſſit, unam majorem, ʒij. ℈j. pondere, alteram minorem ℥iß. gr. v. pendentem, ſimillimas ægagropilis, figura oblongâ & ferè ovali, ſubſtantiâ partim pilos, partim fibras plantarum filamentoſas exhibente, cortice exterius obducto ſubnigricante, odore grato.

Ut quædam addamus de ortu harum, duplicis generis notandæ ſunt pilæ, in quadrupedum ventriculo reperiri ſolitæ: *piloſæ*, ex mero pilorum glomeramine velut confertæ, & *filamentoſæ*, quando pilis intertexta herbarum velut ſtamina fibroſa occurrunt. Prioris generis ſunt pilæ in bobus reperiri conſuetæ, magis rotundæ, & ſæpè magnitudine inſigni conſpicuæ, quas globos bovillos, pilas piloſas, & ova, præeunte *Cardano* vocant, Germ. Haarballen; quarum elegantem deſcriptionem præter alios dedit *Cl. D. Wagnerus*, *Hiſtor. natural. Helvetiæ curiosâ ſ 4. art. 2. p. 169. ſeqq.* Poſteriores in rupicapris frequentius, hinc & aliis nonnunquam & nominatim in cervis quoque reperiuntur.

Fundamentum concretionis ſine dubio extrinſecum conſtituunt, pili cutis lambendo ori ſubinde ingeſti, & propelli à fibris ſtringentibus ventriculi neſcii, vario motu agitati & conglobati, neque enim complecti eosdem æquè novit architriclinus. Hoc in utriſque valet, ita differentiam largitur victus; congeneres pilis fibroſa plantarum fila miſceri facilè & implicari infinitis cirris poſſunt, aridioribus præſertim locis, nec potu largiori diluendo elota, è papillis glandoſis exudante ſero coagulabili hinc ſenſim inducto cortice cruſtoſo.

Sunt, qui certam plantam his pilis producendis aptam ſtatuant magis, inducti impenetrabilitate quadam, ut putant, cum viderint globum plumbeum nō trajeciſſe exploſum partes corporis cervi; perſuaſi etiam rariori illo in iisdem phænomeno, ſæpius viſo in aulis, cumprimis laudatâ Vinarienſi,

diffracta



Fig. 34. p 380


Fig. 36. p. 384.



Calculi per mictum
à puero excreti. p. 368.


Fig. 35. p. 381.


Fig. 37. p. 385.



diffracta oſſa, pedum, ſecus ac in aliis brutis, ob ἀῤῥωϛίαν judicii, ſi ita loqui licet, contingit, coaluiſſe, & hoc pacto læſos cervos aliquandiu non viſos hinc rediiſſe incolumes. Illud dubium aut tralatitium potius eſt, per accidens forſan eveniens magis; hoc verò non improbabile, alias præ aliis plantas conſolidationi aptiores quæri poſſe, & huic uſui inſervire.

Fig. XXXVI.

## OBSERVATIO CLX.

## D. GREGORII HILLINGII,

*De*

# Ungue utriusque pedum pollicis monſtroſo.

VIxit hic locorum Vir quidam, cujus mater dum in utero ipſum geſtaret, cum Marito aviarium Auguſtisſimi Imperatoris Viennæ ingreſſa, laſcivis oculis, uti ſequior iſte ſexus ſolet, cuncta perluſtrans, ex improviſo aquilam præmagnis ungulis præditam, conſternata vidit, & ita perterrita fœtui hanc impreſſit labem, ut ſtatim à nativitatis horâ, in utroque pedum pollice ungulæ tales, aſt minores, apparuerint, atque adeò, creſcente ætate, cum annis accreverint, uti delineatio exhibet. Hoc ſingulare conſiderandum venit, quod vernali tempore dextri pedis ungula; autumnali verò ſiniſtri ungula ſponte ſuâ deciderint, denuoque de novo ſingulis repullularint annis. Ungulæ duræ ſunt, cineritii coloris, ad fundum, ubi adhærent pollici, concavæ. Exinde autem & puer & vir nihil incommodi vel doloris, etſi pedes iter egerit, perſenſit, ſed ſemper bono conſtitutus habitu, niſi quod ad melancholiam inclinarit, ad vitæ finem optimè valuerit, & amplioribus calceamentis opus habuerit.

Fig. XXXVII.

## OBSERVATIO CLXI.

## D. GREGORII HILLINGII.

*De*

# Calculis in puero per mictionem excretis.

SCito puerum istum tredecennem à plurimis æstimatum fuisse vermibus scatentem, postquam verò prima calculi fundamenta minxerit, ipsi pulverem Tuum Nephriticum sumendum suasi, quoad grana duo indies bis sumpto, plurimos & ultra centum exclusit lapillos, coloris ochrei omnes. Antequam verò dolores recrudescunt, persentit auram quandam è dextro pedis pollice sursus versus ad renes & humeros usque repentem, quem demum dolor insequitur, & calculorum proventus. Hujus causam cum rimari haud queam, Te, industrium & solertissimum rerum naturalium indagatorem, Oedipum mihi invoco, atque ut vel tribus saltem lineolis mentem Tuam mihi exponas, rogo quam amicissimè. Fateor equidem me, simul cum pulvere Tuo etiam decoctum ligni Nephritici sumendum, imperasse, nec infelici successu; authoritate motus Clarissimi & felicissimi quondam Practici Augustani Raym. Mindereri, qui eodem decocto plurimorum cum admiratione & emolumento feliciter usus fuerat. Tandem curam insecuta est paralysis ejus lateris, & quies à calculo.

[*Indicante id Cl. Hillingio 23. Decembris Ann. 1678, in literis ad Helianthum datis.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CLXII.
## D. EHRNFRIDI HAGENDORNII.
*De*
# Singulari calculorum humanorum figura.

CAlculos miræ figuræ interdum ſive naturæ benè adhuc ſibi conſtantis adjutorio, ſive lithontripticorum communiter ſic dictorum exhibitione per vias urinarias excerni, ex obſervationibus Medicis conſtat. Sic mirabilis adſpectu ante aliquot annos erat calculus veſicæ, quem Budiſſæ videre licuit, à vidua quadam ſpontaneo Naturæ motu excretus, ſat grandis, intùs tamen ex parte concavus, cum foramine in ſuperficie, quod ipſum penitius cùm intuerer, vidi calculum ex foliis, vel lamellis lapidoſis quaſi coalitum, indicio, Naturam in hujus generatione per appoſitionem ſucci lapideſcentis hanc iviſſe viam.

Verùm plus admirabilitatis habuêre, quos mox recenſebo, calculi. Caſus ita habet. Degit in finibus Bohemiæ in oppidulo quodam Matrona non infimæ ſortis, quâ cum ante aliquot menſes verba miſcere, ægrotantique marito conſilia afferre medica licuit. Hæc ipſa, cum ſuperioribus annis continuis lumborum doloribus, iiſque atrociſſimis affligeretur, varias pro more ſuſtinuit manus & artes. Sed incaſſum. Cruciatu namque hoc indies augmenta capeſſente, tandem ſuaſu amicæ cujusdam frequenter bibit aquam fl. chamomillæ, rata paſſionibus hyſtericis ſe affligi. Nec infelici ſucceſſu. Nam cum per aliquot dierum decurſus uſum aquæ prædictæ continuaſſet afflictiſſima, en, ex improviſo dolores modò ad dorſum, modò ad pubem vergentes, lapillum unum alterumque expulêre. Gaviſa ſic ægrota, certiorque de morbi ſpecie hinc reddita, repetit aquæ chamomillæ uſum, unde fit, ut indies

cum urina lapillos redderet tantæ multitudinis, ut sanitati restituta ultra centum eorum numeraret. In quibus hoc singulare, quod omnes, quos ego hisce meis oculis vidi, manibusque palpavi, unius essent molis, nempe magnitudinem pisi majoris æquantes, unius etiam figuræ, scilicet flavescentes, angulisque nonnullis conspicui, **sahen aus wie geschnittene Börnsteine**/ quibus colla sexus fœminei collucere hactenus consueverunt. Unde etiam mihi nata fuit occasio locum joco dare, dicendo, non absurdum fore, ut in rei gestæ memoriam ornamenta vel colli, vel manuum, inde conficerentur. Cæteroquin, quod obiter addo, de usu flor. chamomillæ tum internô, tum externo in lithiasi egregia collegit experimenta *D. Ramelovius Tract. Germanic. de nephritide c. 6. p. m. 513.* qui videri potest.

## OBSERVATIO CLXIII.
## D. EHRNFRIDI HAGENDORNII.
### *De*
# Virtute liquoris ex Cantharidibus prolecti.

LEctu jucunda sunt, pariterque in Praxi proficua, quæ *D. König in Regno animal. pag. 162. 3.* nuper publici juris facto, de cantharidibus collegit. Quibus in parenthesi velut sequentia addere visum est. Cantharides nempe, ceu alia quædam insecta dant spiritum summè volatilem & urinosum, si per additionem cinerum clavellatorum, aquæ &c. justâ utaris encheriesi. Qui ipse, si conjecturæ locus, posset commodiùs usurpari in emplastris pro vesicatorio, in fonticulis loco cauterii potentialis, partibus tamen, ceu par est, defensivo priùs probè munitis. An interno pro usu debeat exhiberi, hæreo, cùm citra experientiam loqui erubescam. Intuitu autem, quòd cantharides pulveratæ in ischuria, hydrope

drope &c. paſſim à Practicis commendantur, in quibus quicquid agunt, ſolummodò ratione ſalis ſui volatilis id agunt, corporeâ earum ſubſtantiâ parum vel nihil huc conferente, utique non reformidarem, neceſſitate exigente, ejus uſum, cautè tamen, internè adminiſtrandum. Curioſa aliàs relatio eſt, quam olim amicus quidam de hoc liquore mecum communem facere voluit, ſcilicet, ſe ex ejus odore, ob ſubitaneam phiolæ, in qua aſſervatus fuit, apertionem, elapſis aliquot horis in dolores dorſi cum urinæ cruenta redditione incidiſſe, capitisque pariter haut vulgares inde ſenſiſſe turbas. Addit quoque, liquorem hunc ſanguini à ſectione venæ adhuc calenti infuſum, ita eundem in fluorem concitaſſe, ut nullæ amplius fibræ in eodem apparerent. Pergit ulterius, ſpiritum hunc, vaſe aliquandiu non munito, in totum evanuiſſe. Aliàs in fonticulis ob nimiam carnis ſpongioſæ excreſcentiam, aut geſtantis incuriam, coalitionem minitantibus, **wenn ſie zufallen wollen**/ pro ſingulari hactenus habui experimento globulos, ex duabus partibus ceræ terebinthinatæ, & una parte emplaſtri veſicatorii Ludovici conficiendos, & incisâ priùs carne applicandus. Qui ipſi, præterquam quod coalitum ulteriorem præcaveant, & hoc inſimul habent commodi, ut fluorem ichoris & promoveant, & conſtantem ſervent. Non intermittam tamen, ut propediem innoteſcat, quæ qualiaque experimenta plura circa præfatum liquorem aut ipſe fecero, aut aliunde reſcivero.

## OBSERVATIO CLXIV.

### D. JOH. LAURENTII FEHR.

### Vermium copioſa, aſt ſalutaris, ἄνω καὶ κάτω ab adulta perſona facta excretio.

CIrca materiam generationis vermium, in variis corporis humani partibus ſtabulantium, Autores plerique omnes in eo conveniunt, Vid. Obſerv. 147. Ann. II. Ephem. Germ. quòd è viſcido & putredinali humore

producantur, verùm circa formam mirandis actionibus nobilitatam, variisque accidentibus instructam non sunt unius ejusdemque sententiæ. Nos, adstipulante Dn. D. Bierling. observ. 154. Anni II. Eph. Germ. istiusmodi formarum rudimenta corpus cum assûmtis esculentis atque potulentis subire arbitramur, quælibet enim corpora naturalia suam specificam obtinent formam, à sapientissimo rerum conditore cuilibet speciei primitùs ingenitam atque implantatam; hæc autem cùm sit corporea & materialis, sicque ab animalibus cum cæteris alimenta constituentibus partibus in ventriculum deferatur, vel ibidem, vel in tubulato ejusdem corpore, vel alibi, ubicunque dispositam invenit materiam, sibi conveniens parat domicilium, quâ deficiente rursus è corpore expellitur, & jam in excretis, lacte scil. caseo, assumta seminia verminosa repræsentantibus; item stercore, præcipuè anserino atque suillo, herbam anserinam & sonchum copiosè producentibus; jam in putrefactis corporibus anatum cumprimis & gallinarum, ranas & araneas, alimenti locô priùs deglutitas, oculis contemplandas subjicientium sese ostendit. Talia producta verminosa in hominibus præcipuè pueris ἀδδηφαγία laborantibus frequentiùs, in ætate provectioribus, uti ex sequenti patet historia, rariùs observantur. Uxor cujusdam pistoris sexaginta annorum, herniâ inguinali jamdiu afflicta, per aliquot dies doloribus colicis, tandem etiam iliacis continuè urgentibus cum pertinaci alvi obstructione, vomitionibus crebris, æstu & inquietudine laborabat, subsequente appetitûs dejectione, virium debilitate, animique deliquiis: exhibitâ primò potione confortante, & inunctô abdomini unguentô anodyno clysterem ordinavi, sed hunc ob nimiam inquietudinem retinere non potuit, ac licèt alterô tertioque die fuerit repetitus, & residuum magma cum vesica exteriùs applicitum, parum tamen levaminis hinc sensit, interim hisce diebus decem vivos vermes oblongè rotundos cum fæculenta materia non sine graviore adstantium nausea per os rejecit, &, neglectis medicamentis ferè omnibus,

solô serô lactis in potu usa est, unde tandem alvus sponte est aperta, &, vermibus aliquot mortuis per anum rejectis, non sine multorum admiratione gravissima hæc symptomata sensim evanuerunt.

## OBSERVATIO CLXV.

## D. JOH. LAURENTII FEHR.

# Calculus vesicæ ab imperito medicastro in urethram protrusus lethalis.

NOtum est, calculos renum præcedente quadam urinæ putredinali resolutione per concursum salium diversorum generari, & quicquid in hac actione comprehendunt, in ejusmodi tophaceum corpus coagulari; calculos autem vesicæ utplurimùm à renibus per ureteres in vesicam derivari, & sæpe tantum ibidem sumere augmentum, ut per vias naturales eliminari nequeant: varia proinde pro feliciori horum exclusione excogitata sunt remedia, tam pharmacevtica, quàm chirurgica, in quibus adhibendis plerique omnes impostores atque medicastri suam jactant peritiam, sed infelix sæpius successus summam istorum prodit imperitiam, quod apparuit nuper in cive quodam nostrate nephritide & calculosâ dispositione laborante, qui, postpositô Medici consiliô, istiusmodi agyrtæ curæ se commisit, & numeratô pactæ pecuniæ dimidiô (qui fucus pro emungendo à simplicioribus argento ipsis frequens est, & quasi proprius) varia medicamenta sub forma potionum & pulverum urinam pellentium, & calculum frangentium ab impostore propinata assumsit, hinc calculus non sine acerbissimis doloribus versus vesicæ sphincterem est promotus, quem cùm digitô ano immissô certiùs explorâsset, tantâ violentiâ versus urethram promovere tentavit, ut hinc dolores non solùm graviores, sed & major urinæ reddendæ difficultas, atque inflammatio periculosior succederent,

rent, quæ symptomata deinceps ita invaluerunt, ut nebulo, malè sibi conscius, aliquoties in auxilium vocatus non modò non comparuerit, sed &, nunciô à ministro acceptô, patientem delirantem in agone versari, fugâ sibi salutem quæsiverit, ægrumque ante aliquot dies satis robustum & sanum morti tradiderit, hinc re hâc ad Medicos loci delatâ & examinatâ, jussu Magistratûs cadaver est apertum, inque urethræ radice calculus asper eminentiis quibusdam insignitus, magnitudine denti molari mediocri, binas radices inferius acuminatas repræsentanti, haut dissimilis, per violentas protrusiones membranis nervosisque partibus summè inflammatis profundiùs infixus, & versus anteriora immobilis repertus est, qui omnium malorum, etiam mortis consecutæ, autor extitit.

## OBSERVATIO CLXVI.

## D. JOH. LAURENTII FEHR.

# Inconsuetus Mensium fluxus.

UXori cujusdam sutoris sexaginta duos annos natæ, cùm per aliquot septimanas malè se haberet, cum gravi capitis dolore, appetitus dejectione, respirandi difficultate membrorumque lassitudine, subsequente insuper oris intumescentiâ & quadam loquendi impotentiâ, tandem menses, qui jam per aliquot annos substiterant, fluere cœperunt, tàm per ductum ordinarium, quàm extraordinarium os scil. ita quidem, ut per duos dies continuos sanguinem sputando ejicere, & hoc ipsô imminens suffocationis periculum avertere necesse habuerit, hinc per totam corporis superficiem ἐκχυμώματα seu maculæ quàm plurimæ majores atque minores ob sanguinis impuri stagnationem efflorescentes comparuerunt, quæ convenientibus diaphoreticis, interjectis aliis medicamentis symptomatibus urgentioribus succurrentibus, iterum discussæ integram Patienti sanitatem restituerunt.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXVII.

## D. EMANUEL KÖNIG.

# Cerebrum pomi magnitudine è cranio Carcinomate exeſo protuberans.

MUlier Ruſtica Ditionis Baſileenſis annorum 40. in capite ſupra muſculum temporalem ſiniſtri lateris (ubi cancroſo affectu itidem laboravit & obiit prior mariti uxor) puſtulam arefactam inter crines enatam animadvertit, quam digitis abraſam & detractam, menſibus inordinatè fluentibus, ſemper nova excepit, uſque dum in longitudinem ad orbitam uſque oculi ſerpens malignitatem ſuam cancroſam mentiri amplius nequiverit; hinc precibus in Lazaretum benignitate Ampliſſ. Magiſtratus Baſil. ſuſcepta, ſuaſam exciſionem hujus carcinomatis (ne oculum ſævitiâ & acumine ſuo offendendo tandem effoderet) forti reſolutione ſuſtinuit cum ſubſequenti cauterii actualis ad hæmorrhagiam ſiſtendam applicatioe; interea quia cranii ipſius læſio & caries antea prædicta tandem ſe monſtrabat, denuo cauterium actuale, tum & potentiale, lapis nimirum infernalis (ex argento optimo in aquâ forti ſoluto paratus) ad hæc vitia corrigenda à binis chirurgis fuêre uſurpata, quibus tamen nil minus effectum quam ut caries hæcce calvariæ fuerit correcta, quin potiùs exeſio adhuc major ſit procurata, ulcusque cancroſum ſerpſerit latiùs. Detractis hinc paulatim fruſtulis & ſquammis oſſeis dura meninx in motu ſuo nunc adſcendens nunc deſcendens apparuit quoque labe cancroſâ infecta, in centro namque formatæ inibi circumferentiæ macula quædam ſolitò albicancior (quam aluminis uſti inſperſione corrigere chirurgi præſumebant) ſe monſtravit, quæ diſrupta ipſi cerebri ſubſtantiæ è ſuâ galeâ exitum concedebat, dum ſenſim è foramine ampliore reddito cortex cerebri tenui meninge adhuc ex parte obductus prorupit, uſque dum indies ſe augmentans pomi, ſed

mediocris magnitudine extra nativam ſedem in conſpectum venerit, puriſque, cui antea exitus liber concedebatur, expurgatio debita amplius denegata fuerit. Prout autem cranium ſenſim latius fuit exeſum, ſic & non minus pericranium circumcirca à cranio, cui fibrillis fortiter adhæret, abſceſſit & redditum liberum, ut ejus ingentia fruſta chirurgi abſcindere coacti fuerint. Cranio ſic magno ſatis ſpatio denudato & exeſo, ſeque ſaltem offerente ſanguine tenui ſeroſo, intus lac quovis nectare & ambroſiâ dulcius potavit, & extus Saturnina dulcificantia, pulveres item abſorbentes cum fotu è decocto *ſcord. abſynth.* aliisque ferociam humorum domantibus & characterem morbificum delentibus & eluentibus ſibi applicari paſſa eſt, idque proficuo cum ſucceſſu, paucis namque diebus cranium antea nudum carneo veſtitu velut tegi, ipſumque ulcus pus fundere laudabilius, magno ægræ & viſitantium ſolatio, incepit. Interea dum rebus ſic ſatis circumcirca bene apparentibus cerebrum indies magis protuberaret, ratio antea ſatis vigoroſè ſe exerens ſenſim vacillare cœpit, ut ſopore nimio correpta tandem apoplectica obierit. Cadavere ad ſectionem præparato Caput ceu mali conſpicua ſedes ante omnia examini noſtro fuit ſubjectum, ubi primitus id animadvertere datum, protuberantiam ejusmodi cerebri, ob ſpiritus avolantes, cerebrique ab iis expanſionem denegatam minorem multò fuiſſe redditam. Calvariâ vero more conſueto detractâ, cerebroque à poſticâ parte elevato (quo modo cerebri partes perſpicuè ob oculos ponuntur) puris virideſcentis ingens copia circa principium futuræ medullæ ſpinalis & cerebellum conſpiciebatur, cerebrique in parte affectâ diſciſsâ & examinatâ, pure illa itidem perfuſa, corrupta & à ſolitâ albedine multùm declinans & quaſi ſphacelata apparuit, longè enim flaccidior, mollior ac nigricantior erat pars ſiniſtra præterquam dextra, quæ longè robuſtior, firmior ſtriisque albicantibus ceu radiculis nervorum erat dotata. Abdomine pòſt diſſecto, Hepar, Lien, Renes, ſana quævis apparuere, glandulæ item meſenterii ad attactum

erant

erant molliusculæ; Pancreas verò ventriculo substratum totum scirrhosum tangere licuit. In Thorace duo illa primaria viscera charactere morbifico insignita se oculis exhibuerunt, cordis nimirum camera dextra polypis erat referta, pulmonesque apparuere nigricantes & quoad lobum dextrum purulentâ labe infecti.

## *SCHOLIUM.*

I. UT ut agrestis vitæ sanitas laboribus, victu frugaliori & simpliciori firmata publicis laudibus à Poëtis & Medicis extolli soleat, nihilominus rustica gens ob immunditiem casarum, cibosque bestiis magis quàm hominibus offerendos, horrendos sæpissimè patitur morbos, ut exemplo est citata mulier, ad cujus morbosi ovi exclusionem varia suum contribuere fotum. Aër nimirum inquinamentis casæ forsan cancrosis similibus à prædecessore relictis (prout mora circa podagricos & convulsioni objectos, febricitantes item ex miasmatum susceptione, similique inducto motu similes inducere affectus observatur) plenus, victus ratio eadem cum denegatâ imprimis singulis mensibus sanguinis debitâ serenatione & decenti expurgatione, unde ex ingressu aëris corpusculis incongruis spiritibusque adversis impraegnati & chyli acido-acrioris è cibis illaudabilioribus in sanguinem, quin & regressu in eundem particularum sanguinis menstrui acrium & solventium (ut cita linteaminum corrosio edocet) sanguinis balsamus mitis & dulcis in διαβρωτικὸν convertitur & διάθεσιν tantùm non arsenicalem cogitur, unde non solùm glandularum tenella structura in aliis nimium arroditur & pervertitur, sed & ipsa ossa adoritur & dividit humor hic specificè acris & corrosivus, fibrarumque eorum compagem strictam nimis dissolvit, indicio manifesto satis fortem non spirituum saltem, sed & humorum esse in partes solidas actionem.

II. Cancrosos affectus canis rabidi ad tempus silentis instar, qui irritatus & exuscitatus pessimè furit, vel etiam more ignis (ex melancholiâ adustâ enim seu atrâ bile quæ ex tincturâ

 vitrio-

vitriolicâ ſucci pancreatici bili impreſsâ ac nimiâ fermentatione & exaltatione oritur, cancrum vulgo progigni ſtatuitur) ſuppoſiti cineri doloſo, qui leni afflatu & attactu uſtulat, ſe habere, neminem ignorare puto, hinc namque ſimiliter exacerbati acribus virus ſuum occultum tandem apertè demonſtrant, ut patuit hoc applicatione cauterii potentialis, qua dum intendebatur correctio oſſis carioſi, ejus corruptio ulterior potiùs procurata fuit, quatenus particulæ cauſticæ lapidis infernalis ex aquâ forti corroſiva corpuſcula potiùs magis exacuerunt quàm infregerunt & domarunt, ſecus ac fit decenti Arſenici præparati uſu, quo *Alliot* Ducis Illuſtr. Lotharingiæ Archiater non ſolùm in mulieribus Pariſienſibus ſed & matre Regis egregia præſtitit: imò & hinc parùm inhibitum & effectum, ut pericranium à cranio, fibrillis hæc connectentibus diviſis & à vaporis morbifici acrimoniâ exeſis, ſeceſſerit, contribuente haud parùm ſymboli aëris ulceribus & vulneribus ob aciditatem hoſtilis liberiori acceſſu.

III. Lac intus & ſaturnina alkalica mitia extus uſurpata manifeſtum attulere levamen, hæc quidem quatenus figuram aculeatam & anguloſam noxiam liquoris ejusmodi corroſivi mutant, invertunt, abſorbent & præcipitant, quo ſpicula ſua in fibras ſenſiles minus evibrare poſſint, unde & cum fructu ſæpius præſcriptum Ceratum Ampliſſ. Conſulis *Tulpii L. I. Obſerv. cap. 47. ℞. Ol. roſac. ℥ij. Ceræ alb. ʒvj. plumbi uſti & lot. ℥ß.* Oleum cum cerâ liquefiat & addito plumbo agitentur per 6. horas in mortario plumbeo, F. Ceratum. Lac verò ſummum lenitivum & epiceraſticum erat, quia particulis nutritivis aliàs dulcibus ſed hîc acido-acrioribus, acutioribus & ſcindentibus aliam paulatim induxit χέσιν, partes nimirum ſeroſæ nitroſæ, caſeoſæ adhæſione ſuas eas aliter figurarunt, butyroſæque angulos acutiores in obtuſiores flexerunt, prout aliàs cremor butyroſus cum ſaccharo Saturni extus hoc in affectu & cum cretâ in Herpete blandum & ſummè proficuum eſt topicum. Quamvis autem lac primitus hoſtem hunc aggrediendo aliquam

roboris

roboris efficaciam monſtrarit, nihilominus partes acres ſe evolventes dominium obtinuere, ferociamque ſuam in totum haud depoſuêre, adeò ut furibunda hæc beſtia cicurari ſe minimè ſit paſſa: imò quandoque dum lac ad acrimoniam humorum obtundendam potatur, contingit ut ſeceſſio ejus fiat in partes ſi non in primis ſtatim viis manifeſtè, tamen in maſsâ ſanguineâ haud benè conſtituta & volatilitate debitâ perfusâ, fuit enim quidam Podagricus qui curâ lactis hodie non ſaltem ſed & Plinii jam ſeculo conſuetâ, vinculis pedum ſe quidem liberavit, ſed de novo ſibi thoracem & pectus ſtrinxit, dum pars lactis caſeoſa ductibus bronchialibus ſe affigens aëri debitum ingreſſum denegavit, aſthmaque tandem lethale induxit. Quod verò ulcus hoc exedens durante lactis uſu pus fundere cœperit laudabilius, exinde eſt, quod affluxus materiæ copioſioris & laudabilioris adfuerit, ex quâ ulteriori coctura pus conficitur.

IV. Protuberantiæ Cerebri ſubſequutæ tantùm non monſtroſæ è foramine calvariæ, quæ cerebrum circumcirca cingendo in debito motu dirigit, cauſa non ſaltem in motu machinæ humanæ & ſpiritibus corpus univerſum perfundentibus, maximè cerebrum debitè expandentibus, ſed & in ipſo lacte ex parte quærenda erat, ſi juxta *Avicennam L. II. Can. Tr. II. cap. 442. p. m. 259.* Lac cum melle potum augmentum facit in cerebro, quod aliàs in fœtubus velut lac craſſioris conſiſtentiæ albidum molle apparet. Cæterum protuberantia hæc cerebri è foramine calvariæ jam innuebat ſpiritibus liberum fore egreſſum, animæque è corpore diſceſſum, denegando enim puris expurgationem debitam, factum, ut illud tum ad cranii parietes concavos deſcenderit, tum à glandulis corticis cerebri ſuſceptum per poros cerebri medullæ intimius fuerit imbibitum, corpus calloſum inquinarit, copiâque ſuâ tandem futuram medullam ſpinalem ac etiam ipſum cerebellum compreſſerit, quò minus ſpiritus vigoroſè expandi, lux primigenia microcoſmica lucere & ſyſtema nervoſum irradiare potuerit,

rit, unde & ſpirituum velis velut contractis, iisque vappeſcentibus, ſopor, ſenſuum & mentis (ante ob ſanguinem acriorem motumque ſpirituum agitatiorem, ut & in Podagricis fit, apertiùs vim ſuam exerentis) hebetudo & tandem ex totali ſpirituum influxu denegato Apoplexia fortis vitæ filum ſubitò abrumpens oborta fuerit, ad quem ſubitò inhibitum motum lautè contribuêre Polypi cordis ſeu coagulationes ſucci nutritii gelatinoſi & nonnihil glutinoſi (unde gummeum liquorem humoribus corporis ineſſe verè ſtatuit *Mr. Dodart dans Project des Hiſtoires des Plantes*) parietibus ejus & columnis carneis particulas ejusmodi inviſcantibus ſe annectentes, unde non ſaltem materiæ ſpirituum in cerebro elaborandorum defectus ingruit, ſed & motus requiſitus ablatus fuit.

## OBSERVATIO CLXVIII.

## D. EMANUEL KÖNIG.

## Morſus Lupi rabidi Talismate Saturnino ſanati.

Quamvis Chriſtianos in ſplendidum illud Talisma nempe Jeſum Chriſtum, qui imago & character eſt Dei Patris, à quo bona quævis largiter in nos deſuper derivantur, potiùs ante omnia ſpem & fiduciam locare deceat, Medicoque fido & cordato medicamina quævis tali repræſentata obvenire debeant ſigillo, ex unâ ſcilicet parte effigie Morionis cultro armati cum voce *Cave*, ex alterâ illo Homeri, *Novi & ſcio ſingillatim quæ bona quæ mala ſunt*, nihilominus & Talismatum Paracelſicorum ſeu ſigillorum & characterum Planetarum idoneâ horâ & die ſecundùm Planetarum curſum debitâ ratione è metallo correſpondenti concinnatorum & fabricatorum virtus & efficacia magna eſt, id quod ſigillum Saturni experientiâ docuit, contigit enim ante aliquot annos, ut lupus rabidus circa pagos aliquot tum Baſileenſis

sis ditionis, tum Alsatiæ superioris vicinos oberrans 50. circiter homines adoriretur & morsu læderet, quorum quotquot Aqua infusionis sigilli Saturni potanda dabatur, evasere, cæteris omnibus, quibus ea non offerebatur, pereuntibus. Sigilli ejusmodi effigies talis erat, ut ex unâ facie formæ quadratæ circulo inclusæ, tribus plagis distinctæ, cuilibet earum trinis numeris quindecim inscriberetur, ex alterâ verò Planetæ per tubum opticum observati corpus rotundum cum duabus ansulis ab Hugenio Astronomo primitùs detectis, quasi annulo circumdatum esset, ut videre est apud *Israëlem Hiebnerum Nivemontanum Mathematicum Effurtensem Myster. Sigill. Herbar. & Lapid. p. m. 232.* in cujus locum Planetæ imaginem formâ Viri barbati senis cum ligone, eo habitu quasi terram foderet, & stellâ in capite, addito nomine *Saturnus*, exprimi vult *Theophrastus Archidox. Magic. L. VII. p. m. 716.* qui videatur.

## *SCHOLIUM.*

PLurima dari naturæ mirabilia, secretaque Magica i. e. Philosophica, quorum rationes Physicæ sunt obscuræ, effectus tamen certissimus, verissimè scribit *Pharam. Rhumelius Jatr. Chymic. cap. XIII. p. m. 409.* exemplo cancrorum, quorum pectori inverso (ut sunt animalia inversa) si alligentur ungues febricitantium præcisi, abiiciantur que vivi in aquam profluentem, febres certissimè abiguntur, prout & ipse cum *Theophrasto de Myster. Verm. Oper. Vol. II. p. m. 220.* ejusque affeclis felicem hujus successum expertus novi. Talium verò in numerum, an etiam talismata ejusmodi secum gestata suo modo sint referenda, quorum itidem operandi modus est abstrusus, efficacia verò magna, diversorum diversa est opinio: Sunt enim, qui Diabolum hîc in scenam traducere non verentur, quibus tamen cit. *Theophrastus Tr. I. de Philosoph. Vol. I. p. m. 233.* diabolum, quem in ipso habitare dicunt, domum remittit; Alii vanæ superstitioni & imaginationi affectûs aliquid attribuunt, exemplo plurium vanâ imaginatione cum effectu nihilominus haud vano se lactantium, prout ejus ridiculum exemplum (si ullum

robur

robur ejus indicare valens) pronuper observare datum in Parocho venam sibi incidi curaturo, huic quosvis venæsectiones timidè admittentes irridenti talis fraus obtigit, ut brachio ritè ad V. S. disposito, averso ejus ab adstante capite, vena phlebotomo saltem inverso fuerit titillata & tacta, gutturniumque vasi applicatum ac si verus sanguis ei instillaretur, quo sic nihilominus effectum, ut postquam ipse sufficientem sanguinis putatitii, qui tamen pura aqua erat, effluxum reputaret, chirurgusque foramen sibi imaginatum claudere nondum vellet, in ἀσφυξίαν ac si sanguis verus emissus esset, inciderit, ut ex ejus vehementiâ Pater Capucinus adstans & ipse chirurgus fugæ se dare deliberarint, nisi fortioribus spirituosis cardiacis tandem ad se rediisset. Poterunt esse alii qui virtutem hanc quam sigillum exeruit, ex plumbo naturaliter constituto, quàm verò artificiosè taliter modificato & sigillato derivandam censebunt, ita ut prout plumbum antivenereum est & evirat, ita & hîc spiritus, ferocientes similiter per communicationem ideæ rabiosæ reprimendo effectum illum præstare potuerit, prout inter alias hujus sigilli virtutes & hæc laudatur, quod infusum ejus libidinem coërceat & ferociam quamvis impediat. Quod si verò Harmoniam mundi respiciamus, astrorumque & planetarum substantiâ & colore (Saturni corporis superficiem colore cineream, Jovis rufam vel flavam Martis nigram, Terræ forte & Lunæ luteam, Veneris candidissimam, Mercurii cœruleam esse suspicatur *Keplerus*) differentium in terraqueum globum influxum & radiorum directionem, magnum certè virtutis robur iis minimè denegandum esse quivis præjudiciis valedicens confitebitur, unde & cum Paracelso facilè quis inferre posset, quòd Planetæ virtutem suam possint imprimere talibus sigillis, eaque quoad virtutem suam ita occupare, quasi cum omni suâ substantiâ illis inessent, quemadmodum insunt ipsi firmamento, quatenus nimirum fusione illâ certâ (de quâ *Theophrastus* & *Hiebner*) metallorum appropriatorum in locum exhalantium corpusculorum minus fixorum, mercurialium succedit

materia

materia subtilis (quâ stante mirum quod Cartesius Astrologiam ita floccipenderit) vel spiritus æthereus ex certo Planetâ tum temporis dominante & in exaltatione constituto certo & specifico modo nobis imperscrutabili modificatus, quæ metallum virtute suâ imbuit & occupat, ut influentiæ antipatheticæ & adspectus maligni ab eo mitigentur spiritusque hominis spiritibus astrorum analogus aliter irradiatus ad has potiùs, quàm alias actiones disponatur & determinetur, salvo tamen voluntatis & rationis, si sua jura debitè observet, dominio. Numeros inscriptos multitudine variantes quod attinet, eorum fundamentum esse videtur harmonica Planetarum proportio & distantia, unde successivè etiam multiplicatione increscunt, dum radii è planetis sparsi ad terram pertingentes nunc majores, nunc minores ex illâ radiatione evadunt; circa quod tamen inprimis animadvertendum, quo mundi systemati hæc innitantur, ac annon commoda quædam reductio & hinc conciliatio institui possit. Interea de hisce ἐπέχειν adhuc potiùs, quàm certi quid determinare præstat, libero tamen unicujusque judicio; fiet certè, ut posteri harmonicam mundi sapientissimam dispositionem & concentum hinc dependentem (ex Saturno & Jove ceu Basso, Marte ut Tenore, Terra & Venere ut Alto, Mercurio ceu Discanto, ut eleganter scribit Celeberr. noster Mathematicus *P. Megerlinus Exercit. Acad. de Syst em. Mund. p. 60.*) gratissimum manifestius quàm hactenus factum sint speculaturi. *Nihil enim,* ut est *Matth. X. 26. Marc. IV. 22. opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non scietur.*

## OBSERVATIO CLXIX.

### D. EMANUEL KÖNIG.

### Radicis Carlinæ vis defatigans.

Quod apud *Helmontium de Magnet. Vuln. Curat. §. 24. Oper. p. m. 752.* legitur de Carlinæ (quæ Botanicorum Coryphæo *Celeb. Bauhino* Chamæleon albus acaulis audit) radice, quod plena succo & viribus evulsa, mu-

miæ humanæ contemperata, tanquam fermento ex homine, cujus umbra premitur, vires & robur naturale in portantem trahat, id parvo abhinc effluxo temporis spatio veritati consonum esse experientia, optima rerum magistra, docuit; fortè fortunâ enim contigit, ut quidam rerum Medicarum adeò haut imperitus cum comite pagum Marchionatûs Badensis superioris peteret, offenderetque in viâ piscatorem rusticum ex urbe Basileâ reducem, quem prædicti duo allocuti itineris socium sibi optarunt, quos tamen ille ceu sibi in eundo inæquales minusque exercitatos post se relinquere mox animo fovit; prædictus verò Chirurgus hominis festinationem eludere volens, frustulum radicis antea nominatæ, quod secum gestabat, ori indidit, observandoque ventilationem aëris halitum ex ore de radice prodeuntem ad piscatorem direxit, unde paulatim factum, ut piscator de lassitudine corporis insolitâ conqueri cœperit, ut, dum tandem summè defatigatus ad pagum destinatum cum comite, qui ei vehiculum minimè erat, perveniret, humi se prosternens, artus summopere fessos de se protenderet fascinatumque se, ob insolitum eventum, omnino crederet. Chirurgus de experimento sibi jam ex parte noto, certus in diversorio vino & pane illum refecit, sicque ei valedixit, quem tamen paulò post in pago haud procul distante rursus velut semianimem offendit, sicque de virtute radicis hujus defatigante satis superque est factus certior.

## *SCHOLIUM.*

Regni vegetabilis virtutem in hominem se exerere non saltem, dum herbæ in substantiâ assumuntur, vel liquidis infunduntur, sed & dum fluidum athmosphæris eorum imbuitur, exemplo dato illustratur: in substantiâ dum assumuntur, partes corporis stabiles magis roborare, in infuso vagas feliciùs corrigere, in fluido autem volatiles potentiùs afficere credibile est; immediatum enim est aëris ceu vehiculi corpusculorum odoriferorum per motum ex odorato corpore prodeuntium

tium & ſpirituum commercium, ita ut pro ejus varietate è variâ corporum ambientium habitudine diverſiſſimè ſpiritus afficiantur, etiamſi cum *Hobbeſio Element. Philoſ. ſect. I. part. IV. cap. XXIX. p. m. 249.* ſaltem ſtatuerimus olfactionis cauſam eſſe motum partium odorati ſimplicem absque ullâ è toto ſuo effluxione, quo motu propagetur per medium aërem motus ſimilis ad usque organum, qui per ſe non ſatis eſt vehemens ad excitandam ſenſionem ſine aëris per reſpirationem attractione. Quidquid ſit, miram eſſe effluviorum ſubtilitatem, mirandam magis variè determinatam naturam, inſignemque efficaciam ex Ingenioſiſſ. Anglo *Rob. Boyle* quivis facilè confitebitur: plurimum equidem intereſt ex *Harvæanis* fundamentis, ut quis ex laudabilibus cibis ſanguinem purum, nitidum & laudabilem conſervet; verùm & non parùm proderit ad corporis robur conſervandum, ut quis fluidi ambientis ſubſtantiam quoque probè attendat, neque enim veneno ſaltem intus aſſumpto; ſed & reſpiratione hauſto, exemplo chirothecarum venenatis corpuſculis imbutarum, quæ Regiam perſonam in Galliâ olim interfecerunt, quis ad Orcum mitti poteſt. Ex horum verò conſideratione putatitia faſcinatio ope radicis hujus inſtituta in auras exhalabit; quid nî enim corpuſcula exhalantia cum interſperſâ certâ materiâ ſubtili ſpiritus immediatè ferientia, eos ita potuerint immutare, inque alienum motum (prout & non raro obſervavit in praxi ſuâ *Frid. Hoffmann. Clav. Schröd. p. m. 431.* decoctum hujus radicis in brodio quibusdam vomitum moviſſe) diſponere, ut à debitâ ſyſtaſi, vigore & expanſione nonnihil remiſerint, id quod tum Neurologia *Williſiana* tum reſpirationis modus à *Mayovv* traditus, tum & methodus medendi *Cl. Hannemanni*, quâ ex alteratione & impprægnatione aëris variâ diverſi in corpore cientur effectus, clariùs ob oculos ſiſtunt. Vid. *Regn. Animal. Sect. I. Art. VIII. §. 5.*

## OBSERVATIO CLXX.
## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.
# Oleum ſeu ſpiritus ſulphuris absque igne præparatus.

SPiritum ſulphuris per campanam confici jam dudum notum, ſed absque combuſtione talem impetrari, aliquid novi eſt. Id mihi ex improviſo contigit perluſtranti inſignem mineræ ſulphuris acervum in inſula, Unruhe nuncupata, extra Bataviam, quo navibus ex Moluccanis inſulis aſportata ſub dio relicta fuit, cujus aliquot fruſta curioſis deſtinare laboribus decreveram. Dum autem ori ad guſtandum ejus ſaporem admoviſſem, jucundiorem ejus aciditatem ſenſi, quæ me ad ulteriorem ejus experientiam invitavit. Materiæ proinde illi aquam pluviæ deſtillatam ſuperinfudi, lenique ad digerendum in Balneo Mariæ calori commiſi, aliquoties eandem movendo, ut commodior inde extractio ſequeretur. Peractis aliquot diebus decantatam inde aquam & filtratam per Balneum Mariæ abſtraxi; remanſit in fundo liquor acidus coloris aurei, vulgari ſpiritu ſulphuris longè nobilior. Hunc per retortam agere conſtitui, qui eleganti cryſtallino colore pertranſiit, exiguâ poſt ſe relictâ terræ albæ portione. Sic naturali viâ impetratus fuit iſte ſpiritus, qui alioquin citra laborem & combuſtionem acquiri non poteſt. Rarum hoc naturæ monumentum eſt, quòd acidum tale adeò apertum reperiatur, cujus minera pura ſatis & ſquamoſa, poroſa levisque duriuſculis intermiſta glebis, quibus ſulphur nitidum adhæret. Matrix ejus ad attractionem ſulphurearum ex aëre particularum ſatis apta eſt; Montana iſta regio, ubi effoditur ad percoquendum eam commoda ſoli obverſa eſt, ut continuis deſtillationibus, cohobationibus, circulationibus & tandem concentratione tantò pretioſior artificiali iſto ſpiritu evadat, quia Solem pro patre, pro matre Lunam agnoſcit.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXI.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

# Ex quibus partibus Ambra grysea consistat.

Multa circa hujus subjecti originem inter doctos dubitatio effecit, ut per ignem id experiremur. Ambræ proinde unciam unam Retortæ vitreæ indidi, adaptatoque cum luto recipiente igni commisi libero; præmisso tamen lenissimo calore; exivit liquor aqueus: subsequente paulum fortiore, spiritualis successit liquor & flavi oleum coloris. Intensiore calore salis quoque volatilis exiguam portionem accepi, nil alio, licet diutiùs urgerem, subsequente; residuum quod fuit, piceæ erat formæ: humores qui transiêre, aceto ex succino destillato conformes fuere, nisi quod olei odor suavior & sal volatile succino similius. Exinde Ambram nil cum corporibus animalibus, ne dum mineralibus, sed vegetabilibus ratione qualitatum & unctuositatis habere commune, judico, idque eò, quia in plerisque ligni frustis observavi eandem, quâ perlita fuere unctuositatem, quæ effluens ex truncis arborum littoribus adnascentium delabitur, & se subtilissimis à sole calcinatis coralli arenulis atque aliis materiis miscet, tandem in littore comparet, duritiemque convenientem maturam & perfectam solis aërisque beneficio acquirit.

In regionibus orientalibus multa cadunt pretiosa odorata multisque etiamnum incognita gummata, quæ cum arboribus in lacus vicinos abripiuntur sive calore solis liquefacta defluunt, unde iterum ex arenis elevata conspiciuntur. Ambra siquidem in diversis Indiæ locis invenitur in Japan, in insulis Moluccanis, Mauritii, Neykotarres, in Summatricis occidentalibus finibus, in insula Borneo & Caep Commoriis prope Mallabar sitis.

Ambra solvitur in spiritu vini, post se copiosam relinquens nigram piceamque materiam ab eo indomitam. Hic spiritus tandem sedimentum quoddam album, nubilosum, post se relinquit, se paulatim magis magisque coagulans in formam collium montiumque, quod exsiccatum terram præsentat foliatam splendidam, aspectuque jucundam, ut facilè adduci patiar, talem unctuositatem quasdam in undis pinguedines inibi natantes spermatis instar ceti sibi associare & cum iis se unire. Cl. Doctor Willem. de Rhyne ex Japonia redux, Ambram in balænis ibidem incredibilis magnitudinis reperiri mihi retulit, ut plerique locum suum natalem in Cetaceo genere habere credant eandem; quod fidem apud me non meretur. Licet enim Ceti passim mare pererrent, Ambramque quamvis obviam deglutiant, quæ in ventre eorum calefacta in molliores ejusdem partes se insinuet, cujus copiam tandem extensio subsequatur, satis ponderosa tumoris instar vasti; hinc in Ceto eandem crescere deinceps & augeri credidere. Prædictus Dominus von Rhyne latiùs ea de re scripsit ad Excell. Olaum Borrichium Hafniæ Medicum & inter Acta Danica relatio ista fuerit relata: meum tamen hæc Calculum non impetrabunt.

## OBSERVATIO CLXXII.

### D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

### Vermes rari lucentes.

IN plerisque Insulis Coromandel, Ceylons, Java aliisque permultis locis inveniuntur vermes & muscæ, quæ vespere & noctu turmatim hinc inde obversantur. Earum verò saltem mentionem facere mihi placuit, quæ in Coromandel unâ saltem vice fui contemplatus. In Sylvestribus sæpius ad rariora pervestiganda commoratus locis, quin & venationibus nonnunquam delectatus fui, sed dum obscura in nocte luminosi quidpiam observavi, cujus adspectu mirum delecta-

tus

tus fui in modum; propiùs accedens quendam illius notavi motum, ideoque immotum illud reliqui, quoad dies appropinquare cœpit, tunc intuitus inveni vermes lucem talem præsentasse, conglobatos coloris Scarlatici fericei in rotundam formam convolutos, in quibus nec oculi, nec alæ, nec pedes animadvertebantur. Aliquot talium vermium cum modico, cui incumbebant, terræ mecum domum deportavi, ex eorundem lumine porro delectationem capturus, & inditis in phiolam vitream iisdem per menstruum spatium tantum splendorem assecutus sum, cujus beneficio & literas exarare & legere potuerim; ab eo autem tempore cum vita & lux eorundem defecit. Quæritur non immeritò, unde tantam conceperint illuminationem? me arbitro provenire eandem crediderim ex subtilissimis & maximè volatilibus sulphureis & nitrosis particulis aëris ab iisdem ad se attractis & concentratis originem ducere. Consimilem ferè splendorem in Insula Ceylon observavi apud Scorpiones leviter compressos, quoad liquidi quid ex iis effluat, qui deinde liquor sulphureum lumen exhibet, veneni sui ardentis sulphurei indicium, ut quis ab iis ictus, tanquam ab aqua forti, vel oleo sulphuris aut vitrioli, vel cauterio actuali fuisse læsum se putet. Hujus porrò naturæ tale esse venenum demonstrat illius alexiterium, quod ex volatilibus Alcalibus salibus acquiritur, cum modico scilicet Sal. Corn. Cervi theriacæ admisto, & scarificato vulnerato loco adplicito, non neglecto sudorifero,

℞. Theriacæ ʒj.
Sal. C. C. ℈ß.
Volat. oleosi rad. Cinnam. Sylvest.
Zerumbeth, ā. g. v.
Aq. Zedar. ℥ij. Mf.



Offero hæc indagatoribus curiosis penitiùs hæcce perscrutantibus. Figura & magnitudo talis est, quam damus.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXIII.

D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

# Anatome Coralloides.

MAgnamCoralliorum varietatem mare offert, præcipuè verò in Summatræ oris occidentalibus, orbem quippe subterraneum cum summa admiratione in undis animadverti, turribus, domibus, montibus, vallibus, arbustis & sylvestribus recessibus ex variis coloribus & formis constantem. In mundo hoc subterraneo vel subaqueo varii pisciculi, virides, cœrulei, rubri, flavi, gammari, echini aquatici, hujusque generis plura continentur, quæ per ignem ad examen revocare lubuit tàm mollioris, dum fuerunt, substantiæ, quàm coagulatæ. Corallium quoddam rubrum, à nobis pseudo-corallium articulatum nuncupatum, spiritum, sal volatile & oleum dedit nigrum, sicut cornu cervi, quod cum spiritu vini rectificatum stabit, in loco medicinæ cujusdam celebris. Quod porrò fuit durius & coagulatum corallium, ex eo liquorem elicui alcalinum absque sale volatili & oleo, sed materiam fuligineam brunam; liquor ille omnes spiritus corrodentes, aquam fortem, oleum sulphuris, vitrioli, aciditate suâ privat, eamque absorbet. Alia coralli species equiseto similis, quam equisetum marinum nominare decrevimus, consimili nos beavit spiritu. Aliud iterum corallium lignosum intus, Ebeni instar nigrum, extus verò lapidescente grisco cortice obductum, quod Ebenum marinum lapidescente crustâ nuncupabimus, spiritum acidulum alcalinum, cum crasso nigroque oleo fœtorem consimilem iis, qui ex ponderosis istis lignis Guajaco &c. prodit, reddente, largitum est. Tale à sua carptum radice, linguæque admotum, instar potentis Alcali linguam adussit: inde ex forti subterraneo effervescente volatili Alcali id formam, colorem atque originem ducere, sed ex salinorum marinorum in se invicem agentium ebullitione corpus

tale


Matrix Corallii cærulei.
Pseudo-Corallium.
Ebenum marinum.
Equisetum marinum.

tale & vegetantem virtutem acquirere, vincente alia salia sale alcalino, quod in majori se prodit quantitate, in minore verò sale marino, unde perfectionem duritiemque suam acquirunt, judico. Eousque attigit meum in talibus inquisitionis studium, ut benevolo pateat Lectori, qui ad Tincturam Coralliorum adipiscendam suum applicat animum, eundem umbram tincturæ loco accepturum esse. Illo verò fœnoris loco salem exinde volatilem & spiritum alcalinum secundum descriptionem nostram omnibus aliis hujusmodi tincturis præferat.

## OBSERVATIO CLXXIV.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

# Universalis Medicina Timoresorum.

INsulæ Timoris non procul à Java dissitæ incolæ quodam gaudent remedio, plurimis, si non omnibus morbis, licèt gravissimis curandis apto, ab iis Belelingen dicto, pingui lascivoque, instar hepatum piscium exiccatorum odore, ideoque ab iis, cæterisque suis vicinis sanguis piscium indigitato habitoque. Verùm à Chirurgo quodam inibi aliquandiu commorante mihi relatum est, sanguinem talem id non esse, sed vegetabile quodpiam, scopulis in profundo innascens ab illius loci incolis certo anni tempore collectum: porrò id etiam Ontrenti Larentorique, & sub templo Lamahase versus occidentem ad 5. vel 6. orgyjas sub aquis ab incolis ex fundo maris adportari; cujus materia viscida & spermati ranarum non dissimilis, nisi quod fusci coloris viscidiorisque substantiæ sit, ut cultris discindi possit. Præparant autem eandem coquendo in aqua fluminis, usque dum non amplius spumescat, rejiciendo subinde feculentiam istam, & ad justam consistentiam exhalando. Posteà infundunt lignis de Bambus excavatis, Soli eam opponendo, donec exiccata & ad venditionem idonea reddita in varias hincinde regiones deducta distrahitur; atque in lucrum suum id nimioperè commendant

in febribus, colicis, dysenteriâ, pleuritide, asthmate, torminibus à partu, sanguinis coagulati resolutione, apostematibus internis cum vino aut spiritu vini in frigidis, in calidis verò cum aquis à ℈j. ad ℈ij. propinantes.

Ad examen ignis revocatum id præter sal quoddam volatile, oleum insuper aurei coloris copiosè, cum exiguo sale acido fixo, tanquam corpus quoddam animale dedit, & ex plerisque aliis coralliis talia impetravi. Hæcce proinde medicina tali non frustra dotata virtute est, quia, quæ sale volatili abundant, præ cæteris commendata celebrantur.

## OBSERVATIO CLXXV.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

## Coquo de Maldive & Mosambique. Cortex Santali citrini. Rusa Ray nigri & albi. Cort. Soeda. Cortex contra Pleuritidem.

Duo nucum genera imparis quantitatis & duritiei, sed paris à Portugallensibus & plerisque Indianis æstimationis censentur contra ictus venenatos, morsus serpentum & animalium venenatorum, atque venena intra corpus sumta, quin & calidas & depascentes febres, quarum ℈ß. ℈j. & aliquantò plus, pro dosi inserviunt. Nucleus satis durus est, instar secalis; Maldiviensis infantis caput magnitudine æquat; venditur magno pretio. Altera verò ovum gallinaceum refert, ejusdem prorsus duritiei, quæ si cum serra dissecatur, cavitatem cordis forma repræsentat: Cortex triangularis, nux ipsa oblonga rotunda apparet.

Cortex Santali citrini. Ex Insula Timor ab Hollandis plurimum santali flavi comparatur, cujus arboris plures cortices insimul adferuntur à Portugallensibus & Topassinis. Hi colo-

ris ſunt ex rubro bruni, pingues & ſicci, magnæque apud eos commendationis in menſium obſtructionibus partuque difficili à ℈j. ad ℥ß. Pulveriſati cum vino calido aſſumuntur manè veſperique.

Ruſa Ray nigri & albi. Nigra hæc radix liquiritiam ferè æmulatur, niſi quod intus calcem quandam præſentet cum ſapore amariuſculo ex dulci præmiſſo. Facilè in pulverem redigitur propter ſuam friabilitatem, magnoque in morſu & ictibus venenatorum animalium medendis habetur in pretio, etiam in calidis frigidisque febribus, cholera, colica & tuſſi. Extrinſecus in eryſipelate & inflammationibus trita cum vino in frigidis, vel aquâ in calidis affectibus, aſſumto nonnunquam in eorum locum ſpiritu vini, vel aquâ roſarum, multum confert. Alba in ſputo ſanguinis, apoſtematis internis, febribus & puncturis animalium ad ℈j. ℥ß. & ultra commendatur.

Cort. Soeda. Cortex iſte in magno ab Indis habetur pretio; Experientia illos docuit, magni eſſe ponderis, iſtum in dyſenteria, fluxu ſanguinis & quacunque corporis parte, in hectica & phthiſi pectorisque difficultatibus. In febribus eandem, quæ china china, obtinere virtutem creditur: in vulnera pulvis illius inſpergitur: cum aqua tritus ℈ß. ponderis pro doſi ægrotis exhibetur. Extrinſecus in fracturis virtutem eximiam exercet, particulam illius corticis in Arack aut ejus defectu in aquam calidam imponentes, emollitamque circa vulnus ligant, quàm optimè poſſunt. Præterea hunc corticem calidiuſculæ eſſe naturæ & repellentis virtutis, obque id ad fracturas reſtituendas apprimè proficuæ, conſtat.

Cortex contra Pleuritidem. In India ſimplicioribus Portugallenſes utuntur medicamentis, à crebra experientia edocti, præ aliis compoſitis, multùm ſibi commendatis. E quorum cenſu hunc inprimis corticem pawo de portada dictum, quaſi lignum contra puncturas (cortices quippe quosvis nomine ligni appellant) extollunt, qui coloris ſubflavi ſubſtantiæ craſſioris, ſaporis amari, friabilis conſiſtentiæ, tantoque ad pul-

verifandum facilioris. Ægrotis ℥ß. pondere cum vino assumendum porrigunt; & extrinsecus pulverem istum loco dolenti vel cum Arack aut vino, in frigida intemperie; vel cum aqua simplici in calidiore mistum benèque tritum illinunt.

## OBSERVATIO CLXXVI.

## D. JOHANNIS CORNELII HÖNNII.

# Historia miranda de virgine à maligno morbo, interfecta, cum gravissimis post obitum symptomatibus.

Mulier quædam rustica, adhuc sponsa annos nata XXII. cum metendi ergò segetes aliô se contulisset cum sponso, aliisque consanguineis, coacta fuit cum reliquis sub dio noctu dormire; manè facta à somno libera conqueri cœpit de acerbissimis doloribus sub diaphragmate, de pungentibus atque lacerantibus morsibus, nunc dextram, nunc sinistram partem infestantibus, quorum comes fuit valida satis febris, & ex eventu funesto maligna. Parentes & affines hoc perspecto ad proprios lares eam deferri curant, & ad domum propriæ habitationis reversa, quia malum invalescebat, de divinis Medicis & auxiliis solicita esse cœpit, quando temporalibus, & curativis, præ divitiarum inopiâ, destitutam se cernebat; malo itaque quotidie ferociente, paucis stipato symptomatibus, consanguinei Parochum advocant; septimâ die sub vesperam vitam cum morte commutando devotè pieque in Domino obdormivit, nullâ præeunte phrenitide, nullo præsente lethargo, nullisque infestantibus malignæ febris symptomatibus, sed usque ad finem comitante sanâ & optimâ loquelâ. Post mortem, eam, ut mos est rusticis, in feretro collocarunt, cumque accensis binis candelis cereis vigilans tota gens pagi illius per noctem custodire decrevit.

crevit. Elapsis octo, ab egresso spiritu, horis, defunctum corpus intumescere cœpit, itidemque coxæ, femora, genua, malleoli ac pedes; postea pectus, collum, facies, caput, humeri, brachia, & tandem manus summopere increvere. Tumefacto adeò corpore, ex ore ejus vehemens flatus, cum horribili sonitu, & magnâ fœtidissimi humoris colluvie prorupit, ut cerei, qui ardebant, extinguerentur; hinc perterrita gens è cubili properavit, ad flammam denuò candelis restituendam; quo facto denuò unanimi consensu ad defunctum corpus accedit, quod continuo emittebat ex ore insignem materiæ valdè fœtentis copiam, adeoque totius corporis tumor excessit, ut in eo alter oculorum medio crepuerit, cutisque dum tantam molem capere non valeret, in hypochondrio utroque dissiluerit, & digiti manuum medii per longum omnes rupti fuerint, ut & volæ manuum ambarum integræ servari non potuere, non cessante tamen ob id, vel flatu, vel murmure, vel ex ore colluvie prodeunte, eoque res perseveravit, ut luminaria denuò accensa ab exhalante spiritu protinus extincta fuerint, quousque ex apertis fenestris cubile perflatum fuit aëre puriori. Die jam oborto, Soleque orbem irradiante ad templum deductum id cadaver fuit adeò monstrosum, ut impossibile fuerit, quidquam ex eo cognoscere. In itinere vespillones obturatis naribus loculum deponere, & sæpè vices inter se mutare coacti fuêre; donec ad locum templi allatum cadaver, in Ecclesia permanere à Presbyteris sacras ceremonias celebrantibus, minimè passum fuit præ ingenti fœtore; sed in cœmiterio saltem peractis divinis precibus id humatum fuit, quod inibi vespillones custodierunt: vincula omnia, quibus alligata erant vestimenta, tumor insolens totius corporis violenter disrupit. Hæc est miserrima & mirabilis & verissima hujus defunctæ mulieris historia.

[*Ex communicatione per literas Doctoris Medici Sienesis.*]

# OBSERVATIO CLXXVII.

## D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.

## Sectio Calculi vesicæ, in Viro quater celebrata.

FUrthæ Noricorum mercator quidam eximius, Paulus Lersch/calculo vesicæ laborans, ingravescentibus subinde doloribus ob suppressam toties urinam spem tandem salutis certam in sectione posuit; quam in se suscepit Georgius Gentnerus, Lithotomus, si quis alius, circumspectus & in ea arte insignis. Prima proinde vice Ann. 1674. 2. Octobris die, implorato divino auxilio, novaculam perinæo admoveri passus fuit, duabus penè cum dimidia horis exactis prægrandem enixus est, post vehementes sæpe tractus, calculum, non sine larga subsequente hæmorrhagia summaque virium jactura & universi corporis debilitate. Difficilem hanc effecere curationem arenulæ, per vulnus subinde effluentes, quæ multùm consolidationem vulneris retardarunt. Lapis exemptus formæ adpictæ cum sex drachmis uncias tres adæquavit. Gentnero adstitit manus porrigens auxiliatrices Georgius Prodmannn, chirurgus nostræ civitatis, celebris Practicus. Aliquandiu exinde patiens levamentum quoddam sensit, quamvis per vulnus continuò quædam manârint guttulæ, indubii non debitæ, propter arenulas, coalescentiæ testes, unde nova paulatim incommoda circa vesicam illius suborta integram polliceri restitutionem non potuere.

Ingruente anno 77. cùm doloribus gravativis & pungitivis atrocibus ille denuò, urinæ toties redeunte suppressione, nimium urgeretur, ad iteratam refugere sectionem, priore eandem Lithotomo maximopere dissuadente, victus tamen incensis doloribus, 26. Januarii post mediam noctem coactus fuit, & secundam hanc operationem à dicto Georgio Prodmanno

pati

*Calculi, quatuor sectionibus diversis exempti.*



























pati, quam præsente solâ conjuge suâ in genua devolutâ, cum juvene chirurgi, dum heroico prorsus animo itinerarium catheterem suâ manu direxit, fortiter sustinuit. Re feliciter & ex voto peractâ accitus ego illicò fui, symptomatum vehementiæ obviaturus, quæ exoptato remediorum usu & successu paulatim evanuére, meliusque ille se deinde, quàm ante hac habere cœpit. Lapillorum exinde exemptorum ingens multitudo uncias duas cum duabus drachmis pondere æquabat, formæ obscurè gryseæ cortices illi æmulabantur confractos, subsequente multoties insigni tenacis & sat viscidæ pituitæ copiâ, cui crebræ se jungebant flatulentiæ, patienti satis molestæ. Solatio ipsi fuere injectiones decocti hordei cum vitello ovi, oleo ovorum & hypericonis misti; Aqua citrata cum cinnamomo & saccharo, & decoctum chinæ siti restinguendæ suffecit; alvo cum enematis subinde servatâ lubricâ.

Vix biennium peractum est, licèt se pluribus præservare lithontripticis studuisset, denuo tamen gravissimis divexatus calculi symptomatis tertiam admittere adactus fuit sectionem, quæ anno 78. 9. Januarii die intra sesquihoram felici Prodmanni dextrâ, me duobusque ejus ministris præsentibus fuit finita. Dura satis & quasi pultacea cum cohleari fuit exempta, unciæ unius & duarum drachmarum pondere, massa; quæ paulò post in tophum induruit, symptomatis non tantopere eundem exercentibus. Tertio verò post sectionem die peniculus vulneri immissus ad articuli digiti longitudinem nigrescere visus fuit, non citra gangrænæ metum; quem ope injectionis ex seminibus frigidis præparatæ aliquoties repetitæ sustulimus, felici cum successu & veloci. Flatibus iterum in vesica tentari mirè cœpit, ut sæpius ligaturæ solutionem desiderârit, iis tamen nullâ resistere arte potuimus, latente eorundem in vesicam ingressu. Intra sex septimanas denuò ambulare cœpit, impetratâ paulatim pristinâ valetudine, &, quàm antehac, longè meliori, ut se in portu navigare summè fuerit lætatus, supremo pro tali clementiâ persolutis Numini gratiis.

Sed,

Sed, ut vix aliquid ab omni beatum esse parte potest; ita & optimum hunc Virum per binos saltem annos spes recuperatæ ex integro sanitatis, satis vana lactavit. Anno siquidem 81. 4. Februarii nephriticis rursus victus doloribus, diritate sectionis non absterritus denuò id officii exequente Prodmanno, adfine suo, me juxta cum duobus ministris præsente, se tali encheiresi invicto iterum submisit animo, quæ ad quinque horæ quadrantes exercita felici cum supremi Numinis auxilio iterum fuit peracta. Calculi complures ad ℥ij. ʒj. post illam exempti fuere sectionem; doloreque ille infestatus tertio die post injectionem in vesicam olei ovorum & hyperici, cum melle rosato, saccharo & julepo rosato quietem sensit: Quinto exiguus, quem sexto duo majores secuti fuere lapilli. Decimo omnia cessavere symptomata, præter salivationem post usum Mercurii dulcis cum Cinnab. nativo & ocul. cancr. præparatis permisto; pro lenienda alvo adstricta aliquoties ab ipso assumti, quæ per plures dies satis ipsi fuerat molesta. XXII. Martii circa plenilunium tantam virium jacturam persensit, ut omnes de ipsius vita conclamatum esse crediderimus. Sed posthac ad meliorem redire cœpit statum, ut sequente X. Aprilis in templo iterum comparuerit, pro tanto beneficio Deo Opt. Max. ex intimo cordis sui penetrali agens gratias. Subsequenti luce in vicino suo horto noviter constructo cum amicis se recreavit, domumque cum iisdem commodè satis reversus fuit. Duodecimo verò Aprilis circa vesperam insolenti correptus fuit horripilatione, lectumque suum repetiit, quæ duravit ad quinque horas; remittente dein paulatim rigore, æstum perbrevem sensit. Pretiosa satis in salutem Dn. ægrotantis ordinata fuere medicamenta; sed incassum omnia. Toties siquidem reversus fuit horror iste, interpolatis tamen, non certis vicibus, qui omnem elusit opem operamque quoad delassatum consumptumque tandem ad obitum deduxit patientem, quarto post decimum die, 27. Aprilis, rarum pietatis & patientiæ exemplar longiore ætate dignissimum.

Post

Post luctuosum ejus ex vita discessum, voluntati piè defuncti, ut calamitosum ejus aperiremus corpus, parentes, omnia ferè in naturali suo statu viscera deprehendimus. Stomachus quippe cum hepate & intestinis absque nævo comparuere. Lien penitus corruptus marcebat, levique compressione pultis instar dissolvebatur. Ren sinister dextro longè major disruptus totus putridus, exiguis calculis conspersus, ureterem duplo altero majorem ostendebat, per quem acrior transfluens urina dolorem non saltem ejus loci, de quo vivus continuò conquestus fuit, arguebat, quin & orificium vesicæ propè sectionem rubens planè & quasi gangrænosum præsentabat. Pulmo sinister quoque altero major fuit deprehensus nullo alio præterea observato corporis partium incommodo.

*SCHOLIUM.*

IN prima operatione pleraque, quod apud lithotomos hujus seculi fieri solet, neglecta nimis periculosam effecere sectionem. Post frequentem enim calidiorum spirituum, quasi lithontripticorũ usum copiosâ arenæ rubræ mictione d. **Lersch** continuò divexatus fuit, quæ coagulatæ bilis soboles esse solet, ex calidiore jecinore oriunda. Corpus proinde præparari priùs debuisset, quàm absque omni prævio apparatu tam periculosæ subjici sectioni; jecur ante cum sanguinis bilioso fervore potuisset refrigeratione moderatâ attemperari, ad imminuendam arenularum ubertatem, balneisque præmissis corpus debuisset humectari, perinæumque emolliri, ut felicior exinde post sectionem lapidis egressus fuisset procuratus. Videantur Fabric. Hildan. Paræus, Sennertus, cæterique complures alii.

## OBSERVATIO CLXXVIII.

## D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.

## Hydrops ascites periculosus cum maculis feliciter curatus.

THeologi hujus urbis præcipui conjux longo tempore cachectica fuit. Tumere deinde cœpit in toto corpore, in-

flatâ facie, manibusque & brachiis, ut rumpi videretur, quin universa corporis compages mirè turgida, maculisque diversæ formæ, brunique coloris asperса videbatur, ut se in lecto vix continere potuerit. Ad incitas jam ferè redacta nemini non nil nisi plurima mortis imago apparuit. Hydropem hunc Scorbuticum, quâ appellatione jam omnes ferè morbi gaudent, nuncupavit, qui adstiterat, medicus. Ego ex thermis Carolinis redux illicò vocatus, ad consilium veni. Ægra se sæpius solicitari ad sedes fassa, nil tamen pro necessitate excernere se posse asseruit. Aquam illam ego judicavi gelatinæ instar in corpore à frigida intemperie congelatam, quæ tumere adeò membra effecit; jubeo adferri lagenas aquâ calidâ repletas, quas fasciis involutas plantis pedum & sub axillis apponi jubeo. Dictum, factum: Cœpit enim congelata illa aqua rursus liquefieri & resolvi, subsequente mox veloci per alvum effluvio, ut intra octo dies omnis ex corpore per secessum exulârit & subsederit quarumvis partium intumescentia. Pro averruncandis maculis istis subsidio venére hepar attemperantes Syrupi, julapia & pleraque confortantia, atque sic cum divina gratia intra mensem cum dimidio penitus fuit restituta.

## *SCHOLIUM.*

QUi asciticos humores vel per emplastra, aut alia externa adminicula ex pedibus, brachiis, vel aliunde extrahere satagunt, ii frustra agere mihi videntur. Aquam in pedibus congelatam vel cum vaporibus aut fomentis calidis resolvere valde mihi congruum videtur. Tanta quippe aquarum copia, vel ex vitioso nutrimento, aut potu per omentum læsum effluente, vel per vasa lymphatica accedit: quæ si justo diutius inibi moratur, refrigerato membro gelatinæ tandem consistentiam acquirit, quam non, nisi moderato caloris fotu liquefieri & cum sanguine in hepar refluo reduci atque exinde per intestina promoveri, ut cæteris cum fecibus excerni possit, exitus probat. Si verò ipsum hepar in sua patiatur substantia,

tia, dum induruit aut alio obstructum fuerit modo, curationem irritam futuram certum est &c.

## OBSERVATIO CLXXIX.

## D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.

# Aquæ thermales Carolinæ nimium potæ.

Reverendus Pater, Vitus Ludovicus Horatius, Illustrissimi Comitis de Millesimo in Bohemia Parochus, juvenis, dum in summa egestate vix inveniret, quod latranti stomacho objiceret, vix pane satiatus quandoque caseo ad aliquot annos se conservavit. Dum provinciam ille suam aggressus fuisset, multis ventris torminibus & compressionibus pectoris divexatus, suasu quorundam ad thermas Carolinas se contulit. Fuit tunc annorum quadraginta septem, & bibere cœpit thermales aquas, in tanta copia, ut fidem superâsse videretur, nisi Virorum Excellentissimorum Dn. Doct. Huberi, & Dn. D. Dilleri literæ id confirmassent, quas subjungere testimoniorum loco hîc placuit.

D. Doct. Huberi, Neuhusii medici Regni

Reverendo Patri, Vito Ludovico Horatio, Illustrissimi Comitis de Millesimo Parocho, apud Sutorem Carlsbadii commoranti.

Bona dies, Reverende Pater. Cum Reverentia Vestra corpus suum summè cacochymicum sexaginta quatuor diebus 2689. sextariis (sext. unus est unciarum XII.) aquæ hujus thermalis plùs quàm mirificè eluerit, & materia semper, præsertim caseolenta, quam jam corpori à 24. annis inhæsisse asseruerat, secesserit, maturum jamjam meum consilium foret, ut planè ab hujus aquæ potu abstineat, ne nimia & diuturna ingurgitatione non tantum corpus, sed & natura quàm ma-

ximè lædatur. Datum in Muséo in thermis iſtis 15. Junii Anno 64.

*R. Vra.*

Amicus bonus
D. Huberus.

Sic & ego ſuadeo & ſentio infra ſcriptus
D. Ferdinandus Diller.

*Eodem Anno.*

Reverendus Pater Horatius neceſſariò per tam longum tempus thermis uti debebat, nimirum 79. diebus, quorum uſu materia caſeolenta putrida & alia corrupta ſeceſſerat. Ebibit autem intra hoc tempus 1379. ſextarios: Si enim citius diſceſſiſſet & humores commoti non expurgati fuiſſent, in pejorem corporis ſtatum incidiſſet, & omnia media adhibita in caſſum abiviſſent. Pro majori veritate rem ita, & non aliter ſe habere, propriâ manu haſce ſubſcripſi, & proprio ſigillo conſueto corroboravi. Eod. anno in autumno.

Ferd. Dillerus.

Ab eo tempore ter quaterque in anno, & usque ad annum 1676. viginti tribus vicibus thermas iſtas inviſit, ſex ſeptimanarum ſpatio ſemper inibi commoratus.

*SCHOLIUM.*

SI aſſertum Excell. Dn. Langii in thermologia ſuo conſtaret fundamento, totus petricoſus in ſtatuam verti debuiſſet bonus ille Pater; toties quippe inundatus à tali thermarum fluento. Sic Generoſus quidam Baro non procul à thermis iſtis quovis anni tempore, podagræ torminibus coactus eò accelerat, in media hieme, & ſe immergit in calidam, inibique commoratur eò usque, donec dolorem remittere ſentit. Aliquando ſæviente licet frigore ad LXXIX. horas in aquis inſidens ſe detinuit, inibique cibum aſſumſit dormivitque. In potu non parcior

1658. Pharmacopæus Francofurtens[is] ad [illegible] idem fecit bis in Anno

parcior, ſed immenſam admiſit ſubinde calidæ quantitatem, ad urceos quandoque XV. vel fictilium ad potum uſitatorum à ducentis ad quingenta. Quid? quod nonnunquam ad quinque urceos thermales glacie refrigeratos, ut crudelitati podagræ obviam iret, epotavit, citra qualemcunque noxam; dein ſe lecto ad ſudandum commiſit, victorque tandem dolorum extitit. Poſt prandium largiori ſe vini potione reficere conſvevit. Inducias tandem ad quadriennium ab articulari iſto obtinuit morbo.

## OBSERVATIO CLXXX.

## D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI,

*De*

# Atroci alvi cum fluxu dolore mox ſopiendo.

Miraculi loco inſervit ſemen ſanguinis draconis, à Bauhino Lapathi folio acuto rubente III. nomine inſignitum. Hujus ſcrupulum unum vel drachmam ſemis leviter in mortario contuſum, & in vino ſaccharino leniter calefactum & per linteum expreſſum aliquoties propinavi dolentibus, cum felici ex voto ſucceſſu.

*SCHOLIUM.*

Viliſſima ſæpe & ab omnibus abjecta remedia plus virium præ pretioſis quibusve aliis habere, argumento ſunt ſimpliciorum nonnunquam hominum conſilia. Meminit cujusdam medici ſpagyrici Germani ex America, in qua medicinam per decennium integrum fecerat, reducis, Nicolaus de Blegny in ſuo Zodiaci anno ſecundo fol. 10, qui aſſerebat, ſe habere comperta morbis omnibus remedia è genere ſimplicium eximia. Hydropis curationem ſilicum candentium ope Americanos procurare, ſplenem induratum emollire cataplasmate, luem ♀. eam & lethargum ingenioſâ ratione expugnare, ſerpentum

morſibus illudere ſaltem ſimplicioribus medicamentis narrabat, ut virtutis vitium tot plantarum inter barbaras gentes naſcentium notitia meritò admirationem pariat. Pluribus ibidem de hac re agit Blegnyus.

## OBSERVATIO CLXXXI.
## D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.
*De*
# Scorzonera montana Alexipharmaca.

SCorzonera dicta quaſi cortex, ab exteriore adſpectu nigra, intrinſecus licet egregiè candeſcat; ſummæ in venena eſſe virtutis ab omnibus, qui ejus mentionem fecére, botanicis & rhizotomis celebratur. Plures ejusdem ſpecies varii ſubinde proferunt Authores, quas inter ſingularem me in montibus Vicentinis, propè Piutiéne reperiſſe memini, quæ Menſe Aprili Anno 1638. graminis humilioris & latè paſſim ſparſi è terra prorumpentis formâ copiosè prodiit, ex radicibus ſuperius villoſis, nigris, digiti majoris, & minoris craſſitie, quin divaricatis nonnunquam hinc inde cruribus ad ſpithamæ unius & interdum dimidiæ circumferentiam. Hanc proinde mecum cæteri Botanophili, qui pro gramine eam primùm habuere, curioſius intuiti, radicisque â nobis erutæ formam rugoſam nigram, lacteumque de ſe promentem ſuccum admirati pro Scorzonerâ ſingulari gramineo folio nobis commendatam habuimus. Quoniam verò hanc plantam tantâ natura donavit radicum ubertate, ſufficientem ejus quantitatem mecum deportare non abs re futurum duxi. Hujus effigiem Magnificus Acad. noſtræ Præſes, Excell. Dn. Joh. Michaël Fehr in ſuo de Scorzonerâ elegantiſſimo tractatu conſpiciendum dedit, cum ejusdem deſcriptione luculentâ.

Uſum illius radicis hactenus, in malignis præcipuè morbis, & febribus catarrhalibus, inſigni cum efficaciâ mihi ſemper

per habui commendatiſſimum, quod meo teſtatum facere poſſum exemplo, & cum mille aliis; nec mea de illa ſpes me fefellit; inde copiâ ejusdem ſubinde gaudeo, ne ejus defectu noſtræ laborent officinæ, & confectio cordialis liquida, medicamentum in periculoſis talibus affectibus maximi momenti, illius extracto indiget, quin & aqua inde deſtillata præ cæteris laudem ſuam meretur: nec in peſte etiam ipsâ ſpe ſuâ fruſtratos fore infectos omninò credam. Duplicis verò ejusdem licet coloris & formæ tales eſſe ſaporis deprehendo; dulces alteras, alteras amaras; has penetrantiore præditas facultate obſervavi, & in virtute ſua potentiores.

## OBSERVATIO CLXXXII.

## D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.

## Pulveris Pyrii uſus in extinguendis ſpiramentorum camini incendiis.

CUm igne ignem extingui dixeris, dum exiguo pulvere pyrio accenſo majorem videris flammam annihilari. Quòd Camini frequentius flammæ impetum ſentiant, nil equidem novi eſt: ſed talem levi extinguere ἐγχειρία paucis cognitum eſſe videtur. Quò longior autem fornacis canalis eſt, tantò vehementiore ignitione fuligo inibi accenſa flammas extrudere ſolet, aëre ſubtus alimentum igni ſuppeditante; qui ſi adimi camino poſſet, illico fomes flam̃æ ademptus omne incendium tolleret. Plures ſclopeto in caminum exploſo quid efficere tentârunt, quamvis irrito toties effectu. Nec enim fragor in aërem quid poteſt, vel ei adimit. Vaporem verò hoſtem ignis addictiſſimum experientia docuit. Hinc plures ardenti camino ſupponunt ahenum aquâ plenum, quæ ſi evaporare incipit, vim quandam flammæ inferre ſolet. Infuſa ſuperiùs caminis aqua nil efficit, dum per mediam ſaltem cavitatem, non per parietes, absque effectu delabatur. Qui obſtruere

struere supremam camini cavitatem cum fimo possent, ii ad suffocandum ignem forent proximi. His verò & aliis pensitatis extinctionis modis non commodiorem aut velociorem inveni rationem, quàm si pulveris pyrii in vola manûs cum sputo coagmentati massa in foco sub igne supra ardente accendatur, quâ conflagratâ & excitato insigni vapore, secunda, tertia, pluresque sequantur. Cum admiratione videbis vim suprà flammantis camini, absque ullius hominis adjutu imminui, quin penitùs à tali vapore suffocari; decidentibus catervatim piceis fuliginis crustis, penitùs candescentibus, camino sine ulteriore igne aut incendio relicto.

## *SCHOLIUM.*

PUlverem pyrium & incendere & extinguere ignem experientia docet. Objiciantur eidem raræ quæ fuerint texturæ seu linea & gossypia carpta, vel fœnum cum stramine, chartisque tenuibus, levioribus quippe materiebus, facilè flammam concipere & ardere videmus. Potior tamen extinguendi vis in nitro, ex quo pulvis ille consit, latere videtur, quia tanquam subjectum quoddam omnis mirabilitatis aquam in se & ignem penitissimè juncta continet. Inde signum merebitur utriusque trianguli in se invicem locati, superiore ignem & inferiore aquam denotantis. Quid? quòd aëris & terræ insignia insimul juncta in eo observabis, quasi id unicum foret, quod in se actu foveret quatuor elementorum conjugium. Terrestrem id ostendit faciem tritum & in pulverem subtilissimum farinæ instar redactum; quod si cellæ vel humidiori idem aëri exposueris in aquam solvi incipit. Aërem vehemens ejus impulsus, in pulvere pyrio, dum glandes ex cannis ferreis explodit, cum intenso tonitru subsequente manifestat, cum vapore intenso aërem implente. Ignis latè extensam in obscura præsertim nocte flammam prodit. Idem Theophrastum innuisse videtur in sua Apocalypsi Hermetica, qui ea de re quærendus & legendus erit; & D. Hugins à Barma in suo tractatu Saturnia regna dicto §. XIX. & seqq.

Ignem


Scorzonera montana
cum suâ radice.
aphyllantes.

Ignem aquâ extingui vel infantes norunt: aquam vi ignis expelli, aut crebra ſuper flammas decoctione efferveſcendo evaporari & annihilari neminem latet. Cum volueris duo contraria ob oculos ponere, aquam & ignem profer: alterum enim ſufferre alterum nequit, neque patitur. Duo tamen hæc contraria ſibi unita in eodem cohabitant ſubjecto, penitiſſimè inter ſe juncta. In NITRO quippe hæc duo, ignis & aqua ſe arctiſſimè amplectuntur, quæ ſi igniti carbonis examini ſe ſiſtunt, illicô flamma fugam capit, aquâ in vaporem reſolutâ. Si verò idipſum nitrum mediante aliquo bolo in ſpiritum vertitur, quamvis in ſuâ ante ſubſtantia refrigerandi vires habeat, cum fumo tamen igneo rubicundo in recipiens prodit vitrum ſpiritus verè acerrimus, qui inſtar flammæ linteamina comburit, metalla quævis, excepto auro, & mineralia æſtu ſuo diſſolvit & corrodit, vi, quovis igne, majore; *Aquam ignem* dixeris, virtutem illius coactam & rectificatam omnem ſuperare ignem experientia docet: in aquâ verò guttatim diffuſus ille attemperando cuivis interno æſtui ſufficit, & gratia & ſanitate cæteris ſalinis ſpiritibus ſuperior.

Hinc cuivis rem recta ratione expendenti eſt obvium, quod aqua ſubtus ignem in vaporem ſat denſum reſoluta ignis violentiam domare norit, quæ ſuperius ab eo in fugam vertitur.

## OBSERVATIO CLXXXIII.

## D. GEORG. ABRAHAMI MERCLINI.

# (1.) *Inaudita* (2.) *Hydropis* Abdominis ſpecies, ſaccata, ſive cum folliculo, fortasſis dicenda.

HOneſta erat (3.) *fœmina*, pudica, & ſexum ſuum decentibus virtutibus ornatiſſima. Hæc ante hos ſedecim circiter annos, anno nempe præter propter 1666, tum annorum ætatis ſuæ 26. ſenſit, abdomen nonnihil in-

tumeſcere, (4.) *ignara*, unde hæc abdominis intumeſcentia ortum ducat; quæ etſi (5.) *nec dolorem*, (6.) *nec ambulandi impotentiam*, nec aliud quodvis ſymptoma actionem aliquam lædens comitem haberet; tamen ſuper eâ Medicus conſultus eſt, qui (7.) *flatulentiam* ſubeſſe ratus, contra eam aliàs proficua remedia præſcripſit & adhibere juſſit. Sed fruſtra. Abdomen ſenſim magis magisque attollitur, (8.) *fluentibus* interim rectiſſimè *menſibus*, cæterisque ſanitatis indiciis plerisque apparentibus, præterquam quòd (9.) *artus* eò magis ſubinde *gracileſcere* viderentur, quò majorem in molem æqualiter excreſcebat Abdomen totum. Anno 1672. conjugium init Nobiliſſima Virgo, ſpe, fore, ut fortaſſis prolium enixu illa unà ſubſideret Abdominis intumeſcentia. Sed & hæc decollavit ſpes. Facta quidem eſt trium liberorum mater; at tantum aberat, ut (10.) *detumuerit abdomen*, ut potius ſubinde majus ſumſerit incrementum; quo factum, ut alia præterea ſupervenerint graviora ſymptomata, nempe (11.) *ambulandi difficultas*, (12.) *dextræ coxæ dolor*, & (13.) *præcordiorum anxietas*; præter illa geſtationis fœtus tempore, ultimis imprimis menſibus, familiaria, ut (14.) *ſtranguria acerbiſſima* (15.) *animiq́ crebriora deliquia*. Diris his ſanitatis hoſtibus per aliquot annorum decurſum conflictata, tandem ſub finem Novembr. 1682. inopinatò incidit patientiſſima patiens in (16.) ſpontaneum *alvi defluvium*, quo Abdominis moles ita reſedit, ut non levis ſpes, (17.) *urinâ* etiam imprimis indies ad aliquot menſuras ſecedente, affulgeret redintegrandæ valetudinis; ſed quam paulò pòſt ſuperveniente (18.) *ſummâ reſpirandi difficultate*, triſtis eventus, placidiſſimus nempe obitus, D. 14. Octobr. 1682. excepit. Poſt quem cùm inſtitutâ extiſpiçinâ exta luſtrarentur, en! oculis noſtris ſe ſtitit tantæ capacitatis (19.) *ſaccus membranaceus*, ut 40. circiter menſuras tenuerit, qui innoxiè omnibus viſceribus incubuit, inque tantam molem extulit Abdomen, urinoſo liquore ultra dimidium ejus repletus, cæteris viſceribus plerisque intaminatis repertis; præterquam quòd uteri fundo

in-

inhæserit semirotundus (20.) *globulus cartilagineus*, &(21.) *tuba uteri dextra*, ex qua saccus ille, ceu radice, prodiit, obliterata apparuerit; atque (22.) *omentum* non super saccum & viscera expansum, sed corrugatum prope diaphragma inventum fuerit.

## SCHOLIUM.

(1.) *INauditum* voco hunc affectum, eò quòd inter quàmplurimos, quos ejus gratia evolvi Authores, similem nuspiam reperire potui, nec unquam ullibi legisse memini; illis fortassis propterea non injuriâ adnumerandum, quos Arnold. Bootius omissorum nomine insignivit.

(2.) Et cur ad *Hydropis species* referam, partim ex ipsius Morbi historia, ex ejus partim subsequente resolutione sive explicatione constabit.

(3.) In ipsa Casus Relatione omisimus *fœminæ* temperamentum, cæteramque corporis constitutionem, aliaque, quæ nonnulli suis Observationibus ingerere solent. Hæc si quis fortè & hîc scitu necessaria esse putaverit, nos quoque strictim narrabimus, saltim ne quid deesse censeatur, quod ad intimiorem affectus abstrusissimi cognitionem facere videri possit. Sciendum itaque, Virginem eo tempore, quo venter intumescere cœpit, sanguineo-phlegmatico temperamento præditam, & junceam quidem, tenerrimâque artuum texturâ ab ipsa exornatam naturâ, cæterâ nihilominus integrâ gavisam fuisse valetudine; nisi quòd jamtum de illo sequiori sexui familiarissimo symptomate, capitis intelligo dolorem, ut & anorexiâ subinde conquesta fuerit.

(4.) *Ignoraverat* quidem Virgo primitivam causam, procatarcticam, manifestam, aut externam, nullamque liquidò incusare poterat, quâ insolitam hanc Abdominis intumescentiam sibi consciverit; sæpe tamen ipse ab eâ audivisse memini, si qua manifesta hîc concurrisset causa, se nullius alîus recordari posse, quàm inopinati, illam ventris intumescentiam paulò antè prægressi, terroris, qui animum suum tantâ vehementiâ

concusserit, ut præsens tum menstruus fluxus actutum exaruerit, nec prius, quàm tertio demum Mense redierit. De hac, inquam, caussâ procatarcticâ probabilis fiebat conjectura. Cætera autem maxima vulgi pars, & imprimis curiosarum mulierčularum, quæ plerumque etiam non rogatæ de difficillimis hujusmodi casibus sententiam ferre audent, fascinationem prætendebant. Verùm, præterquam quòd ipsi piissimæ Virgini de ea nunquam ulla inciderit suspicio; ejus etiam sufficientia nulla deprehensa sunt indicia. Non enim hîc in prætumido ventre ejusq́ue sacco artificiosa quædam, ut acus, clavi, cultri, & similia monstrosa, quæ in corpore humano generari nequeunt, reperta sunt: non hîc unquam ab ægra insolentiores totius corporis, aut aliquorum membrorum contorsiones, aut gesticulationes, quales nemo sanus imitari potuisset, visæ sunt: non hîc inusitata & tam admiranda notata sunt symptomata, ut ea ex naturalibus causis deduci neutiquam potuissent: non hîc Abdomen in ingentem illam molem statim unoq́ue die accrevit. Horum autem ubi nihil deprehenditur quicquam, fascinatio quoque, sive veneficium, meritò exsulare debet. Ut ut ergo omnes ex fascino oriundos morbos cum Wiero, Cornel. Looseo aliisq́ue negare nolim; hunc tamen præsentem inter eos referre, nulla cogit necessitas; etiamsi de ipsius affectûs generatione genuinisque causis non certò constiterit, inter oppidò raros propterea non immerito numerandi; siquidem non decet solertem Medicum, ad veneficium, vulgi more, statim delabi, ubi morbus paulo abstrusior, ejusq́ue causa crassioribus quasi tenebrarum nebulis obducta fuerit. Adhibenda diligentia: excutienda omnis ingenii bonitas, ejusq́ue sæpe omnes intendendi nervi, ut in veras effectûs causas nos penetremus. Feracissimo insolitarum rerum vivimus seculo, quarum effectus quidem oculos acutissimè stringunt, causa autem velut in profundissimo delitescit puteo. Hîc socordis esset & abjecti animi, sine præviâ accuratâ inquisitione ilico ad causas supernaturales ruere; ad pessimum exemplum ignavorum

vorum quorundam hominum & ignararum muliercularum. Iccirco quamvis nemo etiam eorum Medicorum, quibus ad perspiciendas latentes morborum causas lyncei aliàs esse solent oculi, de sacco hoc urinali liquore pleno, ceu illius prætumidi Abdominis authore, cogitaverit, illiusque ortus nondum adeo perspicuus sit; ea tamen propter non dubitandum, quin naturales, vel, si mavis, præternaturales subfuerint causæ, quæ hunc produxerint effectum; etiamsi illæ primo intuitu fortassis impervestigabiles, si non cognitu prorsus impossibiles plerisque videri possint. Cæterùm nec hoc hîc loci reticendum, fuisse, qui præsentis affectus ortum à contusione in inguen fœminæ aliquando factâ derivarunt; quæ, si contigisset, multum certè lucis fœnerari, & ad meliorem causæ morbi cognitionem viam nobis parare posset. Quoniam verò de hac contusione ab ipsa Ægrâ nihil quicquam quenquam consanguineorum proximorumque cognatorum unquam audivisse constat, adeoq; dubitare de ea non sine ratione licet; ideo eam pro externa causa venditare nolumus.

(5.) *Dolorem nullum* Ægra in Abdomine per duodecim penè annorum decursum senserat, idque procul dubio eò quòd tum tantæ molis nondum fuerit saccus sive folliculus, ut, factâ enormi membranosarum partium, peritonæi nempe, musculorum abdominis & integumentorum communium, extensione, dolor inde potuisset resultare; sed qui postremis duobus circiter annis ante obitum in dextro præcipuè hypochondrio circa regionem hepatis, nonnunquam etiam lienis, non quidem adeò insigni acerbitate atque vehementia, sed tantùm obtusâ & quasi gravativâ illatâ sensatione subinde eo duriùs afflixit, quò majus incrementum sumpsit saccus in Abdomine conclusus, distentis nempe inde magis magisque dictis partibus membranaceis, ceu doloris præcipuis subjectis.

(6.) Nec intra dictum temporis spatium quicquam negotii facesserat *ambulatio;* quamdiu nempe Abdomen tantam nondum acquisiverat molem, ut itionem impedire potuisset.

(7.) Ipsum nimirum affectum haud pauci ad *Tympanitidem* referebant, & quidem non primis tantùm, sed & postremis morbi annis, eô crassiori errore, quò notius est, Tympanitidem inter omnes Hydropis species periculosissimam esse, & sine notabili actionum læsione viriumque insigni prostratione, quæ hîc, exceptis 14. circiter ante obitum diebus, penè nulla erat, tot annos durare non posse, nec ad eam constituendam solam superiorum partium gracilitatem, cum ventris intumescentiâ, quæ fortassis hîc multis imposuit, sufficere. Unde non mirum, quòd remedia contra flatulentiam usurpata nihil præstiterint levaminis.

(8.) A tertio morbi, quo is cœpit, Mense per reliquum totum ejus decursum rectè *fluxère menstrua*, & quidem subinde copiosiùs; parciùs autem nunquam, haud obscuro indicio, uterum caruisse illâ culpâ, cujus aliqui eum arguerunt, opinati, illam ventris intumescentiam à matricis hydrope dependisse; quo tamen, præter hoc, præsente, an conceptio fœtusque gestatio contingere queat, velut hic ter contigit, non sine ratione dubitare licet. Neque etiam mirari subit, quòd lunare tributum ritè fuerit pensum, cùm factâ post mortem exenteratione tale nullum in utero aut circa illum repertum sit vitium, quod menstruum fluxum impedire & sufflaminare potuisset.

(9.) *Artus*, id est, brachia potissimùm manusque, nec non pedes, & præterea ipsum etiam pectus eò notabilius passa sunt *decrementum*, quò majus sensim abdomen sumpsit incrementum, idque procul dubio ideo, quia plurimam nutrimenti corporis partem abdominis saccus insumpsit, eamque inibi contenta præexistens aqua in sui naturam convertit, adeoque artubus detraxit; haud multò secus, ac in plerisque aliis majoribus tumoribus atque abscessibus sæpius evenire solet, ut ii nutrimentum illi corporis parti, cui insident, aliàs destinatum ad se rapiant, sicque illam ipsam partem nutritione suâ debitâ privent; ut taceam, nutrientibus portionibus ab urinoso illo

in

in sacco contento liquore inquinatis & acrioribus redditis, cæterarum corporis partium nutritionem minus benè necessariò contingere debuisse; siquidem non acres, sed dulces potius aut insipidas illas esse oportet portiones, quæ nutrire debent. Secùs nutrimentum parti nutriendæ non apponitur sive agglutinatur, adeoque nutritio vel nulla fit, vel certè parcior, ut in præsenti Casu.

(10.) Scilicet sperabatur, *partus secundinarumq; exclusione*, & lochiorum secessione sui studiosissimam naturam unà etiam eos humores, à quibus illa Abdominis intumescentia ortum duxerat, amolituram, & à molesta illa sarcina, prout aliàs sæpè fit, ita se expedituram esse, ut abdomen ad naturalem statum inde rediturum sit. Verùm enim verò quemadmodum conceptio fœtusque gestatio probæ uteri constitutionis signum plerumque esse solet; ita hîc quoque ex eadem postliminiò facilè conjicere licuit, illud, quod Abdomen in tantum tumorem extulit, extra uterum quærendum fuisse. Unde etiam cum partu non potuere cæteri vitiosi humores simul excerni, suo quippe peculiari folliculo seu sacco conclusi.

(11.) Tandem *eundi difficultatem* peperit major interea & quasi pendula reddita abdominis moles, quæ utrique inguini tam gravi pondere incubuit, ut, compressis inde nonnihil femorum musculis, hosque ingredi solitis nervis, pedes rectè attolli & promoveri nequiverint;

(12.) Imprimis accedente *dextræ coxæ dolore*, nato partim ab abdominis incubatu, partim à dicta compressione, partim ab ipsius sacci radice, quæ ex dextrâ uteri tuba ceu coxæ proximâ, ut dictum, emersit.

(13.) Hæc *præcordiorum anxietas*, nullum est dubium, quin inde provenerit, quòd turgidissimus saccus respirationis præcipuum instrumentum diaphragma ferierit sursumque ita adegerit, ut cor pulmonesque, angustiori nonnihil reddito thoracis spatio, minus liberè se expandere potuerint, interceptâ hinc aliquantisper spirandi libertate, quam non potest

non

non ſequi vitalium viſcerum fatigatio, ipſaque ſic dicta præcordiorum anxietas.

(14.) Idem ſaccus, quem duriùs inguinibus incubaſſe diximus, ſimul etiam collum veſicæ ita compreſſit, ut urina acrior per anguſtam veſicæ rimam non niſi guttatim & cum ingenti cruciatu reddi potuerit, eoque potiſſimùm tempore, quo fœtus in utero jam ante præter naturam tumidum ventrem adhuc magis diſtendit, atque ſic compreſſionem veſicæ magis magisque adjuvit. Unde etiam quantumvis adhibitis contra hunc affectum aliàs decantatiſſimis remediis, tamen *ſtranguria* nunquam prius, quàm excluſo demum fœtu ceſſavit.

(15.) *Animi deliquia* uti iis etiam gravidis, quæ proſperrimâ cæteroquin gaudent valetudine, haud infrequenter obveniunt; ita eò minus mirandum, quòd ea ſæpius cum morbo continuò conflictatam noſtram fœminam afflixerint.

(16.) Unde hic *alvi fluxus* promanaverit, dubium videtur. Cum eo quia ſtatim nonnihil ſubſediſſe viſum eſt abdomen, &, inſpectis poſt mortem extis, ſaccus flaccidus & paulo ultra medium tantùm repletus inventus eſt; annon concludendum, ex ſacco inibi contentum liquorem tranſſudaſſe, & per alvum ſeceſſiſſe? Sed quomodo? & per quas vias ad inteſtinais penetravit? Aperti hîc ductus nulli ſunt, per quos liquor iſte ex ſacco ad inteſtina tranſire potuiſſet. In dubia hac re conjecturæ locus dabitur. Exiſtimo ergo, illum liquorem, qui ex ſacco in cavitatem abdominis emanavit, ab illa per inconſpicuos meatus ſuâ tenuitate ac acrimoniâ inteſtina ſubiiſſe, & per ea profluxiſſe, ſecum raptis ſimul & reliquis alvinis fecibus. Hoc ita, & non aliter eveniſſe, ut credamus, duo evincunt argumenta, 1. quia, quæ per hunc alvi fluxum evacuata ſunt, maximam partem liquida, & aquæ in ſacco repertæ ſimillima fuere: 2. quia

(17.) Idem liquor eâdem procul dubio ratione & veſicam penetravit, nihilque prorſus immutatus per eam ſub urinæ ſpecie in dies ad aliquot menſuras redditus eſt. Hinc ita colligere

ligare quid vetat? Si liquor ille per inconſpicuos poros veſicam intrare potuit; cur non potuerint intrare etiam inteſtina, ſicque æquè alvi ac veſicæ diarrhœam progignere? Nemo certè Medicorum ex Hippocrate neſcit, totum corpus noſtrum eſſe perſpirabile, & omnia in eo confluxibilia. Notum quoque, per quos cuniculos atque anfractus ſæpe natura ſibi moleſtum & grave onus expellat; veluti infinitorum exemplorum teſtimoniis confirmari poſſet. Quidni ergo & hunc liquorem per poros veſicæ & inteſtinorum abducere, & cum naturalibus excrementis facili viâ excernere potuerit; non obſtante, quòd neque in veſica, neque in ullo inteſtino manifeſtum foramen notatum ſit.

(18.) Mirum, *reſpirandi difficultatem* eamque ſummam tum demum acceſſiſſe, cùm abdomen detumere incepiſſet. Tum enim, liberiori reddito ſpatio in Thorace, pulmones ſeſe rectiùs explicare, adeoque reſpirationem faciliorem reddi debuiſſe, credi potuiſſet. At hoc quia non contigit, & præterea antè reſpiratio ſemper rectè ſeſe habuit, & nunquam non facilis fuit, etiam tum, cùm tumidiſſimus venter ſurſum actus Thoraciq; proximus reſpirationi dicatas partes non poſſet non aliquantulum premere; ideo magis obſcurum eſt, quæ hujus difficilis reſpirationis vera ſit cauſa. Non dicam, quas reſpirandi difficultas aliàs agnoſcat cauſas. Dicam tantùm, quæ mea ſit opinio circa hanc difficultatem. Nimirum non niſi oborto demum alvi fluxu, indeque nonnihil collapsâ abdominis mole, tantâ difficultate ſpiritum ducere cogebatur Ægra noſtra, quia tum pulmones, diaphragma & thoracis muſculi quaſi relaxati & flaccidi admiſſum aerem ſine labore reddere & explodere nequibant. Unde inſpiratione hauſtus & thoracem ingreſſus aer cùm forraſſis difflaret, & non niſi difficulter exſpiratione redderetur, hinc reſpirandi hæc ingruit difficultas, non ſine continuo ſuffocationis periculo, in mortem tandem terminatæ. Quamdiu autem ſaccus abdominis repletus diaphragma cæteraſque reſpirationi dicatas partes ſuo in te-

nore positúque retinuit, tam diu etiam aëris per thoracem necessaria reciprocatio ipsaque respiratio sine difficultate fieri potuit. Hacque eâdem de causa plerosque, si non omnes, agonizantes (ut obiter hoc attingamus) difficulter respirare autumo, quia nempe & horum respirationis organa, quemadmodum omnia alia membra, remittunt atque flaccescunt; quô itidem fit, ut thorax nec sese attollendo circumstantem aerem sufficienter propulsare, nec per asperam arteriam in pulmones vacuos cogere, nec parciùs admissum, sese constringendo, extrudere queat. Unde & hîc respiratio non potest non laboriosè ac difficulter contingere. Atque hanc difficilis respirationis causam quàmvis in Ægra nostra apodicticè adstruere nolim, vero tamen similiorem deputo, ac illam, quam alii dare sategerunt, arbitrati, eam inde provenisse, quòd pulmones aquam ex abdominis sacco exundantem per diaphragma ad se rapuerint, veluti idem aliis hydropicis evenire soleat, quibus translatâ ab imo ventre in medium materiâ, tussis indeatque respirandi difficultas supervenit. Verùm hîc aqua ex sacco tantâ copiâ non exstillavit, ut totam abdominis cavitatem opplere potuerit, & usque ad diaphragma pertigerit, sed imum petiit & interius propter inguen ad tres tantùm quatuorve mensuras confluxit. Ut hinc à pulmonibus attrahi, ab iisque imbibi, cum resultante inde respirandi difficultate, planè nequiverit.

(19.) Plurimum difficultatis in hoc casu ipse habet *saccus* seu *uter*. Unde is prognatus? quomodo in tantam molem excrevit? ex quibus rivis tanta aquæ copia in eum confluxit? cur non dudum antè dissiliit? quî innoxiè per tot annos in ventre ali potuit? cur aqua inibi contenta non computruit? Quæ mea circa hanc rem sit mens, paucis dabo, salvis tamen eorum judiciis, quibus fortè è meliori luto finxit præcordia Titan. Suppressis primùm mensibus, grumosus sanguis in dextra uteri tuba substitit, cujus serum, factâ solutione vel sequestratione, tunicas ita distendit ac dilatavit, ut inde tubercu-

lum

lum peculiari folliculo incluſum enatum fuerit. Hoc tuberculum, ruptis circa tubas uteri diſſeminatis lymphaticis ductibus, & ex iis in id eructato ſero, in & cum folliculo ſuo indies accrementum ſumpſit, ſucceſſuque temporis per ſedecim annorum decurſum in tam ſtupendam magnitudinem excrevit, lymphâ ſubinde per congeſtionem collectâ, & plurimâ nutrimenti corporis parte per lymphatica vaſa in hunc ipſum utrem depoſitâ; haud multò aliter, ac abſceſſus communes cum folliculo dicti, ut atheroma, ſteatoma, meliceris, & ſimiles, generari ſolent. Quemadmodum enim hi non tantùm ex excrementitio humore, verùm etiam ex alimentali, & parti, quam afficiunt, nutriendæ dicato ſucco progerminant, illique parti, in qua nidulantur, ſuum nutrimentum plerunque auferunt, & omnem affluentem ſuccum in ſimilem illi convertunt, qui jam antè præſto eſt, ſive ille pulti, ſive ſebo, ſive melli ſimilis ſit; ita ſaccus hic ex corrupto quidem humore primò natus, deinde verò à nutritio liquore ipſâque lymphâ enutritus atque auctus eſt, furtim quaſi ſubtracto & ex plerisq; corporis partibus, ſed & præcipuè ex artubus in ſe derivato alimento, eoque tum ab urinoſo illo præexiſtente liquore in ſui naturam ſubinde converſo. Jamque hinc conſtat, unde hic abdominis ſaccus prognatus ſit, & in tam admirandam magnitudinem adoleverit, quia nempe copioſi lymphæ ductus ceu rivuli, licèt penè inconſpicui, prout jam dictum, in hunc utrem continuò ſe exonerarunt. Conſtat etiam hinc, unde is tantam acquiſiverit craſſitiem, ut, licèt diſtentiſſimus eſſet, tamen non dehiaverit; nimirum unà cum incremento aquæ in ſacco contentæ ipſe etiam ſaccus non ſolùm quoad amplitudinem, ſed & quoad craſſitiem alitus increvit; eâdem propemodum ratione, ac uterus quò magis diſtenditur, eò redditur craſſior, à recepta ſcilicet atque imbibitâ non minimâ alimenti parte, aut ſanguinis portione in placentam formari ſolitâ, ſolertiſſimo providiſſimæ naturæ ſtudio, quo ea fœtui proſpicit. Nec fortaſſis dum ſuâ ſponte ſaccus dimiſiſſet aquam, niſi

ab externis causis attenuatus ejus partem aliquam dimittere coactus fuisset. Ægra enim nostra per proximè præteritum integrum Mensem Majum balneum ferinum Weissenburgense, spe recuperandæ valetudinis, cum inunctionibus resolventibus post illud ventri adhibitis, in usum vocavit; & paucis ante lethalem decubitum diebus orichalceum mortarium, in quo, nescio, quid tundebat, ventri duriùs imposuit. Unde vero simile videtur, membranaceam in abdomine saccum jam jam nimiùm extensum, sive hinc, sive illinc, adhuc magis ita attenuatum, rarefactum atque attritum esse, ut ex eo aqua necessariò transsudare & effluere debuerit. Constat præterea hinc, quomodo hæc abdominis granditas sine insigni sanitatis dispendio, id quod plurimum admirationis peperit, tam diu durare potuerit? Utique si aqua in abdominis cavitate nullâ quasi sepe circundata viscera imi ventris alluere potuisset, iis inde corruptis, intra paucos menses funestus morbi exitus sine omni dubio fuisset secutus, veluti in Ascite vulgari plerunque evenire solet. Ast postquam compertum, aquam illam tenaci utri inclusam, & adeò forti quasi munimento circumvallatam fuisse, ut inde emergere visceribusque officere nequiverit, suâ sponte desinit omnis admiratio. Sic enim sub sacco velut ægide viscera salva & integra, prout pleraque reperta sunt, delitescere potuerunt. Hinc denique constat & hoc, cur aqua hæc stagnatione, quâ aliæ plerunque vitium capiunt, non conceperit putredinem? Primò id urinosæ atque alkalicæ salsedini, quæ manifestò in ea per gustum sentiebatur, adscribendum esse, duco. Plus enim quàm notum est, salinæ aut acidæ quæ sunt naturæ, ea non solùm minus putredini obnoxia, sed & alia à corruptione aut putredine præservare apta nata esse. Hac fini sale aut muriâ condire solemus carnes aliaque plura; hancque dictam ob rationem marinam aquam ceu quasi muriatam, etiamsi stagnet, tamen non facilè putrescere fertur. Deinde experientiæ simul ac rationis testimonio liquet, illum liquorem, qui vas, in quo continetur, totum ita replet, ut

ut nihil amplius infundi possit, nunquam non diutius durare, hocque ipso modo à corruptione commodè præcaveri posse præ illo, qui vas suum totum non replet, corruptioni propterea magis subjecto; quandoquidem quodcunque vas, quo minus repletum est, eo plus aëris intra se, ne vacuum detur, recipit, qui certè liquorem non potest non inficere. Jam verò eadem ratio est etiam cum hac in præsenti casu aquâ. Nam & hæc vas suum, id est, saccum totum opplevit, cumque eo per omnem sedecim illorum annorum seriem unà ita sine dubio accrevit, ut saccum, quantus cunque etiam is fuerit, sive minimus, sive medius, sive maximus, per omnia sua tempora semper ad summum usque oppleverit. Quare & hic nihil aëris saccum subire, atque adeo etiam ob hanc rationem in eo contenta aqua immunis à corruptione facilè esse potuit, quæ fortassis, postquam pars ejus ultimo morbi tempore per saccum transsudavit, quoad relictam in eo partem mox, dubio procul, inanito sacco, corruptionem induisset, sicque symptomata gravia, etiamsi alia aliunde nulla accessissent, intulisset.

(20.) Unde, & quomodo *cartilagineus* ille in utero repertus *globulus* genitus sit, hîc loci nolumus curiosiùs inquirere, satis fore reputantes, si ad rem præsentem ex communi opinione dixerimus, globulum istum, quemadmodum cæteras hujus generis plerasque cartilagineas præternaturales excrescentias, ex tenaci, viscidâ, lentâ utero impactâ inque eo tandem concretâ ac induratâ materiâ originem traxisse. Hoc autem indictum dimittere non licet, non improbabile videri, illam stranguriam, de qua supra, partim etiam dependisse ab hoc ipso globulo, dum is in utero hærens à sacco abdominis compressæ vesicæ cedere nequivit, sicque suo renixu urinæ per vesicam transitum difficiliorem reddidit atque dolentem.

(21.) *Tuba Uteri dextra* coaluit per tuberculum in ea à mensium suppressione primitus enato; hincque ad conceptionem sive semen masculinum fœcundum recipiendum inepta evasit. Unde colligere est, aut errare eos, qui primam fœtus

conceptionem non in ipso Utero, sed in tubis uterinis per fœcundorum ovulorum ex testibus mulierum in eas proruptionem fieri opinantur, aut alterutrâ tubarum læsâ atque inutili redditâ, in sana nihilominus conceptionem fieri posse; uti hîc contigisse secundum dictam hypothesin statuendum est. Deinde clarissimè hinc evincitur anilis illius opinionis falsitas, quâ vulgò creditur, mares in dextra, fœmellas verò in sinistra uteri parte tantùm generari; siquidem Fœmina nostra non solùm masculam prolem, sed & sequiorem sexum enixa est, luculento argumento, mares & fœminas promiscuè nùnc in dextra, nunc in sinistra uteri parte concipi atque formari.

(22.) *Omentum*, quod aliàs velut operimentum intestina tegit, hîc à sacci abdominis protuberantia nimiùm extensum, tandemque ruptum, atque sursum trusum ad diaphragma, corrugatum invenimus. Cæterùm communis est opinio, omentum conservare subjectorum viscerum calorem, eumque fovere ac juvare; hincque illum gladiatorem apud Galenum, quòd ei omentum ablatum erat, ejus loco ventrem lanâ impositâ seu pectorali laneo à frigore, quo facilè lædebatur, continuè defendere ac munire necesse habuisse. Nostra autem Fœmina de frigore vehementiori in abdomine nunquam conquesta est. An ergo communis illa de omenti usu lata opinio falsa? An verò saccus inque eo contenta aqua suo tepore subjecta viscera, interque hæc præcipuè intestina ita fovit, ut inde frigus intensiùs non offenderit?

Atque hæc sunt, quæ strictim dicere volui & potui de præsenti notabili casu, omissis prolixioribus digressionibus, saltimque redditis abstrusiorum symptomatum causis, sive symptomatibus ceu effectis ex suis causis probabiliter deductis atque erutis. Monitus meliora.

# OBSERVATIO CLXXXIV.

## D. GEORG. ABRAHAMI MERCLINI.

## Secundinarum poſt laborioſum partum ultra ſeſquimenſem retentarum fruſtillatim facta excluſio.

CIvis apud nos uxor, aliquantùm corpulenta, ſtaturæ propemodum mediocris, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, annorum XLII. mater tredecim liberorum, jamque quartâ & decimâ vice utero gerens, anno 1682. D. 30. Novembr. poſt laborioſum non in ſedili, ſed in lecto inopinatò enixum partum, quo integrum biduum transegit, non ſubſequentibus ſecundinis, ex earum retentione periculosè laborare cœpit. Paulo enim poſt præcordiorum ingruit anxietas, vires decidére, venter intumuit, dolor in inguine & infra ſiniſtrum cruciavit hypochondrium. Interea, excluſo fœtu, haud morâ adhibuimus omnis penè generis remedia ſecundinas expellere apta aliàs nata, qualia ſunt:

℞. Pulv. ad part. valid. ℈ß.
    ægagropil.
    teſticul. equin. præp. ā. gran. v.
  M. D. pro una Doſi.
℞. Ol. ſuccin. deſt.
    ſabin. deſt. ā. gutt. v.
  ſacch. alb. ℥ß.
  ſal. volatil. ſuccin. gr. vij.
  Aq. artemiſ.
    meliſſ. ā. ℥j.
  M. D. pro una Doſi.
℞. Sem. melon. exc.
  Nucl. perſic. ā. ʒj.
  aq. artemiſ.

puleg.

Aq. puleg.
calcatripp.
meliſſ. ã. ℥j.
F. l. a. Emulſ.
add.
Ocul. cancr. præp.
ſuccin. alb. præp. ã. ℈ß.
borrac. Venet.
ſol. Margarit. ã. gr. v.
Man. Chriſt. perlat. ℈ij.
aq. cinamom. flor. cordial. ʒvj
M. D. pro aliquot Doſibus.

℞. Mag. ſuccin. ʒß.
Sol. ocul. cancr.
teſticul. equin præp. ã. ℈j.
borrac. Venet.
diagryd. ſulphurat.
ſal. ſuccin. volatil. ã. ℈ß.
aq. conſolid. regal.
artemiſ.
meliſſ.
fl. cheir. ã. ℥j.
cinamom. opt. ℥ß.
Man. Chriſt. perlat. ʒj.
M. D. pro aliquot Doſibus.

℞. Aq. artemiſ.
puleg.
meliſſ. ã. ℥ß.
Pulv. ad dyſtociam Anguſt. ʒß.
borrac. Venet.
ſtamin. lil. alb. ã. ℈j.
ol. ſabin. deſt. cum ſaccharo albo ritè ſubact.
gutt. vj.
ſir. artemiſ. ʒiij.
M. D. pro una Doſi.

℞. Rad.

℞. Rad. aristol. r. ver.
liquirit.
pimpinell. ā. ʒij.
H. scord.
betonic.
meliss. ā. Mj.
Fl. calendul.
sambuc.
hyperic. ā. p. j.
bacc. laur. contus.
Myrrh.
sem. fœnugræc. ā. ℈j.
Coq. in s. q. aq. lil. alb.
ad dimid. part. consumption.
Colaturæ ℥viij.
add.
Mell. anthos.
Mercurial. ā. ʒiij.
Ol. è vitell. ovor.
amygd. dulc.
hyperic. simpl.
momordic. ā. ʒij
Bals. Peruvian. ℈j.
M. pro injectione uterina aliquoties repetendâ.

℞. Ung. Basilic. ℥j.
succ. rutæ ℥ß.
trochisc. de myrrh. ʒj.
pulv. castor. ℈j.
aq. puleg.
artemis.
meliss. ā. ℥iiß.
bals. Peruvian. ℈ß.
M. pro injectionibus uterinis.

His potioribus hîc adductis aliisque similibus summæ aliàs

in exturbandis secundinis virtutis, unà cum interpositis pro virium refectione cordialibus, fomentationibus item humidis siccisque, nec non inunctionibus, pessis, inque similibus casibus commendabilibus cæteris pluribus præsidiis solicitè in usum vocatis hoc solum effecimus, ut tertio à parte die membranacea portio vix semithaleri magnitudinem æquans, & elapso integro octiduo carnoso-membranaceum frustum longitudine & crassitie pollicis digitum æmulans ex utero proruperit; relictà in eo cæterâ secundinarum congerie, quæ pluries, nempe vel duodecies repetitis in uterum factis injectionibus balsamicis quasi ac aloeticis à vehementiori putredine ita præservatæ sunt, ut acrior febris putrida nulla exarserit; utut inde exhalans fœtor putidus adstantium nares graviter ferierit.

Exacto integro Mense die nempe 30. Decembr. iterum secessit totum carnosum conglobatum frustum pugni magnitudine, molæ carneæ, quàm secundinarum portioni similius; injectis intra id temporis continuis cùm uterinis, tùm pro solicitandâ segniori alvo ano immissis Enematibus, itemque laxativis communibus superiori gutturi oblatis; nondum etiam omissis secundinarum exclusioni dicatis jamque partim superius commemoratis, licet minùs fortibus & parciùs exhibitis, medicaminibus. Cùm enim interea febrilis quidam calor, cum siti, interpolato capitis dolore, & pervigilio continuo ingruisset, mutatis hinc indicantibus, ipsa etiam remedia methodi medendi lege mutari debuerunt. Proinde ad febrem aliaque urgentia symptomata respicere coacti, relictâ ipsi Naturæ secundinarum exclusione, quæ ad ea averruncanda necessaria videbantur præsidia, inter quæ & venæsectio in pede erat, surrogavimus, maximè, cùm advertere liceret, adhibitis quantumvis fortissimis secundinas expellentibus nihil unquam, contra verò nullis usurpatis remediis, suâ sponte illam molam, cæteraq; secundinarum frusta ex utero abscessisse, eleganti argumento, quàm impossibile sit, Naturam cogere, quamque nihil illâ invitâ efficere liceat. Quin sæpe præstat

resti-

restituendæ sanitatis negotium patienter officiosissimæ Naturæ officio ac tempori committere, quàm præfestinatâ curatione graviora mala, uti haud raró fit, accersere. Adhuc enim quotidie comperimus, Naturam morborum esse præcipuam medicatricem, Medicum verò Naturæ ministrum. Ita persuasissimi sumus, secundinas utero tenaciter adnatas nullâ medicaminum vi prius avelli potuisse, quàm factâ demum tempore earum maturatione & spontaneâ separatione; quemadmodum abscessus non prius dehiscit, quàm suum maturitatis tempus fuerit nactus.

Potissimum symptoma, quod hîc plurimum negotii facessit, propétereaque in specie commemoratu dignum, est faucium, uvulæ, amygdalarumque inflammatio, & linguæ summa ariditas, ab elatis ex utero putridis vaporibus accensoque inde sanguinis calore dubio procul orta. Hoc symptoma tantum minatum est periculum, ut, labefactatâ inde deglutitione, viribusque subinde magis labascentibus, conclamata res videretur, ancipiti prognostico relinquenda, maximè quando omnia illa præsidia, ut sunt injectiones acidæ per siphonem frequentissimè institutæ, ablutiones faucium penicilli beneficio in horas factæ, gargarismi acidiusculi, epithemata collo inducta, ipsaque raninarumque venarum sectio, nihil aut parum profecisse visa sunt.

Sed quid fit? In mediis dum versamur angustiis D. 15. Januar. 1683. adeoque sextâ à fœtus enixu septimanâ vix tale quid sperare nobis audentibus totus secundinarum acervus ex utero prosilit; quo factum, ut non solùm dictum faucium malum paucis pòst diebus remittere cœperit, sed & vires paulo post paulatim redierint, illaque circa inguina ex retentarum secundinarum conglomeratione ac adhæsione enata intumescentia indeque prognatus infra sinistrum hypochondrium aggravans dolor exclusis secundinis mox evanuerit, subsecutâ non longè pòst pristinâ valetudine, solumque relicto levi sini-

ſtri pedis circa malleolos tumore, quem itidem ſponte brevi ceſſurum ſperamus.

## OBSERVATIO CLXXXV.
## D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.

# Curioſa trium in prægnante fœmina circulationum indagatio.

Quàm magnifica Summi noſtri Creatoris opera ſe ubique manifeſtent palàm in confeſſo eſt: ſed vix ullum majus ſe humanæ offert menti miraculum, quàm hominis, partûs tempore, ex utero egreſſus, quem ſi ambabus, nondum à ſecundinis liberatum genitrix teneat manibus, tres percipies circulos in ſe invicem redeuntes. In puerpera ſiquidem eadem, quæ in omnibus hominibus contingere ſolet, ſanguinis per univerſum corpus ſuccum alimentarem diſtribuentis circulatio virtute exercetur pulſifica, quæ prima eſto. Secundam in fœtu paremque prorſus reperiri circulationem, nemo negare auſit. Quicquid enim vitâ præditum eſt, continuo & circulari motu indeficiente, in ſe ipſum redeunte neceſſariò movetur. Per umbilicum verò tertiâ ex vena umbilicali circulatione in hepar fœtûs abundans ſucco alimentari transfunditur ſanguis; inde ad cor rectà tendit, & per dextram ejus cameram in ſiniſtram tranſitu ſub auricula conceſſo fluit. Hinc vi cordis pulſificâ in univerſum ex aorta per omnes artus agitur corpuſculum, cumque omnibus alimoniam deſiderantibus ejusdem particulis, vel etiam minutiſſimis, quicquid ſecum ex utero alimenti adfert, liberrimè communicat. Exinanitus deinde ſanguis ille, abſumtâ ſcil. nutriciâ iſtâ ſubſtantiâ, & ſincerus per arterias umbilicales ſurſum in chorium pellitur, ut in placenta iſta uterinâ denuò tantum ſibi ſucci nutritii comparet, quantum veteris illius hoſpitii incola pro alendo ſuo

cor-

corpuſculo indigeat. Exinde fortaſſe cauſa vomitionis apud pleraſque gravidas crebrioris patebit, ſi alius quaſi à matre naturæ fœtus fuerit, redeunte tali ex eo in uterum ſanguine adverſi quid in ſe habente & ad vomitum genitricem ſolicitante.

## *SCHOLIUM.*

CIrculationis ſanguinis in corpore verum hucusque uſum nondum ſatis perſpicuum fuiſſe redditum præcedens videtur circulorum oſtendere indagatio. Anne ſanguis ſolus ad nutritionem ſufficit, anne verò uſum ſaltem ad eandem perficiendam præbet? Conſiderato in arteriis ſanguine, quid differat à ſanguine in venas refluxo, antequam hepar denuò ſubintrat; illum ex lympha hepatis vegetiorem, ex chylo in corde adimpetrato floridiorem præ purpuraſcente venoſo, ex aura in pulmonibus acquiſita vitali ſpirituoſiorem, adeòque hæc propter munera universè ſumpta ad refectionem abſumtarum partium magis idoneum præ venoſo æſtimare licebit. Antiquitùs chylum in ſtomacho fieri, ex eoque ſanguinem gigni in hepate venoſum, tandem ex hoc arterioſum generari in corde pro vero fuit habitum, & etiamnùm plurimorum præcordiis infixum hæret. Hanc verò arterioſi ſanguinis generationem peracto nutritionis officio, degenerationem rurſus ſubire, ut venoſus fiat, neceſſe eſſet, quia ex capillaribus ſubinde venis in vaſa majora ad hepar usque fit venoſi reditus ſanguinis, qui ex ſubtilioribus receptus arteriolis antè fuerat arterioſus. Chylo verò nutriri animalia, vel vitulina inter cæteras carnes docere videtur, cujus portionem ad colluviem ſanguinis tollendam aquæ ſi immerſeris, fibras cernes muſculorum penitus albeſcere; ex tali ſcil. conſtantes colore, ex quali nutriuntur.

De nutritione Vet. Hippocrati viſum fuit teſtimonio Galeni φυσικώτερον id ſtatuiſſe: Alitionem fieri à quatuor humoribus, in ſanguine contentis; à pituita, bile utraque & ſanguine


ſpeciatim ſic dicto: tam enim arterioſum ille, quàm venoſum intellexit, prout pars nutrienda craſſior vel ſubtilior foret. Cur verò partes non ſanguine, ſed ſanguinis excrementis nutriri voluit & ipſe Galenus, & cum illis infiniti alii? Ideò ſubodoratos fuiſſe iſtos conjiciendum eſt, diverſas ſanguini ineſſe partes; quibus abſumtis ſanguis ille fit iterum priſtinus ſanguis, antequam diverſorum rurſus humorum connubium intrat. Ad quid autem talia comminiſci opus fuit excrementa, quibus defœdaretur ſanguis, dum adfuerint res naturales, & ad alitionem magis proficuæ? ὄχημα τῆς τροφῆς, ſerum, voluere itidem veteres: Annon ſanguis ille venoſus meliore id jure nomen occupabit, qui verum in ſanguine alimenti ex lympha, chylo, auraque vitali conſtituti vehiculum eſt? & tunc merebitur demum nominari ſanguis arterioſus, & erit ad alendum idoneus. Tot verò in corpore noſtro exiſtunt nutritiones, quot ejus ſunt partes à divino Sene enumeratæ. Hominum enim & reliquorum animantium corpora triplici nutriri, ait, alimento, cujus hæc ſunt nomina: cibus, potus & ſpiritus. Hinc etiam tres numerantur partes continentes, contentæ & impetum facientes. Continentes ceu robuſtiores ex terra ſive à terrenis ſuum nanciſcuntur alimentum, rejectis per ſedem heterogeneis. Contentæ verò, fluidiores quæ ſunt & molliores, ex aquoſo genere potum ſibi acquirunt, excluſâ per renes ſuperfluâ humiditate. Impetum verò facientibus ex aëre ſuppetit ſpiritus ille, aura dictus vitalis: cœlum enim & terram quod interjacet, id omne ſpiritu plenum eſt; inde ſuaviſſima illa totius etiam mundi vita & anima, quæ attracta à pulmonibus in ſpirituum vitalium nutritionem cedit; exploſo per reſpirationem aëre inani. Hæc ſola citra ulteriorem ſui præparationem ingreditur corpus, flammulam illam vitalem refocillatura: cætera verò partium corporis alimenta ore aſſumta ſtudioſâ ſui indigent præparatione; tunc ſuperflua quæ in iis ſunt & heterogenea, tam per veſicam eliminantur,

nantur, quàm per alvum exonerantur; aliud tamen ſangui-
nearum eſſe, per arterias, aliud ſpermaticarum partium
per nervos nutrimentum, diverſi ex iis effluentes arguunt
ſucci.

Pulſatio in umbilicali vaſe à fœtûs corde oritur; hinc illâ
poſt partum obſervatâ, fœtum quamvis debilem, vitalem
etiamnum eſſe, ſciendum eſt, pulſu ſpiritus vitalis in corde
illius præſentis indice id demonſtrante: nec recens
eam ob rem natus baptiſmo priva-
bitur.




ANNO



# ANNOTATIO.

## *AD ANNI IX. & X. DEC. I.*

## OBSERVATIONEM I.

## Correctio ſtatuæ humanæ circulatoriæ.

## D. SALOMONIS REISELII.

UT poſteriores cogitationes ſemper meliores: ita & hic mihi evenit, dum in illa Machina, quam *Obſerv. 1. Anni IX. pag. 16.* delineavi, laryngem formare didici modo quidem practicabili, ſed difficili reſpirationem imitandi, facilior mihi incidit poſtea, qui talis eſto. Cylinder ligneus, eburneus, vel corneus digitos fere duos altus rectis perpendiculariter perforetur duobus poris, & binis iterum transverſis aliis rectos interſecantibus, qui ultimi verticillis in medio perforatis & inſertis claudi, vel verſis aperiri poſſint, ut tranſeat ventus per fiſtulas ſuperius adaptatas in nares vel os, velut in epiſtomio vinum, quod figura appoſita docebit intelligentiùs.

*Notanda & vitia Typographica in editione hujus Machinæ, eaq́ corrigenda.*

| | | |
|---|---|---|
| Pag. 2. | l. 21. | omiſſum eſt poſt ſericum, vox latina exprimens Germanæ Scherbſeide. |
| | l. 24. | poſt glutinando add. effingens. |
| 4. | l. 15. | poſt ſeſe add. in inſpiratione. |
| | l. 23. | Tilingius pro Tilenius. |
| 5. & 6. | | ad Auctoris mentem u poſt q. delenda ubique. ut qandam pro quandam. |
| 6. | l. 24. | rupes pro nuper. |
| | l. 25. | congeſtas pro congeſtos. |
| 7. | l. 1. | per ſectam pro perfectam. |
| 9. | l. 4. | Proſectores pro Profectores. |

Pag. 10.

Pag. 10. l. 23. alter pro altera.
l. 26. ad danda post adnectitur; recludente ibidem subter conjunctionem venam cavam valvulâ immittente, non emittente, ne liquor ad renes potiùs delabatur, quàm adscendat ad cor.
13. l. 7. post legerim: in Microtechne Joh. v. Horne.
l. 13. del. lamina in fundo firma applicata.
l. 15. quem pro quam.
l. 19. extremo pro capiti.
16. l. 20. cylindro pro pyxidi.
17. l. 20. del. aut.
18. l. 27. del. præsertim si manum extollas statuæ.
19. l. 8. del. per platismatis elevatam leviorem partem.
l. 9. vel pro quoque.
& del. per graviorem autem.

*Reliqua tempus corriget.*

## ANNOTATIO
### *AD ANNI I. DEC. II.*
### OBSERVAT. I.
fol. 4. & 5.

*De*

# Singulari Paroxysmi Melancholici cura.

Vivebat ante aliquot annos in districtu nostro Grünbergensi nobilis primæ notæ, qui sæpenumero vehementissimis excruciabatur insultibus Melancholicis: huic erat frater festivissimi ingenii, jucundissimæque conversationis, in alio districtu habitans. Invisit aliquando fratrem invenitque summè Melancholicum. Unâ aurorâ videbatur desperabundus; stabat quippe instar trunci in foribus arcis, capite ad brachium inclinato, nec à loco erat amovendus. Hic tandem, ut erat vafer & astutus tristitiæ hostis,

hanc piam excogitat fraudem. Ascendit clanculum in arcis tectum ex adversa parte situm, sonoraque & ignotâ voce exclamat: Sey getrost mein Sohn / deine Sünden sind dir vergeben. Seque abscondit & descendit tanquam sibi nil conscius. Hic è sopore veluti excitatus, circumspicit accuratissimè, dum autem neminem videt verbaque ponderosa expendit, putat, hæcce è Divino Oraculo cœlitus prolata, erigit animum, quærit uxorem, exponit quæ audiverit, accersit domesticos & iis explicat, tandem & fratri accedenti lætabundus refert, qui se simulat ac si in agris obambulasset & ejus molesto statui indoluisset. Descendunt omnes studio in ejus sententiam, remque exaggerant. Animum Melancholici dum hic actus detinet attentum, paroxysmus evanescit, pristinus vigor redit, cum fratre aliquot dies hilariter consumit, & per multum temporis à molesta hacce invasione Melancholicâ immunis vixit.

[*Grünebergâ ab Exc. D. Samuele Ledelio Uratislaviam missa 12. Octobr. Anno 1682.*]

## ANNOTATIO
## *AD ANNI I. DEC. II.*
## OBSERVAT. XVIII.
fol. 40.

QUàm multa adhuc lateant, ac quorum nos scientiâ nondum compotes facti simus, quæ se cultro indies offerunt anatomico; id præclaris ingeniis, qui ævum hoc suâ arte illustrant, abundè liquet. Etsi inter incredulos quandoque reperiuntur, qui, ut ut etiam ad veritatis similitudinem propensa videntur, ea in dubium vocent, nisi auctoribus locupletissimis, aut classicis (quod dicitur) testibus, nitantur. Simile quoque evenit paucis abhinc mensibus, ut Nobilissimi Domini Præsidis, supremi Tribunalis, mandatô, Dominus Fiscus, præsentibus duobus Justitiæ Assessoribus, qui cum eo ad inspectionem cadaveris, alîus gladiô perfossi, committebantur, quo eis tanquam cum laude in foro habitantibus,

tibus, & de ea ſententiam laturis, homicidii ratio probè conſtet. Ubi prima ſtatim fronte, omnibus, qui adſtabant, & præprimis hujus Noſocomii chirurgo practico, inciſionem paranti, ventriculus, ob duritiem, prout exterius apparebat, ſe obtulit inquinamentô refertus, quô apertô, copioſiſſimus proſiliebat numerus ſubventaneorum inſtar ovorum (vel ſi mavis, botrorum, aut hydatidum) quorum ſingula membranâ involuta erant validâ, quæ vulnerata, humorem præter aqueum nihil exprimi patiebantur: Nonnulla horum magnitudinem æquabant ovi gallinacei, prout præſens hîc idea majoris aut minoris formæ ea adumbrat. Vulnus, quod ſub ſiniſtrâ intrabat papillâ, inter quintam & ſextam coſtarum, in cavitatem thoracis, per diaphragma, in ventrem usque penetrans, cum abſciſſione arteriæ meſenteriæ ſuperioris, lethale extitit. Ren ſiniſter ſub carnoſa parte haud exiguâ celabatur, vulgarem modum excedens. Hepar cuticulâ videbatur conglutinatum ventriculo, cui ab extra innata erant bina ſteatomata. Viſcera alioquin erant valida, defunctus quoque ſano ſemper præditus fuit corpore.

[*Ex literis D. Cleyeri, ad Exc. Menzelium Berolinum datis.*]

## ANNOTATIO
## *AD ANNI I. DEC. II.*
## OBSERVAT. XXXVI.

p. 106.

# Obſervatio Cometes, qui effulſit A. C. 1681. Bataviæ Ind. Orient. Menſe Januario.

DIe 6. Jan. apparuit, ſtatim poſt occaſum Solis, inſignis Cometa Caudatus: caput luminis debilioris, & obtuſioris vix erat conſpicuum; cauda admirandæ longitudinis projiciebatur fere verſus Helleſpontum, ejusque extremitas, quæ inſtar hami erat incurvata, terminabatur intra claram in latere Perſei.

Die 8. veſperi Hora $7\frac{1}{2}$. obſervatus eſt in Pegaſo, ſupra pedem Auſtraliorem, cauda excurrebat per claram Scheat, & Andromedam, usque ad claram in latere Perſei.

Die 11. veſperi circa Hor. 8. proceſſerat, motu ſ. c. retrogrado, usque ad claram Scheat, paulò Auſtralior. cauda ut ſupra; niſi quod ſe quotidie elevabat, pro ratione motus Cometes.

Die 13. veſp. circa Hor. 9. conſpiciebatur propè caput Andromedæ, tres præter propter gradus occidentalior, cauda eodem modo ut dictum.

Die 15. veſp. Hor. 8. effulſit uno gradu occidentalior, quam caput Andromedæ, quod ſequente die in totum obtegebat.

Die 19. progreſſus erat usque ad dorſum Andromedæ: 6. gr. à capite, 10. gr. à cingulo ejusdem ſyderis: & 15. gr. 54. m. ab alâ Pegaſi. Cauda jam multo minor erat, & protendebatur tantum usque ad pedem Auſtralem Andromedæ.

Die 21. conſpiciendum ſe præbuit in extremitate Auſtraliore cinguli Andromedæ, diſtabat autem à pede ejusdem ſyderis 16. gr. à clara in latere Perſei 33. gr. à Plejadibus, præter propter 37. gr. Cauda protenſior erat, quam ante biduum.

Die 22. extitit in extremitate cinguli Andromedæ, ab ejusdem pede 15. gr. à clara in capite arietis 15. gr. 28. m. à clara in latere Perſei 31. gr. 46.

Die 24. conſpiciebatur ſupra claram in cingulo Andromedæ, à plejadib. 31. gr. 48. m. à clara in latere Perſei 28. gr. 46. m. à capite Meduſæ 23. gr. 10. m. cauda excurrebat medio ferè inter pedem Auſtraliorem Andromedæ, & triangulum, usque ad claram in latere Perſei.

Nota. Obſervatio hæc propter defectum Inſtrumentorum non potuit fieri tam exactè, quàm quidem deceret: fecimus tamen quod potuimus, memores, quod etiam conatus in rebus magnis ſit laudabilis.

[*Ex literis D. Cleyeri, ad Exc. Dn. Menzelium Berolinum datis.*]

APPEN-

# APPENDIX
*AD*
# ANNUM PRIMUM
## DECURIÆ II.
# EPHEMERIDUM
## MEDICO - PHYSICARUM
## NATURÆ CURIOSORUM,
In Germania.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M. DC. LXXXIII.



## SERIES IN APPENDICE CONTENTORUM.



in fine Anni 11. Dec. 11.

Sub felicibus
IMP. CAES.
LEOPOLDI PRIMI
AUGUSTI
Auspiciis.

SACRÆ
CÆSAREÆ MAJESTATIS
MANDATO
*ET*
PRIVILEGIO

# LEGES

S. R. I. SOCIETATIS ACADEMICÆ
NATURÆ - CURIOSORUM
CONFIRMATÆ ATQUE MUNITÆ.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M. DC. LXXXIII.



# LEOPOLDUS,

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ ac ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sveviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sac. Rom. Imp. Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c.

AGNOSCIMUS ET NOTUM FACIMUS tenore præſentium univerſis; Quemadmodum glorioſiſſimi Prædeceſſores noſtri Romanorum Imperatores & Reges, inter alias ſupremi officii ſui curas, eam etiam dignitate ſuâ dignam exiſtimârunt, quâ pro Reipublicæ gubernatione atque conſervatione variorum in Sacro Romano Imperio Studiorum atque Collegiorum inſtitutioni, fundationi atque confirmationi ſe clementer interponerent; Ita & Nos cum Reipublicæ maximè intereſſe perſpiciamus, ut quæ humano generi divinitus data eſt ſanitatis quâ conſervandæ quâ reſtituendæ ſcientia, ſollicitè foveatur atque propagetur, prædictorum Majorum noſtrorum laudatiſſimo exemplo, eos qui ſolidâ medendi ſcientiâ imbuti, longâque experientiâ uſuque rerum magiſtro confirmati, pro Civium ſalute atque incolumitate excubant, cùm oportunis juribus atque libertatibus, ut ſub Imperiali auſpicio felicia incrementa ſumant, clementer munimus atque augemus, tum convenientibus etiam honoribus atque præmiis liberaliſſimè excitamus atque condecoramus.

CUM IGITUR NOBIS AB HONORABILIBUS peritis ac doctis noſtris Sacrique Imperii fidelibus dilectis N. N. Præſide, Adjunctis, cæteriſque Collegis Societatis Academicæ naturæ Curioſorum humiliter expoſitum fuerit, ſe Leges quaſdam & Statuta, quorum vinculo Societas hæc impoſterum firmius connexa hæreat,

reat, inter sese strictè observanda in unum congessisse & compilasse in hæc verba:

## *SACRI ROMANI IMPERII*
## Academiæ Naturæ Curiosorum
# LEGES.

### Lex I.

*GLoria DEI, Medicæq; Artis illustratio, & proximi exinde resultans commodum, Academiæ Naturæ Curiosorum scopus esto, & cynosura unica.*

### Lex II.

*Præsidium Academiæ sit Providentia Divina: Patrocinium conciliet usus in rebus publicis benè constitutis maximus, quem si non omnes ac singuli, plures tamen & cordatiores venabuntur, æstimabuntq; ad incolumitatis, sanitatisq; propriæ tutelam, omnibus gazis anteponendam.*

### Lex III.

*Quoniam Societas hæc in Germaniâ prima sumpsit incunabula, adeoq; hactenus Membra ejus Germani fuerunt, in diversis Imperii Romano-Germanici Circulis viventes, Societas hæc Sacri Romani Imperii Academia Naturæ Curiosorum appellari voluit, parili ratione, quâ exteræ Eruditorum Sodalitates ACADEMIÆ audire consueverunt; sperans fore, ut magis magisq; adolescente suo Collegio, tam ipsius Sacræ Cæsareæ Majestatis, quàm*

*Sereniſſimorum Electorum ac reliquorum Imperii Principum Tutelam ac munificentiam, veluti ſine quibus fulcimentis vix diu vigere & conſiſtere valebit, experiatur.*

Lex IV.

*Ut ergo tanto feliciora ac firmiora incrementa Societas capiat, & ad tam laudabile, tamq́; proficuum inſtitutum proſequendum viri cordati promptiùs alliciantur, danda eſt opera, ut ipſi authoritas major concilietur, membra verò ejusdem honore & præmiis, quæ ſtimuli ad quævis magna exſequenda unici & maximi eſſe ſolent, excitentur, adeoq́; à Summo Imperatore, Electoribus, aliisq́; Imperii Principibus, nec non Liberis Imperii Civitatibus pro diverſitate membrorum Societatis, in diverſis locis degentium, Privilegia quædam & immunitates Perſonales exorandæ ſunt. De quarum clementiſſima ac gratioſiſſima collatione dubitandum non eſt, cùm Collegæ Curioſi non in magno ſint numero, & præterea per Ditiones, Urbesq́; Germaniæ diſperſi; Ipſi verò ob publicam diligentiam non minùs ac Profeſſores in Univerſitatibus honorum & immunitatum quarundam præmia promereantur.*

Lex V.

*Præſes Academiæ ſit, idemq́; unicus. Ipſi incumbat rebus Academiæ ita proſpicere, ut quæcunq́; in ejus incrementum, aut commodum ullo modo cedere poſſunt, vel operâ vel conſilio ſedulò procuret. Præterea peculiari Libro inſcribat nomina ſingulorum Academicorum, additâ Patriâ, die natali, loco habitationis, functione præ-*

teritâ

*teritâ præsentiq́, nec non olim die obitus: Eumq́ Librum ceu Archivum apud se seriò custodiat.*

Lex VI.

*Præsidi propter locorum ambitum atque distantiam, adjuncti, velut Secretarii quidam associentur. Eorum hactenus quidem duo solùm fuerunt, ipsi tamen nunc sub incrementum Collegii numero augeri possunt, pluresq́ constitui, prout ex re Academiæ esse videbitur. Eligendi autem illi imposterum præcipuè, qui edito opusculo sese Collegio commendârunt, & quidem à Præside, votis reliquorum Collegarum electionem confirmantibus.*

Lex VII.

*Munus Adjunctorum sit cum Præside de Academiæ Emolumentis frequentiùs & fideliter communicare; Medicos alios ac eruditione præstantes litteris præprimis invitare; Collegas in Album receptos præstitis præstandis, dignis laudibus, & Agnomine honorifico (factâ priùs cum Domino Præside communicatione) uti hactenus factum, mactare; tardantes officii sui placidè admonere; observationes & experimenta aliunde communicata, ad locum, ubi Ephemeridum fiet collectio, dirigere.*

Lex VIII.

*Iidem sint dispositi ac distributi per loca, quâ citiùs ac faciliùs cum aliis extra Societatem Medicis, præcipuè verò exteris commercia litteraria institui promoveriq́ possint. Unus tamen illorum perpetuò Præsidi adsit, aut certè in ejus viciniâ hæreat, ut cum eo de necessariis commodius*

*modiùs colloqui vel communicare possit. Eidem Adjuncto incumbet, Præsidis, si is è vivis excesserit, fata maturè per Programma publicum intimare, quo ab universis Dominis Collegis, absq; simultate per vota alius dignus, præcipuè tamen è numero Adjunctorum, eligi queat.*

Lex IX.

*Academici Naturæ Curiosi (in quorum numerum tantùm admittendi Doctores & Licentiati, aut iis eruditione proximi, omnes tamen Medici aut Physici) invitati & recepti ad duo sint obstricti; ut primò seligant sibi materiam elaborandam ex Regno sive minerali, sive vegetabili, sive animali, quæ cuiq; arriserit, nisi ab alio Collega jam tractata sit; secundò, Ephemeridibus annuis conficiendis, augendis atque ornandis indefessam navent operam.*

Lex X.

*Si jam, quoad prius, quis singularem aliquam Medicam materiam sibi tractandam selegerit, illam Domino Præsidi aut uni vel alteri ex Adjunctis ante editionem significet, delineationemq; tractationis ipsis transmittat, ut si de eâdem materiâ aliquid rari & curiosi reliquis Dominis Collegis innotuerit, illud candidè communicari possit, & ab Authore factâ honorificâ communicatorum & communicantis mentione, inseri, eandem ob causam, ut nempe materia pertractanda eò citiùs innotescat. Materiæ istæ selectæ annuis Ephemeridibus Curiosorum coronidis loco subjungi poterunt.*

Lex XI.

*Materiam talem Academicus elaborabit curiosè, &*

*quâ*

*quâ fieri poterit diligentiâ, inquirendo in rei tractandæ Nomina, Synonyma, modum generationis, locos natales, differentias, species, delectum, vires tam totius, quàm partium, Medicamenta tam vulgaria, quàm Chymica, tam simplicia, quàm composita, nec omissis, si qui dantur, usibus mechanicis, eo ferè modo, quo conscripsit Rhodologiam suam Rosenbergius, Mastichologiam Strobelbergerus, Marathrologiam Schenckius, Corallologiam Gansius, Sambucum Blochwizius, & jam tum quædam Collegii Curiosi Membra sua ediderunt specimina.*

Lex XII.

*Licitum verò sit Domino Præsidi (nec non aliis etiam Academicis, quibus opusculum ante editionem videre contingit) cum bona authoris venia, & absq; ipsius offensione, materiæ perfectius elaborandæ gratia quædam monere, corrigere, addere, immutare, mantissam, vel corollarium pro lubitu aut opusculo edendo addere, aut postmodum in Ephemerides Germanicas conjicere, omnia tamen amicè, candidè, & veluti fraternè, citrà arrogantiam aut invidiam, vel ullius contemptum ac contumeliam: Quandoquidem rationalis Medici non est, alterum invidiosè calumniari.*

Lex XIII.

*Certum tempus Exhibitionis à Medico requiri non potest, cum propter Praxeos negotia sibi & collegio semper vacare non possit, sufficiet si utilitas proximi & cupido Famæ calcar addant, maturum fœtum primum Collegio, postmodum Erudito Orbi sistere.*

Lex XIV.

*Abſoluto opuſculo Authori & Collegæ cognomen, uti hactenùs factum, à Domino Præſide & Adjunctis offeratur, eoq́ ille condecoretur. Reliqui Domini Collegæ qui ſaltem Ephemeridum Curioſarum collectioni ſtudent, eousq́ cognominibus careant, donec pertractatâ Curiosâ materiâ & edito opuſculo Priori Collegii inſtituto ſatisfecerint.*

Lex XV.

*Qui penſum ſuum abſolvit, non cogitur ad novæ materiæ elaborationem: ſufficit ut Ephemerides Germanicas alterum Collegii curioſi laudabile inſtitutum pro virili poſtmodùm augeat, & aliis Collegis opem ferat, ad exornandos ipſorum labores. Si tamen cuidam ſpontaneo inſtinctu novas materias pertractare lubitum fuerit, lubentiſſimè hoc ipſi indultum ſit, imò eò magis Collegii favorem merebitur, & dignius Collegio membrum ſe præſtabit.*

Lex XVI.

*Nam cùm præter iſtarum materiarum ſpecialem tractationem hactenùs à quibusdam Collegii membris factam, & porrò faciendam maximum Medicinæ præbeant commodum variæ obſervationes, experimenta, Problemata Phyſica & Medica, & in hâc parte, tanquam ſecundo Collegii inſtituto ſuprà Leg. VIII. indicato curioſis Collegium curioſum ſatisfacere ſtudebit. Quare Programmate quodam ad Eruditiſſimos Europæ Viros, tàm in Germania quàm extra eam in Italiâ, Gallia, Britannia, Belgio,*

*Dania*

*Dania &c. viventes directo submisse, honorificè perq; amanter invitandi illi, ut si quæ abscondita novavè Curiosa Physico-Medica occurrant, cum Collegio candidè per litteras communicent, & hoc tempore Vratislaviam, ubi primorum annorum fiet collectio, potissimum transmittant. Singuli quoque Collegæ ab Amicis suis idem beneficii genus in publicam commoditatem directum per speciales literas flagitent.*

Lex XVII.

*Observationes illæ, itemq; experimenta, Inventa, Problemata, aliaq; hujus farinæ erudita, communicata, ab Adjunctis necnon aliis Collegis Curiosis, secundum ordinem temporis, quo communicata fuerunt, in unum corpus colligantur, præmisso ubique Eruditi honorifico nomine qui ipsa, quotq; communicavit, & cui communicavit. Post ad minimum singulis annis in unum volumen à certis & destinatis ad id Collectoribus, congesta, Collegii Curiosi Bibliopolæ tradantur, ut sub nomine* EPHEMERIDUM GERMANICARUM NATURÆ CURIOSORUM *edantur. Hâc ratione quicquid rarioris aut occulti in Physicâ & Medicinâ ubicunque locorum restiterit, unâ quasi in tabellâ delineatum Eruditis exhibebitur, cum de sincerâ, promptâ & probatâ communicatione non dubitetur. Siquidem multis egregiis ingeniis hic janua Famæ & utilitatis aperitur, ut cum ipsis aliquid singulare edendi tempus & otium non suppetat, cum ipsorum famâ & honorificâ mentione in Ephemeridibus tamen id videre possint mundo exhibitum. Quare ut eò citius & luben-*

*tius Medici cum Collegio communicent per litteras, Collegæ Curiosi temperabunt sibi, quin istis communicatis censorium judicium apponant, contenti simplici narratione, prout res ipsa communicata fuerit. Liberum tamen esto interdum, si similis aliquis casus contigerit, Scholion addere, absque omni tamen mordaci sale.*

Lex XVIII.

*Anniversariis hisce Ephemeridibus addantur, si qui rariores Libri in Medicinâ editi fuerint, & interdum quid rari præcipuè in se contineant, brevibus enarretur: Addatur calcis loco, si quis è Collegarum numero vivis excesserit, cum honorificâ mentione quid commodi Collegio præstiterit, quæ opuscula ediderit, adeoq; brevissimis vita ipsius & beata analysis enarretur.*

Lex XIX.

*Si quis Academicorum ante opusculi editionem è vivis excesserit, fragmenta ab alio Collegâ colligenda, & cum præscitu Præsidis, sub nomine Authoris demortui, ut edantur, concessum liberumq; sit.*

Lex XX.

*Quilibet Academicus alios etiam Medicos, sive illi Germani sive exteri Germanorum hisce laboribus faventes, aut ipsam in Societatem protrahere conabitur, ut membra Collegii fiant, aut ut tanquam Patroni ac Fautores saltem Collegii reliquis Dominis Collegis, & præcipuè Ephemeridum Collectoribus rariora communicando operam conferre dignentur, invitare.*

Lex XXI.

Lex XXI.

*Quilibet Academicus geſtet Symbolum Academiæ; ſcilicet annulum aureum, in quo loco gemmæ ſit liber apertus, in cujus unâ facie oculus radiis è nube illuſtratus, in alterâ Lemma Academicum* NUNQUAM OTIOSUS *inſcripta ſint: Librum ab utroque latere ſerpens corpore & caudâ circa annuli circulum circumvoluti ore teneant, non tàm ut ornamentum ordinis ſit, quàm incitamentum ad officium ſeriò & fideliter exequendum.*

PORROQUE NOS SUPRAMEMORATI Præſes & Collegium ſuppliciter rogârit, ut authoritate noſtrâ Cæſareâ non ſolùm Societatem hanc Academicam Naturæ Curioſorum per Sacrum Romanum Imperium Regnaquè & Provincias noſtras hæreditarias â ſe erectam benignè fovere, ſed & prædicta ſtatuta eorum & leges laudare, approbare, dictamque adeò Societatem Academicam confirmare clementer dignaremur. Nosque maturo ſuper hoc habito conſilio & deliberatione precibus ejusmodi cùm per ſeſe honeſtis & æquis, tùm in boni publici promotionem directis benignè annuendum duxerimus.

PROINDE EX CERTA SCIENTIA, AC de Cæſareæ noſtræ poteſtatis plenitudine antedictam Naturæ Curioſorum Societatem Academicam ut ſupra inſtitu-

ſtitutam atque erectam, ejusque leges & ſtatuta ſupra deſcripta, quò ſolidiori ac firmiori conſiſtat fundamento, in omnibus ſuis clauſulis, punctis & verborum expreſſionibus, omni meliori modo ac via laudamus, approbamus, & confirmamus, illique una cum membris & perſonis eam conſtituentibus facultatem libertatemque concedimus & elargimur, ut laudabile hoc ſtudium ſuum atque inſtitutum per Sacrum Romanum Imperium Regnaque & Provincias noſtras hæreditarias, ac de cætero ubique locorum ac terrarum liberè exerceant, promoveant ac dilatent, citrâ impedimentum & contradictionem cujuscunque: noſtris tamen, & Sacri Imperii aliorumque juribus ſemper ſalvis & illæſis.

NULLI ERGO OMNINO HOMINUM liceat hanc noſtræ conceſſionis, confirmationis, approbationis, & gratiæ paginam infringere, aut ei quovis auſu temerario contraire, ſub pœnâ indignationis noſtræ graviſſimæ & quinquaginta marcarum auri puri, quâ contrafacientes irremiſſibiliter medietate Fiſco ſeu Ærario noſtro Imperiali, reliqua verò parte injuriam paſſorum uſibus applicatâ omni ſpe veniæ ſublatâ plectendos decernimus. Harum teſtimonio literarum manu noſtrâ ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Quæ dabantur in Civitate

tate noſtrâ Viennæ, die tertiâ Menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Regnorum noſtrorum, Romani vigeſimo, Hungarici vigeſimo tertio, Bohemici verò vigeſimo primo.

LEOPOLD.

Vt

Leopoldus Gvilielmus,
Comes in Kinigsegg.

*Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.*

Chriſtoph. Beuer.

Collation. & regiſtravit.

*Ludov. Vlostorff, Regiſtrator.*


LITERÆ
Subjectissimè Supplices
ad
*ILLUSTRISSIMUM*
DN. DN.

# RAYMUNDUM

tùm, S.R.I. COMITEM
*nunc, Serenissimum PRINCIPEM*
DE MONTECUCOLI
Pro suscipiendo S. R. I.
*Academiæ Naturæ Curiosorum*
PROTECTORATU
Unà cum Gratiosissimo Responso
&
*Devotissimâ Gratiarum actione.*

---

NORIBERGÆ,
Literis Knortzianis.
ANNO *M. DC. LXXIIX.*



*LITERÆ*

# Invitatoriæ Subjectisſimæ.

*ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO*

DOMINO

## DOMINO RAYMUNDO, S.R. IMPERII COMITI A MONTECUCOLI,

Domino in Hohenegg & Oſterburg, Aurei Velleris Equiti, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliario Intimo, Cubiculario, Conſilii Aulico-bellici Præſidi, Gratioſisſimo Locumtenenti, Campi-Mareſchallo, Rei armamentariæ Præfecto Equitum Cataphractor. & Peditum Colonello, & Confiniorum Jaurinenſium Generali &c. &c. Domino & Mæcenati meo Gratioſisſimo &c. &c.

*Illuſtrisſime & Excellentisſime Domine*

S.R. IMPERII COMES à MONTECUCOLI, MÆCENAS *GRATIOSISSIME.*



DElectârunt omni ævo certaminibus Heroicæ mentes, & Generoſâ iſtâ æmulatione ſempiternam ſibi peperére gloriam, ut Græci ſuis Olympicis, Iſthmicis, & Romani ſuis Circenſibus, Curſoriis, gladiatoriis, &c. Sed hæc corporis tantùm erant exercitia ad oſtentandum robur, membrorumque agilitatem comparata; Glorioſius longè & ingenioſius certamen antecedenti ſeculô primùm, quod ſciam, in Italia Coſmus Medicæus, Magnus ille Hetruriæ Dux, inter Viros literatos inſtituit, quod Academiam vocavit, ſodalitium ſcilicet, ſeu Collegium Virorum variâ rerum omnium ſcientiâ & uſu

& usu Excellentium, qui in commodum Rerumpublicarum sub certis quibusdam regulis constricti mentis acie collegialiter decertarent.

Felici omine passim excepta virtuosa hæc & planè Heroica exercitatio præter alias Nationes Angliam nuper ad Societatem Regiam, & sub iisdem temporibus Germaniam nostram ad pares conatus animavit, ut Ducibus aliquot Imperii Magnatibus Excellentissima quædam ingenia ad patriam linguam excolendam conjunctionem inirent, Fructiferorum nomine famigeratissimam.

Fatô dicam, an votô potiùs Literatorum simile Exercitium in Imperiali Svinfurto inter paucos quosdam Medicos (Anglicæ Societatis V. tantum primò fuisse dicuntur) Authore potissimùm Domino Johanne Laurentio Bausch, Med. Doct. & Physico Svinfurtensi, Antecessore meo, annô hujus seculi 51. institutum est, quod Naturæ Curiosorum nomine insignitum, certisq; legibus sancitum, ut singuli Collegæ curiosè scrutarentur & in apricum proferrent ea, quæ vel seculi injuriâ, vel hominum incuriâ Cimmeriis hactenus tenebris immersa animos sciendi avidos latuissent, humanis aliàs usibus maximè necessaria, commoda, jucunda; idque non sine applausu plurimorum Clarissimorum Virorum (inter quos primo loco nomino Zaschelium, Sorbait, Greiselium, Jungium, Hertodium) quorum elogia ad Sacratissimam Majestatem Cæsaream delata Heroicum istum Genium tàm propitium nobis reddiderunt, ut Cæsareæ suæ Majestatis jussu ex magnificentissimo illo Cimeliarcho Cæsareo rarissima quædam Naturalia, quasi gemmæ quædam, ad exornandas Ephimerides nostras clementissimè concederentur: quô illustri exemplô excitati varii ex variis mundi plagis nobiscum hactenus communicârunt, & communicant hodienum, quæ vel explorata novitas quotidiè admiratur, vel indefessa hominum industria indies pervestigat.

Fructus autem hujus instituti nostri in Respublicas maximus licèt sit, & nobilissimus, malevolorum tamen quorundam calumniis quoq; est obnoxius, & adeò expositus, ut exinde

 non-

nonnullorum Collegarum generosus fervor nonnihil frigescere & tantùm non sufflaminari, furorq; Martialis, infensissimus ille literarum hostis, funestam nobis cladem minitari videatur: Utrumque remedium efflagitat praesentaneum; Utrumq; Patronum & Protectorem Heroicum; Illud Artis, hoc Martis est: In utroque eminenter coruscat Illustrissima V. Excellentia, quam ideò subjectissimâ devotione venerantur Naturae Curiosi omnes & singuli, eâ, quâ par est, animi observantiâ submissè rogitantes, ut Illustrissima V. Excellentia Academiae Naturae Curiosorum Patrocinium Gratiosissimè suscipere, Augustissimo Nostro LEOPOLDO eorum studia & labores de meliori commendare, & Naturae Curiosos pro salute publica tàm solicitè excubantes adversus omnium Zoilorum virosa spicula Heroicè tueri dignetur. Faciet hoc ipsô Illustrissima V. Excellentia rem, ut putamus, Nomini Germano gloriosam, Imperio Romano-Germanico fructuosam, & Illustrissimae Excellentiae suae admirandis virtutibus longè dignissimam. Vivat Illustrissima V. Excellentia, & in inaccesso illo summae Felicitatis ac Dignitatis throno floreat diutissimè: Ita mecum vovent omnes Naturae Curiosi, imò omnes Boni.

Dabantur Svinfurti, ubi Illustrissimae V. Excellentiae Generosa ista militiae suae tyrocinia primitùs deponere, & singularis Clementiae ac Favoris Gratiosissimos radios saepiùs, & nuper quoq; in transitu ex itinere devotis Civibus spectatissimè exhibere volupe fuit, quod gratissimâ mecum mente agnoscunt & recordantur omnes.

Illustrissae Excellae Vae.

*Subjectissimus*
S. R. I. Acad. Natur. Curiosor. Praeses
dictus Argonauta

Svinfurti die 9. Octobris 1677.

*Joh. Michael Fehr D. Phys. Svinf. Ord. & Praetor Urbis Imperialis.*

Illu-

Illustrisſimi

# DN. COM. à MONTECUCOLI

Gratioſisſimum Reſponſum.

*Prænobili, Doctisſimo ac Conſultisſimo*

## DOMINO JOHANNI MICHAELI FEHR

AA. LL. Philoſophiæ & Med. Doctori, S.R. Imperii Naturæ Curioſor. Academiæ Præſidi, Phyſico Svinfurtenſi Ordinario, Urbisq; Prætori Imperiali &c.

Svinfurtum.

*Prænobilis, Doctisſime, ac Conſultisſime AA. LL. Philoſophiæ & Medicinæ Doctor.*

QUam proximè abhinc elapſâ nonâ Octobr. Svinfurtô ad me dediſti epiſtolam, non tantùm ritè accepi, ſed etiam Tuum, Tuorumq; Collegarum petitum intellexi: Me Tuæ (cui laudabiliter præes) Academiæ Tuorumq; expetis Protectorem, atque ita honorificam procul dubio imponere cogitas provinciam, quam vel ideò promtus ſuſcipere non prætermitto, quia de Tuo, Tuorumq; primùm conſtanti fervore, dein optato pro bono publico ex ſtudio veſtro ſecuturo emolumento minimè dubito. Sicut igitur pro hac oblata mihi honorifica ſparta præſentibus officioſisſimas rependo grates, ita non minùs, ubi impoſterum laudabile Tuum in promovendo hoc ſtudio deſiderium pro viribus ſecundare potero, partibus meis haudquaquam deero, ac viciſſim ſemper futurus ſum

*Viennæ 28. Novembris 1677.*

*ad officia paratisſimus*

R. à Montecucoli.

Argonautæ
*Gratiarum actio.*

*ILLUSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME*
SAC. ROM. IMP. COMES à MONTECUCOLI,
Dn. & Mæcenas Gratiosisſime.


Lexandri Magni magnitudinem & Heroicas virtutes ad vivum exprimere videtur Illuſtrisſima Veſtra Excellentia, qui à Poëta prædicatur,

Ἀμβότερον, ἀγαθὸς βασιλεὺς, κρατερὸς τ᾽ αἰχμητής.

*Rex probus ac prudens, & in armis ſtrenuus Heros.*

Utrumq; hodie perrarum in uno, in pluribus vix alterutrum, ſed in utroq; excellere & pulchrum eſt & verè Regium. Regiâ hâc virtute eminenter excellit Illusſtriſs. V. Excell. dum inter media hoſtium tela, inter tempeſtuoſos Imperii fluctus Muſis quoq; humanioribus locum dare ſatagit, quod manifeſtè illuſtrat Gratioſs. ille Illuſtriſs. V. Excell. affectus erga Nat. Curioſos, quorum Illa vota non ſolùm audire, quod certisſimus animi Generoſi index, ſed &, quod ferè ſupra vota erat, Heroico iſto Patrociniô ſuô labores eorundem DEO & Imperio ſacros ſuffulcire, ac contra omnes adverſantium virulentos morſus tueri dignata eſt: quod maximi beneficii loco ducimus omnes, eoq́; nomine Illuſtriſs. V. Excell. eâ, quâ par eſt, animi obſervantiâ, Præſes Ego, omnium Collegarum nomine, devotisſimas interim ago habeoq́; gratias, donec publicô aliquô teſtimoniô erga Illuſtriſs. V. Excell. promtisſimæ ſuæ ſubjectionis & gratitudinis debitæ ſe exſolverint Academici Naturæ Curioſi. Vivat Illuſtr. Excell. V. & cum inſtante Novennio novis Honorum & Dignitatum accesſionibus indies (*) auctior in Imperio Romano Illuſtriſs. V. Excell. potisſimùm fortitudine ex funeſto hoc bello, vel feliciter eluctante, vel jamjam triumphante, floreat ex voto. Ex Imperiali Svinfurto d. 6. Dec. An. 1677.

(*) *Augurium hoc non fuiſſe vanum Illuſtrant Illuſtrisſimi Honores & Dignitates mox ſubſecutæ.*

Illuſtriſs^æ. V^æ. Excell^æ, *Devotisſimus Cliens*

S. R. I. Acad. Nat. Curioſor. Præſes d. Argonauta
*JOH. MICHAEL FEHR Phil. & Med. Dr.*
*Phyſ. Svinf. Ord. Urbisq́; Prætor Imperialis.*
D. O. M. A.

# D. O. M. A.

*Augustum Augusti* LEOPOLDI *Cæsaris Astrum,*
*Imperii Columen, Pannoniæq; Tremor;*
*Quem Virtus Magnum, rerum Prudentia Summum*
*Reddidit, Austriacæ Dextera Firma Domûs;*
*Quâ Dextrâ dextrè Res stat Romana Salusque,*
*Quo Capite, alma suum tollit Hygeia caput.*

*Salve Magne* HEROS, PRINCEPS *Celsissime salve!*
*Inclute Musarum Dux & APOLLO Chori!*
*Vive diu Imperio Romano Maximus* ATLAS!
*Vive diu & nostri Celsa* CORONA *Chori!*
*Jubilat omnis ager, rerum-Natura triumphat,*
*Naturæq; sagax Curio plaudit; JO!*


S.R.I. Acad. Naturæ-Curiosorum Præses
d. Argonauta
*JOH. MICHAEL FEHR Philos. & Med. D.*
*Physicus Svinfurtensis Ordinarius, Urbisq;*
*Prætor Imperialis.*

## Magneticæ Declinationis
*Norībergæ hoc anno instituta observatio.*

QUam quondam Magneticæ acûs declinationem in hac nostrâ Civitate artifices habuére indubiam, quod cuspis ejus australis à meridiana discederet lineâ ad occidentem, octo ferè gradibus; notante id etiam ex Georgio Hartmanno, Cive nostro, Sciotericographo solertissimo, Viro Naturæ Curiosissimo Athanasio Kirchero, in Geographiæ magneticæ *Cap. 4.* Eam ipsam hodierno deflectere tempore à lineâ istâ meridionali, ortum versus, ad quinq; gradus mecum ingeniosus Mathematum Cultor, Georgius Christophorus Eimmart observavit, qui quatuor continuis ante æquinoctium autumnale diebus semper talem, qualem & biennio ante deprehendi, accuratè, tot instrumentis huic fini accommodatis respondentem demonstravit, non sine insigni apud plurimos hujus discriminis admiratione.

*En!*

*En Zephyro ut Magnes neglecto vergit ad ortum,*
*Noricus, extollens CÆSARIS imperium!*
*Sic LEOPOLDE tuas ad partes dedita Noris*
*inclinat, DOMINUM TE venerata suum.*




*CÆSARIS ad solium Magnes se vertilis aptat,*
*Regeq́ Gallorum cedit ab occiduo:*
*Euge, bonum DEUS hoc portentum faxit, ut Ipse*
*CÆSARIS in partes nunc quoq́ GALLUS eat.*

# APOLLO
ΤΕΤΡΑΤΕΧΝΗΣ
*Serenissimus Princeps ac Heros*,
DN. DN.
# RAYMUNDUS,
Sac. Rom. Imperii
COMES DE MONTECUCOLI,
Dominus in Hoenegg & Juppendorff, Aurei Velleris Eques, Sac. Cæsar. Majest. Consiliarius Intimus, Camerarius, Consilii Aulico-Bellici Præses, Generalis Locumtenens, Campi-Mareschallus, Rei Tormentariæ Supremus Præfectus, Equitum Colonellus, Jaurinensis Præsidii ac Confiniorum Generalis,
*ab*
Inclita
*Academiâ Naturæ-Curiosorum*
PROTECTOR
*electus:*
Acclamatione prorsâ & vorsâ publicè cultus
*A*
Johanne Georgio Volckamero, Doct.
& Collegii Medici Nor. Decano.
*Academico Naturæ Curioso.*

---

NORIBERGÆ,
*Typis Andreæ Knortzii.*
ANNO M. DC. LXXIIX.

*Typus æneus hujus Frontiſpicii, in antiqua tabula ex albo marmore, magnitudinis pedum ſesquitrium ex unoquoq; latere, extat Romæ in ædibus Hasdrubalis Matthæi Marchionis Jovii.*

# SERENISSIME PRINCEPS,

## *DOMINE CLEMENTISSIME.*



Otis nunc omnia fervent, dum fata adfulgent. Cytharam poſcit ac plauſum, lætitia publica. Spes Auguſta Auſtriæ, poſt duo & quod excedit luſtra, tandem reſpicit, Porphyrogennetum cunis motantibus. JOSEPHUS, magnum Jovis incrementum, ut feliciter creſcat, ut annos ferat, omnes congratulamur. Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens, decorus aſpectu: cui benedicat Omnipotens! Sed & Tua votis res agitur, Sereniſſime Princeps! ut novus jam regnet Apollo. Aptum hoc Tibi numinis nomen, & quaſi agnatum, pollenti Apollineis artibus. Ille, Leo ſub Leone, radiis infenſus, ſpicula hæc latè disjicit: pharetratus etiam, in Pythona ſagittas torquet. Tua verò Serenitas quorſum non alluxit fulgoris fulgure? Quanta Imperii ſpatia emenſus es,



fulmi-

fulminis ales, Jovis Aquila! Testis Arabo, Arabum sanguine cruentatus, & fugata videns

— — Lunatis agmina Signis.

Inde ex auro Tibi Laurus debetur, ob servatam Orbi Christiano Austriacoq; Hungariam. Testis Franconia: procul dubio nunc Francica, nisi Tu Deus quasi ex machinâ in tempore adfuisses. Ibi ars hostilis arte delusa, exemplo docuit, in Bello plus Prudentiâ profici, quam Viribus. Ita Te Averrunco, commune Germania periculum, & malum jam in visceribus, feliciter extrusit. Tandem etiam, armis arma opponens, Pythone illo Gallico spiculis prostrato, Dextera suâ Regem orbum fecisti. Et ab his principiis nunc Bellum trahitur. Tu verò, ita innutritus bellicis artibus, Pacem tamen amas: gnarus, Bellum geri propter Pacem. Eâq; nunc frueremur: nisi hostilis obstaret ambitio. Interim Solis instar, Cæsarei Cœli Diespitrem Te videmus, Consiliis præsentem interesse, & intendere omnibus. En Apollinem, Lucis fontem, lumine, circa caput, serenum! Ea Tibi mens, illustre senium juventâ miscere & servare bono publico, Consilii radiis diem regere, quotidie renasci, lumen dare collegis sideribus. Hæc Phœbæa divinandi Ars, gemina bellicæ. Utraq; Herculis clavam Tibi aptat, cum Leonis exuviis: ut verè ἔρας vel ἥρας κλέ@ audias. Hanc equidem laudum radiis, illam rebus gestis laudabilibus, imples. Jubaris etiam Solaris, & jubæ Leoninæ, quàm heroica affinitas: in Te expressa! Ea omnia ac Fidelitatem in Te videt & æstimat Imp. Cæs. LEOPOLDUS Augustus Dominus Noster, quo Jove Divûmq; terrestrium Patre gaudes Filius,

quod

quod ter felix, fauſtum fortunatumq; ſit Tibi & Poſteris! Nec mirum, cum quilibet Mons cœlo vicinus JOVI olim ſacer fuerit, ſi Noſtro beneplacitum ſit, Suam in hoc Monte habitare Gratiæ Cæſareæ Aquilam: ſuetam, nidos in montium excelſo ponere. Sed non hic gloriæ Tuæ terminus, Sereniſſime Princeps! Non Martiorum telorum jaculatorem tantùm, ſed & Muſarum Ducem Te & Muſageten ſentimus Apollinem: hoc etiam Symbolo, quod in Monte habites. Hunc ſive quis Parnasſum dicat, ſive Soracten Tibi conterraneum, idem dixerit. Romæ olim Herculi cum Muſis commune templum: quæ iſte gesſit, hæ carmine celebrant. Tu, qui ſcribenda facis, ſcis facta etiam deſcribere, Julii Cæſaris exemplo: Muſarum ſimul Patronus & Collega. Ita

--- quondam Cythara tacentem
ſuſcitat Muſam, neque ſemper Arcum
tendit, Apollo.

Teſtem advoco, maximum quondam Illuſtris Literaturæ ſidus:* qui Meletemata Tua, prorſa & vorſa, non Cedro, ſed ipſo auro digna extulit. Hinc rectè, ſi Te Mercurium quoque, & τρισμέγιστον, dicimus, Caduceum Tibi dicamus. Iſte olim in manibus Æſculapio, filio Apollinis. Eo animas hic è morbis, Hermes è morte, revocavit. Idem in hanc jus Patri Cynthio, quod filio, qui de ſeipſo:

Inventum Medicina meum eſt, nobisq; per orbem
dicitur Herbarum ſubjecta potentia. — —

Ex Sole, vita & omnium rerum Salus. Non fervet modo & pesſundat, ſed fovet etiam ac fœcundat. Et in Montium quidem, vel vertice, vel viſceribus, ea calore ſuo producit, quæ morta-



* Joh. Guil. Stubenbergius in Demetr. præfat.

mortalibus ſunt profutura. Nec in Te, Sereniſſime Princeps, fruſtra quærimus, quartum hoc Apollinis Decus. Nîl Tibi, ut Soli, clauſum. Intima ſua adyta latebrasq; Natura Tibi recludit, idq; Tecum agit, ut posſis —rerum cognoſcere cauſas. Invento ſic Apolline, ut jubaris Tui ſe participem faceret Inclita Naturæ-Curioſorum Academia, ductore Viro Illuſtri Joh.Mich.Fehrio, ad Vadum Suevorum Prætore Imperiali, levando oculos ſuos in Montem, Te ſibi Caput ac Principem elegit: nec, quæ Tua eſt humanitas, repulſam tulit. Ita Tu nunc Naturalium rerum indagator & indagantium Præſes, novo ſimul & Gentium & Artium Principatu auctus, poſthac regnabis Apollo. Interim

— — quæ ſparguntur in omnes,
in Te mixta fluunt, & quæ diviſa beatos
perficiant, collecta tenes. — —

Sulmone & Venuſio, olim Italiæ Tuæ opidis, ſati Vates, hæc melius dicturi esſent, ſi liceret ipſis

— in corpora poſſe reverti.

Interim, qui vivificat omnia, etiam infima, rhamnos cum roſetis, PHOEBUS noſter, hæc ſereno vultu ut inſpiciat, magnis precibus humillimè expoſcit

Serenitati Tuæ

*Die D. Leopoldo Sacrâ*
*An. 1678.*

*devotisſimus ſubjectisſimus*

JGV



***


RAYMUNDUS *veluti* ΤΕΤΡΑΤΕΧΝΗΣ *fulget* Apollo,
*Armis, Consiliis, Carmine, Re Medicâ!*
*Ipsa manus Divi* LEOPOLDI CÆSARIS, *ensem*
*adversus quosvis stringere docta Viros:*
*Pannonas & Turcas, Transylvanosq; trucesq;*
*Gallorum populos, quotquot & Albis alit.*
*Cujus ad adspectum quicunque lacessere honorem*
*Cæsareum tentant, aut violare, tremunt.*
*ILLE Sagoq; Togâq; simul Clarissimus Heros*
*Consilio præstans, auxilioq; potens;*
*Speratos adeò qui nuper ab hoste triumphos*
*In nihilum redigit prosubigitq; solo:*
*Nunc tranquillatâ sensim virtute, recentem*
*Musarum in Castris gestit habere locum,*
*atque ipsas inter festos celebrare triumphos,*
*Lauru etiam, galeâ conspicuum ante caput.*
Naturæ *solium conscendens inter* amantes
*(FEHRIUS eximia queîs gravitate præest,)*
*Omnia dum regit atque tegit, gratosq; clientes*
Induperatori *reddere gaudet ovans.*
*Hinc* Capite hoc *cœtus donatus, plausibus infit*
*edere lætitiæ maxima signa suæ.*

*Jamq;*

*Jamq́ʒ ſuâ exultat formâ Natura, gravesq́ʒ*
*inde redundantes nunc ſibi ſpondet opes.*
*Ipſe ego de tali lætatus* Principe, *toti*
Naturæ cupido *gratulor iſta* Choro:
*Utq́ʒ hæc proſperitas, Capitisq́; hæc gloria tanti*
*ſub* LEOPOLDINO NUMINE *perpetuet:*
Vivat *in* Imperii *ſolamen &* Ipſe, Reiq́;
RAIMUNDUS Medicæ, *mente manuq́; precor.*

Tanti Principis

*cliens deditisſimus*






J. C. Sartorius sculp. Norimb. 1678.

# LITERÆ
## Subjectissimæ Supplices
ad
*Eminentissimum & Celsissimum Principem Electorem ac Dominum*

# DN. ANSELMUM FRANCISCUM,

## S. Sed. Mogunt. Archi-Episcopum S. R. IMP. per Germaniam Archi-Cancellarium,

Pro suscipiendo S. R. I.
*Academiæ Naturæ Curiosorum*
PROTECTORATU.
Unà cum Gratiosissimo Responso.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M. DC. LXXXIII.



*EMINENTISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO*

DOMINO

# ANSHELMO FRANCISCO,

S. Sedis Moguntinæ Archi-Episcopo, S.R.I. per Germaniam Archi-Cancellario, Principi Electori, &c. &c.

*DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.*

Eminentissime atque Celsissime Princeps Elector,

*Domine longè Clementissime.*



SACRATISSIMO atque INVICTISSIMO ROM. IMPERATORI LEOPOLDO I. Academiam Naturæ Curiosorum non solùm rarissimis è ditis-

ſimo ſuo Cimeliarchio Naturæ opibus & operibus beare, ſed & confirmare LL. ejusdem clementiſſimè complacuit. Auguſtiſſimæ huic Clementiæ ſupervenit Eminentiſſimi DN. ELECTORIS Moguntinenſisglorioſiſſimæ memoriæ JOHANNIS PHILIPPI Clementia haud minor in remittendá taxâ.

Summum hoc beneficium noſtra Academia usque devotiſſimè ſuſpicit, imò augurio ſibi haud vano ſumit, fore,ut qui cœlitùs ſucceſſor datus es, EMINENTISSIME atque CELSISSIME DN. PRINCEPS ELECTOR, majori Clementiâ conatus noſtros, quibus Creatoris Gloriam, ac Salutem Proximi, penetrando in Naturæ reconditiora adyta, pro viribus promotum imus, Clementiſſimè ſis nobis viam muniturus; maximè ſi illius noſtræ Academiæ PROTECTOR fortiſſimus adverſus malevolorum inſultus humilimè adorari non dedigneris: ſiquidem EMINENTISSIMAM CELSITUDINEM

NEM V. ELECTORALEM hiſce ad genua gratioſiſſima ſubjectiſſimè provolutus, nomine omnium Collegarum flagito, enixiſſimèque rogito, placeat PROTECTORATUM dictæ noſtræ Academiæ Clementiſſimè in Se ſuſcipere.

DEUM T. O. M. devotiſſimè precamur, ut ſervet EMINENTISSIMAM CELSITUD. V. ELECTORALEM annos in Neſtoreos. Vivat & floreat firmiſſima HÆC S. R. I. COLUMNA; Floreat & vivat tutisſimum hoc bonarum Artium mentiumque Aſylum Eminentiſſimè, quod nomine Academiæ humilimè vovet.

*EMINENTISSIMÆ CELSITUD. V. ELECTORALIS*

*Subjectiſſimus Servus*

Academiæ Naturæ-Curioſorum Præſes, d. Argonauta,

Svinfurti 21. (11.) Octobr. Anno Christi cIↄ Iↄc LXXXI.

JOH. MICHAEL FEHR, Phil. & Med. D. Phyſicus Svinfurt. Ordinum Urbisque Prætor Imperialis.



## EMINENTISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS

DOMINI

# ANSHELMI FRANCISCI,

S Sedis Moguntinæ Archi-Ep. &c.

*Gratiosissimum Responsum.*

Honorabilibus, Doctissimis atque Expertissimis, Præsidi, & Collegio Academiæ Nat. Cur. nobis sincerè dilectis &c.

*ANSELMUS FRANCISCUS Dei Gratia Archi-Episcopus Moguntinus S. R. I. per Germaniam Archi-Cancellarius ac Princeps Elector.*

HOnorabiles, Doctissimi & Expertissimi Nobis sincerè dilecti. Cùm famæ celebritas vestram Naturæ Curio-

Curioſorum Academiam adeò illuſtraverit, ut quod Orbi conſpicuum ſimul ac perutile prodiit ſtudium veſtrum, Nos ipſi meritò admirandum non tantùm, ſed & poſteritati apprimè commendandum eſſe jam ante duxerimus, non poſſumus non confidere, vos eò faciliùs cognituros, quanto cum applauſu veſtræ ad nos literæ devenerint, quibus hoc ipſum veſtrum tàm magni nominis & momenti Inſtitutum noſtræ protectioni ſubmittere, ejusdemque authoritati ac patrocinio vos ipſos devovere voluiſtis.

Reſtat igitur, ut quam vobis protectoriam manum promtè præbemus ac pollicemur, votis ſimul noſtris ad boni publici incrementum & cumprimis Germanicæ Nationis gloriam eſſe cupiamus, veſtramque laudabilem omninò induſtriam cum majori meritorum veſtrorum cumulo ad perennem operis cœpti conſtantiam exhortemur, quod benigniſſimo clementiæ af-

fectu

fectu benevolè excipimus & fovemus. Dabantur in Urbe Nostra Moguntia 18. Aprilis 1682.

Anselmus Franciscus
E. A. M.

*Ad*

Reverendiſſimum, S. atque Metropolitanæ Sed. Mogunt. Archi-Epiſcopum S. R. IMP. per Germaniam Archi-Cancellarium,

*ELECTOREM PRINCIPEM EMINENTISSIMUM AC DOMINUM,*

# DN. ANSELMUM FRANCISCUM,

## Gratulatoria & Evchariſtica,

*Cum*

Celevsmate invitatorio,

*Auctoritate nomineq́; Academ. Nat. Curioſor. per S. Imp. Rom.*

Perſcripta obſervanter.

---

*NORIMBERGÆ,*

ANNO cIↄ Iↄc LXXXIII.

PROTECTORI Suo POTENTISSmo
Indulgentissimoque

*Academ. Natur. Curiosor.*
*per S. R. I.*

# PRÆSES & COLLEGÆ
reliqui

Obsequia & vota pro felicitate
omnis generis perenni!



MAgni meritò in rebus noſtris accuratio & proviſio, DOMINE, habenda tua eſt; Clementia longè major erga nos, in literis repræſentata nuperis; ſpes maxima ornandi Ordinis illuſtrandique noſtri. Nam qui ingentia Imperii hujus Sacroſancti, hoc inprimis tempore, quo difficiliora omnia apparent, pondera incomparabili dexteritate moderaris, & altiſſimo librare ſoles animo, probare ac ſuſcipere gratioſiſſimè ſuſtinuiſti patrocinium ſubmiſsè flagitatum.

Ecquid verò efficacius, quid fructuoſius aut petere, aut impetrare poteramus? quàm ut haberes rata deſideria religioſa noſtra, & negotio haud planè infeliciter hûc usque profligato tantum adderes momentum laude ac Eminentiſſimâ auctoritate tuâ, quantum ne cogitando quidem ſatis aſſequi, ne dum exprimere nunc verbis poſſumus. Muneris nimirum Tui ratus, Divine PRINCEPS, non conſulere ſolummodò Imperii ſaluti publicæ, dum PONTIFEX GERMANIÆ ſupremus ea curas eminenter, quæ & communia cum cæteris COLLEGIS AUGUSTALIBUS, & ſoli TIBI propria inprimis ſunt; ſed & ſtabilire Academiam nutantem noſtram alioquin, & erigere hortamento Principali. Ac de illis equidem uberrima ex ſchedis *Bœneburgianis* differendi

 ſe

ſe offerret meſſis, ſi id potiùs agendum foret, ut hîc talia ſine pari aut exemplo axiomata memoraremus. Quantum enimverò (unicum ex numeroſa ſerie ſiſtemus,) ornamentum *coronare, ungere ac conſecrare Reges Imperatoresq́ in Imperio hoc ſancto*, & in Archivo tanto LL. cuſtodire omnium ſupremas? Tuis, DOMINE, id humeris incumbit. Neque tamen Muſas adeò contemnis noſtras, quin adeſſe illis & præeſſe Caput corpori Naturæ Curioſorum clementiſſimè volueris. Hâc parte imitatus glorioſâ æmulatione Cæſares; *Trajanum, Conſtantinum, Carolumq́ Magnum* (ne *Juſtiniani* etiam ac plurium exempla cumulemus,) Reges pariter, *Alphonſum* Arragoniæ, & *Carolum II.* Britanniæ Monarcham; qui Nutricii præ cæteris & Protectores ſapientiam admirandasque artes profitentium haberi dubitârunt minimè. Profectò titulis ſpecioſius exiſtimari debet omnibus, non ſaxis, aut edacitati temporum ceſſuro æri, aut fumoſis imaginibus, ſed animis, ſed famæ ac virtutum commendare meritis ingentem gloriam. Vix quippe altitudinem tuentur ſuam arduæ admirandæque moles, ſi deſtituantur fundamento; nutaturæ ſcilicet ad levem tempeſtatem penitusque collapſuræ. Sic metueremus oppidò, in poſterum his molimentis noſtris, niſi ſarta tectaque auctoramento PRINCIPIS Eminentiſſimi & corroborata cerneremus. Gratulamur Tibi, Reverendiſſime PONTIFEX, de illuſtriſſimis tot Regum atque Cæſarum veſtigiis, quibus laudatiſſimè inhæres. Gratulamur Academiæ inprimis noſtræ de hoc ſancto & 

ſublimi

ſublimi Capite. Gratulamur Germanorum nationi univerſæ, quòd ad præſentiora indies exſurgit incrementa doctrinarum artium rariorum. Quando interim voluntas PRINCIPIS cenſura eſt perpetua, & hortamentum ejus efficax ſolatium, hûc trahimur, ad hunc Magnetem rapimur, flexibiles quamcunque ducimur in partem, ac ſequaces ſumus. Si beneficiis non minùs, quàm remediis ingenia experiri noſtra placet, fiat quod vis, DOMINE. Jubes, quæ ſentimus, promere in medium? promemus obſequentes. Quid enim eſt in verbis tuis, quod cujusque prædicatio vel tranſilire debeat, vel temerè prætervehi? Facias iſta ſemper, Maxime ELECTOR, neque unquam in hoc opere aut animus laſſetur tuus, aut fortuna! Macte hâc benignitate, PRINCEPS Optime! quâ illud conſecutus es, ut propter Te Collegæ glorientur ſinguli. Hoc tuum, Eminentiſſime ARCHICANCELL. beneficium exiſtit, & unius Tui providentia. Palam id profitemur nunc; ſed quâ gratiarum actione explicemus idem, minimè omnium videmus. Unicum videmus hoc, Te ſingulari curâ DEI vindicem aſſertoremque Statutorum pariter ac beneficiorum Academiæ reſurrecturæ ad amœniora florum fructuumque ornamenta datum eſſe. Precamur autem tui, Potentisſime PROTECTOR, velis cauſſam apud Sacratiſſimum IMPERATOREM LEOPOLDUM graviter orare noſtram, *uti privilegiis & immunitatibus nobilitetur ſæpè feriò deſideratis*, ſæpiùs oſtenſis ex longinquo, *tandem Ordo noſter*; &, ſi intercurſet genius malignior livoris,

 poten-

potenter asseratur. Crimini videlicet non parùm distat inornata virtus, vilitate denique flaccescit. Liberorum instar Tibi nos & nostra omnia committimus in universum; certi satis de potentiâ fideque. Sic Te Numen servet præsentissimum Asylum nostrum, anchoram arcemque nostram, diutissimè IMPERIO, OCTOVIRATUI, TUIS, NOBIS! Unum omnium singulorumque votum erit: SALUS PRINCIPIS! Perscr. VII. Eid. Maji (quo Bononiensis Academia veterrima Anno Domini CCCCXXIII. à *Theodosio* Imperatore confirmata est,) Anno salutis reparatæ cIↄ Iↄc LXXXII.

*Præsidis ac Ordinis Illustris nomine,*

sic exigentibus Collegis aliquot Honoratissimis;

*Submissa*

*&*

*concepta*

*à*

GEORGIO CASPARE KIRCHMAJERO, Orator. in Electoral. Acad. Sax. P.P.

CELEVSMA

# CELEVSMA INVITATORIUM.

Adeste SAPIENTES, ac salvete!
*Quotquot in IMPER. ROM. Sacro,*
*Quotquot in Regnis Regionibusq́ exteris*
*Miracula Naturæ pariter & Artis*
*Æstimatis ac amatis.*
Et hîc DII habitant Musarum Tutelares.
Patente ad Mœnum Germaniâ non Præses saltem,
Sed Germanus quoque
CONTRAPHOEBUS, PONTIFEX,
ARCHICANCELL. IMPERII, ELECTOR PRINCEPS
Sedet, & ex Metropolitanâ Urbe
Gratioso lumine collustrat
Academiam CURIOSORUM nostram.
Sceptra non Gentium modò atque populorum,
Sed Musarum etiam moderatur Maximus,
ANSELMUS FRANCISCUS.
Adest, adest votorum Pararius nostrorum, Sponsor
Privilegiorum ac Immunitatum,
Ab
IMPERATORE Sacratiss. piissimoque LEOPOLDO
Feliciter, velociter (confidimus) obtinendorum.
Novus Ordinis Assertor & secundus, immò primus Vindex.
Non umbratico sub pallio latebit semper ad cupressum;
Salutabit purpuram fascesque, & capesset palmas, laurus,
Academia nostra aliquando.
Dum ad Arma, Arma, genus Martium ubique;
Nos nostra pariter conclamamus vasa,
Ad concordiam, ad scientiæ rarioris ac experientiæ
Professionem, ad perenne studium.

Nunquam desperabimus foveri, quâ hæc merita pertigerint.
Ne existimetis actum; adhuc benè agitur res & agetur.
Dispellet tenebras SOL ORBIS IMPERATOR,
JUPITER (Juvans Pater enim est,) ELECT. MOGUNT.
Omnes facilè disjiciet nubeculas.

Adeste tantùm, & conferte symbolas,
Manusque adhibete operi;
Ut experimenta certa & comperta pluries,
Re, non spe, Curiosi comparemus.
Rationem publici egregii, posteritatis, sed &
Famæ immortalis habetote.

Laborum, diligentiæ ac liberalitatis præmia
à
Virtuosis, Mecœnatibus, & vestris exspectate meritis.
Nos Nominum vestrorum inservire credite splendori.

Patet omnibus, inprimis dignioribus,
Honoris gloriæque posthac campus.

*Vos intereà favete ac havete!*

Eodem nomine delineare debuit
idem,

PHOSPHORUS II.

DUÆ

# ORATIONES,

*QUARUM PRIOR*

*De*

# CAUSIS DIRITATIS PESTILENTIÆ,

Jenæ in Panegyri Rectorali, 1680. 5. Augusti, in Templo:

*ALTERA*

*De*

# DIRITATIS PESTILENTIÆ ANTIDOTO,

Jenæ in Templo, in Panegyri Doctorali 1681. 3. Febr.

*à*

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,
Med.D. Theoret. Prof. Publ. Archiatro Saxonico,
S. R. I. Academiæ Nat. Curiosorum Adjuncto
d. HERCULES,

*habitæ.*

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M. DC. LXXXIII.



GEORG. WOLFFG. WEDELII

# ORATIO

*De*

# CAUSIS DIRITATIS PESTILENTIÆ.



Abula antiquiſſima eſt, Prometheum, cùm iratus Jupiter ignem abſcondiſſet, aſcendiſſe Minervæ auxilio in cœlum, ibique ferulâ ad currum ſolis admotâ ignem in terras detuliſſe. Sanè involucris poëtarum hiſce incluſam eſſe veritatem & profundam ſapientiam una omnium mens eſt, & ex hac ipsâ elucet, modò miſſis falſis penitiùs paulò in nucleum ſub cortice latentem inquiramus.

Liceat nobis per Jovem Deum Optimum Maximum, per Prometheum homines ratione præditos, vi ingenii præ omnibus brutis pollentes, per ignem verò febres intelligere, cumprimis ardentes & peſtilentes, id enim Hippocrati noſtro ſolenne eſt, πῦρ febres notat, ignem microcoſmicum.

Deus nec iratus ſtatim fulmina mittit, abſcondit ignem, non pœnas æquè infligit meritis; ſed nos *cælum ipſum petimus ſtultitiâ, neque per noſtrum patimur ſcelus iracunda Jovem ponere fulmina.* Ruimus in perniciem & extorquemus quaſi vi pœnas, nolentem laceſſimus, invitum cogimus & ſollicitamus, donec ignis fraude malâ orbi inferatur.

Post ignem ergò ætherea domo subductum, macies & nova febrium terris incubuit cohors. Meritò ignis nominatur, febris scilicet, morbus universalis, ut si febrim dixeris, omne morborum genus dixeris. Febri tertia pars hominum moritur, neque ulla tam feralis homini inducta est pernicies. Meritò inquirimus in τὸ θεῖον hoc, seu divinitus in Germaniam immissum malum, pestilentiam, non uno loco strages hactenus edentem insignes, cum ipsi Ethnici, & inter hos cumprimis antiquissimi Medici hoc θεῖον, digitum hunc Dei venerati sint.

Duo verò genera ignis hujus potissimùm sunt, quibus in humanum genus sævitur, nominata divino oraculo *Psalm. 91. v. 6.* pestis, quæ in caligine ambulat, & pestis, quæ vastat meridie.

Non me latent interpretum variæ opiniones, aliis omnigenum morborum genus, aliis quamvis noxiam calamitatem in genere, aliis per priorem morbos, quorum causæ latent, intelligentibus, per alteram excidium ab ardore solis, qui multis fit lethalis viatoribus, imò nescio quem dæmonem meridianum, superstitione vel inter medios Christianos durante, non bonum esse eo tempore itinerari, ut quilibet suo solet abundare sensu.

Putaverim, neminem rectiùs id explicare posse, quàm naturæ consultum medicum; saltim, pace Theologorum, analogiæ fidei non repugnabit, si, ut mihi quidem videtur, textui præ aliis omnibus hypothesibus conformiter, per primam intelligamus pestem occultam, insidiosam, quæ necat & serpit longius, nemine advertente, nemine timente, vel minus saltim, seu, ut medico termino dicam, *pestem privatam*, individualem; per alteram *pestem* manifestam & *publicam*, magis horrendam, aperto Marte grassantem.

Ut mens Prophetæ hoc pacto optimè pateat, Deum liberaturum fideles à peste privatâ, quales sunt febres petechiales, Hunga-

Hungaricæ, ſudatoriæ, uno verbo, malignæ dictæ Medicis; & à publicâ quoque, iſtarum apice, reginâ & præcipuâ, peſtilentiâ. Id ipſum & genio ſacræ cumprimis linguæ & cujusvis alterius eſt convenientiſſimum, ut meridies notet quod apertum, manifeſtum, palàm eſt, tenebræ inſidias, occultum, clancularium. Non minus idem ſubſtratæ materiæ, de quâ agitur, unicè & ſolùm quadrat, quod hoc quidem loco latius diducere vel locis è ſacrâ ſcripturâ parallelis confirmare, animus non eſt.

Conſtituimus verò *in ſolenni hâc panegyri* breviter diſſerere DE CAUSIS DIRITATIS PESTILENTIÆ, cur, ut loqui amat ſcriptura, mille & decem millia hominum hâc pereant. (Quod dum facio, veſtram ut commodetis mihi gratiam & affectum, Auditores O. O. H. etiam atque etiam rogito.)

Verè & eleganter *Pindarus in Iſthm. od. 5.* canit:

> Χρὴ πᾶν ἔρδον τ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν.
>
> *Oportet quidlibet faciendo labefactare hoſtem.*

Valet id non ſolùm in bello, quando hoſtis arcendus vel pellendus eſt, qui regionem depopulatur; verùm & de noſtro illo hoſte, quem diriſſimum dicere jure merito decet, quippe qui citra externum occurſum affligit corpus, intra mœnia ipſa, imò regiam microcoſmi ſedem figit, deſævit & peſſundat univerſam. Et hunc labefactare oportet quidlibet faciendo.

Quomodo verò reſiſtere quis poſſit morbo divinitus immiſſo? quomodo contra ire, eludere & corrigere, quod ſupremi Numinis majeſtas inflixit? Sanè Dei digitum agnoſcere in epidemiorum morborum inſultu facile eſt, non tam vulgo hominum, quàm Chriſtianis, quàm Medicis cumprimis. Adhibeas licet generoſiſſima medicamenta, opponas bezoardica, ordines arcana & probata in aliis, fruſtra ſunt omnia; urina bona, pulſus bonus, æger moritur, etiam qui evaſurus putabatur.

potenter asseratur. Crimini videlicet non parùm dilat inornata virtus, vilitate denique flaccescit. Liberorum instar Tibi nos & nostra omnia committimus in universum; certi satis de potentiâ fideque. Sic Te Numen servet præsentissimum Asylum nostrum, anchoram arcemque nostram, diutissimè IMPERIO, OCTOVIRATUI, TUIS, NOBIS! Unum omnium singulorumque votum erit: SALUS PRINCIPIS! Perscr. VII. Eid. Mai (quo Bononiensis Academia veterrima Anno Domini CCCCXXIII. à *Theodosio* Imperatore confirmata est;) Anno salutis reparatæ cIↃ IↃc LXXXII.

*Præsidis ac Ordinis Illustris nomine,*

sic exigentibus Collegis aliquot Honoratissimis;

*Submissa*

*&*

*concepta*

*à*

GEORGIO CASPARE KIRCHMAJERO,
Orator. in Electoral. Acad. Sax. P.P.

CELEVSMA

notæ, à morbi ipsius genio desumtæ. Ut enim à potentissimo & dirissimo hoste non nisi tyrannis, cædes, excidia, clades, vastationes expectandæ sunt; ita quoque vix ullus humano generi obtigit magis capitalis vel Vatinianus hostis.

At, at, alii quoque si non simul & semel, tamen partitis vicibus visendi crudeles dantur morbi. Loquantur id syncoptici, apoplectici, epileptici, edisserant venenis potionati, fateantur vulnerati; mille modi pereundi sunt. Nullus morbus tam blandus, mitis, benignus est, quin interimere hominem queat, vel non attentet solùm. Est in aliis quoque digitus vel manus Dei visenda. Quotidiè morimur, nemine attendente; seriùs ocyùs consumto vel extincto corpore. Quin miseriores videas pereundi modos, quàm peste affectis contingit. Quid dirius, quàm dysenteria cruciari? Quid molestius, quàm phthisi, lentâ morte, consumi? Quid crudelius animatam mortem cerni, vel ipsa putrescentia membra?

Ubi virus, ibi virtus, nullum venenum est, cui non antidotum voluerit esse supremum Numen, ipsa venena in humanum subsidium enata, punit Deus & miseretur; & implorari vult, & naturam juvantem obtulit. Uni morbo mille remedia opposita, quod de peste cumprimis & pestiferis morbis verissimum est.

Si caveas, vel viperas pestilentissimas tractabis, & venena quævis, si non in usum vertere eximium, tamen cavere, vincere, abstinere; in pestis verò suggerendo remedio putemus invidam fuisse rerum parentem?

Esse sanè alias quoq; causas immanitatis pestis, præter dictas, omnibus notas, sine dubio est. Refert *Thucydides*, Historicus hâc in parte, tanquam αὐτόπτης, medico par habendus, suo tempore alios ἀμελείᾳ *incuriâ* periisse, alios diligenter licet curatos. Ἀμέλεια causa diritatis pestis est potissima, ut imbellis, si hostem negligas, tantò immaniores edit strages.

Proh Deum immortalem! quàm infiniti homines peste corripiuntur & moriuntur, solâ ex negligentiâ? Ast, inquis, quis

quis negligens foret, nemo non timet peſtem, eduntur conſilia medica & politica, omnia fiunt, quæ avertere hoſtem hunc publicum & communem queant. Si me audias, magna reſtat ἀμέλεια, tantoque major, quò minus attenditur.

Negligentia plebeculam, partem majorem hominum, occupat. Negligentia in victu ſumma eſt, unde corruptela humorum vitalium ſpontè fluit; negligentia in amictu, corpus aëri frigido exponitur, auſtrali, matutino, veſpertino cœlo, unde promptiſſima febrium origo. Negligentia in curando & præſervando corpore. Nemo ſibi timet, quid mirum ergò, ſi Ucalegon non unus peſte abripiatur voto & opinione celerius. Non æſtimatur morbus, Hannibal ad portas invitatur, admittitur, non reſiſtitur. Vix adeò inertes & incurios putaveris reperiri homines, ac toto die Medici experiuntur accuratiores.

Turpe illud in bello ſemper habitum toto die refertur reſponſum: Non putabam, non putabam. Quantum verò hoc ad diritatem augendam faciat, vix dici, vix concipi poteſt.

Et hæc ſanè ratio non minus attendi debet, quare peſtilentiâ magis plebs, quàm nobiles, imò & febribus petechialibus ipſis corripiantur, quàm à *Fracaſtorio* dudum veriſſimè allata, quoniam arguente, peſtilentia potiſſimum in contagione unius ad alium verſatur, minus vitio aëris, ut febres lenticulares, quibus nobiles magis peti ſtatuit, teſtante idem experientiâ, duratis plebejis contra has aêris injurias corporibus. Reverà inſons aër eſt communis, ſi privatum circa infectos exceperis.

Adde, quod hactenus vix niſi caro pretio reditum eſt ad ſanitatem; caras potiones, pretioſos pulveres, ſpecioſa electuaria ſolùm hoſti oppoſita, arma, quæ vulgus pauperculum comparare ſibi cum non potuerit, capite luendum fuit.

Hinc peſtis, quæ Germaniæ hactenus afflixit loca quædam, vix viſa fuit, niſi per mortes plebeculæ ſævire, intactis opulen-

opulentis ædibus, contra morem mortis, quæ æquo aliàs pede pulsat pauperum tabernas, regumque turres.

Neglectis verò plebejis & pro fece urbis habitis, quomodo per Deum immortalem non amplius serpat contagiosa lues & ad divites pertingat quoque ipsos, illorum servitiis egentes. Qui milites non cordi habet Imperator, maturè suo damno sentiet, & præfectos omnium ordinum exercitûs, & se ipsum etiam tandem peti ac destrui.

Feruntur Turcæ fato illo suo plus, quàm Stoico, cum nullam adhibent curam, nemoque sibi cavet ab altero, sed pristino orbe volvuntur omnia, stragem pestilentialem experiri majorem. Ausim dicere, fatum quasi simile nostratibus quoque hominum animis instillatum esse, ipsam illam summam incuriam.

Sed aliud divites fatum manet, qui minus quidem negligentes sunt, ad stragem verò hanc & diritatem augendam non minus conferunt.

Et qui negligunt hostem, & qui timent, superantur facilè & in victimam cedunt. Metus & terror, Auditores, obstetrix sunt pestilentiæ, fomes contagionis, pabulum flammæ, incendium morbi, præcones mortis.

Miseranda non minus horum conditio est, timent, fugiunt, aversantur hostem, qui tantò promtius insequitur. Ignis fatuus sane pestis est, fugientes & territos sequitur, prosequentes & cordatos fugit.

Time, pestis præstò est, terrere, consternare, mox in viscera ibit malum. Ut mortem, ita & pestem quilibet secum gerit. Quid enim pestis est, quàm violenta magis intentata resolutio principiorum vitalium? Quomodo verò citius procurari hæc ipsa potest, quàm metu, quàm terrore panico illo, quàm sollicitudine? Spiritus in corpore præsides sunt vitæ, animæ vicarii, & summi administri sanitatis ac morborum; Destructis hisce, consternatis, pessundatis, excutiatur oportet

blandum iſtum, nexus ille tam amicabilis ſanguinis & ſeri, & animæ hinc atque corporis.

Utroque hinc ingraveſcente malo & pauperes & divites animorum confuſio malè habet, adaucto indies publico malo; mortuis dilectis conjugibus, liberis, parentibus; (Vah! quàm cara hæc ſunt nomina, quàm pectoribus inſcripta, quàm ſacra!) converſatione, ſolatio, alloquio deficiente, templis occluſis, commeatu abſumto, ut λοιμὸς ὁμῦ κἀὶ λιμὸς decantatus affligat, fames, inquam, peſtis anteambulo, vel pediſſequa.

Liceat mihi huc referre quoque publicos illos carceres. Ingenuo homine indignus eſt locus carcer, mœſto verò, deſtituto, ægro intolerabilis, quando ſimul ac quis peſte inficitur (initium primum excipio) omnis domus occluditur, ab aëre, aquâ, ut ita loquar, defenditur, ad mortem quaſi damnantur Tros Rutulus nullo diſcrimine. Dicere videbor multis ἄτοπα, ſed audiant velim unicum teſtem exceptione majorem, ſuperioris ſeculi fine clariſſimum, *Cratonem*, qui dudum damnavit hanc ipſam occluſionem in *Conſil. de peſte;* quod, inquit, occluſio domorum nullius uſus fuerit, pluribus locis viſum eſt.

Fingamus, Auditores, famam in urbe ſine capite oriri, peſtem Titii vel Sempronii domum infeciſſe, ſpondere auſim, ſatis obſervatam domum, ſatis luctuoſam familiam, quam nemo facilè ſalutatum ibit, vel frequentabit.

Exemplo ſit Jena noſtra, ut Lipſiam, recens exemplum, taceam, nunquam annalibus teſtibus hîc diriter nimis ſævivit peſtis, ob ſalubritatem loci, ob præſentiam Medicorum, ob commercium humanum non omne interdictum, ob prudentiam reliquorum, &, quæ primo loco memoranda erat, ſummam Dei gratiam.

Quid verò de Medicorum fugâ dicam, vel defectu? Profectò ut præſidio ovium ablato, paſtore & cane, in rapinam cedere oportet gregem & diritatem experiri luporum; ita fugientibus medicis magis mercenariis, quàm φιλανθρώποις, peſtis immaniſſimè ſævit, & indies ferocius miſellis inſultat.

Contra

Contra ea cedere ſolet & dira eſſe deſinit, ſi obviam eatur, ſi principiis tum in genere, tum in individuo quocunque obſtes, ſi cordatè unusquisque ad flammam hanc extinguendam accurrat.

In craſtinum differre res ſerias, curationem, nullibi perniciosius eſt, quàm in peſte. Dies me deficeret, ſi è contrario velim diſſerere, quantum confirmet univerſos tum medicorum, tum ſuperiorum præſentia, neglectâ fugâ. Laudamus ſolum illuſtriſſimum exemplum Sereniſſimi WILHELMI, Ducis Saxoniæ Jul. Cliv. & Mont. &c. pientiſſimæ memoriæ, Herois incomparabilis, qui peſte graſſante Vinarienſi in urbe ante plura luſtra reſtitit ipſe cum totâ aulâ. Reſtitit, Auditores, & hoc ſuo exemplo animos ſubditorum firmavit, ut brevi hinc pelleretur malum.

Si meo res ſtaret judicio, publico edicto omnibus injungendum foret medicis, ut aut manendi animum ſumant, aut maturè rebus pacatis quoque urbe exeant.

Sed Deus O. M. hanc furiam, ignem hunc cœlitus immitti ſolitum clementer à nobis avertat. Nos interim præter ſacras preces omnipotentem flectere potentes *Hippocratis* commendamus conſilium ſaluberrimum: μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾷν. *Nil temerè, nil negligenter.* Hoc antidotum eſt genuinum, reliquis omnibus jungendum, in hoc ſigno, ſi à Deo diſceſſerimus, arcebimus hoſtem & vincemus.

[*Habita Jenæ in Panegyri Rectorali 1680. d. 5. Auguſt. in Templo.*]



B 2 GEORG.



# GEORG. WOLFFG. WEDELII,

# ORATIO

De

# DIRITATIS PESTILENTIÆ ANTIDOTO.



Ntiquiſſimum eſt proverbium : λέρνη κακῶν, *lerna malorum*, cui anſam dedit hydra lernæa, ab Hercule domitore interempta.

Ut involucra ſunt arcanorum fabulæ, unde ad ipſos Ægyptios velut primos parentes referri poſſe admodum credibile eſt Philoſophiam hanc myſticam ; ita operæ pretium facturus videbor, ſi inſigne hoc prudentiæ & fortitudinis ſpecimen inquiram, & clavem porrigam, pro intelligendâ veritate latitante.

Scribitur hydra ſeu ſerpens in palude Lernæ lacui proximâ verſata, animal maleficum omninò & acutiſſimo veneno humano generi peſtiferum, quippe quæ campeſtria omnia impetu facto devaſtaret, & in pecora agroſque vicinos crudeliſſimè ſæviret ; multaque habuiſſe capita, quorum uno reciſo priorum numerus è veſtigio duplicabatur continuo, niſi quis conciſum reliquum colli thyrſum igni ſtatim combuſſiſſet.

Linqua-

Linquamus aliis ſuam explicationem, ſive hydram multorum capitum fratres multos concordes ſtatuant, quorum uno extincto mox plures exurgere viſi fuerint, novo ardore, novo apparatu, pugnare parati; ſive cum Leone Baptiſtâ Alberto, Architecto Florentino, aquam ſtagnantem intelligant, quam Hercules perruptis aggeribus partim aliò derivaverit, partim ſoli expoſuerit deſiccandam, ut plures non laudemus in diverſas partes abeuntes.

Videor mihi audire ſciſcitantes, quid hæc ſibi velint, quò tendat oratio mea, quidque tandem ipſe putem. Dicam, quod ſentio, Auditores, exponam quid velim, veriſſima proloquar & genuinum dabo ſenſum. Hydra Lernæa peſtis eſt.

Hydra ab aquâ dicta eſt, & in palude ſedem elegit. In peſte infecta eſt aqua microcoſmica, humidum radicale, ſerum & lympha. Hydra venenatiſſima fuit, unde ſagitta eo veneno tincta Chironem propè ſubitò interemerit, quin eundem, quicunque tandem fuerit, ferunt loto vulnere in fluvium derivâſſe tetrum odorem, diu ſuperſtitem. Quodnam venenum cogitari poteſt gravius peſte, quodnam nocentius, & magis ſe in varia corpora inſinuans?

Multiceps fuit hydra, pro uno abſciſſo capite duo, pro duobus quatuor, & ſic porrò emittens, quod ipſum duplatæ multiplicationis exemplum quantum producat numerum, Arithmetici nôrunt.

Nullus morbus tam multiplicativus eſt ſui, quàm peſtilentia, unus alterum, duo quatuor, imò infinitos ex ordine inficit.

Non niſi igne domitore ſubigi potuit hydra, unde Jolaus auriga in conſortium gloriæ Herculis venit, qui ex accensâ ſylvâ propinquâ accenſos torres ad hydræ victorem attulit.

Fallor, an *Hippocrates* noster ex hujus rei intellectu sylvis accensis pestem à Græciâ abegit?

Tanta est contagii vis, ut eandem vix mente concipere queas, & hodienum nullum est inventum præsentius antidotum pestis, præter ignem. Omnia alia infra hunc militant, solus hic certum & indubitatum est remedium.

Constituimus in solenni hâc panegyri pro temporis ratione DE DIRITATIS PESTILENTIÆ ANTIDOTO disquirere, quod dum facio, Auditores, vestram mihi benevolentiam abundè promitto vel eo confisus, quod breviter dicturum me affirmare queam.

Inter præcipuas causas diritatis pestis referri meretur, quod morbus sit seminalis & ex uno in aliud corpus grassetur. Semen Chimicis est res apta multiplicari in infinitum, id verò exemplo pestis est quàm verissimum.

Corporale quidem est luis hujus venenum, quod non tam in aëre dispersum μιάσματα haurienda mortalibus exhibuerit; seminale tamen est, unde fermento, vel sali volatili comparatur, sui diffusivis, in corpore licet viscoso irretitum.

Fomes seminium putredo est, seu calidum & humidum, illud actuans, rarefaciens, expandens; hoc recipiens, vehens & diducens. Hinc corpori applicatum, mole etiam minimum à calore nativo rarefit, sive per os in vitalia admittatur, sive cuti adhæreat, & per glandularum spiracula irradiet lympham, mox tinctura morbosa impertitur corpori, & pestis arcem microcosmi occupat, vel impedit.

Generatur nempè hydra ex seminio & venenum conceptum virus suum exerit, ut nisi maturè contrà eas, subruatur archeus. Visum hoc fuit per experientiam elapsis his temporibus & anno vertente, transportato seminio lues transplantata est de urbe in urbem, nec mediis locis æquè tactis, de loco

in locum, de domo in domum, de corpore in corpus, fertili admodum sed tristi simul propagine.

Quid miri itaque fuerit, in angustis domibus, arcto contentos spatio Libitinam iteratis funeribus ex viventium abripuisse coetu, & vires acquisivisse eundo contagium, unde strages edita est infinita, orbatis domibus, labantibus promiscuè utriusque sexûs, cujuscunque sortis & ætatis hominibus. Hos terror morti aptavit, illos timor, istos temeritas, omnes conversatio, & seminii receptio.

Tam sævo morbo non resisti posse una omnium vox est, qui illam de facie hydram non nôrunt, unde in fugâ ferè una salus quæritur à ditioribus, reliquis quasi in rapinam datis. Videas tamen & illos servari, modò non incauti hamo capiantur. Retundenda est diritas magis, quàm fugienda.

Si igni in lucidam ex ardescenti flammam terga obvertas, continuo succendiculo ulterius vagatur, absumens palatia, destruens urbes, & solo æquans domos prius cultas, ut nil nisi atrata vastitas reliqua maneat. Sin aqua apportetur, ventus arceatur, vicinæ domus defendantur, vel disjiciantur quoque, ne pars sincera trahatur, expirat, vimque suam & feritatem retusam amittit.

Eadem in pestis diritate tollendâ ratio est. Seminium extinguendum est, neutiquam fovendum, sed quomodo, inquies, hoc opus, hic labor fuerit. Facilis res est, orientem extinguere flammam, ut facilius fuit unum caput hydræ Lernææ detruncare, quàm ubi mirum quantum adaucta fuissent.

*Principiis obsta, serò medicina paratur,*
*Cum mala (semina pestis) per longas invaluere moras.*

Non dicemus, quæ nostris his temporibus evenerint, haud dubiè extinguendo malo, si maturè hic illic obviam fuisset itum, & prius, quàm in viscera urbis grassatum penitius fuerit, opposita debita media. Blandimur sæpè ipsi nobis, quod-

quæ optamus & desideramus verum credimus, delusi interim opinione gravius.

Peccant in hoc non tantum Medici ipsi aliquando, & horum judicio stans magistratus; verùm & ipsi incolæ; Generale plebis vitium est incuria sui & publici, inde verò nidus struitur malignitati, inde mirum quantum provenitur veneni vis & Seminarium.

In mentem subit illustrissimum exemplum Reipublicæ Venetæ. Anno superioris seculi septuagesimo sexto æstate siccissimâ & æstus magnitudine intolerabili pestis post hominum memoriam gravissima urbem invasit. Latitabat primitus pestilens virus, specie malignarum febrium ludens; Medici Veneti pestem agnoscunt, & profitentur. Veriti urbis juxta commerciorum periculum sapientissimi Proceres accersunt Professores Patavinos. Hi consultare, judicare & pestem negare; illi affirmare. Deciso relicto arbitratui magistratus rati habetur sententia negativa Patavinorum, pristino relinquuntur omnia statu, quæ ad sopiendam luem facerent, negliguntur, donec strages insecuta gravior confunderet Patavinos, & serò sapere Phryges doceret.

Sin cogitemus, quantum per veneficia importunissima pestis promota sæpe fuerit per pestes quasdam hominum morte alienâ gaudentium; si quanta pars vitiosâ diætâ sibi ipsi nefariam pestem machinetur, verum illud *Tullii* deprehendemus, nullam tam detestabilem pestem esse, quæ non homini ab homine nascatur.

Contra ea verò vitari quidem tam accuratè non potuit, quin hinc illinc palans sive per ipsos infectos, vel nescios, sive per merces, vestimenta, aditas hæreditates seminium efferretur, velut scintillis jactis, in magnum ignem exarsuris; attamen providâ curâ tum vicinorum, tum magistratus deletum fuit incendium, in centro suo detentum, extinctumque ne

ne latius serperet. Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Vidimus hujus rei exempla, Auditores, in urbibus vicinis aliquot & pagis, ubi non nisi unus vel alter, correptus morbo, fato functus est; non nisi unâ alteraque domo infectâ, non nisi paucis diebus totâ absolutâ morbi fabulâ.

Quod fuit remedium tam exquisitum? seminii extirpatio. Quæ panacéa, quæ antidotus? separatio utilis ab inutili, sani ab infecto, lustratio domuum, aquâ & igne; lustratio hominum debitis medicaminibus.

Fragilitas humani corporis remedium efflagitat & celeris beneficii naturâ consentiente componi. Non omnis enim valetudo medendi patitur tarditatem. Si in quocunque id valet corpore, sibi relicto, multò magis id locum obtinet, ubi omnium interest, ubi periculum in morâ est, nullibi breviore quàm in peste.

Calamitas sæpè disciplina virtutis est; à nocentibus & juvantibus enata succrevit medicina. Hinc prudentiâ mediante superatum venenum cavere didicêre, & vincere, extincto unicè seminio.

Sunt inter Recentiores, qui, *Kirchero* præeunte, animatam putredinem pro causâ pestis agnoverunt, tam luculentum seminium nullâ aptiore mechanicâ vel simili comparare scientes. Res verò eodem recidit, seminium extinguendum est. Omnes huc collimant Medicorum filii, licet diversum sentire videantur.

Commercia itaque vitanda fuerint, non omnia in universum, sed cum infestis domibus & personis, eâ moderatione, quâ par est, ne humana societas, quod contra naturam est, tollatur.

Quid enim aliud, ut cum *D. Cypriano* loquamur, quàm pestis illa & lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat justitiam

 stitiam

ſtitiam ſingulorum, & mentes humani generis examinat? An infirmis ſerviant ſani, an propinqui cognatos piè diligant, ac miſereantur ſervorum languentium domini, an deprecantes ægros non deſerant Medici, an feroces violentiam ſuam comprimant, an rapaces avaritiæ furentis inſatiabilem ſemper ardorem vel metu mortis extinguant, an cervicem flectant ſuperbi, an audaciam leniant improbi, an pereuntibus charis vel ſic aliquid divites largiantur & donent, ſine hærede morituri?

Videamus vicinos noſtros, multi periêre, verum eſt, Dei flagello hoc tacti, magis tamen, imò ſoli ferè, qui exterminium ſeminarii diſtulerunt magis, quàm procurarunt, ſoli propè commerciis & converſatione non abſtinentes, uno conclavi detenti ſibi non caverunt ſatis. Plurima pars ſupereſt, qui cum *Tullio* dicere queunt; De loco nunc quidem abiit peſtilentia, ſed quamdiu fuit, me non attigit. Fuga quidem inter præcipua habetur peſtis remedia, nam procul à Jove, procul à fulmine; dicere tamen auſim, ſatius egiſſe, quibus ſtabili manentibus loco cura ſtetit in extinguendo ſeminio; quique rediêre hinc incidiſſe in Scyllam, Charybdim vitare volentes.

Quantum enim obſtetricentur ſeminio huic affectus animi triſtiores, & turbatus archeus, humanam cogitationem ſuperat.

Qui fugit locum, omnia ſua rapinæ morbi relinquit; qui fugit commercia cum ægrotis, omniaque genera portatilium, quæ ſeminium transferre conſueverunt, tutiùs meo arbitratu degit, Deo O. M. confiſus.

Suffecerit, providè ſe ſuosque gerere, ne nidum in domo extruat malum. Silentio involvemus ab igne petita præſidia, tanquam ſeminum deletoria, aliaque à Medicorum filiis procuratione & præcautione præcepta vehiculo ſeminii corri-

corrigendo debita. Aër is est, quem haurimus, vector miasmatum, cujus ignis purgatorium est & destructor seminum.

Infectus hic ubique vitandus non in universum, neque enim tot semina quenquam vivum relictura essent, quanta aër capit, commune vitæ pabulum, sed locis circa ægros definitis, tantò cautius hauriendus, quò præsentiùs lædere novit.

Ast ipsum corpus nostrum defendendum & tutandum est. Domum aliam aliâ incendio aptiorem esse fatemur, quidni in corpore illam differentiam agnoscamus? Videas hos perire, quos sanissimos putes, alios evadere, quos morituros vel citiùs inficiendos credideris.

Si à Deo discesserimus, sanè corporum dispositio plurimum huc confert ad irritandam & pessundandam morbi diritatem. Venenum pestis in aurâ corporali sedet, & confermentatur familiariùs propter symbolum humanum, ubi virus hinc producit virus, juxta prioris veneni normam, fermentum & seminium. Fac resistere corpus, & pestis diritas expirabit; hic murus aheneus esto, non reperiri in corpore nidum, nullâ pallescere culpâ & labe intus conceptâ, vel per diætam acquisita viscera.

Omnibus quidem & quotidiè moriendum est, si moriendum feliciter, nunquam verò magis meditatio mortis valet & requiritur, quàm peste sæviente. Animus pacatus, corpus defensum fortissima mœnia sunt ad arcendam luem.

Singula verò hæc arbitrio Medici fiant, non vanâ persuasione hinc inde commendatorum futilium. Mirari subit, quosdam in urinâ potâ quærere subsidium, ut lenius dicamus, alios in aliis. Quid profuerit sordes pro cibis apponere, ex culinâ cloacam facere, & quod aversatur & proscripsit natura, in Palladium corporis adsciscere. Meliora prostant, præservativi pulveres, liquores bezoardici, balsami-

 ci,

ci, etiam odore ſuo ſeminio omni adverſa, ut videmus arceri muſcas aliaque inſecta, ſolius ſpiritus vel olei terebinthinæ odore aſperſo. Odoranda balſama antiloemica, aceta bezoardica, ſuffimenta quæcunque, cumprimis fœtida, penetrantiora, inuſti fonticuli, ad fluxile reddendum ſerum, ne hydræ naturam concipiat, paludem in glandulis vel hinc illinc efformando. Quid enim aliud ſunt bubones, quàm glandularum tumores, à lymphâ vitiatâ, acri ſubſiſtente? quid carbunculi, quàm tumores à ſanguine venenoſo certis locis στάσιν indepto? In uno igitur ſeminio, iſtorum omnium matre, exſtirpando unica conſiſtat hydræ peſtilentis curatio.

[*Habita Jenæ in Templo, in Panegyri Doctorali 1681. d. 3. Februar.*]





# INDEX
## DECURIÆ II. ANNI I.
# EPHEMERIDUM
## Medico-Physicarum Germanicarum.

A.

B.

Ele-

in

## I.



per

L.



M.

Morbi

Pilulæ

R.



S.

Vermium



Errata.

## *Errata.*

PAg 3. lin. 17. Genuinum. p. 4. l. 13. tepidiori. l. 30. obsignare. p. 7. l. 5. quâ. p. 8. l. 6. ipsa. p. 9. l. 26. decoct. p. 16. l. 28. exhibuerunt. l. 32. lanæ-pexa. p. 17. l. 6. siccata, l. 9. Genuinum. l. 10. effectus. l. 22. *ὑποκαύματι*. p. 20. l. 6. Gorenzen. l. 13. acris. p. 23. l. 19. armoniaci. p. 25. l. 22. discusso. p. 26. l. 18. crispaturâ. l. 33. quit. p. 27. l. 2. & unctuosæ l. 12. roborari. p. 28. l. 5. consvetis. l. 7. longius. l. 18. Accurrunt. l. 34. eum p. 29. l. 23. seorsim. p. 30. l. 27. cumprimis. l. 38. illud. l. 39. fluunt. p. 31. l. 23. principio. Semen. p. 38. l. 12. Luglio. co'. l. 13. la coda. l. 14. occo chè. p. 40. l. 18. pilarum. 44. l. 17. drasticis. p. 46. l. 28. mole. p. 52. l. 28. fulvum. p. 57. l. 16. sequentes. p. 61. l. 6. mense. p. 65. l. 33. 18. p. 88. l. 29. intelligunt. p. 93. l. 16. adde. *Hæc diatribe ex Boyleo opere*, philosophical tranfactions *Febr. 21. 167$\frac{5}{6}$. n. 122. fol. 516. latinè reddita fuit à Nob. D. Screta.* p. 98. l. 4. renales. p. 100. l. *penult.* Wepfero. p. 102. l. 2. liceat de prægressa. l. ult. vesiculis. p. 108. l. 7. *adde* Anni II. Observ. 4. l. 20. *vide pag. 165. & figuram in ære supra n. 20. incisam.* p. 112. l. 26. Integumentis *adde* ablatis. p. 115. l. 9. quam. p. 121. l. 14. uti. p. 122. l. 10. sic. p. 133. l. 2. *adde* Anni II. Obs. 250. l. 20. Sphenoidea. p. 149. l. 15. maculis. p. 152. l. 19. Masseterem, Crocaphiten. p. 154. l. 24. Fer. p. 155. l. 5. Lucernas. p. 177. l. 19. reportârit. p. 183. l. 6. *adde.* (*Helianthus*) p. 211. l. 20. & p. 212. l. 16. post D. *dele* Joh. p. 229. l. 23. *lege* cap. 11. p. 251. l 22. propè. p. 252. l. 5. Colon. p. 264. l. 3. calenti. p. 286. l. 30. hydatides. p. 303. l. 2. *adde* in quo Senæ. p. 312. l. 6. Salutaris. l. 26. oborta. p. 316. l. 3. Coloris. p. 336. l. 11. fore. p. 355. l. 3. ante ubique Natura. p. 372. l. ult. *dele* in. p. 379. l. 7. schedis. p. 395. l. 16. *ἀάδειον.* p. 406. l. 2. ut. p. 413. l. *ult. Sienensis.* p. 422. l. 3. virium. p. 422. l. 30. conspiciendam. p. 433. l. 3. potuerit. p 436. l. 9. membranaceum. p. 440. l. 15. Sal. l. 30. August. p. 442. l. 6. partu. p. 443. l. 13. raninarum. p. 444. l. *ult.* comparet. &c.

# F I N I S.





## Lector benigne.

ANno III. Obſervat. 266. mentio fuit facta vetulæ cujusdam, Annæ Eliſabethæ Springinsfeldin/ cujus cranium ad ejus, dum invivis fuit, inſtantiam poſt obitum An. 1681. fuit apertum. Sed falsâ ſe non tantùm, quin & plures alios decepiſſe imaginatione ſuâ, nullâ amplius in cerebro ejus apparente forbicina, deprehendimus.

## Ad bibliopegum.

TAbulam Apollinis æri inſculptam in Appendice poſt titulum Apollinis locare memento. Series opuſculorum in tergo Appendicis apparebit: cui cygneam quaſi beati Balduini elucubrationem Hermeticam ſubjungendam eſſe duximus.



# *DECURIÆ*
# ANNORUM SECUNDÆ
# MISCELLANEORUM
# MEDICO-PHYSICORUM
*Sive*
# EPHEMERIDUM
# GERMANICARUM
# ANNUS SECUNDUS.


NUN-
QUAM
OTI-
OSUS
EPHEMERID. GERM.
MEDICO-PHYSICAR.
CURIOSORUM
ANIMALIA
MINERALIA
VEGETAB.
ANATOM.
CHYMIA
BOTANICA
DEC. II.
ANNUS II.
GERMANIA.
Franco
nia
Noriberga
M.B.d.B. M.D.
S.R.M.P.M. à Sec.
NATURÆ

# MISCELLANEA CURIOSA
*SIVE*
# EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM,
*DECURIÆ II.*
## ANNUS SECUNDUS,
Anni M. DC. LXXXIII.

*Continens*

Celeberrimorum Virorum,

*Tùm Medicorum, tùm aliorum Eruditorum in Germaniâ & extra Eam*

**OBSERVATIONES**

MEDICAS, PHYSICAS, CHYMICAS,

*Nec non*

MATHEMATICAS.

*Cum*

**APPENDICE.**

---

*NORIMBERGÆ,*

Sumptibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI.

*ANNO M. DC. LXXXIV.*



# IMPERATORI CÆSARI LEOPOLDO

AUGUSTO OPTIMO MAXIMO

PRINCIPI,

ROMANORUM, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ & SCLAVONIÆ

REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ, &c. &c. &c.

PATRI PATRIÆ,

*ET*

TRIUMPHATORI INVICTISSIMO,

*GLORIA, VITA, SALUS.*

Augusto

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Augusto | Augustos | Augustus | Adaugeat | Annos! |
| Victrici | Vultu | Vallata | Vienna | Virescat! |
| Gorgoneis | Gelidisque | Getis | Germania | Gaudens. |
| Vnanimis | Vincat! | Validum | Victoria | VIVAT! |
| Suppeditet! | Sævi | Seresque | Scythæque | Silescant! |
| Totæ | Turcarum | Turmæ | Thracumq; | Terantur! |
| Vlteriùs | Vireat | Veneranda | Virago | Vienna! |
| Sera | Sibyllinô | Succrescant | Stemmate | Secla! |

NUMEN hæc AUGUSTUM
ut rata velit esse & jubeat
humillimè vovent;
partasque gloriosissimè de
barbaro hoste
Victorias
submisissimè gratulantur.

SACRÆ CÆSAREÆ
MAJESTATIS

*subjectissimi*

*Academici Naturæ Curios.*

EMI-



*EMINENTISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,*

DOMINO

# ANSHELMO FRANCISCO,

S. Sedis Moguntinæ Archi-Episcopo, S. R. I. per Germaniam Archi-Cancellario,

**PRINCIPI ELECTORI,**

*DOMINO SUO CLEMENTISSIMO, PROTECTORI POTENTISSIMO, INDULGENTISSIMOq́ꝫ.*

CELSISSIME PRINCEPS,

*PROTECTOR CLEMENTISSIME.*



Ictricia AUGUSTISSIMI NOSTRI CÆSARIS Arma universus Christianus Orbis dum veneratur, & splendidissimos porrò de barbaro hoste Triumphos auguratur, nostra quoque Naturæ Curiosorum Societas, de felici suorum

)( labo-

laborum progreſſu exultans, TUAM, EMINENTISSIME PRINCEPS ELECTOR, Protectionem pleno ore deprædicat; Cujus ſub Auſpiciis & maximum hactenus, vel ad invidiam usq; protractum, vidit incrementum Academia noſtra, & bona quævis porrò ſperare eam jubet ſublimis illa Gratia, pluries nobis promiſſa, & clementiſſimè exhibita. Hoc tuta ſub Clypeo publicæ ſaluti invigilat, barbaras, quæ Naturam cingunt, tenebras paulatim disjicit, ejusq́; abſconditos pandit theſauros, quin Germanicæ Nationis gloriam, ſpreto malevolorum livore, latè extendit, majora capeſſere promta, atque felicibus de ſucceſſibus certa, ſi tanti PROTECTORIS celſiſſimo favore diu frui licuerit, quem perpetuum nobis humilimè optamus, Cœlumque pro ſalute Ejus, fortunatiſſimo regimine, & vivida longævitate, unanimi voto devotisſimè oneramus.

*EMINENTISSIMÆ CELSITUD. V. ELECTORALIS*

*Subjectiſſimi*
S. R. I. Academiæ Naturæ Curioſorum
PRÆSES & Collegæ reliqui.

CATA-



# CATALOGUS

*Excellentissimorum Dnn. Medicorum.*

Qui pro augendo secundo hoc, secundæ Ephemeridum Physico-Medicarum Decuriæ anno Observationes communicarunt, secundum ordinem Alphabeticum.

1. D. ANDREAS CLEYERUS, *Protomedicus & Senator Bataviæ Orientalis.* Academicus Curiosus.
2. D. JOH. DOLÆUS, *Archiater & P. P. Hannoviensis,* Academicus Curiosus.
3. D. JOH. MICHAEL FEHRIUS, *Consul & Archiater Svinfurtensis,* Academ. Nat. Cur. PRÆSES, d. Argonauta.
4. D. JOH. FRANCUS, *Physicus Ulmensis.*
5. D. GEORGIUS FRANCUS, *Prof. Publ. Heydelbergæ, Universitatis Pro-Cancellarius, Serenissimi March. Badensis Archiater,* Academicus Curiosus.
6. D. MARTINUS JOHANNES HAESBAERT, Academicus Curiosus.
7. D. JOH. LUDOVICUS HANNEMANNUS, *Professor Publicus Chiloniensis,* Academicus Curiosus.
8. D. JOH. JACOBUS HARDERUS, *Professor Publicus Basiliensis Ordinarius,* Academicus Curiosus.
9. Dn. HERBERTUS de JÆGER, *Illustr. Societ. Ind. Or.*

*apud Belgas Protomercator Matheſeos & Linguarum Orientalium peritiſſimus.*

10. D. PAULUS JALON, *Medicus Metenſis.*

11. D. JOH. GEORG LAIBIUS, *Phyſicus Dinckelſpül.*

12. D. ADAMUS à LEBENWALD, *C. P. & Stiriæ Med. Conſiliarius*, Academicus Curioſus.

13. D. JOH LECHELIUS, *Phyſicus Brunſvicenſis.*

14. D. SAMUEL LEDELIUS, *Medicus Grünbergenſis in inferiore Sileſia.*

15. Dn. ROSINUS LENTILIUS, *Phyſicus Crailsheimenſis Med. Lic.* Academicus Curioſus.

16. D. CHRISTIANUS MENTZELIUS, *Seren. Electoris Brandenburgici Conſil. & Archiater*, Academicus Curioſus.

17. D. JOH. de MURALTO, *Phyſicus Tigurinus*, Academicus Curioſus.

18. Dn. CAROLUS OFFREDI, *Medicus Patavinus.*

19. D. JOH. CONRADUS PEYERUS, *Phyſicus Schaffhuſanus*, Academicus Curioſus.

20. D. SALOMON REISELIUS, *Ser. Ducis Wirtemb. Conſiliarius & Archiater Stutgardianus*, Academicus Curioſus.

21. D. VITUS RIEDLINUS, Phyſicus Auguſtanus.

22. D. JOH. VALENTINUS SCHAD, *Phyſicus Hamburg.*

23. D. BENJAMIN SCHARFIUS, *Archiater Schwartzburgicus*, Academicus Curioſus.

24. D. JA-

24. D. JACOB SCHMIDIUS, *Archiater Anhaltinus & Quedlinb.* Naturæ Curiosus.
25. D. LUCAS SCHROECKIUS, *Senior*, *Physicus August.*
26. D. LUCAS SCHROECKIUS, *Lucæ filius*, *Physicus Augustanus*, Nat. Curiosorum Adjunctus, d. Celsus.
27. Dn. JOH. GEORGIUS SOMMER, *Med. Lic. Archiater Arnstadi-Schwartzburgicus*, Academicus Curiosus.
28. D. DAVID SPIELENBERGER, *Physicus Leutschoviensis in Superiore Ungariâ.*
29. D. MATTHIAS TILINGIUS, *Prof. P. Rinthel. & Archiater Hass.* Academicus Curiosus.
30. Dn. MICH. BERNHARD VALENTIN, *Med. Licent.* Academicus Curiosus.
31. D. JOH. GEORG VOLCKAMER. *Phys. Noriberg.* Acad. Nat. Curiosorum Adjunctus d. Helianthus.
32. D. GEORGIUS WOLFGANGUS WEDELIUS, *Archiater Ducalis Saxonicus, in Universit. Jenensi P. P.* & Acad. Nat. Cur. Adjunctus, d. Hercules.
33. D. JOH. PAULUS WURFFBAINIUS, *Physicus Noriberg.* Academicus Curiosus.





# CATALOGUS OBSERVATIONUM.



Dn. CA-

68. Area-

D. JOH. LECHELII.



D. JOH. de MURALTO.

112. De

177. Cau-



EPHE-



# EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM CURIOSARUM

## *DECURIÆ II.*

## ANNI SECUNDI

### OBSERVATIO I.

### D. JOHANNIS MICHAELIS FEHR.

### Plica ex vulnere capitis.



Ustica quædam juvencula anno 46. d. 31. Maji in campo pro pecore gramina demetens grassatorem militem ipsi deflorationem vi intentantem falce leviter vulnerat, sed is ob repulsam pariter & læsionem manus exardescens stricto gladio miseræ duo profunda vulnera formâ Lambdoidea Λ in bregmate infligit, (additis quoque pluribus percussionibus cum bombarda) ita ut in angulum acutum ambo coirent, pericranium ac cranium penetrarent & exemptis aliquot cranii particulis cerebri motus ac subsultatio exactè perspicerentur, sed latior laminæ interioris (duplici enim laminâ plerumque constat craniũ, pumicosa quadam substantiâ distinctâ, quod in usu trepani probè observandum) pars palmæ latitudine à superiori per contusionem inferiùs abrupta & duræ matri incumbens, superiori cranii parti adhuc arctissimè adhærens, quia eximi non poterat, specillo paulùm elevata est, & negotium Naturæ commissum:

Quarto die de quodam pruritu circa vulnera conquerebatur; in ſomnum prona erat, ſed absque delirio, ſermones hominum ægrè ferebat, nullo aliàs ſymptomate graviori correpta, niſi quòd ſe ebriæ inſtar incedere ſibi videretur, quæ tamen paulò pòſt plenariè tum reſtituta eſt: Tractu autem temporis eidem huic fœminæ ex loco olim vulnerato duo villoſi cirrhi (zwey filtzigte Haarzöpff) nati ſunt, qui tamen iterum poſt febrem malignam, (quâ feliciter defuncta erat,) cum reliquis capillis omnibus ſponte deciderunt absque ullo capitis dolore: ſed recreſcentibus capillis loco duorum renatus eſt unus ejusmodi villoſus cirrhus, isque ad 3. ferè ulnarum longitudinem terræ ſuperficiem lambens, hat auf der Erden nachgezöſcht/ quo incommodo diu afflicta tandem ex conſilio cujusdam plebejæ, annuente marito & cognatis, dimidiam ulnam ex cirrho iſto detruncat, ſed ſtatim invadit bis terque miſeram intenſiſſimus capitis dolor, oculorum caligo, aurium tinnitus, & quandoque quædam quaſi paraphreniſis, ob doloris vehementiam: ter frontis vena ſecta, & crebræ capitis lotiones c. decoct. branc. urſ. & verbenæ (creſcente iterum cirrho) malum nonnihil mitigarunt tùm, ſed ingruente ſqualidâ tempeſtate anno 76. menſe Junio id recruduit tantopere, ut ex anni æſtu ac dolore intenſiſſimo ferè ad inſaniam redigeretur: Priori decocto adjectum lycopodium (quod nobis rarum eſt) idque potui ordinario & capitis lotionibus crebrò immerſum, unde graviſſima illa cephalæa maximam quidem partem fuit ſopita, ſed ex materiæ pravitate ad oculos derivatâ ſubſecuta eſt Epiphora non minus contumax & permoleſta ad tumulum usq;.

## OBSERVATIO II.
## D. JOHANNIS MICHAELIS FEHR.
*De*
# Aſitia quatriduana.

PUer quidam paganus 6. annorum cum patre bubulco armenta veſperi domum reducturus videt vaccam â grege in

in proximam ſylvam abeuntem, quam preſſo pede perſequitur, ſed ipſe à via aberrans in ſylva tamdiu obambulat, patrem continenter inclamando, donec nocturnis tenebris obrueretur, ac in dumeto quodam denſiſſimis ſpinis horrido, contra luporum ibidem ſæpe graſſantium invaſionem (ut ajebat) ſe muniturus, ſuppoſito capiti pileo, & attrito ſacco dorſo, placidè obdormiret: Expergefactus altero die iterum per omnem ſylvam ſtrenuè oberrat, Patrem anxiè quærendo ac ſæpius inclamando, idque tertio die quoque, licet fruſtra: Quarto demum die, ad levandam, quà maximè premebatur, ſitim, ex ſylva in ſata læta & rorulenta ſe recipit, ibique obambulans ex ſtrepitu & colliſione culmorum à quodam agricola deprehenſus. At ex metu longiùs iterum in ſylvam ſe proripiens captus eſt, ac à loci Parocho curatiùs examinatus reſpondit, ſe quatriduum illud nec comediſſe nec bibiſſe, ſitiviſſe autem plurimùm, eaque de cauſa in omnibus foveis & uliginibus aquam quæſitâſſe, quam unicè ac præ cibo efflictim tùm expetebat, ſcilicet à 4. Maji die ad 7. usque hujus anni 83. à conſortio hominum penitùs excluſus. Similem ferè aſitiam de puella quadam ſeptenni narrat Excell. Dn. Ludovici in anno 8. Miſcellaneor. Curioſor. p. 113. Sed potuit illa ex adjacente pane nutriri, aut profundo ſomno obruta viſcido illo muco, quo oppleta erat, gliris inſtar, tantiſper refici: noſter autem planè fuit ἄσιτος & ex diuturna obambulatione admodum ſitiens, jam priſtina valetudine nemini ſui generis ſecundus.

## OBSERVATIO III.

## D. JOHANNIS MICHAELIS FEHR.

## Lactis Vaccini Virtus in curandá Podagrâ.

NAturalium rerum Scientiſſimus pariter & Experientiſſimus Senior noſter Cous *Virtutem Lactis* in omnibus ferè morbis maximopere deprædicat, cujus veram

ram generationem cum dextro ejusdem uſu genuinus Ipſius Interpres Proſper Martianus, Medicus Romanus in doctiſſimis ſuis Notationibus luculenter illuſtrat, & alia plura effata Hippocratica ibidem tam nervosè exponit, ut multorum noviter Inventorum, e. gr. *circulationis ſanguinis*, morum, humorumque in humano corpore diverſitatis ac Operationum Chymicarum *Author* fuiſſe, & plerisque Neotericorum facem præluxiſſe videatur. Lac certè primum ac primarium vitæ noſtræ ſuſcitabulum, in graviſſimis quoque affectibus remedium eſt præſentiſſimum, cumprimis in doloribus arthriticis, de cujus multiplici in morbis uſu ac effectu fusè egit & accuratè peregit omnia Nobiliſſimus & Excellentiſſ. Dn. Johannes Georgius Greiſelius, P. P. Viennenſis, Collega plurimùm honorandus, in egregio ſuo Tractatu de cura lactis in Arthritide, cujus curæ veſtigia preſſit Torniarius quidam noſter, homo bilioſus ac iracundus, podagricis & nephriticis doloribus 30. & quod excurrit, annos miſerè divexatus, uſurpatis fruſtra exquiſitiſſimis remediis antipodagricis internis pariter & externis, cum à vino intenſiores ſentiret dolores, pro anodyno cereviſiam aliquandiu bibit, ſed ab eadem ſpirandi difficultas, ab aqua autem ſimplici, quam ſubmittebat, ſtomachi dolor & hypochondriorum inflatio, tandem omnium medicamentorum pertæſus, lac eligit pro potu ordinario cum convenienti diætâ, à cujus uſu continuo intra anni ſpatium tantopere refocillatus eſt, ut toto illo tempore nullum amplius paroxyſmum podagricum ſenſerit. Rejectis ergò omnibus aliis remediis ſolo jam lacte per aliquot annos pro cibo potuque ordinariè fruitur, niſi quòd intra triduum vel quatriduum ſemel atque iterum juſculum quoddam aut obſonium cum pane, rariſſimè carnem aut vini hauſtum unum aſſumit: pedibus ſat firmiter innititur, rectus incedit, laboratque ſat commodè & ſi quandoque radicati mali rudimenta quædam perſentiſcit, aut ipſe à labore diurno debilis eſt, ad quietem ſe componit & calidis fomentis

prurien-

prurientes partes ſuaviter demulcet, donec leves iſti, &, ut ajebat, quaſi titillantes dolores penitùs evaneſcant. Lac autem illud, quo continenter utitur, vaccinum eſt, & recens mulctum, at coctum, & ſi id fortè in æſtu aceſcit, tam à cremore, quàm omni caſeoſitate ſeparatum, à cæteris lacticiniis & piſcibus abſtinet, delectatur ovis, & valetudine jam gaudet haut incommodâ, nuptias frequentat & ſolennia convivia licèt ἄοινος & abſtemius: nuper muſti nobilioris ſuavitate delinitus nectare hoc aliquantiſper ſed moderatè fruitur cum εὐφορία, ſed mox eo poſt fermentationem in vinum faceſſente novos quoque dolores licèt illos leniores experitur, quos jam priſtinâ exquiſitâ diætâ, (lacte & nonnunquam decocto CC. cum paſſulis) prævertere ſatagit: Ex nuperrimè mihi obviam facto didici, ſe ſolo jam lacte nutriri, ne micâ quidem panis intra biduum quandoque aſſumptâ, annum 71. prætergreſſus.

## OBSERVATIO IV.
## D. HERBERTI de JAEGER.
*De*
# Herbæ, Indigo dictæ, ſatione, cultu, & extractione coloris Indigo dicti, circa Tſinſiam, in regionibus Orientalibus.

HErbæ, *Indigo* dictæ, ferax ſolum, nec nimis pingue, nec humidum eſſe debet, aliàs enim vel nimis herba luxuriat, ſuccumque dat aquoſum, vel ſuffocatur: unde in editioribus locis ſiti eliguntur agri, quos neque pluvia neque ros nimiùm irrigare poſſint. Eliguntur agri, ubi pinguiori ſolo duæ arenæ partes tertiæ ſunt admiſtæ: quanquam etiam in mero ſabulo propè *Devenapatnam*

non tamen adeò ubertim proveniat. Agri illi ingruentibus pluviis circa Septembrem ſemel aut bis ſulcantur, & ita præparati quieſcunt ad Decembrem usque; tunc iterum ſulcatis nubilo cœlo injicitur ſemen & occâ æquantur. Liberata ſuo tempore à zizaniis herba, circa Februarii menſem flores cum ſemine fert: cùmque folia inferiora luteo tincta colore flacceſcunt, demetunt eam, truncorum ramulos ad palmæ latitudinem relinquendo; ſic regerminat eadem commodâ humectâ pluviâ, ut elapſo trimeſtri meſſi rurſus ſit opportuna, quâ, uti primâ vice, peractâ, tertia meſſis expectatur. Sed tunc & ſemen colligitur, & ſiccatur, ut illo, ſuo tempore agri conſeri poſſint. Herbæ ſarmenta ad ulteriorem regerminationem inepta comburuntur, ut cineribus iſtis agri ſtercorentur. Cœlo ſereno meſſis fit, ſolique per quartam diei partem usque ad quartam pomeridianam, ut herba penitus ſicceſcat, exponitur: deinde bacillis tamdiu trituratur, donec à petiolis decidant folia, quæ in locum, venti injurias arcentem, reponuntur tamdiu, donec cœli ſerenitas permittat, ut à ſole de novo poſſint ſiccari, baculisque concuſſa ferè lacerari: Folia ita diſcuſſa recipit area undique clauſa, ubi ſtramine & ſtragulis tecta 20. vel 30. diebus adſervantur. Induntur deinde ollis & vel ſalſa vel dulcis aqua (perinde enim eſt) affunditur: itaque à decima antemeridiana ad ſecundam pomeridianam æſtui ſolis exponuntur, & tunc folia incipiunt turgere, & ſpuma purpuraſcentis exſurgit coloris. Tinctura illa per linteum mundum transcolatur, foliisque, prius manibus fortiter expreſſis, alia ſuper affunditur aqua; id tamdiu continuant, donec aqua viridi non ampliùs tingatur colore. Has Tincturas iteratis truſionibus, ut noſtrates butyrum parant, exagitant, donec purpuraſcens ſpuma prius in album deinde cæruleum, mutetur colorem, aqua verò tenuis fiat atra. Et ſic requieſcere bihoriô ſinunt; quo elapſo, bis vel ter rudiculâ agitant, & vaſe linteô tecto

tam-




An: III. Decur. II. p. 66.

tamdiu ab opere quiescunt, donec crassamentum, quod verum *Indigo* est, ad fundum subsideat, die sequenti, circa horam octavam matutinam, à sedimento aquam subrufi coloris segregant. Defertur hoc sedimentum manibus bis vel ter subactum ad stratum ex arena, in medio parum declivius, linteoque humido paratum, quod jam per bihorium calidissimis radiis solaribus fuit expositum, illudque placidè in hoc linteum effundunt: & sic transeunte liquido, id quod crassius remanet, & in superficie cuticulam purpurascentis accipit coloris, per bihorium coagulationi datur, donec rimas agat. Extrema deinde lintei jungunt, ut duplo crassior illa fiat puls. Illam manibus frangunt, ollæ indunt, manibus madefactis benè depsunt, placentulas formant, quas demum penitus exsiccatas, tanquam genuinum colorem *Indigo* dictum, ad pannos cæruleo colore inficiendos & varios pictorum usus, hinc indè divendunt.

*SCHOLIUM.*

GLastei hujus succi ortum & præparationem, quamvis nonnihil à recensita discrepantem, quod locorum diversitati adscribendum videtur, recenset etiam, præter *Phil. Baldæum descript. Malabariæ & Coromandeli cap. 24. Gualt. Schulzium, Harlem. in Itin. Orient. lib. 3. cap. 12. & Burchard.* Niderstedt *descript. Insf. Maltæ lib. 1. cap. 6. Clar. Wedelius noster parte 2. tr. de sale volat. plantarum. & Joh. Bapt. Tavernier in Itiner. Ind. l. 2. c. 12.*

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO V.
## D. ANDREÆ CLEYERI,
*De*
# Elephantiâ Javæ nova.

ANte 20. circiter annos incolæ Javæ horrendo quodam morbo affligi cœperunt, qui digitos manuum pedumque

que consumit, duris atque horrendis tumoribus, qui postea exulcerati in putrida atque cacoëthica ulcera cum carie ossium degenerant, facies defædatur, neque ullis medicamentis vicinæ partes ab hac infectione reddi possunt immunes, nisi membrum infectum exstirpetur. Pus tam acre & corrosivum est, ut, quando tubercula spontè non aperiuntur, postea fuerit animadversum, illud in ossa subjecta sævii sse: in initio morbi, aurium extremitates supra modum intumescunt, calcaneique omni sensu destituuntur, adeo ut sine dolore acus integra possit adigi, illæque partes utplurimum exulcerantur: in initio lividæ apparent maculæ, omnis sensus expertes, capillitium, barba, & supercilia decidunt, quanquam aliquando id non contigisse observaverim. Inter procatarcticas causas est contagium. Malis, putridis, fœtidis & sale conditis piscibus marinis, aliisque crassi chyli cibis & fructibus incolæ vescuntur; piperis Indici, Lada Chili dicti, integros devorant manipulos, cibos calidos & aromata sine mensura adsumunt, atque ad libidinis pruritum excitandum Aro quotidie in cibis utuntur, hinc etiam integra terræ jugera herbâ istâ sunt consita: lues venerea inquilina est, adeò ut febre quotidianâ sit vulgatior. Utque eò meliùs morbus hic pateat, icon ex adverso posita inspicienda. Quæritur jam, ad quod morbi genus pertineat, quibúsve medicamentis curari debeat? *Ex arce Bataviæ A. 1681. 25. Novembr. ad D. D. Christian. Mentzelium.*

Fig. I. p. 6.

## SCHOLIUM.

PRæter Observationem hanc, à curiosissimo nostro *Dioscoride*, ad Nobilissimum nostrum *Apollinem* perscriptam, ejusdem etiam dilucidatio, quam magni Parentis filius clarissimus, *Dn. Joh. Christianus Mentzelius*, in Academia Francofurtensi cis Viadrum, Anno præterito, sub Excellentissimi *D. D. Bernhardi Albini &c.* per modum Disputationis publicæ, non infeliciter in lucem dederat, digna fuit judicata, cujus

jus præcipuæ partes hîc recenſerentur. Is itaque morbo huic. Elephantiaſis, quæ Arabum Lepra eſt, nomen competere arbitratur, cùm taliter adfectis digiti in manibus & pedibus, *Celſô* teſte, ſub tumore condantur, præterea exedantur & lividâ ac fœtidâ ſtillent ſanie, juxta *Cæſalpinum prax. univ. art. med. lib.4. c.13.* malo etiam increſcente ſordida ab humorum acrimonia & malignitate plerisque locis excaventur ulcera, notante *Ant. Valetio exerc. 64.* ipſas partes, naſum, digitos &c. ſenſim decidere, ex *Aretæo lib. 2. de diut. cap.13.* oſſa interdum fieri cerea, ex *Petri à Caſtro obſ. MS. 40* plerumque in facie hanc luem erumpere, *Jul. Palmario Conſt. de morb. cont. lib. de elephant. c.3.* extuberationes fieri rotundas, & duras ſub lingua, palpebris, auribus, *Jac. Hollerio de morb. int. lib. 1. c. 64. in Schol.* aures exulcerari, Aretæo, aures extenuari rubereque admixto nigrore, atque exulcerari, *cit. Palmario*, ſenſum perire extremitatum, & ſi acu altiùs pungantur, non ſentire, *Hollerio* & *Franciſco du Pont. de Sign. morb. lib. 4. c. 25. §. 30.* neque aquâ fervente exuri, *Palmario*, pilos paſſim decidere, ex *Platero tom. 3. c. 4.* conſtet. Quæ omnia ceu maximè pathognomonica ſigna, dum hoc etiam in morbo, à viginti ſaltem annis in Java graſſante; ideoque novi morbi nomen ibi promerito, deprehenduntur, nomen quoque illud mereri, concludit. His ita ſtatutis, fermentum iſtius morbi in Javam aliunde fuiſſe illatum indè oſtendit, quòd ſine dubio & ante hæc tempora idem incolis fuerit victus, qui tamen elephantiaci non fuêre, aut certè jam ad unum omnes ſub hujus mali vexillo militare deberent; & ibidem licèt loci, unde apportatum eſt, adeò non ſæviat, fieri id ſine dubio, quòd maſſa ſanguinea fermentanda hîc aliis impraegnata ſit particulis, unde & alius debeat eſſe effectus. Contagium autem hujus morbi in eo conſiſtere, quòd è corpore elephantiaci exſpiret id, quod abundat, ſpirituoſioribus videlicet partibus ex humoris peccantis fermentatione ſurſum aſcendentibus, & de fermento elephantiaco participantibus. Cujus exiguâ portione totum

B inqui-

inquinari hominem, non sit mirum, dum quotidiè magnam massæ farinaceæ molem à pauco fermento, cerevisiæ quantitatem à paucis floribus fermentari, integra regna ab uno peste infecto infici videmus; intestinâ nempe à fermento excitatâ luctâ paulatim mixturam humorum turbante, tandemque ut in sui generis abeat fermentum cogente, adeò ut sanguis elephantiaci postea totus fiat fermentum, fomesque sit inexhaustus & lerna innumerarum infectionum. Favere huic morbo ipsum Insulæ situm, qui totus in Zona torrida est, magis directos excipit solis radios, multumque ab illius fervore aduritur; Piper Indicum, quod manipulatim adsumunt, cibos calidos cum aromatibus, quos sine modo devorant, Arum, quo quotidiè in cibis vescuntur, massam sanguineam omninò multis acribus salibus imprægnare, illamque valdè acrem reddere; pisces marinos, putridos & fœtidos, crassi chyli cibos, & fructus suo lentore, viscidis terrestribusque particulis, illam incrassare & viscidam facere; luem veneream utrumque indicare, quæ acres volatiles atque fixas particulas tenaci pituitæ junctas esse doceat; nimiam illam venerem, cui supra modum dediti, quidquid in massâ sanguinea balsamicum est & spirituosum, omne exhaurire, adeò ut sanguis illorum sit crassus, terrestris, viscidus, & simul valdè acris; si misceatur jam huic sanguini aliquod fermentum, quod acre è sanguine præcipitet, tunc lentorem stimulo illo orbatum causari obstructiones, acredinem verò stamen partium lædere, sicque Elephantiaseos causam adesse continentem. Lividas maculas nihil aliud docere, quàm illas à reliqua cutis superficie superficies mutatas à fermenti admixtione habere & differentes, adeoque angulos incidentiæ & reflexionis utrobique non esse eosdem, unde mens id animadvertens discrimen, de utraque diversas habeat perceptiones, & sic variegata adpareat cutis. Intumescentiam extremitatis aurium, & reliquorum membrorum oriri, quòd fermentum elephantiacum partium sibi aliàs mixtarum cohæsionem turbet, quæque in-

testinis

testinis iis motibus adeò promtè non obsequuntur, eas ad peripheriam pellat, quæ ingressæ tubulos illos propter crassitiem obstruant, humores præsentes retineant, affluentium transitum impediant, partisque ita causentur tumorem, inprimis in auribus, quorum substantia fibris rigidis constans, cartilaginosa, duriuscula & ita obstructionibus magis est obnoxia. Stupere & insensiles esse calcaneos, quia humores viscidi, crassi, terrestres, in his corporibus abundantes, à tubulis nervorum recepti, illos tumere faciant, unde nervi comprimantur, regurgitantibus ita, à clausis hac ratione portis, spiritibus animalibus; hinc nervi illa portio fiat flaccida, & mota licèt, motum non propaget, nec mens percipiat, quid in illa parte rerum agatur; calcaneum verò & quidem in ipsis morbi principiis adfici, quòd sanguis gravior crassiorque deorsum, naturæ legibus, tendat, maximumque illius propter lineæ rectitudinem impetum sustineat calcaneus, vel ipsâ cutis duritie & ligamentorum copiâ commendabilis. Exulcerari istas partes, quia oppessulati tubuli ab humoribus à tergo prementibus, vel claudantur arctiùs, vel illas rigiditate suâ perrumpat acre sal, quo sanguis abundat, perrumpant etiam propter subtilitatem & alii spirituosi humores, qui viribus fracti in ipso tumore nidulantur; unde calor totius corporis, usque & usque affluens, subtiles illas particulas agitet, sal acre commoveat, atque sic impulsum elephantici fermenti juvet, concutiantur hinc fibræ tandemque disrumpantur, quarum pars in cincinnos resiliat, pars utrobique rupta humoribus innatet, & turbato sic fibrarum ordine fiat cavitas, in qua colliguntur humores, sale acri & corrosivo, à pipere, aro, contagio, infecti. Quòd acredo puris subjecta potiùs corrodat ossa, nisi tumor arte fuerit apertus, quàm carnem, nihil esse insoliti; prout aqua fortis ferrum, non ceram vel picem adgreditur; stamen ossium carnoso solidius multò esse & rigidius, quiescere osseas particulas pertinaciter juxta se, & ita excipere ictus & impetus irruentium, cedere nescias; car-

noſas verò, molliores utpote & flaccidiores, licet percutiantur, ceſſione ſuâ ictuum abſorbere vim quandam, retroagere aliam, diutiusque reſiſtere, perinde ac pilæ immiſſæ vim abſorbeat arena, quam efficaciter retroagit murus; & globus ſclopetarius trajiciat aſſeres ſolidos, quem putre lignum cedendo & reſiſtendo viribus privat. Hoc modo fieri cacoëthica illa ulcera, ruptos eſſe nervos, oſſa carioſa, carnes corroſas, humorem adeſſe cauſticum, unde pars illa non ſolùm moriatur, ſed vicina membra paulatim patiantur eademque, ſerpatque id malum ulteriùs, denegato commeatu decidant membra, & ſic miſerrimum hominis fiat ſpectaculum. Quod ſi materia morbifica ad glandulas ſubcutaneas deferatur, radicibus pilorum, quibus hi ſunt infixi, reſectis, eos decidere, raramque fieri cæſariem; ſin minùs, hærere ſuo loco, utut hoc inter rariora numerari debere videatur. His prælibatis, & prognoſi ex *Hollerio*, *Cæſalpino*. *Platero*, *Aretæo & Aetio* additâ, ad ſecundæ Quæſtionis ſolutionem progreditur; iteratam primò ſuadens venæſectionem; cùm enim ſanguis terreſtris & viſcidus ſit, abundetque multis acribus, volatilibus & fixis ſalibus, corrigi eundem debere, innuit, quod quàm arduum ſit, ægrorum diuturnas teſtari quærimonias; ut igitur feliciùs immutari regique poſſit, imminuendum eſſe, ita enim medicamenta hoſtem viribus fractum ſuperare faciliùs, & ſanguinem cor ſubire ſæpius alterarique; nullo venarum habito delectu; ſi tamen is obſervandus, electâ in eum finem pedis venâ, ſi magna ſatis conſpiciatur, craſſo utpote ſanguine magis in truncis artuum inferiorum reperiundo. Hæc dum fiunt, ſanguinem corrigi debere internis medicamentis, quæ incidant & attenuent; copiosè adſumendis, ut omni miſceantur ſanguini. Hinc Guajaci decoctum commendat, leve, nec nimis crebrò, ob acredinem ejus, ſumtum; cui ideò præfert Sarſaparillam in mucilaginem, quâ acres particulas temperat, reſolutam, aut hordei aquæ immaceratam, aliisque etiam, ut liquiritiæ radici, vel paſſulis permixtam, &

manè

manè ac veſperi inter ſtragula calidè ſumtam, aut interdiu urgente ſiti hauſtam. Decoctum etiam fieri poſſe ex cortic. tamariſci, fraxini, rad. cappar. chin. ſarſaparill. lign. ſaſſafr. ſant. omnium, antimonii crudi vel cinnabaris in petia ligatæ uncia una vel altera, cum tartaro crudo in aqua chalyb vel ſero lactis infuſis, addito oxymelite ſcyllitico & ſucco limonum; quo per triduum quatriduúmve uſurpato, purgationem è mineralibus, quarum particulæ ſunt ſolidiores & graviores, adeoque efficaciùs operantur, inſtituendam eſſe; addendo Pilulas de fumaria aut helleboro nigro, Mercurium dulcem, Arcanum corallin. &c. aut, ſi pituitæ in ventriculo mobilis ſuſpicio foret, unum alterúmve granum Mercurii vitæ, vel ſulphuris aurati antimonii, vel Turbethi mineralis; quo facto, ad apozema per aliquot dies redeundum, deinde rurſus purgandum, periodo illâ toties reiteratâ, donec ſanguis videatur emendatus, corpusque ſatis præparatum; tunc enim exhibendum potens aliquod ex mineralibus ſudoriferum, è Mercurio diaphoretico, Oleo Mercurii diaphoretico, Tincturâ antimonii, Q.E. antimonii, Regulo antim. ſine marte, Sulphure antim. Bezoartico minerali, additis, ut mineralia hæc eò citiùs in actum deducantur, ſale viperarum volatili, croco, tincturâ opii &c. Ut verò ſanguis mollior fiat, ſal acre infringatur & educatur, præterea laborandum eſſe; ibi Emulſiones amygdal. dulc. &c. Seminis pſyllii mucilaginem &c. hîc Acidulas naturales, Clyſſum antimonii, ſcobem eboris, C. C. oculos cancri, corallia, exhibenda. Nec uſum, cautum tamen, millepedum vel aſellorum ſpernendum, imò nec vermium majalium acri ſuo ſale cauſtico ſpoliatorum atque in pilulas redactorum, vel etiam ſimpliciter exhibitorum, ortam hinc ſtranguriam lactis dulcis hauſtu ſtatim ſedante; copioſum enim ſal ita cum urina educi. Viperas ab *Aetio*, *Cæſalpino*, & *Galeno* dilaudatas, ab *Aretæo* & *Palmario* reprobari notat, ipſe verò utriſque, habito diverſo reſpectu, adſentitur; cùm enim maxima viperarum efficacia à ſale volatili veniat, ſi

ſi illud in copia ad maſſam ſanguineam derivetur nondum correctam, inanes non ſolùm facere impetus, judicat, ſed ſali acri novum inſuper addere ſtimulum, unde neceſſariò exaſperentur ſymptomata. Cùm verò maſsâ ſanguineâ ſatis præparatâ, eò deventum ſit, ut diaphoreticis uti conceſſum ſit, maximo cum fructu mineralibus diaphoreticis, utpote in operando tardioribus, ea addi, neque tunc ullum ab eo ſale metum eſſe poſſe, cùm nullibi hæreat, ſed liberè tranſeat, & quà diaphoreſi, quà diureſi, ſal copioſum ſecum educat. Caſtrationem à quibusdam, ut infallibile & præſentiſſimum remedium, magnopere commendatam rejicit; morbi enim cauſam ab ea non tolli, adſit licèt, ab acrium ſpirituum influxu, inexpugnabile coëundi deſiderium, illud tamen non cauſam, ſed morbi effectum eſſe, unde neque illo remoto morbum curari. Inter externa remedia, ad humorem terreſtrem fluidum reddendum, obſtructiones deobſtruendas, ſal acre educendum, parteſque corporis emolliendas, balnea aquæ dulcis tepida reponit, quorum particulæ aqueæ in poros ſeſe inſinuando, illos aperiant, tenacem pituitam diluant, & ſal educant; quæ ipſa tamen noceant, ſi illud ſal morboſum ſub denſa nimis hæreat cute, ita ut educi nequeat, ſed majorem concipiat ab aquæ ſpiritu motum; quo in caſu ſatius ſit aquæ ſalſæ balneum, quod aperiendo poros ſali latenti viam exeundi paret; & efficaciſſimum fore ſal, quod antimonio, ſale communi & tartari igne potentiſſimo fuſis regulo ſupernatat, vel ſcorias reguli antimonii cum nitro & tartaro facti. Thermas etiam ſulphureas, merè adſtringentibus, qualia ſunt aluminoſa, repudiatis, hîc prodeſſe; quarum defectum ſuppleant artificialia Balnea, ex fol. & rad. alth. enul. bryon. cyclam. helleb. utriusque, lil. furfure macro, cort. ſambuc. ſem. lini & fœnugræci, ſale ammoniaco, ſulphure &c. parata, purgantia ſtudiò addendo, ut ab iis excitatis fermentationibus humores incipiant moveri, poris vim faciant, atque ſic

ſic egrediantur. Tumores eſſe emolliendos Unguentis &c. notioribus, quæ inprimis Mercurius præcipitatus albus, vel Arcanum corallinum, vel Mercurius dulcis ingrediantur. Quibus non proficientibus, tumoribus vel maculis ſcarificatis cucurbitas vel cornua ſuctoria Palmarii ſuperimponendas eſſe, pro craſſo ſanguine educendo, vel quod meliùs, altè diſcindi & medicamentis cathæreticis vel cauſticis, cryſtallis ſcil. argenti, Mercurio ſublimato corros. Oleo mercurii, Oleo antimonii, Butyro antimonii, vel quod eò fortius, Butyro arſenici, Arſenico ſublimato, aliiſque exedi, ulcera verò forti guajaci decocto elui, cicatricemque ſuperinduci; & his nihil proficientibus, ferro exſtirpari membrum oportere. Tandem ſi ab ullo medicamento, certè à ſalivatione ſperandum eſſe remedium, quæ omnibus indicationibus ſatisfaciat, glutinoſamque pituitam, revera quandoque acerrimam, in copia educat. Denique brevi diætæ enarratione erudito diſcurſui finem imponit.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO VI.
## D. CHRISTIANI MENTZELII
*De*
# Bufone permagno.

CL. Dn. D. Carolus Offredus exhibuit nuper obſervationem ex Italicis oris de Serpente magno monſtroſo, quam perlegenti incidit in memoriam bufi horrendùm ingens olim in Italia quoque à me conſpectus. Ejusdem dum hujus recordor beſtiæ, & calamus & cor palpitant. Breviſſimus itaque ero in enarranda hiſtoria. Anno 1653. cùm Romam, Neapolim & reliquas Italiæ urbes Studioſus peragraſſem, jamque in reditu eſſem Venetias verſus, atque ex Urbe Aquapendente, eminentiore in loco ſita, ubi

lacte

lacte caprillo coagulato fragrante rorismarini odore & ſapore commendabili (Itali *la Ricotta* vocant) ad ſatietatem me recreaſſem, ad proximum diverſorium extra urbem pedes deſcendo, unicô ſtipatus Comite, Nobiliſſ. Dn. Böſchio. Studiô comitem multis paraſangis me præcedentem ſequor, ut virgulta, quæ ſiniſtrorſum ad viam publicam erant, & ſub iis latitantes plantarum delicias perluſtrem. Cùmque circiter ducentos paſſus deſcendendo ex urbe peregiſſem, audio ex virgultis, in quæ oculos habebam fixos, aliquid ſtrepitûs. Ad hunc oculos in terram flecto, & ecce, ad plantam pedis mei ſiniſtri adeò proximè ut calceum attingeret, animadverti bufonem tantæ magnitudinis, ut (abſint mendacia verbis) iſte mole ſuâ ſesquipedali longè præcelleret vel excellentis cujusvis Capitonis caput. Hîc ego dum truces in me intueor beſtiæ oculos, incertus videamne ex inferno ſpectrum, ingenti percutior horrore, - - - ſteteruntque comæ & vox faucibus hæſit. At tamen non ſtatariâ correptus catalepſi puellæ inſtar illius ruſticæ, (cujus Magnificus noſter *Argonauta*, Senium & Caput chariſſimum meminit, & de ea jucundè diſſerit *Obſerv. 1. anni 1. dec. 2.*) ſed illicò retracto pede ocyor aufugiens Euro, per longos & ſat celeres, Damæ inſtar, perago ſaltus, nec quicquam priùs retroſpicio, quàm me ſalvum & à beſtia diabolica ſat longinquum arbitror. Dum ita perterritus paululum ad me redeo, circum circa me cuncta perluſtrans, ad locum illum attollo vultum & monſtrum ſtygium in eodem loco commorans eminus video. Hîc ego terrorem injectum, in iram verſum & accenſum, juſto dolore minimè inultum fore ratus, pallium in terram abjicio & arrepto gladio, quibus armis cum hoſte dimicandum mecum delibero. Stabat ſententia priùs eminus quàm cominus hoſtem aggredi. Sic ponderoſiſſimum, & mole ſuâ bufonem ſuperantem, lapidem omni niſu ex terra evello, eumque ambabus manibus tenens ad beſtiam paulatim, non neglecto evaginato gladio, procedo. Sedebat bufo imperterritus fixis in me flammeis oculis.

Dum

Dum appropinquo & lapidem viribus omnibus, quantum humeri valebant, attollo: ille contrà lato ſeſe erigens pectore, plusquam diabolico conſpectu, apertô rictu (Gehennam dixiſſes) lapidem imminentem & jamjam in ſe ruentem unô intuitu expectabat. Felici jactu eliſus lapis cecidit ſuper tergum beſtiæ, quam ſuâ mole totam abſconderat. Sic, inquam, accipe tibi hoc æternæ memoriæ monumentum, crudelis beſtia, nec ulli hominum poſt hæc terrorem injice, & actutùm lapides minores, hinc inde jacentes undiquaque colligens, cumulatim eos ſuper lapidem magnum projicio, ne multum fœtoris cadaver reſolutum tranſeuntibus afferat. Adſto parùm tumulo, cùm me deſideriô cura coqueret multô perluſtrandi cadaver, nec tamen ullum dimovere lapidem audeo. Vix dominica oratio bis vel ter perorando abſolvitur, cùm lapides minores ſeſe movere primùm, mox omnes diſſilire, denique magnum lapidem everti & ex corpore beſtiæ devolvi obſervo: cumq́ue bufonem ipſum jam absque aliquo cruore erectum video, receptui cano & veſtigia priora ſaltusq́ue repetens, nolo, inquam cum diabolo confligere, arreptoq́ue pallio ad diverſorium curro, ubi poſt primum vini hauſtum paroxyſmus febrilis, quem ex terrore contraxeram, me invaſit, per ſeptimanam deinceps tertianâ intermittente laborantem. A fide digniſſimis Magnatibus relatum mihi eſt, carcerem fuiſſe & forſan etiamnum eſſe in regione nobis Orientem verſus ſita, (nomini parco) in quem conjecti homines à tali beſtia inibi ſtabulante priùs halitu enecti, poſteà penitus conſumantur. Miſera talium mortalium ſors, veros Gehennæ terrores hîc ſuſtinentium! Sed quoniam monſtroſus ſerpens nobis anſam dedit, hanc de bufone magno hiſtoriam edere, placet huic ſubjungere obſervationem, quam per literas ad me ex Indiis transmiſit Cl. D. Andr. Cleyerus de Serpentibus Indiæ Orient. qui non tantum cervos, homines (quod aliàs notum eſt, & de Serpentibus Braſilianis ſæpius ex ore Principis Mauritii Naſſavienſis p. m. tanquam oculati te-

ſtis habeo) ſed vel ipſos (quod multis forſan incredibile videbitur) Uro-bubalos deglutientibus. Id quibus modis peragatur, verba D. Andr. Cleyeri ſequentia oſtendent.

## OBSERVATIO VII.
## D. ANDREÆ CLEYERI.
## De
# Serpente magno Indiæ Orientalis, Uro-bubalum deglutiente.

ADjuncta Serpentis imago Fig. II. n. 1. depicta, eſt à Serpente Indiarum noſtrarum Orientalium; plùs quàm viginti quinque pedes operarios (vulgò Rinlandicos) longo. Hi ſerpentes etſi ob anguſtiam faucium, quam præ ſe ferunt, minimè videantur animalia deglutire poſſe, id tamen verum eſſe, experientia confirmat. Ipſe ego aliquem interemptum à venatore emi, ex quo diſſecto extractus fuit cervus mediæ ætatis cum cute & omnibus partibus integer: alium, qui continebat ſylveſtrem caprum magnis præditum cornibus, ſimiliter omnibus partibus totum: tertium, qui ingluvie ſua totam hyſtricem ſagittiferis ſuis aculeis armatum occultabat. In Ambona Moluccarum Inſula quondam mulier incola gravida à ſerpente inſucta fuit. Liceat hoc vocabulô hîc uti, quod exprimere videtur modum, quo ſerpentes hi animalia quæque tanquam ſugendo deglutire ſolent, quod ita accidit. Fame maceratus ſerpens quibuscunque animalibus, quæ ſaltu petere & morſu apprehendere valet, inſidiatur. Captum hôc modô animal à ſerpente caudâ & reliquo corpore circumligatur atque adeò ſtrictè vincitur, ut vel ipſa in corpore animalis oſſa frangantur & comminuantur. Quod ſi animal quoddam robuſtius renitatur, ut ſpiris anguinis enecari non poſſit, ſerpens crebris cum animali convolutionibus caudâ ſuâ proximam arborem in auxilium & robur corporis arripit eamque circumdat, quò eò fortiùs






Dec. II.

fortiùs & valentiùs gyris ſuis animal comprimere, ſuffocare & demum enecare poſſit: ad hoc facinus morſu ſimul prehendit animalis nares, quò ſpiritum non tantum intercludat, ſed ut ſanguinem ex iis ad internecionem usque eliciat. Factum eſt hôc modô, ut (quod à fide digniſſimis habeo) in Regno Aracan in confinio Regni Bengale talis vaſti corporis anguis propè flumen quoddam cum Urobubalo, ſive ſylveſtri bubalo aut Uro (quoniam Bubalus ſylveſtris in iſtis regionibus magnitudine Urum ferè ſuperat, & hinc Uro-bubalus meritò dicendus) immani ſpectaculo congredi viſus fuerit, eumq; dictô modô occiderit: quo conflictu & plusquàm hoſtili amplexu fragor oſſium in bubalo comminutorum ad diſtantiam tormenti bellici majoris, hoc eſt, quousque globus ex tali tormento pertingere poteſt, à ſpectatoribus ſat eminus ſtantibus exaudiri potuit, num. 2. Admiratione dignum, quod ſerpens talis, cùm ejus fauces reſpectu reliqui corporis graciles appareant, tantum animal non particulatim canis aut leonis inſtar dilacerando, ſed integrè & cum omnibus partibus totum deglutire & ventri ſuo infarcire valeat. Jam, quo modo id fiat, paucis enarrandum. Serpens, qui gulam & fauces contractas quidem, ſed ultra modum extenſibiles habet, cùm animal præfatô modô occidit, atque oſſa ejus minutiſſimè confregit, adeò ut cadaver tanquam rude chaos jaceat, linguâ id priùs extendit, deinde ſputo ſuo virulento illud ad deglutiendum aptum fingit, diſponit & ſecundum pilos lambendo lævigat, ut cadaver è longinquo tanquam glutine obductum reſplendeat, & ſic aptum ad abſorbendum videatur. Quo facto incipit ſerpens rictu ſuo cadaveris caput apprehendere & ſuctu fortiori quaſi abſorbere, donec animal interemptum cum omnibus ſuis partibus paulatim in ventrem ſeceſſerit. Hâc actione juxta cadaveris molem & quantitatem ſerpens quandoque ultra biduum inſumit. Poſtquam igitur cadaver tali inſuctu in ſerpentis ingluviem ſeceſſit, inibique tanquam ſepultum eſt, ſerpens tali crapula inſigniter

turgidus, adeò invalidus redditur, ut nec pugnare ampliùs, nec aufugere, nec movere se de loco suo valeat: hinc fit, ut à rusticis sive ejus loci venatoribus, solô reste circa collum adstricto, serpens tutò stranguletur & non rarò fustibus occidatur. Interemptus ita serpens in frusta & partes secatur, caroque ejus in civitates venum portatur, ubi ab incolis in expetitum palatoque gratum cibum emitur, abjecto tamen capite tanquam summè noxiô. Eorum namque dentes ajunt versus palatum vesiculas habere veneno plenas, quibus, dum mordent, ruptis in vulnus inflictum emanare virus, quod sanguini communicatum cum eo ad cor usque circulari, & tunc cor suffocari, hominemque aut quodvis animal perire. Hoc ego impugnare quidem nolo, etsi vesiculas non invenerim; quòd verò vel ipsi dentes non penitus veneno careant, sequens casus confirmare mihi videtur. Cùm ex tali serpente emto sceleton conficere animus esset, meique famuli carnes serpentis aquâ cum calce viva mixtâ in magno aheno excoquerent, accidit, ut administrantium quidam, caput serpentis à carnibus coctione liberatum mundificare studens, fortè digitum aliquem ad mandibulam serpentis & ejus dentes majores acutos faucium redderet. Hinc tumor in ista manu ingens, cum inflammatione, febre continua, delirio, amentiaque paulo post subsequebatur, nec priùs cessabant symptomata, quàm Serpentinus lapis (quem Patres Jesuitæ hîc componunt) vulneri adaptatus omne venenum extraheret, & reliqua symptomata convenientibus antidotis essent profligata. Ita ex solo dente serpentis & non vesicula quadam ejus hæc maligna accidêre symptomata, quoniam omnis mandibulæ caro decocto calcis vivæ erat eluta & à vesiculis liberata &c. &c.

Fig. II.

[*Ex literis ad D. Mentzelium Bataviæ Indorum in Java majore Berolinum missis.*]

*SCHOLIUM.*

### *SCHOLIUM.*

### Cum Obſervationibus de Viperis Italiæ & Uro. D. Chr. Mentzelii.

DE maximis ejusmodi Serpentibus, animalia integra deglutientibus, nulla eſt fabula, &c. ut ſuperiùs ad calcem obſervationis meæ de Bufone magno mentionem feci, ſæpiùs talia p. m. Illuſtr. Johannes Mauritius, Princeps Naſſaviæ &c. qui olim nomine Illuſtr. Societatis Belgicæ Indiæ Occident. diu in Braſilia gubernaculum tenuit, tanquam oculatus teſtis mihi retulit, ſimilemque caſum de muliere Belgica prægnante à tali beſtia deglutita narravit, addiditque ſerpentes hos ſuper truncos arborum ſeſe in gyros circumvolvere, ibique eminus tanquam ex ſpecula prædas advenientes obſervare, & datâ occaſione captandi animal præteriens, ſpiris ſuis ſolutis ſubitò in illud ſagittæ inſtar ruere, atq; ita animans improviſò adoriri & enecare. Patet igitur impoſſibile non eſſe, à prægnis ejusmodi ſerpentibus bubalos quoque & Uros ſuperari ac deglutiri poſſe. De ſerpentibus hiſce maximis non inconveniens hîc poſſet inſtitui comparatio cum viperis Italiæ notiſſimis. Nam quod ego cum Dn. Ottone Tackenio, qui, ut notum, ſal viperinum magno cum quæſtu ex iis parabat, Venetiis expertus ſum, forſan non omnibus erit perſpectum. Viperæ, cùm circa Euganeos & vicinos montes ineunte vere ex ſuis latibulis prorepunt, ſpoliumque deponunt, ſegnes valdè reptando inveniuntur & tunc à ruſticis capti, urceis includuntur, ac per Italiam ad Pharmacopœos pro conficiendis Trochiſcis & paranda ex iis Theriaca, venum portantur. Antequam verò id accidat, viperæ per totam hyemem ſine omni victu latitantes, famelicæ, jam ranas, bufones & quidquid ipſis eſui aptum morſu arripere poſſunt, ſimili modo, quo ſuperiùs de ſerpentibus maximis Indiarum enarratum eſt, deglutiunt, quô eſu turgidas, per annum ſine omni victu perdurare, certiſſimâ in ædibus præfati D. Tackenii experientiâ

didici. Habent præterea viperæ dentes ſuos inſtar ſerræ verſus gulam directos, quò præda morſu capta ingluviem quidem facilè ingredi, retrorſum verò minimè regredi valeat. Inter dentes eminent 4. priores reliquis multò longiores, duo nempe in ſuperiore, & alteri duo in inferiore mandibula. Hi quatuor dentes adeò ſubtiles, duri, & acuti ſunt, ut eorum acumini ſi vel omni ſtudiô digitum leviſſimè admoveas, eum absque læſionis ſenſu vix extrahere poſſis, adeò ut anceps ſit, num vulnus aculeatis his dentibus inflictum, ſive venenô inſtillatô, ſive ſubtilitate ſuâ, exitu cruori denegatô, ſive utroque modo mortalia inferat ſymptomata. Præterea, quod admiratione dignum, dentes hi quatuor utrinque ad radices (ubi veſiculas habent) articulati ſunt, ita ut viperæ rictu aperto dentes in longitudinem porrectos extendere, eôdem verò clausô, eosdem reclinatos verſus fauces reponere ceſſantur, ut Figura II. n. 3. monſtrat. Similia ferè de viperis earumq; læſione recenſet, M.D.N. Præſes in Tract. de Scorzonera à p. 105. & ſeqq. & Moſes Charas in ſuá viperarum deſcriptione, ſtatim ab initio. Urus, vaſtum prægrande & aſpectu horrendum ſylveſtrium boum genus, Boruſſiæ, Livorniæ &c. Incola, Regiomonti Boruſſorum non infrequens pugnantium cum urſis, apris &c. exhibitum ſpectaculum, cum occiditur, cerebrum ejus craniumque moſchum penitus redolere obſervatione magnâ Magni Friderici Wilhelmi, Electoris Brandenburgici, Domini mei Clementiſſimi indubitatâ conſtat.

## Ad Dn. D. CLEYERI Obſervationem, de Serpente magno Indico.

QUamvis hæc de Serpentum Indicorum ſtupenda magnitudine à teſtibus fide digniſſimis proferantur, & majori ideo non indigeant teſtimonio, placet tamen, quædam ab aliis etiam memorata hîc indicare. Utrùm verò tantæ vaſtitatis ſerpentes dentur, qui hominem integrum equo inſidentem, quod

quod ex Possidonio quidam referunt, deglutire queant, meritò dubitatur; aut saltem in monstrosorum planè ordinem tales reponendi forent; qualem fuisse est credibile Africanum illum, centum & viginti pedum longitudinem excedentem, non nisi integri exercitûs Romani conflictatione interfectum, cujus, ex Tuberonis fide, *Aulus Gellius lib. 6. Noct. Attic. cap. 3.* meminit, atque ex Megasthene *Plinius Hist. natur. lib. 8. c. 14.* Fidem autem penè superat serpens ille Norvegicus, in rupibus & cavernis penes oras maris Bergensium videndus, ab Olao Magno memoratus *lib. 21. de gentib. Septentr. cap. 43.* tam vastæ molis, ut ducentorum pedum & ampliùs longitudinem, & viginti pedum crassitiem æquaret. De Indiæ tamen Orientalis Serpentibus *Georg. Andersen in suo Itiner. Or. cap. 6.* αὐτόπτης scribit, integros homines in Javæ majoris insula ab ipsis deglutiri. In insula Ceram serpentem viginti tres pedes longum necavit *Volqu. Iversen, vid. ejus Itiner. Or. cap. 4.* in insula Ceylonica serpentes octo, novem & decem ulnarum longitudine dari, *Phil. Baldæus in descript. Insulæ illius cap. 52.* refert; in Java tamen & Banda majores esse, captumque ibi fuisse, qui magnum cervum, hîc verò, qui integram feminam deglutierat. In provincia Carajam maximos nasci serpentes, tradit *Marc. Paulus Venet. lib. 2. de reg. orient. cap. 40.* quorum quidam in longitudine decem passus, & crassitie decem palmos æquent. Quales in occidentali India reperiantur, *O. Dapperus in descript. Amer.* recenset, in Brasilia inprimis maximæ crassitiei & viginti quatuor pedum longitudinis serpentem, Boiguacu dictum, *lib. 3. cap. 4.* & in provincia Chili *cap. 9.* tantæ molis serpentes describens, ut integros homines & cervos deglutiant; quod etiam *Phil. Pigafetta, apud Joh. Fabrum Lync. in hist. nat. Mexic. pag. 787.* de serpentibus regni Congi in Africa habet, sæpè accidere, subjungens, ut cibo nimiùm repleti, quasi ebrii reddantur, & in somnum maximum quinque vel sex dies continuos durantem incidant, ita ut vel puer eos occidere valeat; qualem torporem

& somno-

& ſomnolentiam in cauſa fuiſſe eſt credibile, ut *Walth. Schulzius, Harlemenſis, Chirurgus, in Itin. Orient. lib. 1. cap. 12. & lib. 2. cap. 17.* ſerpentes illos prægrandes Orientalis Indiæ utplurimum in iſta hominum, ovium &c. deglutione ſuffocari perſuaſum habuerit. Eandem ſomnolentiam in regni Guineenſis magnis ſerpentibus etiam Batavi obſervarunt, quod ex Indiæ Orient. deſcriptione præfatus Faber memorat. Tales Guineæ maximos ſerpentes duos vidit etiam Nob. Joh. Abrah. Heintzelius, Patritius Auguſt. cùm in Africa ad Promontorium Capo Corſo dictum hæreret, plurimis Nigritis exitiales, quos non integros tamen, ſed fruſtulatim devoraverant, tandem verò magno labore enecati, quorum exuvias ſecum idem Auguſtam detulerat, minoribus Ulmam in Pinacothecam Weickmannianam delatis, majoribus verò, quæ 18. pedum longitudinem æquant, Stapelianum Pharmacopolium Auguſtæ exornantibus. Cæterùm carnes iſtorum ſerpentum in utraque India pro cibo expeti, citatus, *Joh. Lerius hiſt. navig. in Braſil. cap. 10.* Pigafetta, M. Paulus Ven. aliique commemorant. Ipſum verò deglutiendi modum, non diſcrepantem ab illo, quem Excell. D. Cleyerus egregiè hîc deſcribit, etiam propoſuit *Dapperus loc. cit. cap. 4.* ſerpentem nempe Boiguacu gyris ſuis hominem, cervum &c. fortiter circumdare, confringere, ſicque enecatum inſugendo abſumere; qui devorandi modus ſi innotuiſſet quibusdam, dubium, quod de corporum hujusmodi vaſtorum à ſerpentibus deglutiente moverant, eximere iis facilè potuiſſet.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO VIII.
## D. ANDREÆ CLEYERI,
# Nubes pyramidalis in Oceano attractiva.

IN itinere meo ex Java majore, Bataviâ, verſus Japan, ad quod abſolvendum 18. requiruntur menſes, quò ab Illuſtr.

Societate

Societate Ind. Orient. jam missus sum Legatus primarius, admirari satis non potui multitudinem vastarum Regionum, quas nave prætereunti cernere solùm, non autem ulli Christianorum hucusque intrare unquam concessum fuit. Hæ appellationes suas sortiuntur tantùm juxta liberam voluntatem præternavigantium, sæpè à locis proximè adjacentibus: & sic earum nomina perpetuò manent. Quæcunque autem ex iis haberi possunt, à piscatoribus locorum & iis quæ littora maris naviculis pervadunt, solùm acquiruntur. Hi ad nostras naves accedunt, & pisces, aves, carnes, fructus & alia pro linteis & aliis mercibus nobiscum permutant. Id autem quod in itinere hoc præsente observatu præcipuum duxi, fuit extractio vel sublatio aquæ marinæ, vi cujusdam nubis, quæ ex aëre sublimi specie pyramidis, vel exactiùs, ut proboscis Elephantis, se in mare demittit, & simul ac ipsam maris superficiem attingit, ingentem aquæ ebullitionem, qualem ex ima scaturigine fons vel æstuosissimus unquam protrudere potest, excitat. Hîc frequens aquæ absorbtio & sublatio cernitur, donec inde congregentur crassæ & pluviosæ nubes. Hoc meteoron super mare vi suâ attractivâ tanquam ambulando procedit ventorum ope, & cùm in navem incidit, eam invertere, ejusque vela abripere & instar chartæ secum abducere, aliaque damna inferre valet. A nostratibus vocatur *een Seehoose.* Remedium contra hoc malum nautæ tale adhibent: simul ac nubem conspiciunt, tormentum bellicum bis vel ter in eam explodunt: ita globis tormenti bellici & impetu ejus aëre commotô, attractio aquæ imminuitur & vis nubis frangitur.

[*Ex Literis Cleyerianis, Nangasacki, in portu Regni Japan, die 20. Octobris 1682. datis, ad D. Christianum Mentzelium.*

## SCHOLION.

SPeciem esse turbinum, qui in regionibus calidioribus circa æquatorem validissimi solent existere, & cælitùs summâ vi in inferiora deferri, ebullitio & aquarum sublatio arguit. Solent enim turbines vel in nostris temperatis regionibus levia quæque secum in altum evehere. Sic vidi in Italia turbinem in currum magnum fœnô maximopere onustum incidentem, & omne fœnum secum in aërem abripientem, adeò ut rusticus cum curru & equis maximum sustineret periculum. Ventorum istud impetuosissimum genus, quod quibusdam gentibus *Orcan* vocatur, & totas naves in altum deferre posse perhibetur, ad hoc meteoron accedere videtur. Differre autem possunt inter se Nubis præsentia, nisi Orcanus ventus etiam sit nube vestitus.

[*Author.*]

DE Phœnomeno hoc, quod Vorticem aëreum vocat Nobilissimus Dn. Author, Excell. *D. Johannes Major* in suo *de sal-nitro & spiritu nitro-aëreo*, Tractatu etiam egit, ubi non tantùm historiam ejus ac delineationem cap.XI. exhibet, sed de modo etiam, quo illud oriri putat, prolixiùs philosophatur; qui Liber cùm Eruditorum jam versetur in manibus, locum indicâsse sufficiat.

[*Luc. Schröck, L. F. D.*]

## OBSERVATIO IX.
## D. LUCÆ SCHRÖCKII SENIORIS.
### De
# Partu numeroso.

CUm in Decad. I. Ephem. Natur. Curios. Anni IX. Observ. 161. & 162. raras gemellorum historias recensuerim, aliam nunc inconsuetam numerosi partûs dare libet Observationem, qui Anni proximè elapsi 1683. die 30. Novembr. hîc Augustæ contigit; dum murarii, Jacobi Thomas,


Fig.3. f.26.

Thomas, uxor, 29. annorum, parvæ ſtaturæ & tenuis fortunæ fœmina, quatuor jam liberorum, diverſo tempore editorum, mater, in fine menſis octavi poſt ingravidationem, (gravi hac ſarcinâ abdomen ita extendente, ut propè ad genua usque propenderet,) circa horam matutinam tertiam, difficili partu puellum, pedibus ſcilicet primò prodeuntibus, enixa eſt; quem, doloribus, qui ab excluſione hac ceſſaverant, horâ nonâ redeuntibus, alius horâ ſecundâ pomeridianâ, & paulò poſt filiolæ totidem ſucceſſivè, omnes in ſitu naturali, ſine magno parturientis niſu, imò ultimi partûs ob virium delaſſationem quaſi inſciæ, exceperunt. Ipſi infantes, ſinguli ſpithamas duas longi, omnibusque corporis partibus ritè ac bellè conformati, (quorum hîc iconem ſiſto) eodem die ſacrâ Baptiſmatis undâ fuerunt luſtrati, primo Andreæ, ſecundo Nicolai, Barbaræ & Mariannæ nomine fœmellis impoſito; è quibus tamen filiola, ultimò è materno clauſtro emiſſa, eodem adhuc die fuit denata, quam paulò poſt altera itidem excepit, filiolo natu minori inſequente demum die primùm, ac denique primogenito pariter vivere deſinentibus, ſicque vitam ordine, in nativitate obſervato, inverſo deponentibus. Placenta uterina, quæ horum ſuſtentationi in utero matris inſerviit, & mox poſt partum ultimum facilè prodiit, fuit unica, quadratæ figuræ, ſpithamas duas in longitudine; & in latitudine unam cum ſemiſſe, in craſſitie verò digitos tres transverſos æquans, cæterùm à ſulcis decuſſatim per eam excurrentibus in quatuor quaſi partes diviſa, totidem nempe funiculis umbilicalibus recipiendis dicatas, ita ut cujuslibet fœtûs umbilicalia vaſa in ſeparatum & ſibi proprium placentæ angulum implantata fuerint; prout non minùs unumquemque fœtum propriæ membranæ involverant, & quemlibet partum aquæ ſolitæ effluxus præceſſerat; quo tamen non obſtante, magnam ejus portionem, quam novus aliunde factus affluxus fortè adauxerat, in uteri cavitate reſtitâſſe, indicium fuit, quòd ſeptimo demùm

mùm die copiosæ aliæ affatim effluxerint, cùm priùs subinde conquesta fuisset puerpera de molesto ventris pondere, in latus alterutrum, si quando ab uno in alterum se verteret, decumbente, & de quinto insuper fœtu latente ipsi suspicionem idcirco aliquam movente. Utrùm hîc contigerit aliqua superfœtatio? Decernere satis est difficilè, si non impossibile. In negativam enim descendere si cui libuerit, is fortè non erraverit, partim quòd omnes hi fœtus eâdem magnitudine fuerint præditi; partim etiam unica eosdem placenta sustinuerit. Attamen, ut & hoc fatear, cùm generatio hominis ex ovo, è muliebri testiculo in uterum deposito, nostrâ hac ætate tot experimentis Virorum Celeberrimorum satis sit demonstrata, atque hinc, quam nonnulli metuebant, seminum diverso tempore, tam à mare quàm fœmina excretorum commistio vel confusio, & hanc insequens destructio, sponte corruat, cur à coitu, e. gr. unâ nocte instituto ovulum tale fœcundari & ita conceptio fieri, insequente verò alterâ vel tertiâ nocte, à reiterato illo aliud dein ovulum itidem fœcundum reddi, sicque nova conceptio, vel superfœtatio contingere nequeat, nulla causa subest, siquidem hac ratione fœtus isti quatuor notabilem in magnitudine differentiam neutiquam præ se ferre, placentæ autem uterinæ facilè tum concrescere in initio potuerunt, hanc ipsam earum concretionem sulcis illis, in quatuor partes placentam qui distinxerant, quodammodo innuentibus. Ipsa verò puerpera quintâ à partu die, non tam à reiteratis toties nixûs doloribus, quàm varii, illustris etiam & nobilis, ordinis ac conditionis turbæ, ut insolitum bigemellorum partum spectaret, & angustum conclave, in quo unà cum infantulis decumbebat, strepitu totâ die replentis, aëremque frigidum, tùm temporis satis vehementem, apertâ toties januâ importunè admittentis confluxu, defatigata ægrotare incipit. Quam invaletudinem imprudens sororis, clinicæ officio fungentis, curiositas adauxerat, dum hypocaustuli frigefacti, appropin-

quante

quante nocte, pavimentum à sordibus purgaret atque elueret, mediâ insuper nocte jusculum è vino cum vitello ovi paratum, puerperæ de virium imbecillitate conquerenti exhiberet, siti etiam cervisiâ liberaliter porrectâ succurrere tentaret, sicque gliscentem jam internum calorem febrilem adaugeret. Circa diluculum pejus se habenti ut opitularer, à marito vocatus, deprehendi cordis anxietatibus, lipothymiis, ventris doloribus & insigni tumore, lochiorum suppressione, æstuque vehementi interno conflictantem. Unde mox, vitale robur quæ restaurarent, calorem internum præternaturalem compescerent, nec non naturæ motum ad lochia expellenda promoverent, idonea medicamenta præscripsi, salutari cum effectu: Deliquia quippe animi ex usurpatione Cardiacorum remediorum cessârunt, & propinato 5. d. Decembr. leni pharmaco, ut alvum retardantem officii admonerem, lochiorumque moram tollerem, utraque repagula feliciter fuerunt reserata, subductis nempe leniter fecibus, subsequente verò die sero instar loturæ carnium tincto copiosissimè profluente; ex quo & venter detumuit, & ejus cruciatus cessavit. Hoc onere levata natura, die septimo à partu, massam sanguineam, erysipelate ad ambitum corporis universi protruso, per motum criticum depuravit; quod postmodum in pustulas instar crystalli lucidas, certum venenatæ aut malignæ qualitatis signum, elevatum, dubii eventus indicium præbuit, viribus præsertim vim haud exiguam patientibus; quod tamen periculum usu alexipharmacorum, cordialium ac simul hystericorum, (utero nempe à sua immunditie nondum penitus libero existente,) habito semper angustæ rei œconomicæ respectu, præscriptorum, feliciter evaserat, gravibus istis symptomatibus non tantùm remittentibus, sed & pustulis sensim evanescentibus, relictis in pectore, (quod sæpiùs, præsertim dormienti sudore madebat,) & circa utrumque carpum ulcusculis, applicatione tamen

men Unguenti exſiccantis brevi quoque diſſipatis, & ſic ad integram valetudinem ægrâ reſtitutâ.

Fig. III.

## OBSERVATIO X.
## D. CHRISTIANI MENTZELII.
*De*
# Bedeguare Pharmacopolarum & ejus veſpa roſea.

Reperitur in Roſa ſylveſtri, Cynosbato, Cynorrhodo, *Theophr. l. 3. h. 18. Dioſc. l. 1. c. 124.* Rubo canis, Cynospaſto, Neurospaſto, *Plin. l. 24. c. 14. l. 8. c. 41. l. 16. c. 37.* muſcoſum, villoſum & ſpongioſum quid ejus ſurculis, virgulis & mediis ſpinis adhærens, quod vulgatô & inveteratô apud Pharmacopœos nomine *Bedeguar* audit; & ſuâ, quâ pollet, adſtrictione, contra Diarrhœas, Dyſenterias alioſque morbos diſſolutos, à medicis non infelici ſæpiùs uſu fuit adhitum. Quid autem ſuâ naturâ ſit Bedeguar, & veteribus & modernis, nondum ſatis conſtitit. Id tanquam fungulus, ſpongiola & excrementum Roſarum à multis fuit habitum. Et ut de vocis origine cæteros taceam autores, clariſſimus & Orientalium linguarum Peritiſſ. Vir, *Andreas Müllerus*, Eccleſiarum Berlinenſium Præpoſitus, & Conſiſtorii Electoralis Conſiliarius de eo hoc tradit: Bedegar, aliis Bedeguar, Bedeoar Luſitanis, Bedguard Tabernæm. 2, 36. Arabicè بدورد Bedevard بداورد Bedavard بداوردة Bedavarde, بداور Bedavar. *Tabernæmontano* Arabica vox. Rectiùs verò Perſica dictio, compoſita ex بد Bed. i. e. ventus & آوردن Avurden. i. e. portare: contractè بداورد Bedavurd

avurd & Bed-averd, q. d. ἀνεμοφόρητος, Herba, cujus floccos ventus Autumni tempore quaquaversum per campos portat. Unde Cardui genus, quô cameli delectantur *Diosc. 3. 14.* vel oxyacantha, leucacantha, spina alba, rhamnus, alcea aculeata aliquibus æstimatur. Alii putaverunt vocem hanc compositam esse ex بَد ventus & وَرد vard, i.e. rosa; q. d. Rosa ventosa. Unde pro Rosa sylvestri plantam habuerunt; sed falsò: secus acc. Pers. Hucusque Clariss. *Müllerus*. Verùm tamen postrema hæc deductio vocis propiùs ad Bedeguar nostrum Officinarum accedere videtur, quando pro Rosa sylvestri κυνοσβάτῳ vel potiùs pro Spongiola ista Rosæ sylv. virgis spinosis adnata, sumitur. *C.Bauhin. Pin. l.12. s.4.p.483.* hæc de Bedeguare habet: Huic 1. & 3. (Rosæ sylv. speciebus) Spongiola adnascitur, quam Plinius in Cynosbato pilulam Castaneæ similem, in Cynorrhodo Spongiolam vocat. Rosæ sylv. spongia dicitur Cynorrhodon Ang. Spongiola sylv. rosæ Dod. Spongia Bedeguaris. Ad. Bedeguar Officinis perperàm. Sed Bedeguar vel Bed-vard nostrum Rosa ventosa non ineptè dicitur, quòd ventosum sæpè idem sit quod vacuum, inane, sterile, præternaturale &c. adeò, ut pilula hæc *Plinio* similis Castaneæ, (nempe quoad exteriorem corticem fructûs) rosa ventosa, sive inanis, sterilis, monstrosa, vel præternaturale quid, cynosbati virgultis spinosis adnatum, spongiola nempe muscosa, pilosa, non absurdè vocari possit. At missâ hâc Bedeguaris Etymologiâ, observationem meam, quam habui Anno 1643. in juventute mea de Bedeguare & ejus insectis, in medium producam, cùm apud neminem reperire eam mihi contigerit, dignamque existimem Ephemeridibus nostris aceruditorum Observationibus eam interserere. Constat igitur certâ & (ut habet diarium meum de insectis) iteratâ sæpè experientiâ meâ, spongiolas has, Bedeguar dictas, nihil aliud esse, quàm ædificiolum vel potiùs matricem, in qua generatur & excluditur quoddam vesparum genus parvum, suâ for-

mæ

mæ elegantiâ, & incredibili colorum ſplendore, pulchritudini matris ſuæ Roſæ, florum ferè Reginæ, nihil quidquam cedens. Admirandus & ideò meritò æternùm laudandus ſummus eſt Naturæ Opifex, cujus Majeſtas non tam in maximis, quàm in creaturarum minimis relucet, qui ex virgulis Roſæ ſpinoſis, vel iis adhærentibus ſpongiolis muſcoſis tam formoſum prodire jubet inſectum. Eſt hoc animalculum non majus formicâ quadam majore, veſpis non abſimile, capitulô, oculis & aureis & nigricantibus præditô. Dorſum ejus ſive medius venter Ultramarinô cœleſti colore eminentior. Abdomen ſive venter imus purpuræ omni colore excelſior. Ambo colores aurum penitus reſplendent. Alæ pellucidiſſimæ, nervulis vix conſpicuis intertextis. Abdomen ſubtili aculeô armatum veſparum inſtar, quô acriter ſolet tangentis digitos pungere, ut conſtet, ſobolem hanc Roſæ pulcherrimam non minùs ægrè tactu poſſe prehendi, quàm ipſam Roſam florem ex ſpinis ſuis colligi. Placet hanc Roſæ prolem appellare Veſpam Roſeam. Formoſa hæc beſtiola egreſſa mihi eſt ex Bedeguare, quod cùm pluribus in ſcatula aſſervabam, die 11. Julii Anni 1643. Conſpiciebantur ibi multa in ſpongiolis iſtis foraminula, quæ procul dubio ſibi veſpulæ hæ pro egreſſu excederant. Omnes autem non majores in ſcatula reperi quàm formicæ parvæ, ut appoſita Fig. lit. a. (prout tunc temporis eas depinxi) oſtendit. Poſt dies aliquot egreſſas ad cynorrhodos, ſpongiolis his conſitas, reperi veſpas has circa frutices roſeos paulò majores, formicam tamen majorem non excedentes, celerrimè volitantes, nec diu in uno loco ſubſiſtentes, cynosbatos tamen non deſerentes. Antequam verò ex Bedeguare egrederentur, diſſecui ſpongiolas aliquot, ut interiora perluſtrarem, & inveni in quibusdam cellulis termites parvos, albos, incurvatos, (quos etiam Menſibus Martio & Aprili in ſpongiolis obſervavi) in plurimis autem pupulas albicantes cum capitulis ſuis exquiſitè viſibilibus, in quibus ocelli nigricantes prominebant. Sedebant autem in loculis ſuis

tanquam

tanquam embryo in utero materno, ſingulisque ex imo ventre canalis quidam ſubtiliſſimus verſus dorſum in ſubſtantiam Bedeguaris ſurſum ferebatur, ſive pro conformatione aculei, ſive, ut adferretur per eum embryoni huic alimentum, tanquam per vas aliquod umbilicale. Die 7. Julii diſſectæ ſpongiolæ embryones omnes ſuis jam cœli & purpuræ coloribus veſtitos exhibebant ut Fig. lit. c. præſentat, indiciô, quòd in cellulis ſuis eruculæ vel termites in pupulas, ex his in veſpulas perfectas transmutentur, & ita per exeſa foraminula ad auram vitalem egrediantur. Hôc factô coëunt, & ſpermata ſua, factâ prius aculeis puncturâ, in roſæ virgas immittunt, quæ ex ſolutione continui hac virgularum Roſæ humore nutritio perfunduntur, ex quo pilula ſive ſpongiola hæc piloſa excreſcit, ut in hoc Bedeguare prænominatæ veſpulæ generari & procreari poſſint. Punctiones & ſpermatum depoſitio fit Menſibus Julio & Auguſto, quo tempore Bedeguar paulatim cum ſpermate incrementum ſumit, ut ab inclementia cœli ſubſequentis Autumni & Hyemis concluſa intus ſemina tueri & futuro vere enutrire eaq; ulterius elaborare poſſit. Ita ſeſe habet Bedeguaris vulgaris & in eo Veſpæ Roſeæ generatio.

Fig. IV. p. 48.

## OBSERVATIO XI.

## D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. FIL.

*De*

# Pomis citriis monſtroſis.

Quid de Pomo citrio chiroide Venerandus noſter D. Præſes notaverit, in Anno IX. Ephem. Curioſ. Dec. I. Obſ. 3. videri poteſt. Cùm verò placuiſſe illos Naturæ luſus Curioſis, conſtet, plura alia exempla ſi oculis eorum ſubjecero, non ingratum fore judicavi. Ut autem illorum pomorum, quæ genuino nomine Limonia vo-

care solemus, atque A. 1679. satis copiosa ad nos delata fuisse recordor, quorum nempe plurima variis quidem incisuris & protuberantiis, non tamen admodum profundis prædita fuerant, ampliorem mentionem non faciam, illa solùm memorare lubet Citria, quæ nuper Illustr. cuidam Domino hîc à Mercatore oblata fuerunt, partim autem gratioso dono indè ad manus meas venerunt, diversæ magnitudinis & figuræ, quamvis, præter insignia aliquot, potiori ex parte minora exstiterint, quibusdam horum, eleganti spectaculo, scapo suo aculeato adhuc cohærentibus. Cùm verò non tam aptè describi queat mira eorum figura, selectiora in addita Tabella, Fig. V. delineari curavi; è quibus saltem, primum illud, Num. I. cuspidum suorum eminentiâ Coronam satis eleganter; tria verò Num. IV. VI. & VII. tres quasi manus, justo tamen digitorum numero carentes, præsentare, hîc indicâsse sufficiat. Ideoque illud Coronarium, hæc Polychiroidéa Citria adpellare liceret. Utrùm verò monstrosorum hujusmodi fructuum ortum artificio cuidam humano adscribere debeam, hæreo. Varios equidem hortulanorum conatus circa fructus diversimodè immutandos non ignoro, qua ratione tamen memorata Poma in citriis arboribus produci queant, non video, nec ullus, quod sciam, hactenus edocuit. Quamvis enim *Joh. Bapt. Porta Magiæ suæ natur. lib. 3. cap. 18.* modum proposuerit, quo tum casu & fortuitò, tum artis adminiculo exterior Citriorum figura, ab occursu nimirum ramorum aliorúmve corporum cedere renuentium, aut etiam ope ad id fabricatorum instrumentorum, crescentes fructus renitentiâ suâ variè comprimendo, in formas insuetas effingentium, immutetur, eandem tamen hîc valere, vix est credibile, præcipuè cùm, quod nuper Collega noster honoratissimus, D. D. Gothofr. Schulzius, Vratislaviâ ad me scripsit, ibidem pomum citrium alio prægnans deprehensum fuerit, majori illo solitam figuram servante, incluso verò altero minori dimidiâ sui parte in diversos processus abeunte;

in

Fig. 5.











Fig. 6.








Fig. 5.












in quo sanè compressio illa minoris fructûs ab exteriori aliquo duro corpore locum habere non potuit. Unde non nisi naturæ quendam lusum hîc agnoscere volo, non secus ac in Caryophyllis aromaticis haud admodum dissimilis in ejusmodi lacinias facta divisio fuit deprehensa, quam præcedens Ephemeridum nostr. Curios. Annus legendam exhibuit. Cæterùm ex majoribus illud Num. III. insignitum cùm dissecâssem, in processibus majoribus (lit. a. b. c.) pulpam copiosam acore insignem inveni, in reliquis minoribus cortice insipidam tantùm carnem investiente; quam pulpæ absentiam in cæteris minoribus Pomis etiam suspicor, eâdem utpote in illo Num. V. notato deprehensâ.

Fig. V.

## OBSERVATIO XII.

## D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. FIL.

*De*

# Pomo aurantio citrato.

QUam Citriorum pomorum raram figuram in antecedente Observatione Naturæ lusum vocare libuit, eam in præsente hoc Artis industriæ adscribere malo, dum Figura VI. Pomum exhibet, quod præmemorato Patrono meo venerando, dictis Citriis monstrosis immixtum, fuerat oblatum. Illud verò ad Aurantia quidem majori ex parte referri debet, plus quàm tertiâ tamen sui parte Citrium est; utroque arctissimè invicem connato, neque ullo conjunctionis vestigio aut cicatrice adparente, ipsam autem diversitatem corticis colore, odore, & sapore manifestissimè ostendentibus. Et dum mihi ad dissectionem gratiosè concessum fuerat, intus eandem duplicitatem exhibuit, nullam quidem conjunctionis notam præ se ferens, pulpæ tamen differentiam, præter oculorum fidem, linguæ etiam judicio comprobante. Id qua ratione, insitionis nempe ad-

miniculo, impetrari queat, idem Porta *l. d. cap. 3. & 4.* edocuit. De ſimilibus etiam Pomis vid. Acta philoſoph. Societ. Reg. Angl Num. XXIX. §. 8.


Fig. VI.

## OBSERVATIO XIII.
## D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUĆ. FIL.
## Anatome calculoſi.

JUvenis 23. annorum, poſtquam per aliquot annos militem in Bavaria egiſſet, ac diu ſtranguriâ, & intenſis, dextro præſertim in inguine, doloribus vexatus fuiſſet, tandem menſe April. A. 1682. cùm parùm ampliùs militiæ idoneus videretur, in patriam huc rediit, totus macilentus & viribus confectus, atque cùm paulò poſt in Noſocomium publicum receptus fuiſſet, biduum ſaltem ibi commoratus, 28. d. April. obiit. Hunc itaque eo ipſo die, cùm de adfectu ejus neſcio quod dubium foveretur, rogatus à Collega meo, Excell. D. D. Dan. von Veldt, loci illius Medico ordinario, diſſecui, inque veſica calculum, Fig. VII. Num. 1. notatum, quem repertum iri prædixeram, deprehendi, pondere ℥iijß. æquantem, ipsâ veſicâ præter ſolitum craſsâ admodum, cæterùm ſine ulla labe, occurrente. Dexter autem ureter craſſæ adeo ſubſtantiæ, ut vel cum aorta è corde emergente comparari potuerit, exſtitit, tantæque unà amplitudinis, ut carnoſiorem pollicem abſque ulla ſui extenſione violentiori facilè receperit; cæterùm urinâ plenus, quâ non minùs ren dexter turgebat, ſpithamam longitudine æquans, & tubulos urinarios ampliſſimos unà cum adpenſis glandulis flaccidis majuſculis in ſe recondens, quæ tamen invicem non cohærebant, ſed divulſæ comparebant, interfluente eas limpido ſero urinario. Dicti autem ureteris orificium, quod in veſicam terminatur, arctum admodum, ita ut ejus in veſicam ingreſſus nec oculis patuerit, nec ſtylo aditum conceſſerit,

unde

Fig. 7. n. 1. f. 36.



n. 2. f. 36.



Fig. 10. f. 49.



Fig. 8. f. 43.
Eruca pilosißima.



Fig. 14. f. 98.












Fig. 13. p. 95. f. 96.





unde calculus, qui ibidem ceu ad portam hærebat, Fig. VII. Num. 2. depictus, ſubſiſtere coactus fuerat, nec in veſicam delabi potuerat; ipſe verò calculus, quindecim granorum pondere, ex utraque parte, qua renem & qua veſicam ſpectabat, acuminatus comparet, intermedium ejus corpus proceſſibus nigricantibus paſſim cingentibus, non ineleganti ſpectaculo, cùm cæteroquin ipſi calculo cinericeus color inhæreat. Proceſſùm autem illorum ortum divinare non adeo proclive erit. Dominicus equidem Panarolus Obſerv. 6. pentec. 5. carboniformes calculos per urinam excretos deſcribit, non colore tantùm, ſed & figurâ ac ſubſtantiâ planè carbones repræſentantes, quos tamen non calculos, ſed ipſos carbones, errore aliquo fortuitò devoratos, & à natura, quod circa alia corpora, partim in Obſervatione 142. Anni præcedentis Eph. Cur. notata, eandem tentâſſe novimus, in veſicam detruſos, fuiſſe, videtur veroſimile. Qualis etiam mens fuerat *Clar. Guil. Fabricio Hildano centur. 5. obſerv. 51. & apud Gregor. Horſtium lib. 1. conſil. & epiſt. med. ſect. 5.* qui, cùm à Matrona Bernenſi carbones per urinam absque inſigni dolore atque incommodo, excretos obſervâſſet, eosdem potiùs cum juſculis & pane ipſo devoratos, quàm in parte aliqua corporis genitos fuiſſe arbitratus fuerat. Id tamen in illo à me recenſito calculo locum non habet; quin potiùs calculo jam formato, & præſentiâ ſuâ inimicâ ac inæquali variisque protuberantiis aſpero corpore ſanguifera ureteris vaſcula lædenti, ſanguineæ aliquæ guttulæ adſpergi & inhærere potuerunt, à ſpiritu dein lapidifico condenſatæ. Qualis fortè etiam fuit lapillus ille nigerrimus, ſubſtantiâ tophaceus, in uretere à *Clar. Theod. Kerckringio (Obſerv. anatom. 67.)* inventus, ut & quem *Thom. Eraſtus Conſil à Laurent. Scholzio collect. 103.* in corde repertum, eumque veluti lapillum quendam nigrum fuiſſe, memorat.

Fig. VII.

## OBSERVATIO XIV.
## D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. FIL.
*De*
# Testiculo in inguine abscondito.

DE Juvene, cujus in præced. Observ. mentio fuit facta, hoc etiam notari meretur, quòd unicus tantùm testiculus, sinister nempe, in scroto comparuerit, dextro cutem inter & abdominis musculos in inguine latente, adeo flaccido (qualis tamen etiam & ipse sinister propemodum exstiterat,) ut in demortuo corpore nullum sui indicium protuberantiâ aliquâ, aut ad leviorem contactum renitentiâ, dederit, vasis autem tam præparantibus communiter dictis, quàm deferentibus intra peritonæum in ipsa cavitate abdominis delitescentibus. Utrùm in hoc subjecto testiculi in scrotum successu temporis descensus sperari potuisset, qualem recensent *Petr. Marchettus Observ. Chirurg. 58. Theod. Kerckringius Observ. anat. 13. Joh. Theod. Schenckius Exerc. anat. pag. 608. & Acta med. Hafn. Bartholin. Vol. 1. obs. 106.* curavitque *Mart. Rulandus cent. 5. curat. 97. & Ambr. Paræus lib. 7. chir. cap. 16.* dubito, cùm omnes illuc viæ arctissimè ipsi fuerint præclusæ, ut sanè non nisi maximâ aliquâ violentiâ, partiumque divulsione ac laceratione perrumpere potuisset. Quamvis & sic ad subeundum matrimonium ac generandos filios habilis nihilominus fuisset. Riolanus equidem *lib. 2. Enchirid. anat. cap. 34.* testes in abdomine latitantes, sicque non in loco naturali positos, efficere scribit, ut in divortiis viri declarentur steriles; quo tamen fundamento, nescio, & contrarium probat *Paul. Zacchias Quæst. med. legal. lib. 9. tit. 3. quæst. 6. §. 7.* nec eventus aliud edocet, quo monorchides, aut testicondos nec salacitate, nec foecunditate didymis cessisse, constat; quales Ephemeridum nostr. *Dec. I. Ann. II. obs. 236. Ann. IV. obs. 13. Riolanus lib. 2. Antrop. c. 29 Fel. Platerus observ.*

*observ. lib. 3. p. m. 586. Bald. Timæus lib. 3. Caſ. med. 45. Guern. Rolfincius part. 1. de generat. dicat. partib. cap. 5. Isbrand. Diemerbræck lib. 1. Anat. cap. 21. Regn. Graafius de viror. organ. gener. pag. 9.* deſcribunt. Ut taceam, quòd *Barthol. Cabrolius obſ. 3.* ſtupratorem planè inteſtatum produxerit, utpote cui cellulas tamen aliquas ſeminales Natura conceſſerat.

## OBSERVATIO XV.
## DN. CAROLI OFFREDI.
*De*
# Hepate magno.

NObiliſſima & formoſiſſima mulier, nuper nupta M. jun. uxor, cùm difficultate reſpirationis continuâ, graviùs tamen per vices laboráſſet, ex ſynocha febre obiit: In diſſecto cadavere inventi ſunt pulmones compulſi & detruſi à magnitudine præter exemplum hepatis, ad claviculas usque quæ cùm vel caneret, ut hujus artis periſſima fuit, vel diutius cum Amicis colloquium continuaret, gravi adeo ſpiritu premebatur, ut ſuffocationis periculo, ab eodem abſtinere cogeretur; vigeſimum verò vix attigerat annum, cùm è vivis exceſſit.

[*Ex literis Patavio A. 1682. 27. Mart. Auguſtam Vind. ad Luc. Schröck. L. F. miſſis.*]

*SCHOLIUM.*

DIfficultatem ſpirandi, cum ſubſecuta temporis progreſſu ſuffocatione, ab hepate magno obortam, quod totum ferè abdomen occupaverat, ſuâque magnitudine diaphragma fortiter compreſſerat, obſervavit etiam in muliere quadam Nobil. D. Dominic. de Marchettis, eundem effectum ſemper magnitudinem hepatis ſubſequi, Anatom. p. m. 42. animadvertens. Quod licet utplurimum ita ſe habere negari nequeat, non tamen ſemper accidere, exemplis contrariis facilè

facilè evinci posset: Optimâ inprimis sanitate præditam, vastæ molis hepar in corpore alentem feminam describit *Henr. Salmuth cent.1.observ.21.* Neque de illa difficultate conquerebatur puella Augustana, cujus cadaver A. 1682. 13. d. Novembr. apertum fuit, quæ plurimis aliis calamitatibus obnoxia, atque inprimis ex ischiade miserè claudicans, atrocibus insuper per aliquot annos doloribus & stranguriis confecta & emaciata, anno ætatis decimo septimo obiit, hepar ingens oculis exhibens, quod mole suâ non diaphragma tantùm & pulmones sursum truserat, sed ventriculum quoque ad latus sinistrum omnino compulerat, eumque ipsi situm impresserat; ut sinistrum ejus orificium, quod aliàs superius vocare solent nonnulli Anatomici, situm illum superiorem quidem habuerit, dextrum autem, sive inferiùs aliàs dictum, revera directè ipsi opponeretur, & inferiorem situm occuparet, fundo lienem versus sursum adacto.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XVI.
## D. JOH. de MURALTO.
*De*
# Locusta viridi majore, Hewströffel.

HÆc herbido virente colore, lineâ solùm spadiceâ per dorsum, pectus, & verticem superiùs ductâ: Inferiùs alvô & postremis pedibus, lineis pallidis binis insignita, splendebat.

*Caput* oblongum equi instar prona spectabat, & *scuto rotundo nasali* sub *frontis scuto* prominente, mobili, instruebatur: *scutum* hocce obtegebat *Osculum*, *chelâ* duplici dentatâ instructum. *Dentes spadicei* erant coloris, in fine apice acuto reflexo; reliqui molares censebantur. Sub priore hac chela *alia* reperiebatur ad se invicem complicabilis, triplici

*spinâ*

*spinâ dentatâ* insignis. *Maxillæ* inferiori latæ, subrotundæ, *lingua* crassula subrubens innectebatur. *Mystacem* gerebat ad chelas hispidum, virentem, triplici articulo mobilem, & *barbulam*, s. setam totidem articulis plicatilem simplicem, utrinque hispidulam.

*Antennas nodosas*, prælongas, sensim attenuatas, pallescentes, mobiles in vertice tenebat. *Oculi prominentes* nigrum punctum è profundo repræsentabant.

*Scutum dorsi* oblongum firmiter sibi innexos *pedum* anteriorum musculos tenebat, quos utrinque *vasa spiritalia* seu tracheæ niveæ adeò insignes perreptabant, ut naturæ Artificem stupendum & ingeniosum quivis miretur: Hinc ordo P*edum primus* exurgit brevior, *femoribus* obscurè punctatis, & profundè sulcatis, *tibiis* spinosis & *extremitate* sub hamo duplici, *corculô punctatô pilosô*, *geminâ papillâ* & *quadratâ protuberantiâ* vestitâ. Sub hoc *alter ordo* ejusdem conformationis adest: *Ultimus pedum ordo* quàm longissimus est, atque ad saliendum aptè compositus, spinosissimus, punctatus & sulcatus, *tendinibus* robustissimis firmatus.

*Alas habet* utrinque duplices, per quarum medietatem *costa viridis* insignior discurrit; *priores alæ* ab ordine pedum secundo originem sumunt; *posteriores à tertio: alæ hæ* plurimùm à prioribus differunt, propemodum enim complicatæ, & albicantes cernuntur, nullis plexibus reticularibus, sed transversis lineis intercostalibus albidioribus observatis; insuper & ampliores, & tenuiores existunt.

P*ectus elatum* angustius est, superiùs duplicem *spinam* commonstrans dentatam; inferiùs autem *geminos utrinque apices* denticulatos.

*Venter insignis* est, octo *annulis* sulcatus, & duplicem *caudam*, murium instar pilosam, parvam, nactus, inter quam *triplex papilla* mobilis hirsuta cernitur. Ex alvo *apex* duriusculus instar gladii longus duplex egreditur.

*Vasa spiritalia* nivea per integrum abdomen disseminata,

 & inter

& inter alvinos annulos, atque intestina affabrè convoluta fuerunt.

Ab Oris ductu internè reperitur *fistula primi* ventriculi, deinde *Nodulus* velut in gryllo, internè planè dentatus, & sulcatus ventriculus alter, hinc duæ *appendices* intestini, sive tertii ventriculi cavitates, & tandem *intestinum rectum*. Præterea *ductus Smaragdini insignes* per tracheas niveas dissèminantur: *Ossicula sex intra* pectus musculis innexa, ad pedum stabilimentum præstò sunt.

## OBSERVATIO XVII.

### D. JOH. de MURALTO.

*De*

## Locusta viridi majore alia.

HÆc *ventre* flavo prædita est, octo *annulis* sulcato, quorum singuli in margine *duo puncta* nigricantia gerunt; *Cauda* hinc duplex ut murium egreditur. *Dorsum* decem vaginulis subintrantibus viridibus, ex utroq; latere obscurè punctatis, & binis *appendicibus* brevibus constat. *Alæ* breviores sunt quàm in priore Locusta: *Superiores* ramificationibus insignes, sibi adaptatæ, nigris punctis juxta longitudinem in margine consitis: *dextra ala in sui* exortu *speculum transparens* commonstrat, quô excipitur *ala sinistra* superior admodum molliter, ne costæ in complicatione earum motui obstaculo sint; hæc est illa *scapularum commissura*, quâ stridorem edunt.

*Ventriculi* in hac quoque plures, inter quos *nodulus denticulatus* & sulcatus, ruminationi inserviens cernitur. Cætera cum priore sunt eadem; vide Aldrovandum & Jonstonum de Insectis vaginipennibus & Locustis.

OBSER-

# OBSERVATIO XVIII.
## D. JOH. de MURALTO.
### De
## Blattâ, Brodkäffer.

INſectum eſt vaginipenne, magnitudine ſcarabæi crocei, capite, pectore, & ventre nigris, Dorſo verò ſive Vaginis initiò caſtaneis, in fine obſcurioribus, cruſtoſis, punctatis, hirſutie cavâ aſperis.

*Caput habet* ſubrotundum, ex candido *collo* macula ſubrubra oblonga utrinque ad articulationem apta prominulum *valdè mobile*: *Oculos* prominentes nigros, ſpeculares: *antennas ſpadiceas*, tribus geniculis mobiles, adjuncto in extremitate *ornamento trifido* plicatili, plumeo. *Oſculum* è chelis dentatis, *Linguâ plumeâ*, *Myſtace exiguo*, geniculato, & *ſcuto naſali* componitur, *Pedes ſeni* nigri, hamati conſpiciuntur.

*Alvus* ſex annulis ſulcari poteſt. *Alæ ſub* vaginis deliteſcunt complicatæ, nigris coſtis inſignioribus expanſæ. *Penicellus mobilis* è folioſo receptaculo ano exprimitur. Inteſtina excrementis nigris ſcatent, carnibus corruptis & pane veſcuntur, atque cum *Erucula carnium piloſiſſima*, quam noſtrates ein Schab / Fleiſchmaden vocant, magnam affinitatem habent, imò ex iis generantur: Hæc autem *Eruca* eſt exigua, hirſutiſſima, *duodecim annulis* ſplendidis, cruſtoſis, in dorſo ſubrubentibus, in ventre palleſcentibus ad corporis flexibilitatem veſtita: à penultimo annulo duo *cornicula* juxtà ſe invicem eriguntur: in dorſo *pili ſunt* breviores, ad latera longiores, & magis rigidi, ut corpus ſupinum iis incumbi queat: intrà tres priores annulos *ſeni pedes hamo ſimplici* inſtructi, carnoſi, ad corpus complicabiles exeunt. Sex utrinque puncta in capite oculorum loco conſpexi: *excrementa* egerit ſubpallida, & *ova* in *catena diſpoſita* ponit, è quibus ceu è *chryſali-*

*dibus* minima insecta *pedicularia albida* cum *antennis* longis, & *oculis* prominulis celerrimè currentia egrediuntur. Cæterùm Erucæ hujus *osculum exiguum* cum verticillatis brevioribus *antennis* visitur: exuvias aliquoties in anno deponit, effigies per microscopium depicta videatur

Fig. VIII.

## OBSERVATIO XIX.

D. JOH. de MURALTO.

*De*

# Forficula, Ohrenmügeler.

INstar Scorpionum *cuniculos* quærit, & retrograda est, *senis pedibus hamatis* instructa: *antennæ sex nodos*, & *venter octo* subintrantes annulos habet: *Cauda bifurcata* est, & punicea, cava, liquorem flavum fundens. *Theculas alarum* gerit nigro margine conspicuas; *alas nullas* observavi. *Mystax articulatus*, & *osculum forcipatum*. Nasi *duæ protuberantiæ* adsunt: Oculi *nigri speculares; alvus mirè mobilis* instar anguis contorqueri potest. *Excrementa nigra* per appendicem obtusum intra forfices ani existentem deponit.

## OBSERVATIO XX.

D. JOH. de MURALTO.

*De*

# Cantharide I. Aldrovandi, quæ in Rosis reperitur, Goldkäffer.

MAgnitudine ad Scarabæum majalem foliaceum accedit, *dorsi* integri color viridis auratus est, splendensque insigniter: *venter* & *pedes* hirsuti ex rubro & viridi ut cuprum nitent: *crustosum* est hoc insectum, nec ulla mollis particula in eo tangitur; dum ambulat, interpositâ

positâ quiete, mox gradum accelerat, mox remittit eundem, & caput quandoque pectori admovet.

*Caput* pro proportione exiguum est, *scuto smaragdino* punctato prominente tectum: è medio scuto utrinque *oculi nigricantes* speculares protuberant, cum *antennis* geniculatis, nodosis, *ornamento simplici* plicatili in extremitate instructis. *Mystax parvus* geniculatus osculo utrinque adstat, item & *articulatæ forficulæ* ad apprehendendum aptæ. *Lingua plumea* duplex ore exseritur. Inter *oculos* & *antennas* utrinque *Processus à scuto capitis* orbitæ locô notatur. *Mentum barbatum* est, & *speculo quadrato* collum insignitum. *Scutum pectorale* planum oculo cernitur, sed microscopio punctatum viride visitur, Pectus *repletur tracheis niveis* spiritalibus, & anteriore parte de se emittit *pedes priores*, *femoribus* pilosis, *tibiis* obtusè denticulatis latiusculis, *pede proprio* articulato nodoso, & spinosis *processibus* donato, in extremitate *hamis hærentibus duplicibus*. Ablatô Pectoris scutô, antequam ad vaginas alarum devenerim, *nivea vascula* egregiè *pulsare* conspexi, unam, alterámve bullam ab eodem pulsu excitari, & liquorem limpidissimum effundi. *Vaginæ alarum* corticales sunt, foris intensè virides splendentes, punctatæ, intùs cavæ, nigricantes, locô quô dorso attextæ fuerant, *triangulus* cernitur, *apice viridi*, basi subrubrâ splendente auratâ. *Alæ* complicatæ sub vaginis aderant, *quinque costis* spadiceis insignioribus expansæ: *fibræ* alarum non reticularis sed texturæ oblongæ fuerant. Complicatio alarum fit per *articulum* in costa extrema conspicuum, quô mediante ad *formam unguium* duorum pars alæ inferior subingreditur partem superiorem. *Dorsum sub* alis octo *annulis* sulcatur mobilibus, & utrinque ad modum commodiorem in *longam lineolam* secatur. Sub triangulo *splendens cavitas* est, quæ *tracheis in ordine* dispositis cincta movetur. Anteriùs Pectori adstat *nodosus & aureus* apex, juxta quem *alter pedum* ordo producitur, & sub hoc apice *ordo tertius*, ejusdem fermè structuræ cum ordine pri-

 mo.

mo, nisi quòd in fine tibiæ duplex, non simplex spina emittatur.

*Alvus sex annulos* aureos rubentes habet, ad divisuras s. sectiones dorsales usque continuos: ex ultimo annulo, reclusâ vulvâ membraneâ seu *ovario* transparente, plura *candidissima ova* extruduntur.

*Ventriculus* & *intestina* simplicem & rectum ad anum usque ductum tenent, atque *nigricante stercore* repleta sunt.

Præ cæteris in hoc Scarabæo *mirandum ordinem & structuram trachearum* s. vasculorum spiritalium cum *valvulis* s. nodis vidi, in quibus *erat vita, motus, aër &c.* Deinde *Pectoris os triangulare*, ut in Cervo volante, carnem filamentosam compactam suffulcit, ac undique aërea hæc vascula sobole numerosâ carnem eandem adeunt.

## OBSERVATIO XXI.
## D. JOH. de MURALTO.
### De
## Cantharide viridi χλωροχρύσῳ.

HAnc notavi toto corpore instar *Turchesiæ gemmæ* è cœruleo virescentem, instar scarabæi liliacei stridentem, sed multò majorem.

*Caput terram spectat*, *frons planus* est, *chelæ duæ* nigræ, fortes, latiusculæ, tenuissimè denticulatæ & secantes ori adstant, quibus varia insecta enecat. *Lingua spadicea* plumosa duplex ore exeritur: duplicem habet quoque *mystacem* geniculatum, nodosum complicatum, longiorem *superiorem*, *breviorem* alterum. E medio *oculorum specularium* nigerrimorum eriguntur *Antennæ s. Cornua* itidem dilutè viridia mobilia, *novem nodulis* nigris articulata, sensimque attenuata: abruptô capite à scuto pectorali, sub aspectum veniebant *duæ tracheæ cavæ insignes* cum niveis ramusculis pluribus, iisque

iisque mobilibus. Hîc loci egregiè causam *stridoris* notavi; *Moto nempe scuto pectorali super nigram eminentiam, quam circumdabat, facto attritu duorum horum corporum, stridor talis exactè percipiebatur, qualem in vivis quoque capite nutando edebat animalculum:* nigra hæc eminentia stridorem causans *duo puncta* albicantia gerit. A scuto autem pectoris viridi punctato anterius producuntur *pedes priores* hirsuti, *femoribus* crassioribus, *tibiis* longioribus & tenuioribus, *pedibus propriis* tribus nodositatibus articulatis, quarum nodositas *postrema finditur*, & *hamus duplicatus* insignis & fortis, ex fissura emittitur: eandem conformationem quoque tenent *pedes reliqui. Vagina alarum* quævis inter puncta nigricantia *tres insignes maculas* nigras gerit, quarum *margo* pilosior est: reconduntur sub iis *nigricantes pellucidæ alæ quatuor costis* obscuris extensæ, in medio implicitè complicatæ, *mirâ* εἰς ὄνυχα *articulatione:* textura alarum non est reticularis observabilis, sed *instar vitri* Veneti tusa. Sub alis *scapulæ sunt crassæ*, cum virescente in summo triangulo. Dorsum *septem sulcatur annulis nigris*, punctis viridibus: *Apex annuli postremi* virescit plurimùm, & pilosus est, inter ultimum & penultimum pedum ordinem *protuberantia* durior cernitur, femora suffulciens, per medium ductâ lineâ nigrâ. *Annuli alvini quinque notantur* ad subingrediendum apti.

Pressâ alvô *excrementum* decidit flavum; & *filum intestinale* oblongum viscidum, hispidumque cum apicula duplici spadicea prodit, medietate intra alvum servatâ: hinc & *ovarium ovulis oblongis candidis* pluribus fartum extrahitur.

## OBSERVATIO XXII.
### D. JOH. de MURALTO.
### Cantharis miniata 3. Jonst. Hist. Nat. p. 40.

Cimex *sylvestris* ab Authoribus vocatur, *latum est* animalculum *minii* colorem habens, in *dorso* quatuor, in *scapulis sex*, in *capite* binis nigris lineis ornatum, in *ventre*

*ventre verò* punctatum. *Alæ duplices* unicæ includuntur *vaginæ crustatæ: superiores* ad *dimidium cinnabarinæ*, nigro margine pictæ, reliquum verò fuscæ existunt, *costis* insignibus expansæ. *Inferiores* raræ texturæ, nigris costis extensæ breviores cernuntur, inter has costas *præcipua rubescit*. *Caput oblongum*, sed exile est, è lateribus duos insignes & prominentes *oculos* gerens, *antennas* habet cylindricas, nodosas, longas; *quatuor geniculis* mobiles: anteriùs *ore emittitur aculeus* quatuor nodulis subnigris elongatus, hujus extremo apici medio *pilus inseritur* ad eliciendum alimentum aptissimus.

*Pectus gibbosum* est; *alvus septem* latiusculis vaginulis sulcatur, & fimbria in margine nigris ac miniatis punctis picta notatur. Ex *alvo pressa* egreditur *duplex forficula* spadicea. *Sex pedes adsunt nigri*, geniculati, & parumper hamati, spinosi.

## OBSERVATIO XXIII.

## D. JOH. de MURALTO.

# Papilio flavus.

INsecti hujus *Alæ quatuor* membraneæ, luteæ, farinaceæ, æquabiliter contextæ, pluribus in margine, aliquibus in medio tantùm, iisque punctis exiguis nigris ornantur, costisque subviridibus extenduntur. *Antennæ sunt duæ* è vertice surgentes miniatæ, verticillatæ, in fine crassæ, in basi tenues: rubet quoque *pluma capitis* & colli à parte postica: *Oculi splendentes* coloris castanei & innumeris speculis rhombum referentibus conflati sunt, per quos *nigricantes maculæ* transparent.

Intra hos oris locô *pallescentes plumæ duæ eriguntur* artificiosè admodum fabrefactæ & sectæ, recondentes *apicem arcuatum longum*, prætenuem, sulcatum, & duplicatum, imò & cavatum, quo ceu linguâ & osculo utuntur. *Pectus* gibbosum est, hirsutieque asperum, in *scapulis* griseum, in parte

*anteriore*




Fig. 4.
f. 32.
a
c
b


Fig. 9.
f. 49.


Fig. 15.
f. 99.

*anteriore* flavum, ab eo utrinque *pedes tres egrediuntur* hamati & pectori adplicati. *Alvus septem* sulcatur annulis, hujus extremitas è *duobus laminis* s. foliolis sibi junctis composita est: pressâ eâdem *intestinula* cum *nodulo stomachi vicem supplente* (velut in Ruminantibus) cernuntur. Secui quoque *Papilionem alium* crasso ventre è Cinereo albicantem, hirsutissimum, qui *ova* velut in *catena* prælonga connexa plurima tenebat, pallida, margine superiore candicante; Vide Eruculam Carnium: Secui *Papilionem versicolorem* iisdem visceribus præditum, cujus elegantem picturam adjungere volui

Fig. IX.

## OBSERVATIO XXIV.

### D. JOH. de MURALTO.

*De*

# Violâ luteâ cum Phryganio.

FOliis Salviæ firmiter inhæsit *Phryganion senis pedibus* splendentibus nigris, è quo prorupit *pallidum* subrubrum & subrotundum corpusculum aptè complicatum, cujus *alvus* crassior, *novem annulis* sulcabatur: in fine annuli primi & capitis utrinque duo observata sunt *puncta nigra*, aderant anteriùs *oculi*, & juxta eos *osculum cum appendicibus* binis: *Pedunculi sepulti intra* aliformem crustam jacebant. Insectum hoc è Phryganio exiturum firmissimè adhærens *alvo* in salvia, & fœniculo reperi, *senis pedibus* atris variegatum; transactô triduô, *Viola*, *insectum luteum* vivum, *punctis in vaginulis* nigricantibus, *latiore mystace*, effractô phryganiô, erupit, hujus figuram adjunxi.

Fig. X.

## OBSERVATIO XXV.
## D. JOH. de MURALTO.
*De*
# Pulice campestri, Herdflohe.

INsectum alatum parvum, lentis magnitudine reperi in hepatica fontana, cujus *caput scutatum*, & squammatum erat, binis utrinque *oculis* in margine exiguis, cum *antennis simplicibus*, *osculum pectori* incumbebat, cum *rostello simplici spatiolo inter pedes medio reclinato*: *ultimus pedum ordo* cæteris longior erat, ad *saltandum aptissimus*, *ordo verò medius* & primus minor erat & brevior; omnes *hamati & circa tibias* spinosi; *alarum costæ albicantes* fuerant, *superiores* quidem obsoleti, *inferiores* albidi coloris. *Alvus decem annulis* sulcatur spadiceis; *duæ in ano appendices* extiterunt.

*Simile insectum* non quidem alatum, sed subsultans reperi in Buxo viridi, *punctis nigris conspersum*, *cui oculi* utrinque ad *capitis scutum* pallidi erant, *rostellum oblongum*, & *antennæ articulatæ*, ut in præcedente.

## OBSERVATIO XXVI.
## D. JOH. de MURALTO.
*De*
# Perla Ribesiorum.

PErlam exiguam in Ribibus notavi obsoleti coloris, grisei, admirandæ texturæ: nam *Caput* habebat *triangulare*, cinereum, cujus basin, seu partem præcipuam anteriùs constituunt duo *oculi Smaragdini speculares* protuberantes; intra quos recta *duo cornua surgunt*, *duodecim verticillis hispidulis mobilia*. *Os hinc* ex oblonga *papilla apice* donata prætenui egreditur: juxta id utrinque duæ *probo-*

*scides*

*scides, tribus geniculis oblongis* articulatæ, & velut in *araneis ad Osculum complicatæ*, hispidulæ surgunt, intra proboscides has *maxilla forcipata* & *labium* inferius pilosum *papillam* oblongam & cavam aptè claudit, usque ad apicem prætenuem.

*Thorax gibbosus* & tuberosus est cinereus: anteriore ejus parte *sex pedes*, *quatuor articulis*, & hamo *duplici* oriuntur. Posteriore *alæ erectæ* duæ *sex costis* cartilagineis extensæ, in fine plicatiles oriuntur. Ad *Dorsi extremum* utrinque *appendices geminæ grisei* coloris eriguntur, *globulum in extima sui parte sustinentes*: *Alvus decem* annulis variegatis albis & obsoletis sulcatur: *ex ano duplicatus apex* castanei coloris emittitur, apprimè ad invicem complicabilis: *Ova nigra, cortice duro splendido* inducta secernuntur.

*Masculus particulam in ani* extremo habet mobilem, duplici folio spinoso, & denticulato fine instar vulvæ præditam: quâ *penicellum* seu apicem fœmellæ comprehendit.

Ex alvo masculi educitur *filum spadiceum*, instar prætenuis vermiculi.

## OBSERVATIO XXVII.

## D. JOH. de MURALTO.

# Aranea vulgaris, vide Hoockium in Micrographia Observ. 47.

PRæter ea notavi, *quatuor oculos* in quadrangulo positos nigros rotundos, araneam in fronte gerere. *Osculum latum chelis* in *superiore maxilla* dentatis, in fine *hamo adunco* simplici tenuissimo donatis instructum est, cui accedunt *forcipes maxillæ inferioris* Cancrorum instar denticulatæ.

*Antennæ binæ* tribus articulis geniculatæ, & hamatæ, spinosæ versicolores, *manuum locô* sub ore exeunt.

*Sex pedes* diversimodè punctati, *gemino hamo* instructi, spinosi

ſpinoſi, è *femore*, *tibia* & *extremo* pede conſtantes, juxta ſe invicem è pectore producuntur. E filo pectoris *alvus craſſula* gibboſa punctata procedit, ovulis & muco impraegnata: ex *ano filum* ducitur.

## OBSERVATIO XXVIII.
## D. JOH. de MURALTO.
## Bombyx. Vide Malpighium: quæ ego cum amiciſſimo Wagnero noſtro notárim, paucis referam.

C*Aput ejus* ſubrotundum eſt, punctatum, piloſum. *Oculorum* locô quatuor utrinque nodulos, juxta ſe invicem poſitos, gagatis inſtar nigerrimos gerit, *quintus autem oculus* ad *ſcutum naſale*, in angulo *antennarum* reconditus eſt.

Ad oculum primum producitur utrinque *antenna è vaginula* albicante prominens, ſpadicea, in extremitate piloſa, *duobus nodulis* albicantibus articulata, quibus intro vaginula ad objecti improportionati præſentiam recondi poteſt.

*Scutum Naſale* in triangulum capitis anteriùs deſinens, quod transverſam ſquamam poſſidet, viſitur. In fine hujus trianguli *maculæ quatuor obſcuriores* notantur. Sub ſcuto naſali *chelæ denticulatæ latiores*, apicibus ſex nigricantibus complicantur; ſub his *Myſtax menti locô* prodit, minimus, ibidem *vaginulis recondi aptus*. Ex oris *proprio tubulo*, à gula diverſo, ducitur *Sericum*.

Sub mento *appendix inſtar barbæ* hirſuta conſpicitur: à lateribus hujus appendicis utrinque aliæ *antennulæ nigricantes* minimæ, prodeunt. *Collum flaveſcente* margine incipit, atque ex annulo primo conſtruitur, à poſteriori loco lineâ rectâ, ad latera verò maculis binis nigricantibus veſtitur: *piloſum eſt*, juxtaque *par primum pedum* foramen circulo *nigro ſplen-*

*splendente* cinctum utrinque repræsentat. Post Collum *Thorax gibbosus*, rugosusque cernitur, nigris punctis, brevioribusque pilis conspicuus maculæ binæ obsoleti coloris thoracem terminantur.

Anteriùs in collo & thorace *tria pedum paria flavescentia* geniculata, è basi densiore in apicem *simplici hamo* præditam terminantur. *Hamus acutissimus est*, coloris spadicei, incurvatus. Cæterùm *pedes pilosi sunt*, horumque articuli *nigris fimbriis* distinguuntur. Tota corporis *longitudo* novem annulis sulcatur, seinvicem aptè ingredientibus. In fine annulorum *foramina* nigro margine cincta reperiuntur, *spiritalia* dicta. In *Dorso annuli tertii* duo signa literæ *C.* seu semilunaria flavescentia reperiuntur. In *sexto annulo signa subcærulea* minora literam *C* referentia adsunt. Ad annulum *nonum* in dorso surgit *caudata appendix* perspicua, hirsuta, è virore flavescens.

*Priores pedes*, cùm terminentur intra foramen spiritale secundum, reliquos post se relinquunt circa foramen quartum eductos, crassos, spinosos, pilis albis conspicuos, & instar φιλανθρώπȣ *herbæ spinis in corona consitis* & ad adhærendum aptissimis munitos, terminanturque ad foramen spiritale antepenultimum.

In fine totius corporis itidem latissimi omnium *pedes duo*, quibus corpore erecta stare potest hæc Eruca, conspiciuntur. Intra pedes hos anteriùs *Clunes hirsutiores* cum *ani hiatu* notantur.

A *Gula ad anum* usque per omnia *intestina* reperta sunt foliola mori, sensim magis digesta, *humore tenacissimo* mixta; *forma excrementorum oblonga est*, sulcata nodosa, & conglobata instar fructûs mori, subviridis. Utrinque ad collum interiùs *Lymphatica* sparguntur, è quibus ducitur *glutinosa lympha*, successivè in sericum abiens. Lympha hæc per *fistulæ intestinalis* superficiem defertur, *ductibus propriis* inclusa, qui in *plures canaliculos* insignes *ad regionem* stomachi dispescun-

tur, quô in loco undique numerosissima *vasa spiritalia*, nivea, aëre plena, cernuntur: tam *facilè* autem hæc *lympha* in stomacho *coagulatur*, ut derepentè ab aëre frigidiusculo incrassetur: *Foraminibus* hisce spiritalibus *utrinque valvula præposita* est, ut aër semel ingressus, humorem in lymphaticis coagulet, nec egredi possit; hujusmodi foramina notantur *in Lampetra* minima pisce, qui sugendo sese sustentat.

Quàm levissimè vulneratâ cute *liquor flavus*, aquosus valdè, & copiosus secernebatur, qui dum adhuc intrà canaliculos suos latitabat, stagnatione consistentiam, coloremque acquisivit talem, qui in longum *ductus*, *fila sericea*, propè osculum flava, ad anum verò albicantia, exhibuit.

Utrinque juxta intestinorum ductum rectum, simplicemque complicata duo *vascula aurea*, transparentia, admodum glutinosa in longitudinem totius animalis deducta, lumbricorum instar conspeximus, quorum altera extremitas *juxta Oesophagum* implantatur, altera verò in *apice dorso incumbente* terminatur.

Notavimus itidem è spiritalibus foraminibus non aliter, atque ab intestinis humanis ad Mesenterium derivari *vascula ad ductum intestinalem* Bombycis, aëre *plena*, *trifidâ ramorum serie*, ut semper ramusculus spiraculi superioris, surculos ad spiraculum inferius demittat, & insimul annulos suffulciat: Vascula *hæc spiritalia* coloris sunt obscurioris, quæ verò nivei coloris sunt, hæc per *intestinalem fistulam*, ut & sacculos *sericeos* quam copiosissimè disperguntur, adeò ut existimem (salvâ aliorum opinione) hunc in modum Serici generationem, Naturâ monstrante viam, fieri.

*Succus Mori foliorum lentus in Bombycis stomacho digestus, ex intestinis per vascula albicantia sub chyli forma quaquaversum dispescitur: accedente per spiracula aëre vitalitatem acquirit, ut bombyx aliquanto tempore exinde nutriatur; cùm verò magnitudinem acquisivit justam, mutatis variis exuviis vesci desinit, quô tempore chylus lympham quandam aureo colore*

*fulgentem*

*fulgentem in adjacentia utrinque vascula vermiformia deponit, quæ alteratur & admodum glutinosa redditur, turgens vomitu quasi sparso glutine vel parietibus adhæret, in fila prælonga deducitur per dies aliquot, usquedum nempe collecta hæc lympha pallida superabundans evacuata fuerit: vel sibi relicti bombyces nidos seu domunculos è serico efformant, more aliarum Erucarum, ibiq; in Aurelias vertuntur, mirè infantis effigie complicatas quiescentes, donec domunculo ab adversa parte humectato, atque præmorso egrediatur Papilio albus hirsutissimus, innumeris ovis scatens, & post congressum eadem parietibus aut domunculo aspergens.*

## OBSERVATIO XXIX.

## D. JOH. de MURALTO.

## Milvus, cum amicissimo Wagnero nostro examinatus.

Milvi figura exterior æmulatur *Falconem* in Clave descriptum. Hic *jam suffocatus*, *sibi* relictus, spiritû ori inflatô, ad *semetipsum rediit*.

*Venter infimus pinguedine fartus erat.*

*Hepatis duplicaturam* s. binos lobos distinguebat sub *diaphragmate mediastinum*, s. paries membranaceus interstitius à *scuto pectorali* & *pleura* productus.

*Vesicula bilaria*, *bile porraceâ plena*, circiter ulnæ quadrante *cholidochum ductum* comitabatur *duplici egressu* in intestinum.

Ad ventriculi *latus dextrum glandula subnigricans* reperta est, pinguedine stipata, cui particula *Pancreatis* adhæsit.

In initio *intestini recti* duæ *appendices vermiformes* notabantur, admodùm exiguæ, quæ locô appendicum cœcarum insignium adsunt.

*Sesqui-*

*Sesquiulnam æquabat longitudo intestinorum: Hæc fibris* à frigore contractis admodùm *dura* evaserunt.

*Ventriculus Pyriformis* erat, cujus membranâ primâ demptâ, quæ carnosior est, *plexus aderat locô Oesophagi glandulosus*, integrum Oesophagum ambiens: glandulæ hæ instar *ovulorum carneorum exactissimè* configuratorum, & perspicuorum erant.

*Renes in Lumbis* profundiùs latitabant.

*Lienem nullum observavi*, nisi *glandulam* in dextro ventriculi latere positam, pro ipso accipere velis.

*E renibus* vasa *candicantia quædam*, s. nervi ad ani extremitatem veniunt: itidem *vasa sanguifera*: ut & ureteres *in podicem* abeunt.

*Renes succenturiati* oblongi, utrinque renibus adstiterunt.

*Diaphragmatis locô membrana* tenuissima est, *Cor* involvens.

Sub tali Diaphragmate *Pulmones latitârunt* floridi, cavernosi, spatiola costarum subintrantes.

*Cor oblongum* est, binis ventriculis, totidemque auriculis, & artificiosissimè *valvulis XII instructum*. Sub semilunaribus valvulis transitus est, *in Cordis coronarias*, hinc ipsam Aortam.

*Inflato aëre in asperam arteriam* propè pulmones dissectam, exactè perceptus *est sonus*, quem avis hæc viva edebat.

*Musculi pectorales* crassissimi *alas fortiter* movebant: *Insignes item tendines suralium* musculorum reperiebantur.

Detractâ pelle *capitis*, *Organa auditûs pulchrè* apparebant, videlicet *tympanum* cum transparentibus *per illud ossiculis*.

*Oculi prægrandes intra* orbitam membraneam spectabiles continebantur, qui *instar cornu duram Corneam* tenebant, *humoremq́ crystallinum* mirè protuberantem.

In *Cerebro* præter *protuberantias* varias notavimus *insignem*

*gnem Glandulam pinealem*, in ejus meditullio repoſitam, à cujus parte anteriore & poſteriore *quatuor radices medullares in glandulæ ſubſtantiam abſumptas, cum, &abſque* Microſcopio conſpeximus. *Radices hæ medullares è pluribus filamentis nerveis in unum funiculum congregatis conflatæ ſunt; anteriores* quidem è protuberantiis anterioribus, *poſteriores* autem radices, è protuberantiis poſterioribus ſuos nervulos acceperunt, ut certò certiùs ſit *Glandulam, hanc nervis omnibus in compendio junctis ſuffulciri, in eaq; ſpiritum puriſſimum, ſubtiliſſimum maximè mobilem, & ſerenum reſidere, qui in homine mentis diſtantis Imperium fideliter exequatur.* Neque me deceperunt, *uti nonnulli in publicis ſuis ſcriptis putârunt*, vel *pars medulloſà*, ſuis candidis *ſtriis transverſis*, utpote quam ſeorſim ſub *natibus* conſpeximus, vel aliud quiddam, quod ductum nervorum non immediatè conſequatur: nulla eſt abſurditas, dicere: *Animam ſuis præcipuis operationibus in Cerebro, & imprimis in ejus centro reſidere*, utut ab Anatomicis nominetur: poſitô etiam Capillos quandoque inibi reperiri, hoc tamen certum eſt, organo tali læſo, lædi in homine rationem, imò teſtantur Obſervationes Chirurgicæ & anatomicæ, Cerebrum lædi poſſe absque morte, ſed Glandulam pinealem vel tantillum læſam *derepentè & uno quaſi ictu hominem trucidare:* Imò experimentum in Canibus inſtitui poteſt viventibus, ſtylo ad hanc particulam traducto, quod non uno ſaltem experimento *Celeberrimus ille Chirurgus & Anatomicus Artheaud Lauſanenſis* diſcipulos ſuos edocuit. Impeditur quidem in operationibus ſuis anima, malè conſtitutâ glandulâ: ſed revera principale hoc ejusdem ſolium eſſe, *dum erecta hinc inde* ad cerebri ſyſtolen atque diaſtolen motilatur, atque libera degit, evincitur: pluribus autem me explicui in Epiſtola quadam (cujus reſponſa deſidero) ad *Excellentiſſimum Helvetiorum Apollinem Dominum & Patronum meum colendiſſimum data*, qui publicè ſententiam meam corrigere ſuſtinuit. Reliqua in *Milvo* notata cum *Falcone* conveniunt.

# OBSERVATIO XXX.

## D. JOH. de MURALTO.

### De

# Gryllo-talpa.

PRÆcedentibus Ephemeridibus Observ. LXII. Gryllo-talpæ descriptionem exhibui, atque de Ventriculis hujus animalculi disserui, horum nempe structuram eandem esse cum structura Ventriculorum Grylli vulgaris, quam Observ. LVIII. ibidem proposui. Interea temporis nunquam otiosus amicus meus, *Pythagoras*, *pag. 8. Merycologiæ suæ* sub prælo sudantis, errorem nihilominùs, vel oblivionem in me notavit, cùm de duobus saltem ventriculis Gryllo-talpæ, nullâ mentione appendicum factâ, scripserim. At, referri possunt ad intestina cœca, sicuti in Avibus quibusdam, & quadrupedibus contingit, quorum coctio non perficitur antequam ad duplex cœcum perveniat. Referri quidem ad ventriculos possunt, eò quòd multum iis intercedat analogiæ & affinitatis: lateraliter quoque ventriculo nodoso & sulcato tam aptè adhæreant appendices & beneficio vasculorum aëreorum s. trachearum cum eodem ita devinciantur, ut nisi disrumpantur hæc vascula spiritalia, primo intuitu, pro uno & eodem ventriculo reputes: Ruminantia porrò quatuor ventriculos possideant, ut plurimùm. Porrò, sub appendicibus his fistula intestinalis aliquo-usque rectà deorsum pergit ad Coli valvulam insignem, quæ ab ano liquorem vel flatum nullo modo, ab œsophago verò per ventriculos omnes admissum, quàm facillimè usque ad recti finem transmittit, circa quem finem glandulæ duæ pellucidæ & albicantes, sive testes notantur: Ventriculorum schema depictum addidi in Tab. 1. 2. & 3.

Fig. XI.

TAB. I.




Fig. 12. f. 61.
tab. 1.



Fig. 12. f. 61.
tab. 2.


Fig. 11. f. 59.
tab. 1.



Fig. 11. tab. 2. f. 59.


Fig. 11. tab. 3. f. 59.

## TAB. I.

*Exterior facies.*

a. Gula.
b. Ingluvies ſive primus ventriculus.
c. Spatium inter nodulum & ingluviem.
d. Nodulus ſulcatus tracheis perſperſus ſive ventriculus alter.
e. Appendices duæ, ſive Ventriculus tertius & quartus.
f. Inteſtinum tenue.
g. Valvula coli.
h. Inteſtinum craſſum & latius.

## TAB. II.

*Interior facies ſecundi ventriculi Gryllo-talpæ.*

a. Corona ſupernè nodulum jungens.
b. Corona inferiùs nodulum cingens.
cccccc. Bracteolæ ſex dentatis papillis armatæ.
dddd. Concurſus bracteolarum.
e. Finis ſeu tranſitus à nodulo ad Appendices.

## TAB. III.

aa. Cornua.
bbb. Caput acuminatum & barbatum cum papillis albicantibus.
cc. Brachia geniculata, ſerrata.
d. Scutum teſtaceum nigricans.
ee. Pedes anteriores.
ff. Expanſæ antennæ.
gg. Alæ plicabiles.
hh. Pedes poſteriores oblongi.
ii. Ani fibrillæ piloſæ.
k. Anus.

## OBSERVATIO XXXI.

## D. JOH. de MURALTO.

# Ardeæ ſtellaris, die XIX. Novembris cum Cl. D. Theodorico Zwickio, examinata. Lohrrind/oder Maßweyhe.

EJus longitudo à roſtro extremo usque ad ungues quinque ſpithamarum eſt; Collum binas, Pectus & Abdomen unicam, ſex verò Alæ extenſæ adimplent: Roſtrum octavam ulnæ noſtratis partem tenet, apice duriore peracuta, utrinque dentata, vireſcit infrà, supernè nigreſcit. Verticis plumæ è nigro in ſpadiceum abeunt colorem. Collum plumis oblongis, ſtellatis, transverſisque maculis inſignitis conſtat, reliquus plumarum color ad Ruſticulam (Riedſchnepff) accedit. Pedes ſunt inſtar Roſtri obſcurè virentes, digitis utrinque quatuor, unguibusque armati. Oculi membranâ nictatoriâ cincti, circulo aureo donati ſunt. Lingua cartilaginea eſt, bifida circa baſin, & dentata, oſſi hyoidæo ſtabilita: Cornua oſſis hyoidæi ſunt duobus articulis mobilia. Caput bronchii in fine ſerratum eſt, hiatus autem anteriùs binis cartilaginibus, lateraliter carnoſis muſculis mobilibus, & oſſeo in dorſo apice cinctis, vel clauditur, vel aperitur, prout vocis modulatio id requirit. Ipſa autem Trachea contiguis annulis cartilagineis usque ad pulmones nectitur: de quibus Tab. 1. & 2. conſpici poſſunt. Muſculi pectorales ſunt craſſiſſimi, coſtis adplantati; ſub iis intercoſtales cum triangulari conſpiciuntur. Os ſterni arcuatim protuberat usque ad claviculam, quæ prætenui, ſed duriore membranâ cingitur, ut pectus à collo diſtinguatur.

Cor ſuſpenditur Pericardio, à ſterno, quod Mediaſtino ſuccingitur in Pleuram abeunte. Cor coniforme eſt, binis ventriculis conſtans, quorum ſiniſter craſſiſſimus eſt, ut vi ejiciatur

tur

tur in corpus univerſum ſanguis arterioſus : dexter verò tenuis, ad ſolam ſanguinis venoſi receptionem. Pulmones à clavicula usque ad teſtes coſtis intertexti conduntur, ſpongioſi & poroſi vaſis ſanguineis perſperſi. Sex utrinque coſtæ ſunt cum ſterno contiguæ. Vena cava à cordis dextra auricula per Pulmones deſcendit ſuprà renes in pelvi reconditos, ad quorum confinia juxta cor obſervantur duo teſticuli, albeſcentes, fibroſi & oblongi, ductus ſuos ad anum transmittentes: Hepar, velut etiam humanum, in duos lobos diviſum eſt. Veſicula autem bilaria pyriformis è diviſura hepatis prodit. Oeſophagus ampliſſimus eſt, ut majorem piſcem nullo molimine deglutiat. Stomachus internè cruſtâ glandulosâ, villoſaque munitur. Pylorus valvulâ præcluditur, & admodùm arctus eſt. Inteſtina tres ulnas longa ſunt, fibris circularibus denſata, viſcoſiore bile plena, flexibusque glanduloſis hinc inde conſpicua. Inteſtinum cœcum ſimplici valvulâ admodùm parvulâ præditum eſt.

Fig. XII. p. 59 -

## TAB. I.

*Trachea ardeæ ſtellaris.*

a. Lingua in baſi bifida.
bb. Os hyoides.
cc. Rima cartilaginis arythenoideæ.
dd. Corona dentata annulis cartilagineis impoſita.
e. Aſpera arteria.

## TAB. II.

aa. Aſperæ arteriæ pars ad pulmones tendens.
bb. Diviſura bronchiorum.
cc. Membranea & plicabilis pars bronchiorum.

# OBSERVATIO XXXII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Epileptica pariens.

PUerpera primipara sub ipsum partus tempus excruciabatur paroxysmo gravi epileptico. Obstetrix imperterrita fœtum partui vicinum sentiens, paroxysmo neglecto strenuè munia sua exequitur, feliciterque fœtum extrahit: quo facto, statim subsequitur paroxysmi intermissio, lochiorum debita exclusio, firmaque per Deum valetudo, nec hucusque ullum hujus mali signum in trium jam liberorum matre apparuit.

### *SCHOLIUM.*

SIngulare est in hoc Casu, epilepsiam à partu originem pariter & medelam invenisse. Author sanè Libri de natura pueri, Hippocrates quibusdam creditus, in partu maximè laborare prodidit, quæ primos partus experiuntur, eò quòd doloribus non adsueverint; quorum etiam dolorum tum sævitia, tum nimiùs metus primiparam hanc dubio procul in epilepticum istum insultum conjecerat; qualem quoque perpessa fuit femina, cujus Dec. I. Ephem. harum Ann. II. Observ. 67. mentionem facit. Uti verò ad partum naturaliter feliciterque absolvendum, non parturientis tantùm matris, sed fœtûs quoque parturiendi conatus requiruntur: ita præsenti in casu nixus, quem moliri puerperam gravis illa morbi invasio prohibuerat, ab hoc ipso motu convulsivo peractus fuit, totius nempe corporis motu & agitatione uterum unà commovente, fœtumque inhærentem & exire paratum excutiente, non secus ac à Vomitoriorum etiam operatione, corpus concutiente, partum promoveri nonnulli observarunt, atque supervenientem difficulter parturienti sternutationem (quæ ipsa *Ebn-Sinæ lib.3.fen. 1. tr. 5. cap. 8.* quasi motus levis epilepticus esse videtur, uti vicissim epilepsia quasi sternutatio

sternutatio multa & fortis,) salutarem esse, cum *Hippocrate 5. Aphor. 35. Celsus lib. 2. cap. 8.* experientiâ non contradicente, adnotavit. Cæterùm huic simile omnino exemplum *præced. Ann. III. observat. 212.* ut & *Nicol. Tulpius lib. 1. obs. cap. 10.* suppeditant.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XXXIII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Vesiculæ serosæ in fœtu.

EMbryonem hydropicum introducit, Observatio 42. Ann. I. Ephemeridum, cui hoc assuo. Imprægnata exquisitissimo desiderio Vinum, quod hic loci non infrequens, expetebat, indiesque ad ebrietatem fermè sese implebat gestationis tempore. Quid fit? embryone feliciter in lucis auras extracto, totum corpusculum vesiculis copiosis serosâ lymphâ refertis, notatum adspicientium alliciebat oculos, matrique delictum exprobrabat tacitè, non diu superstes.

## OBSERVATIO XXXIV.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Sudor sanguineus.

CIvis Grûnbergensis, rusticanæ prosapiæ, statæ ætatis, ita ob errores diætæ corpus sibi reddidit scorbuticum, ut, præter Cachexiam, in hoc unico omnia velut in compendio posses conspicere scorbuti versipellis symptomata. Hic quoties à motu sudat, sanguineo sudore sub alis indusia maculat, qui liquor rubicundus tam tenaciter linteis inhæret, ut difficulter cedat lotricis manibus.

*SCHOLIUM.*

SCHOLIUM.

SAnguis ſcorbuticorum cùm ſero multo diluatur, ſudoribus eapropter admodum eos obnoxios eſſe conſtat; illud verò ſerum uti acri ſale turgere, ſymptomata morbo illi familiaria ſatis oſtendunt: ita ſanguini etiam majorem juſto fluiditatem, fibrarum ejus compagem laxando, conciliat; unde & idem per arteriolas minimas ad glandulas miliares ſubcutaneas delatus, facilè unà cum ſero iſto per tubulos excretorios exitum inveniet, inprimis â motu corporis concitatior ſi factus fuerit. Talem etiam ſudorem ſanguineum in puella ſcorbuto laborante vidit Excellent. D. Langellottus, teſte Dec. I. Ann. VI. Obſerv. 10. Ephem. harum, & in femina noſter D. Wedelius, pag. 188. Phyſiolog. med. Quamvis autem ſanguinem ipſum ſic poſſe excerni, nullum ſit dubium, tot in ſanis etiam corporibus obſervatis cruoris exſudantis exemplis id teſtantibus, ſeroſam tamen corruptum humorem mentiri ſimilem fluxum quandoque poſſe, admodum eſt veriſimile, ſero nempe, eodem Wedelio notante, humorum omnium vehiculo exſiſtente, eorumque ſalium & ſulphurum tincturam imbibente, ſæpe ideo hanc ipſam ob cauſam rubicundo ſub colore per veſicam in ſcorbuticis effluente, &, quod *Salmuth. cent. 2. obſ. 28. Thom. Bartholinus cent. 4. hiſt. 62. & Sachſius noſter Ampelogr. pag. 395.* ſe obſervâſſe, fidem faciunt, epoti vini rubri generoſi particulas per ſudorem educente.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XXXV.

## D. SAMUELIS LEDELII.

# Hæmorrhagiæ in carpo cura.

NObili Marchico non levioris ſortis vulnus ab adverſario infligitur in carpo, tamque altè gladius penetrat, ut plura ſcinderet vaſa ſanguiflua, quod declarabat hæmorrhagia contumax. Generoſiſſima remedia

dia ſanguinem ſiſtentia in caſſum adhibebantur, ægrique interitus ante fores erat; ut ultimum, adhibetur cauterium, ſed nil proficitur. Ad prognoſtico relictum ægrum, mortique vicinum accedit vetula, visne conſilium inquiens? annuit ille, adplicat hæc vulneri fomitem (den Zunder aus dem Feuergezeug) inque illum jam impoſitum flammas excutit, leviculis & ſuperſtitioſis verbis maritatas. Dictum factum, ſanguis inſtar Circes baculo tactus ſubſiſtit, & ſauciatus adhibitâ Chirurgi manu integrè convaluit.

*SCHOLIUM.*

MEdelam hanc ſuperſtitionis nonnihil, ob verba ſuperaddita, alere, quamvis fateri neceſſe ſit, quò minùs tamen naturaliter ſucceſſiſſe eam dicamus, nihil obſtat: Fomes etenim ille, ex linteis, uti ſuſpicor, ambuſtione paratus, flamma in eo excitata, terrorque ab ea conceptus, omne curationis punctum videntur abſolvere. Lintea quippe ex lino præparato contexta, uſtulatione in nigricans illud, leve, & facilè in pollinem ferè impalpabilem concidens, ſimulque ſale & oleo, anodyno ac traumautico, prægnans corpus abeunt; quod ideo exſiccandi ac hiatus obturandi, leniterque inſuper, ob ſal conjunctum, adurendi ac cruſtam inducendi vi, ab actuali dein concepto igne adauctâ, inſtruitur, ſicque fluenti ſanguini obicem ponere potis eſt; quem effectum præſtare eò magis valuit, cùm ſanguinem irruentem terror & metus ab improvisò excuſſo igne conceptus, atque inſolito arcanorum verborum ritu adauctus cohibuerit. Sic in venæſectione meticuloſis ſanguinem non effluere quandoque obſervamus, aduſtionem ferro candenti factam à Celſo aliisque commendari, cinerem bombacis, quercus &c. hæmorrhagiis opponi, & lanugines etiam vegetabiles iisdem mederi novimus.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

# OBSERVATIO XXXVI.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Vaſa fictilia effoſſa.

ILluſtriſſimo Curioſorum Collegio jamdudum deſtinaram hanc Obſervationem, ſed hærebam dubius, utrùm ea materiæ eſſet dignitas nec ne, quæ publicæ luci exponeretur. Verùm cum jam habeam præeuntem Nobil. D. D. Hagendornium, Amicum colendiſſ. Obſervatione 137. Anni tertii Ephemeridum, ut & Analecta anno 4. & 5. annexa, ideo hîc ſiſto. In finibus Neonetkovienſibus, uno milliari à Grunberga, varii conſpiciuntur colles, in quorum meditullio numero plura latuerunt vaſa fictilia, diverſæ magnitudinis, variæ formæ. Matruelis meus Dominus Reiche, lapides ad cellam ædificandam quærebat hinc inde, & fortè fortuna hos dislocabat aggeres, & hæcce vaſa offendebat. Rem ut ipſe viderem, adſtiti, manum admovi, & vaſa, erui. Inerant in medietate monticulorum horum plurima vaſa, primùm mercenariorum runcinis contuſa, dein ob raritatem lenius tractata, & variis Amicis transmiſſa. Quamprimum extrahebantur, humida aliquantulum mollia & fermè friabilia erant, ſed ab aëre ambiente ſtatim evadebant duriora. Sepoſita & remota arena, inveniebamus ſaxa grandiora, ordine circulari veluti poſita & in medio ollam capacem, quæ erat referta oſſibus comminutis & friabilibus; qualia autem fuerint, diligentiſſima & curioſiſſima non poterat explicare examinatio. Olla oſſibus repleta erat tecta operculo: magnitudine etiam & capacitate diſcrepabant vaſa, quædam erant vacua, ſed pleraque oſſibus erant repleta, aut cinerem cum arena continebant. Studiò hæc ita fuiſſe diſpoſita conjectu facilè, inquiſivi diligentiſſimè in vicinis locis, & quantum reſcire potui à decrepitis ruſticis, putabant, & quod audierint, affirmabant, ante ſeculum & quod excurrit hîc loci fuiſſe habitaculum

lum prædonum; quousque autem huic relationi fidendum, non determino, interim de veritate dubito. Adeat cui placet Anni quinti Ephemeridum appendicem, ac quæ ſit ingenioſiſſimi ſic dicti Balduini ſententia de hiſce fictilibus, examinet, & an ejus Urnis Gentilium Germanorum hæcce vaſa noſtra queant aſſimilari, judicet; ego nuda relatione hac vice ſum contentus.

## OBSERVATIO XXXVII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Vulnera pulmonum non lethalia.

A*NNI tertii Ephemeridum Obſervatio 189.* demonſtrat, vulnera pectoris cum læſione pulmonum non ſemper eſſe lethalia. Vulnus pulmonum curatum conſignavit etiam *Horſtius Obſerv. Medic. lib. 3. Obſerv. XI.* Mihi hoc ſuppetit in tali caſu, quod hîc do. Locumtenens, nomine Kühlemorgen/ in Regis Sueciæ Exercitu contra Polonos militans transfigitur à Tartarorum ſagittâ circa quintam & ſextam coſtam ſuperiorem, cuſpide in pectore manente. Curabatur, & adhuc vivit per viginti aliquot annos ſanus & incolumis, geminaque vice præterito bello Gallico-Batavico Electoris Brandeburgici caſtra ſecutus. Eſt vir longioris ſtaturæ, aſt exſiccatus, lenique tuſſi ſemper moleſtatur. Curæ meæ ſubfuit febricitans, alio tempore plus quam conſuetum, tuſſiens, ſed feliciter Dei gratia bis reſtitutus.

Quando ſagittæ mucro ſe movet, & ob gravitatem ima petit, ſentit obſcurum dolorem & ſanguinis fluxum copioſiſſimum per os. Ante aliquot annos tres Medici conſuluerunt, mediante ſectione per Chirurgi manum, extrahere cuſpidem: annuit noſter & ſtrenuè operationem ſuſtinuit, aſt in caſſum, quia locum cuſpidis non invenerunt. Vivit jam in Poloniâ ad actiones vegetus, annorum præter propter ſexaginta.

## OBSERVATIO XXXVIII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Oſſa humana proſunt in Dyſenteria.

ANNO 1679. Dyſenteria epidemia graſſabatur in noſtra civitate Grunbergâ menſibus Junio, Julio, Auguſto, eratque præprimis infeſta teneriori ætati, certisque plateis, nec extra civitatem ſe diffundebat, ſiquidem omnes pagi in viciniâ ſiti ne unicum quidem alebant dyſentericum. Remedia à Practicis recommendata adhibebantur plurima, ſed absque euphoria. Diſcurrebat de remediis expertiſſimis mecum Capitaneus Moſcovienſis, qui per plures annos in Magni hujus Imperatoris Exercitu militaverat: hic referebat, quod hicce morbus aliquando tertiam Exercitus Moſcovitici partem exhauſiſſet, tandem loco ſpecifici fuiſſe adhibitum pulverem oſſium hominis violentâ morte enecti, & quotquot hunc guſtarint pulverem, evaſiſſe omnes. Feci periculum, & quia ante portam in rota erat corpus, quod aliquot annos ſub dio jacuerat, ideo procurabam oſſa brachii, jubebam ut pulveriſarentur, dabam nudum huncce pulverem, etiam aliis miſtum, & fateor, omnes qui uſurparunt hunc pulverem, fuiſſe ſanatos. Occultavi autem ſummè, ne quis reſciſceret, unde medicamentum veniſſet, aliàs nauſea abſteruiſſet omnes ab ejus uſu.

*SCHOLIUM.*

Oſſa humana inſignes edere effectus in exſiccandis, abſumendis & exſtirpandis vitioſis in corpore humoribus pituitoſis, jam obſervavit *Dan. Beckerus Med. microſm. lib.2. c.6.* ſalina cùm ſint corpora, ſalinam etiam exſiccandi & abſumendi obtinere facultatem arbitratus; exſiccandi, diſcutiendi, adſtringendi, & fluxus quoscunque, ac in ſpecie dyſentericos ſiſtendi vim pariter iis tribuit *Joh. Schröderus Pharmacop.*

*cop. lib. 5. class. 1. cap. 23.* Unde medicamentis contra dysenteriam proficuis eadem à quibusdam fuisse admixta novimus. E contra ossa humana hominibus devoranda exhibere, abominandum ac impium censet *Henr. Smetius lib. 2. Miscell. med. cap. 52.* *Et Phil. Höchstetterus dec. 5. obs. med. cas. 9. abjiciunt,* scribit, *ossa anthropophagi, nec bestiæ comminuunt: qualis igitur impudentia nos cogit, ut in catarrhis, in podagra, in dysenteria, aut omni dolorifico fluxu alvi, humana ossa combusta exhibeamus?* Mihi, ut alia, quæ moneri possent, taceam, si non nisi ossibus dictis morbos illos abigi daretur, & alia brutorum ossa non suppeterent, durior æquo hæc videretur censura; cùm tamen eundem effectum ab equinis, bubulis, aliisve ossibus impetrare liceat, cervinum etiam facilè parabile cornu, experientiâ teste, eâdem virtute polleat, ad evitandam omnem crudelitatis aut læsæ humanitatis notam, lubentiùs iisdem abstinerem; salvo interim cuilibet de hisce relicto judicio.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XXXIX.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Grillus in aure mortem inducit.

EXcellentissimus Cnöffelius Observatione 50. Anni 4. & 5. Ephemeridum mentionem facit rustici, cui grillus in aurem irrepserat, quem feliciter restituit. Pastoris uxori in Comitatu Sorano grillus etiam irrepserat in aurem, adhibuerat plura medicamenta, omnia tamen frustrà, tandem doloribus immanissimis superata, obiit. Putavit grillum huncce exclusisse fœtus juniores & hos tantas in capite creare molestias & excitare turbas, ut veluti furibunda existeret dum clamore sese moverent in calvaria. Curationi præfuit Comitum à Promnitz Archiater Nobilis à Rustel, Amicus dum viveret amicissimus.

## OBSERVATIO XL.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Lapsus ex alto indemnis.

IN Ducatus Saganensis pago Mähnitz reparabatur hoc Anno templum cum turri: faber lignarius operi intentus nimiùm, fallitur pede & prolabitur de turri in tectum templi, ibique aliquantulum commoratur & dein ulterius in terram cadit, sed absque ulla notabili læsione; nisi quòd ob vehementiorem concussionem sanguinem evomuit. Infelicioris exitûs sunt sequentia. Soræ famulus Superintendentis ante aliquot annos nuces avellanas in horto domui vicino cogebatur quærere, dumque in harum collectione laboriosus est, prolabitur statim exanimis, altitudo erat vix 5. aut 6. ulnarum. Idem fatum habebat in nostro pago Lettnitz Cerevisiæ coctor hoc Anno 1679. qui sturnos quærebat in arbore grandi & alta, cumque pedes minus firmiter posuisset, prolabitur etiam exanimis cum contusione totius corporis, & quia erat quadratus, plures ramos, & grandiores, cadendo fregit.

*SCHOLIUM.*

REvocat hoc in memoriam Casum notabilem, qui Anno 1673. 10. Martii hîc Augustæ Vindelicorum contigit, dum melancholica quædam, textoris & vespillonis uxor, desperatâ mentis perturbatione agitata, superiori ex ædium suarum parte, mœniis Civitatis imminente, præcipitem se in fossam subjectam, aquâ destitutam, dederat, ex altissimo illo præcipitio, quadraginta ferè orgyjarum altitudine, vix salva evasura, nisi venti aërem tum permeantis beneficio, ab impetuosiori in terram prostratione fuisset præservata; ille enim togam, quâ induta erat, inflans, alas quasi addidit, ut minori cum impetu, & quidem tum, ob glaciem hybernam à mitiori flante aura liquefactam, molliusculam deponeretur,

tur, præter levem capitis & brachii intumescentiam ac dolorem, nec non aliqualem pectoris angustiam, Parentis mei vener. operâ, venæsectione inprimis & discutientibus ac resolventibus internis & externis brevi sanatam, nihil damni passa, imò postea acidularum Uberkingensium potu à melancholico etiam adfectu omnino liberata.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XLI.

## D. SAMUELIS LEDELII.

# Ulcus annosum curatur recisione pedis.

ERysipelas sinistrè tractatum quàm noxia post se trahat symptomata, observatâ Medicorum abundantissimè declarant. Ulcera plurima inde vidimus insanabilia & ad mortem prolongata, præprimis in illis quibus domi curta supellex. Nam ex erysipelate putredo aut suppuratio, malum, teste Hippocrate sect. 7. aphor. 20. Rusticus statæ ætatis in nostra vicinia idem fatum experiri habebat: cacoëthes à malè curato Erysipelate in tibia relictum per quinquennium illi erat molestum, ulcus erat amplissimum, ut geminus pugnus vix impleraт cavitatem: tibia penitus erat exesa, materiaque fœtidissima, & astantibus & ipsi ægroto molesta. Chirurgus pro nosse & posse huic subvenire allaborabat, sed absque ullo fructu, ideoque hoc meum erat consilium:

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Quia juxta Hippocratem sect. 8. Aphor. 6. quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat. Conveniebamus itaq; in domo Chirurgi, comitati deputatis à Senatu, & rem divinâ assistente gratiâ aggredi sustinebamus. Carnem sanam novaculâ primùm circulotenus separabamus usque ad tibiam,

(erat

(erat autem sub genu tres digitos transversos locus, quo recisionem instituebamus) dein serrâ consuetâ aliquoties reciprocatâ sanum à morboso disjungebamus, rusticoque medicamentis confortantibus à latere eramus. Res ex voto succedebat, & rusticus pro more tractatus intra spatium trium septimanarum, amissas vires ob nimiam sanguinis profusionem, recuperabat, & adhuc dum hæc scribo, optimè valet, stipemq; ostiatim colligit, substituto ligneo adminiculo.

## OBSERVATIO XLII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Nausea panis.

OMnium ciborum frequentiùs comestorum nos capit nausea, panis autem vix ac ne vix quidem, in statu naturali. Morbi dum nos angunt, sæpissimè aversamur cibos, quos aliàs in deliciis habuimus, & præprimis hoc observavi in febribus. Laborabat tertianâ intermittente virgo hujus loci, illa ita abominabatur odorem carnis, ut deliquia instarent, quamprimùm olfaceret. Rarum autem hoc est, quod subjungo. Sartor Cachecticus Soræ per triennium ne micam panis gustavit, panemque ita aversabatur, ut etiam mentio hujus illi crearet molestiam: obibat atrophiâ, & vitam taliter qualiter protrahebat placentis croco tinctis (mit gelben Kuchen illic loci consuetis) simplices autem & albidas rejiciebat itidem, croceas unicè desiderans.

### *SCHOLIUM.*

PAne frumentaceo licet per omnem vitam ac continuò vescamur, cur tamen ab eo stomachus nunquam abhorrere soleat, causam à longa consuetudine non immeritò petit Jan. Huartus cap. 15. Scrutin. ingenior. Quamvis stomachum à longo illo usu jam tum in substantiam ejus esse conversum, cum eodem adeo simpliciter asserere non audeam, cùm panem quotidiano usu adsumtum in sui substantiam converti à stomacho

ſtomacho, ſit veriſimilius. Et hæc conſuetudinis vis non unico in panis eſu occurrit, ſed aliis etiam alimentis, ut carnibus &c. competit; modò ventriculus in ſtatu naturali poſitus, nullâ morboſâ adfectione laboret; quo in paſſu panis quoque faſtidio quem capi non eſt impoſſibile; ceu evidens ejus exemplum tum in Dec. I. Ephem. noſtr. Ann. IV. Obſerv. 138. notatum eſt, tum præſens obſervatio ſuppeditat. Cuinam verò cauſæ rarior illa panis nauſea in Ann. II. dd. Ephem. Obſerv. 144. deſcripta, imputari debeat, res difficilioris eſt judicii; nî à materna aliqua imaginatione ea ſpiritibus embryonis, in utero materno adhuc latitantis, facta fuerit impreſſio, explicatu tamen vix poſſibilis, ut in adulto etiam poſtea talis eorum averſatio continuaverit.

*[Luc. Schröck. L. F.]*

## OBSERVATIO XLIII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
## Lactis muliebris abundantia.

D. II. A. V. p. 474.

MUlieri uterum gerenti, ſi lac copioſum è mammis effluat, fœtum imbecillum indicat, verba ſunt Hippocratis ſect. 5. aphor. 52. Sed ſi poſt partum lac copioſum in mammis invenitur, obſervavi denotare fœcundam naturam, bonamque conſtitutionem. Novi fœminam 30. annorum, optimæ conſtitutionis, quæ quando lactat infantes, tantâ lactis abundantiâ laborat, ut ſpontè fluat per mammas veſtes humectans, cogitur ideo honeſtatis gratiâ lac indies aliquoties exprimere, & tamen ſufficit ad geminum fœtum alendum. Alia mihi eſt nota fœmina primaria, quæ dum lactat, ita turgidas habet mammas, ut doleant, & cogitur emulgendo imminuere copiam lactis. Una harum per aliquot ſeptimanas ſingulis diebus mihi exhibuit aliquot uncias lactis calentis ad uſum, ſummeque profuit in aridura & diſpoſitione phthiſica, & credo lac hocce huma-

num in arthritide magis profuturum, quam vaccinum, videatur obſ.70. Anni 6. & 7. Ephemeridum Decuriæ primæ.

*SCHOLIUM.*

ALiud prodigioſæ lactis copiæ exemplum producit *Petr. Borellus cent. 3. hiſt. med. 82. & Collega meus honor. D. Vit. Riedlinus Obſerv. ſuar. 150.* nec non *Joh. Riſtius in ſuis Colloq. menſtr. menſ. Januar.* Qua ratione abundans tale in mammis lac exhauriri queat, modum eruditè expoſuit *celeb. D. Joh. Chriſtoph. Sturmius in Colleg. experim. act. 6.*

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO XLIV.

## D. SAMUELIS LEDELII.

# Mira obſtructionis alvi cura.

NObilis Marchicus laborabat obſtructione contumaci, dabantur medicamenta generoſiora, absque εὐφορίᾳ: penèque res videbatur deſperata: nobilis, ut erat vitæ cupidus, arripit ſuculam einen langen eiſern Spanner/ intrudit in anum eum violentiâ, quantum vires admittebant, ita etiam, ut ſanguis profluxerit. Hac glande ferrea anus irritata ſuo ſatisfecit officio, cum ægri levamine.

## OBSERVATIO XXV.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

*De*

# Urticæ uſu in hæmorrhagia narium.

FOeminæ cuidam narium hæmorrhagia laboranti exſiccatas urticas in nares immiſerunt, & deſiit fluere ſanguis.

*SCHOLIUM.*

URticæ vim hæmoſtaticam à multis commendatam novimus, diverſimodè corpori adplicitam. Sic *Dioſcorides*

*des lib. 4. cap. 89. Urticæ*, scribit, *faciunt ad profluvia narium cum succo tritæ, & naribus inditæ.* Æmilius Macer huncin modum *lib. de herb. virtut. de ea canit.*

*Quod si manantem cupias retinere cruorem,*
*Urticæ succo frontem line, reprimit illum.*

*Ant. Mizaldus Alexinep. camp. 6. ar. 4.* eandem virtutem maximè radici tribuit; quam etiam experientiâ comprobatam *Gasserus in observat. à Welschio edit. 62.* laudat. Herbam contusam plantis pedum & volis manuum adplicitam miros produxisse effectus, *Borellus cent. 1. hist. 95.* testatur, quod etiam de ea in manu detenta, aut collo adpensa, vel axillæ supposita alii proferunt; imò Clar. Sylvaticum succo urticæ ab ℥ij. ad ℥iij propinato, desperatas curâsse narium hæmorrhagias, inter MSS. Welschiana notatum reperio. Quam virtutem adstrictoriæ facultati fortè adjudicabunt, qui cum *Galeno lib. 4. de comp. medic. s. l. cap. 8.* inter medicamenta adstringentia urticam referunt, aut insigni refrigerandi potentiæ, à *Joh. Langio lib. 2. epist. med. 33.* eidem adjudicatæ. Scio equidem esse, qui succum hujus plantæ causticum, acrem admodum, & venenosum venditant, vim ejus urendi eapropter eidem imputantes; quam recentior per microscopia observatio confirmare nititur, succum istum in cutem, à spiculorum impulsu læsam, per eorundem in extremitate videndum foramen instillari perhibens; ceu etiam *Cl. Casp. Hoffmannus lib. 2. de med. offic. cap. 240. §. 3.* succum illum acerrimum à spinis vix sensibilibus emitti, jam olim edixerat; Unde sanguinem potiùs elicere è naribus, quàm fluentem compescere posse, verosimile videtur; quò citatus Macer respexit, scribens:

*Naribus impositus succus, foliumve, cruorem*
*Elicit, innata est illi vis tanta caloris.*

Verùm uti urticæ urendi vim spinulis acutissimis in planta ista occurrentibus, post Celeb. D. Casp. Bauhinum, (vid. notæ ejus in Matthioli Commentarium Dioscoridéum,) Exc. D. Christianus Langius in Diss. de Morbill. egregiè adseruit: ita

 flacce-

flaccescentibus istis, auctriturâ fractis & conquassatis, pungendi vim adimi, sicque tutò ad compescendas narium hæmorrhagias adhiberi, non est mirum; succus enim ille, linguam si judicem admittamus, ab imputata acredinis culpa immunis omnino deprehenditur, lenemque potiùs aliqualem adstringendi, non corrodendi facultatem obtinet, in spiculis autem dictis licèt microscopiorum ope cavitas revera occurrat, succum tamen in eis, qui quidem in basi eorum, vesiculæ in modum ampliatâ stagnat, reperire non potui, uti neque foramen illud extremitati innatum microscopia mea, licet alioquin non contemnenda, detegere valuerunt, à melioribus fortè manifestandum.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO XLVI.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

# Usus fonticuli in Ischiade.

CIvis cujusdam nostri Uxor vehementissimo dolore Ischiadico diu vexata, & hactenus omnia remedia ab aliis adhibita frustra fuit experta; me in Consilium adhibet. Suadeo fonticulum, illa annuit. Eligo ergo locum hujus fontanellæ inter principia musculi gastrocnemii, & felicissimus inde successus fuit secutus.

### *SCHOLIUM.*

COnfirmat hæc historia observationem Cl. Joh. Sculteti Tab.XLIII p. 96. Verba Authoris adjiciam: Fonticulus, quem mihi inter principia musculi gastrocnemii contra dolorem ischiadicum summo & felicissimo cum successu paravi &c.

OBSER-

# OBSERVATIO XLVII.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

## Pica picis.

FOemina quædam Amstelodami gravida picâ laborans fortè fortuna præterit locum aliquem, qui Belgicè dicitur, ter hoore, ubi obducuntur naves pice, vel ubi pix coquitur in usum navium: Illa videns picem avidè appetit, & panem candidum in eâ intinctum lautè comedit, ac si ferculum opiparum esset.

### *SCHOLIUM.*

QUænam adpetitûs hujus depravati causa exstiterit, vix determinare certò licere, equidem videri posset, cùm non constet, an femina hæc cæteroquin inculpatâ omninò sanitate gavisa fuerit; quâ vacillante aliàs, & ventriculi fermento à naturali constitutione recedente, (quod in gravidis ob intermissam sanguinis evacuationem menstruam, & hinc collectos vitiosos humores inprimis contingit,) insolitas res pro adpetitu vitioso compescendo, & ceu medicamentum à quibusdam desiderari, sunt qui statuunt. Ast cùm desiderium illud non nisi in certum aliquod corpus feratur, aliis æquè notis, & eâdem, quinimò majori virtute, peccans nempe fermentum emendante, præditis, nullo modo expetitis, aut etiam noxiâ planè qualitate quæ sunt instructa, deglutitis, res insuper totâ naturâ suâ insuavissimæ cùm pro delicatissimis utplurimum habeantur, quandam phantasiæ læsionem concurrere, & circa objectum expetitum revera delirium & mentis imbecillitatem adesse, mihi probabile videtur; quamvis in cæteris suis actionibus tales non desipiant. Particulares quippe ejusmodi mentis aberrationes dari, novum non est, & vel melancholicorum quorundam, circa certum aliquod objectum quandoque unicè delirantium, satis tamen aliàs mente sibi constantium, exempla testantur. Et

quis non fermenti ſtomachici innocentiam, phantaſiæ verò errorem, ex aliis conſimilibus obſervationibus evidenter colligat, ſi picam pretioſam, quà in fila oculata femina quædam ferebatur, apud Harsdörfferum in Dec. I. Ann. I. Eph. Cur. Obſerv. 83. citatum; item filorum è veſtibus extractorum apud Trinçavellium; delectationem à fœtore veterum librorum, ſitu, blattis & linteis corruptorum, apud Salmuthum; à barbæ lanii procerioris vellicatione, apud eundem; à vento ex follibus, à fragore carbonum foſſilium pedibus contritorum, in Actis Philoſ. Angl. conſideraverit? Cùm verò gravidas animi adfectibus admodum eſſe obnoxias, videamus, idque à ſpirituum quadam inopia & imbecillitate, utpote ad formationem fœtûs non exiguâ copiâ concurrentium provenire queat, hinc picâ eas inprimis laborare non eſt mirum. Unde & ſanas alioquin gravidas adpetitu illo inſolito corripi poſſe, ſequitur. Ea etiam eſt naturæ humanæ depravatio, ut in vetitum niti negataque cupere ſoleat. Quare gravidam in hac Obſervatione memoratam, (cui ſimilis fuit femina à Cl. Bierlingio in præced. Ann. II. Ephem. obſ. 209. & altera à Foreſto lib. 18. obſerv. 7. in ſchol. deſcripta,) ſi corpore ſana extiterit, nativâ illâ & ex ſpirituum in fœtûs formationem inſumtorum pauperie, auctâ mentis imbecillitate ductam, fortuito picis rei ſatis nauſeoſæ, & hinc gulæ aliàs non conceſſæ intuitu, illius in deſiderium ferri, atque ceu maximè ſapidum quid, conſiderare eam potuiſſe, arbitror; præcipuè cùm feminas impotentioris utplurimum præ viris eſſe animi, adfectusque ejus minùs frenare poſſe, certum ſit. Quæ huc faciunt, plura in Scholio Obſerv. 137. Hellvvig. videri poſſunt.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO XLVIII.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
## *De*
## Pulſu deficiente.

DIe 18. Septembris currentis 1683. Anni ad me quidam generoſ. Chiliarcha inviſit, ut me de affectu quodam conſuleret; inter ejus ſatellites erat quidam annorum 40. qui Generoſiſſimo Domino erat ab Epiſtolis; huic in ſiniſtro nullus ſaliebat pulſus, quo jam biennium caruerat in iſto brachio, cùm ipſi febre ardente laboranti perierit, neque poſtea eum receperit. Satis quidem commodè vivit ille homo, niſi quòd, ſi brachio utatur, ſolito citiùs defatigetur, & ad motum impotens reddatur.

### *SCHOLIUM.*

AFfectus hic eſt vera Aſphyxia; cujus cauſa non eſt totalis arteriæ obſtructio, quia cæteroquin nulla ſpirituum vitalium influxui pateret via, brachium paralyſi laboraret & atrophiâ marceſceret; paralyſis enim propriè nihil aliud eſt, quàm meatuum, per quos influunt ſpiritus, oppilatio, eorundemque vappeſcentia, à quibus & atrophia inducitur. Unde aliud cauſæ ſcrutinium inſtituamus, neceſſe eſt: Lubet autem ſentire cum *Exc. Boneto Mercur. compilat. pag. 776.* qui venas & arterias inſtar canalium eſſe judicat, in quibus aquæ, quos transeunt, materiam limoſam, qua ſcatent, ſenſim & ſenſim deponunt, & ad latera affigunt. Sic & in hoc ægro nulla omnino obſtructio arteriæ facta, ſed lateribus adhæret materia, quam ſi alluat ſpiritus in vaporem reſolutus, illico vappeſcit & ſpirituoſitate ſuâ privatur; cùm is nihil aliud ſit, quàm ſal volatile ſpirituoſiſſimum, & inſtar fumi in arteriarum vaſa ſeſe inſerens. Pulſum autem ipſum deſcribo, quòd ſit ſpirituum vitalium è corde promanantium, in arterias per totum corporis ſyſtema ſeſe diffundentium motus naturalis, accuratè

accuratè œconomiæ ſpirituum iſtorum & cordis ſtatum manifeſtans, & in animæ corporisque paſſionibus quam maximè varians.

*Ejusdem*

## Obſervatio alia

*De*

# Aſphyxia.

QUidam hujus loci Civis Eryſipelate, quod tibiam cum tumore invaſerat, curabatur à D. D. Langemack & me: In hoc ægro ſequentia à nobis ſunt obſervata: 1. Phlebotomiâ adminiſtratâ, ſanguis emiſſus carebat omni liquore ſeroſo, eratque ſiccus; poſtea propinabatur Potio ſudorifera ex aquis cardiacis, diaſcordio Fracaſtorii & ſale volatili C.C. admixtis; porrò unanimi conſenſu ſequentem Potionem præſcripſimus: ℞. Aq. ſcorzoner. comp. ℥ij. analeptic. card. bened. aa ℥j. ſcordii ℥iß. pulv. bezoard. Senn. Pannonici rubr. aa. ℈j. ocul. 69. præp. ʒj. corallior. rubr. præp. ℈ij. bezoard. miner. ℈ß. Antiheƈt. Pot. ℈ij. ſalis C.C. volat. gr. XV. Edulcor. M. C. perlat. q. s. Cujus quolibet bihorio duo cochlearia aſſumſit, hinc corpus antea ſiccum aliquo ſudore madere cepit & levamen ſenſit; Veſperi repetebatur Potio ſudorifera, ſicque DEI auxilio curatus eſt. 2. Chirurgus noſtro conſilio & juſſu tibiæ applicuit farinam ſecalinam, cum optimo ſucceſſu, unde altero mane tumor multùm decreverat; quo porrò decreſcente, ſingulis veſperis ſolum propinabatur Rob ſambuci. 3. Pulſus dextri carpi, cujus lateris tibiam etiam occupat malum, à Nobis Medicis non poterat percipi, è contra in carpo ſiniſtro erat valde vehemens; & poſtquam convaluit, 4. nihilominus ille pulſus vix percipitur. Hic vir eſt ſenex annorum 68. quæ ætas mihi 5. non fuit impedimento, quò minùs venam ſecarem. Nobil. D. D. Langemack Medicorum Senior hujus loci, narrabat, ſe aliquando curaſſe virum, in cujus altero carpo nullus ap-

paruit

paruit pulsus, in altero satis fuerat vehemens; sic & pulsus diversitatem Anno 1679. 15. Maji in quadam obstetrice, peripneumoniâ laborante, animadverti, nempe pulsum in latere dextro vehementiorem, quàm sinistro; ubi in dextro latere quia erat inflammatio, in sinistram partem vergebat materia motum cordis impediens & tardans. Hæ & similes observationes docent, quòd in utroque carpo pulsus sit explorandus; & revera pulsuum accurata scrutatio vel etiam exploratio Medico sæpius oculos aperit, & ipsum informat de cordis & spirituum vitalium constitutione. Verùm Medici hujus nostræ ætatis nimis neglectim utplurimum tractant illam de pulsibus doctrinam, ut quàm maximè inter Desiderata artis nostræ ponam, quòd eam non magis in cathedris publicè doceant Praxeos Professores, quasi parum faceret ad perfectionem artis, & praxis citra eam ritè procederet. Mirum utique est, stante hypothesi de sanguine peridromo, quî possit fieri etiam in sani hominis carpis pulsus sic varians, in altero animadvertatur satis vegetus, in altero verò vera asphyxia sit? Et vicissim in ægri carpis, in quo tamen universa sanguinis massa intemperie laborat, & totum corpus propter febrem languescit, nihilominus tanta pulsuum discrepantia fuerit observata? Ego hæc exempla sagacioribus expendenda propono.

### OBSERVATIO XLIX.

### D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

## Dentis evulsio letalis.

CIvis quidam Slevicensis, Siefried dictus, curavit sibi eximi dentem, indè gangræna gingivas invasit, quæ ad cerebri arcem proserpsit & mortem attulit.

### *SCHOLIUM.*

COnferri hîc meretur, quod *Hippocrates in fine lib. 5. & lib. 7. Epidem.* de Cardia, Metrodori filio habet; cui, non quidem à dentis evulsione, sed ejusdem dolore, maxillæ sy-

 deratio

deratio & vehementer ſupercreſcens in gingivis caro, cum moderata ſuppuratione, contigerant, molares etiam & maxilla ipſa deciderant. Unde tamen colligitur, evulſionem, quæ ipſa ejusmodi ſymptomata concitare poteſt, non niſi cum magna cautione eſſe tentandam, qua de prolixiùs egit *Steph. Strobelbergerus lib. de Odontagr. ſect. 2. cap. 2. & ſeqq.* Quàm periculoſa autem ſit improvida dentium evulſio, *Thom. Bartholinus* quoque *cent. 5. hiſt. 54.* exemplo comprobat, vidiſſe ſe, ſcribens, cui pars maxillæ cum dente eximeretur; quod etiam de Avo ſuo materno, *A. Graſſero*, *Joh. Udalr. Rumlerus in Obſ. à Georg. Hier. Welſchio edit. 72.* teſtatur, qui ſibi ipſe dentem molarem eruens, maxillæ quoque fruſtulum extraxerat. Hæmorrhagias etiam ſubſecutas letales exhibent *Hieron. Cardanus de cauſ. ſign. & morb.* & *Felix Platerus lib. 3. obſerv.* Quàm temerè tamen hac in operatione utplurimum procedant Agyrtæ, plus quàm notum eſt, qui licet absque dolore dentium evulſionem promittant, vix tamen unquam ipſo opere id præſtant; ut itaque de fraudibus horum, ceu vocat, nebulonum publicas inſtituere querelas, artemque decipiendi exemplo confirmare ſatis cauſæ habuerit *Petr. Borellus cent. 1. hiſt. 2.*

*[Luc. Schröck. L. F.]*

## OBSERVATIO L.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

## Antipathia cum felibus.

VIvit in hac noſtra Cherſoneſo Cimbrica quidam Vice-Colonellus, (parco nomini, ducit quippe originem ex perilluſtri ſtirpe, ex quo & Comites perilluſtres orti,) hic catorum etiam arcis vel ſcriniis incluſorum, ſine effuſione ſudoris frigidi & periculo ſyncopes, non fert præſentiam.

SCHOLIUM.

## SCHOLIUM.

SImile exemplum Mercatoris, qui vivas & pictas etiam feles admodum metuebat, in *Ephem. nostr. Dec. I. Ann. III. observ. 146.* occurrit, & *Petr. Borellus cent. 4. hist. 61.* Illustr. Com. de Schomberg felis non solùm adspectum, sed etiam latentis odorem absque lipothymiis ferre non potuisse, recentset; quale quid etiam *Petr. Andr. Matthiolus Comm. in Dioscor. lib. 6. cap. 25.* aliique referunt. Ipse plures in hac Civitate novi, qui nec visas itidem feles, alicubi tamen in conclavi latentes mox persentiunt, horrore & præcordiorum angore indè correpti. Imò, ut verbis *Henr. ab Heer obs. 29.* loquar, *qui cattos ut mortem horrori habent, passim obvii sunt.* Singularius est, quod idem refert de quodam, qui à cocti etiam frusto, inscio ipsi saltem in convivio oblati, & nondum vel ore manibusve libati, mox in vomitum & animi deliquium inciderat. Cujus antipathiæ abstrusam esse causam, potior Medicorum & Physicorum pars statuit. Non adeo tamen occultam esse, *Thom. Erastus cap. 34. lib. de occult. pharm. potest.* quem integrum *lib. 2. Miscellaneor. suorum* dein inseruit *Henr. Smetius*, ex historia, quam adducit, colligit, Principem quandam feminam, felium præsentiam abhorrentem, memorans, cujus Mater gravida à fele, licet animalium horum conspectum aliàs ferre potuerit, derepentè ac tantopere exterrita fuerit, ut non tantùm animo linqui ceperit, sed & non nisi post multos dies à pavore isto recolligere se potuerit; unde non improbabile *Erasto* videtur, ab ejusmodi pavida cogitatione spiritus ac temperamentum fœtûs certo modo immutari posse, non secus ac expetitæ rei imaginatio, speciem rei vehementiùs desideratæ tenello adhuc infantis corpori imprimat. Quamvis modum latere nos, unà concedat, quo nempe terror ejusmodi in infante generet qualitatem. Et sanè multas adhuc involvit res hæc difficultates, à feliciori aliquo ingenio, è Naturæ intimiori recessu aliquando eruendas. Cùm verò animi passiones, & has inter inprimis terrorem, ma-

gnam in ſanguine & ſpiritibus variè commovendis & adficiendis vim poſſidere, nemo dubitet, hi autem in continuo per corpus motu naturaliter vigeant, atque ad uterum præſertim accedant, non mirum eſt, ſi infenſas illas & pavidas, ſpiritibus & ſanguini materno à fele impreſſas idéas in tenellum fœtûs corpuſculum inferant, quod ob nativam debilitatem easdem facilè ſanguini & ſpiritibus ſuis viciſſim imprimi patitur; quæ terroris idéæ in tenera iſta ætate altiores ita radices agendo, & quaſi ſopitæ deliteſcendo, accedente externo aliquo ſufficienti incitamento, promte reſuſcitari, atque iſtum à felibus horrorem concitare poſſunt. *Celeberr. D. Sim. Paulli in* παρεκβ. *de febb. malign. §. 11.* miræ hujus averſationis cauſam oſtenſurus, in ſulphur & ſal volatile fœtidum felinum eandem rejicit, cujus odor nonnullis individuis tam ſit ingratus, quibus nempe, forſan ab olfactoriorum nervorum paris ſive ſtructuram, ſive temperiem, ſagacior naſus ſit quàm cani venatico, diſcernenti heri ſui & venatoris à leporis veſtigiis. Quæ ſanè effluvia ſalino-ſulphurea, cùm odore ſatis evidenter, & quidem ſpecifico in quibuslibet animalibus, prædita ſint, atque continuò è corpore præſertim vivo, exhalent, in aëre vicino ita oberrantia, ſi naribus à tali homine, qui felium præſentiam tolerare nequit, hauriantur, aliterve in corpus admiſſa, latentes in eo idéas pavidas excitare, inque commoto ab eis ſanguine ac ſpiritibus tumultus illos concitare poſſunt. Quæ verò *Sanctorii* circa hanc antipathiam ſit ſententia, oſtendit & enarravit *Dan. Sennertus in Paralipom. ad Hypomn. phyſ. 2. cap. 2.*

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LI.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
# Lingua magna.

ANno 1682. Holmiæ in Suedia fœmina peperit fœtum, cui lingua ex ore inſtar canis venatici propendebat, quàm, abſcin-

abſcindendo ſuperfluam partem, ritè formavit Chirurgus, & vulnus conſolidavit. Sicque miraculorum effectrix eſt Medicina.

*SCHOLIUM.*

LEidæ puella quædam, memorante, ex *Walæi* relatione, *Exc. D. Thom. Bartholino cent. 2. hiſt. 22.* linguam manûs magnitudine amplam groſſamque habebat, ut vix ore contineretur, Medici particulas ſuperfluas in extremitate abſciderunt, donec ad conſuetam perduxiſſent molem; quam ita decurtatam non impediviſſe loquelam, credibile eſt; cùm nec omnis illi fuerit abolita, qui ex variolis linguam totam Salmuri, eodem Bartholino ſcribente, exſpuerat; quale quid etiam in *Welſchianis Epiſagmatibus obſ.25.* fide *Cl. Slegelii*, legitur de quadam, cui linguæ, ex intempeſtiva inunctione mercuriali, immensùm intumeſcentis dimidia pars abſciſſa fuerat, absque loquelæ impedimento. Utrùm verò renaſci poſſit, majus videtur dubium. *Horſtius* ſanè in adfirmativam deſcendens, *lib. 3. conſ. & epiſt. ſect. 1.* ſingulari exemplo eam munire intendit; cui in *Agloſſostomogr.* ſua *Jacob. Rol.ndus c.4.* contradicit, defenſus tamen viciſſim feliciter à Nob. *D. Car. Raygero*; cui etiam manum jungere nullus dubito, præcipuè cùm *Horſtius* ipſe, non ex nuda Chirurgorum relatione, ſed propria etiam obſervatione id referat, qui os apertum intuitus, linguam planè abſumtam usque ad radicem deprehendit, atque in radice magnam putrefactionem ſanie conſperſam vidit, ſemeſtri verò elapſo, linguam integram, quæ de novo creverat, licet paulò minorem invenit. Ut taceam, quòd linguam etiam, innocenti quæ fuerat abſciſſa, renatam memoret *Excell. D. Franciſc. Ignat. Thiermairius Conſil. med. lib.2. cap.13.* cùm id non ſine miraculi opinione, ideoque ultra naturæ limites contigiſſe cenſeat. Et ſanè lingua quia, prælaudato *Raygero* id monente, ex carne, venis, arteriis, nervis & membranis conſtat, carnem autem recreſcere poſſe nemo dubitat, ſimile quid in lingua poſſe evenire, nihil prohi-

 bet.

bet. Utrùm tamen consuetam illam & primitivam conformationem, v. g. fibras istas per transversum ductas, perpendiculares &c. à Celeberr. *Marc. Malpighio in epist. de lingu.* descriptas, & non potiùs ad modum alterius alicujus simplicioris musculi, fibras tantùm recto tramite excurrentes talis renata lingua habeat, dubitari potest; id quod vel in vivo ejusmodi homine, ex diversimodo linguæ motu, & salvo gustu, vel ex demortui anatome tandem foret cognoscendum.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LII.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
## Fistula linguæ.

EQuiti Gallicâ lue infecto, & ab ea (ut dicebatur) salivationis beneficio liberato, vestigium ista lues tam profundum impressit linguæ, ut fistula in ea nata sit, quæ omnem respuit consolidationem; consultus à Chirurgo, qui curæ præfuit, suasi, fluxio diverteretur; in eum finem præscripsi medicatam cerevisiam, & mundificans medicamen linguæ, sæpiùs de die applicandum, & talia quæ carnem gignerent.

### *SCHOLIUM.*

NOn indigna erit, quæ huic jungatur, illa à *Cl. Theod. Kerckringio Obs. anatom. 68.* notata, de ductu salivali, qui aberrans fistularum insanabilium causa existat; qualem nempe vitiosum situm in vitulo deprehenderat. *Deflexerat*, scribit, *ductus ille (cujus radices parotis conglomerata, quique ostium suum in buccis reperiens, ibi sese exonerat) versus laryngem, ibi humoris sui, qui ore excipi solet, exitum non inveniens, tumorem ingentem excitaverat lentâ materiâ redundantem. Annon hæc fistularum ad stuporem mortalium perpetuos usque humores suppeditantium, ut causa dici, ita ex eadem posset inveniri via easdem faciliùs persanandi?*

[*Luc. Schröck, L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO LIII.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
## Febris ardens ſpiritu vini curata.

QUædam Virgo Buxtehudana in Ducatu Bremenſi, ardente febre laborans, petiit vinum aduſtum, accepto eo, largum fecit hauſtum, inebriata hinc in ſomnum & copioſum ſudorem lapſa, præter omnium ſpem, priſtinæ ſanitati fuit reſtituta.

*SCHOLIUM.*

DE Vini in febribus, præſertim etiam ardentibus uſu, multi Medicorum ſententiam ferre laborarunt, quos partim in ſua *Ampelogr. lib. 2. ſect. 6. membr. 2. cap. 6.* beatus *Sachſius* noſter adduxit; de ſpiritûs etiam ex eo prolecti uſu determinando *pag. 499.* ſollicitus. Ipſum *Hippocratem* in febribus permiſiſſe vinum, *Cl. Anton. Lindanus* Select. *med. exerc. 7.* oſtendit; ſingulari quoque exemplo cum fructu propinati confirmans. Quibus conferre licet amiciſſ. mei Collegæ, *D. Vit. Riedlini obſ. 26.* Febris ardentis vini generoſi potu curatæ exemplum habet *D. Engelb. Holterhoff tr. de vita long. & brev. part. 1. cap. 1. §. 4.* Quendam ab intenſa & deſperata febri, unciis tribus aquæ vitæ epotis, ut & odorati vini uſu liberatum memorat *Reiner. Solenander Conſ. med. ſect. 5. conſ. 15. obſ. 13.* Morbus Hungaricus die decretorio per temulentiam à vino ſublatus in *Dec. I. Ephem. harum Anni II. obſ. 145.* deſcribitur. Ardentiſſimum vini deſiderium in cunctis febre puncticulari correptis magni nominis Practicus, *Petrus à Caſtro tr. de febr. puncticul. ſect. 3. §. 26.* notat, addens, auxilium hoc ipsâ naturâ duce cognoſci ad regenerandos deperditos ac malitiâ conſumtos ſpiritus aptiſſimum. Uti verò hujusmodi exempla vini ſalubriter aut ſine noxa potati, qualium & ipſe recordor, fidem merentur: ita viciſſim inſignes noxas quandoque, ipſam imò mortem ſubſequi, quotidiana teſtatur experientia. Ut itaque omnia prudentis

tis Medici consilio, qui morbos, causas, subjecta, tempora &c. ritè distinguere novit, hîc agere præstet, & temeritatem (licet illa, quos ratio non juvat, sæpe restituat) non omnibus salutem adferre, perpetuò considerare oporteat.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO LIV.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

## Aquæ fortis epotæ cura.

QUædam ancilla incidit in vitrum aquâ forti plenum, arbitrata esse vinum adustum, haurit, dolores in ventre sentiens superinfundit aquam frigidam, & evasit. Cæterùm contra ejusmodi haustum Medici commendant oleosa, pinguia & mucilaginosa. Oleo amygdalarum largiter bibito quidam rusticus Lunæburgi apud Aurifabrum aquam fortem pro spiritu vini bibens, fuit restitutus: Celeberrimus *D. D. Cornelius* Stalpart *van der Wiel*, Medicus Batavus, & Hagæ Com. Practicus felicissimus, in sua *centuria oppidò rararum observationum obs. 44.* multa curiosa congessit circa hunc casum, & oleum primò, postea (eo vomitu rejecto) Syrupum violarum cum mucilagine seminis cydoniorum præscripsit, non sine insigni & optato successu; citat etiam *Bald. Ronssæi epist. med. 9.* qui commendat oleum raparum, & linctum ex mucilagine semin. cydonior. althææ & tragacanth. cum aquâ rosar. extractâ, melle rosarum, & syrupo violaceo mixtum præscribit.

### *SCHOLIUM.*

JOh. *Bapt. Helmontius lib. de febb. cap. 9. §. 20.* dum palpitationi cordis Artistas, uti loquitur, diu multumque circa aquas fortes occupatos, esse obnoxios scribit, in aciditatem ejus vaporalem, quam *tr. de lithias. cap. 9. §. 71.* ponticam vocat, corporis penitissima pervadentem, non immeritò causam rejicit. Unde

Unde etiam Cl. noster Collega *D. Joh. Nicol. Pechlinus* in erudito *tract. de Purgantib. cap. 23.* aquas, ceu vocant, fortes, quarum virtus letalibus infamatum sit exemplis, non veneni formâ, sed igneis solùm penetrantissimis salium spiculis agere, i. e. ventris erodere fibras, horrendaq; excitare symptomata, ostendit, cùm acrimoniâ hac per spiritus alicujus volatilis conjugium demitigatâ, tolerari ea in corpore possint, vicemque sustinere medicaminis; qua ratione etiam nitri spiritum, vix ab aqua forti diversum, si nitro fixo committatur, corrosivam vim deponere, & citra noxam intus adsumi posse, *Ill. Rob. Boyle in Tentam. circa part. nitr. sect. 36.* admonet, sive in nitrum, sine corrosionis metu propinandum, abire, *Ott. Tackenius Hipp. Chim. cap. 10. & Clav. cap. 6.* scribit. Etjam olim magnus *Dan. Sennertus lib. 6. Medic. pract. part. 6. cap. 4.* aquas stygias, quidquid præstant, corrosione facere, enunciaverat; ob hanc ipsam tamen, quia gravia inducunt symptomata, qua ratione sit occurrendum, ut ostendatur, necessum esse judicans, & lenientia eapropter ac viscida, quæ partes internas à corrosione muniant, simulque calori resistunt, commendans, quæ inter mucilago seminis cydonior. tragacanthi &c. magnam inprimis utilitatem præstent. Quam ipsam medendi rationem etiam felici cum successu observârunt *Phil. Höchstetterus* in simili, qui ipsi fuit oblatus, casu; *vid. decad. 3. cas. 3. Petr. Forestus lib. 15. observat. 30.* & nuper *D. Sim. Schulzius in Ephem. Cur. Dec. I. Ann. IV. observat. 119.* Prout in præsenti quoque Casu aqua fontana, disgregando corrosivas aquæ stygiæ particulas, & ita violentam earum actionem infringendo, prodesse potuit.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

# OBSERVATIO LV.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
## Serpens cum fœtu excluſus.

OBſtetrix quædam mihi retulit, ſe vidiſſe partum à quadam fœmina editum, cujus ventrem juxta regionem ſtomachi inſtar balthei militaris circumdederat ſerpens, quem inde appoſito lacte ſaccharato calente abſtraxerunt, infante ſuperſtite vivo & ſano & jam adulto.

### *SCHOLIUM.*

ILla animalium multùm à formæ humanæ exemplari differentium ſæpiùs eliſia geneſis mentem meam reddit dubiam, an ſemen humanum ſit univocæ vel æquivocæ generationis principium? Æquivocam generationem multi Philoſophorum negare auſi ſunt, verùm magis præconceptâ opinione quàm rationum momentis moti; ſed iſtam controverſiam hoc loco noſtram non faciemus. Semen humanum quod ab utriusque ſexûs homine deciduum, primariò à muliere, ut quæ confert, quod abſolvit materiale in humani corporis ſyſtemate, vir duntaxat auram prolificam ſub vehiculo ſuæ geniture, quæ maximam partem inutilis, in uterum fœminæ infundit, & eâ conſpergit ſemen muliebre, hinc omnis fœcunditas, & prolifica virtus; ſicque vir confert id, ex quo ſpiritus tandem oriuntur: à neutro anima rationalis, forma illa aſſiſtens, quàm DEUS per creationem infundit ſuo tempore. Quare homo ſecundùm ſuum materiale à muliere; ſecundùm ſuum formale, quatenus illud informans, à virô; ſecundùm ſuum formale, quà illud aſſiſtens, à DEO creatur. Proinde ſemen, quamdiu non animatum, eſt ſemen vel principium æquè æquivocæ, quàm univocæ generationis; hoc meum aſſertum (1) probat illa multiplex animantium ex utero

utero fœminino genesis, ut sunt mures, glires, talpæ, bufones, serpentes &c. provoco ad *Annum II. Dec. I. Miscell. Cur. observ. 160. Salmuthum, Camerarium, Riverium, Bartholinum, Joubertum, Wierum &c.* Novissimum exemplum de partu canis habet *Corn. Stalpart van der Wiel,* Medicus Batavus in sua *centuria observ. 72.* Elisabeth Tambey, inquit, obstetrix civitatis (Hagæ Comitis) ordinaria 21. Septembr. Anno 1677. ex cujusdam fœminæ utero extraxit canem vivum benè formatum, suisque secundinis involutum, & quidem sequioris sexus catellum, quem insolitum partum adhuc suo sanguine rubentem & calore uteri calentem *D. D. Johanni Stalpart van der Wiel* (Medico insignissimo & prælaudati Autoris fratri) spectandum exhibuit, quæ fœmina nihilo tamen minùs gravida manens, elapsis 14. septimanis vivum fœtum, & quidem masculum enixa. Occasionem istius anomali partus sic describit Excell. Vir: Maritus homo plebejus, rudis & potui deditus, insolito, inhumano, & prorsus bestiali modo, uxorem, & quidem invitam, à tergo subinde cognovit, fustibus & ferri acie ipsam minitatus, nisi obsequi vellet, hæc sequentia nefanda verba sæpe ore maledicto effutiens, se procreationi canis omnem operam daturum, quæ detestanda dicta, ut & coitus ille bestialis, altè & continuò hæserunt animo ejus, unde imaginatrix vis assiduâ abominabilis hujus dicti & facti rememoratione & impressione, tam potens facta est, ut canem hinc tandem efformaverit; quarum similium præpotentium imaginatricis facultatis virium apud Autores passim fit mentio. (2) Assertum hoc meum probant vires phantasiæ, quæ embryones in utero formant & sigillant, imò pro lubitu fingunt; probant hoc innumeræ historiæ ab autoribus adductæ, quas referre supersedeo; modò relatum exemplum sufficit. (3) Videtur & id probare diversissimarum rerum genesis, quæ ex uberibus vel abscessibus extrahuntur, ut sunt vermes, lapides, pilorum globuli, bufones, aristæ, & id genus. (4) Accedit & hoc, quòd si Microscopio humanum contemplemur

 semen,

ſemen, diverſiſſimorum animalium myriades in eo repunt ac ſeſe motitant, ita ut & hujus reſpectu Homo rectè dicatur Microcoſmus. (5) Aſſerto noſtro validum ſubſternitur fulcrum, quoniam ex incolarum Madagaſcar cadaveribus regenerantur locuſtæ, ut quibus tanquam ordinario veſcuntur cibo. Eodem modo & in ſemen omnium rerum, quibus veſcimur, character idealis imprimitur, quem nulla mutatio in eo obliterare valet, & cujus archæum phantaſia in actum excitat, ille & prævalet, illique & ſimile gignit animal uterus fœminæ. Animalia, quibus non veſcuntur fœminæ, ut ſunt inſecta, vel exotica Aſiatica vel Africana animalia, ex ſemine format & fingit phantaſia fortis. Omnium autem illorum animantium geneſis utplurimum fit in ſemine muliebri; habere autem fœminas ſemen, aliàs evincam. Contra oviformem geneſin, de qua tot exſtant ſcripta, & quædam ego ante annos octo circa eam materiam meditatus ſum, urgeo hæc dubia: (1) An quolibet coitu ex ovario muliebri ovum aliquod eliciatur, quod ſi tunc coitus ſæpiùs unâ reiteretur nocte, ubi tunc maneant illa ova? & quî fiat, quòd ſolùm ex uno educatur proles, & non æquè ex aliis vel omnibus? (2) Quid dicendum de iis fœminis, quæ 10. 11. 12, imò 16. 17. & 20. annos in conjugio vivunt, & licèt millies virum expertæ ſint, tamen nullum edunt fœtum, niſi poſt tot elapſos annos; vel ova non habuerunt in ovario, vel ſucceſſu temporis in ovario naſcuntur illa ova. (3) Quædam fœminæ, poſtquam ſemel vel bis pepererunt aut etiam ſæpiùs, tunc parere deſinunt 10. 11. 12. 13. 14. 16. annos, iis elapſis, rurſum parere incipiunt. Quæ hujus cauſa? Vel 1. ova deficiunt; 2. vel nondum elaborata ſunt; vel 3. tot annorum ſpatio de novo elaborantur. Tamdiu enim ova ſine partu vel conceptione in ovario eſſe non poſſunt, quin corrumpantur. Hæc & alia ſi expendam dubia, oviformis generatio, cui antea tantum tribui, mihi multis nominibus ſuſpecta, & inter non entia referenda eſt.

OBSER-

## OBSERVATIO LVI.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
*De*
# Cura relaxatæ Uvulæ.

CLar. D. D. Stephanus Blancardus, Practicus Amstelodamensis consultissimus, in suis Collectaneis Physico-Medicis mentionem facit cujusdam ægri, qui laboravit uvulæ relaxatione, ad quam curandam Medicum consuluit, qui tamen frustra multa adhibuit. Accedens ergo alius vir, arreptis duobus digitis prioribus manus dextræ, & alterâ manu, quinque digitos supra pollicem, brachium fricaverat, uvulâ hinc in suum locum retractâ, curam autem Medico Magiæ accusante. Ego autem satis mirari non possum istius Medici temerarium judicium. Mea quippe conjux, Elisabetha de Calis (quæ ortum ducit ex illustri prosapia de Calis) toties, quoties uvulæ procidentiâ laboro, vel etiam domestici si eâ laborant, hac methodo uvulam priori suo loco citra aliud remedium restituit; una manu ægri manum apprehendit, alterâ fricat brachium duos digitos supra pollicem altum; illic etiam, tempore procidentiæ uvulæ, exiguos nodulos sub cute percipere & tangere licet; ipsa autem fricat utrumque brachium; & plurimos hac methodo ab isto vitio liberavit.

## OBSERVATIO LVII.
## D. CHRISTIANI MENTZELII.
*De*
# Vermibus ex aure rustici extractis, ubi præmittitur aliquid de natura vermium è naribus emunctorum.

AD *Observationem 99. præteriti Anni primi, Decuriæ secundæ Ephemeridum nostrarum*, quæ agit de verme è nare

ſiniſtra emuncto & *pag. 204.* imagine præſentato, cùm de natura hujus vermis & ſimilium ex naribus excretorum per autores à Cl. Scholiaſte citatos nondum conſtet, placet meam priùs ſententiam de hac re paucis addere, quàm ad alia de ſimilibus obſervata deſcendam. Eſt, ut opinor; hic vermis ex termitum genere eorum, qui in carnibus & recentibus & putridis, muſcarum quarundam geneſi, imò vel in ipſis humanis ſtercoribus, ſoleat creſcere & provenire. Conſtat enim mihi indubitatò, & per crebra & certa de muſcarum geneſi experimenta in juventute habita, ſi figuram vermis locô citatô exactè delineatam & exſculptam intueor, eſſe hunc vermem & ſimiles è naribus delapſos ex termitum eorum genere, ex quo poſt metamorphoſin ejus in aureolam, Muſca Apiformis generatur. Muſca hæc exactè delineata cum ſuo termite & aureola à Cl. Pictore Belga, *Johanne Gœdardo* in ſua *Metamorphoſi naturali de inſectis part. 1. obſervat. 2.* vocatur ipſi Belgicè een Swyn-maado, id eſt, vermes porcinus: addit rationem, quia reperitur in lacunis putridis, cloacis, locis ſpurcis, ſtercorariis, quod me atteſtante veriſſimum eſt. Ex ejusmodi enim locis quondam deſumptos aliquot termites majores & vivaciores aſſervavi in ſcatula perforata ad tempus, quà deindè apertâ reperi muſcas & majores illas, quæ ventribus inferioribus cæruleis æſtate bombô quôdam carnes mactatas infeſtant, & Apiformes illas à laudato Pictore deſcriptas & depictas. Sed hæ muſcæ non ſunt Apes illæ mellificantes, quas Pictor noſter non ſine errore ſtatuit & loco citato deſcribit. Nam harum generatio nota eſt, cùm non in cœno & ſtercore, ſed in melle, florum flore, generent & gignantur. Accedit, quod Apiformis hæc muſca tenerum ſit inſectum absque aculeo, inermis; Apis verò ipſa ſit aculeô armata. Eſt Apiformis hæc muſca ex fuçorum genere, Menſibus Auguſto & Septembre loca cœnoſa ſed umbroſa, (ut ſunt cloacæ) amans, & exili ſuſurrô circumvolitans, ut exindè alimentum capiat &

pro suæ speciei conservatione in cœnum & excrementa simul termites parvulos ut fœtus suos (quoniam cum cæteris muscis vivipara est) pariat & deponat. Et cùm figura *Gœdardi* non multùm abludat à vivente animalculo & plurimùm respondeat figuræ vermis nostri ex nare elapsi, placuit Gœdardi figuram hîc apponere, quo B. Lector conformitatem illam dijudicare posset. Vid. Fig. XIII. A. B. C. ubi A. termes, B. aureola jam disrupta, ex qua musca caput exerit. C. Ipsa musca Apiformis est. Quô modô verò ejusmodi vermes vel termites in cerebro, & partibus aliis capitis gignantur & quandoque per nares exsternutentur vel expellantur, forsan postea declarabo singulari experimento à me habito.

Nunc breviter enarrabo historiam de vermibus ex aure rustici à me extractis. Anno 1672. Mens. Septembr. cùm Serenissimus meus Elector exercitum duceret conta Gallos per Hassiam ad fluvios Mœnum & Rhenum, atque in itinere per tractum Würtenbergensem esset eundum, substitimus in pago quodam Kirchaim (ni fallor) dicto, cùmq; munificentiâ Domini ejus loci per rusticos adducerentur cervi occisi & mactatorum animalium carnes ad culinã Electoralem pro convictu, quidam eorum rusticorum ingenti ejulatu carnes ferinas advehebat: cumque Archimagirus & cæteri coqui causam lamentationis interrogarent, rusticus præ dolore non locutus, locum affectum, aurem nempe dextram digito saltem monstrabat. Erat ibi proximè culinam diversorium mihi constitutum, ubi ex horto ædium mearum rusticum lacrymantem exaudire licebat eumq; videre. Hîc quidam ex coquis, nomine Brant, adhuc superstes, & in aula Electorali jam assaturas solùm curans, mihi per sepimentum horti casum rustici enarrat, simulque rogitat auxilium. Adduci igitur jubeo rusticum in hortum meum: cumque ambo mihi adessent ad mensam in horto positam & reliqua plebs accurreret, separo ab aure dextra rustici capillos bellè comptos nidi ad in-

star

ſtar ciconiæ, & diductâ auris conchâ, ſtatim video meatum auditorium vermibus candicantibus infarctum tanquam vi quâdam in meatum illum intruſis, & impactis, adeò ut nullo modo etiamſi caudæ vermium prehendi poterant, eſſent evellendi. Hîc ego arreptâ volſellâ ferreâ unicum vermem, cùm extorquere integrum non poſſem, laceratum & in partes disruptum educo; quô factô & reliquis vermibus ſpaciô quôdam conceſsô, facilior exitus patebat; qui volſellâ deinde extrahebantur, ſanguine ex aure exulceratâ largiter fluente. Vermes numero octo in ſuppoſitam menſam dejecti mirâ agilitate & vivacitate ſubſultabant ſeque movebant quidam caudis oblongis, deſcriptis jam vermibus perſimilibus; quidam verò caudis carentes; omnes autem albicantis coloris, unciam longi, ſemunicam lati.

Juſſi poſt extractionem, ut Chirurgus aurem benè elueret, melle roſato bombace indito, & mundificantibus, abſtergentibus & reliquis indicationibus curaret. Contraxerat ruſticus hoc malum (uti mihi poſtea expoſuit) ab exulceratione auris dextræ, in quam muſcæ, cum ſub dio, æſtate, capite nudo dormiret, ſua ſpermata & fœtus peperêre. Sed de his termitibus & muſcarum generationibus poſthæc forſan plura. Jam de Muſca Aceti vini ſive vini aceſcentis paucula proferam.

Fig. XIII.

## OBSERVATIO LVIII.
## D. CHRISTIANI MENTZELII.
*De*
# Muſca vini vel cerevisiæ aceſcentis.

MUſcas ex aceto vini progigni, olim quoque veteribus notum fuit. *Ariſtotel. Hiſt. l. 5. c. 19.* οἱ δὲ κώνωπες, inquit, ἐκ σκωλήκων; οἳ γίνονται ἐκ τῆς περὶ τὸ ὄξος ἰλύος. Hoc Interpres

terpres ita reddit: *Vinarii culices ex vermiculis, qui fæce vini aceſcente gignuntur, originem ducunt.* Etſi hæ muſcæ, κώνωπες ſive culices non ſint; ſed parvæ muſcæ, quod à multis annis uti mihi certò conſtitit; ita hoc præſente anno 1683. Obſervatione certâ indubitatò innotuit, & ſic ſe habet: Menſibus vernis, Majo præſertim & Junio ſat clarè conſpiciuntur & microſcopiis & ipſis oculis nudis in aperto vini aut cereviſiæ acerrimo vermiculi exigui ſerpentium inſtar mirâ agilitate ſeſe moventes, capitulis ad ſuperficiem aceti erectis, ut cum ſuo pabulo, quod ipſis acetum eſt, aërem ſimul elicere pro ſui ſuſtentatione & vita poſſint. Acetum hoc anguiformibus illis vermiculis prægnans in loco concluſo, vaſe nempè parùm non arctè obturatô, quò temperatus aër ingredi posſit, ubi non movetur, ſed ad tempus immotum manet, ſitum & mucum contrahit, ut vermiculis jam adultioribus ſubſtantioſius alimentum præbeatur. Quibus ita peractis, cùm vermiculi jam ad ſtatum ſuæ ætatis pervenerunt, atque acetô, ipſorum pabulô congruô & naturali, exſaturati ſunt, prorepunt ex aceto foràs ad latera vitri aut vaſis, quò aërem craſſiorem deſuper per operculum vaſis ingruentem haurire poſſint, undè etiam ad operculum vaſis copioſiſſimè conſiſtunt. Breviſſimum igitur tempus ſive ad latera vaſis ſive ad ejus orificium ex parte coopertum commorati, transformantur in aureolas parvas inſtar ſeminum ſinapi, quarum una in Fig. 14. lit. B. per microſcopium in molem centies majorem depicta eſt. Ex his abſolutô tempore, disruptô jam circa caput muſcæ concluſæ cortice tanquam operculô apertô, more cæterorum inſectorum erumpunt foràs muſcæ exiguæ inſtar ſeminum lentis minoris. Sic ergaſtulô ſui corporis jam ſolutô, libero aëri expoſiti, quod accidit Menſibus Julio & Auguſto, circumvolitant ſine omni ſtrepitu, placidè non velociter, alulas mirùm quam velociſſimè agitantes, nec valdè remoti à vaſis acetoſis tanquam Patrio ſolo, ut vapores acidos cum aëre haurire vitamque protrahere, nec ab alieno

N rigidiore

rigidiore aëre interimi possint. Interea ut fatalis lex, semel in creatione promulgata, impleatur, ad acetum rursum sese conferunt volatu, ubi coëunt & in acetum iterum fœtant, sive fœtus suos, parvos nempe termites excludunt & pariunt. Musca hæc acetosa parvula est, muscarum ferè omnium minima, oculis rubro-puniceis, dorso luteo, gibboso, caudâ itidem luteâ, sex striis sive lineis atris, vesparum more, notata, alulis ad mensuram corporis paullò longioribus, perquam pellucidis, ad diem clarum Iridis in modum pulchrè versicoloribus, lineis tamen quinque vel sex tanquam nervulis atro-purpureis distinctis. Dorsum & caput pilis quibusdam hinc indè scatet. Inter oculos corpuscula duo rotunda eminent, quibus pili tanquam barbulæ quædam inhærent, forsan pro temperando aëre acetoso, quem hoc modo tanquam naribus attrahunt. Proboscidem non habent, sed ejus loco τὸ βρύον τι, & spongiosum quid, hians instar oris murenæ, quo ad latera vasis vapores aceti exsugere, simulque hôc suctu tenaciter adhærere possint. Sub abdomine venter totus luteus est. Hujus bestiolæ structuram ope Microscopii exquisiti à curioso rerum minimarum scrutatore *D. Joh. Abrahamo Ihle* dono mihi missi exactè contemplati sumus & manu nostra, præterito 17. Septembr. depinximus. Vide dictam figuram ubi A. Muscæ hæ naturali suâ magnitudine sunt adumbratæ. B. indicat Aureolam, ubi (a) caput ejus (b) verò cauda, C. & D. ipsa Musca per microscopium delineata, ubi C. exhibet muscam à tergo, D. verò à pectore & parte supina spectabilem.

Fig. XIV. p. 36.

# OBSERVATIO LIX.

## D. MATTHIÆ TILINGII

*De*

## Adamantibus Lippiacis.

IN Comitatu *Lippiaco* circa pagum, qui dicitur Heilbecke, in arena puriore reperiuntur Silices, instar aquæ pellucidæ diaphani, ex quibus in *Belgio* Adamantes *Europæi* expoliuntur, & qui expoliti *Bohemicos* longè superant. Tales quoque in *Borussia*, tractu *Hildesheimensi* & aliis locis inveniuntur; & reperiuntur etiam ejusmodi Silices, ex quibus hodiè vasa crystallina optimi generis conflantur, ubique ferè locorum, ubi præsertim rivuli fontesque vivaces è terra scaturiunt, puriorque arena à natura eluitur: sicut in Comitatu *Clivensi* patet.

Fig. XV. p. 48.

*SCHOLIUM.*

ADamas locum primum inter cæteras gemmas sibi vendicat, cùm omnium durissima sit, totaque pellucida, & instar aquæ purissimæ nitens, maximè inter eas fulgeat, & acre lumen versus oculos emittat. Quoniam enim ex succo defæcatissimo concrescit, ejus partes in percolatione ita dividuntur, ut receptos radios undique reverberent, aut refringant. Sunt nimirum singulæ ejus particulæ veluti tot specula, quæ lumen retorquent, & visum eo modo, quo percutiuntur, referiunt. Id etiam tincturæ, cujus maximè capax est, assignari potest, non propter innatam quandam similitudinem, ut quidam somniant, sed quia talis est partium ejus dispositio ac situs; ut cuncta tincturæ filamina apposite conveniant, & meatus ejus omnes occupent; quod ad radiorum retorsionem maximè juvare sciunt omnes, qui aliquid de optica sciunt.

Virtus illius est nullum colorem notabilem habere; vitium aliquâ albedine, flavedine aut nigredine, aliôve colore vel leviter tinctum esse. Summa illi dignitas & pretium, cui tamen multum decedit, si arenulis albis aut nigris sit interspersus, aut nubeculâ aliquâ suffusus. Et hinc multi eo nomine Adamantem non dignantur, quòd ejus omnes partes homogeneæ non sint, sed hæ heterogeneis multis partibus commisceantur; nec etiam hic & alii etiam lapides pretiosi integri reperiuntur homogenei; habent siquidem maculas internas plerumque, quæ eorum splendorem & nitorem contaminant, & inficiunt, & virtutem etiam eorum internam diminuunt, quòd forma eorum heterogeneis non gaudeat, imò ab iis destruatur, eâque evanescente & languente, virtutem & energiam evanescere, & languere necesse est. Quòd si in purissimum terræ locum Spiritus mineralis lapidificus deferatur, ibique aquam mineralem puram, nitidam, & ab omni terrena spurcitie detersam invenerit, eaque minerali aqua coërceatur, fiunt lapides tales, quales spiritus formator internus appetit sua intrinseca differentia. Aqua enim mineralis suo centro coërcet & continet aliquid unctuosæ fixæ substantiæ, cujus ratione & auxiliante illius vitali igniculo coagulatur, & aqua, seu humidum (quod unctuosæ fixæ substantiæ partes dissolutas continet) & spiritus, qui colorem & formam secum habet lapidis producturi, & sic ambo, spiritus puta, & humidum aqueum supradictum, duritiem & soliditatem tempore ducunt & lapidescunt. Et sic hoc modo prorsus inter se convenire queunt lapidum pretiosorum ortus & eorum interitus. Hoc est, quæ in lapidum pretiosorum generatione & ortu materialiter collocamus, eadem prorsus in eorum resolutione repetimus, & ex iisdem etiam substantiis, quas ex resolutione habuimus, iterum de novo lapillos arte paramus, prioribus virtute & substantiâ similes; sed multò lucidiores, & nitidiores, imò etiam efficaciâ & virtute præstantiores, modò partes omnes naturales,

rales, lapidum genus componentes, ritè & purè inter se uniantur, & servatis ponderibus misceantur.

Licèt autem Adamantes sint lapidum omnium pretiosorum durissimi & firmissimi, ex eadem tamen molli & tenui fiunt materia, ac cæteri lapides pretiosi omnes, ex humido viscoso nempe aquæ, coctione illius humidi viscosi perenni & continuâ, & sublimatione ejusdem, donec ad supremum puritatis & coctionis gradum devenerit, tunc temporis hæc materia condensatur & firmatur in Adamantes, idque in saxosis & lapideis cavernis & antris firmissimè clausis, ubi illud humidum viscosum aquæ detinetur clausum, ne inter sublimationes varias, quas patitur in depuratione sua, exeat & evaporet. Reperiuntur sæpissimè in fodinis auri & argenti Adamantes, quod cum, dum fiunt hæc metalla, materia eadem, quæ plus salis habet, fit Adamas, reliquum materiæ, quod plus mercurii retinet, fit metallum cum sulphure suo, quæ est materia unctuosior & glutinosior eâ ipsâ materiâ, ex qua fiunt Adamantes.

Ubicunque igitur in locis *Indiæ* spiritus salini ex purgatissimo & maximè defæcato sale, ignis subterranei vi, per intimas montium fibras exaltati opportunam rupem porosamque, id est, proportionatum locum intra rupis concava repererint, ibidem quoque intra rupes multum fixi purissimi salis ab extrinseco Solis, iis in locis ardentissimi calore, omni humiditate exuti copia reperiatur; præterea humido loci naturali, aut roscida substantia intra poros rupium per intimas montium venas evaporato, aut aliundè insinuato, ac veluti in guttas quasdam resoluto accedente, fit, ut volatiles purissimi salis spiritus fixis intra poros salis ibidem excoctissimi corpusculis juncti, paranympho spiritu coagulativo maximè concurrente, qui uti minutissimas salis purissimi partes fixas cum volatilibus quàm constipatissimè in unum continuum corpus counit connectitque, concurrente eodem in loco quoque aliqua subtilissimæ pinguedinis specie diaphano cerasorum

raſorum gummi haud abſimili, quo & partes glutinis inſtar compactiſſimæ unà cùm ſplendoris dote communicata, tandem in hanc omnium nobiliſſimam gemmam excreſcant.

Quòd diſtinguantur inter ſe Adamantes pretio & puritate, ſeu claritate luminis, hoc dependet & ortum habet ex ipſa puritate & nitore materiæ, quæ magis in quibusdam locis depuratur, quàm in aliis. Loca enim puriora una aliis. Et in puriſſimis locis fiunt puriſſimi Adamantes & clarè nitentes, quòd ipſa materia ſummoperè depuretur in his locis. In aliis verò locis minùs puris cùm non poſſit ita depurari materia, ratione impuritatis loci fiunt, Adamantes obſcuriores, & perindè non ita pretioſi. Qui apud *Indos* reperiuntur Adamantes, & apud *Arabes*, & *Æthiopes*, cæteris omnibus pretioſiores habentur, quia in hiſce provinciis fodinæ auri puriſſimæ reperiuntur, undè & ſeminalis materia Adamantum purior & nitidior hiſce in locis habetur, & cœlum & aſtra vegetiora, quæ coquunt & digerunt hanc materiam fortiùs, quàm in reliquis omnibus locis; nam quamvis frigus externum agat in coagulatione Adamantum, nihilominus & calor naturalis ipſius materiæ cum calore aſtrorum, plus eſt conſiderationis in productione rerum omnium, & præcipuè lapidum, quàm frigus externum, quod per accidens eſt cauſa congelationis ipſorum lapidum, dum frigiditate ſuâ & actione compellit calorem internum & fortiorem efficit ad exſiccandum ſuum humidum & congelandum.

Dependet verò hæc Adamantum puritas ex continua ſublimatione vaporis elementaris, qui ſeſe erigens, aſcendens atque deſcendens, ſemper purificat loca, ubi tranſit, auferens, quicquid eſt valdè limoſum & paluſtre. Tunc enim illud fixat & congelat in groſſos ſiliçes & groſſas petras, cumque ſemper in altum ſuſpellat trans poros terræ groſſiores, indè fiunt montes & rupes, intra quas poſtea vapor ille elementaris continuò ſublimatur, tandemque facit, poſtquam ſemper rejecerit

cerit impuriſſimum & magis groſſum ad exteriora vaſorum, quæ ſunt puritatis; in quibus vapor iſte congelatur, purus & mundus ab omni excremento elementari, ſi modò ſit plenus ſulphuris & pinguedinis; & componit aurum: Ubi verò illâ pinguedine non privatur, & loco illius dominatur pars aquoſa & ſalſa, facit Adamantes.

Illi autem nihil differunt à cryſtallis, niſi in parte fixante, quæ longè eſt potentior in Adamantibus quàm in cryſtallis; & mercurius, qui eſt in Adamantibus, purior eſt & ſublimior, quàm in cryſtallis, quæ univerſa replentur aquâ elementari, congelata, tùm per vim frigoris, tùm per virtutem congelantem ſalis, qui eſt in illorum mercurio. In Adamantibus nihil eſt præter mercurium, & omnis eorum liquor, ex quo componuntur, eſt mercurialis, & vapor purus elementorum: contra in cryſtallis plurimum eſt aquæ elementaris, & parum vaporis aut mercurii; hinc igitur cryſtalla ſunt molliora, nec adeò ſplendida & luminis plena. Aqua enim elementaris per virtutum ſalis congelata, nunquam poteſt eſſe adeò ſplendida & luminoſa, ac mercurius, purus & congelatus ac fixus per virtutem ſui ſalis & ſulphuris albi, quod ipſi auget ſplendorem & coruſcationem.

Sulphur illud album, & puritas mercurii cum firma & conſtanti fixatione ſalis, quæ inveniuntur in Adamantibus, inducunt omnem illorum differentiam. *Indiani*, & qui in mineris *Arabum* colliguntur, ac *Æthiopiæ*, æſtimantur optimi & puriſſimi, quòd in illis provinciis mineræ auri ſunt puriſſimæ, & quòd materia ſeminalis Adamantum in illis locis purior ſit, & ſublimior, quàm alibi terrarum; cœlumque & Sol vegetiùs & fortiùs agant, quàm uſpiam.

Coquit enim majori cum potentia iſtam materiam, quam deducit ad perfectam congelationem & fixationem: quamvis verò frigus exteriùs plurimum ad hanc congelationem conducat, calor tamen naturalis ibi plus etiam juvat, Nihil enim ad

ad perfectam fixationem pervenit ſine præambulâ maturitate & coctione materiæ fixandæ & congelandæ.

Ab hiſce verò Adamantibus multùm differunt illi, qui ab Alchymiſtis quibusdam arte parantur. Nam quos illi concinnant Adamantes, nihil commune cum veris habent, cùm neque materiam ſeminalem, neque locum, neque efficientem cauſam, quæ veros Adamantes gignere debet, habeant, ac Adamantes ab illis factitati vitra ſaltem ſint gemmarum coloribus tincta, ita ut præter colorem, diaphanitatem, aliquamque duritiem, nihil ſimile gemmis habeant. Sic hâc arte ex hyacintho *Gallicano* conflant Adamantes Alchymiſtæ. Hyacinthos illinunt offâ, ex luto & ſale parata, reverberantque per horam mediam, repetito opere, ſi primâ vice non reſpondeat. Color tranſit in perſpicuitatem adamantinam, tunc poliunt lege Adamantis, & firmitatem conciliant candefactione in ferrea pyxide, per quartam quadrantis horæ partem flagrante: præterea inter chalcantum ſupra infraque additum pari ſpatio reverberant, putantque ſic induruiſſe. Alii conformatum ad legem Adamantis poſt reverberium paſſum, includunt prunis duabus, quas undique luto muniunt & incendunt. Cùm benè excanduit, in aquam fortem immergunt, aut ſuper chalybe refrigeſcere ſinunt. Ex Sapphiro quoque Adamantem pollicentur, ſi ſeptus auro puro in catino detineatur in igne, dum aurum liqueſcat; ita enim cœruleus color evaneſcit, & Adamas evadit. Debet autem prius ad regulam Adamantis ſecta eſſe ſapphirus. Alii ſapphirum offâ ex albi ſmalti polline & ſalivâ perlinunt; ſiccant, filo ferreo circundant, ut movere poſſint; ſepeliunt eum miſturâ ex albo ſmalto & ferri ſcobe; imponunt prunis; calefaciunt, & ſæpè vident, num votis reſpondeat. Sapphirus etiam nitida, ſed alioquin diluti coloris cum auro jungitur, apponitur igni ſenſim donec liqueſcat; fervet autem horis tribus aut quatuor, indè gemma tollitur, & ſenſim refrigerari permittitur, inveniemus Adamantem: gemma enim

manet,

manet, nec lima tangitur, quicquid autem est coloris cœrulei, perit. Ideo coloris dilutissimi sapphiri quæruntur; sunt enim viliores, & celerius in Adamantem transeunt atque perfectius mutantur. Qui primum invenit, hoc ditatus est valdè, breviq́ue tempore, indè detectâ re adhuc lucrum arti relictum est; nitet enim plurimum ob sapphiri duritiem. Sunt qui ex aqua marina gemma viliore & molliore faciunt Adamantes pulchros. Sunt qui & sapphirum non incoquunt auro, sed creta involutum in igne solùm, eodemq́ue modo res succedit. Observandum tamen est, ut gemmæ frigidæ ignis sensim circundetur, & rursus ut peracto opere permittatur refrigerari ignis extinctione; nam detrahere ex igne haud tutum est. Vitium est, si quicquam remanserit vestigii coloris cœrulei. Et hi ex sapphiro facti Adamantes verorum splendorem sibi nonnunquam surripiunt & speciem ferè naturalem.

Forma naturalis sive figura Adamantibus legitimis ac veris diversa est; alia enim sexangularis est, & æquali octo triangularium laterum lævore undique turbinata. In quibusdam regionibus ad flumen *Amazonum* sitis, copiosè & variâ mole reperitur Adamantum species, qui ferè globosi sunt, licèt non exactè sphærici, nunquam autem angulati, ut verus Adamas; sunt autem teneriores ad instar crystalli; & formati in tabulas aut alias formas, politiq́ue nitent quidem, sed semper in se habent aliquid lactei coloris, ita ut facilè à cæteris dignosci possint.

Quòd autem *Anselmus Boëtius lib. 2. cap. 73. histor. Lapid. & Gemmar.* disputat de forma crystallorum hexagona, & ita judicat: *Circularis figura fit, dum materiæ partes sunt prorsus uniusmodi, qualis in iis, qui proximi sunt Adamantibus, quos duriores dixi, conspicitur: Hexagona, cùm partes nonnullæ ipsius mixti reliquis sint vel subtiliores, vel magis aëreæ, aut aliâ ratione differant; hæ enim à reliquis circa angulos pelluntur, vel ipsæ non tàm citò, quàm aliæ se centro unire cupiunt: hâcq́ue*

*ratione, concrescente materiâ, hexagona figurâ circulo quàm proxima, aliisque omnibus angularibus perfectior, efficitur:* Exemplo Adamantum facilè refellitur; notissimum enim est, optimos & perfectissimos atque adeò durissimos Adamantes formâ esse hexagonâ, qui autem globosi aut ovales, plurimum illis cedunt: ita ut potius statuendum sit, crystallis certam formam à DEO datam esse hexagonam, ut & aliis rebus. Plura de Adamantibus vide apud Boëtium, Joh. de Laet, Joh. Baptist. Tavernier &c.

Quæ de Venenositate ejus proponuntur, fabulosa sunt. Celebrantur Adamantes in Medicina ex pluribus facultatibus & virtutibus, quarum tamen ullam, uti ego puto, propter firmam fixationem & congelationem difficulter poterunt communicare. Creduntur resistere omni venenorum generi, adeoque ipsissima esse venena; per experientiam falsissimum est. Virtutes non exiguas illis inesse utique censeo; sed quoniam firmissimis & præduris obvallantur muris, ideò interclusæ manent, ut in auro, in quo & plures sunt virtutes, sed occlusæ & sepultæ quasi inter firmos & fortes muros, ut in Adamantibus, & ex hisce materiis elici non possunt, quin muri illi duri perrumpantur; hoc autem fieri potest, si in materiam primam suam, ex qua fiunt, reducantur; tunc virtutes Adamantum apparebunt, quæ & adamantinæ verè erunt.

Materia autem, quæ illos componit, sola poterit illos rumpere & ad mollitiem reducere ac convertere in liquorem, quem magnæ virtutis esse oportet. Materia enim ex qua componuntur, magni est pretii, & ejusdem farinæ cum auro: adeò ut si raræ inveniantur virtutes in auro, itidem pateant in Adamantibus; æque indomitæ, uti Adamantes vulgò feruntur; sed opus hîc erit & labor.

OBSER-

# OBSERVATIO LX.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
### *De*
## Salamandra.

CUm ante plures annos Studio Medico *Rostochii*, operam darem, in Sylva *Rostochiensi* inter labores botanicos cepi Salamandram terrestrem, nigrum obtinentem colorem, maculis flavis instar stellionis distinctum. Ego magno perfundebar gaudio, quòd occasionem haberem experimentum facere, an quoque Salamandra in igne comburi posset. Me ergò deinceps domum conferens ipsam in ignem conjeci, ubi post breve temporis spatium planè comburebatur & in cineres convertebatur.

### *SCHOLIUM.*

MUlta à majoribus nostris falsa & fabulosa afficta & addicta fuerunt Salamandris, ex quibus *incombustibilitas Salamandræ, ejusque vita in igne*, meritò primum occupat locum. *Quidam* enim Salamandras non modò omnino impunè ignis fervorem sustinere, sed & in eo tanquam in Elemento proprio vivere, & alimenti loco nutriri, somniarunt. *Quidam* & quidem rectiùs, ad tempus saltim Salamandras in igne vivere, eumque lympha sua extinguere quidem, sed noviter adjectis prunis, sufflaminataque flamma, concremari crediderunt: *Alii* sed rectissimè, statuerunt, Salamandras ignem planè fugere, eoque impositas, statim interire, inque cineres omnino redigi, id quod etiam Experientia præsentis non modo Observationis, sed & aliorum maximè modernorum, satis superque comprobatum fuit: At verò erroneam hanc inter Authores, sub solius fictæ autoritatis specie circumlatam inq; posteros religiosè propagatam opinionem, exinde potissimùm enatam fuisse arbitror; quod primæ assertionis asseclis, Salamandra non re ipsâ, sed famâ tantùm & nomine cognita fue-

rit, hinc eam adeò monstrosam, tam pictam quam descriptam effinxerunt, mox capite ovillo, mox serpentino præditam, nunc pelle lanuginosa, nunc squamata, nunc aspera, nunc unctuosa investitam, hic vermem dicebat, ille araneæ similem, ita ut pleræque earum descriptiones, veræ Salamandræ non secus respondeant, ac asinus equo, & noctua psittaco. Secundæ opinioni omnino subscriberem, nisi rem ex parte aliter explorassem: Vixisse enim Salamandras etiam perbreve tempus in igne, asserere non possum, nam aliquoties in Eruditorum præsentia facto experimento, cum Salamandras prunis, (non dicam igni aperto,) injecissem, accelerato tardissimo alias suo gressu, fugam tentantes, oscitante rictu statim eas interire vidi, adeò, ut ne temporis momentum ignis fervorem, vivæ sustinuerint; sed durare eas (mortuas licet,) aliquandiu in igne, & exsudantibus suis humoribus eam consopire, nonnihil, donec penitus in cineres abeant, (asseverante hoc quoque Observat. præsentis Dn. Autore) certum est, nam & ipse observavi, lacteum ex omnibus penè pellis Salamandrinæ porulis exsudantem humorem, qui primo intuitu carbonum ignitorum fervorem mitigare videbatur, sed statim incrassescens, in vappam quasi condensabatur, corpore sensim marcescente, inque cineres collabante: sed anne hoc mirum, & singularis proprietatis titulo dignum? cum id ipsum à quavis crudæ carnis particula, prunis inassata, eodem modo fieri soleat; imò, lignum ipsum, usitatissimum ignis pabulum, non statim admoto igne in cineres concidit, nisi sensim prius absumta sua humiditate. Rectissimè itaque sentiunt ii, qui secundùm tertiò adductam opinionem, vacillante tot veterum superstitiosa authoritate, Salamandras neque in igne tanquam proprio suo elemento vivere, eoque vesci, neque vitam ad notabile quoddam tempus in eo protrahere, neque singulari quadam proprietate eam extinguere, sed in eo reliquorum viventium instar, interire, perire, & comburere, non sine rationis & experientiæ fun-

fundamento, indubitanter credunt. Si quis tamen hanc veterum opinionem anxiè defendendam, religiosè putaret, intelligat eam necesse est, de Salamandra Chymicorum metaphorica & Alchymistica: plura huc facientia videantur in Salamandrologia mea, priori anno S. R. I. Acad. Nat. Curios. exhibita.

*[J. P. Wurffbain.]*

## OBSERVATIO LXI.

## D. MATTHIÆ TILINGII.

*De*

# Lino vivo aut Asbestino & incombustibili.

FUit antiquitùs species quædam Lini, quod *Græci* Asbestinum, *Latini* Linum vivum appellârunt. Ex hoc tela contexta sunt, & varia tunicarum genera, quæ igni non solùm non absumpta sunt; sed in illum conjecta, sordibus exustis, splenduerunt magis quàm potuerint aquis. Regum quoque funera in ejusmodi adusta sunt tunicis, ne corporis favilla cum reliquo misceretur cinere. Imperator *Nero* indè mantilia habuit. *Plinius histor. nat. lib. 19. cap. 1.* linum hoc, cui principatum in toto Orbe adscribit, inventu rarum, textu difficile esse propter brevitatem, inventum æquare margaritarum excellentium pretia scribit.

*SCHOLION.*

MAgna inter physicos, Medicos & Historicos lis est, an Linum hoc vivum aliud sit ab eo, quod fiebat ex lapide Amianto. Multi hoc adfirmantes adducunt in testimonium *Paulum Venetum* & *Plinium*, qui expressis verbis scripserint, Linum hoc vivum aliud esse ab eo, quod ex lapide Amianto sit factum. Ut autem ejus rei certam notitiam habeamus, verba eorum in medium producemus. *Paulus Venetus lib. 1. cap. 47. in Itinerar. suo* de Lino hoc vivo & incombustibili ita scribit: *In hac provincia* (intelligit autem *Chynchynculam*) *est mons*, ubi sunt minera chalybis, & *Amdanici & Salamandræ,*

*de qua pannus fit, qui si projiciatur in ignem, comburi non potest: fit autem pannus de terra hoc modo, sicut didici à quodam meo socio, Turco, viro valdè prudenti, qui ex commissione magni Kaam in illa provincia præfuit operi minerarum. Referebat enim, quòd in monte illo quadam minera terræ habebatur, quæ fila quædam habet lanæ similia. Ipsa fila desiccantur ad solem, & postea in mortario æneo conteruntur, & postea lavantur aquâ; & à terræ grossitie separantur; terra verò projicitur, & fila de lana filantur, de quibus filis postea panni fiunt. Hi autem panni albi ex textura non adsumuntur, sed in ignem projiciuntur, & per horam unam dimittuntur in flamma, & hinc albescunt ut nix, nec læduntur in igne; quod similiter fit quandocunque lavari debent; nam alia lotio ad removendum maculas non adhibetur, &c. Et de Salamandra verò serpente nihil audivi in orientalibus partibus. Id autem totum, quod de Salamandra didici, scripsi fideliter. Fertur, quod Romæ sit quædam mappa de Salamandra, quæ est sudatorium Domini involutum, quam misit summo Pontifici, quidam Rex Tartarorum. Plinius* verò *nat. histor. lib.19.c.1.* ita differit: *Inventum jam est etiam, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis quàm possint aquis. Regum indè funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque solæ Indiæ locis, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes; assuescitq; vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cætero color splendescit igni. Cum inventum est, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem à Græcis Asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus autor est, linteo eo circumdatam arborem, surdis ictibus, & qui non exaudiantur, cædi. Ergò huic lino principatus in toto Orbe.* Ex hisce Clarissimorum virorum verbis satis superque percipimus, Linum istud vivum solùm ex lapide Amianto esse paratum. *Paulus Venetus* scribit, quòd pannus de Salamandra paretur, qui, si projiciatur in ignem, comburi non possit.

possit; quia verò secundum proprium suum effatum de Salamandra serpente in locis istis orientalibus nihil audivit, per Salamandram intelligit lapidem Amiantum; iste enim in igne non uritur, & ejus injurias absque noxa perfert, quapropter & Salamandra vocatur. Et si accuratius etiam *Plinii* textum inspiciamus, per Linum istud vivum *Indicum* ille nihil aliud quàm Amiantum lapidem intelligit; hinc quoque istud Asbestinum appellat; & *lib. 36. cap. 19.* hoc ita confirmat: Amiantus, alumini similis, nihil igni deperdit. Idem cum *Plinio* sentiunt alii viri doctissimi. *Dioscorides lib. 5. cap. 113.* Amiantum lapidem in *Cypro* nasci, scisso alumini similem esse tradit, quo, utpote flexili, telas & vela tantùm spectaculi gratiâ texunt, quæ ignibus injecta ardent quidem, sed flammis injecta splendidiora exeunt. Hanc sententiam confirmat etiam *Petr. Andr. Matthiolus in Comm. super hoc caput.* De hoc utique loquitur *Strabo lib. 10. Geograph.* *Ad Carystum lapis nascitur, quem pectunt, nent, texunt. Indè mantilia conficiuntur, egregiè contexta: ea ubi sordescunt, in flammam projecta non secus emundantur, quàm si maculas elueris.* *Antonius Musa Brassavolus Ferrariensis* tradit, impostores lapidem Amiantum simplicibus mulierculis ostendere, vendereque sæpenumero pro ligno crucis Servatoris nostri. Id quod facilè credunt, cùm igne non comburatur, quodque ligni modo plurimis constet lineis intercursantibus. Parùm ergò valent *Adriani Tollii* & *Johannis de Laet* argumenta, quæ contra hunc lapidem Amiantum in *Commentariis suis in Boëtium de Lapid. & Gemmar. Historia* protulerunt.

Lapis hic ignis injuriam instar auri perfert, atque non tantùm uri non potest, sed purior redditur, undè Asbestini nomen illi datum est. Olim in fila aptabatur, & ex his mappæ, lintea funebria, reticula conficiebantur, quibus cadavera Regum involuta, igne combusta, ipsa lintea verò incorrupta manerent. Conficiebatur & ex hisce omnis generis carbasina supellex, quæ sordidata non aquâ, sed igne purgabatur. Et hoc

hoc Linum ex Amianto factum *Plinius lib. 19. cap. 1. histor. nat.* vivum appellat. Mappæ Amiantinæ sordibus conspurcatæ, puriores igne exustæ, quàm si aquâ laventur, fiunt, ac magis splendent. Regum indè olim tunicæ funebres factæ sunt, ut cremata cadavera à reliquo cinere separentur.

Linum, quod ex hoc lapide conficitur, dicitur Græcis Asbestinum, partim ob lapidem, partim ob calcis similitudinem. Calcem *Graci* ἄσβεστον vocant. Asbestinum autem lapidem igni non absumi, sed nitescere & mundari ex *Plinio lib. 19. cap. 1. histor. nat.* jam audivimus. Asbestum significat incombustibile; & substantivè pro lino, quod ignibus non absumitur, & pro ardente lapide accipitur. Sed Asbeston cum *Varro* dicit *lib. 4. de latin. lingu. lintea* ex eo facta intelligit, atque adeò vestimenta, ut *Adrianus Turnebus lib. 23. Adversar. cap. 1.* interpretatur, à quo tamen *Josephus Scaliger* dissentit, negans id genus Lini inter vestimenta numerandum, cùm potiùs ex eo mappæ conficerentur, quàm vestes. A *Turnebi* latere tamen stat *Cælius Calcagninus lib. 3. epist. 1.* Asbestinas vestes dici asserens ex Lino vivo, lapidi Carystio simillimo: quibus mortui Reges cremebantur, ut iis cinis colligeretur. Nomen ex eo adeptæ sunt, quòd igni non absumerentur. Quas & mortuales non ineptè fortassis cum *Nævio* Poëta dixeris, ita ei appellatas, quibus cadavera induebantur. His consentanea esse videntur, quæ de *Cretico* Lino scripsit *Strabo l. c.* Id enim petram esse ait, quam attritam, capillamentis tantùm remanentibus, excussâ terreâ materiâ, pectinibus aptari, contextamque indè telam peroptimè confici. Eam autem igne non uri, sed sordidatam in ignem projectam emundari. Ipseque adeò *Podocattarus*, *Cyprius* Eques, qui de rebus *Cypriis* historiam prodidit, Linum *Cyprium* penes se habitum *Venetiis* ostendit, in ignem id injiciens, at illæsum ac perpurgatum mundatissimumque indè recipiens. Verùm illud magno est miraculo, quod hujusmodi contexta tela non quidem ab herbis originem ducat, sed à lapide Amianto: qui in *Cypro*

Insula

Insula repertus, malleo contunditur, contusus, excussâ terreâ superfluitate, capillamentis suis lini speciem retinet ac contexitur in telam. Id visum in *Podocattari* ædibus coram eximiæ virtutis viris non paucis testatur *Porcachius lib. 2. funeral.* cui etiam subscribit *Rhodius lib. 13. cap. 18.* Linum hoc in igne semper splendidius evadit; fiunt ex eo thryallides sive ellychnia in usum candelarum peculiarium semper ardentium. Propterea ex hoc Amianto linum confectum, & incombustibile, ut perpetuò lampadibus arderet, in Baptisterio suo *Romæ Constantinus* Imperator statuerat, referente *Dasamo in Sylvestro Papa.* Quin & *Ludovicus Vives in Schol. ad D. Augustin. lib. 21. de Civitate Dei cap. 6.* testatur, se ellychnia *Parisiis* permulta vidisse, quæ, lucernis semper ardentibus, nunquam absumerentur. Amiantus lapis etiam fuit in aurea illa lucerna, quam *Athenis Callimachus* fecit, oleo non nisi post annum dissipato, licèt semper arderet. Mantile olim *Lovanii* medio convivio igni datum, redditumque domino mundius splendidiusque, quâm possit aquis aut smegmatis quibuslibet, prout literis hoc consignavit *Simon Majolus part. 1. dier. canic. colloq. 20. pag. 633.* Lapidem *Carystium*, ut scribit *Matthæus Raderus in Comm. ad Martial. lib. 9. epigr. 77.* Incolæ pectunt, nent, texunt. Indè mantilia conficiuntur egregiè contexta, & incombustibilia. Ea ubi sordescunt, in flammas projecta, non secus emendantur, quàm si maculas aquâ elueris. Meminit etiam *Cœlius Rhodiginus lib. 14. lect. antiq. cap. 18.* ellychnii cujusdam, lino carpasio constantis, & in id ignibus nullum omninò jus fuisse scribit, Refert quoque *Plinius l. c.* huic Lino principatum in toto orbe esse: & linteo eo circumdatam arborem, surdis ictibus, & qui non exaudiantur, cædi. Adhibebantur etiam quondam ejusmodi Lina, ut corpora Magnatum defunctorum servarent integra & incorrupta; quod etiam, ut *Joachimus Struppius Tract. de Mumia Ægyptiac.* & *Phil. Camerarius cent. 1. Horar. Succis. cap. 14.* scribunt, præcipuè cedri oleo, balsamo, croco, myrrhâ & aliis præstabant. *Cl. Joachimus Jungius*

*in Doxoscop. Physic. Min. part. 2, sect. 2. cap. 6.* de lapidibus ignibus invictis ita disserit: *Amiantus in fila discerpi, imò in lanuginem vel contundi vel atteri; Talcus in crustas & laminas tenuissimas findi potest. Ille veteribus quidem notus, sed rarus & pretiosus, hodiè ob copiam vilis: Verùm quia artificium nendi & texendi eum propè intercidit, parum usu tritus, nisi quòd thryallides sive ellychnia ex eo, uti etiam ex talco fiunt, quæ flammis nunquam abolentur. Quibus adjicere etiam licet subviride illud aridum, asperum tenue, quod ex pyritis & lapidibus scissilibus, dum uruntur, exsudat, & ipsum ignibus incombustibile est. Joh. Bapt. Porta lib. 4. Magnat. cap. 25.* testatur, se vidisse Amiantum neri *Venetiis. Olaus Wormius lib. 1. histor. Musei sui sect. 2. cap. 7.* se lanam ex Amianto, fibris longioribus prædito, confectam, & funem ex hac lana contortum, item frustum mappæ ex Amianto contextæ habuisse perhibet. Et *Athanasius Kircherus*, uti scribit, *lib. 8. sect. 3. de Mund. Subterran. pag. mihi 67.* habet in Museo suo integrum scrinium Asbestinis frustis plenum. Chartam ex hisce confectam habet, quæ literis scribendis servit; quas ubi in ignem injeceris, consumptis mox literis, charta veluti igne lota, integra & candidior exit, novisque literis inscribendis servit, ita ut vel unicum folium in perpetuum reciproco amicorum commercio servire possit. Donavit & illi Eminentissimus Cardinalis *de Lugo* redimiculum Asbestino lino contortum, quod igni injectum, si sordibus pollutum fuerit, indè nitidissimum exit. Meminit quoque, se ellychnium hujusmodi Asbestinum lucernæ inditum ad biennium, sine ulla sui consumptione conservâsse, haud dubiè perpetuò duraturum, nisi nescit quô casu id subductum fuisset; ut proindè verissimum sit, quod veteres de ellychnio per ignem inconsumptibili tradidêre.

Lapis hic, qui Lino vivo & incombustibili parando materiam præbet, dicitur *Latinis* Amiantus; Græcis λίθος ἀμίαντος; Latinis Asbestus. *Georgius Agricola lib. 5. de natur. fossil. cap. 9.* eum alumen plumosum appellat. *Germani* dicunt Fe-

Derweisß

derweis / Steinflachs / Schiferweis quippe sunt, qui telas & alia tunicarum genera ex eo conficere nôrunt) Seindacht / quòd ellychnia ex eodem fiant incombustibilia. Alii eum vocant alumen scissile, pulverem Salamandræ, Salmanderhaar: & Amentum amarum quibusdam recentioribus dicitur. Eundem lapidem Asbestum vocant etiam alii Linum Asbestinum vivum, aut *Carystium*, item Carpassium, Carbosum, item Poliam, Spartopoliam, Corsoidem, Bostrochyten, &c. *Encelius* Amianti speciem Katzensilber interpretatur: quod vocabulum Magneti & Micæ meliùs tribuit *Agricola l. c.* *Idem* refert, in *Hildesheimensi* tractu lapidem inveniri fusci coloris, planum, Armoniaci Salis instar scissum: qui tubercula superius habeat clavorum capitibus similia: & ad *Hasdam* pagum alium huic non dissimilem reperiri, candidum tamen & sine tuberculis. Huic etiam similis est lapis, qui in *Subaudia* dicitur Amentum dulce: Amenti nimirum nomine corrupto ab Amianto; verus autem Amiantus non est, sed à quibusdam pharmacopolis vocatur, Entalium. Hic seboris instar candidus est, splendens, inque fila solubilis, sed fragiliora. Videtur autem res gypso cognata. In eo, certo modo præparato, & imagines exprimi possunt, quæ cum ebore aut ipsa nive candore certent. *Paulus Venetus l. c.* lapidem hunc vocat Salamandram, quod Salamandræ instar in igne vivat, aut ejus injurias absque noxa perferat. Sed meo judicio ridiculum est credere, aliquod animal in rerum natura esse, quod humore, spiritu, sanguine, carne, &c. vix aliquo connexu junctis constans, possit in igne degere, ut partes illæ non separentur, exurantur, & ita animal intereat. Fabula etiam communis est, eum ex Salamandræ pilis oriri, quia non consumitur igne, ut Salamandra.

Nascitur autem hic lapis Amiantus, teste *Dioscoride l. c.* in *Cypro*, sed fuscus. Qualem locum natalem hujus lapidis etiam aperit *Sotacus* apud *Apollonium*, sic dicens: Γίνεται δὲ ὁ λίθος οὗτος, καὶ ἐν Καρύστῳ μὲν, ἀφ᾽ οὗ καὶ τοὔνομα ἔλαβεν, πολὺς δὲ ἐν Κύπρῳ.

 Unde

Undè & *Caryſtius* lapis dictus. Et *Sotacus alio loco* ita loquitur: ὁ καρύςι@ λεγόμεν@ λίθ@ ἐπιφύσεις ἔχει ἐριώδεις. Ab urbe autem *Cypri Carbaſo* vel *Carbaſia Pauſanias* vocat καρβάσιον λίνον, quod ex hoc lapide fiebat. *Cl. Johannes de Laet*, ut refert *lib. de Lapid. & Gemmar. hiſtor. cap. 8.* accepit ab amico fruſtum ejusmodi lapidis Amianti è *Cypro* allatum, hic coloris fuit fuſci, conſtans totus è filamentis, ſed admodum fragilibus, ita ut videre non potuerit, quomodo ex iis pannus aliquis texi poſſit; ſimillimus fuit alumini ſciſſili. Vidit alia lapidum fragmenta itidem è *Cypro* allata, ſed quæ è duriori ſaxo conſtabant, & ſuas habebant veluti commiſſuras, è quibus tenuia filamenta educi poſſunt, ſed admodum brevia. In deſertis *Indiæ* locis itidem invenitur, ubi non cadunt imbres, ac in *Aſiæ* provincia quadam. Reperitur etiam in *Italia*, ſed adeò breve ac fragile, ut neri non poſſit. Hinc fit, ut pro alumine ſciſſili vel plumoſo vendatur, & pro ellychniis perpetuis tantùm inſerviat.

Similis videtur hic lapis alumini ſciſſo, adeò ut nonnulli inter ſe confundant. Differt autem ab eo, teſte *Matthiolo Comm. in Dioſcorid. l. c.* quòd hoc in ignem projectum ſtatim exuratur ſaporemque adſtringentem habeat, ille non item. Deindè quoque ab alumine ſciſſo differt & mollitie, & fibrarum diſpoſitione, quas non ſecùs ac in ligno quodam diſpoſitas habet, totusque videtur ex iis conſtare, ita ut multi decepti exteriori forma, lignum putaverint.

Quisnam autem ſit hic lapis, quomodo Natura eum, aut quibus modis compoſuerit, & an reverà ex ſe & ſuâ naturâ ἄσβεςος καὶ ἀμίαντος, id eſt, incombuſtibilis, & in igne incorruptibilis ſit, paucis adhuc perpendam.

Solet à Natura fieri hic lapis ſub figura capillari, colore quandoque albo, ſubindè cinereo, interdum rufo, aliàs ferreo, ſiccus quoad externam ſuperficiem & in filamenta ſolubilis, habet tamen in centro ſuo quandam humiditatem ſtabulantem, viſcidam & oleagineam, nullo igne domabilem; filamenta ita conſtituta ſunt, ut & neri & texi queant, non ſecùs

cùs ac vulgare linum. Est itaque hic lapis compositus ex certa aluminis seu talci specie, ut proindè eum multi alumen scissile, aut alumen plumæ nominandum putârint; est enim multò mollioribus filamentis, quàm alumen scissile instructus, quæ nullo penè negotio, vel ipsis digitis diffindas; expansa verò filamenta semper quid laneum instar gossipii aut candidi serici filis simile indicant, unde non incongruè alumen plumæ dicitur; habet tamen intra proprietatis suæ latebras aliquid viscosum & oleaginosum, adeò terrestri materiæ concentratum, ut ab eo nullâ vi ignis separari possit; quàm virtutem & alia nonnulla mineralia habent, ut aurum & selenitis, quem talcum vulgò vocant; adeò enim viscosum illud, quo nativæ suæ materiæ jungitur, ignique adeò resistit, ut nullis artibus ab ea dissolvi possit, pertinacia tamen in uno majori, in alio minori; selenitem enim cum tempore igni consumi, experientia jam dudum docuit; aurum & Asbestum nunquam; quæ vis sanè mirifica non ab alio, quàm in optimè commisti lapidis temperamento consistit: quâ verò industriâ, & quo ingenio & naturâ contra ignis tormenta aluminosum hoc viscus adeò inseparabili modo & vinculo societur, uti terminos imbecillitatis ingenii nostri longè excedit, ita quoque sapientis non est verbis longè petitis illa explicare.

Asbestum autem in igne durare, & citra ullum nocumentum incorruptum perseverare, frequenti experimento compertum est. Insignis tamen hoc loco error occurrit, dùm nonnulli, qui aut lapidem nunquam viderunt, aut *Autores* de Amianto scribentes non intellexerunt, putârunt, lapidem hunc igni sine ullo addito, perpetuò inflammari. Sic *Camillus Leonardus lib. de lapid.* scribit: *Asbestus ferrei coloris lapis est, quem Arabia producit; Asbestus dicitur, id est, inextinguibilis, quoniam accensus perpetuò retinet flammam sine aliquo liquore.* In qua narratione duplicem errorem committere videtur; dum linguæ *Græcæ* ignarus ἄσβεστον, id est, incombustibile, pro in extinguibili interpretatus est; deindè Asbestum,

igni admotum, inflammari in perpetuam lucem, nulla alterius rei inflammabilis additione putavit; quod quàm falsum sit, experientia quotidiana docet. Nisi enim oleum accesserit ellychnio, omnem in eo inflammando operam perdemus. In eundem errorem incidit, *Dionysius Afer, in suo de situ orbis poëmate:* Asbestum *Arcadiæ* inflammabilem facit hisce verbis:

*Hîc nasci lapidem, qui tacto accensus ab igne*
*Extingui renuit, quem Graii nomine verò*
ἄσβεστον *memorant, ferri nitet ille colore.*

Meritò itaque cunctorum Philosophorum ingenia summoperè vexat mira hujus lapidis proprietas, dum concipere non possunt, in rerum natura mixtum aliquid dari posse, ab omni ignis violentia immune. Ego, relictis aliorum sententiis, quid mihi in mentem venerit, circa admirandam hujus lapidis virtutem & proprietatem, paucis exponam.

Experientia multos docuit, frustum hujus lapidis, vitriariæ fornaci inditum, semper incorruptum extractum esse, quæ mira ad ignis violentiam reprimendam contumacia, necessariò constitui debet, ex iis rebus, igni quàm maximè contrariis, quæ in tribus consistere videntur. Primum est ipsa materia, quæ uti lenta, crassa, & viscida humiditate à natura instructa est, ita quoque ab ignis actuosissima natura non facilè consumi potest. Alterum est, quod dicta materia inexhalabilis sit, &, ut ita loquar, inevaporabilis; experientia siquidem constat, tantò materiam aliquam igni magis resistere, quantò evaporationibus minùs obnoxia; & contrà, tantò faciliùs ab igne corripi consumique, quantò in vapores & halitus magis resolubilis est. Tertium est, ipsius materiæ sinceritas, nulla alterius heterogeneæ rei miscella adulteratæ, ut proindè puræ homogeneæ naturæ corpus fateri necesse sit, & vel indè patet, quod cum ignis potissimum heterogenea disgregare, homogenea verò congregare, teste *Aristotele*, proprium sit; in Asbesto verò omnes partes sine alterius mistura homogeneæ sint, facilè indè colligitur, maximâ eum ad igni resistendum

stendum potentiâ & efficaciâ pollere; & patet in nonnullis aliis rebus, videlicet in auro, adamante, selenite, quin & omnibus saxis & metallis, quæ quamvis igne vehementer resistant, difficulter tamen vel in liquorem, calcem, vel similem à priori differentem formam Chymicâ arte reduci possunt; & si resolvuntur, minimè tamen solidam, quâ prius constabant, substantiam remanere videmus; quod tamen in Asbesto nullum locum habet; hunc enim si vel anno integro in fornacem ignibus torseris, semper tibi extractus, nulla formæ suæ facta alteratione, integer & sincerus spectabitur, undè lapidis Asbesti talis dari potest definitio, seu potius descriptio, quâ ab omnibus aliis fossilibus essentialiter distinguitur. *Asbestus lapis est fibrosus, alumini schisto haud absimilis, lentâ & crassâ viscriditate, seu lentâ & viscidâ crassitie constans, ob omnium partium homogeneum contextum in vaporem resolvi nescius, solus ab omnium actuosissima ignis natura immunis & incombustibilis.*

*P. Martinus Martinius, Tridentinus*, eximius ille *Atlantis Sinici* Scriptor, in *Taniu Tartariæ* Regno supra lapides nasci herbam quandam tradit, quæ ab igne non consumatur; hæc enim in ignem projecta, rubescit quidem, & aliquo modo ignescit, at educta ex igne mox pristinum candorem recuperat, nonnihil in cinerem declinantem; non adeò in longum excrescit, sed sub forma capillaris excrescentiæ, fragilis & imbecillis consistentiæ, aquæ imposita in lutum abit, statimque consumitur. (*) In hac descriptione herbæ Asbestinæ insignem errorem notat *P. Athanasius Kircherus part. 4. cap. 11. Chin. illustrat.*

(*) Quam herbam P. Martinius Scriptor Sinicus in Taniu Tartariæ regno supra lapides nasci tradit, eandem in Galliâ propé montem Pessulanum circa littus maris ad marginem Magellonæ devastatæ me sub aqua maris copiosè saxis innascentem exemisse memini, cum herbationis gratiâ ad montem Setium, junctus eximio Botanico, Joh. Laugerio, & Henrico Magno Heigelio cive meo comitibus Anno 1642. mense Junio proficisceremur. Plantula satis elegans, sed exigua

*illustrat*, dum herbam multi putant, quod ille pura lapideæ substantiæ filamenta asserit: per abusum itaque vel imperitiam hominum, qui dum lapidis hujus efflorescentiam spectant, herbam ex lapide excrevisse inconsultâ naturâ arbitrantur. Hic abusus quoque Latinos inter Autores comperitur, dum filamenta hujusmodi linum dicunt, non quod reverâ linum hujusmodi ex vegetabilium œconomia depromptum sit, sed quôd instar lini filari & texi possit. Est itaque fustis hujus herbæ nihil aliud, quàm efflorescentia quædam ex lapide Asbesto, qui in *Tartariæ* regionibus passim reperitur, evibrata, non secus ac mineralium, salium efflorescentias ἐξανθήματα, sive arbores metallicas per κατάχυσιν appellare solemus.

Et tangua, umbilicata, non crescit in aëre, nec in eo vivit, sed è fundo in ipsa salsâ maris aquâ se conservat, dorso striato innascitur pedicalis cirrisve glabris, nitidis, exilibus crebris, rectis, dimidium indicem altis, singulis singulos quasi clypeolos medio centro substratis & sustinentibus, circinatum umbilicum urachis appensis referentibus. Undè à Monspeliensibus umbilicus marinus nominatur. Viret primum ex squalido, subvirido, cinereoque limo; postea undis & littore ejectum albescit, gustu subsalso & amaro. Hanc videtur Dioscorides l.3. c.133. descripsisse, quod alba sit herba tenui innitens ramulo, amara sine foliis, eamque ἀνδρόσακες nuncupat. Hæc plantula exsiccata dura est, jucundum oculis exhibet anathema; si ad flammam candelæ admovetur, tàm splendens in incendio & præ fulgore visum quasi officiente corusco lumine apparet: nec tamen à flammâ consumitur, licet nimioperè ignescat. Ex igne remota pristinum nitorem recuperat; cujus etiamnum experimentum, quoties libet, capere quivis potest, cui id fuerit volupe. Hujus plantulæ marinæ celebriores mentionem fecére Botanici, Dioscorides, Matthiolus, Lobelius, Dalechampius, apud quos luculentior ejusdem invenienda est cum icone descriptio.

*[Helianthus.]*

Et tandem lapis hic Amiantus insignem usum cùm Medicum, tùm Mechanicum habet. Quod ad usum Medicum spectat, veneficiis resistere creditur ipse omnibus, præcipuè tamen veneficarum; præterea abstergit, & scabiem curat cum aqua vitæ & saccharo solutus. Si mixturæ ejus aliqualis portio quotidiè tempore matutino exhibeatur, album fluxum mulierum mox iri sanatum dicunt. Præparata officinalia, quæ Amiantus ingrediatur, præter unguentum citrinum, ferè nulla sunt. Commendant tamen nonnulli supra modum linimentum ad tineam puerorum, & ad ulcera tibiarum, quod Amiantus ingreditur, hincque admodum miraculosum fit. Istud sequenti modo paratur. ℞. Lapid. Amianti ℥iv. Plumbi ℥xij. Tutiæ ℥ij. Calcinentur; deindè pulverisata in vitro macerentur cum aceto, ac quotidiè per mensem materia agitetur semel; post mensem ebullienda est unius horæ quadrante, ac quiescere sinatur, donec inclarescat; deindè illius aceti clari quantitas cum pari quantitate olei rosacei misceatur, donec bona fiat unio, & linimenti forma idonea: eo inungatur caput pueri totum, ut citò sanetur: ad scabiem & ulcera tibiarum vesperi partes ungantur, donec sanentur.

Usum mechanicum insignem etiam hic lapis Amiantus habet. Ex hoc, utpote flexibili, telæ elegantes spectaculi gratiâ conficiuntur, quæ ignibus injectæ semper ardent. Attritione facilè solvitur ille in tenuia filamenta, instar plumæ canescentia. Ligni modo fibrosus est, mollisque & candidus vel subviridis. Id quod dum teritur, lapis efflorescit in plumas (flos petræ vocatur.) Cum cuti applicatur hujusmodi flos, urit urticæ instar, ob asperitatem aculeorum tenuium, qui carnis poros penetrant & continuum solvunt. Id sciunt passim gnathones, qui florem hunc impalpabilem inspergunt internis camisiarum partibus, ut socii iis induti incredibili pruritu ac dolore afficiantur. Fila hujus lapidis lineis non sunt dissimilia; Sole siccata teruntur in mortario æneo, postea lavantur, ac à terra purgantur nenturque ac deindè texuntur.

tur. Modus texendi non ita nobis notus eſt, & hac ætate magis periit. Plura de hoc lapide ſcripſerunt *Cornelius Agrippa lib. 3. occult. phil. Guid. Pancirollus de Reb. memorab. part. 1. tit. 4. Anshelmus Boëtius lib. 2. de Gemm. & Lapid. hiſt. cap. 204. Joh. de Laet lib. 2. de Lapid. & Gemmar. hiſtor. cap. 8. Athanaſius Kircherus in Mund. Subterran. lib. 8. ſect. 3. cap. 1. item part. 4. cap. 11. Chin. illuſtrat. Caſp. Schottus part. 4. Mag. lib. 2. Syntagm. 2. cap. 1. §. 10.* & alii.

[*Author.*]

D. Franc. Ferd. à Troilo in Itinerario ſuo Orientali, Dresdæ A. 1676. typis excuſſo, pag. 29. & 30. de Amianto Cyprio, ſe eundem in Inſula illa vidiſſe, ſtrophiola etiam aliaque ex eo confecta ſecum indè exportâſſe refert: Ipſum lapidem ſubfuſci, fila autem ex eo, fortiter priùs contuſo, ducta albicantis quodammodo eſſe coloris; ex quibus lintea contexere ſoleant, quæ in ignem per exiguum temporis ſpatium conjecta, à ſordibus repurgentur, aquæ autem impoſita omnino indureſcant, inque lapideam compagem concreſcant. Ipſe etiam particulas aliquas Amianti lanæ inſtar molliſſimi, argenteo colore nitentis, ac partim ex fibris digiti longitudinem æquantibus, partim brevioribus, conſtantis poſſideo; ex quibus, ſi major ſuppeteret copia, facilè liceret fila ducere. Illas autem dono debeo Excell. D. D. Jacobi Barneri, qui ab Amico acceperat, ex Sabaudia, uti referebatur, ceu loco natali adportatas; cæterùm ſordidiores factæ, in ignem ſi conjiciantur, priſtinum nitorem recipiunt; aquæ tamen impoſitæ lapideam illam duritiem non induunt. Idem Barnerus in literis Monachii A. 1673. 10. Junii ſcriptis me admonuit, in vulgari Asbeſto quandoque ſtrias aliquas lanæ ſimiles reperiri; quales apud Nob. D. D. Caſſium Hamburgi vidiſſe ſe recordabatur; unde conjecturam faciebat, Sabaudicum quoque illum eundem habuiſſe ortum. Quæ ſanè cum illo quodammodo conveniunt, quæ Cl. D. Tilingius

gius in Scholio ſuo ex Laëtio attulit, qui dura lapidum fragmenta è Cypro allata vidit, è quorum commiſſuris tenuia & brevia fila educi poterant. Ex quo, naturam quandoque lapidi huic flexibilitatem concedere, ſatis eluceſcit; quâ ſi careat, arte eandem conciliare nonnulli laborarunt. Modum verò ipſum Cl. D. Joh. Hel. Jungken in Medico præſenti ſeculo adcommod. part. 1. ſect. 4. cap. 9. alienâ fide edocet. Alium etiam Excell. D. Paul. Ammannus Manuduct. ad mat. med. ſect. 1. cap. 3. §. 3. profert, qui cum Kircheriano illo coincidit, quem, lib. 8. ſect. 3. cap. 2. Mundi Subterr. inter maxima arcana repoſitum, & qui non niſi oretenus Regibus & Principibus communicandus ſit, lib. 12. ſect. 5. part. 3. prop. 18. innuit, per lixivium nempe ex calce viva & iſatidis cinere factum; quod artificium num ſuccedat, experimenta eapropter inſtituenda nos aliquando certiores facient. Me ſanè uterque modus fefellit. Amiantum etiam pro charta & tela parand. rationem noſſe ſe Illuſtr. D. Manfr. Septalius olim profitebatur; qualem ſemipræparatum, donum Viri hujus humaniſſimi ſervo; ipſa vero ex Amianto artefacta varia, in Muſeo ejus occurrentia, denominavit Excell. D. P. M. Terzagus cap. 55. Muſ. Septal. Quamvis, quod Septalianum illud donum attinet, niſi Viri illius optimi autoritas aliud ſuaderet, de iſta maſſa, quæ filis ducendis inſervire debeat, lubentiùs dubitarem, cùm filamenta asbeſtina majori ex parte in minutas particulas ibi ſint contrita, quas tamen longiores, ſi per contorſionem inſtituendam cohærere debeant, requiri, rationi conſonum videri poſſet.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

# OBSERVATIO LXII.

## D. MATTHIÆ TILINGII.

De

## Febri malignâ ſingultuosâ non lethali in fœmina quâdam.

TYpographi noſtri Academici Uxor nuper in febrim malignam incidebat; cui ſtatim ab initio aderant varia ſymptomata, ut membrorum omnium laſſitudo, virium imbecillitas, inappetentia, ſingultus, ingens oris amaritudo, ſitis inexhauſta & linguæ ſcabrities. Singultus autem erat perpetuus, & tantus, ut abortum quoque concitaret. Horum pathematum cauſa erat humor malignus, acris & erodens, qui tunicis ventriculi impactus, ſingultum excitabat. Ego in auxilium vocatus, ſtatim præſcripſi Julapium, acrem, malignum atque mordacem iſtum humorem infrænans. Eum ad partes ignobiles crurum vinculis, frictionibus, cucurbitulis diſtrahere, atque porrò decocto Scorzoneræ, cum Syrupis de rib. acetoſ. citri, granator. papav. rh. præparato, contemperare tentavi: extra ventriculo etiam olea & emplaſtra corroborantia appoſui. Aſt hæc omnia opem nullam tulerunt. Ad narcotica etiam accedere coactus ſum, quæ æquè ac priora vehementem ejusmodi ſingultum tollere non valebant. Tandem malum hoc ferax ſolùm emulſione, ex ſemine melonum cum aquis convenientibus & Margaritis præparatis confectâ, eſt edomitum; hæc enim narcotici medicamenti inſtar acerrimum humorem & correxit & infrænavit.

### SCHOLION.

PRæcipuum in febri hac maligna ſymptoma fuit ſingultus, λύγξ, λυγγὸς, & λυγμὸς, quo affecti vocantur λυγγώδεις, id eſt, ſingultuoſi. Non verò quilibet ſingultus febrim facit, quæ

quæ λυγγώδης, id eſt, ſingultuoſa dicitur. Nam, ut ſingultuoſa vocetur, inquit *Galenus 4. acut. 69.* permanere amplius debet ſingultus, vel etiam per totum morbum ſimul cum febre exacerbari. Intelligimus tamen per totum morbum, id eſt, ex quo ſingultus cœpit ægrum corripere. Etenim poteſt aliquando ſimul cum febre adeſſe, ut in hac fœmina, & tunc eſt ἐπιφαινόμενον, id eſt, mox apparens; aliquando evenire poteſt poſt primos dies, & eſt ἐπιγενόμενον, id eſt, ſuperveniens. Attamen debet perdurare; ex ſingultu enim, qui facilè evaneſcit, non dicitur febris ſingultuoſa: ſolet namque ſingultus facilis ſpiritûs cohibitione, pitiſſando, terrore, vomitu, vel ex *Hippocratis* ſententia *ſect. 6. aphor. 13.* ſternutatione evaneſcere: ut contigit *Ariſtophani*, qui cum ſingultiendo rumperetur, neque ſpiritum cohibendo, neque bibendo levaretur, tandem ex præſcripto *Eriſymachi* Medici, citatâ ſternutatione, ſingultiendi finem fecit Itaque *Galenus* eos, qui vomitu bilioſo à ſingultu liberantur, febre ſingultuosâ detentos vocari vetat.

Inſuper ſingultus eſt motus ventriculi depravatus, quo rem ſibi noxiam expellere conatur. Hinc *Excell. Paulus de Sorbait Med. pract. tractat. 1. cap. 51.* Singultum facultatis expultricis ſymptoma vocat, quo ventriculus cibos malè complectitur, & vitium, quod in tunicis hæret, excutere nititur. Ubi à vomitu diſtinguitur ex eo, quòd materia, quæ vomitu rejicitur, in ventriculi cavitate continetur, & ille totus invertitur, ut materiam illam excludat: in ſingultu verò materia peccans tunicis ejusdem profundius infixa eſt, ideò ventriculus ſeſe conſtringit, ac fibras ſuas concutit; ut eam excludat. Et ut nauſea quoque in hac definitione comprehendatur, dico, motus ventriculi expulſivos tripliciter fieri: vel enim natura quandoque vult inſurgere ad expellendum, & non poteſt; aut non ſufficienter ad hunc motum irritatur, & tunc nauſea fit, aliquando inſurgit & expellit, & fit vomitus; vel denique inſurgit, ut expellat, ſed non poteſt expellere, & tunc fit ſingultus.

*Galenus lib. 2. de causis symptom. cap. 2.* Singultum vocat convulsionem, ex convulsione musculorum, qui inspirationem faciunt; & hinc motus ventriculi violentus concussivus sive convulsivus dicitur, quo tunicæ ipsius, id, â quo pertinaciter molestantur, excutere laborant. Est motus hic convulsioni similis; non propriè convulsio vera, quæ solis musculis competit, & partibus voluntario motu donatis. Convulsioni tamen similis est, propter irritatos ventriculi vel œsophagi nervos.

*Aristoteles sect. 30. probl. quæst. 1. & 5.* Singultum facit affectum pulmonum. Verùm per singultum eo loco non intelligit *Aristoteles* verum singultum, qui ventriculi passio est, sed motum quendam partium, respirationi inservientium, qui fit, dum irritatur tussis, sed non completur. Hunc motum, seu improprium singultum, assimilari alicui modorum motus tussis, quæ est in pulmone, & ejus velamine ad expellendum humorem noxium, censet *Avicenna 23. 3. tr. 5. cap. 19. in principio.* Quare per consensum, non per se, à pulmonibus oriri, singultum adfirmo.

Quoniam verò singultus convulsioni similis est, hinc illi, prout & huic, duplicem causam assignat *Hippocrates sect. 6. aphor. 39.* inanitionem scilicet & repletionem: per inanitionem, tanquam per causam privativam, intelligitur summa siccitas; qualis succedit inediæ, vigiliis, evacuationibus immodicis, febribus & inflammationibus. Per repletionem verò, ut causam positivam: intelligitur superfluus crassusque humor, ventriculi tunicis profundius impactus, eum gravans; acris, pungens, flatuosus vel teter; quidam vapor, cibus pravus, corruptus, aut medicamentum, crisis inaniens, frigus, quod constringendo & densando transpirationem impedit, adeoque replet. *Galenus* & *Avicenna* tertiam addunt causam, nempe irritationem à materia acri. Alii anxiè laborant, ut materiam irritantem ad repletionis genus trahant, quò sententiam *Hippocratis* illæsam tueantur. Verùm ubi res ipsa

loquitur perspicuè, non opus est rerum evidentias propter *Autorum* verba confundere & obscurare. Quid enim clariùs est, quàm singultum fieri à facultate expultrice irritata? Quæcunque igitur irritationem illam efficere possunt, erunt causæ proximæ singultus: jam verò humores & vapores quantitate vel qualitate peccantes, ventriculum irritare possunt ad expulsionem; & sic repletio & acrimonia erunt causæ diversæ, toto genere distinctæ. Inanitio verò quomodo singultum excitare possit, non est facilè explicare. Cum enim illius essentia consistat in defectu, nemo dixerit, naturam insurgere ad defectum expellendum; quin potius movebitur ad illum reficiendum ac reparandum: & sic attractricem potius, quàm expultricem facultatem movebit. Si verò interdum singultus magnus evacuationes sequatur, ut in acutis & malignis febribus, & purgatione ex helleboro contingit, id non evacuationi simpliciter tribuendum, sed potius malignæ cuidam facultati à morbo, vel medicamento ventriculo impressæ.

Causat denique singultum variarum partium consensus, ut meningum cerebri, uteri, intestinorum, hepatis inflammati, ob vasorum vel partium communionem & sympathiam.

Materia autem singultum efficiens, vel in ipso ventriculo colligitur, vel aliundè ab hepate, liene, intestinis aliisque partibus, vel etiam toto corpore communicatur. Sic alimenta vel medicamenta acriora, humores acres, aut lumbrici mordentes in ventriculo contenti, singultum idiopathicum producunt. Sympathicum verò inferunt vicinarum partium inflammationes, transmisso ad ventriculum ichore, aut vapore acri: tùm etiam quòd tumor, hepate præsertim inflammato, ventriculum comprimat; undè facultas expultrix assiduè irritatur. Denique à toto corpore ad ventriculum possunt transferri humores, vel vapores acres; in affectibus totum corpus occupantibus, ut interdum in febribus acutis & malignis contingit.

Materia

Materia igitur sive advena, sive indigena, in ventriculi orificio consistens ac fermentescens, febrem excitat singultuosam: febrem (inquam) ob fermentum febrile ibi delitescens; singultum ob irritationem. Quod si indè vel discussione, vel evacuatione extrahatur, utrumque cessat, nempe febris & singultus, quippe hæc duo ab una causa fiunt. Si non extrahatur, sed duntaxat ab eo loco removeatur, cessabit singultus, (erat namque ratione loci) remanebit febris, remanente in corpore humore fermentali. Si materia fermentalis corrigatur, maneat tamen tunicis ventriculi aliquantula materia profundius impacta, cessabit febris, sed singultus permanebit amplius. Cæterùm in ea potest singultus statim advenire, si statim materia mordeat, & erit symptoma epiphænomenon: poterit & paulò post aucta cum materia fermentali mordacitate supervenire, & erit epigenomenon.

Potest etiam, nulla in orificio ventriculi materiâ existente, sed duntaxat compatiente illo ad alia, fieri singultus, idque dupliciter, primò ob συγγένειαν, gentilitatem, sanguinitatemque, cùm scilicet parte aliquâ nervosâ affectâ, nervosum genus, & nervorum origo, cerebrum, in consensum trahuntur; & quoniam ventriculi orificium plurimos magnosque participat nervos, concutitur & convellitur, cumque pars primò affecta febrem inducat, inducit similiter singultum. Et licèt singultus, simul cum febre adveniens, sit febris epiphænomenos; nihilominus ratione passionis nervorum, quæ nonnisi valdè aucta, ventriculum in consensum trahit, erit epigenomenos.

Singultus ergò in febribus malignis & adurentibus gravis admodum, reprobus & suspectus est affectus, sive proprio vitio ventriculi, sive per consensum aliarum partium, præsertim hepatis accidat; cùm enim in iis ab acribus venenosisque halitibus, & ventriculum nimis sensilem mordentibus ortum ducat, maximum periculum portendit: quippe sæpè vapor malignus in orificium ventriculi effusus, deteriorem, quàm

quàm quivis humor acer & mordax singultum inflixit, qualem sæpissimè comperimus malignis & pestilentibus febribus atque etiam hepatis inflammationi supervenire, & maximè, cum spes in angusto, & cor morbi malignitate opprimitur.

Fit tamen interdum etiam ille singultus ab humoribus acribus & malignis, tunicam ventriculi interiorem vellicantibus, & facultatem illius expultricem stimulantibus.

Quamvis autem *Mercurialis in Comm. ad citatam Hippocratis historiam lib. 3. epid.* se neminem in febribus malignis vidisse cum hoc symptomate servatum, scripserit, & singultus etiam in omni febre periculosus, non tamen semper ex necessitate mortem adfert; potest enim in febribus fieri singultus ob crisin instantem, si signa coctionis materiæ in morbo manifestè appareant. Sic enim indicat crisin vomitu futuram; ubi quoque febrientium multi sæpè, evomitâ materiâ acri & malignâ, ab hoc symptomate gravissimo liberantur. Clarissimorum Medicorum observationes etiam testantur, multos in febribus malignis singultu affectos, remediis alexipharmacis & narcoticis quoque fuisse curatos. Sic *Gregorius Horstius lib. 1. de Febr. observ. 25.* in Studioso quodam, febri continuâ laborante, Laudani Opiati gr. iij. vel. iv. cum pauxillo Theriac. & Conserv. rosar. exhibitis, ad miraculum usque hoc symptoma curavit. Meminit etiam in *Appendic.* honesti cujusdam civis *Ulmensis*, febri continuâ graviter laborantis, cui, inclinante morbo, singultus per aliquot dies ægrum crucians successit, qui per decoctionem Sem. anethi, fœniculi, &c. cum Mithridatii portiuncula permistâ, post evacuationem præmissam, ab hoc symptomate liberatus fuit. Et ego sæpius in febribus malignis & pestilentibus singultu laborantes habui, quos à periculosissimo hoc affectu remediis salutaribus adhibitis vindicavi: Plures etiam vidit *Zacutus Lusitanus lib. 2. Medicor. princip. Histor. 75. Dub. 44.* Singultu pertinaci ac continuo in febribus malignis correptos, qui multis auxiliis cum non curarentur, cucurbitulâ scarificatâ super os ventriculi impositâ,

levati sunt. Habet ea eximiam sanè pro curanda febri singultuosa vim.

Hinc non inutile judicat *Laz. Riverius Med. Practic. lib. 9. cap. 5.* & ante eum alii Cl. Medici in singultu cucurbitulam cum multa flamma ventriculo applicare, ut & dorso, eâ parte, quâ stomachus vertebris annectitur. Vid. & *Joubert. lib. 1. practic. cap. 2. ex Mollenbrockio pag. 561.*

Non solùm autem in febribus malignis, sed quoque in aliis morbis singultus admodum periculosus, reprobus & suspectus est, de quibus vid. Authores, imprimis verò antiquissima licèt, verissima tamen Hipp. scripta.

Verùm, ut ex singultu certiora de morbi exitu possint sumi indicia, reliqua etiam signa sunt perpendenda: quæ si lethalia & perniciosa sint, certius etiam de morte ægri faciunt indicium; qualia signa sunt vomitus mali, sudores frigidi, extrema frigida non recalescentia, &c. Non enim omnis singultus lethalis & perniciosus est; qui citra febrem aut alium morbum à causa primitiva, ut frigore, cibo aut potu, vel frigido, vel calido, vel acri ortum habet, aut alia simili, quæ nondum alium affectum induxit, nihil insignis periculi portendit. Talis est singultus, qui pueris, cum se supra modum repleverunt, accidit, ut habet *Galenus Comm. in aph. 13. sect. 6. Hipp. & lib 8. de composit. medicam. sec. loc. cap. 3.* Talemque singultum vomitus curat, & sternutatio solvit, ex *aph. 13. sect. 6. Hipp.* Ast post nimiam inanitionem, & cum inflammationibus viscerum, ac febribus singultus semper periculosus est. Cujus portentosi & insolentis singultus meminit *Lazarus Riverius in observ. communicat. pag. mih. 332.* Nec is periculosus & perniciosus videtur, cujus causa facilè vel per urinam, vel per alvum excernitur. Sæpè hic à materia crassa & pituitosa excitatur; quæ acris, sive per exustionem à febrili calore, sive per succi biliosi admistionem evadit. Hujus portio, si ad urinas penetraverit, splendens urina apparebit, & vel ideò utilis erit, quòd humor noxius à ventriculo ad renes derivetur. Per biliosas

liosas verò excretiones humor interni incendii excutitur, & ita & singultus, & aliquando principalis morbus, tollitur. Aliquando, inquam: Necessaria enim hæc non esse, vel indè patet, quod humorum non unica sit in morbis excretio, sed plures, quamvis frequentissimè per hanc viam eos excerni contingat. Et hæc mens etiam *Hippocratis* est in *Coac. prænot. 186.* ubi catalogum eorum symptomatum, qui singultum in morbis antecedere solent, quotiescunque Spiritus turbidus, crassus, caliginosus ac nebulosus, & alvi excretiones genituræ similes soporosis affectibus annectuntur, texit.

Singultus nonnunquam diuturnum malum est, ægrumque valdè affligit, refertque *Marcus Gatinaria lib. de curis ægritud. particular. cap. de Singultu*, Juris Doctorem *Papiensem* 12. dies singultu laborâsse. Et *Epiphan. Ferdinandus histor. 43.* curavit *Augustinianum* Theol. Professorem, qui 20. dies cum mortis periculo singultu laboravit, & Mechoacannæ ℥ß. in vino albo infusâ, & aliis purgantibus liberatus est. *Massaria* etiam *Vincentiæ* curavit tabellarium, qui 40. dies & plures singultu laboravit, & tandem aquis thermalibus liberatus fuit. Novit *Petrus Forestus lib. 18. obs. 12.* vetulam octuagenariam, matrem uxoris illius *Ortelii* à Regina *Angliæ* missi ad Comitia *Batavorum*, quæ per semiannum subindè singultiebat; remediis nihil juvantibus, nisi devorato loch sano, quo se tantùm juvari asserebat. Quæ vetula postea, relicto singultu, etiam nunc, cum hæc adderet *Forestus*, vixit; quamquam duos annos lecto perpetuò incumbens, viribus exhaustis, vitam finiverit. Singultum trimestrem in viro quodam observavit *Fernelius lib. 6. pathol. cap. 3.* Continui singultus meminit *Joh. Rhodius cent. 2. obs. 61.* duodecim dierum *Tulpius lib. 4. obs. 25.* quatuor annorum *Thomas Bartholinus cent. 2. histor. anat. 4.* Ego civem quendam *Bremensem*, cujus mentionem feci in *Tractatu meo de Laudano Opiato*, qui 14. & plures dies singultu laboraverat, Laudani Opiati usu curavi. Singultus frequens ac præter consuetudinem longus in febribus, ut arguit hepar in-

flammatum, teste *Cornelio Celso lib. 2. cap. 8. de Re Medic.* sic indicat, febre declinante, os ventriculi acri bile, ac aphthis obsideri; qui singultus, quantumvis minus periculi quàm terroris habeat, excurrit tamen non raro ad duodecimum diem; quem terminum ipsi assignârunt *Marcus Gatinaria Med. practic. cap. 36. & Hercules Saxonia lib. 3. cap. 9.*

Cùm verò in fœmina illa febris singultuosa ex mordacibus, acribus, calidis ac venenosis humoribus, orificium ventriculi nimis sensile mordentibus, orta sit, emulsione seminis melonum cum aquis refrigerantibus, humectantibus nec non corroborantibus & Margaritis præparatis confectâ, præ omnibus aliis remediis salutaribus adhibitis, eam tollere potui. Sic enim ejusmodi humorum acrimonia hebetata, mordacitas infrænata, malignitas repressa, & vis pungens ventriculumque lacessens contemperata est. Si enim hosce non attemperemus, ducto in consortium cerebro, nervorum principio, convulsiones & alia perniciosa mala tandem suscitantur. De febre singultuosa leguntur multa apud elegantissimum *Lupeum Cureleanum lib. 3. enchirid. cap. de singultu.*

## OBSERVATIO LXIII.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
*De*
# Urinâ nigrâ, à viro quodam febri malignâ laborante emissâ, non lethali.

JUvenis quidam *Steinbergæ* in nostra vicinia habitans; aliàs melancholicus & hypochondriacus, incidebat, elapsis duobus annis, in febrim malignam, quæ tunc temporis admodum grassabatur. Ille febrili æstu, siti, inquietudine doloribus capitis, totius corporis lassitudine, nec non virium imbecillitate tentatus, per fratrem suum misit mihi urinam, maximoperè contendens, ut ex ea morbi sui statum

ſtatum cognoſcerem & ipſi ſalutaria remedia præſcriberem. Urinam videns perterritus ſum, cùm planè nigra & inſtar atramenti ſcriptorii eſſet. Frater autem ejus dicebat, iſtam urinam eſſe verè nigram, fratremque ſuum hiſce diebus ſemper talem urinam nigram reddidiſſe. Ego, ſignum hoc eſſe criticum conſiderans, auxilium meum ipſi non denegavi, & præſcripſi ſtatim ſudorifera & alia convenientia remedia, quibus aſſumptis, etiam mox integram ſuam valetudinem recuperavit.

*SCHOLION.*

URina redditur nigra, dum ſubſtantiæ ſuæ ratione liquor vel eſt niger, vel id nigrum eſt, quod in liquore continetur. De nigro hoc colore in urinis *Autores* non eodem modo docent, & controverſum eſt, ex quibus cauſis internis nigræ & lividæ urinæ reddi poſſint. Nam de externis nihil dubii eſt, ex rebus quibusdam aſſumptis, urinas nigro colore infici poſſe. Sic teſtatur *Mercurialis lib. de Urin. cap. 6.* ſe obſervâſſe, clyſteres factos ex ſapa ſola, urinas atras reddidiſſe. *Avicenna* quoque & *Rhaſes* referunt, urinas nigredine infici, ſi quis liguſtri albi fructu corpus illinat. Sena ac caſſia aſſumpta ſubnigro quoque colore urinas tingunt.

De cauſis verò internis docet *Galenus lib. 1. de criſib. cap. 12. & lib. 2. prognoſt. cap. 29.* Nam ſicuti videmus ſanguinem congelatum nigreſcere, atque etiam particulas corporis extremas mortificatas nigrere: ſic contingit urinam frigore interno evadere atram. Et quemadmodum experimur, ſanguinem, aut aliam materiam morbificam combuſtam, nigredinem acquirere, & corpora diutius ſoli æſtivo expoſita, nigra reddi: ſic urina nigra vel excedentem calorem, aut vehementem frigiditatem præſupponit.

Verùm *Cl. Daniel Sennertus lib. 3. part. 1. ſect. 3. cap. 5.* jam dixit, quid intemperies ad urinæ colorem conferat, nimirum varium ſerum generare, & ad variorum humorum generationem conferre, qui urinæ poſtea admiſti eam tingunt.

 Ideo-

Ideoque *Aëtius* hoc quoque rectè exposuit *tetr. 2. serm. 1. c. 44.* ubi docuit, non ex frigiditate vel caliditate simpliciter urinam fieri nigram, sed quòd ex caliditate vel frigiditate generetur materia nigra, quæ urinæ admisceatur. Adduxit igitur tres urinæ nigræ causas: primò humorem melancholicum, qui expurgatur; secundò ipsam atram bilem, tùm quæ ab assatione; tùm quæ à frigiditate facta est. Primò enim aliquando urinæ nigræ minguntur ab iis, qui lienis debilitatem patiuntur, aut dum aliàs Natura humorem crassum & atrum evacuat, ob cujus admistionem urinæ nigræ redduntur, quæ periculosæ non sunt, sed etiam nonnunquam cum commodo emittuntur, ut rectè *Petr. Franciscus Phrygius Comm. in Histor. Epidem. Hippocratis part. 3. ægr. 3. pag. mihi 400.* scripsit. Deinde urina fieri potest nigra, si bilis ita exuratur, ut in atram bilem abeat, & tanta ejus copia generetur, ut etiam urinam tingere possit.

De tertio modo res intricatior est, & quomodo ex frigiditate aliquis humor niger urinæ admisceri possit, non ita planum est. *Aëtius l. c.* dixit, esse bilem atram, quæ ex frigiditate fiat, quem sequitur *Capivaccius.* Sed *Argenterius lib. de urin. cap. 12.* & *Mercurialis lib. de urin. cap. 6.* tantùm duas causas admittunt urinæ nigræ, humorem melancholicum, & bilem atram exustam, & contra eos, qui ex frigiditate insigni urinam nigram fieri statuunt, disputant. Verùm commodissimè hanc tertiam urinarum nigrarum causam explicant *Johannes Baptista Montanus & Hercules Saxonia lib. de urin. cap 12.* ubi statuunt, non aliquam atram bilem ex summa frigiditate nasci, aut frigiditatem urinas simpliciter tingere posse, sed extincto calore nativo & spiritibus sanguinem non minùs in vasis, quàm in partibus externis nigrescere, & postea permistum urinis eas lividas vel nigras reddere. Non enim impossibile videtur, sanguinem eodem modo, ut in gangræna in partibus externis, ita etiam in vasis interioribus in morbis pessimis & lethalibus corrumpi, & extincto calore

nativo

nativo putreſcere poſſe, qui urinis communicatus eas nigras reddit: quæ propterea periculoſiſſimorum morborum ſunt indicium.

Urinæ ergò fiunt nigræ, ſi bilis, humor atrabilarius, aut ſanguis corruptus cum tartaro, ſalibus vitriolatis ac impuris, aliiſque partibus ſulphureis coquuntur, uniuntur ac in coloribus exaltantur. Bilem cyſtide felleâ ſi eximamus, leniquе calore in vitro vel per ſe, vel adjecto vini tartaro digeramus, modò viridem, modò fuſcum, nigrum aliumve colorem videbimus. In ictero diutius durante flava bilis in ſanguine cum ſalibus volatilibus, fixis, & parte terreſtriore diutius cocta, & quaſi exuſta primò colorem flavum ſaturatiorem, deindè viridem, & tandem nigricantem exhibet; quare in ictero nigro, qui tantùm eſt flavus diuturnâ morâ in deterius evectus, nihil uſitatiùs eſt, quàm urinas atratas reddi. In cauſone aliiſque adurentibus febribus, ſanguine & humoribus in vaſis aduſtis, urinas nigras excerni novum non eſt. Tales autem urinæ, teſte *Thomâ Williſio Diſſertat. Epiſtolic. cap. 4. pag. mihi 355.* in febribus malignis, peſte, ut & ab epoto veneno plerumque ſunt ſignum lethale; notant enim ſanguinem corruptum, & veluti affectum profligatis ſpiritibus ac ſoluto mixtionis vinculo per νέκρωσιν inductum: non ſecus ac cum pars aliqua in corpore noſtro ulcere affecta, poſtea gangrænâ aut ſphacelo corripitur, illicò ſanies, quæ prius aquoſa, alba aut flava effluxerat, nigra evadit. Quare in affectibus citatis cum urina nigricat, ſero & ſanguine per totum vitiatis, etiam cutis externa tali colore obfuſcatur.

Nunc diſpiciendum nobis eſt, num urinæ nigræ aliquando ad bonum judicent. Illæ poſſunt conſiderari in duplici ſtatu, vel ſano, vel morboſo. In ſtatu ſano etiam viſæ ſunt bonæ. In ſana diſpoſitione nigram mingi urinam impoſſibile omninò *Chriſtophorus à Vega* reputat: quòd non accreſcat unquam in ſanorum venis niger humor eâ copiâ, ut urinas tingere poſſit. Id non facilè admittit *Johannes Bellfortis Comm.*

*Comm. ad librum Galeno* attributum *de urinis pag. 72.* licèt enim is ſecundum naturam parcior aliis humoribus habeatur in vaſis; tamen in ſicco & frigido temperamento exuperare humorem nigrum certum judicat, cùm ab ipſo temperamentum ſiccum & frigidum appellationem ſortiatur. Sic Carmelita quidam Monachus, natione *Hiſpanus*, temperamento frigidus & ſiccus, ſpatio ſex annorum, quo incolumem eum novit, nigram urinam profudit, & talem mejere ſolitus eſt toto ſuo ævo. Item *Tardanellus Italus* talem urinam toto vitæ ſuæ curriculo emiſit, quam ſanguis hæmorrhoidum melancholicus cum urina profuſus, nigram reddidit. Et convenire dicit manifeſtè ratione humoris retrimentùm perpetuò repurgari, quò temperies corporis, quam talis humor conſtituit ac fovet, ſalubris permaneat. Vidit etiam citatus *Autor* aliquando equitis cujusdam lotium nigrum, qui tamen nondum ægrotus decumberet, nedum extremum diem obiret. Fuiſſe & puerum quendam Scholaſticum narrat *Guil. Adolphus Scribonius libell. de urinar. inſpect.* qui nullo morbo correptus urinam minxit tàm nigram, ut qui viderent, atramentum eſſe putarent.

Rarum eſt, quod habet *Zacutus Luſitanus lib. 3. prax. admirand. obſ. 134.* de quodam, qui à pueritia usque ad ſenium urinas inſtar atramenti ſcriptorii nigras emiſit; ſanus nihilominus vixit, uxorem duxit, ac numeroſæ prolis factus fuit parens.

Deindè in ſtatu morboſo *Galenus lib. 1. de criſib. cap. 12.* peſſimam judicat urinam nigram, & neminem ſervatum vidiſſe ſcribit ex iis, qui hanc urinam minxerunt; nam vel maximum incendium denotat, vel partium mortificationem oſtendit, ut prius prædixit *Hippocrates in variis locis.*

Non eſt tamen ita temerè recipienda *Galeni* de urinæ nigro colore condemnatio. Si ipſe nullum viderit ſervatum, qui urinas minxerit nigras, viderunt poſteriores & multi celebres; quare in univerſum tantoperè damnandæ non ſunt

urinæ nigræ, ne si in acutis morbis addamus, ne si jungamus etiam pravorum signorum societatem. Nam præter *Rhasium*, *Avicennam*, *Actuarium*, etiam in *Epidemiis* vidit nonnullos servatos *Hippocrates*.

Quapropter prudentissimè dixit *Avicenna 2.4.tr.2.c.85.* *Quod non semper verificetur judicium de morte ob nigredinem coloris in urina, in ægritudinibus acutis; licèt in se ipso sit signum malum, quamvis associentur ei aliqua signa mala; nam multoties natura fortis ac potens facit evacuationes diversas, maximè si excretiones nigræ confertim fiant*, ut *Hippocrates sect.4. aphor.47.* notavit. Sic, referente *Cl.* Se*nnerto lib.3.Institut.Medic. part.3. cap.6.* Vir quidam in itinere incidit in febrem continuam satis ardentem, & cum ad Se*nnertum* circa quintum morbi diem venisset, urinam illi monstravit planè nigram & turbidam, ac si aquæ limosæ atramentum miscuisset. Duravit ea per dies ferè quatuor, sensimque postea & nigredo, & turbulentia remisit, urinaque clarior & flavior fieri incepit. Febris tamen nondum planè desiit. Intumuit illi postea pes sinister cum insigni dolore. Remisit febris; tandem etiam dolor & tumor, ac convaluit.

Hinc urinâ nigrâ in morbis quibuscunque, etiam in febribus continuis & ardentibus apparente, non statim de salute ægrorum desperet Medicus, sed distinctionem inter urinæ nigredinem criticam & symptomaticam faciat; hæc, ex vi morbi summa & caloris nativi νεκρώσει & extinctione proveniens, semper lethalis est; illa verò semper bona habetur, cùm materia, urinam nigram reddens, evacuetur, & ista evacuatio quoque juvet.

Quapropter in febribus continuis & intermittentibus, diurnis aut nocturnis, tartarei ac adusti humoris copia, scabie rebelli, lienosis, hæmorrhoidibus suppressis, calculo renum & vesicæ, lumborum dolore, menstruis potissimum retentis, urinam nigram salubrem esse, experientiâ comprobatum est. Sic mulier in Thaso apud *Hippocratem lib.3. epid.sect.3. text.82.*

 cum

cum hac urina à mensium pertinacissima retentione liberata fuit, quoniam (ut *Galenus* rectè notavit in *Comm.*) color urinæ, licèt esset niger, nihil attulit periculi, quòd retenti menses essent magis melancholici. In tumore lienis urinam nigram bonam expertus est *Antonius Valletius exerc. ad cap. 40. de morb. intern. Hollerii. Valleriola in Comm. ad lib. de constitut. art. Medic. Galeni*, quendam, cùm lienis apostemate laboraret, planeque moribundus haberetur, crisi sub vigesimum diem factâ, admirandam urinarum nigrarum, atramenti instar, copiam ad libras 12. excrevisse, observavit. *Thomas Willisius, Dissertat. Epistol. de urin. cap. 4.* novit hypochondriacos, tales urinas quibusdam temporibus veluti criticè excernere solitos, deindè postea sanorum similes reddere. Et quod ad urinas colore viridi ac præsertim nigro periodicè tinctas attinet (quæ nimirum hypochondriacis frequenter accidunt;) verisimile judicat, quòd tales à fœculentiis atrabilariis in liene reconditis, & deindè præ congestione nimia aliquoties exundantibus, & sanguini confusis, oriantur; etenim talis materia in quibusdam hominibus sæpè in ventriculum suffusa, vomitus atros ciet, etiam in aliis eadem à cruore pertranseunte resorpta, latici seroso ejusmodi colorum suffusiones impertire possit. Tales nigricantes humores ad ventriculum regurgitantes, ac vomitu copiosè rejectos quoque in hypochondriacis sæpiùs observavi. *Cl. Daniel Sennertus lib. 3. part. 8. sect. 2. Med. practic. cap 7.* sæpè ab ægris hypochondriacâ affectione & aliis melancholicis morbis laborantibus urinam nigram sine damno, imò cum commodo emissam ipse vidit. Auriginosum morbum sanguinis aterrimi subitaneo mictu curatum refert *Marcellus Donatus lib. 4. de histor. medic. mirabil. cap. 29.* & *Joh. Crato in Consil. Medic. à Scholtzio collectis, Consil. 174.* scribit, se dedisse laboranti ictero nigro lapidem bezoar, ægrumque minxisse tàm nigra, quàm atramentum est, meliusque habuisse. In quartana prosunt urinæ nigræ, ut refert *Avicenna 2. 1. doctr. 3. cap. 2.* quod *Valleriola l. c.* pluries observavit. Et per urinas

nigras

nigras non rarò quartanas judicari censet *Joh. Jonstonus Comm. in coac. prænot. 580.* In ulcerosâ scabie urinam nigram ad bonum judicâsse vidit *Amatus Lusitanus cent. 5. curat. 54.* & *Cl. Sennertus l.c.* ab ægris, scabie laborantibus, urinam nigram sine damno, imò cum commodo emissam observavit. Non est ergò omnis urina denigrata in omnibus morbis adeò pessima, ut eâ exeunte de ægrorum salute desperemus: maximè cùm pro varietate assumptorum multifariam etiam tingatur, ut probat latè *Adolphus* Scribonius *lib. 1. de inspect. urinar. pag. mihi 51.*

## OBSERVATIO LXIV.

## D. MATTHIÆ TILINGII.

# In die purgationis aliquando phlebotomia & sudoriferi exhibitio sunt ex usu.

INgerit hîc sese curatio haudquaquam ex trivio, & quamquam Lyncei nostrates, etiamsi trans parietes prospectare sibi videntur, non satis animadverterunt, quæ frequenter in opere practico versatur, quam hâc observatione describere conabor. Generosi nostri Archisatrapæ servus, temperamento sanguineus, ante duos annos magnos dolores circa latus utrumque, hypochondrium dextrum & epigastrii regionem sentiens, auxilium meum implorabat, cui statim leve pharmacum ex Cremore tartari, Pulvere gialappæ & Speciebus diaturbith cum rhabarbaro præscripsi. Post duas horas immani ventris dolore oppressus est, qui, bis excreto per alvum humore, est lenitus. Post unam horam quinquies deposuit copiosè. Sed ita ardore interno conflagrans, ut viscera sibi exuri putaret. Accessit horis vespertinis febris ardentissima, sitis inexhausta, dolor laterum sævus, & ita truculentus, ut respirationem & vocem interciperet. Vocatus subitò, dolentibus partibus anodyna applicare, clysteres lenientes

imperare, cucurbitulas, & alias diversiones cruribus adhibere, ut adstantes suadebant, nolui. Omnia frustra putabam; nam dolor intensus sæpius urgebat. Sanguinem ergò emittendum imperavi; vires quippe utcunque constabant. Reclamabant omnes, cum duo motus contrarii in eodem die non sint celebrandi. Sed quoniam dolor immanior invalescebat, coactâ necessitate, accersito Chirurgo, me jubente, *sanguis ad uncias viij.* extrahebatur. Hoc emisso, dolor est aliquomodo mitigatus, & febris remissa. Ut autem in totum dolor cessaret, & febris quoque se remitteret, Sudoriferum aliquod, ex *Confect. diascord. Fracastor. Mithridatii, oculis cancr. præp. Corall. rubr. præp. Mandib. luc. pisc. C. C.* Spa-*gyric. præp.* Syr. *papav. rh. Aq. card. bened. Mar. &c.* paratum, ipsi exhibui; quo assumpto, noctu largiter sudavit, benè dormivit, & symptomata omnia remiserunt.

### *SCHOLION.*

FUndamentum suum hæc nostra curatio habet ex *Paulo Ægineta lib. 7. cap. 6.* ubi doctissimus & experientissimus hic Medicus sic pro more suo disserit: S*i verò quocunque medicamento ad alvum emolliendam assumpto quis non purgetur, neque vacuetur, nullo accedente periculo, nihil moliendum est. At si magnitudo morbi urgeat, ut æger vellicetur, distendatur, & lancinationem expertus fuerit, clyster statim necessariò injicitur. Si ne sic quidem venter respondeat, corpore rosionem & veluti eversionem sustinente, lavare liberaliter inungendo oportet; ubi repletum est, gravaturq́, sanguinis missio conducit, præsertim ubi multi compos sanguinis homo fuerit; oculos rubros habeat, & emissitios, non ex natura, sed acquisitò ex medicaminis potione.* Confirmat etiam nostram curationem *Avicenna 4. 1. cap. 8. Quod si enema non juverit, & mala supervenerint accidentia, extensiones corporis, & oculi exierint extra, & fuerit motus ad superiora, necessaria est minutio.*

*[Author.]*

Imò

IMò, nec Neotericorum principiis Obſervationis hujus curandi ratio (cum grano tamen ſalis accipienda,) adverſatur, novum enim non eſt, in peracutis morborum principiis, Venæſectionem horis antemeridianis adminiſtrari, & pomeridianis ſudoriferum aliquod medicamentum propinari, cum methodus hæc ſit omnibus nota, omnibusque probata: hinc Cl. Th. Sydenham Anglus, *Obſerv. Med. circa Morb. acut. Hiſt. & Curat. ſect. 2. cap. 2. p. m. 151. Edit. Londin.* in febribus Peſtilentialibus, ipſaque Peſte, ſtatim poſt Venæſectionem, (quam propterea in lecto celebrandam monet, cum omnia jam ad ſudores proliciendos in promptu ſunt,) ſudorifera exhibere, & ne vel minima interpoſita mora, ſtragulis obrui ægrum & ad ſudorem ciendum optimè diſponi curat: Sunt & Cl. quidam Viri, qui Medicamentis purgantibus Sudorifera quoque admiſcere non dubitant, parva tamen Doſi, ne ſenſibiliter ſudores moveant & ſic purgantia vincant; hac potiſſimum ratione (quam ex ore magni cujusdam Lugd. Batav. Profeſſoris me excerpſiſſe recordor,) moti, quod dum purgantia fermentationem in ſanguine producunt, ſudorifera inſenſibiliter licet, ſatis tamen potenter, deobſtruant: Sed cautione hîc opus eſt, cum methodus hæc medendi nec cuivis ſubjecto, nec unicuique morbo conveniat.

*[J. P. Wurffbain.]*

## OBSERVATIO LXV.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
# Febris erratica Magiſterii Martis apertivi Mynſichti uſu curata.

VIr quidam primarius longo tempore febre erraticâ oppreſſus, multis tentatis, quæ humores craſſos & tartareos expurgant, viſcera aperiunt, deobſtruunt, nihil eſt levatus, & accedente œdemate pedum, hy-

dropis rudimento, solùm Magisterii Martis aperitivi *Mynsichti* usu, à febri & tumore ipsum liberavi.

SCHOLION.

FEbres errantes singulas accessiones habere inordinatas docuit *Galenus lib. 1. epidem. sect. 3. comm. 17.* & horrores inordinatos & erraticos scripsit etiam *Hippocrates lib. 1. epid. sect. 2. text. 25.* Febres autem dicuntur erraticæ, quæ nec speciem illam certam æmulantur, nec eodem tenore recurrunt, nec ordinem servant, sed aliquando bis terve de die majori minorive vehementiâ, aliquando secundo vel tertio, vel quarto die recurrunt; aliquando per longiora, ac incerta intervalla revertuntur: Sic *Cleonactidem* ignis corripuit erraticè apud *Hippocratem lib. 1. epidem. sect. 3. text. 23.*

Has febres appellat *Hippocrates* inconstantes, *lib. 4. acut. text. 52.* quæ teste *Galeno in Comm.* nullam certam periodum observant. *Cornelius Celsus de Re Medic. lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 5.* eas vocat errabundas, vagas.

Fieri has puto ex humore tartareo, crasso & adusto, & ex cineribus aliorum humorum, qui difformes sunt, ita ut in una parte moveantur ad fermentationem, in alia ad motum sint inepti, quia crassi, tartarei & nimis adusti.

Signa earum sunt inordinatæ incertæque accessiones, ipsorumque paroxysmorum dispar ratio, Longæ plerumque hæ febres existunt, & ferè debilitatem viscerum, aut cachexiam inducunt. Imò facilè in quartanam transeunt; ex præscripto *Hippocratis lib. 3. progn. text. 27.* maximè si autumnus sit; fiunt enim tales hoc tempore ob ejus inæqualitatem, ut monuit *Hippocrates sect. 3. aph. 22.*

In his licèt ex sententia *Hippocratis* nullum sit adhibendum auxilium, donec constent, quia occasio cathartici captari nequit: cùm tamen non ignoretur materia mali, præstat humorem hunc crassum, tartareum & adustum è corpore eximere, quàm obstructionibus adauctis, à quibus ferè dependent, ægros naturæ relinquere; si enim diu durant, quar-

tanam,

tanam, ſcirrhum, alvi fluxum & hydropem ſæpè minantur. Vir ille primarius, quem adduxi, longo tempore hâc febre oppreſſus, multis tentatis, quæ craſſum & tartareum humorem expurgant, vias aperiunt, deobſtruunt, nihil eſt levatus, & accedente œdemate pedum, hydropis rudimento, ſolùm Magiſterii Martis aperitivi *Mynſichti* uſu, à febri & tumore liber evaſit. Nam ut optimè dixit *Avicenna 4. 1. cap. 31. Una ægritudo cauſa eſt alterius, ſicut cum accidit oppilatio, & febris; medicamur enim oppilationem prius, deindè febrim, et ſi nobis neceſſarium fuerit oppilationem aperire cum eo, in quo aliqua exiſtat caliditas, non curabimus de febre &c.*

## OBSERVATIO LXVI.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
# Plantæ, Arbores, prata, ſylvæ & regiones lapidibus à natura impreſſæ.

APud Chirurgum quendam *Embdæ* in *Friſia* Orientali vidi duos lapides quadros non exiguæ magnitudinis, quos ex India ſecum adduxerat, quibus impreſſæ erant plantæ, arbores, prata, ſylvæ & regiones, tàm pulchræ & elegantes ac ſi naturales eſſent. Ob hanc igitur pulchritudinem & elegantiam iſti lapides magni ab omnibus æſtimabantur.

### *SCHOLION.*

QUicquid Natura in vegetabili regno præſtat in variis plantis producendis, præſtare videtur etiam in regno ſubterraneo, dum lapidibus gemmisque variarum plantarum figuras imprimit ita ad vivum, ut unum alteri cedere non velle videatur. Hoc non ſolùm exemplo, quod vidi, ſed etiam aliis, quæ apud varios Autores legi, confirmare conabor.

Quatuor potiſſimum lapidum genera ſunt, in quibus plantarum & arborum icones frugumque imagines à Natura mirè

mirè depictæ conſpiciuntur. Primum ab *Imperato*, celebri Antiquario, *Nemoroſa petra*, ab aliis petra S*inaitica*, ab *Agricola Dendrachata*, ab aliis *Dendritis* vocatur. Hic lapis ſi findatur, in internis parietibus exhibet arbores, plantas, prata, ſylvas, flores omnis generis, non figurâ tantùm externâ, ſed coloribus etiam convenientibus, expreſſos à Natura; undè & ab arboribus, quas exhibent, *Dendrites* appellantur, & magnâ copiâ ex *Hetruria Romam*, aliaque in loca, ad menſarum, ſcriniorum aliarumque rerum decorem conciliandum advehuntur. *P. Caſparus* S*chottus*, ut ipſe teſtatur in *Appendic. Phyſic. Curioſ. ad libr. 12. de Mirabil. Miſcell. cap. 12.* non paucos in Muſeo *Kircheriano*, in Ergaſteriis ac Viridariis *Romanis* vidit. Inveniuntur in *Hetruria* prope oppidum *Bargam*, uti & in monte S*inai*, undè & petræ S*inai* nominantur: nec non ad nemus *Hercynium*, ut ſcribit *Agricola*, & notiſſimum eſt in *Germania*. Alterum genus à *Plinio lib. 37. hiſtor. natur. cap. 11.* vocatur *Borſycites*. Hæc gemma eſt, in nigro ramoſa, candidis aut ſanguineis frondibus. Tertium Salicis ſerrata refert folia; undè & folium ſalicis appellatur. Quartum ab *Imperato* frumentatum dicitur, quòd triticeas aliarumque frugum ſpecies exprimat. Hæc omnia *P. Athanaſius Kircherus* olim in *Imperati* celeberrimo Muſeo vidit & examinavit. *Vid. Mund. ejus* S*ubterran. lib. 8. ſect. 1. cap. 9. pag. 39. 40.*

## OBSERVATIO LXVII.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
# Sal Armoniacum ſublimatum & depuratum.

IN febribus quotidianis, tertianis & quartanis, quæ in hiſce regionibus hâc æſtate familiares admodum fuerunt, Sale Armoniaco ſublimato medicamentum nullum utilius ſalubriusque deprehendi; quapropter vel illud ſolùm per ſe ad

ad grana X. & XII. vel cum Salibus absinthii, cardui benedicti, centaurii minoris & Nitro præparato permixtum, præmissis universalibus, febricitantibus ante paroxysmi invasionem in convenienti liquore exhibui. Si primâ vice non juvit, propinavi secundò, & ægri à febribus liberati sunt.

*SCHOLION.*

SAl hoc armoniacum sublimatum & depuratum talem in modum paratur. Recipe Salis communis q. v. eoque ollam comple & tege, ne carbones aut cineres in illam incidant: pone ollam in terra, & tege carbonibus non urentibus, accende carbones, ut omnes comburantur, & olla probè candeat, & refrigeratâ ollâ invenies Sal præparatum, quod Sal calcinatum vel candefactum appellari solet. Deindè accipe Salis armoniaci triti ℔j. & s. a. cum æquali quantitate limaturæ martis eleva, ut purgetur; sublimatum hoc iterum tere & per se sublima, & ad sublimationem cum sale candefacto erit paratum. Accipe igitur hujus Salis armoniaci quantum habes, & Salis calcinati ℥xij. tere invicem, & s. a. quinquies aut septies eleva, singulis vicibus novum Sal præparatum apponendo, alterum autem seponendo, & habebis Sal armoniacum ad rem quamlibet cum illo sublimandam aptum.

Sal armoniacum hoc modo præparatum insignis ac infiniti usus est, tàm quod ad præparationes aliorum medicamentorum attinet, quàm quod in morbis nonnullis suas etiam vires egregias habet. Educitur enim hoc sale Sulphur Martis, Veneris, Antimonii, lapidum mineralium reliquorum. Fit ex illo, in cella supra porphyrio posito, aqua ad resuscitationem metallorum accommodata. In febribus intermittentibus magnum est medicamen; eas enim radicitùs expellit. Exhibenda autem sunt grana decem in Aq. cardui benedicti ad provocandum sudorem. Si primâ vice non juvat, propinabis secundò, & ægri à febribus liberabuntur. In ventriculo debili & deperdito, item in nausea cibi adultioribus & robustioribus exhiberi possunt grana septem, octo, novem aut

 decem;

decem; debilioribus grana quinque; pueris verò grana tria per dies novem, ut parum promoveatur sudor, & ægri curabuntur perfectè. *Johannes Hartmannus*, felicissimus ille Practicus & Chymicus excellentissimus *lib. 2. prax. chymiatric. cap. 125.* in ventriculi cruditate singulariter commendat istud, & hoc modo præparat. ℞. Salis armoniaci benè triti & Limatur. martis aa. ℔j. Misce diligenter, & ex cucurbita vel retorta in arena sublima, aucto in fine igne, ut, quod purum est, ascendat in collum retortæ vel cucurbitæ, fæces verò cum limatura in fundo remaneant. Quod sublimatum est, iterum per se sublima. Hujus sublimati & salis communis decrepitati ac fusi aa. partes æquales, tere simul & sublima. Atque hoc fac septies, semper abjiciendo caput mortuum, & sublimato parem salis decrepitati quantitatem addendo: habebis elegantissimum & depuratissimum Sal armoniacum sublimatum, quod sub florum nomine venit. Et flores hi ut operosiores, ita & effectu præstantiores censentur quam Sal armoniacum solâ crystallisatione purificatum, ideoq́ue felicius illius loco adhiberi possunt in quartana. Tollunt quoque perfectè cruditates ventriculi, si in vino absinthiaco vel decocto sassafras per aliquot dies continuos propinentur, sudorq́ue à sumpto medicamento procuretur. Optimum autem, ut ante horum usum tùm ventriculus, tùm reliquum corpus ab omnibus impuritatibus sit liberum.

Nec minoris virtutis in febribus intermittentibus & ventriculi cruditatibus est Sal febrifugum ex capite mortuo, post destillationem spiritus salis armoniaci, paratum. Hoc penetrantissimum est, incidens humores crassos ac viscidos in ventriculo, pancreate ac cæteris visceribus; undè febres intermittentes perfectè curat, si à granis quatuor ad sex & plura febricitatibus in appropriato liquore exhibeatur. Sic autem ab accuratioribus Chymicis parari solet. Id quod reliquum est in retorta in destillatione spiritûs salis armoniaci solve in aqua pluviatili, & filtra per chartam, & aqua limpida evadet. Postea

evapora

evapora in cryſtallos albas, quæ erunt Sal febrifugum; ſi quis volet, poterit hoc Sal in cucurbita terrea ſublimare in flores Salis armoniaci. Spiritus autem Salis armoniaci deſtillatur ita: ℞. Salis tartari, armoniaci aa. ℔ß. Miſce ac ſolve in aqua pluviatili, tùm deſtilla per retortam, aut alembicum, quamdiu Sal volatile exit; cum Sal volatile incipit ſolvi in liquorem, tùm prodit phlegma; deſiſte tùm à deſtillatione, & habebis in recipiente ſpiritum Salis armoniaci. In retorta verò relinquitur materia pro Sale febrifugo. Spiritus hic inſtar Salis volatilis urinæ eſt; extinguit ventriculi & pancreatis fermenta acida, ſudores movet & humores attenuat ac diſcutit. Doſis ejus in convenienti liquore à ℈j. ad ʒß. eſſe poteſt.

Has dotes & ferè majores poſſidet etiam ſequens Spiritus ſalis armoniaci; quem ſemper arcani inſtar in febribus & aliis morbis gravioribus habeo, cùm vim inciſivam, diaphoreticam & diureticam obtineat. ℞. Salis armoniaci ſublimati & purgati q. v. pone illud in cucurbitam, & aſperge illi Spiritum vini optimè rectificatum, ut humidum fiat; claude vas, & pone in balneo maris, ut reſolvatur. Solutionem decanta, & quod ſolutum non eſt, rurſus in balneo ad ſolutionem colloca, donec omne in ſpiritum abeat. Pone hunc Spiritum reſolutum in cucurbita oblonga, & in balneo deſtilla ad dimidium; aquam deſtillatam rurſus affunde, & deſtilla; tandem igne auctiore omnes Spiritus per alembicum propelle, & rectifica, ne ullæ fæces in eo remaneant. Spiritus hic lepram tollit, ad tres, quatuor & plures guttas jejuno ventriculo per ſeptem dies exhibitus. Ad omnis generis ulcera, ſerpiginem, morbum *Gallicum*, ſcabiem, & quicquid cum hiſce aliquid commune habet, ſummè prodeſt hujus una aut altera gutta. Ad peſtem exhiberi queunt 5. 6. vel 7. guttæ pro ratione morbi & perſonæ ægrotantis. Curat omnes febres, hepatis, lienis, pancreatis & uteri obſtructiones reſerat, ſanguinem depurat, podagram, chiragram, iſchiadicam expellit, nephriticis convenit, Epilepſiam exterminat, vermes necat, ve-

nenis reſiſtit. Et ut uno verbo dicam, confortat membra principaliora, conſervat humidum & calidum innatum, & omnibus ferè morbis contrariatur.

## OBSERVATIO LXVIII.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
## Arcanum Vitrioli.

MEdicina hæc ex Vitriolo parata, paucis nota eſt; de ea tamen Chymicorum plurimi gloriari non dubitant. Ejus uſus mihi frequens eſt. Succeſſum habeo ex ea talem, qualem cupio. Confortat, purgat, deoppilat, & in quibuscunque morbis, etiam periculoſiſſimis, infinitarum eſt facultatum; nec opus eſt in magna quantitate & doſi hanc ſumere; unum granum ſufficit in quovis liquore convenienti exhibitum. Eximii Spagyrici Artifices, ſagaciumque rerum ſcrutatores Arcanum hoc Vitrioli ſic parare queunt. ℞. Vitrioli *Romani* aut *Ungarici* ℔xij. diſſolve illud in aqua vulgari deſtillata, poſtea pone in cineribus calidis, ut aqua evaporet, donec cruſtam aliquam accipiat, tunc colloca in loco frigido ad duos vel tres dies, & Vitriolum, ſepoſitis nonnullis fæcibus, lapilleſcet. Accipe hoc Vitriolum, & pone in concha vitrea in hypocauſto calido, ita tamen ut concha ſit tecta, & videbis Vitriolum abire in pulverem, primò album, deindè flavum. Tunc iterum in aqua communi deſtillata diſſolve, & permitte ſtare in cineribus calidis viginti quatuor horis, atque plurimas fæces in vaſis fundo invenies; decanta quod purum eſt, coagula, ſepone in concha, atque iterum diſſolve tàm diu, donec nullas amplius fæces deponat, & ad dulcedinem vergat. Albo autem calculo notabis, ejus viriditatem probè probeque eſſe conſervandam, aliàs enim oleum & opera perderetur. Poſtea pone illud Vitriolum purificatum in phiala, quam hermetico ſigillo benè occludes, & in furno philoſophico pones; ubi ignem

ignem de decem diebus ad decem dies gradatim augebis, ut Vitriolum ad rubedinem appropinquet, donec tandem instar rubini rubeus fit. Rubeum hoc Vitriolum exime, & pone in cucurbita vitrea: affunde Spiritus vini correcti & puri bonam quantitatem, & 4. aut 5. diebus benè clausum in calore leni asserva. Postea Spiritum decanta, & alium recentem affunde, quousque omnem vim & efficaciam ex Vitriolo hoc extraxisti. Extractiones hasce pone in cucurbita, & in balneo maris Spiritum separa; affunde Spiritum iterum, & separa ad tertiam vicem, semper remotis fæcibus. Demùm aquam pluviam destillatam extracto affunde, lava, & quatuor aut quinque dies in cineribus colloca, ut, quantum potest, extrahat. Quod solutum est, decanta, & aliam aquam destillatam appone, totidemque diebus in cineribus calidis asserva, idque tribus vicibus reitera. Extractiones hasce confunde, & in balneo maris aquam separa. Postea accipe hoc nostrum extractum, pone in cucurbita mediocri, appositis & allutatis alembico & recipiente, atque destilla primò igne lento, deindè auctiore, & ascendet sanguis leonis viridis, instar rubini rubeus, qui nocte intempestivâ & tenebrosâ instar carbunculi lucet, cujusque odor omnia alia odorifera antecellit.

## *SCHOLION.*

ARcanum Vitrioli aliud describit *Adrianus Mynsichtus Armament. Medico-Chymic. sect. 1. pag. mihi 23. & 24.* quod autem priori longè inferius est, multumque cedit. Destillat nimirum ex Vitriolo nativo calcinato oleum rubicundum: Recipit caput mortuum, & indè extrahit ultimum salem à Vitrioli sapore omninò liberum: Deinde miscet tres partes hujus Salis extracti & duas partes olei destillati, sinit in igne arefieri. Hunc laborem toties repetit, quoad Sal dupletur pondere, pro constitutione priore: tunc salem in cucurbitulam vitream mittit, tantundem olei Vitrioli suffundit, sigillat Hermeticè, ponit in putrefactionem; postea in arenam ca-

lentem; ſic intra paucos dies reperitur coagulatum: & ita præparatum eſt.

Hoc Arcanum non duntaxat cenſet ſpecificum ſtomachicum; verùm etiam efficaciſſimum contra omnimodos morbos remedium. Quo ipſe pro conſervanda ſanitate corporis in genere feliciſſimè utitur. Doſin autem conſtituit à gr. iij. ad vi. & viij. in vehiculis appropriatis.

## OBSERVATIO LXIX.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
# Mercurius Diaphoreticus.

INter Medicamenta ex Mercurio parata, Mercurium hunc diaphoreticum in variis periculoſis & curatu difficilibus morbis ſemper magni facio, eumque frequentiſſimo in uſu habeo. Excellens enim & incomparabile certè remedium diaphoreticum eſt, tàm in variolis, morbillis, podagra, hydrope, quàm in aliis morbis, evacuationem per tranſpirationem requirentibus. Omnes experientiſſimi Artiſtæ & Chymici ita illud mecum commendabunt, dicentes, vires æquare auri potabilis, modò fixetur. Nihil ergò addam amplius in laudem ejus, hoc tantum, doſin ejus adhiberi poſſe à ℈j. ad ʒj in Conſerva roſarum, vel ſimili bolo. In eo præparando talis mihi proceſſus eſt. Accipio Mercurii probè purgati ℔j. (intelligo Mercurium extractum è Cinnabari beneficio calcinati tartari) Sulphuris antimonii ℥iij. vel ℥iv. comminuo probè invicem, & ſublimo ea in Cinnabarim artificialem. Cinnabarim hanc ſublimo adhuc novies, donec pulveriſata acquirat verè pulchrum purpureum colorem, vel quod melius fuerit, donec fixetur, & non facilè ſublimetur amplius: & habebis nobile Arcanum Mercurii.

# OBSERVATIO LXX.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
## Sal Hirundinum volatile.

NUlla ferè in Hirundinibus reperitur pars, quæ non sit Sale volatili prædita, & ob id egregium ac incomparabilem in Medicina habeat usum. Sal autem istud volatile hoc modo ex illis elicere possumus. Pulli Hirundinum vivi numero XX. vel XXIV. in vino suffocati immittantur in cucurbitam vitream, & statim apposito alembico ac juncturis circum litis relinquantur in loco tepido per diem unum vel alterum, postea destillando evocetur tota humiditas per Mariæ balneum ad siccitatem pullorum. Hos exsiccatos, deplumatos & contusos, retortæ vitreæ committito, & in arena, vel igne etiam aperto collocato; præpositoque recipiente destillato, augendo ignem per gradus, ad totalem radicalis humiditatis expulsionem, & Hirundinum combustionem, quoad retorta tandem candeat. Prodibit Spiritus naturæ salinæ, unà cum sale volatili, passim collo retortæ & recipientis lateribus adhærente, ac urinosum quid olente, cum oleo fœtido ac crasso rubicante: quæ tria ad invicem commixta, ac ex collo retortæ, quin & lateribus recipientis studiosè collecta, immittantur alembico satis alto, vitreo, præposito recipiente probè inunito; fiatque destillatio, vel sublimatio ex arena (in balneo enim Mariæ salia volatilia non æquè ac in arena sublimantur) quousque videris salem volatilem elevari ad capitellum aut supernam regionem alembici aut phialæ; continuetur ignis ad omnimodam dicti salis volatilis sublimationem, donec etiam aliquid de humido aut spiritu subsequatur; & remanebit in fundo oleum fœtidum, cum potiore parte aquositatis, sale suo volatili ambo spoliata: aquositas illa in fundo effœta est, & se solùm habet per modum aquæ elementaris, empyreumaque spirat, quare abjiciendum: Oleum

Oleum verò crassum & fœtidum omni virtute destitutum, & sale suo volatili exutum est. Sal autem volatile superius sublimatum, unà cum pauca humiditate, quæ cum sale suo volatili foris transiit, illumque vel totum, vel ex parte dissolvit, diligenter asservandum est. Hoc enim in affectibus apoplecticis, epilepticis, hystericis & innumeris aliis usum nunquam satis laudandum obtinet; hinc ex præscripto *Augustanorum* & *Zvvelferi* ingreditur Aquas Hirundinum, ac basin earum constituit.

*SCHOLION.*

HIrundines ut in omnibus actionibus suis mirabiles sunt, ceu ex Ornithologiis Aldrovandi, Jonstoni, Gesneri, Willugbey &c. patet, ita mirabilem quoq; usum nobis in Medicina præbent. Omnes Hirundinum partes sale volatili scatent, & ob id egregias suas vires in variis morbis curandis præstare videntur. Officinæ nostræ ex iis eligunt integras, Cerebellum, Cor, Sanguinem, Oculos, Linguam, Lapillos, Nidum & Stercus.

*Plinius in Histor. Nat.* inter remedia à Magis prodita, inquit, sunt, qui Hirundines totas devorandas censeant, adversus quartanas. Adversus canis rabidi morsum laudant Hirundinis decoctum epotum, integræ epilepsiæ specificè subveniunt. Hinc Aqua ex iis destillata sale earum volatili imprægnata contra morbum caducum admirandæ virtutis est. *Lullius*, *Ægidius* & alii, Aquam Hirundinum summoperè laudant; parant autem hoc modo: Hirundines juvenes tritas miscent cum castoreo, & pauco bono aceto, & destillant. Hæc Aqua, inquiunt, à jejuno pota, est vera Medicina morbi caduci, ex quacunque causa oborti; & quamvis aliquis hunc morbum quinquennio passus fuerit, curabitur; idque perfectè, si per dies quatuor hujus Aquæ parum biberit.

Pota quoque phrenitidem intra novem dies curat, cerebrum corroborat magis, quàm ulla alia medicina; purgat ventriculum, pectus emollit, nervos confirmat; & eorum resolutionis causas exterminat, genituram auget, & refrigeratos

ratos calefacit. Cum hyſſopi decocto pota, hydropem ex cauſa frigida curat; item febres quotidianas, & capitis dolorem tollit, ſomnum facilem reddit, concoctionem juvat, & urinæ excretionem promovet; Sed abſtineant gravidæ, ne fœtus in utero periclitetur. Pilos tollit ubicunque cuti puræ, illinitur, ita ut nunquam renaſcantur. Hirundines comeſtas caducos ſanare ſcribit *Sextus*. Sal Hirundinum volatile, ex integris deſtillatum, in Aquis Hirundinum baſin conſtituit, & ob id ejusmodi Aquæ adverſus epilepticos inſultus potentes ſunt, apoplexiam antevertunt, vertiginem curant, incubo ac paralyſi auxiliantur, ac infantium convulſionibus ſtrenuè medentur.

Inſuper Hirundines integræ oculorum hebetudini & lippitudini ſuccurrunt. Hirundines, uti ficedulas, in cibo, aciei viſus medicamentum præbere, & tàm pullorum, quàm matrum in fictili olla crematarum cinerem cum melle oblitum, oculis claritatem adferre ſcribit *Dioſcorides lib. 2. cap. 49.* Hinc alii, ut in *Comm. P. Andr. Matthiolus* meminit, ad acuendum viſum hoc cinere utuntur: vel eas quoq; arefactas drachmæ pondere bibendas exhibent. Pulli Hirundinum aſſi vel elixi (ut refert *Marcellus*) in cibo ſæpius ſumpti, oculis caligantibus mirificè proſunt. Item *Avicenna* Hirundinem in cibum ſumptam, cùm acuat viſum, vel etiam exſiccatam in potu aurei pondere datam admodùm laudat.

Verum enim verò Hirundines non ad viſum ſolùm acuendum, ſed adverſus anginam quoque ab *Autoribus* Medicis commendantur. *Galenus lib. 11. de ſimpl. medicam. facult.* Vires Hirundinum recenſuit, ſic inquiens: *Hirundinibus quoque uſi ſunt multi, comburentes videlicet, & cineri mel admiſcentes, ac deindè ſynanchicos inungentes, & in totum omnes quicunque in faucibus atque columella cum tumoribus conſiſtunt affectus. Hirundinum cinere anginæ commodè perunguntur: uvæ & tonſillarum inflammationibus hoc cinere ſuccurritur. Et ipſæ & pulli exſiccati, ſi drachmæ pondere ex aqua bibantur, hos*

U juvant,

*juvant, qui anginæ morbo conflictantur*, ait *Dioscorides lib.2.cap. 49.* Si quis, ex *Cornelii Celsi* ſententia, pullum Hirundinis ederit, eum anginâ toto anno non periclitari. Et, juxta *Marcellum*, adverſus anginam, jus, in quo Hirundinum pulli cocti fuerunt, tepens accipi, & intra fauces contineri, atque aliquid indè transmitti poteſt. Ex Hirundinibus crematis, omnium Medicorum conſenſu, plurima deſumi poſſunt remedia. *Leonellus Faventinus* anginæ remedia deſcribens, Hirundinem hoc modo comburi vult. *Decolletur*, inquit, *& ſanguine evacuato, deplumetur & ſaliatur; denique ponatur in vaſe vitreato oris anguſti, & claudatur os vaſis cum luto, & relinquatur in furno, donec exaruerit, ita ut facilè teri poſſit: eum cinerem aliqui in potu exhibent adverſus anginam; alii illinunt cum melle; alii cum canna tenui inſpirant.*

*Amatus Luſitanus cent.3. curat.28.* cinerem Hirundinum crematarum in angina efficax remedium eſſe dicit, ſi modò cum melle quoque admoveatur. Et *cent.4. curat.90. in Schol.* crematarum Hirundinum cinerem pro extirpandis anginis optimum eſſe remedium judicat; quem utinam deinceps Medici in uſum traherent! an verò intra corpus ſumi debeat, an deforis adhiberi, ibi non exprimit. Palatum (ait *Avicenna*) cinere Hirundinis adverſus cynanchen utiliter tangitur. Præterea, ex *Marcelli* obſervatione, Hirundinum combuſtarum cinis cum melle *Attico* mixtus, faucibusque inditus, & anginam reprimet, & ulcera, ſi quæ arteriis inerunt, contacta purgabit & ſanabit. Inſuper uvæ & tonſillarum inflammationibus hoc cinere ſuccurritur, ut ſcribit *Dioſcorides l.c.* anginæque eo commodè perunguntur, & ſanantur. Et ſicuti ad oculorum dolores, lippitudines & caligines Hirundinis cinerem cum melle in oculos mitti ſuadent *Plinius*, *Dioſcorides*, *Sextus*, *Matthiolus*, *Schröderus* & alii: Sic *Galenus lib. de remed. facilè parabil.* uſtarum Hirundinum cineres ad oris putredines & cruſtas valere dicit. Illud verò notatu dignum occurrit, quòd quidam ſcribunt, Hirundinum combuſtarum cinerem ſumptum,

ptum, impedire ebrietatem, ita ut ab eo ſemper immunem præſtet. Item (ut refert *Plinius*) cum myrrha tritum, & vino quod bibitur, inſperſum, ſecuros à temulentia conſervare bibentes.

*Paulus Ægineta lib. 7. de arte medendi* Hirundinis cerebellum cum melle temperatum, oculorum ſuffuſionibus auxilium ſuppeditare ſcribit. Idem à *Galeno in lib. de Theriaca ad Piſon.* probatur.

Oculis ſuffuſis à cauſa evidente nihil utilius eſſe ſanguine Hirundinum, teſtatur *Cornelius Celſus lib. 6. cap. 6. de Re Medic.* Præfertur autem ſub ala dextra extractus. Hinc ſanguine Hirundinis recenti ac tepido inunctum oculum ictu læſum, & cruore ſuffuſum, ſtatim ſanari putat *Marcellus.* Eundem ſanguinem illitum podagricos dolores mirificè lenire, Autor eſt *Trallianus. Nic. Myrepſus* ſanguinem Hirundinum miſcet ſuffimento ad epilepticos experto.

Hirundinis oculi, fronti alligati (ut *Kyranides* vult) ophthalmiam ſanant, omnemque rigorem febrilem auferunt. Oculus Hirundinis (ſicuti ſcribit *Albertus Magnus*) poſitus in lecto, non permittit ei incumbentem dormire, donec auferatur. Hujus rei veritatem facili documento quilibet Curioſus diſcere poteſt.

Linguam Hirundinum appenſam pro amuleto, præſervativum anginæ eſſe quidam tradiderunt, debet autem exſcindi lingua, Jove juncto Mercurio.

Cor pulveriſatum & bibitum pectus optimè purgare dicitur. *Plinius nat. hiſtor. lib. 30. cap. 11*: Cor recens comeſtum prodeſſe morbo comitiali laborantibus indicat. Et *Jacobus Olivarius* certiſſimum judicat corda Hirundium memoriam augere, ſi cum cinnamomo, amomo & aliis remediis cephalicis ſumantur. Hirundinis cor multi contra quartanam devorant.

In Hirundinis ventre inveniri lapillum notum eſt. Huic magnam energiam in morbo comitiali propulſando attri-

 buunt

buunt *Trallianus*, *Marsilius Ficinus*, *Levinus Lemnius*, *Georgius Agricola* aliique complures, dicuntque albiorem capiti aut auribus impositum extemplò collapsum excitare, nigriorem idem efficere, si cuti alligetur. *Dioscorides l. c.* voluit, hujusmodi lapides erui è ventre pullorum Hirundinum, primo partu exclusorum, & quidem ineunte autumno, lunâ jam crescente. *Illi*, inquit, *priusquam terram attigerint, in vitulina vel cervina pelle positi collo, vel brachio sinistro adligentur, & proderunt comitialibus; & sæpè eos prorsus recreabunt.*

Lapidem hunc chelidonium manu detentum, aut capiti lino alligatum, veterrimos & antiquos capitis dolores demulcere (modò tamen terræ attactu facultatem non amiserit) legimus: linteo etiam, vel croceo panno inclusum, colloque appensum, quartanam delere, dextro brachio alligatum, hepaticos perfectè sanare, scribunt *Autores*. Rufi coloris lapis linteolo exceptus, ac sub sinistra axilla gestatus, maniam, epilepsiam, & insanos curare, gestantemque omnibus gratum acceptumque facere, ac facundiam augere censetur. Nigri coloris lapis similiter à multis creditur gratiam Principum conciliare, & efficere, ut incepta negotia quævis quis pro animi sententia absolvere possit. Aureo globulo inclusus lapis chelidonius colloque appensus, omnem oculorum dolorem perpetuò avertere perhibetur: in quem usum etiam tritus collyriis adhibetur, aut ex aqua decoquitur, oculisque instillatur, quos recreare mirum in modum creditur. Id comprobatum experientiâ, quòd oculis impositus lapillus, quæcunque in oculum inciderint, facile absque dolore secum educat. Verùm id omnes lapides læves; & qui angulis carent, si oculis imponantur, & hinc indè volvantur præstant.

Stercus Hirundinum impensè calefacit, discutit & acre est. Occultâ quâdam proprietate anginæ prodesse dicitur. Istud decoctum & potum, morsui canis rabidi conferre scribit *Plinius*. Extrinsecus applicatum idem præstat. In cibo quoque vel potu sumptum, dolore colico adfectis sanitatem tribuere,

tribuere, autor eſt *Marcellus.* Idem apud *Nicolaum Myrepſum* miſcetur medicamentis ad urinæ difficultatem, renum calculum & dolores colicos. Fluxum hepaticum ſpurium curare ſtercus Hirundinum, in pulverem redactum, & in vino auſtero exhibitum; refert *Joh. Jonſtcnus Syntagm. Univerſ. Med. Pract. lib. 5. tit. 3. cap. 2. artic. 4.* Alvum etiam irritat, ſi extrinſecus ano applicetur.

Tandem Nidus Hirundinis ictui viperino convenit, impoſitus; anginæ auxilium præbet egregium, & oculorum rubedini medetur, ſi extrinſecus adhibeatur. Hinc *Aëtius ſerm. 14. cap. 49.* Hirundinis nidum tritum, cribratum, & melle exceptum, contra eryſipelata faciei commendat, tanquam remedium citò diſcutiens.

Quòd etiam nidus ad formam cataplaſmatis vel emplaſtri ſubactus & applicatus, anginæ & cæteris gutturis inflammationibus conferat, quotidiana docet experientia. Medici Practici in ſuis libris copioſas eorum cataplaſmatum & emplaſtrorum formulas habent, in quas Nidus Hirundinum ingreditur. Tale cataplaſma ex Nido Hirundinum paratum, nobis reliquit *Adrianus Mynſichtus Armament. Medico-Chymic. ſect. 37. pag. 523.* quod in angina deſperata collo tepidè ſæpius applicandum eſt: quia ſecretum eſt. Et *Zacutus Luſitanus in Pharmacop. pag. mihi 126.* emplaſtrum de nido Hirundinis habet, quod à multis plurimis laudum præconiis condecoratur: quia ejus vi & ope, angina deſperata curari ſolet. Habet mirificam facultatem ad evacuandos humores ipſam efficientes: ipſos enim à partibus internis attrahit ad externas, & ſic ægrum à ſuffocatione reddit immunem, & reſpirationem facilem reddit. In principio non imponatur, ſed transacto fluxionis impetu; alioqui humorem ad inflammatas partes intempeſtivè attrahit vehementiſſimè.

*Amatus Luſitanus cent. 4. curat. 40. in ſchol.* ſuadet, ut integro nido terreo cum ſuis paleis ſimul & ſtercore, pro conficiendo emplaſtro, & medicamento anginis conveniente,

Medici utantur, cùm ut *Galenus lib. 6. de comp. medicam. sec. loc. cap. 3.* docet, nidus Hirundinis, præcipuè sylvestris, aridus, multam discussoriam vim habeat. Et in *Comm. in cap. 49. lib. 2. Dioscorid.* de nidi Hirundinis efficacia in curanda angina elegantissimè sic disserere voluit: *Hoc tempore Medici pro angina curanda discutiendave, emplastrum de nido Hirundinis collo imponunt, non sine magno & evidenti juvamento. Quamquam non desint aliqui, qui cum nidum ex terra & paleis compositum advertant, rebus, ut apparet, stypticis, illius admotionem timent, metuuntque, ne fortè adstrictione suâ materiam introrsum repellat, quo fit, ut solo decocto nidi utantur, in quo cætera res, anginam discutientes, miscentur: sed reverà falluntur, cùm omnia in Hirundinis nido contenta, potius discutiendi, quàm constringendi vim habeant. Mercurialis* hanc vim non nido Hirundinis, sed avi ipsi adscribit. Verùm quamquam vis quædam specifica contra anginam ipsi quoque insit avi, tamen experientiâ constat, ipsum etiam nidum prodesse; & vis illa absque dubio nido inest ob excrementa pullorum Hirundinum Sale volatili abundantia, ex quo vis resolvendi & discutiendi resultat. Quicquid ergò in morbis curandis discutiendisve præstant Hirundines, id ratione salis sui volatilis præstabunt.

## OBSERVATIO LXXI.

## D. MATTHIÆ TILINGII.

# Hepatis magnitudo excessiva in puella duorum annorum atrophia lenta in vita laborante.

IN puellæ duorum annorum atrophiâ lentâ ex ductuum lacteorum & glandularum mesenterii vitio laborantis cadavere nuper aperto, præter ventriculum & intestina planè vacua & flavedine quâdam infecta, vasa lactea obstructa, glandu-

glandulas meſenterii ſcirrhoſas, lienis & pancreatis parenchymata indurata, renem dextrum nimis magnum talemque hepatis magnitudinem exceſſivam inveni, ut non tantùm hypochondrium dextrum occuparet, ſed & omnem ventriculi regionem, ſicque ipſum ferè totum hypochondrium ſiniſtrum, atque poſt ejus exciſionem duas libras & aliquot uncias ponderaret.

*SCHOLION.*

HEpar in homine magnitudinem & craſſitiem habet quidem naturaliter inſignem; aſt interdum ita amplificatur, ut excedat iſtos terminos naturales, dum incumbit ventriculo usque ad lienem, & deſcendit infra nothas coſtas, trium vel quatuor digitorum latitudine, quod accidit, partim ex vinculorum relaxatione, quibus adſtringitur diaphragmati & nothis coſtis, partim ex tumore ipſius viſceris ſaburrati; magnitudo enim ejus naturalis immutatur, quando humoribus refertum intumeſcit. Sic *Fabricius Hildanus cent. 2. obſ. 45.* in *pagana* prope *Lauſanam* tantæ magnitudinis hepar invenit, ut lobus ſtomachum verſus ſub coſtis ſiniſtri lateris ſpurias transgrederetur; liene non minùs immenſæ magnitudinis duro, & in inferiore parte verſus ilium rotundo, ſanguine aduſto pleno, atque hepatis lobo adnato. *Adr. Spigelius lib. 8 de human. corp. fabric. cap. 12.* teſtatur, ſæpenumero ſe obſervâſſe tàm vaſtam hepatis molem, ut ad lienis regionem validis ligamentis annexum fuerit diaphragmati. Hepar magnum, oblongum, & ad dextri renis locum, deficiente illo rene, exporrectum, *Patavii* vidit *Cl. Cyriacus Lucius* apud *Joh. Georg. Schenckium Obſ. Medicinal. lib. 3. cap. de jecore, obſ. 3.* Monſtroſæ magnitudinis hepar fuit apud *Dominic. Panarolum pent. 4. obſ. 24.* in helluone, qui poſt quotidianas potationes hydropicus periit; ſecto ejus cadavere, hepar in tantam molem excreviſſe viſum eſt, ut univerſum ferè diaphragmatis cavitatem tàm in dextra quàm in ſiniſtra parte impleret, duritie & magnitudine monſtroſum. Hinc admodum falluntur illi

Medici,

Medici, qui apud *Andr. Veſalium lib. 5. de corp. hum. fabric. c. 7.* contentiosè crapula abſumi jecur, & inſignibus illis vini gurgitibus illud ad nucis duntaxat molem reduci adfirmant.

Interdum quoque hepar & lien ſimul in uno ſubjecto magna ſunt. Ita *Joh. Georg. Schenckius lib. 3. obſ. rar. cap. de Liene obſerv. 9.* ex *Georgio Garnero* refert, in demortuo lienem ℔xxiij. hepar verò ℔xi. pondere exceſſiſſe. *Phil. Salmuthus cent. 1. obſ. 21.* in fœmina *Lipſienſi* vidit hepar tàm magnum, ut non tantùm dextrum; ſed & ſiniſtrum occuparet hypochondrium, liene contrà vix pollicem majorem æquante. Eandem hepatis molem in puero quoque obſervavit, ſed lienis quantitate juſtâ reſpondente, Excell. *Thomas Bartholinus lib. 1. Anat. reformat. cap. 14.* hepar majus in frigidioris intemperiei corporibus, & in timidis & guloſis eſſe, ut calor cordis augeſcat, ſcribit. In tabidis mortuis vidit hepar quoque maximum, & quadruplo quidem ac quintuplo majus ſolito. *Idem cent. 4. hiſt. anat. 71.* in puellæ ſexennis diſſecto cadavere tantæ molis hepar obſervavit, ut integrum ferè occupâſſet abdomen ventriculumq́ue adeò ad inferiora depreſſerit, ut quaſi ab œſophago viſus fuerit ſeparatus; undè propter pondus hepatis increſcentis, impeditâ in pulmonibus circulatione, depreſſus ventriculus cibos reſpuit; ſimiliter ut idem *Bartholinus cent. 4. epiſt. 15. Romæ* vidit à compreſſione tumidi lienis conſtrictis inteſtinis deglutiendi ſublatam facultatem. Aliud hepar maximum reperit ſæpius jam laudatus *Bartholinus cent. 2. hiſtor. anat. 85.* in *Angli* cujusdam cadavere poſt mortem diſſecto diaphragmati arctiſſimè undiquaque connexum. Maximum eſt hepar, cujus meminit *Henricus à Moinichen in epiſt. 1. cent. 3. Thomæ Bartholini*, & ſcribit, *Cæleſtinum Cæleſtini Cortonæ* degentem in muliere quadragenaria, quæ ſæpius peperiſſet, & tandem ob menſium ſuppreſſionem gravida fruſtra habita fuiſſet, inveniſſe hepar LX. librarum pondere. Excell. *Phil. Jacobus Sachs à Levvenheim*, ut teſtatur in *Schol. obſ. 2. Ann. 1. Miſcell. Curioſ. Academic. Lipſiæ* in Theatro Anatomico

tomico

tomico in cadavere fœminino tàm vaſtam hepatis molem deprehendit, ut ad lienis regionem validis ligamentis annexum fuerit diaphragmati. Idem ferè anno 1670. 6. April. *Vratislaviæ* in viro ſphacelatis inteſtinis mortuo vidit; in cujus ſecto cadavere hepar licèt exſuccum & omni ſanguine ſpoliatum fuerit, & veſicula fellea exempta, ultra tres tamen libras & viii. uncias ponderavit, mole ſuâ ferè totum ventriculum involvens. Et Cl. *Juſtus Schraderus Decad. 2. Obſervat. Anatomico-Medic. 7.* cadavere quodam inciſo, hepar & lienem ingentis magnitudinis (ceu plerumque in ebrioſis obſervatur) reperit, parenchymate interim utriusque viſceris integro & benè colorato.

Contrà ab aliis quoque hepar inventum eſſe aliquando minimum & perditum: lienem verò majorem & robuſtiorem ejus officio functum legimus. Sic *Andr. Veſalius lib. 5. de hum. corp. fabric. cap. 9.* tradit in *Bello armati*, inſignis Jurisconſulti cadavere, adinveniſſe hepar contractiſſimum, & magna ex parte in cava ipſius regione conſumptum, lienem verò magnum, mollem, ſaniſſimi jecoris inſtar coloratum, ut non abs re dixerit *Galenus in lib. de uſu reſpir.* lieni ſanguificationis præter hepar quoque munus attributum fuiſſe à natura; quod *Hippocrates lib. 4. de morb.* clariùs adfirmavit, inquiens, lienem, jecore malè affecto, ejus vice ſanguinem elaborare poſſe; ob id etiam *Ariſtoteles* adulterati hepatis loco lienem recenſet. *Thom. Bartholinus lib. 1. Anatom. reformat. cap. 14.* hepar minimum obſervavit. Et *Nic. Tulpius obſervat. 36. lib. 2.* in cadavere cujusdam mulieris invenit jecur aridum, atrum, exſuccum, & inſtar corrugati corii ita in ſe contractum, ut vix æquaret geminum pugnum.

# OBSERVATIO LXXII.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
*De*
# Vermium ſub herbis putrefactis generatione.

Nulla eſt herbarum ſpecies, ipſis etiam amaris non exceptis, ſub quibus putrefactis vermes non naſcantur; undè miraculi locum non ſuſtinet, quod *Dioſcorides lib. 2. cap. 135. & Plinius lib. 20. cap. 12. hiſtor. nat.* tanquam ſingulare quid, & conſideratione dignum, ſcripſerunt, quòd ſub ocymo maſticato, & Soli expoſito vermes naſcantur; idem enim herbis omnibus accidit, quæ ſemine vermium ab animalibus infecta ſunt. Ex his vermibus, ſub herbis putreſcentibus productis, quandoque muſcæ ordinariæ, quandoque majores ordinariis, ſed utplurimum, nec infrequenter ſub una ſola planta natæ videntur longæ plurimæ generationes animalculorum volitantium, minutiſſimorum, quæ à *Tertulliano* non ſine ratione unius puncti animalia vocantur: & memini, me ſub ſolo hyſſopo, ſub ſolo ſerpyllo, ſub ſolo abſinthio, ſub ſolo ocymo, & ſub ſolo hyperico, præter muſcas ordinarias, & ordinariis majores, natas vidiſſe octo, novem, vel decem culicum ſpecies, figuræ diverſiſſimæ. Sub apio ſimiliter inveni vermes multos, his, qui in muſcas transformantur, ſimillimos. Omnes tamen piloſi fuerunt, & facto ſponte ſuâ circulo, nunc huc, nunc illuc ſaltârunt. Nullam ergò herbam eſſe puto, licèt etiam ſit amariſſima, in qua putrefacta non minutiſſimi vermiculi microſcopii ope videantur, qui mox in papiliones, vel aliorum inſectorum volatilium ſpecies degenerant, teſte *P. Athanaſio Kirchero Scrut. Peſt. ſect. 1. cap. 7. §. 1. Experim. 3.* Et vermes in plantis & arboribus generari quotidiana demonſtrat experientia ocularis.

Imò

Imò *Kircherus l. c.* nec non in *Mund. Subterran. lib. 12. sect. 2. cap. 6.* & alii per microſcopium obſervârunt, ſalviæ externam ſuperficiem totam opertam, veluti aranearum texturâ quâdam, intra quam ingens minutiſſimorum animalculorum fœtura comparuit.

Contrarium ſtatuere quidam videntur ex *Plinio hiſtor. nat. lib. 21. cap. 14.* ubi ipſum ita diſſerentem legimus. *Aliud in Creta miraculum mellis. Mons eſt Carina, IX. M. paſſuum ambitu: intra quod ſpatium muſcæ non reperiuntur, natumque ibi mel nusquam attingunt. Hoc experimento ſingulare medicamentis eligitur.* Idem miraculum *Zezes* de *Attico* melle refert, & ſubjungit, id evenire ob ſummam thymi in *Attica* abundantiam, à cujus acuto odore muſcæ vehementiſſimè abhorreant. Idemque *Michaël Glycas* in ſuis *Græcis Annalibus* refert, adductâ eadem *Zezis* ratione. Excell. *Franciſcus Redus in libr. de generat. inſector. pag. mihi* 228. & alii mecum tamen obſervârunt, muſcas poſuiſſe ova, & vermes ſuos ſub thymo, indeque natas eſſe; & ejusmodi muſcæ non mel ſolùm dilutum decoctione thymi avidè abſumunt, ſed electuarium etiam ex melle & thymi foliis compoſitum ligurіunt. Ætate fortè *Plinii*, & in monte *Carina* hæc vera hiſtoria fuit, quæ in *Italia*, *Germania* & aliis locis, ut cenſeo, inter fabulas numerari poſſet. Non ergò carnes tantùm demortuorum animalium omnes, nec non piſces omnes, ſed omnes quoque herbæ & fructus omnes vermibus, muſcis, & reliquo volantium animalculorum gregi nidum præbent commodiſſimum.

# OBSERVATIO LXXIII.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
## *De*
# Vermium ac Aranearum in fungis generatione.

FUngorum omne genus putrefactum, vermibus, araneis, muſcis, & reliquo volantium animalculorum gregi nidum præbet commodiſſimum, ut in iis, quos lupi crepitus, ſuillos, & manium ova vocant, nec non ſimilibus aliis ſæpius animadverti: de illis tamen fungis hæc loquor, qui jam antea reſecti, & quaſi mortui, ac jam putrefacti ſunt; qui enim in terra, aut arboribus hactenus radicati ſunt, & vivunt, aliud genus vermium, figurâ à muſcarum vermibus diverſiſſimum, producere ſolent; quod vermium genus non ſegniter trahendo corpus per terram, nec repedo per herbas, ut vermes reliqui, ſed pedibus incedendo perindè ut bombyces progrediuntur: & cùm illi, qui ex muſcis ordinariis vel majoribus nec non culicibus naſcuntur, roſtrum longum & acutum habeant, hi non niſi breve, & quaſi faſciâ nigrâ ſuccinctum habent. Hi ipſi ergò ſtatim ut increverunt, ſollicitè fungum illum, quo nati & educati ſunt, devitant, & citra transmutationem in ovum, faſciculum ex ſeta tenuiſſimum corpori quisque ſuo inducit, in quo per dies aliquot determinatos deliteſcit: quibus exactis, ex unoquoque faſciculo animalculum prodit volitans, & nonnunquam muſca minor prælongis pedibus; quandoque ejusdem magnitudinis muſca nigra, alis inſtructa quatuor; nec rarò muſca æquè nigra, & alas quatuor gerens, ſed cujus venter inferior in modum caudæ ſerpentinæ attenuatur.

Si quispiam cupiat ſcire cauſam efficientem proximam hujus generationis vermium in fungis viventibus, dico, eandem

dem numero esse, quæ vermes in herbis & plantis viventibus generat, qua in re Philosophorum, & illorum, qui in virtutes plantarum earumque naturam investigârunt, opiniones vehementer variant. *Fort. Licetus in libro de spontaneo viventium ortu*, pro axiomate verissimo supponit, ab anima vegetativa, ceu omnium aliarum ignobilissima, nunquam posse produci sensitivam: & hoc principio ductus censet, hanc vermium generationem fieri occasione nutrimenti à plantis ex terra attracti; quæ terra, ut ille quidem asserit, multas animæ sensitivæ particulas, ab excrementis vel corporibus mortuis, atque ipsis etiam viventibus exhalantes contineat: subjungunt præterea, illa ipsa etiam sive viventium, sive demortuorum corpora plures evaporare atomos, vel corpuscula, animam sensitivam exhibentia, quæ volitando per aërem, & cortici plantarum, nec non foliis & fructibus rubiginosis adhærendo, hanc vermium nativitatem efficiant. *Petrus Gassendus* in ipsa pulpa fructuum vermes nasci, & muscas, apes, & insecta reliqua, in floribus residentia, semen suum ibi ponere arbitratur, quod successu temporis intra fructus, haud aliter atque in carcere detentum, ope caloris maturativi vermes producat. Si rationes meas adducere mihi liceret, existimarem, fructus, legumina, arbores, folia duplicem ob causam verminare; quarum una hæc est, quod vermes aliundè adventantes, & alimenti penuriâ laborantes, rodendo viam sibi faciant, & in interiorem fructuum & lignorum medullam penetrent. Altera, quam ego quidem eximio Phisopho non indignam esse puto, hæc est, quòd una illa eademque anima, vel virtus, quæ flores generat, & fructus plantarum, vermes quoque ex plantis producat: & fortè verum est, multos arborum fructus, non quidem primariò & principaliter, sed secundariò & minùs principaliter hunc in finem productos esse, ut generationi horum vermium servile hoc ministerium præbeant, & matricis loco inserviant, ex qua debito tempore prodeuntes, solis calore vegetentur.

Quod autem ex putrefactis fungis nascantur vermes & araneæ, multis Experimentis Curiosissimus insectorum indagator *Johannes Gœdartius Metamorphos. & Hist. Nat. part. 2. de Insectis pag. mihi 193. 194. 195. & seq.* comprobat; quorum *primum* est: Certo quodam die Septembris unicum hujusmodi germen, jam maturum terrâ evulsum, & vitro suppositum in terræ pavimento soli exposuit. Postero autem die fungus ille exiguis scatebat vermibus nigris; ast III. Id. mensis dicti maxima ejus pars in aquam nigricantem, atramento concolorem, versa fuit, exceptâ eâ parte, quam *Belgæ* den Stoel, sedem vocant, & radice: in impura hac aqua offendit & numeravit vivos LXIII. numero vermiculos: qui postridiè se ad transmutationem accinxerunt; at septiduo post, IV. Id. ejusdem mensis, in vivas omnes conversi fuerunt muscas, admodum veloces & agiles, capite rubro, & reliquo corpore planè nigras: harum nonnullæ eleganti fuerunt colore, & ab utroque latere dependentem habuerunt exiguum malleolum, quo se excitârunt, eo pulsantes corpusculum: sicut bestiolæ quædam exiguæ Bombylios, siquidem somnolenti sunt, excitare solent, ita & hæ se ipsas hujus malleoli beneficio excitant.

Harum quædam nigro fuerunt capite: at unica alterius fuit coloris ab aliis; & cæteris corpusculi majoris, quam idcircò conjecit esse Regem, siquidem & prima prodiit. Hæ dulcati humoris ope, diu conservari possunt vivæ; quam plurimas enim aluit à IV. Id. Sept. ad IX. Cal. Januar. anni posteri; & facilè diutius servare potuisset illas, si quicquam ex earum sustentatione utilitatis sperasset; sed, quoniam nihil indè commodi ad se rediturum prævidit, eas lubens ediâ sivit interire.

*Alterum* est: Præter id, quod Experimento proximè superiori de fungis se comperisse significavit, vidit insuper, ubi antè dicti vermiculi in muscas transmutati fuerunt, & aquam, undè prodierunt, soli exposuit, eam fuisse refertam admodum exiguis

exiguis animalculis, & ſe moventibus, atque idcircò vivis; quæ poſtquam aciculæ beneficio aquâ exemit, & tubulo optico, viſui res majores ac reverà ſunt, exhibenti, impoſuit, animadvertit, ea eſſe exiles valdè ſerpentes ſeu angues, & quidem innumeros, atque adeò velociter rependo ſe commiſcere, ut non forent numerando.

Multos ex hiſce aluit biennium, & deprehendit nigris quosdam in corpuſculo maculis, alios viridibus, nonnullos verò fuſcis diſtinctos. At maximus eorum, quos aluit & vidit, celer admodum & agilis fuit; nam ſimul ac in terram eum demiſit, in eam irrepſit, illumq́ue amiſiſſet, niſi confeſtim, exigui ligonis, qui ad manum erat, beneficio eruiſſet.

Anguiculum hunc, vitro, terrâ & aquâ repleto, inditum, diu ſuſtentavit, ſed tandem præ nimio calore & aquæ defectu, quòd valdè doluit, interiit: ſiquidem diu hunc nutrivit.

*Tertium* eſt. Denique in antè dicta materia, ex qua muſcæ & anguiculi prodierunt, vidit inſuper & invenit cryſtallorum quoddam genus, arenulis formâ ſimilium. Accreverunt autem iis pedes, ſenſimq́ue evaſerunt majores, donec triennii ſpatio adulti eam conſequuti ſunt formam, quàm habet aranea.

E fungis à radicibus populi arboris pullulantibus aliud naſci ſolet aranearum genus, formâ oblongum, colore flavum & graveolentum.

E putrefactis fungis alia prodire ſolet aranearum progenies, & rubicunda quidem: è terra & aliud genus fungorum ſolet ſurgere, quod primùm quidem clauſum ſeſe oculis exhibet; ſed altero die apertum conſpicitur, & tunc formâ ſuâ fungum repræſentat, & patellam ſive domunculam orbicularem, illi conſimilem putamini, ex quo glans quercinus exemptus eſt. In hac patella quinq; rotunda ſeminum grana reperiuntur, ejusdem cum ſemine raphani magnitudinis, ſed ad inſtar cryſtalli pellucida. Poſtea hæc grana è patella aut in terræ ſuperficiem, aut in ejus rimas, ſeu fiſſuras delapſa ſolis calore foventur,

foventur, usque dum vivifcunt, deindè pedes, atque juftam triennii fpatio magnitudinem nancifcuntur. Hæc omnia bis, annis duobus confequentibus, expertus eft.

Verfari gaudent hæ araneæ circa meliffam herbam, & fub ejus umbra æftivo tempore: aft hyberno latitant, aut in lapideorum parietum, aut in ligneorum fepimentorum fiffuris.

Ejusmodi araneæ raro admodum parietum fuperficiei planæ affixæ inveniuntur, aft ferè femper fiffuris gaudent, fed ita, ut pedes exertos parietibus affigant; atque eum in finem, ut fcilicet è parietibus introrfum humorem promanantem pedibus fuis captent: illo autem imbutos pedes omnes, fed anteriores primùm, & deindè alios ori admovent, beneficio geminorum, quos geftant circa os, forcipum, admotosque jam ori pedes unumquemque alterius vicini pedis ope verrunt per os, atque ita adhærentem fingulis pedibus humorem nitrofum ablingunt, quo, ut alimento, victitant.

Interdiu hæ araneæ folent quiefcere, nifi abigantur; at noctu fe invicem lufu oblectare; tunc etenim fæpè altera alterius captare pedes confpicitur, & apprehenfam in terram dejicere; fic autem ludentes fe invicem non lædunt; cadentes enim, fiquidem longipedes, in extenfos labuntur pedes, uti feles. Præcipites datæ, confeftim refurgunt, & diductis cruribus, graduque grallatorio in parietem afcendunt: atque hunc ludum fæpè fimul folent ludere.

Frequenter etiam ita dimicant, ut fe invicem conficiant; funt etenim adeò teneræ, ut interimantur facilè: atque hoc iis probè perfpectum eft, ex naturæ inftinctu; propterea contractis, & utrique lateri affixis pedibus, immotæ fedentes fe tuentur; tùm enim earum corpora pedibus, uti caftra palis, circumquaque munita, & adverfus aggreffuras araneas, ipfis fortaffe viribus prævalentes, tuta confiftunt; hoc fitu nequit altera alteram unico aggreffu vincere. Poftea mirâ dexteritate validiores imbecilliorum pedes fuis illaqueant, eosque fic con-

constrictos tenent, non secus ac capreoli, seu cincinni, quos in vitibus videmus, se intorquent circum pampinos in orbem, eosque complectuntur; ubi autem illæ harum pedes arcuatis suis sic illaqueatos tenent, eos abrumpunt, alterum post alterum, nec desistunt, usque dum quatuor aut quinque decerpserint; hoc facto in corpus insultant, illudque mordicus apprehensum, & apertum exugunt; nihil facientes reliqui, nisi cutem exanguem, & exuccam pedesque reliquos.

Unicam de genere hoc aranearum aluit diu aqua salis petræ & calce mistis; fuit hæc admodum atrox; omnes omninò, quas ei objecit araneas, vicit; licèt inter eas offenderit, quæ ipsi multum facesserunt negotii, & vix expediendæ salutis creârunt periculum, quasdam enim nonnisi difficulter admodum superavit; tandem omnium victor remansit, uti *Alexander Magnus*, & quidem XXX. numero aranearum, quas illi aliam post aliam porrexit. Duas etiam ipsi apposuit testulas, in unam cibo, & in alteram potu immisso; sed in unam intulit pedes, & exucca aranearum à se devictarum cadavera. Comestis his araneis crassum obtinuit corpus, & nigrum induit colorem; tandemque interiit, procul dubio ex abundantia succorum ex araneis exuctorum, & devoratarum fortassis aranearum.

Præterea aquam, quæ è fungis putrefactis emanavit, & insuper aliquantum fungorum putrefactorum, immisit in vasculum porcellanum *Indicum*, illudque inverso vitro probè clausum soli exposuit; sed vitrum tollere aliquando volens, deprehendit, id ita firmiter agglutinatum vasculo, & contentæ in eo materiei, ut simul vasculum in altum sustulerit: usque adeò apprimè tenax viscus sive glutinum hæ cupediæ habuerunt.

Judicium ergò penes omnes esse potest, quid salutis in comestis fungis sit. Ex fructibus arborem cognoscimus. Sicut illi, qui post inventum, frumentum glandibus non vescebantur,

bantur, ajebant: Sat quercus: ita & omnes fungos fastidiant & aversentur. Ego eos nunquam gustavi; imò nec est mihi eos gustandi animus; cujuscunque illi palato allubescunt, solus is, per me licet, omnes devoret.

# OBSERVATIO LXXIV.
## D. MATTHIÆ TILINGII.
### De
## Trifolio Fibrino.

MUlta sunt Trifoliorum genera; inter hæc autem ob insignes suas virtutes eminet Trifolium Fibrinum. Nascitur illud copiosè in quibusdam *Scaumburgi* nostri locis, & exit caulibus cubitalibus, virentibus, lævibus, internâ parte porosis. Folia ei sunt lata, glabra & carnosa, Faselorum sive Bonarum foliis similia, nisi quòd in singulis pediculis non plura, sed tria tantùm, ut in Trifolio, conspiciantur: flores à medio caulis sursum versus ordine digesti sunt, candidi, foliosi: folliculi indè parvi, rotundi, in quibus semen rufum, milio simile: radicibus serpit pluribus, geniculatis, intùs candidis, & porosis, in diversa tendentibus, quæ & pluribus locis erumpunt, & caules foliaque promunt; undè facilè herba ipsa latè propagatur. Saporem habet semen nonnullæ amaritudinis participem.

In paludibus, pratis aut similibus locis pascuis lætius quàm in arvis flore muscoso succrescit, hinc palustre, aut paludosum, vel etiam aquosum dici meretur.

Recentiores, ut *Dodonæus*, *Casp. Bauhinus* & alii istud palustre: *Lobelius* paludosum, folio crasso fabaceo: majus & fibrinum *Tabernæmontanus*: Limonium pratense *Tragus*: Isopyron *Dioscorides*: *Germani* Biberklee/ id est Castoris Trifolium, sive Trifolium fibrinum: item Wasser- oder Sumpffklee (cùm

libenter

libenter & copiosè in pratis paludosis & pascuis aquosis nascitur) Klappen / Zingenklappen (quoniam capræ id ipsum in cibum appetunt) Lungenklee / Scharbocksklee (Trifolium antiscorbuticum) Dreyblad. *Dani* Bockoblade / Store Træblad: *Belgæ* autem Waterclaveveren / & à similitudine foliorum cum Bona sive Faselo Bocksboone, hoc est, Faselum hircinum, aut Bonam hircinam ab odore olido appellant.

Quæ nomina Trifolio nostro fibrino seu aquatico benè convenire videntur, nisi Isopyron & fibrinum istud aliquo modo dubium reddant. Cum Isopyro Trifolium aquaticum non exiguam similitudinem habet; nam Phasiolo, sive Faselo foliis simillimum est, ita ut propter hanc quoque similitudinem vulgò etiam à *Belgis*, ut jam dixi; Faselus nuncupetur hircinus. Isopyron enim & Phasiolum dici, propter eam quam cùm Phasiolo similitudinem habet, *Dioscorides lib. 4. cap. 116.* scribit. Aliam in vulgaribus *Dioscoridis* & *Plinii* exemplaribus legimus rationem: & in illius quidem τῷ κατὰ ἄκρον τὸ πέταλον ἕλικα φέρειν, id est, quòd in summo folio claviculas ferat: in hujus verò, quoniam folium, quod est aniso simile, in pampinos torquetur. Et hanc quoque rationem masculè defendere conatur *Jacobus Dalechampius comm. in cap. 11. lib. 27. histor. nat. Plinii.* Quæ utrique *Autori* perperam accessisse satis manifestum: nec etenim Faseli, sive Dolichi folium claviculas habet: & anisi folium præter quòd claviculis careat, cum Faseli, aut etiam Faseoli foliis nullam habet similitudinem. Emendandum igitur venit *Dioscoridis* exemplar, & hoc modo legendum: ἰσόπυρον, οἱ δὴ φασίολον καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ ἐοικέναι φασιόλῳ, ἔπεισι δὲ κεφαλαὶ ἐπ᾽ ἄκρου τοῦ καυλοῦ λεπταὶ σπερματίων πλήρεις, παραπλησίων μελανθίῳ τὴν γεῦσιν. Hoc est. Isopyron aliqui Phasiolum nominant, à similitudine Phasioli; capitula ei sunt in summo caule tenuia, plena seminis; in gustu melanthio similis. Quod verò deindè sequitur: τὸ δὲ φύλλον ἀνίσῳ, id est folium verò anisi, aut accessorium similiter est, aut de gustu quoque venit intelligen-

 telligen-

telligendum; formâ siquidem folium Isopyri anisum referre non potest, cùm Phasioli foliis simile sit, sed verisimilius videtur ab aliquo adjectum; *Oribasii* enim liber, ex *Dioscoride* transscriptus, hoc postremum non habet. Atque hoc quidem modo Isopyri descriptione emendatâ & castigatâ, Trifolium fibrinum, palustre seu aquaticum ei tam simile est, ut non aliud quàm verum Isopyrum videatur. Et quod magis est, Isopyri semen cum Trifolio fibrino & ejus semine in usu Medico maximè convenit. Isopyri enim semen similiter ut Trifolium fibrinum vel ejus semen, contra tussim & dolores circa thoracem cum melicrato sumptum, ut *Dioscorides* & *Plinius l. c.* tradunt, prodest: confert etiam hepaticis & sanguinem exscreantibus; extergit enim, inquit *Galenus*, & incidit humores crassos, cum hoc, ut corpora contrahat & constringat.

Nec epitheton istud fibrinum Trifolium aquaticum dubium reddit. Fibrinum hoc appellatur à fibris animalibus castoribus ductis, qui eo victitare, aut certe amaris arborum foliis & corticibus, pro summis deliciis vesci, *autore obscuro* apud *Gesnerum in histor. Castoris pag. 311.* perhibentur: aut potius, quod *Excell. Simonis Pauli Quadripartit. Botanic. cl. 2. pag. 156.* quod est verisimilius, fibrinum ideò dicitur, quia fiber, in spem prædæ insidias ex cavernis riparum, aut cubilibus, piscibus structurus, post hoc Trifolium ceu post carecta latitet: nisi quoque id malim cum *Varrone lib. 4. de Latin. ling. pag. 22.* ideò appellare fibrinum, quòd Trifolium hoc in extrema ora fluminis dextra & sinistra, maximè (crescere) videri soleat: & antiqui fibrum dicerent extremum, undè in sagis extrema fimbriæ, & in jecore extremum fibra.

Mirum certè est, quod *Tabernæmontanus*, *Dodonæus* & alii egregii Botanici neque substantiæ, neque temperiei, neque usus hujus Trifolii fibrini meminerint, & tàm jejunè ac confusè illius historiam tractaverint. Hujus plantæ incomparabilis

bilis ſubſtantia (ut ipſam multijugâ experientiâ comprobavi) heterogenearum eſt partium; mediocriter enim adſtringendo corroborat, abſtergendo autem digerit, aperit & incidit; quorum prius craſſarum, poſterius tenuium partium proprium eſt. Temperamentum ejus inſtar aloës ſiccum eſt in gradu tertio, & calidum in primo gradu intenſo, aut ſecundo remiſſo.

Vires illius ferè divinæ ſunt; ob ſal enim ſuum volatile craſſos & tartareos humores in ventriculo, pulmonum bronchiis, hepate, liene, pancreate, &c. ſtabulantes incidit, digerit & abſumit: viſcera hæc reſerat, & tandem virtute ſuâ balſamicâ corroborat; hinc egregium & excellens aſthmaticum, ſcorbuticum, hypochondriacum & cachecticum remedium hoc Trifolium fibrinum evadit, atque cochleariam & herbas reliquas, antiſcorbuticas viribus ſuis longè ſuperat.

Uſus hujus plantæ digniſſimus eſt in quibusdam partibus, in radice nimirum, in foliis & in ſemine, atque præparari in officinis ex ea poſſunt Conſervæ, Decocta, Infuſa, Aquæ deſtillatæ, Succi, Syrupi, Sal volatile, Spiritus & Eſſentia. Inter hæc autem primas tenent Sal ejus volatile, Spiritus & Eſſentia; quæ præter alia melius utiliusque ex recentibus quàm ſiccatis foliis parantur.

Sal Trifolii fibrini elegans & cryſtallinum volatile ſic paramus. ℞. Trifolii fibrini quantitatem magnam; contunde in mortario lapideo vel ligneo, poſtea in alveo æneo vel ferreo amplo cum magna quantitate aquæ coque usque ad partem dimidiam: deindè fortiter exprime & cola. Colaturam iterum coque ad ſpiſſitudinem exquiſitam mellis liquidi. Succus iſte Trifolii fibrini ponatur in vaſe vitreo, in loco frigido per dies aliquot, & generabit in fundo vaſis Sal cryſtallinum angulare, in modum Salis gemmæ. Effuſo ſucco colligitur, & aqua cardui benedicti abluitur & exſiccatur, quod diligenter in vitro ſervandum eſt. Eâdem quoque ratione fit ſal ex

cochlearia, carduo benedicto, absinthio, centaurio minori & aliis herbis; quod multis modis antecellit salem, qui ex cineribus herbarum conficitur.

Spiritum autem Trifolii fibrini hoc modo præparari curamus. ℞. Trifolii fibrini recent. q. s. Contusa leniter & concisa grosso modo destillentur, adjecto vino bono odorato, non præviâ putrefactione, in qua multi volatiles Spiritus evanescere possunt. Condensati vapores, striis concentrati in alembico, excipiuntur vase vitreo oris angusti, & ad usum servantur. Oleum si supernatet, idem etiam colligatur. Spiritus hic datur in dosi ad guttas X. XV. & XX. oleum autem ad guttas II. & III. Cum aliis Spiritus ejusmodi penetrantissimus exhibetur: Oleum verò cum saccharo mistum, constituit elæosaccharum Trifolii fibrini.

Et demùm verno tempore (in gratiam delicatulorum, succum crudum, aut infusum recentium foliorum Trifolii fibrini fastidientium, aut ob metum, ne crudus succus officiat ventriculo & aliis visceribus, nutritioni dicatis) ex Trifolio fibrino Tincturam seu Essentiam liquidam, eleganti subrubicundo colore secundum artem pharmaceuticam sic conficimus. ℞. Trifolii palustris seu fibrini recent. q. s. contunde in mortario marmoreo, hocque inditum vasi convenienti aquâ vix subtepidâ, vel, quod melius, proprio succo crudo irrora, in quo tantillum fermenti, vel fæcis cerevisiæ solutum est, conspergeque rarò sale; hæc ubi probè l. a. remista sunt, reponuntur, vase (quod maximè expedit ob volatilitatem Salis volatilis) optimè operculato, aut glutine farinaceo accuratè oblito, tamdiu in locum subterraneum, usque dum acriorem odorem spirant, quàm cum recens Trifolium fibrinum contusum est; quod ubi advertis, destillantor per alembicum in B. M. & obtinebis Spiritum Trifolii fibrini. Postea ℞. Folia nova Trifolii fibrini, contunde & exprime torculari valido ex iis succum, eumque leni igne B. M. in vase aut vitro optimè

optimè lutato defæca, & per chartam bibulam filtra. Hujus hâc arte depurati ſucci tribus partibus affunde partem unam Spiritus Trifolii fibrini, paulò antè deſcripti, digere vel circula ſ. a. quibus ſi addideris paululum ſacchari, Eſſentia Trifolii fibrini parata eſt. Doſis ejus una vel altera uncia eſſe poteſt, ſi in aquis deſtillatis convenientibus, imò vel vino *Rhenano* & ſimilibus vehiculis diluatur.

Remedia Trifolium hoc fibrinum ſeu paluſtre nobis ad varios morbos, etiam contumaciſſimos eradicandos præbet inſignia. Decoctum Trifolii fibrini, ut ſæpius expertus ſum, præmiſſis univerſalibus, ſcorbutum radicitùs tollit. Hinc ob inſignes ſuas virtutes & dotes adverſus ſcorbutum in locis his Septentrionalibus plurimi æſtimatur, præſertim ſi ægri ſint nauſeabundi & unà hydropici. Et ita probabilem rationem dare poſſum, cur tantoperè & quidem meritò *Anonymus Comm. in Dodon.* Trifolium hoc fibrinum, ejus ſemen & radicem in ſcorbuto & hydrope laudet; ac præclariores edere effectus aſtruat, quàm ulla alia adverſus ejusmodi affectus graviſſimos uſurpata medicamenta. Ego Trifolium hoc fibrinum in ſcorbuto, cachexia, hydrope & ſimilibus contumaciſſimis affectibus longè conducibilius eſſe quàm cochleariam, ingenuè fateor. Nam ſi guſtum conſulamus, aut Trifolium hoc mandamus, longè gratius id palato eſt, eiq́ue magis quàm cochlearia arridet; ſi verò rationem, id quoque ventriculo eâ conducibilius eſt. Nam, cum teſte *Galeno 6. Simpl. 1.* itemq́ue *6. Simpl. 22.* amarities non quævis, ſed quæ ad abſinthii & aloës ſaporem comparatur, ventriculo valdè grata ſit & conducat, quippe quæ utraque præter amarorem plus minus adſtringunt; aloën verò adeò gratum ſtomacho medicamentum dicat, ſi quid aliud; hinc uſu venit, cùm recentia Trifolii fibrini folia præmanſa aromatico ſuo ſapore ipſam aloën reſipiant, ut cochleariæ ipſi id ſit præferendum. Hinc facilè colligere ac defendere quoque poſſum, quòd aptius ſit contu-

maciori

maciori ſcorbuto medendo quàm cochlearia. Compertum etiam eſt, quòd & hoc Trifolium attenuet, incidat, aperiat, cruditatiqúe reſiſtat: & quæ reliqua antiſcorbutica, hoc & nec ſegnius, ſed etiam efficacius præſtet; quo etiam *Cl. Johannes Walæus*, magnæ famæ Anatomicus reſpexit, cum in *Medicina ſua practica lib. 2. cap. 23. pag. 216.* ſic ſcribit: *Si malum ſit valdè pertinax, ad Trifolium aquaticum deveniendum, &c.* Ratio eſt: quia non expellit ſolùm & attenuat inſtar cochleariæ humores ſcorbuticos, ſed partes quoque, & præſertim ventriculum corroborando, prohibet novam illorum generationem. Et conſummatiſſimus Anatomicus ac Practicus *Simon Pauli*, trium Regum Archiater feliciſſimus, *loc. jam citat.* ubi advertit, nauſeabundos eſſe ſcorbuticos, longè antefert Trifolium hoc fibrinum omnibus aliis antiſcorbuticis. Hinc in praxi ſua præſtantiſſima, Trifolii fibrini Decocto ac ejus Eſſentiæ multum quoque ſemper tribuit, uſúque remedii hujus eximii ſcorbutum & alios etiam contumaciſſimos affectus profligavit. Sic *Hafniæ* honeſtiſſimam Matronam, natam annos quaſi quinquaginta, à tympaniti aut aſciti ſimili affectu, nec non ſcorbuto jugi uſu Decocti ex cereviſia Trifolii fibrini liberavit, ante hac multis aliis antiſcorbuticis longè famigerabilioribus incaſſum ipſi propinatis. Et cum *Fabricia* ſua ſcorbuticis infeſtaretur ſymptomatis, imperavit ipſi infuſum raphani majoris & cochleariæ, quod cum ferre non poſſet nauſeabunda, paravit aliud ſimplex, & quidem ex ſolo Trifolio fibrino; quo cum per octiduum eſſet uſa, meliore ſcente valetudine, faſtidire, & inſuper id quoque habere cœpit. Meminit præterea *Germani* cujusdam textoris ad incitas redacti, ſcorbuto enervati, brachia maculis picti, dentibus vacillantibus tentati, qui, Deo benedicente, ſolo uſu ſimpliciſſimi hujus infuſi Trifolii fibrini ſpatio 14. dierum omninò convaluit. Ita cum Excell. *Simon Pauli* anno 1658. *Hafniâ Roſtochium* eſſet profectus, & Celeberrimus Poëta *Andr. Tſcherningius*, quantus

tus quantus ſcorbuticus, hydropis præludia perſentiſceret, poſt uſum univerſalium, ſimplici Infuſo Trifolii fibrini illiusque Eſſentiâ, Dei gratiâ, tunc temporis, à ſe, illius Medico, ſervatus eſt. In *Dania* quoque, *Holſatia* & aliis locis non ſolùm Medici in vino, aqua, vel cereviſia veteri probè defæcata Trifolii fibrini folia, macerata aliquandiu, decoquunt, ſed quoque ex his remiſtis deſtillant ſpiritum; utraque verò feliciſſimo ſucceſſu ſcorbuticis propinant. Et ſanè nihil nocet, quòd coctio Trifolii fibrini inſtituatur, quæ aliàs in cochlearia & aliis antiſcorbuticis plerumque improbatur. Neque enim tàm volatile Sal Trifolii fibrini eſt, quàm cochleariæ & naſturtii aquatici. Illud abſtergendo digerit, aperit, incidit, & mediocriter adſtringendo ſimul corroborat: hoc verò abſtergendo digerere, aperire & incidere quoque valet; ſed nonnunquam ſanguinem juſto fluidiorem facit, ut conſiſtentiam ſuam debitam amittat; undè non raro ſcorbutici, cachectici, hydropici, hypochondriaci in hæmorrhagiam narium crebram & largam cum cordis palpitatione, vel etiam in ſyncopen cardiacam incidunt.

Trifolium fibrinum, in lacte caprino vel ejus ſero decoctum & epotum, ſcorbutum feliciter abigit.

Aquæ Trifolii fibrini, vel ſola, vel cum aliis aquis antiſcorbuticis, cochleariæ nimirum, beccabungæ, naſturtii aquatici, nummulariæ, &c. mixta ac epota, manè & veſperi mirificè ſcorbutum tollit.

Succus Trifolii fibrini, minimè dilutus, per ſe ægris propinatus, corpore probè evacuato ac præparato, valdè ſcorbuticis tenuioris ſortis prodeſt: cujus vis cum in ſale volatili ſubſiſtere videatur, nullâ commodiori quàm ſucci formâ Trifolium fibrinum exhiberi unquam poteſt; in eo enim minimum ſalis volatilis deperditur; ex quo & ſaccharo arte pharmaceuticâ Syrupus conficitur, cujus doſis ab ℥j. ad ℥ij. eſſe poteſt. Recens autem ſuccus maximæ eſt efficaciæ ad arcendam

oris ac gingivarum putredinem, etiam post morbillos. Inspissatus loco extracti assumi poterit.

Spiritus Trifolii fibrini calefacit, siccat, reserat, ac antiscorbuticas obtinet facultates. Oleo virtutes hæ insunt eminenter.

Essentia liquida, sive Tinctura Trifolii fibrini præstantissima & efficacissima est in scorbuticis affectibus, ubi in aquis destillatis convenientibus, imò vel vino *Rhenano* & similibus vehiculis illius una itemque altera uncia diluitur; maximè si Misturæ simplicis dictæ, aut Diaphoretici in peracutis, aliquot guttulæ ad ℈j. pro dosi ei remisceantur. Atque ex hac & Trifolii fibrini Essentia, invicem in æqualibus partibus remista, Essentia liquida & Tinctura antiscorbutica parari potest.

Sal volatile Trifolii fibrini præstantissimum remedium est in scorbuto, cachexia, hydrope, &c. Si ejus grana duo, tria vel quatuor in Aq. cochleariæ, fumariæ, cardui benedicti exhibentur; sudores abundè provocat.

Radix & Semen Trifolii fibrini ad affectus pulmonum gravissimos, præsertim verò tussim inveteratam, item ad morbos hepaticos chronicos felicissimo successu maximè commendantur.

Folia & radices Trifolii fibrini extùs in gargarismis cum vino vel aqua factis (ad putredinem gingivarum scorbuticam tollendam, dentium mobilitatem auferendam, eosque figendos & immobiles reddendos atque conservandos) in balneis ad artuum resolutionem ex scorbuto natam adhiberi possunt. Et cùm Trifolium hoc fibrinum citra morsum exsiccet & abstergat, succum hujus expressum ad ulcera curatu difficilia tibiarum in scorbuticis, maximè si inflammatione careant, commendo. Rustici pecoribus suis tussientibus Trifolium fibrinum exsiccatum & pulverisatum exhibent, indeque ea novos pulmones, novaque jecinora nancisci dicunt.

Tanta ergò est Trifolii fibrini natura, tantæ sunt ejus vires, de quibus admodum præclaris, mihi, usu & experientiâ interve-

interveniencibus, satis constat. Effectus sanè, quos ipsus ab eo edi observavi, sunt mirabiles; & propterea lubens, quâ par est fide & dexteritate, eos cum artis Medicæ Candidatis communico.

Videatur porrò prioris Decuriæ, Anni 4. 5. fol. 133. Trifolium antarthriticum.

## OBSERVATIO LXXV.

## D. MATTHIÆ TILINGII.

# Ex morsu Anseris circa primam articulationem pollicis sinistræ manus periculosa symptomata in fœmina quadam primaria.

FOemina quædam primaria hujus loci, cujus nomen honoris ergò silentio prætereo, cum circa diem *Martini* nuper præterlapsum, anserem mactare vellet, eumque dextrâ manu teneret, ab illo in pollice sinistræ manus circa primum articulum parùm dentibus sauciata fuit, unde statim vehemens dolor, totius manus & brachii inflammatio, febris continua, corporis inquietudo, lipothymiæ frequentes, intensus capitis dolor atque alia periculosa symptomata orta sunt: gangræna jam incipiebat, quam tamen, ut & cætera gravissima symptomata ego & Chirurgus Academiæ nostræ Experientissimus, intra paucos dies convenientibus remediis, cùm internis, tùm externis diligenter adhibitis, profligavimus.

### *SCHOLION.*

C*Ornelius Celsus de Re Medic. lib. 5. cap. 27.* omnem ferè morsum virus quoddam habere scribit. Accidit enim nonnunquam, ut homines à canibus, simiis, equis, asinis vel aliis animalibus non rabidis, volucribus, anatibus, anseribus,

 galliis

gallis & gallinis, vel etiam hominibus aliis mordeantur; undè autem ex morſu tàm gravia oriantur ſymptomata, inveſtigatione dignum cenſemus: an quòd dentes habeant talem proprietatem à natura, vel primo ortu, an verò præter dentes adſit & inveniatur alia aliqua materia, tanquam cauſa horum ſymptomatum periculoſorum.

Dentes non habent talem à natura & primo ortu proprietatem, ut ſoli & per ſe talia ſymptomata inducere queant; quod ex definitione eorum eſſentiali ſatis colligimus; ſunt enim oſſa duriſſima maxillarum, quibus per gomphoſin inarticulantur, in alveolis contenta, carne, gingivâ dictâ, circum circa donantur, ſentiunt: nam à frigore læduntur, & ab acrimonia hæmodia, ſeu ſtupor illis inducitur, in parte interiori excavantur, in qua medulla continetur, membranâ, ut reliqua oſſa non inveſtiuntur, neve etiam poroſitatibus gaudent. Hinc apparet, nihil venenoſitatis dentibus ineſſe, cùm ſint oſſa duriſſima, ex ſeminis parte viſcida & terreſtri, omnis quoque veneni experte, genita. Experientia quoque dictat, talia ſymptomata non fieri ratione oſſis; quot enim mordentur, qui facillimo negotio, nullo ſymptomate ſuperveniente, curantur. Infantes ſanè papillas mammarum matrum dentibus vulnerant, undè nil niſi dolor (qui aliàs omnibus continui ſolutionibus eſt communis) propter partis ſenſibilitatem infertur; oſſa quoque alia franguntur, partes circum ſitas vulnerant, nec talia excitant accidentia. Accidit quidem interdum, ut dentes dum mordendo, vel oſſa dum ſauciando lædunt partes, gravia excitent ſymptomata. Verùm dolor ille non provenit ab oſſe, tanquam inſtrumento lædente, ſed à parte læſa. Si enim carnoſæ partes afficiuntur, dolor quidem exſurgit, major verò & maximus, ubi nervoſæ; & talis dolor ſupervenit etiam nervo vulnerato ex quocunque inſtrumento. Quarè parùm valet opinio illorum, qui dicunt, dentes vel oſſa per ſe talia ſymptomata excitare poſſe, quamcunque etiam vulneraverint partem. Nam, quot pueri

cadunt

cadunt, qui dentibus vel linguam, vel labia vulnerant, curanturque facillimè. Undè facilè concludendum est, dentes non habere insitam & occultam quandam proprietatem talia inducendi symptomata.

Cùm igitur dentes non habeant talem à natura & primo ortu proprietatem, ut soli & per se talia symptomata inducere possint, necesse est, ut adsit aliqua materia conjuncta, hunc effectum præstans. Hæc maximè saliva est, non verò omnis; aliàs enim morsus placati hominis & infantum, utpote, qui salivam in ore habent, esset tàm perniciosus: sed ille morsus est periculosus, in quo saliva tantoperè agitatur, ut spumæ reddatur similis, & acrimoniam ac venenositatem quandam, ob bilis, quæ in iratis animalibus, dum mordent, commovetur, quæq; humores maximè corrumpit, ebullitionem acquirit; talis saliva, quoniam virulentiam quandam habet, insinuat se vulneribus, dentibus factis, ad partes defertur corporis circum stantes; quòd si illæ nervosæ fuerint, tùm ob venenositatem & humoris acrimoniam stimulantur, ac ad spasmum, motus convulsivos, efficiendum, concitantur; si verò venæ & arteriæ lædantur, venas transit, deferturque per eas ad cor, undè calor excitatur p. n. febres ac syncope, capitis dolor, totiusque corporis inquietudo oboriuntur. Addimus, quòd & non rarò gangrænam & sphacelum inducat irati animalis morsus, quoniam caliditas illa extranea spiritus vitales & calorem nativum primò debilitat, postea verò superat.

Similiter & hoc in viperæ morsu contingit, qui etsi periculosissimus, & spatio 24. horarum interficit; illud tamen periculum non à morsu dentibus facto dependet, sed quatenus materia quædam inter mordendum ex vesicis illis post dentes latitantibus, ejaculatur & emittitur, non solùm acris, sed & maximè venenosa, ita ut, si irritetur vipera, & dentibus arripiat baculum vel linteum, eosque illi infigat, tùm circum circa vestigium apparet lividitas quædam, & ac si esset tinctum colore flavo & nigro, vesiculæque collapsæ videntur.

Sunt quidem in *Italia*, aut locis, ubi viperæ reperiuntur, circumforanei multi, qui illas sine noxa tractant, dum scilicet ori suo intrudunt viperarum ora, & sine læsione extrahunt. Verùm illi fucatè agunt; viperas primùm irritant, ac postea ori intrudunt pannum, in quem dentes infigunt, ac venenositatem ejiciunt, idque non semel, sed reiteratis vicibus, donec omnes dentes ad minimum extracti, vel venenositas omnis ex vesiculis effusa.

Etsi omninò nihil virulenti sit in vulnere à morsu animalium inflicto: ipsa tamen contusio, quæ omnia vulnera periculosiora & curatu difficiliora reddit, vulnera ista graviora facit. Cùm enim dentes animalium non ita acuti sint, ut gladius, vel culter, vel aliud armorum genus, dum vulnerant, simul contundunt.

Quomodo verò anseris morsus tàm gravia & periculosa symptomata in hac fœmina primaria excitaverit, paucis dicturi sumus. Anser, testibus *Æliano lib. 5. cap. 29. de animal. & Wolfgango Franzio in histor. animal. part. 2. cap. 9.* naturâ calidissimus est, & propè fervente stomacho; undè lutum & arenas solet deglutire & conficere. Et hæc est causa, quòd frequentes amat lotiones, & semper gaudeat natare, & delectetur cibis humidissimis, item aquis frigidis & limpidis, quibus interiora sua membra calidissima refrigeret. Aliqui ipsis inclusis etiam sub media nocte aquam ministrant. Dicuntur enim ter edere in die & sub mediam noctem. Non diu aquam nonnulli ante anserem sinunt, quàm per unam horam. Præterea ex stercoribus anserum hoc ipsum patet; siquidem tàm illa sunt calida, ut adurant prata, consumant radices, & asseres in stabulis; citò etiam pereunt calcei, quibus stercora anserina calcantur.

Et quoniam calidissimum est animal, non copioso solùm indiget alimento, sed sæpenumero quoque alvi obstructionibus laboraret, nisi naturâ duce citra Medicos, & citra omnia diætæ dogmata, sibimet ipsi possèt alvi fluorem provocare. Vescitur igitur lactucis, & aliis herbis humidis, ut hâc

ratione

ratione alvum emolliat. Propter hanc autem caliditatem & voracitatem corporis sui quantitate adeò augetur, ut non possit altè super terram attolli.

Ob exsuperantem igitur caliditatem anser bile copiosâ perfunditur, & facilè ad iram concitatur. Cùm verò ira magnam humores commovendi & corrumpendi vim habeat, acrimonia ac venenositas quædam, ob bilis ebullitionem acquisita, facilè salivæ, & per eam vulneri communicari potuit; idque multò magis accidit, quia patiens hæc etiam naturâ biliosa est.

Et ita omninò vulnus hoc periculosum fuit, tùm ex se propter contusionem, tùm quòd saliva irati anseris maligni aliquid conjunctum habuit, & eò magis periculosum fuit, quia pars nervosa, qualis pollex est, morsum accepit.

## OBSERVATIO LXXVI.
## D. JOH. LECHELII.
*De*
# Cachexiâ deploratâ,

*Quâ famæ & existimationis magnæ Theologus, postquam per triennium ferè cruciatibus ventris quotidianis sensim confectus & ad extrema redactus esset, subitò tandem periit: summatim descripta, & unà cum Observatis in aperto Cadavere Illius rarissimis curioso Lectori exhibetur.*

THeologus quidam honore ac nomine illustris, secundum & quadragesimum ætatis annum agens, cum jam ultra biennium pertinacissimâ valetudine ex vitiosâ corporis nutritione conflictandum ipsi fuisset, variis ex consilio quorundam Medicinam factitantiũ remediis usus, mense demum Junio novissimè elapso meam implorabat opẽ.

Symptomatum morbi tunc temporis maximè urgentium præcipuum erat, *Imi ventris per intervalla intumescentis cruciatus intolerabilis*, nec remittens, priusquam seri acidi acerrimi,

acerrimi, fauces quandoque acrimoniâ oblædentis magna copia partim vomitu rejiceretur, partim, sed rariùs per sedem subduceretur; quâ eliminatâ, actutùm ventris tumor subsidebat, & pacabatur dolor. Aliquot verò pòst horas, maximè ubi cibum assumsisset vel potum, quæ dixi mala, recrudescebant, cùm Illum sæpius audivi hunc ferè in modum quiritari: Jam redit dolor, ac sensim increscit: jam divagatur per ventrem hostis intestinus & interiora hactenus quidem leviter ferit, mox autem eheu! modis dirissimis affecturus: & non multò pòst, ingravescente malo dentibus stridens: jam quasi novaculâ stomachum & intestina discindit.

Hoc omne verò flatibus potissimum ferebat acceptum, tametsi vomitu superveniente, vel dejectione materiæ peccantis κάτω, quibus illicò ferè tumor & dolor, uti dixi solvebatur, non tàm flatus prodirent, quàm serum copiosissimum, idque acerrimum, cujus quantitas tanto ventris tumori producendo omninò par esse potuerat.

Imò si quando anteverteret æger justum tumorem, & digito in gulam immisso ante statum tempus vomitum provocaret, nihil flatuum sed serum erumpebat, cui nonnunquam succedebat humor crassior è flavo nigricans, ubi scilicet antecessissent labores extremi; imparibus enim furiis absolvebantur paroxysmi.

Denuò verò ut ad alia pergam, solutis tumore & dolore ventris, de nocte ferè miserum corripiebat *Cephalagia, rariùs incomitata spasmis musculorum colli atrocissimis.*

Quantum *ad pastum*, interdum quemvis cibum aversabatur, quandoque, tempore videlicet induciarum, appetebat, qui palato erat gratus, avideque devorabat. In deliciis verò præ aliis habebat *Pisces marinos, quales torrefacti, vel muriâ conditi ad nos apportantur;* sed magno suo malo.

Plerumque post unam vel alteram horam quæ manducaverat, vix immutata removebat; rariùs retinebat, donec qualitercunque essent concocta.

*E vinis*

*E vinis* præoptabat *dulcia*, Hiſpanica & Canarienſia, quorum tamen uſu ſupremis menſibus quæ indè percipiebat incommoda, ſin minus prohibentibus Medicis obedire voluiſſet, illi interdicebant.

Cæterùm moleſtiſſima erat *alvi ſuppreſſio*, quæ vix unquam, niſi frequentioribus Clyſteribus in dies ſingulos ſolicitata reſpondebat.

Ad *qualitates corporis mutatas* quod attinet, illud nihil præter *oſſa & cutem* referebat. *Facies* erat *Hippocratica; ejus cutis è pallido flavebat.*

Sed non eadem usque facies morbo perſtitit, ſubindè novis advenientibus ſymptomatis; atque adeò, ſi quis velit poſteriora conferre prioribus, valdè is erraret.

Sic temporis progreſſu *Tumor* quidam *Oedematoſus* crura primò invadebat, mox relinquere hos artus videbatur, & vel manus aliasve partes ſuperiores petere, mox iterum deſcendere, donec augeſcente materiâ extravaſatâ fixus hæreret cruribus, tandemque partibus ſuperioribus, cum ſerpendo ad eas perveniſſet.

Leviora quàm multa nunc omitto, nimis enim longum foret, omnia recenſere: ſufficit paucis iisque præcipuis indicaſſe Cachexiæ indolem.

Miſerrimâ hâc ratione cum vitam ſatis diu traxiſſet, tandem ſpiritibus conſumtis, flammula vitalis oleo ſuo deſtituta abruptè quaſi extincta fuit.

Poſtquam verò diem ſupremum obiiſſet, placuit, ut aperiretur Cadaver, & inquireretur in cauſas abſtruſas affectus perditiſſimi.

Itaque perſecta unà cum cute *pinguedo craſſitie digitum penè æquabat*, (cæteroquin corpore ſupra modum, uti dixi, emaciato) ac inſtar ſpongiæ & multum ſeri imbiberat, quo ubertim ſtillabat, ubicunque eam incideres. Vidimus ergò Anaſarcæ cauſam materialem.

Communibus integumentis remotis primùm in con-

ſpectum veniebat *Omentum*, colore lurido, ſero quippe acerrimo, quo ſubinde imbutum, vel potiùs merſum fuerat, corruptum.

Dehinc Epar tuberoſis eminentiis duriuſculis & albicantibus ubique, non tantum quoad ſuperficiem diſtinctum erat, ſed etiam ſubſtantia interna tota ſimilibus variæ magnitudinis nodis, nequaquam *ſanie*, ſed materiâ pulti ſimili, qualis eſſe ſolet Atheromatum, turgidis ſcatebat.

Porrò *veſica biliaria* Epati annexa bile penè vacua erat; *Inteſtinum* verò *duodenum* humore bilioſo repletum, adeoque dilatatum erat, ut quaſi burſam referret, quæ humoris libram ad minimum continere potuiſſet; cum enim ſectione præproperâ aperiretur, plus quàm dimidium humoris craſſioris è flavo nigricantis effundebatur, & nihilominus in ipſo ſupererant decem amplius cochlearia.

Ex hâc, opinor, vitioſâ inteſtini conformatione patere cauſam difficultatis alvi, vomitûs humoris nigricantis, aliorumque ſymptomatum.

Cæterum Ventriculus anticâ parte ferè mediâ perforatus erat. Foramen extrinſecus, æquali membranæ ſuperficie, non connivens, ſed omninò patulum, vel pollicem grandiorem admittebat.

Aſt intrinſecùs illud quaſi circumvallabant eminentiæ quædam carnoſæ, à veteri ulcere fortè relictæ, quos poſtmodum inſtar valvarum ſuſpicor occluſiſſe foramen, quò minùs contenta ſtomachi effluerent in cavum abdominis. Non enim eſt, quod mihi perſuaderi patiar, foramen iſtud proximè demum ante fata ægri apertum, tenui hactenus membranâ extrinſecùs obtectum, quâ ruptâ, ſubitò moriendum illi fuiſſe; cum nec minimum iſtius membranæ recens ruptæ particulam videre nobis licuerit. Sed poſitâ tali membranâ, quî obſecro, tam citò mortem ægro potuit afferre diſrupta, cum neque ſanguinis vitalis profuſio, neque puris eam ſit ſubſecuta? in cavo quippe abdominis neutrum horum, ſed humorem

ferè

ferè ſimilem ei, quem ad Inteſtinum duodenum fuiſſe collectum dicebam; qualem in fundo etiam ventriculi offendimus.

Et ſi ponamus Empyema ruptum ægri fata acceleràſſe, non abſurdè quiſpiam quærat, ubi ſit generata ea puris quantitas, quâ cum animam effundi neceſſum fuerit? hoc verò neſcire me ingenuè fateor. Certè intra Ventriculi tunicas vomicæ nullum veſtigium apparuit, multò minùs in ipſa Ventriculi cavitate generari illud potuit.

Sed revertamur ad duodenum, & ſcrutemur cauſam laxitatis ejus præternaturalis, nam connatum ægro vitium hoc non fuiſſe, certiſſimum eſt.

Suſpicor equidem ex frequenti bilis acerrimæ cum ſucco pancreatico non minus acri confluentis ebullitione efferâ hoc inteſtinum dolore ſæviſſimo toties de die & nocte affectum, & hinc ſpaſmis frequentiùs tentatum fuiſſe, quibus tonus fibrarum ejus reſolutus fuerit, motuſque periſtalticus perierit.

Quod ſi ita ſe res habeat, nemo, opinor, mirabitur, humores ad illud confluentes ſtagnaſſe, & novo ſubinde affluente nec ultrà promoto, magis magiſque laxatum inteſtinum, inque tantam progreſſu temporis capacitatem dilatatum.

Ambigitur porrò ex quonam fonte colluvies illa ſeroſa fluxerit, quam quotidie ſubiiſſe abdominis cavitatem, partimque vomitu, partim per alvum redditam fuiſſe dicebam.

Equidem & hac in parte quod ſentio paucis exponam, nemini obtruſurus meam opinionem.

Memini autem in primis Colloquiis, quæ cum ægro causâ valetudinis ipſius ſerebam, illum conqueri; *Sudationem, cui olim aſſuetus fuiſſet, jam ferè triennium ſuppreſſam eſſe, & ab illo tempore pejus ſe habere.* Hinc ſuſpicabar, impeditam diaphoreſin & ſuppreſſum ſudorem eſſe cauſam uberioris proventus Lymphæ in glandulis tàm conglobatis, quàm conglomeratis ceu fontibus hujus mali. Porrò autem vaſculis lymphaticis vel propter obſtructionem vel compreſſionem vel

acrimoniam humoris, quem ferebant, ruptis, lympham illam copiosiorem in cavitatem abdominis effluxisse, minimè mirum est. Atque hæc ita se habere facto experimento comprobavi. Cum enim aliquando sudorem copiosissimum datâ Theriacâ non ita pridem paratâ elicerem, in tertium certè, in plures dies ab intumescentiâ ventris, vomituque seri, aliàs *quotidianis malis*, illum omninò liberum præstiti.

Cæterùm foraminis, quo Ventriculus pervius erat, eam conformationem memini observare, ut non tàm intùs foràs, propter appositas carnosas excrescentias, quàm foris intrò liber cuivis humori pateret transitus. Per hoc verò foramen non absurdè crediderit quispiam, serum in cavo ventris collectum absorpsisse stomachum, (idque tùm factum, cùm ad summam magnitudinem pervenisset tumor ac dolor ventris, ubi æger incurvatus eum, ut cruciatui quodammodo subveniret, quaquaversum comprimere solebat,) & vel vomitu rejecisse vel ad sedem amandasse: Quid enim non moliri vel tentare videmus naturam angustatam? Sed & aliam viam quâ tanta seri copia aliquoties de die & nocte emovenda tam citò & commodè ad ventriculum pervenire potuisset, videre hactenus non potui, nisi fortè derivare eam velis à Pancreate, quod tamen optimè constitutum videbatur.

Dicis, Glandulas, quibus Ventriculum æquè ac Intestina donatum, neque ego inficior, effundere potuisse humorem in cavitatem illius. Verùm enimverò, cum de glandularum harum verô usu adhuc sub judice lis sit, antequam ea dirimatur, & clarior evadat veritas, nihil hujus admittere possum, sed rem in medio relinquo. Verùm hæc obiter, & præter scopum.

OBSER-

## OBSERVATIO LXXVII.
## D. JOH. de MURALTO.
# De Insectis.

SPiritus sunt omnium operationum in animalibus præsides, generatique proximè è sanguine ad summum puritatis gradum deducto, diffundunt se per omnia maxima & minima membra totius corporis, ad vitam & vegetationem omnibus dispensandum. Separantur illi ex alimentis per concoctiones varias. Sunt aëreæ & cœlestis naturæ, inque iis siderum vis, & occultus vitæ cibus latitat. Moventur autem motu astrorum circulari, & semper avolare nituntur, nisi vario organorum apparatu coërceantur.

Essentiâ quidem unus est spiritus, sed perfectionis gradu multiplex in variis animalibus: Imò & in corpore uno varius esse deprehenditur. Merè vegetabilis & herbaticus in chylificatione; vitalis, & astrali igne perfusus in sanguificatione; animalis in sublimato, & ad Cerebrum ac nervos evecto vitali spiritu; genitalis, lege necessitatis abundans, & à toto deciduus, in vasis spermaticis, pro generatione, & multiplicatione præstò est. Varietas hæc spirituum in Insectis maximè consideratur: Nam Insecta aërea, tenuissimæ texturæ & motûs, volatûsque pernicissimi pleraque sustentantur aëre, variis rerum seminibus referto, & astris irradiato, quem illa niveis tracheis ad omnes corporis sui partes protensis hauriunt, ut muscæ, culices, papiliones &c. Suppressâ hâc irradiatione obdormiunt aliquantisper animalcula hæc, non secùs atque hirundines, ranæ, erinacei, mures alpini, ursæ &c. per hyemem. Aquatilia Insecta eundem spiritum in Lymphico liquore aquosis vasculis conclusum vehunt, eoque vivunt. Terrestria quædam liquore vegetabili per smaragdinos ductus delato sustentantur, ut cochleæ. Omnia redeunte vernali irradatione vel reviviscunt, vel transformantur. Eundem spiritum Insecta quæ-

dam in vasis crystallinis recondunt lymphæ specie, alia cum chylo habent in lacteis vasis; nonnulla cum sanguine in venis & arteriis, dum cibus spirituosus per varias digestiones in succum & sanguinem convertitur.

Quæ hactenus de variis animalibus scripsi, inania non fuerunt, cùm ad continuandum hunc laborem à Proceribus Academiæ Naturæ Curiosorum Germaniæ, res non solùm magnitudine, sed pondere æstimantibus, publicè invitatus sim. Insecta hodie in pretio & admiratione quibusdam meritò habentur: exacta enim eorum contemplatio non animum modò in summam Sapientissimi Creatoris admirationem abripit, tacitè illud Heracliti ingerens: εἶναι καὶ ἐν ταῦτα θεούς, sed & ad alia, cùm in Medicina, tùm examinando partium usum valdè utilia, gradatim perducit, undè præclarè Aristoteles de Part. Animal. lib. 1. cap. 5. Viliorum animalium disputationem, perpensionemque fastidio puerili quodam sprevisse, molesteque tulisse, dignum nequaquam est, cùm nulla res sit Naturæ in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. Anatomia comparata Medicis fili ad instar Ariadnæi est, cujus adminiculo è dubiorum labyrinthis sese expedituri, liberum ad intima Naturæ sacraria aditum inveniunt, ut sanitatis & morborum fundamenta firma construant.

Cultro meo hactenus subjeci, *Leanam* ferarum robustissimam, Naturæ tamen felinæ formidulosam: Deinde *Equam* Juba insignem, & calcitrantem pedibus: Oves mansuetas: vigilantes *Canes* innumeros: *Simiam*, humana opera perridiculè imitantem: *Gazelam* moschiferam, s. Capram sylvestrem Africanam. *Hircum*, è cujus arteria pertusa sanguis ad domûs altitudinem prosiliit: *Lepores* inauspicati ominis animalia; Ponticum illum canem *Castorem*; cautos murium venatores *Catos; Erinaceos* spinis horridos: grumos trudentes *Talpas: Mures agrarios*, domesticos, & alpinos varios: *Salmonem* delicatum; *Lucium* piscium tyrannum; *Truttum* adverso flumine nitentem; *Mustelam* fluviatilem: lubricam & glabram

bram *Anguillam*; chelis tanquam forficibus armatum *Astacum*: *Hirundinem* ſanguiſugam,& coaxantes *Ranas*. Porrò *Aquilam* Jovis alitem armigeram: *Falconem*, accipitrariam exercens artem: domeſticas *Gallinas*: *Olores* candidos: *Noctuas* Lucifugas: Murem alatum *Veſpertilionem*: *gryllos* fiſtulâ ventris per thecas ſtridentes: *Scarabæos* vaginipennes: *Crabrones* furioſos: & *Muſcas* roſtello fodicantes complures. Tandem *Viperas* venenatas annuloſas: haud cæcam *Cæciliam*: acumine caudæ metuendum *Scorpionem*: *Cochleam* domiportam; & quam luminibus orbam credunt *Limacem*: Hortis & radicibus teneris infenſam *Gryllo-talpam*: Noctilucam *Cicindelam*: in capillis nidulantem *pediculum*: *Pulices*, pulveris pullitiem: Cimices murorum, lignorumque incolas. Pergo nunc, monitu Celſi noſtri ad examen *Muſcæ aquaticæ Tigurinæ majoris*, à Nobiliſſimo Moufeto Anglo, tantoperè deſideratæ, ſpe certâ fretus, alios, poſt Excellentiſſimum Swammerdamium ſuperaddituros eſſe, quæ ad notitiam generationis & transmutationis Muſcarum, Papilionum, è Phryganiis, Erucis, theculis & ovis neceſſaria videbuntur, ut pateat tandem quos Natura gradus, quem ordinem in productione & conſervatione Inſectorum obſervet.

*Muſca aquatica, major Tigurina*, nobis vocatur ein Bader mugg/ cujus Iconem Fig. XVI. propoſui, per microſcopium amplificatam: Hæc è phryganio perfecto, & extra aquas, repente, noctu caput & dorſum incurvando, dum teſtam, ſeu corticem ambientem frangit, & dividit, ſeſe extricatura capite exſertô, cum pedibus, antennis, alis in thecula primùm quod aptiſſimè convolutis, alvo item, & caudæ ſetis, exuvias ſuas deponit; mox evolat in altum, alis membranaceis longis, ſiccis, leviter fuſcis, ſeu ex fuſco flaveſcentibus, nigris lineis reticulatis: alæ ſuperiores & priores binæ ſupra dorſum protenduntur, duæ verò poſteriores ſub prioribus ad alvi initium ſitæ ſunt.


Oculi

Oculi in capite cernuntur convexi, atque è plurimis vel-uti ſpeculis nigris & rhombo ſimilibus conflati. Myſtax lon-gior, quàm in Phryganio, ſuperior utrinque quatuor nodis hiſpidulis articuloſus, inferior itidem, ſed huic nodi mino-res. Chelæ nullæ adſunt. In colli parte anteriore ſpeculum nigrum, velut in ſcarabæo foliaceo cernitur: Dorſum nigris fimbriis, & lilio gallico ſed obſcuriore, notatur. Alvus è de-cem annulis hirſutis, pallidis, & ad extremum rubentibus conflata. Mares minores ſunt fœmellis, & alvum habent ob-ſcurè flaveſcentem, atque ſubrubram, è qua protenditur Pe-nicellus glande latiore & foramine conſpicuus, radici penis intra alvum adhæret veſicula humore plena. Fœmellis uteri cornua inſignia, quibus infinita ſemina ſ. ovula nigra, du-riuſcula, interpuncta, viſcidoque humore plena, Fig. XVII. reconduntur. Vulvæ loco, intra duas caudæ ſetas, papillæ duæ oblongæ exeunt, quæ junctæ in coitu penicellum comprehen-dunt: Partes cæteræ cum Phryganio conveniunt, cujus de-ſcriptionem attexere lubet.

Phryganion (cujus Icones naturalis magnitudinis Fig. XVIII. item per Microſcopium inſigniores Fig. XIX. videntur) inſectum eſt aquaticum, quod referente Doctiſſimo Joh. Jaco-bo Wagnero noſtro, in Helvetia Curioſa) primo vere thecâ tegitur, formâ cylindri (intelligenda ſunt hæc de Minoris mu-ſcæ aquaticæ Phryganio) quam pro domunculo ſibi conſtrin-xit, ac ita ſub galbæ forma in fundo fluviorum repit.

Phryganion autem maximum è quo muſca, à me jam de-ſcripta procedit, ex ovulis immediate oritur, quod ingruente hyeme ſub aquis repere, thecâ teſtaceâ indutum experti ſcri-bimus, ſiquidem ſummitates juncorum, ſtipitum, naſſarum, ſaxorum &c. totâ hyeme occupet, & quam firmiſſimè iis adhæ-reat. Aliàs celeri gradu currendo, ſcorpionum more, intra fiſſuras ſe abſcondit, atque Majo menſe, cum lacus noſter, in-teſtino motu ſe purificat, animaque inſectorum, ſive ſpiritus ille æthereus, quaſi ſublimari incipit, illud ad aquæ ſuperfi-

ciem


Fig.16.
f.191.
Musca aquatica maj. Tigur.
Fig. 19.
Phryganij max:
f.192.
prona pars.
Fig.19.
Phryganij max.
supina p.
Fig.20. f.195.
Phryganion
perlæ
pronum.
Fig.20. f.194.
Phryganion perlæ supin:




Fig. 18. f. 192.




Fig. 17. f. 192.



Fig. 21. f. 197.



Fig. 22. f. 198.




Fig. 25. f. 203.

ciem noctu emergens, per dorsi hiatum, nigricante linea pictum, incurvatô dorsô Muscam hanc emittit relictis exuviis. Alæ sensim è thecis exeunt, quibus in aërem evolitat Musca; Ejus vita per mensem durat; mas fœmellæ adhæret, quæ se per ovula infinita muris, ripisque agglutinata, & aquarum fundum petentia multiplicat. Musca hæc juxta lacum Tigurinum, & Limagum fluvium, præsertim à pluviis degit, corpore erecto volat, excrementa subnigra virentia egerit, muscas alias, & imprimis araneas suâ præsentiâ fugat. A varia tandem aëris injuria repentè perimitur. Longitudo ejus duorum est digitorum transversorum. Caput depressum, quod constat ex antennis, Oculis, Ore, Mystace, Chelis, scuto & collo: Antennæ sunt in fronte, ciliorum locô binæ, rectæ, longæ, subnigræ, caudæ muris instar, articulo insigni ad chelas mobiles. Oculi duo parvi, atri, splendidi, cornu obducti, ad latera capitis protuberant. Osculum foliaceum, nigri marginis, ornatum lanugine.

Maxilla bifida, & aptè mobilis: Superior è corniculis spadiceis, acutissimè denticulatis & flexis constat; inferior dente medio nigricantis puncti instar, & papilla utrinque prominula. Ordo dentium in corniculis maxillam superiorem constituentibus æqualis est, sed postremus dens acumine flexo curvus, & prælongus; reliqui inæquales quidem, sed æqualiter inter se committuntur. Os sub chelis utrinque stipat Mystax binis pilis præditus, & quadruplici articulo mobilis. Inter mystacem exeunt chelæ utrinque exiguæ, crinitæ, & hirsutie asperæ, ut in scorpionibus, sed longè brevioribus brachiis suffultæ. Capitis scutum subflavum, posteriùs lilio pictum, anteriùs flavum cernitur: Collum est latum, ac tenue, posteriùs scuto lineis & picturis ornato tectum, anteriùs pallidum. Sub hoc pedes anteriores protenduntur.

Pectus elatum munitur scuto dorsali, quod apophyses aliformes habet, & pictum seu interpunctum est.

Alvus ad flavedinem vergit, in dorso fusca est, cæterùm

longa, ac è decem annulis, ceu vaginis ad extremitatem nigricantibus composita: Appendices binæ, vel setæ subnigræ, longæ, spinosæ ac rectæ, ex alvo instar caudæ gliris turbinatæ exeunt.

Pedibus sex instructum est Phryganion, quorum bini anteriores ad latera sub scuto colli, tribus geniculis articulati egrediuntur, hamo duplici in extremo nigricante armati; femur punctis notatum obscurioribus. Alter pedum ordo sub Pectoralibus scutis oritur, identidem geniculatus, & hamo duplici firmatus. Tertius ordo, sub scuto pectoris, s. dorsi ultimo oritur, & in ungues, s. hamulos binos fortissimos desinit.

Intra Caput pro Cerebro mucus, & ad pectus caro informis cernitur: Corculo analogum quid inter alba vascula spiritalia sub collo mobile visitur, hæc autem vasa nivea aëre plena per alvum quoque & uterum disseminata sunt. In alvo duplex ovarium innumeris ovulis pallidis, velut in piscis spermate distinctum notatur. Ventriculus oblongus, cum œsophago virescente fartus est cibo. Illum intestina tenuia, crocea, coronæ instar ambiunt, usque ad anum.

## OBSERVATIO LXXVIII.
## D. JOH. de MURALTO.
## Phryganion Perlæ:

**Der Augenschiessern Gestalt / wann sie unter dem Wasser ohne Flügel gleich den Krebslein kriechen.** Vide Fig. XX.

TOtum cinereum est colore, lento gradu repens, cimici sylvestri (einem Gauch) haud absimile.

Caput oculos protuberantes, & smaragdinos habet, juxta quos antennæ breves, crassiulæ, pilosæ prodeunt. Hos inter scutum nasale conspicitur. Ciliæ infra oculos insignes utrinque extant. Caput lineis nigris transversis, punctisque ornatur. Osculum pilosum chelis utrinque spadiceis

ceis insignibus instructum, quæ thecæ membraneæ ad collum complicatæ innectuntur.

Infrà caput à pectoris scuto exeunt pedes anteriores bini, hispidi, nigris lineis picti, tribusque articulis geniculati, præterea spinosi, ac in extremo armati hamo duplici. Alter pedum ordo ex intersectione thoracis & dorsi producitur. Tertius ordo longissimus à dorso prodit, crassioribus instructus femoribus. Porrò quatuor alarum thecæ in dorso junctæ prostant ad latera latiores, in medio longiores, sed tenuiores.

Alvus lata & hirsuta utrinque novem annulis sulcatur, & in apicem duplicatum tenuem abit: dorsum nigricantibus maculis insignitur, tribus verò in locis pingitur anteriùs, & descendentibus lineis duabus in taleolos, s. cubos quasi secatur: Fimbriæ alvi pilosæ, & tenuissimè sectæ sunt. In Intestinis, & cæteris vasculis internis liquor virescens limpidissimus cernebatur; Vasa hæc resolvebantur omnia in prælonga filamenta, serico tenuissimo simillima. Ventriculus præterea cum Intestinis plenus aëre fuerat: Perla maxima quæ ex hoc Phryganio egreditur Sexta est Jonstoni Histor. Natur. de Insect. libr. I. cap. VII. capite, pectore, ac dorso viridis, alvo tota cœrulea, per quam linea fertur à dorso ad extremum usque aterrima, alæ cinereæ sunt, pedes nigri.

## OBSERVATIO LXXIX.

### D. JOH. de MURALTO.

### Anatomia Perlæ. Ein Augenschiesser.

PErlæ caput maximâ parte è protuberantibus & perspicuis oculis vitreis ex infinitis speculis conflatis, constat, in quibus punctum nigricans è profundo visitur. Scutum nasale triplex squamatum albicans frontis locô prostat; duas setas sex verticillis articulatas cornuum spatio supra frontem gerit, inter quas Papilla medio fissa prostat.

 Osculum

Osculum duplici squama mobilis legitur ab inferiore parte, sicut nasi squama à parte superiore, Ipsum autem Os è chela duplici spadicea utrinque spinosâ, hirsutissima fortiore, quâ mordet, constituitur. Lingua est plumea: Collum nigris pingitur lituris oblongis, in triplici protuberantia scutata & hirsuta à parte posteriore. Pectus gibbosum est, hirsutum, obsoleti coloris; Per ejus posteriora deducitur linea superiùs cruciata, inferiùs foliolo utrinque signato conspicua. Pectoris latera sunt tuberculis & striis inæqualia: anteriùs è pectore ex uno quasi puncto sex pedes oriuntur, quorum femora ex oblongis articulis surgant, tibiæ verò spinosissimæ, & pedes proprii hispidi, duplici hamo armati.

E dorso duæ utrinque alæ latæ pluribus costis nigris, pulchrè reticularibus expansæ oriuntur, quas complicare Perla non valet: In summo harum alarum ad Costam marginalem spadicea macula cernitur: reticulares striæ ad costas majores alarum mox albicant, mox nigricant. Alvus longa est, tribus lineis nigris per longitudinem diductis picta, & sulcatur novem annulis; in fine annuli septimi, uteri exitus est, per quem plurima ovula in acervo collecta, transparentia alba; dum viveret, deposuit: quivis annulus in ventris medio apicem prætenuem albicantem gerit.

Caudæ appendices duæ sunt parvæ, ut murium pilosæ: E medio harum appendicum excrementa alvi subrubra deponuntur. Foliolo anus clauditur. In Pectore Caro fibrosa, filamentosa, & musculosa cernitur.

Ventriculum cum Intestinis longus ductus nigro liquore fartus constituit. Ovarium insigne duplex innumeris ovulis pallescentibus scatet.

OBSER-

## OBSERVATIO LXXX.

## D. JOH. de MURALTO.

# Pygolampis lacustris; Glyßling/

*Cum Doctissimo Wagnero nostro, die 29. Maji 1683. examinata.*

Fig. XXI.

PYgolampis Cantharis est aquatica vaginopennis, lata, ac tenuis, magnitudine cimicis sylvestris, maximè vegeta. Caput, Pectus, & Alvum habet.

Caput ei est subviride & latum, crustâ, seu scuto instar vitri splendente, atque punctis notato, tectum. Oculi ad ejus extremitatem prominent fusci, semilunati, & reticularis figuræ.

Prope os infrà caput, Pectus versus spiculum seu proboscidem, tribus articulis hispidulis mobile gerit, uti cicadæ in Gallia Narbonensi antehac à me perlustratæ, quô alimentum capit: sub hac Proboscide osculum foliaceum latitat. Locô colli cingulum viride ad scutum usque capitale pertingit, illudque velut fimbria ambit.

Pectus similiter subviride est, scutoque triquetro alvum conjungente, & alas adnectente ornatum. Alvus duabus vaginis subfuscis, atque subduris, instar cutis piscium Chagrin dictæ punctatis, tegitur, quibus subsunt aliæ duæ alæ, albicantes, membraneæ, nervosæ, fimbriatæ, & complicatæ: Harum ope insectum aëra petit: Alvus habet segmenta, s. circulos septem, & in apicem è basi lata, prætenuem desinit; unaquæque vaginula in margine lucet, in medio hispida nigricat. Pedibus repit senis: duo priores sub pectore delitescunt, qui tribus articulis sunt instructi, intensè virides. His lata, & crassa, atque musculosa est medietas, pro remis serviens, extremitas verò incurva, & instar hami simplicis acuta, ut objectis firmiter adhæreant: duo reliqua Pedum paria

alvo ſunt annexa, quæ itidem in 3. articulos diviſa, & in extremitatibus bifurcata, ſeu hamata ſunt: extremum denique par id ſingulare obtinet, ut crura ejus laciniata, hiſpida, & lanugine exaſperata ſint. Pedum ope mirâ celeritate modò ſuperficiem aquæ perreptat, modò ejus fundum huc illuc ſe trajiciendo, petit: dum autem in aquis ita fertur Pygolampis, mirabili candore, atque ſplendore alvus ejus corruſcat, & argentum vivum quodammodo refert, unde & hoc nomen ſortitum animalculum, nempe lanugine quadam tenuiſſimâ alvus eſt obducta, quæ fulgore hocce in aquis conſpicua eſt: accedit quòd inſectum hoc nonnunquam podicem extra aquas effert, ac villoſis pedibus poſterioribus aërem & aquam ſimul atterit, ita ut bullulæ minimæ alvi lanugini ſe inſinuent, atque hinc quaſi Mercurio vivo illitum apparet. Sub podice aculeus hæret triplex, fuſcus, incurvus, qui vehementer pungit, magnumque dolorem infert, incautè tractantibus.

Ventriculum habet utricularem, atrâ materiâ repletum; Inteſtinula ei ſunt albida & tenuia. Ovarium viridibus, atque oblongis at nonnihil incurvis, & propemodum lunatis ovulis erat refertum.

## OBSERVATIO LXXXI.

## D. JOH. de MURALTO.

## Squilla mollis lacuſtris,

*Cum Celeberrimo Wagnero noſtro examinata.*

Fig. XXII. p.192-

VErmis hic in lacu Tigurino degens longitudine pollicem æquat: color ei cinereus obſoletus; ſubſtantia admodùm mollis ac tenera.

Caput habet rotundum, aliquantum compreſſum, inſtar lentis, coloris ſpadicei, ad extremitatem ejus duæ ſunt affabrè mobiles chelæ, rubicundæ & acutæ, uti ſcarabæo

cornuto

cornuto fæmellæ, quibus ſe defendit, & adverſus ſui quoq; generis ſquillas truculenter ſævit, eisque exitium affert, alter quippe alterius apprehenſo capite, non priùs eum dimittit, quàm forficulâ necem attulerit. Suprà Chelæ forficulas antennæ duæ è quatuor nodis conſtantes, quorum alius alii inſertus eſt, prominent: hinc ſubſequitur oſculum parvum, rotundum, nigricanteque margine diſtinctum, & ſub eo duæ exiguæ pilæ, quæ Myſtacis vices implent. Ad latera Capitis utrinque novem punctula nigra triplici congerie extant, quæ pro oculis inſerviunt. Caput à parte poſteriore ſulcatum eſt, pronâ verò parte monſtrat ſtellam quadrilateram: Lingua bifida inter Myſtacem prominet. Corpus ſeu truncus latus eſt, & ad podicem usque ſenſim decreſcendo in acutum fermè deſinit, coloris cinerei obſoleti; inciſuris plus quàm viginti, ac lineamentis variis egregiè diſtinctus. Sub tribus prioribus inciſuris utrinque pedes habet ternos, quibus incedit, eorum quilibet tribus articulis eſt donatus, extremitas verò eorum in acutiſſimum hamum deſinit. E cauda duæ longæ, atque albidæ appendices, tanquam filamenta prodeunt. Squillæ hæ molles ex ovulis ſ. termitibus oblongis proveniunt: poſtquam enim fœmella in aquas eos depoſuit, in globum eosdem coacervat, & folliculo albido rotundo (ad magnitudinem folliculi bombycini) circumdat, atque includit, in quo tanquam Nymphæ in Veſpeto, deliteſcunt: nullis tamen cellulis diſtinctæ ſunt, ſed ſibi contiguæ adhæreſcunt, donec menſe Majo vermiculi cuticulam ovi tenuiſſimam, atque folliculum perfodientes, in aquas progrediantur. Ex qua verò materia folliculi hi conſtent, ſingularem conſiderationem meretur,

OBSER-

## OBSERVATIO LXXXII.
## D. JOH. de MURALTO.
# Examen Papilionis vulgaris albi.
Fig. XXIII. p. 202.

IN Capite Oculi inſignes protuberant, ex infinitis ſpecularibus punctis conflati, nigri, ciliis undique hiſpidis & griſeis cincti: inter eos veluti Criſta erigitur Proboſcis longiſſima in orbem convoluta, ſenſimque attenuata. Hæc dum mella & ſuccos è floribus arripit, extenditur. Ori folioſo à parte anteriore capitis adſtant duæ oblongæ plumæ piloſæ elegantiſſimæ. Cornua duo nodoſa poſt oculos, ſeu antennæ initio prætenues, in fine autem & pallida extremitate craſſiores viſuntur: Nodi numerantur viginti quatuor. Alæ ſuperiores ſunt triquetræ, inſtar ſcapulæ humanæ, pellucidæ, per decem coſtas ſubrubentes extenſæ, in pectoris poſtica parte ſuperiùs coëuntes, margine nigro cinctæ. Inferiores alæ minores ſunt, farinaceæ, ad radicem piloſæ, decem coſtis identidem nigrioribus expanſæ, figura ovalis, ſub prioribus è pectoris fine utrinque progrediuntur.

Pectus elatum triangulare anteriùs piloſiſſimum, poſteriùs ſubnigrum exiſtit. Hinc quatuor pedes ſucceſſivè egrediuntur, quorum femora canitie hirſuta ſunt, geniculi bini reliqui ſpinoſi, adjunctô hamulô multiplicatô, cum adverſo in medio hamulorum ad retinendum cuſpide articulato. In pectore flava & viſcoſa caro mobilis reperiebatur.

Alvus craſſula, oblonga, quinque annulis ſulcatur nigris; interſtitia ſunt ſubflava.

Ovarium utrinque contortum flaviſſimum, innumeris ovulis dotatum, ex alvo exprimitur, adeſt & ventriculus triplex, quorum medius, præprimis in fœmellis inſtar noduli duri in ſe continet denticulatam particulam duplicem, ſubrubram, duram, latam, ad ruminandum aptiſſimam: prior ventriculus

triculus inſtar Oeſophagi longus, & poſterior ſacculus nodulo applicatus humore plenus exiſtit.

Extremitas ani fiſſa eſt per medium, è cujus hiatu, preſsâ alvô in Maſculis egreditur Penicellus flavus, cum inteſtinis prælongis, ſplendentibus, auratis. Veſiculæ duæ porrò in maſculorum alvo viſuntur, una limpido humore turgidula, altera cinnabarino liquore plena, quæ nihil aliud, quàm ventriculi, ut ſuſpicor, exiſtunt.

## OBSERVATIO LXXXIII.

## D. JOH. de MURALTO.

# Conſideratio ſcarabæi Cornuti, Maris & fœmellæ.

COnſtat Capite, Pectore, & Alvo.

Caput ſcutatum & quadrilaterum eſt, propemodùm durum: utrinque poſt cornua ſuper oculos Proceſſus acutus, hinc linea protuberat ab uno proceſſuum horum ad alterum: ad occiput verò utrinque eminet apophyſis: anteriùs caput ſcuto naſali finitur, juxta quod inſignia duo Cornua ſubrubra denticulata, & chelarum inſtar ſpinis tribus utrinque armata prodeunt: quæ muſculo fortisſimo, fibroſo & albido reguntur, ut objecta quæque firmisſimè prehendant. Oſculum foliaceum ſub naſali ſcuto ſat amplum viſitur, è quo palleſcentes plumæ quatuor, nimirum oblongæ & majores duæ ſuperiores, ac inferiores duæ minores exeunt, quæ linguam conſtituunt. Myſtax utrinque duplex eſt, propè plumas ſuperiores quidem promiſſior, & quatuor articulis geniculatus: propter inferiores verò brevior, totidem tamen articulis præditus.

Maxilla inferior, hederæ folium refert: in Collo ſpeculum quadrilaterum ad meliorem cum Pectore articulationem

anteriùs cernitur. Antennæ complicatæ ſex nodulis in extremitate utrinque ſupra oculos conſpiciuntur. Ornamentum eorum plumeum plicatile eſt. Oculi ſplendentes, rotundi, nigri, convexi, æquales. Ad colli latera interiùs utrinque carnibus ſeu muſculis adſpergitur cruſta teſtacea oblonga, pro meliore articulatione. Colli ſcutum quadratum, ſuprà & infrà flavo & lanuginoſo margine cinctum eſt, è quo parte anticâ pedes utrinque bini prodeunt, quorum femora ad primam cum collo articulationem flavâ adſperguntur lanugine. Tibiæ poſteriùs ſpinoſæ ſunt; pedes extremi quatuor nodulis & duplici hamo, apiceque intermedio firmati.

Pectus eſt craſſum, ſuperiùs ſcutatum & durum à pedum ordine ſecundo, usque ad poſtremum ordinem protenditur. Alvus hinc parte anticâ annulis quinque ſulcatur, ſenſimque attenuatur. Dorſo poſteriùs includuntur alæ vaginis caſtanei coloris corticalibus & duris: hæ vaginæ ducunt originem à Thoracis angulo. Alæ complicatæ ſubſunt, latæ, fortioribus coſtis ſubrubris extenſæ. Alvini annuli novem poſteriùs ſub alis numerantur. In Pectore utrinque præter oſſiculum quadrangulare N. 2. delineatum multa caro fibroſa, aëreis vaſculis repleta latitat, per cujus medietatem Oeſophagus ad anum ſimplici canaliculo transcurrit, flaveſcentem in ſe humore continens, nutritur enim ſucco quercus, tiliæ & aliarum arborum vitriolico. Penis intra quatuor foliola convolutus preſſâ alvô apice ſuo prominet.

Fœmella toto corpore nigra velut piſcium cutis Chagrin dicta punctata cernitur. Caput rotundum magis eſt; cornicula duo acuta, fortiſſima, ramo triplici armata proſtant, ſed minima: myſtace duplici ornatur, exteriore quidem longiore, tribus verticillis donato; duplex lingua plumea flava ex ore emittitur: Antennæ ſex nodis verticillatæ ſunt, earum extremitas ornatur plumâ quadrifoliâ plicatili: Oculi gagatis inſtar ſplendentes oblongi protuberant; Oſculum ſcuto ſuprà, infraque foliolo tegitur, & obvallatur: Colli ſpeculum

quoque


Fig. 23. f. 200.


Fig. 24. f. 203.
n. 1.
a
b
c
d
e
f
g


n. 2.



n. 3.


Fig. 26.
f. 207.

quoque adeſt: notabilis eſt complicatio alarum ſub vaginam parte coſtarum tenuiore quaſi per articulationem id factum; præterea coſta alæ maxima, & extima ut & major ſeu media crenas habet & ſulcata eſt. Sex pedibus inſtruitur, quorum primi ſub collo, inſculpto intra ejus ſcutum articulo tranſverſim oriuntur; alii poſt eos à pectoris ſcuto anteriore, & ultimi à poſteriore ejusdem ſcuti parte procedunt. Os quadrangulare erectum in Pectore carnem fibroſam affabrè ſuffulcit, hæc caro in filamenta coagmentata undique innumeris tracheis & veſiculis ſpiritalibus permiſcetur, quarum ope alvus ſub alis pulſat, & ſcarabæus vitam habet, nullum enim Cor obſervari potuit: at Ovarium inſigne cum viginti circiter Ovulis majuſculis, pallidis, glutinoſo humore turgentibus in alvo deliteſcebat.

Fig. XXIV. p.202.

Num. 1.

a. Cornua ſcarabæi Cornuti.
b. Myſtax major.
c. Myſtax minor.
d. Antennæ plicatiles.
e. Lingua plumea.
f. Pedes.
g. Vaginæ alarum.

Num. 2.

Os pectoris ſcarabæi Cornuti.

Num. 3.

Ala ſcarabæi Cornuti.

## OBSERVATIO LXXXIV.

## D. JOH. de MURALTO.

## Erucarum anatome.

Fig. XXV. p.192.

E*Ruca vulgaris* ceraſorum Caput cœruleum habet, ſupernè nigro holoſericeo puncto utrinque inſignitum, quibus

maculis utrinque puncta quinque splendida ocularia accedunt. Os ad latera aperitur latioribus & denticulatis chelis duris ad se invicem adaptatis; Os integitur scuto mobili nasali, & duabus papillis infernè accedentibus. Collum est aureum, cœruleo intermixto, & utrinque colore nigro punctatum. Per dorsi longitudinem linea alba ad anum ducitur; huic adjacent flavescentes & subnigræ lituræ, hinc cœruleæ latiores, iterumque croceæ lineæ aliæ per animalis longitudinem identidem deductæ. Decem pedibus instruitur propriè dictis, quorum extremitas coronam, instar ungulæ equinæ spinosissimam, & ad adhærendum velut Apparine planta aptissimam habet: cavi sunt hi pedes extremi, & albidiores visuntur. Ultimus pedum ordo à penultimo distat aliquanto magis, quàm cæteri. Venter livet, nigricantibus lineolis sulcatus, pluribusq; annulis se invicem subeuntibus inter repedum cingitur: anteriùs infra caput tres utrinque pedunculi præter enarratos manuum locô, nullâ coronâ armati reperiuntur. Cæterùm flavis undique pilis hispida & in dorso, & cumprimis in lateribus setosa Eruca hæc notatur.

*Eruca alia in* Lepidio reperta, exigua, virescens, variis nigricantibus maculis per corporis longitudinem ornatur, è quibus insignioribus albicantes pili erumpunt. Caput & caudam nigram gerit, repando corpore serpit: cæterùm sicut Eruca vulgaris exceptis pedibus paucioribus constructa fuit, & flavas tres lineolas per corporis longitudinem diductas obtinuit.

*Eruca in* Rosis reperta, sex pedunculis prioribus duos ungues spadiceos acutos gerit; octo sequentes pedes coronâ spinosâ cum binis postremis sunt firmati: supra finalem dorsi partem duas pilosas protuberantias erectas gerit. In Capitis parte anteriore puncta duo nigricantia apparent.

Ovula velut vermiculos rubellos complures intra corpusculum palpitare vidimus.

Insignia

Insignia vasa pallida, & lymphatica magna ab ore ad caudam producuntur.

Antennæ articulis tribus mobiles exiguæ valdè ad osculum prostant.

*Eruca* viridis alia in Rosis reperta, flavum caput habet, nigris maculis ocularibus utrinque insignibus binis, reliquis versus Osculum minimis punctulis obscuris pluribus inæqualiter collocatis ornatum. Sex pedes anteriores manuum locô, & quatuor pedes in extremitate corpusculi sitos coronis armatos gerit: nulli pedes interstitio loco reliquo siti sunt, sed utrinque eorum locô & alibi quoque nigræ maculæ. Duodecim annulis sub albidis prorepit.

Postremis pedibus quatuor crassis & subrubris sese erigere potest: Oblongus & nigricans ei est ventriculus, atque Ova viridia.

*Erucæ species* alia exigua in Rosis reperitur celerrimè prorepens, toto corpore viridis, sex manibus hamatis, quatuor pedibus propriis utrinque coronatis, & duplici ani pede crassulo conspicua punctis nigris non tantùm caput oculorum vice suturâ sagittali distinctum est, sed & reliquum corpus affabrè intermixtis maculis albidis pingitur: duodecim annulis corpus sulcatur, & lineis aliquot albidis per longum deductis ornatur: Ventriculum duriusculum, cum Intestinulis oblongis tenebat.

## OBSERVATIO LXXXV.

D. JOH. de MURALTO.

## Scarabæus Rosarum argenteus: Ein kleines Rosenkäfferle.

CApu, Pectus, Vaginæ alarum, colorem habent marinum, splendentem, viridem: universum corpus punctatum est uti piscium cutis chagrin dicta, & veluti deauratum.

Capitellum scuto profundiùs inhæret: antennæ sunt plicatili ornamento in extremitate instructæ. Mystax brevior articulatus est. Speculum anteriùs in Collo gerit, quo cum pectore hirsuto articulatur. Sex pedibus insigniter hamatis mobilibus valdè procedit. Posteriorum pedum suræ sunt crassulæ: hispidiores tibiæ: pes verò serratus.

Sub vaginulis dorsi virescentibus reconduntur alæ complicatæ muscarum vulgatarum splendentes costis sex ad minimum articulatæ. Octo annulis sub alis conspicuis venter sulcatur nigris, anteriùs aureis. Coccyx introrsum curvata finit.

Ova albida plura intra alvum recondita sunt: Caro copiosa, & tracheæ insignes in pectore latitant. Ventriculus amplior, oblongus, crassus, & Intestinula pallida adsunt. Pressâ alvo duæ apophyses pilosæ arcuatæ ad recipiendum penem aptæ, spadicei coloris monstrantur; circum circa verò papillæ translucidæ complures, ceu in racemo dispositæ: per harum medietatem fissura s. hiatus transit. Excrementa egerit oblonga castanei coloris cellulata: Penis in masculis vaginæ foliosæ inclusus est, longus, latiorem subrubram, convexam glandem tenet.

## OBSERVATIO LXXXVI.

## D. JOH. de MURALTO.

## Scarabæus vaginipennis subsultans: Knecht stand uff/Pueris nostris dictus.

PArvus, oblongus, subnigri coloris est, instar cutis chagrin punctatus. Caput exiguum habet à scuto pectorali egressum: antennas novem verticillis, cordis figuram referentibus latioribus articulatas, suprà oculos nigerrimos utrinque emittit; osculum pilosum est, & latum, duplici maxillâ conspicuum: Pectus scutatum & latum à parte anteriore & supinâ apice longo resiliente articulatum, spatiolô

intra

intra ordinem pedum secundum immisso; hinc, cùm in dorso & supinus jacet hic scarabæus, educto cum crepitu apice, pectore retropulso, in altum projicitur, ut ita pedibus denuò insistere & oberrare possit. Primus hic pedum ordo aptè ad thoracem plicatur, sicut & reliqui posteriores pedes ad ventrem, duplici hamo vestiti sunt.

Vaginæ corticales nigricantes, lineis per longitudinem ductis, alas in extremitate plicatas includunt, novem costis extensas. Alvus sub alis septem annulis plicata cernitur, coloris è flavo rubentis, anteriùs nigricantis. Penicellus apice duplici spadiceo è folioso receptaculo ex ano emittitur.

## OBSERVATIO LXXXVII.

### D. JOH. de MURALTO.

## Beta monstrosa.

*A Clarissimo D. D. Wagnero communicata.*

NAturam polydædalam in regno vegetabili quandoque variè quoque vel ludere, vel degenerare & monstrum quoddam, quantumvis oculis nostris longè jucundissimum, producere, jam à nonnullis etiam Curiosis Naturæ Mystis probè animadversum fuit.

Theatrum illorum nunc conscendit, ibique spectandum sese præbet Olus mirum in modum à natura effigiatum, idque Beta vulgaris sativa, vel viridis est. Germ. Mangold: Helvetiis κατ' ἐξοχὴν, Kruth dictum, qui frequenter etiam apud ipsos est in usu.

Planta hæc monstrosa mense Junio 1682. in pago Basserstorff / ex naturæ luxuriantis copia producta & avulsa fuit: duo caules è radice unà ultra pedis altitudinem assurgebant, latitudinem sesqui unciarum superabant singuli. Hi postmodum in unum scapum coalescebant, cujus latitudo ad tres uncias extensa, & foliis minutis pulchrè ornata fuit; postmodum


Caulis

Caulis in tres fascias erat divisus, & harum quælibet extrema sui parte in tres alias lacinias divulsa: Fasciæ autem hæ pulcherrimis flosculis subviridibus juxtaque additis minutis foliis egregiè condecoratæ fuerunt, quæ mirificè visum afficiebant & splendore argenteo corruscabant.

Fig. XXVI.

## OBSERVATIO LXXXVIII.
## D. JOH. de MURALTO.
# Fœmina ubere monstroso in Inguine dextro prædita.

VIm φαντασιάζουσαν, ac impetuosos spirituum motus gravidarum haud minùs admirabiles quàm prodigiosos nævos, fœtibus in utero delitescentibus imprimere solere, exempla quæ passim extant abundè testantur. Sequentem etiam Observationem silentio non prætereundam esse censeo. Mater *Elisabethæ* Linggin ex pago *Vadis-Villa*, ditionis *Tigurinæ* oriunda, ex improviso uber vaccinum in horreo quodam suspensum videns, ita validè perculsa fuit, ut fœtus in utero simulachrum ejus rei acceperit, ac puellam in lucem ediderit, ubere vaccino cum tribus papillis ad inguen dextrum præditam. Uber hoc cum infante indies incrementa sumpsit, ac maximè ab eo tempore, quô ipsi Catameniorum purgationes fluere cœperunt. Cùm jam annum ætatis suæ vicesimum nonum ageret, vidi quod id caput pueri novennis æquârit, radixque ejus, quæ ad inguen crassitudine Pollicis fuit, musculis femoris atque ani adhæserit, insignis etiam venæ iliacæ ramus eam transierit, inque uber sese insinuârit, & ab eo nutrimentum acceperit, ita ut citra maximum subsecuturum sanguinis fluxum vitæque certissimum dispendium sectio administrari non potuerit. Cùm itaque nulla spes commodè ejus ablationis affulsisset, paupercula


Fig. 30. f. 246.
Fig. 27. f. 208.

cula, hæc, habitûs corporis squalidi, & siccioris in Nosodochio Tigurino liberaliter sustentata fuit: Interea temporis dum ibi versabatur, uber magis magisque intumuit, & in insignem molem excrevit, ita ut tandem ad talos usque propenderit, subligaculo licèt succinctum, & vastissimam cucurbitam rotundam retulerit: Molestissimum autem hoc Corporis onus, quod incessum ejus imprimis impediebat, patienter tulit ad supremum usque vitæ suæ diem, quem anno 1678. die 7. Maji anno ætatis suæ 39. cum morte commutavit. Post obitum ejus uber hoc monstrificum amputatum LXXIII. libras civiles pependit, ramus venæ iliacæ hinc inde id peragravit, exque eo alia vasa, quæ quandoque crassitiem pennæ anserinæ æquabant, permeârunt: substantia ejus, uti mammarum dura, glandulosa, & pinguedine disseminata fuit. Idem testatur quoque propriâ sub fide.

Fig. XXVII.

*Joh. Jacobus Wagnerus, Medicus Tigurinus.*

## OBSERVATIO LXXXIX.

## D. JOH. de MURALTO.

# Tumor p. n. è femore propendens feliciter curatus.

FOemina LXVI. annorum, temperamenti optimi, & aliquantum pituitosi, ante septendecim annos in femore dextro tuberculum pisi instar percepit non procul ab inguine remotum, id sensim increvit, præprimis à tribus annis, quô tempore febre malignâ epidemicâ decubuit, ut aliquot pondera pependerit, & ad magnitudinem capitis excreverit, radice ejus s. pediculo ad brachii amplitudinem accedente. Tumor hic mense Junio anni 1682. spontè in parte declivi ruptus est, cum putrilagine cadaverosa effluente; sub-

ſtantiâ tumoris ſpongiosâ inſtar placentæ uterinæ in moleculas quasdam diſpersâ,exiſtente ;effluxit oleoſus & inflammabilis humor quotidie, usque ad menſem Octobrem anni prædicti, quô tempore caro glandulosa intùs ſtipata tum abſumpta, tum meis manibus decorticata & exempta propemodum omnis fuerat, interea ægræ vires tantoperè cum carne defecerunt, ut nos omnes de reſtitutione ejus ſpem omnem liquerimus, ſceleton erat ægra, febre hectica laborabat, animi defectiones paſſa, nec ſtare nec ambulare poterat, perreximus nihilominus medicamentis putredini reſiſtentibus, femoris enim os corruptum eſſe putavimus: item cardiacis, inunctionibus ex ol. roſ. & violato; decoctis & infuſis traumaticis: Tandem circa Solſtitium in pedibus vermiculationem percepit, vires redierunt, inunxit ſpinam cum aq. reginæ Hungariæ, & tinctura narcotica noſtra, item ſpiritu vini ſolo, aſſuetos comedebat cibos, horruit à medicamentis: tumor interea exaruit, ut nihil præter cutem corrugatam reliqui cernatur: ſupervenerunt tormina ventris, & deſidendi conatus, qui tamen uſu tincturæ narcoticæ diſparuerunt, ut nunc D. g. extra omne periculum degat.

## OBSERVATIO XC.

### D. JOH. de MURALTO.

### Directio & Extractio fœtûs vivi ſincipite ad pubem compulſi, manumque ſiniſtram exſerentis.

CONjunx Ar. perdilecta, die XXII. menſis Septembris Anni M DC LXXXIII. poſt aquarum copioſarum haud dolorifico effluxu, niſus pariendi per aliquot horas atrociſſimos absque fœtûs promotione ſuſtinuit. Situm infantis vitioſum eſſe maſculè aſſerui, neque fœminam ulteriùs urgeri permiſi: digitô (ut decet) rem examinans, adſtantium

ſtantium precibus commotus ad operandum me accinxi, & manum Infantis ſiniſtram juxtà oſculum uteri repertam molliter repoſui, ne ſubſequentibus conatibus forâs protruderetur, faciem ſurſum ſpectantem, & frontem cum ſincipite pubi adſtantem non attigi, ſed occiput Inteſtino recto incumbens prehendi, & vel tantillum locô dimovi, quô factô frons lubricatus, & puer ſalvus feliciſſimè in lucem editus eſt.

Partum hunc dolores lancinantes in ventre usque ad tertium diem, ſive lactis ad mammas trajectum, ſubſequebantur.

## *SCHOLION.*

QUamdiu puer utero materno concluſus, funiculo umbilicali vinctus, hæret, & fovetur materno calore, tam diu vivit quoque vegetus, quanquam integrô octiduô juxta oſculum uteri capite provolutus ſubſtiterit, neque arcta uteri clauſtra dilatare niſibus quoque vehementiſſimis potuerit. At, ſi puer ſitum depravatum habuerit, & laboribus nimiis in vaginam usque promotus ſit, niſusq́ue eundem oppreſſerint, vel ſi colliquamentum amnii deficiat in integrum; funiculus frigefactus fuerit, conatus ſuperiora petant, vita hæc ſat diu duratura, extinguetur, & puerpera in ſtatum periculoſum redigetur: Hæ autem difficultates ſuperabuntur, ſi, ſtatim atque animadvertatur, niſus neutiquam pertranſeuntes, & deorſum ad uterum vergentes veros, (ſignis cæteris ad partum requiſitis præſentibus) urgere, ſed gravidam ad murum velut & in vanum omnes ſuas vires & conatus impendere, non expectetur, usquedum manui operatrici via præcluſa fuerit, ſed intellectô Infantis ſitu, manus operi admoveatur, & infans malè ſitus in naturalem ſitum quantum poſſibile, reducatur, id quod absque omni periculo fieri poteſt, ſi cum prudentia & Dei auxilio res perficiatur, ut id ex præſente Operatione & Obſervatione innoteſcit.

Cauſa Vitæ tamdiu durantis in Infantibus dependet à Spiritu aſtrali, ſub forma flammæ vitalis, ope matris per ve-

nam umbilicalem ad puerum deducto, atque essentia idem spiritus est, quem Observ. 1. de musca aquatica Tigurina descripsi: Hujus flammæ vitalis parva quædam initia, s. scintillæ ab ipso conceptu in amplexu venereo excutiuntur, & in semine conservantur, à materno, blandoque ovi calore suscitantur, parùm gliscunt, micant, instar titionis cinere obvoluti leviter tantùm ardeat, donec embryo partu tempestivo in lucem egressus spirare incipit, quô tempore flamma vitalis pabulum nitrosum illicò ex aëre accipiens latissimè sese expandit, ac per totam massam sanguineam effervescit. Vide Clav. Med. de Sang. p. 127.

Pabulum hoc nitrosum s. occultum vitæ cibum in aëre contineri sublimiorum Naturæ scrutatorum communis fert sententia, idque ratione salis sui mirabilis, quæcunque penetrantis, resolventis & volatilisantis, atque universalis quasi solventis. Unde tanta respirationis ad vitam emergit necessitas, ut quæcunque animalia, simulatque ex ovis semel eruperint, aëris pernecessario victu neutiquam carere possint, ipsis etiam Insectis, ut suprà citavi, eodem indigentibus, non secùs ac pisces, aquarum licèt incolæ. Vide Doctissimi Ettmulleri Valetudinarium.

Cavendum proinde summoperè, ne flamma hæc extinguatur in utero; frigus fugiendum: effusô amnii liquore matri quiescendum aliquantisper ne situm depravatum acquirat pusio; neutiquam cunctandum ob alimenti penuriam, & loci angustias, dum enim apud nostram uterus quasi exaruit, & solito siccior redditus fuit, infans loco se dimovere non potuit: adhæc post liquorem amnii effusum, aut subitò ingruunt nisus vehementiores; aut ante effusionem nisus præsentes in momento quasi pereunt; illud si fiat, antequam urgeatur puerpera, situs est examinandus: hoc verò factô, in lecto quiescendum, usque dum Natura sese recollegerit, & fibras nimium extensas, aliquousque contraxerit.

Naturam

Naturam Colliquamenti explicavi Clav. Med. pag. 23. & 158. item Ephemerid. Decur. annor. ſecundæ tom. 1. Obſ. C. p. 233.

Aquarum autem copia, quæ ex abundante in ſanguine ſero judicanda eſt, ad amnium derivabatur ob tractum ſuctumque fortiorem, & concitatam ſanguinis circulationem, quâ ſecretiones quoque copioſiores evadunt. Dolorum verò atrocitas non aliam agnoſcit cauſam, quàm contuſionem & extenſionem fibrarum, tendinumque uteri lateralium juxta pelvis oſſa conſtitutarum, quâ triſtis hæc ſenſatio diviſionis continui oborta fuit: Conſtitit nempe infans ſincipite ad pubis os firmiſſimè, facie ſurſum porrectâ, manuque ſiniſtra oſculo protensâ; qui ſitus rarus eſt admodum, & à paucis obſervatur: Manus primò reponi debuit, ne niſu ulteriore forâs in vaginam protruderetur, & caput ſuprà pubis os pelleretur, ſicque periculoſior partus evaderet, repoſitâ manu, caput non verſus anum depuli, tum ob faciem teneram, tum ob repoſitam manum, ne iterum procidat, ſed ſaltem circa caput olea inungendo, occiput locô dimovi, & uteri orificium quantum poſſibile dilatavi. Situs alii vulgares ſunt, quamvis periculoſi quoque, nempe dum Infans ad partum venit præmiſſis pedibus, manibusque ad femora deductis: dum in pedes partus procidit, manibus ſuprà caput protenſis: dum uno tantùm pede infans prodit, brachiis circa latera demiſſi, retroversô pede altero: dum per transverſum jacet infans, & in latus procidit: dum diſtortis pedibus atque brachiis ad partum properat infans: dum utroque genu in partum infans procidit, manibus circa femora demiſſis; aut manu tantum alterutra ad partum accedit, altero brachio circa latera deducto, pedibusque ad uteri fundum ritè porrectis: dum utrumque brachium juxtà caput protenſum ad partum venit, pedibus in uterum porrectis, & facie ſurſum reclinatâ, quæ figura proximè ad noſtram accedit, & admodum periculoſa eſt: aliquando natibus infans ad partum primò procidit,

dit, aut inflexâ cervice, pronis ad partum humeris, retroverso autem capite, surrectisque pedibus ac manibus: subinde manibus & pedibus simul ad partum inclinat, interdum autem fit, ut pectore primùm prodeat retrò manibus, pedibusque conjectis & aversis: Contingit præterea formâ naturali partum comparere geminum, præmissis ad exitum capitibus, vel obversis ori matricis utriusque infantis pedibus; vel altero infante in Caput; altero in pedes demisso: persæpe quoque umbilicus utero propendet, remanente fœtu vegeto, vel mortuo: horum autem situum præternaturalium cura successivè in his observationibus nactâ occasione tradetur, & quo pacto convenientem situm facere deceat, vel etiam dirigere, propellendo, adducendo, flectendo, in rectum agendo, fusiùs demonstrabitur: nunc id tantùm observari velim, præmissam manum haud extrahere oportuisse, ne magis affirmaretur, luxaretur, vel etiam abrumperetur, verùm digitis humero infantis affixis repellere, & in convenientem ordinem restituere. Dein si vel duplicatus, vel transversus, vel pronus feratur infans, sursum priùs ipsum, ab uteri ore sublimem blandè impellere dein prehendere rursus, ad os vulvæ sensim in caput erigere, & tandem in gemellis summâ prudentiâ procedere.

Partum hunc subsequebantur dolores lancinantes in ventre, qui oborti sunt à collectione & retractione fibrarum extensarum & contusarum, quæ contractio ad sua principia simul heterogenea quæque dolorifica è spatiolis suis expulit, qualia sunt aër derepentè post partum subingressus, utero inimicissimus: flatus intestinorum uterum molestantes, lochia impura, chymi refluxus per massam sanguineam, Cotyledonum, quibus inhærebat placenta, constrictio; excoriationes & ulcera, vel vulnera & inflammationes idem præstare queunt.

Vulgatum in lancinationibus post partum remedium præbet Oleum Amygdalarum dulcium cum Syrupo capillorum veneris aliàs vix obtundendi & sopiendi sunt hi dolores,

quia

quia semper quid lochiorum & impuritatum secum ab utero evehunt.

Duratio horum torminum usque ad lactis in mammas trajectum seu tertium à puerperio diem perseverabat, hoc enim tempore lac ab utero in mammas uberiùs & cum impetu quodam fertur, ut citò eas ad tensionem usque impleat, & aggravare incipiat, cum febricula quadam lactea dicta aliisque symptomatibus, quibus lactatione resisti commodè potest, ne videlicet in grumos abeat lac, vel mammæ inflammentur, vel repulsione factâ per topica repellentia, cum lochiis sub specie humoris purulenti albicantis ex utero effluat.

Lac autem quid sit, Anno I. Ephemerid. Decur. secundæ & in Clave mea medica explicui, nempe chylus lymphâ temperatus, spirituosus, cum sanguine in corpore circumfluo ad uteros & mammas delatus, & ibidem in apertos poros secretus: non est chylus crudior, qualis in vasis chyliferis reperitur, quanquam & hic lymphâ variâ, tum juxta hepatis cava, tum juxta collum, tum circa inguina & lumbos diluatur, sed spirituosus admodùm, magisque exaltatus, (de quo videsis Exercit. IX. Pœonis & Pythag. pag. 46. &c.) ut vel in ventre aut sinu materno gestato fœtui alimoniam suppeditet; vel ingravidationis tempore, portione quadam ad uterum derivetur, & ultimis mensibus aliquantulum; uberrimè post puerperium in mammis (stantibus circulationis legibus) deponatur.

## OBSERVATIO XCI.

### D. JOH. de MURALTO.

### Extractio fœtûs mortui, pedibus usque ad axillas, ex utero pendentis.

FOeminæ Q. R. quadraginta duos annos natæ, aquarum vix quicquam effluxit, hinc violentis nisibus, pedibus ad partum

partum properabat masculus, cubitô utrôque cum capite intrà uterum ad mortem usque reclusô: vocatus, cubitum dextrum ad anum positum, deinde integrum corpusculum molliter attrahere tentabam, sed os pubis brachio, quod continebat, impedimentô fuerat: ne autem vesica urinaria, vel partes adjacentes aliæ læderentur, sensim integrum corpus æqualiter inverti, ut, circumductô collô, & caput moveretur, absque omni attractione, sic cubitus sinister versus anum depulsus, securè inflexus & exemptus, atque puerpera liberata est: Infans crustâ caseosâ obductus, ac tanquam glutine illitus erat.

## *SCHOLION.*

AQuarum Amnii defectus æquè periculosus est, atque abundantia earum; illud Infantis ad partum nondum benè compositi præcipitationem, & situm perversum; hoc autem motum infantis justô tardiorem, & provolutionis ad partum ineptiam; parienti dolores atque molestias vanas, ventrisque lancinationes & tormina causatur: hinc urgentibus conatibus, eô tempore, dum in ipso ad partum accessu sive provolutione puer desudat, quacunque positurâ & situ præternaturali infra osculum compulsus jacet & instar trunci immobilis hæret, ut in hac observatione conspicitur. Debet enim fœtus illis humoribus, tanquam molli culcitræ innatare, illosque pro munimento, & promontorio quasi agnoscere. Dum igitur humores emanant, fluxu suo & inundatione vias lubricant, ac nisi partus statim subsequatur, & ad tempus vel dies aliquot moram nectat, alimentum fœtui decedit, partusque fit difficilior, fœtus imbecillior, & consequenter necessariò moritur.

Colliquamentum hoc s. liquor serosus, naturaliter magnâ copiâ colligitur in Amnio, imò priùs quàm quippiam fœtûs ferè constituatur, aut vestigium ejus ullum extet, & quàm primùm fœtus jam conspicitur, & adhuc totus mucilaginosus, ac perexiguus est, quamvis maxima tunc copia

aquæ

aquæ hujus conſpicitur, ut in illa natare Embryo, licèt exigua corporis adhuc dum mole præditus, videatur. Vide pag. 23. Clav. med. Nihilominus tamen calore hepatis & uteri vel aliâ causâ ſiccari liquorem huncce benignum, certum eſt, & in gluten ſ. caſeoſam materiam abire, ut infantum corpora cruſtâ hac & lanugine viſcidâ, cutis extimæ regioni adhærente, obducantur.

Pedibus ad partum properabat maſculus ad axillas, perpetuisque niſibus tandem enectus, ita pendulus, usque dum ſuppetias ferrem, permanſit. Horrendum eſt, obſtetrices ſine ratione nimiùm audaces eſſe, & in tali quoque caſu, ubi viventi puero pedibus utero egreſſo manus & brachia juxta caput ſurſum porrecta reſtarit ibidem, miſeras parientes vi impellere, & ad enitendum urgere, haud perceptâ ob loci anguſtiam & ſitûs pravitatem, impoſſibilitate, ſic enim factum, ut puſio frigefactus, & flamma vitalis per venam umbilicalem infanti advecta, fuerit extincta, veſica & alvus matris compreſſa membra ſuperiora luxata ſint, denique mors adventârit. Multò autem conſultius egiſſent, ſi puerperam in lectum deduxiſſent, infantemque pendulum commodè ibidem locâſſent, & lacte tepido foviſſent, usque ad meam præſentiam, tunc enim ego cubitos ad pectus manu axillis blandè admotâ, duxiſſem, cæteraque ex arte peregiſſem, & cum Deo infantem ſervâſſem: Spero tamen, inpoſterum Obſtetrices ſuum officium melius obſervaturas eſſe, ne negligentiæ accuſentur, & conſcientiæ maculam ſibi inurant: Nam infans, ſuperſtes modô, quem in Obſervatione retuli, excipiendus non eſt, niſi admodum parvus & gracilis ſit, & diductum admodùm matricis extiterit orificium, ut facilis exitus ſine matris & infantis nocumento omninò ſperandus ſit: nec tamen eum priùs excipiet Medicus, quin ante uterum & infantem diligenter perungat: multò autem conſultiùs &, quod repeto, utrique ſalutarius, partum vivum pedibus ad orificium ſtantem in uterum repellere, & ad legitimam formam convertere, in

hunc modum: Ægra ſe ſupina in lecto reclinabit, capite retrò demiſsô, ſublimioribus natibus: quô factô, operator Medicus ventrem ipſius, præcordia versùs, mediocriter ſtringet, ut in uterum infantem ipſum repellat, & aliâ formâ prodeundi occaſionem miniſtret. Ante omnia autem curabit, ut faciem infantis tergo matris obvertat, deinde infantis nates & crura, umbilicum matris versùs elevet, ut ad legitimum partum accederet.

Similem ferè obſervationem notavi in uxore B. L. è pago Urdorfenſi, 30. annorum, quæ infantem pedibus prodeuntem ad pectus usque peperit, reliquum corporis, etſi dolores perſeverarent, edi nequiverat, ſed moriebatur puellus: vocatus, utrumque brachium reflexum ulnis Coxendicis oſſibus, ſ. pelvi adſtitiſſe comperi, & reduxi, ſicque ægram liberavi.

Fœmina hæc vinum novum & auſterum, poſt tres à partu ſeptimanas affatim hauſit, inde urinam retinere nequivit, ſpiritu tamen ſalis armoniaci, & thermis Badenſibus noſtris reſtituta eſt: nam auſteritas vini non tantùm conſtrictionem maſſæ ſanguineæ, & hinc ſeri expreſſionem per veſicam, ſed etiam uteri inflationem, & veſicæ fibroſæ compreſſionem excitavit, hinc fibræ hæ enervatæ per partum, frigore & aciditate ſtupefactæ ſeſe contrahere nequiverunt, quare & remedia dicta fibris vigorem conciliando profuerunt. Vinum hornum à fæcibus nondum probè depuratum, fermentando in ſtomacho facillimè aceſcit, & urinæ ardorem atque incontinentiam puerperis cauſatur, infantibusq́ue, ut & acetum ſummoperè nocet: Acidum enim morborum infantilium, lactantium, & puerperarum, tormina & lancinationes excitando, frequentiſſimus author exiſtit: bibant ergò tales mulieres vinum tenue, rubellum antiquum, quod eas roboret & lac augeat, vinum tamen vinoſum forte vitetur, ſed ſi urgeat ſitis, calor, dolor papillarum & capitis, alvus adſtrictior, utentur emulſione amygdalatâ cum decocto hordei paratâ, addito oculorum Cancri tantillô.

OBSER-

## OBSERVATIO XCII.
## D. JOH. de MURALTO.
# Extractio fœtus in utero putrescentis, & manum dextram exerentis.

Bibliopegi M. uxor, 30. circiter annorum, die octavo Augusti Anni M DC LXXXII. Badâ Tigurum me vocari voluit thermis utentem, ut manus auxiliatrices in promovendo partu adhiberem, fœtumque extraherem: Infans capite prono ossi pubis firmiter adstans, manumque dextram, relictis intra uterum partibus reliquis, exseruit, id quod ante triduum exactum, ob lochiorum effluxum copiosum ei accidit: Præsens cum Excellentissimo Domino D. Joh. Henrico Lavatero, nostrate, & Celeberrimo D. Artheaudio, Chirurgo Lausanense, vidi infantem mortuum, fœminamque extremè debilem, motibus convulsivis vexatam esse, adeoque ob foetorem cadaverosum intolerabilem, si Naturæ negotium committeretur, ægram de vita periclitari: Sensim brachium, quod sphacelatum erat, neque intrudi ullô modô potuerat, intorsi, ut in articulo humeri separetur, sicque manui meæ nihil impedimenti adferat: sed per infortunium humerus fractus est, ut nîl aggredi potuerim, antequam prostantia ossa acuta forcipe semota fuerint & lævigata, ne vulva vel vesica læderetur, tum alterum infantis brachium prehendi, sed ob crassitiem corpusculi, & magnitudinem capitis infantem putidum locô dimovere nequivi: vires sufficientes mihi haud restabant, ut in pedes inquirerem; rogavi comitem meum chirurgum prælaudatum, ut & ipse ad opus se accingeret, quod fausto omine factum, nam & alterum brachium separare, & pertusô pectore lateraliter viscera eximere debuit, ut via pateret ad pedes usque in utero reconditos, arripuit cautè dextrum pedem, & ita illam molem reliqui corporis invertit, magnaque operâ fœtum mutilum eduxit: funiculus

niculus disruptus & placenta utero inhæsit, quam ego demùm cadaverosam conquirere & eximere debueram; sanguis post partum effluxit copiosior impurus, supervenêre convulsiones, frigidi sudores, & morti vicina ab omnibus credita fuit: Ego tamen, cui ante biennium in partu quoque adstabam, meliora speravi, dummodo adstantes jussa mea non neglexerint, nempe ei pulverem marchionis in aq. plantag. & fol. quercûs cum sacch. ros. tabell. exhibuerint; Epithemata adstringentia lumbis applicârint, Lactis serum cum rosis propinârint, vulvam in quasvis horas; & dorsum bis de die oleis consuetis perunxerint, juscula hordeata, passulata &c. cum sale volatili oleoso Sylvii exhibuerint: Tribus post septimanis bono cum Deo salutem recuperavit; & hocce momento partui vicina iterum opem meam imploravit.

*SCHOLION.*

LOchia sunt sanguis intrà poros & vasa uteri contentus, qui postquam placenta decedit, effluit: hic sanguis singulis mensibus in utero augetur, & habitaculum Pueri calefacit, atque à variis injuriis tutius reddit, crassiusve: solo tempore & quantitate à mensibus differt, nam menstrua ante partum, lochia post partum dicuntur. Horum autem lochiorum fluxus p. n. multùm variat, & vel quantitate vel qualitate peccat: aliquando fluunt ante partum, aliquando non fluunt sine incommodo, plurimùm autem incommodi Puerperæ patiuntur, quibus p. n. retinentur, ob sanguinis per novem menses detenti à calore inductam crassitiem, & abundantiam, vel frigus in puerperio subtus pudendis admissum, quòd orificia vasorum constrinxerit, gravissima oriuntur symptomata, & quandoque mors ipsa obrepit: adest tumor ventris, lumborum dolor, febris, debilitas, difficilis respiratio, sanguinis sputum, vomitus, mania, melancholia, vigiliæ, delirium, quæ omnia periculosissima sunt. Immoderatus verò post partum fluxus ægram debilitat, acciditque à sanguinis nimio fervore, copia, tenuitate, viarum laxitate, & dilaceratione vasorum:

pulsus

pulsus redditur frequens, debilis, cibi fastidium ingravescit, visus imminutio, aurium tinnitus, grumi sanguinis utero eliduntur: Dolor lumborum & hypochondrii adest, cum torsione ventris & magna febre. Quòd si ante partum hic effluxerit sanguis, ut in Observ. præsente, eadem symptomata excitantur, situs infantis invertitur, & mater & fœtus maximè debilitantur, & in vitæ periculum cadunt. Motus convulsivi ferè nunquam absunt, hinc meritò quæritur: *Cur exhausto sanguine; motus convulsivi puerperas invadant?* Putârim, quia per inanitionem lympha, & spiritus inde generati, quos blando, dulciq́ue chyloso humore cum sanguine circulante enutriri & refici convenit, acrimoniam contraxerunt, ut irritatione & vellicatione in nervis obortâ, versus sua principia contracti fuerint, sese corrugârint, atque hos motus p. n. instituerint: Nervorum enim motui dicatorum, & partium valdè nervosarum proprium est, ut vel ad impetum voluntatis vel necessitate suadente, in illarum partium motu, quæ voluntatis imperio non subsunt (cujusmodi sunt motus ventriculi, intestinorum, cordis, aliarumq́ue partium) continuò corrugentur, breviores fiant, ac se contrahant: si itaq́ue à re peregrina sollicitentur & stimulentur, idem, sed validiùs facient: sic ventriculus ex. gr. angue & lignorum segmentis latentibus, Helleboro, vel chelidonio majore propinato, imò Cicutâ aquaticâ deglutitâ, irritatus: sic, intestina clystere acri stimulata, protenùs insurgent, verè omnes nervos, quibus abundant, intendent, ut hostem expellant, idq́ue reverà non nisi illorum nervorum beneficio, qui utrique sensum & motum largiuntur: ut Clarissimus D. D. Wepferus aliquando certior fieret, hos motus violentos ab irritatione fieri, in ranis vivis nervos crurales denudavit ( & acu pupugit, protenus nunc motibus convulsivis pedes concutiebantur, nunc rigidi persistebant, prout vel ictus iteravit, vel acum pertinacius nervo affixam insigni tenuit. Id postmodum sæpius quoque in Canum vivorum sectione eodem spectaculo tentavit;

non ſemel corda Canum, Lupi adulti, Gallorum gallinaceorum apice cultri anatomici irritavit, ut vim ejus in motu peragendo oculis uſurparet: in Gallis & Lupo imprimis citò invalidiſſimos motus proruit, & vel extra pectus erupturum Cor videbatur, imò jam ferè emortuum denuò titillatum, motus rurſus exordiebatur. Adeò ut nullus dubitem, nervos ipſos, vel partes nervis præditas, ſtimulatas, validiſſimos motus inſtituere: quod amplius venena, acria purgantia, vomitoria, maximè antimoniata & mercurialia, ſternutatoria, nervi punctim læſi, & ſexcenta alia abundè confirmant. Quoniam verò pluribus convulſio, & convulſivi motus obtingunt, citra puncturam nervorum ab acu aut alio inſtrumento pungente, citra venenum propinatum, citra helleborum, Antimonium, Mercurium, & alia hujus generis aſſumpta, neceſſum eſt, ut analogum quippiam in corpore humano generetur, quod nervos, nervoſasque partes ad motum contractivum proclives, irritare, ſtimulare & ſolicitare valeat, ut hujusmodi motus vel præter juſſa voluntatis involuntarios, vel ſolito violentiores peragant. Hoc analogum procul dubio humor acris, mordax, nervoſo generi inimicus erit, de quo plura legere eſt in Doctiſſimi mei diſcipuli Caſpari Sibelii à Goor, M. Doct. & Practici apud Amſtelodamenſes feliciſſimi Diſputatione Inaugurali Leydæ Anno 1678. habitâ, p. 7. 8. &c.

Inter operandum humeri os fractum eſt, ſiquidem ob ſphacelum adeò ſpongioſa & flaccida membra reddita ſint, ut os humeri citiùs fractum, quod verò in articulo ſolutum fuerit: hanc fracturam ſubſequebatur periculum proſtantium ſegmentorum pungentium, ne vel uterus vel veſica, partes præter modum turgentes & calefactæ læderentur, & inflammatio excitaretur, quæ vel mortem cauſari, vel miſeram per totam vitam reddere potuiſſet puerperam; coactus ergò fui proſtantia oſſa & ſegmenta inæqualia, ſcabraque forcipe prehendere, circumducere, & in articulo avellere;

lere; idem factum est cum altero bracho, dum fœmina convulsa quasi & sopita jacuit, præterea & incisio in pectore facta fuit, interanea viscera exempta, ut ita corpusculum sensim, sensimque concideret, & pedes invenirentur, atque ita truncatus frustillatim fœtus extraheretur.

Vires mihi non restabant sufficientes invertendi fœtum, nam quia omnis aqua diffluxit, nisus omnes evanuerunt, fœtus mortuus, fœtor intolerabilis, tantum non ego animo defeci, & lipothymiâ dejectus procubui; tàm verum est, quod in Clave mea p. 430. de officio Obstetricum, Operationes has laboriosas & difficiles esse, notavi.

Operationem hanc varia symptomata exceperunt, auctæ sunt convulsiones, & sudor frigidus obortus est &c. idque ab extinctione caloris nativi propemodum totalis, & sanguinis infectione à miasmatibus cadaverosis per glandulas cutaneas eliminandis; item naturæ tantùm non oppressæ pugnâ cum violenta morte, ac ultimo quasi vitæ conatu. At quietem & obscuritatem imperavi, usumque præscriptorum medicamentorum: pulvis enim Marchionis insignes vires habet in præcipitanda acrimonia spirituum, limphæ sanguinis & chyli, in genere nervoso roborando, heterogenea à centro ad circumferentiam promovendo: Epithemata adstringentia putredini adversabantur, sistebantque fluxum: inunctiones confortabant partes læsas, easque in vigorem pristinum reducebant, spiritusque animales in spinali medulla contentos, motus enormes spasticos excitantes, sopiebant.

## OBSERVATIO XCIII.

## D. JOH. de MURALTO.

# Puerperæ nisus negligentis, & filiam tandem vegetam parientis, hæmorrhagia & mors.

FOemina, (cujus Observ. præced. memini) die XX. mensis Octobris hujus 83. anni, triduô exactô, post aquarum fluxum,

xum, circa vesperam nisus denuò persensit, quas illa lancinationes perperam reputans, negavit, sed tremebant genua, æstuabat sanguis, conatus per vices se invicem excipiebant, infans probè obversô ori uterino vertice, collocatus fuerat: Pariens obstinata admodùm laborare nolebat, nec blandè concitata, nec minis ad enitendum adacta, donec in absentia mea advocârint Matronam, cujus imperium jussu meo fideliter exequendum, ne infantis in angustiis hærentis vita periclitaretur, ut tandem intrà trihorii spatium, puella salva in lucem edita fuerit, remanente in utero derepentè præcluso placenta, sanguine & lochiis tam copiosè manantibus, ut, obortis animi deliquiis debilissima evaserit. Bis itaque, sed tardiùs, vocatus, existimabam hanc hæmorrhagiam fieri adeò copiosam ob placentæ retentionem, quam rogatus feliciter quidem extraxi, supra os pubis in utero reconditam, nihilominus multi sanguinis grumi sequebantur, & fluxio sisti nequibat, sed urgebat continuò, varia medicamenta frustrà tentata sunt, tandem ægra placidè defuncta est.

*SCHOLION.*

QUantum lucis ad morborum notitiam adferat Sanguinis Circulatio, præter infinita exempla id comprobat Observatio præsentis Puerperæ, cujus nisus suppressi per Circulationem in toto corpore circumacti, miras turbas creârunt, & ægra fortè restituta esset, si præsens statim post partum sanguinis tantillum è brachio, ejusdem Circulationis lege, venâ sectâ, eduxissem. Proh! quàm miserè agitur in Republica, dum Medicorum illi, quos ob singularem medendi peritiam & senium veneramur, hocce Inventum credere nolunt, & Circulationem sanguinis, motum à sedato Corde peractum, nugas esse dictitant, cùm Creatoris Opt. Max. & sapientissimi opus sit, quod cum veneratione potiùs suspiciendum est, quàm ob præconceptam opinionem, aut turpe in veritatem inquirendi fastidium exsibilandum. Inventum hoc maximi æstimat Helvetiorum Wepferus, his verbis: *Huic Invento præclaro addictus*

*addictus sum, cùm non semel hanc sententiam publicis scriptis asseruerim, non solùm in tractatu de Apoplexia, sed jam ante triginta annos in disputatione mea Inaugurali de Palpitatione Cordis, & non ita pridem in historia Puellæ sine cerebro natæ, quæ inserta fuit Anno III. Collegii Curiosorum. Certè me tæderet Medicinam unquam addidicisse, vel illam profiteri, si hanc ignorarem. Neminem ita propriâ putatitiâ scientiâ tantoperè fascinatum esse, aut ita ab invidia, aut superbia, vel nescio, quo supercilió excœcatum credam fore, cui non volupe sit, vel tantillum operæ huic studio impendere, ne se toti mundo ridiculum præbeat. Nôsti Æmilium Parisanum egregiè hoc nomine à Riolano vapulâsse, quamvis ipsemet non plenè huic sententiæ assenserit, quamobrem meritò à Slegelio castigatus fuit. Cui sordent Harvæus, Walæus, aliiq; hujus generis viri optimè meriti, perlegat Conringium, veteribus, si quis alius, addictissimum, certè, nisi omninò veritatem ejurârit, tandem manus victas præbebit. Inclyta Universitas Lugduno-Batava, tale judicium de hac materia ad me perscripsit: Miramur esse hoc seculo, qui Circulationem sanguinis negent, aut etiam spernant, eiq; hæreses multas in causis morborum tradendis adscribant: sed hoc quidem veritati Ordinarium, ut non habeat inimicum nisi ignorantem &c.*

Puerpera hæc misera, & cachectica tandem partum suum laboriosum morte finivit, propriâ, ut reor, culpâ, quia nisus urgentes in sese redire passa, nullos ad expulsionem infantis impendit, & ad uterum direxit, unde sanguis serosus aliàs & acris, tantoperè excalefactus, & attenuatus, membra verò ita enervata sunt, ut post partum ille sisti nequiverit, etsi medicamenta præstantissima quæque exhibita fuerint. At causa, cur nisus retenti, sanguini & artubus incussi, Puerperam in tale periculum præcipitem agant, manifesta redditur, si natura nisuum s. conatuum, sanguinis item & membrorum alteratio per eosdem examinetur.

Nisus sunt perfecti infantis motus & impetus, quô exitum sibi ipsi procurat, ut uterus hospitem importunum exturbaturus

 turbaturus

turbaturus suas & corporis universi vires ad pugnam solicitare & impendere cogatur, idque per violentam distractionem oris uteri, & tendinum atque fibrarum divulsionem, ut videre est Observ. CII. Ephemerid. Nat. Curios. Decad.II. Tom.I. Dum verò sese natura parientis ad certamen subeundum ita præparavit, & metus dolorum, vel aliud quid voluntatem à conatu tali necessario, & virium spirituumque impensione arcet, regurgitant iidem, vel avolant: ubi regurgitârint, impuri facti ab humoribus per uterum è toto corpore eliminandis, sanguinem intemperatum reddunt, & fervorem ibi concitant, ejus dulcedinem nativam in biliosam vertunt, & attenuant: Ubi verò avolârint, Pariens, ut conservetur infans, exhaustô viribus corpore ad enitendum urgeri, & ita delicti proprii pœnas dare debet, siquidem membra fermè paralytica redduntur, si tremores spastici à nisibus recurrentibus iis incutiantur, & neque nervi, neque musculi ampliùs officio suo ritè, sat longo post puerperium tempore, funguntur.

Sæpe etiam fit, ob retentam placentam sanguinem sisti non posse, nam irritatio adest perpetua à re peregrina. Vide Ephemerid. Decur. II. Tom.I. Observ. 116. & relicta Placenta tanquam spongia allicit sanguinem, imprimis si per difficilem partum uterus debilitatus, & vasa adaperta fuerint: Non quidem negandum, intempestivam Placentæ avulsionem tale periculum afferre, ut multis exemplis testari possem, sed cùm in ægra nostra locô suô dimota, propè pubem hæserit eadem, sine periculo eximi debuit. Imprudentiæ obstetricis exemplum circa hanc rem expertus Chirurgus Mauriceau Parisinus, olim magister meus honorandus narrat libr. III. des maladies des femmes grosses & acconchées p. m. 390. Imò prudentem sese præstare debet Medicus & considerare, an justum partûs tempus, verique conatus adfuerint, quanquam infans perfectè & feliciter editus sit, antequam placenta utero eximatur, quia dum immatura est placenta, tenaciter vasis hypogastricis & spermaticis ad uterum porrectis inhæret, & sæpiùs

piùs aliis de causis fœtus ante mensem nonum ad partum properare potest, nempe si puer aquarum evacuationem repentinam, & insperatam sequatur, dum amnion vel solo desidendi conatu dilacerari possit, vel si puer tenui pallescente funiculo nexus nutrimento in utero destituatur, & marcore laboret, vel à lapsu, casu, allisione, contusione, commotionibus animi, morbis &c. quibus in casibus magis tempus à Deo constitutum sc. finis noni & principium decimi mensis attendendum est. Cæterùm non retardanda est nimiùm exemptio secundinarum post partum, usque dum sanguis omnis effluxerit, & vitæ vix quicquam restârit, sed statim atque puer in lucem editus est, tollatur; venæ enim tunc omnes adhuc patent, & fœminæ inde nec dolent, nec periclitantur; sedulò cavendum interea, ne matricis partes, aut latera vel parietes nisu antrorsum compulsi placentæ locô trahantur, vel comprimantur. Summa quò citiùs, eò tutiùs res cedet, quò tardius, eò periculosius & laboriosius opus erit. Periculum magnum est, si putrescat placenta, & umbilicalis funiculus perdatur, vel laceretur, tum enim interiores uteri spongiosi partes facilè inflammantur, & utplurimum incurabiles redduntur (quamvis nuper Fœminæ von Fluenten / uterum putrescentem sub umbilico abscessu formatô extraxerim ope medicamentorum & benedicente Deo intra mensem restituerim) labor verò summus est penetrandi intra muliebria, quia per moram diuturnam uterus arctè præcluditur. Non quidem ad Puerperas hocce malo decumbentes ultrà septimum vocor diem, sed plurimùm ante eundem: Inter tales miseras quædam præ cæteris innumeris laboris & molestiæ multum mihi creârunt: Uxor H. E. cujus placenta die sexto, tam vieta & flaccida, non dicam putrida fuit, ut quamvis omni studio eam ab utero integram separare voluerim, nihilominus in plures partes sub prehendente manu divulsa, & particulatim exempta fuerit, salva interim ægra extra periculum denuò infantes pepererit. Deinde Medici filiæ herniâ umbilici laboranti,

quarto demùm die, matrice præclusâ, secundinas cum sudore contra meam voluntatem auferre coactus fui, quæ decimo post operationem die, superveniente hæmorrhagiâ ad fata festinavit, cùm priùs sat vegeta vixerit, huic uteri vasa sinistro medicamentorum usu adstricta erant adeò, ut putrescens & virulentus sanguis excerni nequiverit (inde post operationem ego in brachio dextro anthracem sat dolorificum nactus sum) sed inflammationem & gangrænam in utero concitârit. Adhæc Senatoris filiæ moribundæ tertiô die à partu placentam nullô præsente funiculô, ingenti operâ extraxi, & feliciter restitui; Vide Exercit. Anatom. & Med. Pœonis & Pythag. pag. 62. & 64. Tandem, die septimo laceram & vietam placentam â Pictoris fœmina quadragenariâ majore, semimortua, & in hystericis suffocationibus jacente feliciter exemi, & oleo succini, spiritu salis armoniaci, Confectione Alkermes camphora, atque castoreo restitui.

Si post partum cum impetu effluat sanguis, & vires auferat, id quod in præsenti casu, me absente, factum est, cave ne subitò adstringas, verùm parùm sanguinis è brachio mittas, ut fluxio divertatur: Cucurbitam magnam, vel panem calentem Vini spiritu irroratum mammis applica, & ligaturis sensibilibus digitos stringe: exhibe Puerperæ sequentem potiunculam: ℞. Succi plantag. ℥ij. decocti rad. tormentill. & flor. rosar. siccar. ℥vj. syrup. flor. bellid. ℥ij. Misce & per cochlearia trade. Potus sit decoctum sem. plantag. & radic. tormentill. cum tantillo vini rubelli. Pessi fiant è mucilag. sem. Cydon. cum aqua plantag. extractâ, addita terrâ sigillatâ: urgente periculô mortis, albumina ovi cum bolo & aceto linteo aut cannabe excepta lumbis applicentur, non neglectis internè coralliis & hyacinthorum confectione. Ichthyocolla cum carne elixari, & ejus jusculum ægræ exhiberi potest: Pillulæ etiam sequentes proderunt si ad se redierit ægra: ℞. Diaph. ♂. ʒij. Corall. rubr. ʒj. sang. Dracon. ʒß. cum succo foliorum tenerrimorum quercûs inspissato, q. s. fiat Massa; ex ʒj. pill XL. dos. 6.

dos. 6. manè & vesp. in aq. plantag. Pila interim hysterica naribus admoveatur: ℞. Castor. asæ foet. aa ℈j. sem. angelic. rut. aa ℈ß. cum terebinth. q. s. f. Pila, quæ illinatur guttis aliquot Olei succini.

## OBSERVATIO XCIV.

## D. JOH. de MURALTO.

# Fœtus vivus ob arctum uteri osculum, effluxis aquis per quinque dies retardatus, & feliciter à me exceptus.

E. B. 30. annorum, primipara à 5. diebus partûs dolores ingentes sustinuit, capite infantis ad osculum usque provolutô, quod tamen nullo molimine edi potuerat: vocatus, matricis tendinosum cingulum seu osculum, vertici infantis aptè & arctè adplicatum, perunctis locis, pollice circumcirca dilatavi, & sensim diduxi, medicamenta fœtum pellentia matri porrexi, alacriter fœminam ad labores instigavi, quô tandem puer natus est debilis, quem in balneum immisi, epithematibus ex decocto Salviæ in vino paratis, caput, pectus & genitalia fovi & refocillavi: Puerperam sanam in lectum deduxi, & linteis probè muniri feci.

*SCHOLION.*

JUvenculas ad pariendum esse feliciores, quàm senescere incipientes mulieres, Ephemerid. Tom. priore, Observat. CI. retuli, idem quoque testatur præsens Historia: nuper Præceptoris Th. uxori triginta quinque annorum adstiti, quæ quatriduo ante constitutum partûs tempus ad labores ab Obstetrice imperita, quæ lancinationes à veris nisibus distinguere non valebat, incitata, circa muliebria tantoperè intumuit, ut Nymphæ utrinque duos pugnos æquârint, vixque ei possibile fuerit præter rupturam partium edere prolem; sacculum matricalem lacti incoctum vocatus applicare; Venæsectionem

 celebrare

celebrare & ægram quiescere jussi: transactô triduô veri demùm dolores ingravescebant, quos sensim ita impendit, ut rupto amnio aquæ effluxerint copiosæ: sed ob ætatem provectiorem primiparæ infans non statim subsequebatur, vires enim defecerunt, & siccitas partium cum tumore partum retardârunt. Caput infantis digito contactum, nullum pulsum, aut vitæ signum edebat, horrendos itaque nisus impendere coacta fuit, ego verò pollice dextræ uteri osculum parùm dilatatum vel summo molimine quoque extendere debui: exhibitis tandem emmenagogis medicamentis enixa est fœtum mortuum, & puerpera sensim restituta est: meritò itaque Primiparæ, adultiores, & licciores fœminæ, ultimis gestationis mensibus aliquot diebus, in balnea sedeant emollientia matricemque roborantia, haud neglectis Unguentis vel oleis & salis armoniaci spiritu: formula balnei hæc sit:

℞. herb. malv. meliss. artemis. aa. m. iij.
flor. chamomil. melilot. hyperic. verbasc. aa. pug. v.
hord. integri ℥vj.
sem. lin. ℥ij. Coq. in s. q. aq. fluv. &c.

A balneo detersa calens inungatur Matrix ol. lil. alb. verbasc. & chamomillæ.

Cæterùm non negari potest, & juvenculis quandoque arctum reddi uterum, ob tumores, contracturas, scirrhos, cicatrices &c. ut ad manualem operationem devenire necessum sit; dantur Observationes præclusarum matricum in gravidis, quæ infanti viam negârunt & ventrem potiùs dilaceraverunt, factoque abscessu putridum fœtum sub umbilico excreverunt: E. K. Sangallensis fœmina, quæ spatiô octo annorum, novem infantes feliciter peperit, dum decimum utero gestâsset, tempusque jam pariendi instaret, obambulans in horto, salviæ folia incurvatô corpore decerpens, momentô citiùs aliquid ad uteri orificium internum prolabi magno dolore percepit, de loco surgere nequivit, à marito advocato in lectum

deducta,

deducta, pariendi conatus aliquos ſenſit, Obſtetrix incitavit puerperam ad pariendum per biduum integrum, ſed fruſtrà, tertiô quippe die niſus omnes evanuerunt; durante hoc tempore nec lochia, nec aquæ manârunt, ut dubitârint adſtantes de fœminæ graviditate: Quintâ hinc hebdomadâ putreſcens placenta ex utero per partes ejecta eſt: potiones emmenagogæ exhibitæ ſunt, quæ magnam ventris inflationem & dolorem intolerabilem excitârunt, nec quicquam ex utero deduxerunt, ut tandem ſub umbilico rupturam natura in ventre ſpontè ſua effecerit, & per vulnus putreſcentis pueri oſſa cadaveroſa aliasq́ue partes ſenſim & diuturno tempore, octodecim videlicet menſibus protruderit: vulnus coaluit, & fœmina menſium fluxum per muliebria ordinatè tenuit: Poſt abſceſſum hunc curatum annô quartô, iterum impraegnata eſt hæc mulier, probeq́ue geſtavit infantem per ſex menſes: Septimô verò menſe cutis ventris juxtà cicatricem iterum ſpontè rupta eſt, propendente infantis brachio per quinque dies, quod à Patre cultro abſciſſum erat, ſequebantur & aliæ partes, quas omnes abſcidit. Caput verò cum Pectore tam diu in ventre reliquerunt, dum putredine conſumpta ſpontè, longoq́ue temporis intervallô ſecreta fuerint: quænam nunc ſit determinanda hujus occluſionis matricis cauſa, ignoro: credibile tamen eſt primitùs tendinoſo oſculo interius ſuper inductam & agglutinatam fuiſſe craſſiorem tunicam, vel ipſum oſculum ſcirrhoſum evaſiſſe. Similem ferè hiſtoriam obſervâſſe nuper memini Virum Excellentiſſimum D. D. Chriſtophorum Harderum Scaphuſanum, Patrem, Practicum Celeberrimum &c. in fœmina Lottſtettenſi, quam hûc referre ſuperſedeo.

OBSER-

## OBSERVATIO XCV.

## D. JOH. de MURALTO.

# Puerpera hydropica à Circumforaneo ſiniſtrè curata.

BArbara M. è pago Wangen, quadraginta annos nata quæ die 27. Septembris hujus anni 83. me accerſivit, à quinque menſibus tumorem ventris ſenſit, ante tres verò menſes infantem peperit, permanente tumore, vegetum: Cauſam tumoris exiſtimavit ruptionem vel vaſorum, vel læſionem viſcerum, utpote, cùm vaccam mulgeret gravida, nec vas lacte plenum præ pondere elevare commodè poſſet, punctorium dolorem in ſiniſtro latere ſuper inguen juxta umbilicum derepentè percepit, nulla lochia poſt partum ſubſequuta ſunt, edit nihilominùs, & bibit, & dormit modicè. Tumor ad tactum renititur, venter murmurat, quaſi flatus inibi contineantur; intùs ſumpſit à me ſpiritum ſalis armoniaci, rob Ebuli, decoctum aperitivum, & alia medicamenta, quibus plures fœminas, & nuper quoque uxorem Coriarii in pago Tellickon, ab aliis derelictam hydropicam, benedicente Deo, reſtitui, ſed diuturnitate curæ & metu mortis pertæſa Balſamum Sulphuris à circumforaneo commendatum intùs & foris adhibuit, atque ita brevi vitam finivit.

### *SCHOLION.*

HYdropis genera multifaria in Praxi mea obſervantur, aut enim habitus corporis univerſi, aut abdominis, aut pectoris, aut capitis, aut uteri, aut ſcroti, aut alterius partis cavitas, aquâ præternaturali, vel flatibus, aut ſarcomate quodam turget: Haud rarum eſt cachecticas mulieres impraegnari, iisque poſt enixum fœtum hydropem ſupervenire; uteri flatus & tumores fœminis, ac ſi gravidæ eſſent moleſti ſunt, qui flatû elisô ſubſident, ut conceptûs ſpes vana fiat. Conceptiones

ptiones hujusmodi falsæ perquam vulgares sunt: Molæ quoque obſervantur veſicariæ. Rarum verò & inauditum hydropis genus in dextra virginum tuba ſubinde notatur, quod nobis deſcripſit & depingit Joh. Mey Amſtelodamenſis Batavus, cujus iconem cum hiſtoria huc inſerere operæ pretium judicavi:

*Corneliæ Niocolai*, virgini pauperculæ adversâ valetudine aliquamdiu uſæ, cepit abdomen intumeſcere Anno 1660. à quo tempore tumor paulatim & ita increvit, ut præ pondere decem & octo annis moleſtiſſimè vixerit, antequam miſeriarum ſuarum invenerit finem: quem tamen circa annum ætatis ſuæ quadrageſimum tertium adepta, fecit nobis copiam inſpiciendi miſerrimum ſuum cadaver, in quo Anno 1678. 17. Junii ſt. v. coràm Med. & Chirurgis, ſequentia demonſtravimus: Totum corpus quodammodo erat emaciatum, ſed abdomen in tantam molem excreverat, ut reliquæ partes vix conſpicerentur, & ferè à nemine, qui demonſtrationi non adfuit, concipi queat. Apertò abdomine nulla aqua effluxit, ſed omnis continebatur in dextra uteri tuba, & quidem ſolummodò in ejus parte, juxtà teſticulum, nec non in ligamento lato; eaque ab aquarum copia ita erat dilatata, ut inflicto parvo vulnuſculo centum & duodecim libræ effluxerint. Aqua hæc erat lympida, fontanæ adinſtar, ſaporis ſubſalſi. Subſtantia, in qua continebatur, craſſitiem habebat ſemidigiti: externæ ſuperficiei multæ veſiculæ aquoſæ, nec non portiones adipoſæ plurimæ adhærebant. In latere oppoſito, eodem in loco tumor conſpiciebatur tenax, continens in ſe purulentam, fungoſam cartilagineam viſcidam, & neſcio quam putridam materiam, nec non plurimas hydatides, ultra decem libras pendens: cujus externæ parti adhærebat alius tumor, magnitudine duarum palmarum ſibi invicem complicatarum, flavus, mollis, friabilis, materiam continens purulentam caſei putrefacti adinſtar. Teſticulus erat mediocris magnitudinis, at dimidia ex parte corruptus. Uterus tamen

naturaliter erat constitutus, & decentem habebat magnitudinem, atque in ejus cavitate, ne guttula quidem aquæ conspiciebatur. Meatus ex utero, tubas spectantes, erant aperti, ita ut liberè, & sine ullo impedimento ex utero in tubas utrasque stylus penetrâret, usque ad tubarum medietatem, ultra quam progressus nequaquam concedebatur. Hepar extrinsecùs erat fœdi coloris, & multis hydatidibus obsitum, quarum aliæ ovi columbini, aliæ ferè ovi gallinacei, aliæ minoris erant magnitudinis: quibus tamen non solùm hepar, sed etiam aliæ in abdomine partes scatebant: interior hepatis substantia satis sani, & rubicundi coloris conspiciebatur. Lien similiter benè erat constitutus. Ventriculus ad minimùm naturali quadruplo major apparebat, quem non aperuimus ob magnum fœtorem: intestina erant atri coloris & sphacelata: pertusum diaphragma, rubicundi humoris copia cum impetu effluxit: Cætera ob magnum fœtorem non inquisivimus, quæ omnia ex adjuncta figura meliùs intelligi poterunt: Vide Fig. XXVIII.

A. Ventriculus naturali quadruplo major.

B. Lien. C. Hepar multis hydatidibus scatens. DD. Intestinum Colon. EE. Intestina tenuia ad latus flexa. FF. Arteriæ magnæ truncus. GG. Venæ cavæ truncus. HH. Venæ emulgentes. II. Arteriæ emulgentes. KK. Renes: LL. ureteres abscissi. MM. arteriæ spermaticæ. NN. Venæ spermaticæ. OO. arteriæ iliacæ. PP. Venæ iliacæ. QQ. uterus secundùm longitudinem divisus. R. uteri fundi cavitas. SS. tubarum principia naturaliter constituta. T. obstructio in tuba dextra, ubi maximus ille aquarum tumor initium sumebat. V. ipsa tuba dextra copiosissimâ aquâ referta. aaaaa. vasa sanguinea valdè distenta, & per superficiem tubæ dispersa. bbbb. hydatides diversæ magnitudinis. cccc. portiones adiposæ extrinsecùs tubæ adhærentes. W. locus apertionis è quo aqua magnâ vehementiâ profluxit. d. testiculus dexter. e. dextræ tubæ fimbria. X. sinistræ tubæ magnus, purulentus, & fungosus tumor. fff. vasa sanguinea per superficiem tumoris dispersa. ggg. aquosæ ve-

siculæ




Annus II.

ſiculæ diverſæ magnitudinis. h. teſticulus ſiniſter. Z. alius tumor mollis, & putridus ſiniſtræ tubæ adhærens. i. portio ligamenti uteri lati. kk. ligamenta uteri rotunda. l. cervix uteri. m. internum uteri oſculum. n. rugoſa vaginæ uteri ſubſtantia.

Hujusmodi tumoris genus fuiſſe reor in *Filia Herlibergensi* noſtrate, obſtructione menſium per aliquot annos laborante. *De Muliere hydropica*, cui abdomen fuit plenum tumoribus, & uterus à me diſſectus tuberoſus, vide Parergon Sextum Nobiliſſimi Pythagoræ noſtri, Anno 1681. Genevæ cum icone impreſſum.

*Sub cura mea fuit matrona* nobiliſſima XLVIII. annorum, quæ circa initium anni 1680. obortâ lumborum laſſitudine, & repetitis per vices rigoribus, concepiſſe ſibi imaginata eſt, ferè namque per integrum annum venter intumeſcere cœpit, cum motu ſenſibili, medio geſtationis tempore percepto; totô hoc tempore nîl moleſtiarum perſenſit, niſi quòd ſomnus ob lumbos dolentes interruptus fuerit, & menſe ſexto aquæ copioſiùs utero extillârint. Abſolutô ſtatô pariendi tempore, videlicet Novembre anni octuageſimi, dolores partus inſurgebant, quaſi Infans ad exitum promoveretur, ſigna omnia inſtantis partûs aderant, mammæ turgebant, liquores iterum copioſi utero ſecreti ſunt: obſtetrix cum adſtantibus purſionem exſpectabant, at eventu lugubri, nihil enim præter aquas ſecretum fuit: tertiâ tandem vice, quadrageſimâ quintâ hebdomade cum doloribus magnis liquor prorupit, niſus hos impendebat ſtrenuè, quoties autem aquas has evacuavit, lochia quoque fluxêre copioſa, ſed ventris tumor idem permanſit: anno octuageſimo primo circa pentecoſtem in æſtate thermis Badenſibus uſa, ventrem aliquantum detumuiſſe percepit, remanente motu in utero, quaſi infans ſeſe volutâret, motus hic in ſiniſtro quàm dextro latere magis ſentiebatur: exhibui ſal volatile oleoſum Sylvii, & Balſamum Embryonum, nihilominus dolor lancinans in imo ventre ſingulis

mensibus ingravescebat: destiti ab illorum usu, tum menstrua tertiâ quaque hebdomade redierunt absque dolore per tres menses, inde substiterunt per duos menses, incipiente autem mense tertio in fine Martii anno 1682. tanta vis sanguinis elisa est, undecim integris diebus, cum passionibus hystericis, cardialgiâ opprimente, vomitionibus, alvi adstrictionibus, spasmo in articulis, ventris & lumborum dolore lancinante, & tandem sudoribus, cum mortis metu singulis vel quatuor septimanis per paroxysmos repetentibus: finitô paroxysmô, lassa jacet, appetitu prostratô, ructibus, siti, insomniis, somno interrupto, ardore lumborum, palpitatione & tremore cordis: furori huic tandem obviam itum est Diaphoretico Jovis: speciebus Diajovis Mynsichti, omissis menses nimiùm moventibus, Pulvere Marchionis, Cinnabari, & thermis Badensibus, interim semel sepulchrô, lapide contectô insidens in templo, paroxysmum iterum accersivit: Sed utinam sale volatili oleoso semper perrexisset ægra, atque usum propriorum medicamentorum, quos parare novit, neglexisset, citiùs restituta, & uterus ejus ad gerendum fœtum meliùs dispositus esset: tantùm enim abest, quod Apollo Medicorum nostratium mihi objecit, ut salibus volatilibus urinosis & oleosis lympha furiosa fiat, & acuatur, ut iis potiùs blandè contemperetur, particulis acribus intemperatis per urinam expulsis: Horum medicamentorum virtus in hydrope, in uterino spasmo, inflationibus & sexcentis aliis mulierum malis tantùm non divina censeri consuevit.

*Erat & alia fœmina*, quod mihi Excell. Wepferus communicavit, ætatis annum 33. agens, staturæ brevis, habitu corporis gracilis, pallida, melancholica. Virgo inordinatos, & sæpè suppressos menses habuit, maritata septies mater facta, semel abortum tredecim septimanarum passa. Puellam ultimam lactavit aliquantisper, quæ sponte sua semet ablactavit, lac penitùs aversata, ejulans quoties mammis admovebatur Julio mense. Cùm se per septimanas tredecim jam gravidam putâsset,

tâsset, menstrua fluere cœperunt: primùm ordinarium fluxum non magnificit, at postquam & diutiùs & copiosius fluere cœperunt, lecto affigi cœpit, adeò ut aliquot septimanis, ne per horulam extra lectum perdurare potuerit. Vomuit creberrimè assumpta alimenta & medicamenta: cardialgia molesta erat frequens, non continua, sed per vices rediens, nullâ certâ periodô, utplurimum tamen assumptô cibô: verebatur perpetuò lipothymiam, quæ tamen nunquam supervenit: sitiit semper præter consuetudinem: medicamenta varia præscripta sunt ad enormem compescendum fluxum: data Rosarum Conserva cum lapide hæmatite; pulvis item hæmatitis: pillulæ de cynoglossa, Bolus armenus, flores balaustiorum: potus erat ex aqua equiseti, decocto centinod. perfoliat, & emulsione amygd. paratus, gelatinas harum viribus imbutas comedit: Exteriùs unguentum Comitissæ, nutritum, cum bolo armeno applicatum omnia frustra. Tandem medicamenta aversari cœpit interna, præter decoctum centinodiæ, & amygdalarum dulcium emulsionem, idque per dies quatuordecim: assumpta enim insipida statim revomuit; primo Septembris manè venæsectionem administratura extra lectum valdè tremere cœpit, mox omnia evomuit: (molam veritus sum, quia septimanâ tertiâ frustum instar portionis hepatis uterini exclusit) vesperi dolores partûs in dorso & ventre oriri cœperunt; circa horam quintam decem sibi cohærentes vesiculas aqueas acinorum uvarum mediocrium magnitudine: brevi post ingentem numerum harum vesicularum densè sibi conjunctarum cum hepate uterino exclusit, credidi ultra libram semis pependisse omnes cum hepate. Aderat verum hepar uterinum, ut fœtui viginti quatuor septimanarum, cum chorio, in quo continebantur vesiculæ hæ magno numero, velut acini uvæ mediocris, pisi, lupini, ciceris, & minoris magnitudine, ferè rotundi: omnes sibi cohærentes densam uvam referebant, continebant humorem limpidum instar crystalli, duæ etiam juglandis magnitudine liquorem flavum, insipidumque

dumque continebant: per medium ferebantur vasa sanguinea in varios ramos dirempta, qui surculos impertiebant vesiculis singulis. In partu chorion ruptum credo, putoque tantoperè menses fluxisse, quia uterus plus alimenti attraxerat, quàm vesicæ requirebant. Aliâs gravidæ umbilicus prominuit, quod hac vice non factum; die 20. Augusti ante excretionem venter subitò elevatus fuit, ante vix major naturali, de latere in latus instar saxi movebatur. Molæ latitudo palmam excedit: crassities palmam superavit, longitudo autem tres palmas. Excretis vesiculis cardialgia & vomitus cessârunt, meliusque habere cœpit. *Simile exemplum* nuper in Pictoris G. uxore animadverti: Horum annorum XXV. die decimo septimo Januarii hujus anni conquerebatur de capitis dolore, siti, & matricis inflatione, præcedente autumno abortum se passam esse molæ cujusdam informis, quam per quatuor menses utero gestârit. Inde lochia per mensem fluxerint, hinc mox substiterint, moxque redierint, usque in hanc horam, sanguis autem carnium loturam referebat, magnum capitis dolorem semper sustinet, & vomitum perpetuum, oppressionem cordis, & animi defectiones, quæ cum vertigine & horrore incipiunt, insomnia adsunt, & melancholia uterina: die XXI. Januarii noctu abortivit molam carneam semipalmarem pluribus fibris persperſam, cum sanguinis fluxu copioso: circa molam undique hydatides ovales conspiciebantur, neque vestigium infantis ullum aderat, sed informia cuncta; hydatides autem omnes lymphâ coagulatâ plenæ fuerant, & fibris sanguineis perfusæ atque in racemo quasi dispositæ.

Nunc ad propositum redeo, & dico; serum à sanguine dissoluto ex venis & arteriis, osculis earum, ponderis elevatione adapertis, vasisque lymphicis ruptis, aut erosis in Abdominis cavitatem, vel aliam corporis partem exsudâsse; enimverò, fit hoc, vel cùm ex vitiosa Diæta, nimia vini, & præcipuè spiritûs vini ingurgitatione, vel alia quadã de causa sanguificatio læditur, & loco boni sanguinis aquosus & serosus gignitur, nam,

nam, quia serum cœteris sanguinis partibus minùs arctè junctum est, idcircò facilè & minimâ quâvis occasione ab ipsis secedit, unicô sudoris exemplô, qui laxè dispositam sanguineam massam prærequirit. Insuper hoc contingit, si tumores scirrhosi, ganglia, tubercula, aut aliæ quædam obstructiones, vel concretiones p. n. circa mesenterium, lienem, hepar, uterum, pancreas, aut alia imi ventris viscera excitantur; dum enim istis in locis Circulatio sanguinis impeditur, ut cruor per arterias vectus quoquo modo reduci queat, pars serosa è consortio ejus expressa in cavitatem decidit, vel hydatides efformat, hujus rei experimentum vide in Lowero, mihi olim amicissimo, tractatu de Corde, capite 2. item Willisii Pharmaceut. Rational. part. 2. sect. 2. cap. 3.

Balsamum verò sulphuris exacerbavit lympham sive serum & ad salsedinis gradum altiorem evexit, sitimque ægræ excitavit; si causa mali hujus cachexia, & depressæ in sanguine balsamicæ particulæ extitissent, non ita nocuisset hoc medicamentum, sed quià à ruptione alicujus vasis lymphici id evenit, meritò accusandus & circumforaneus ille, qui causam morbi ignoravit, & supra eandem formam plures calceos parare studuit.

## OBSERVATIO XCVI.

### D. JOH. de MURALTO.

# Puella chlorosi & vermibus laborans, hellebori albi infusô haustô, mortua, & ob graviditatis suspicionem à me dissecta.

B. T. Puella XXX. annorum, menstruis per aliquot menses deficientibus, multum dormituriit, lassata sitivit, præcordiorum pressionem sustinuit, venter indies increvit: Usa medicamentis chalybeatis & matrici dicatis,

dicatis, sæpius lumbricos dejecit, & in alvo magno cum prurìtu ascarides sensit, tandem cùm spatio octo hebdomadarum ab his reptilibus liberari nequivisset, moræ pertæsa, à Rhizotomi uxore E. K. radicem hellebori albi pro solido emit, & per totam noctem Vini albi cyatho infudit, infusum manè jejunô stomachô tepidè hausit, post horæ quadrans sequebatur singultus, strangulatio circa gulam, cum anxietate & incendio circa præcordia, fortibus & frequentissimis sternutationibus, cum vomitu, spasmo, & convulsionibus, quæ neque Theriacâ, neque Diascordio, neque Confectione hyacinthorum, neque clysteribus, neque aliis cardiacis, vel opiatis mitigari potuerunt, sed circa noctem duodecim horarum spatiô, misellam morti tradiderunt.

Apertô cadavere, Ventriculum sero turgidum, & intestina flatibus distenta inveni: nigræ præterea maculæ cum corrosione in ventriculi tunica interiore reperiebantur: Omentum corruptum & lacerum erat. Thorax aquâ repletus, pulmones sero scatentes, spongiosi nigricantes, cætera verò sine labe reperta fuerunt.

## *SCHOLION.*

TAntâ opus est in benè facienda Medicina prudentiâ, ut persæpè etiam in Arte celebrioribus absque scrupulo & errore in eadem pergere sit difficillimum, nedum in Arte peregrinis, imprimis verò Empiricis atque mulierculis, quæ vel unicâ Receptâ omnes curare morbos, ceu unico calopodio omnes pedes adaptare student, tamq; enormiter hallucinantur, ut miseri de vita periclitentur. Similiter & hi peccant, qui corpus suum hujus farinæ hominibus concredere non verentur: Utrique non perpendunt æquâ animi lance, fortiora purgantia sinistrè exhibita naturam hujusmodi Veneni induere, quod mortales in gravissimos morbos præcipitare, & morti tradere valeat, id quod experientia quotidiana evincit. Quare Magnificentissimus noster Magistratus perquàm prudenti decreto, solitam antiquitatis consuetudinem observans, & præparationem & admini-

administrationem Pharmacorum pro ægrotis concivibus, Medicinæ Doctoribus ipsis commisit, ut majori religione tractarentur & conservarentur ægroti, variaque experimenta observarentur, & omnis generis salutaria remedia excogitarentur. Attamen, cùm plerique ægrotorum perpaucos in Sanitatis Custodes Medicos erogare nummos satagant, seséque invicem consiliis communicatis erigere studeant, & libertate undecunque accipiendi medicamina in Patria fruantur maximâ, nec non Medicis ipsis cuncta ex voto haud semper succedant: cùm è contra aliquæ Empiricorum Medicinæ effectum desideratum edant; fit, ut etiamnum tam audaces reperiantur complures, qui vel tartareâ temeritate noxia pro salutaribus, & pro antidotis venena propinent, id quod graviter serò sapientes luunt.

Ægra nostra cachectica fuit, & sanguinem fovebat subpallidum, cujus sulphur à serosis particulis obtundebatur, uterus verò viscositate & pituitâ fartus, menstrua non reddebat, ut hinc factâ regurgitatione ad habitum corporis, oppressio cordis, membrorum languor, somnolentia, sitis & tristitia oborta, quinimò insecta illa in corpore suscitata fuerint, atque venter in altum increverit, nullâ (quod ex sectione demonstratum) graviditate præsente.

Assumpsit infusum Hellebori albi: Radix hæc saporem habet acrem, igneum, partiumque tenuissimarum est, & magnâ copiâ salivam elicit, gulam contrahit, os cum calore exsiccat, & hinc violenter purgat per superiora, aliquantum etiam per inferiora. Vis hujus radicis usque adeò stringens est, ut instar laquei collo inducti, suffocet, omnemque universi corporis humiditatem in ventriculum abripiat; fibris quoque, nervis, atque membranis, septicâ suâ & erodente qualitate tam infensa sit, ut spiritus animales in iis contremiscant, horreant, & quam inhabitant molem, stringant, sternutationes, motus convulsivos, ac spasticos causentur, & veluti fermento labefactati, in proprio suo motu vel etiam sanguinis circulari, subsi-

ſtant, ſufflaminentur, vel cum vita è corpore migrent. Si verò minore ſumatur quantitate hæc radix, tantas quoque vires non exerit, ſed ventriculo labem inurit, quà ægrotantes perpetuò ſpuere coguntur; neque cibos amplius hi benè concoquunt, circa præcordia premuntur, & aliquot poſt paſtum horis ebullitionem in hypochondriis perſentiunt, ac vel nullô molimine alvum liberam tenent. Extractum hujus radicis conveniente doſi exhibitum, hyſtericis mulieribus perſæpè ſymptomata Epilepticorum concitare, ructus atque ſingultus frequentes edere certum eſt.

Venenum hoc nihil aliud eſt, quàm vis in hellebori radice ſepulta, vitalibus & animalibus ſpiritibus ſingulariter noxia ac vitæ animalis totâ ſubſtantiâ diſſimilis, & deleteria, ac ſicuti & cætera purgantia agit irritatione ob acrimoniam ſalino-ſulphuream, magis vel minùs volatilem, patentem vel latentem, non fermentatione ſolâ; Liquant verò & fundunt Purgantia humores promiſcuè, naturam ſtimulant, ut collecti, & adducti excernantur, ſicque non Helleborus tantùm, ſed & Colocynthis, & Scammonea, & Eſula, & Thymelæa, & Gratiola, & Jalappa, & Ranunculus & Aconitum, igneam hanc vim, niſi præparentur, induere queunt, prout à ventriculo actuetur, vel alio modo intendatur. Irritatio hæc venenata non à *primis* elementorum qualitatibus, ſed ab idioſyncraſia dependet, quæ in eſſentia corporis univerſi reſidet, & ab aſtris, ſicuti & noſtrum temperamentum ſpecificum dirigitur; Lumen enim noſtrum, ignem lucidum, venena ſpiritibus ſuis, & exceſſivâ igneâ ſalinâ, interdum corroſivâ & colliquativâ facultate, dum ſpirituum pingue oleoſum & ſulphureum in ſeroſitates reſolvunt, & in liquamen atque putrilaginem transmutant, extinguunt: Partim etiam igne ſuo frigido, ſpiſſo, tenebricoſo vitam obruunt, qualia ſunt ſoporifera, narcotica, papaverina, opiata, intybacea, cichoracea, & omnia fermè quæ ſunt lacteſcentia, Cicuta, Hyoſcyamus, Solanum, Mandragora, Datura Turcarum &c.

Quæri-

Quæritur hîc an Doronicum quoque sit ex genere Aconitorum, & hominibus temerè, sicut & helleborus propinandum? Respondeo, quæstionem hanc è vexatissimis esse, & dissentire admodùm Doctores, alii enim negant, alii affirmant. Inter illos sunt *Matthiolus in edit. Germ. Gesnerus l. de Aconito, Pena in Adversf. Camerarius, Julius Alexandrinus, Lobelius; Collegia: Bononiense, Amstelrodamense, Londinense, Lugdunense Gall. Antverpiense, Cordus in Dispens. Norimbergensi*, qui omnes indemne esse Doronicum affirmant, & in Diambra Mesuæ, & aliis Confectionibus, ut Elect. de Gemmis & Aromat. recipiunt. *Schröderus* etiam *Pharmacop. Med. Chymica lib. IV. c. 128.* vim Doronico Alexipharmacam tribuit. Contra inter affirmantes sunt præter *Cortusum* & *Joh. Bauhinum*, qui experimentum in cane fecit, *Maranta*, qui primus radicem Doronici accusavit *1. Meth. 11.* si credimus *Hofmanno de Med. Off. 11. 4. 5. p. 11. Aldrovandus* & *Matthiolus*, qui *p. m. 763. ed. Bauh.* Doronicum dæmoniacum vocandum esse dicit. Hic tollendus est *Joh. Bauhino* scrupulus, qui quærit *L. XXV. Hist. Plant. p. 17.* quur *Matthiolus* sibi sit contrarius? faciam id verbis Ill. *Hofmanni* l. c. *Matthiolus abinitio quidem acriter se opposuit, sed demùm consensit, partim Corthusi motus authoritate (qui Patricius Patavinus erat) partim experimento. Occo in disp. Aug.* pro Doronico interdum Galangam substituit. *Joh. Bauhinus l. c.* mavult cum *Avicenna, Fuchsio, Collegio Florentino, Gesnero, Camerario, hort.* & aliis pro Doronico Caryophyllorum dimidium substituere, aut Rutam, aut Aristolochiam, quâm Doronicum nostrum pro veterum Durungi usurpare. *Collegium* quoque *Ultrajectinum* in Diambra Mes. rad. Doronici omittit. Itaque si authoritatibus certandum sit, non desunt, quibus utraque pars sese defendat, *Magni Viri*. Sed antequam quicquam ego determinem, monere debeo, multa esse Doronica, & primò scire licet, non esse nobis sermonem de * Doronico Plantaginis folio C. B. quod Rusticorum ferè Theriaca est, atque Panacæa, quo de videatur *Schröderus* sub Lupilagine, vel Lagea Lupi: sed lo-



* *Vid. Eph. 9. 10. obs. 11. Arnica.*

quimur de Doronico vel rotundo vel oblongo folio, vel Romano, sive scorpii radice. Horum enim virtutes similes esse puto. Sed utut esset indemnis hæc radix, tamen quia tot Authores gravissimi contradicunt, non puto in Alexipharmacis locum habere posse. Id enim agendum est, ut tutò curemus. Tutò autem non curamus, nisi medicamentis utamur, quæ à calumniis libera sint, & experta. Experta verò non sunt, quorũ non est experientia infallibilis. Hujus autem radicis talem non esse, ab ipso *Gesnero* probat *Hofmannus*, *scio*, inquit, *Casp. Wolfium in Orat. de Obitu Gesneri scribere, Peste esse mortuum. Sed manum mihi injicit Costæus in Elect. de Arom. Mes. esu hujus radicis periisse;* quâ de re vide ulterius *Hofmanno* notata, & allocutionem ad *Gesneri* Manes. Quamvis igitur dicat *Schröderus*, quòd Moderni *Matthiolo* non subscribant, sequendum tamen est, non quod fit, sed quod fieri debebat. In rebus ejusmodi ambiguis præstat substituere certa, de quibus nemo litigat, quorumque non minor est efficacia. Hæc mea de Doronico est sententia, nec quicquam moror, quòd *Dodonæus hist. stirp. p. 438.* nonnullis tantùm animantibus exitialem esse dicat, uti canibus, hoc enim satis certum & compertum esse ait, Homini verò salutarem esse. Hoc probat, quia radice absque noxa hactenus utimur in officinis, ingreditur enim Diambram Mes. Diamargariton calidum Avicennæ, ex quo tamen Fuchsius expunxit, Diamoschum dulce & amarum Mesuæ, Electuarium de Gemmis Mes. Confect. Liberant. Incerti, Electuarium lætificans Rhasis, Philonium Persicum Mes. Esdræ antidotum ex Actuario, ubi Mamœræ loco Doronicum Romanum sumere jubet *Cordus*. At verò respondeo *Dodonæo*, ab usu illo officinarum non posse probari Doronici salubritatem, cum aliis enim plurimis miscetur, & exiguâ satis dosi: oppono verò ipsi certius experimentum, quod in canibus sumitur, & *Gesnerus*, si verum est, in se ipso suo damno verum deprehendit. Si certam ejus experientiam habere cupimus, sola hæc radix erit propinanda. At, quis tentabit, si non ligna vel lateres, ut inquit

*Galenus*

*Galenus in Aphorism. 1. I.* curamus, sed homines, Templa Spiritus Sancti, ut *Apostolus* ait. Sanè si videas canem tolli, an adeò audax quis erit, ut homini temerè propinet! verbo: Abeat Doronicum ad Garamantas & Indos!

Novi tandem Medicos & Chirurgos quosdam, qui Nucem vomicam (Krä näuglein) contra quartanam cum gentianæ radice aliisque mixtam exhibere non dubitant, Experimenta varia in animalibus facta, imprimis Majorum meorum venerandorum, piæ memoriæ, parùm attendentes. Ita enim *Conr. Gesnerus* noster ad *Johannem Bauhinum* 11. Febr. Anno 1564. scribit, ut videre est in Epistolis *Gesneri* à *Casp. Bauh.* editis:

*Joh. Jacobus Muraltus F. cùm Badæ nuper esset, in meam gratiam varia venena experiri voluit in canibus, sed reliqua ferè nihil eos affecerunt. Nucis vomicæ autem* ℈ß *tantùm, cùm dedisset cani in carne cruda, post horæ quadrantem canis obdormiit, & inter dormiendum modò caput movebat, ac si convelleretur, modò tibias anteriores, modò posteriores, tandem post horas quatuor extinctus est. Tum rursùs alteri Cani idem venenum similiter dedit, & tres ferè horas post, cùm vehementibus Symptomatis corriperetur, Antidoti Saxonicæ meæ Drachm.* ß. *cum carne cruda exhibuit (quam aliquandiu quidem canis accipere detrectabat, sæpius verò, & subinde oblatam tandem admisit) non est autem mortuus, quòd sciat, nam post horas quatuor rectè ambulantem eum vidit. Hinc & narcoticam esse Vomicam nucem vulgò dictam, & vel opio deteriorem apparet &c.*

## OBSERVATIO XCVII.
## D. JOH. CONRADI PEYERI.
# De Ciconiæ ventre, & affinitate quadam cum ruminantibus.

CUm subcisivas horas omnes merycologiæ nunc impendam, cujus sciagraphiam Ephemeridum anno I. Decu-

riæ secundæ inservi, veniam dabunt symmystæ, si parciùs impertio, quæ ad augendas ac exornandas Ephemerides quoquomodo faciunt. Illic sanè compensare studebo quidquid hîc tempus me deficit, minimè voluntas. Experimentis quæ ad illustrandam historiam de ruminantibus & ruminatione requiruntur intentus, præterita æstate Ciconiam inter alia dissecui, quòd apud *Ælianum* legissem id animalium genus pullis suis antea deglutitum cibum refundere, quæ actio mihi affinitatis plurimum habere videbatur cum ruminatione, atque etiam differre ab eo quod columbæ factitare consueverunt, pipionibus suis escam reddentes: namque ingluvies est columbino generi, triplici anfractu insinuata, qua ciconiæ penitùs destituuntur, utpote quibus etiam *Fabricius ab Aquapendente* ventriculum unicum tribuit. Igitur re inspectâ, & gulam valdè amplam reperi, & ventriculum in alvo vastum ac planè carnosum atque callosum, aliter tamen configuratum quàm anseribus & gallinis, è quarum ventre nihil potest vomitu aut aliâ ratione sursum expelli, ob musculorum & callorum pertinaciam & conjunctionem arctissimam. In ciconiæ ventre laxiora erant omnia, & fibræ carneæ robustissimæ ac penitùs musculosæ utrinque ex intermedio centro angulosо excurrentes in amplum orbem conjungebantur, superstite insigni cavitate ad escam recipiendam. Fibris istis se repentè constringentibus fieri omninò potest, ut per gulam iterum ejiciatur, quidquid fuerat ingestum cibi. Exstat & aliud singulare naturæ artificium, limbus nimirum aut valvula rugosa propè pylorum, ita connivens, ut dum venter fortiùs commovetur, præcludendo caveat, ne quid crassamenti impetuosè ad intestina penetret. Ante ventriculum in stomacho obversabatur sinus ille glandulosus, quo volucrium plurimæ gaudent, succum fundente instar fermenti efficacem ad resolvenda alimenta. In ventriculo nihil præter scarabæos & cantharides devoratas reperi; succus autem glandularum stomachicarum penè croceus erat ac turbidus. Non ignoro Excellen-

F. 36. p. 208.

cellentissimum *Joh. Jacobum Wepferum nostrum* de ciconiæ ventriculis Ephemeridum Decuria I. Anno II. Obs. CCLI. curiosa multa literis consignasse, at neque hoc, quantulumcunque est, superpondii ingratum aut incuriosum fore confido, cui iconem, quæ adhuc desiderari posse videbatur, adjungere libuit; ubi A. gulæ abscissæ portionem denotat, B. bulbum stomachi glandulosum, glandularum basibus orbicularibus transparentibus; CCC. ventriculum ipsum, ovi formâ, fibris carneis tanquam radiis undique à centro ad circumferentiam deductis: D. Centrum angulare nerveum, seu tendo, cui ex adverso alius intelligatur oppositus. E. pylorus cum intestinorum principio.

## OBSERVATIO XCVIII.

## D. SAMUELIS LEDELII.

*De*

# Cerva Cornuta.

CUriosè dum perlegi Observationum Curiosarum Annum 9. & 10. offendi, quod Excellentissimus Dominus Langelottus Observ. 88. adduxit Cervam cornua habentem. Id uti oppidò rarum & singulare est, ideo quid in hocce passu legerim, adducere operæ pretium esse duxi. Colerus lib. 14. Oeconom. de Venation. cap. 35. ubi agit de Cervo & ejus natura, hoc habet, id quod ejus verbis Germanicis hîc exhibeo. Johannes Langius schreibet in seinen Epistolis Medicinalibus daß ein Marggraff zu Baden eine Hinde oder Hirschin gefangen / welche Hörner oder Geweyhe gehabt / und dieselbe Hörner hab er dem Könige aus Franckreich verehret / und der König habe sie auch in seinem Garten inwendig nicht weit von der Thür an die Wand annageln und auf ein Täfelein die Zeugen darbey schreiben lassen / so über und bey dieser Jagt gewesen und es selber mit angesehen haben. Quod non una eademque fuerit cerva, circumstantiæ explanant,

explanant, ideò roboratur adducta Observatio, celeberrimique Morhofii Elegia & huic applicanda cervæ.

SCHOLION.

LOcum hunc in *Joh. Langii lib. 1. epist. med. 70.* in qua de varia stirpium, frugum, animalium, & humani sexûs metamorphosi agit, invenio; Locum integrum adnotâsse huc, è re præsenti fore, arbitratus: *At illud majori admiratione dignum, in utero cervi, quem Illustriss. Princeps Henricus, Comes Palatinus, propè Oelvvangh ceperat, cornigeri dum evisceraretur, repertum fuisse hinnulum, membranulis circumseptum. Cervos quosdam naturam sexûs variare, cornua, virilia cervorum arma, attestantur, quæ cervos quandoque gestare observatum est: quali Marchio quidam Badensis olim capta, ejus cornua Regi Gallorum dono miserat, quæ Ambasi in Regio horto prope januam interiorem parieti affixa, subscriptis in tabella testibus, qui venationi interfuerant, cernuntur.* Quod cùm Naturæ saltem lusum innuat, sexûs mutationem, quam præfatus clar. Autor ostendere hîc conatur, non evincere, obiter notare adlubescit. Conferantur, quæ simili de materia *Vlyss. Aldrovandus in lib. de quadruped. bisulc.* protulit.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

OBSERVATIO XCIX.

D. BENJAMINI SCHERFII.

De

# Lactis copiosa quidem & diuturna è mammis mulieris gravidæ, at innoxia effluxione.

QUamvis *Hippocrates* V. Aphor. 52. expressè pronunciet, ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει, ἢν δὲ στερεοὶ οἱ μαζοὶ ἔωσιν, ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει; Novimus tamen mulierem primariam 28. annorum plethoricam & primiparam, cui à quinto con-

conceptionis mense usque ad tempus partus singulis diebus maxima lactis copia è mammis sponte effluxit, ita, ut quantitas effluentis lactis ℔ iß. quotidie non solùm æquaret, sed per continuum hunc lactis effluxum mammæ etiam satis extenuarentur, salvo tamen & robusto permanente fœtus motu. In consilium vocatus effluxum hunc à nimiâ tàm sanguinis, quàm alimenti copiâ provenire arbitratus sum, ideoque, ne fœtus à nimiâ sanguinis copiâ obrueretur & suffocaretur (sicut in diversis gravidis mulieribus plethoricis, quarum fœtus à nimiâ obruente & suffocante plethorâ ob repudiatam & aversatam Venæsectionem fuére extincti, observari licuit) mulieri huic autor fui, ut sanguinem per sectionem Venæ Medianæ in brachio detrahi patiatur, quam etiam ternis repetitis vicibus in utroque brachio institui & singulâ vice ℥vj. sanguinis detraxi, quo facto effluxus ille nimius, adhibito insuper victu tenuiori, conductisque in auxilium ligaturis partium inferiorum adjunctoque modico corporis motu, non penitùs quidem evanuit, ad ℔ß. tamen remisit & in hâc quantitate usque ad tempus partus perseveravit, quo elapso fœtus satis robustus & perfectus est subsecutus in hunc usque diem superstes.

*SCHOLION.*

Simile abundantis in prægnante lactis exemplum recenset Exc. *D. Vit. Riedlinus in Centur. Obs. 100.* Cui imprimis addendum, quod Nob. *D. Hannemannus in Vol. 3. Act. med. Hafn. Barthol. Obs. 16.* notaverat, in paupercula, pane licet atro solùm vesceretur, undamque biberet, observatum; & superioris decuriæ anni 6. & 7. observ. 70.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO C.
## D. BENJAMINI SCHARFII.
# Aquæ ex utero prægnantis, II. ante partum mensibus quotidianus quidem, at innoxius effluxus.

Humorem, qui aquæ ad instar paulò antè partum ex utero prægnantium, ad lævem, lubricam & facilem viam fœtui per uteri collum exeunti parandam, effluere consuevit, in membranâ fœtum in utero immediatè cingente, amnios dictâ, contineri, inque eô fœtum, ferè natare notissimum est. Humor hic naturaliter non effunditur, nec continens ejus rumpitur, nisi partu instante & fœtu membranas se involventes lacerante. Præternaturaliter verò nonnunqnam contingit, ut membranæ fœtum in utero continentes variis ex causis vel rumpantur, vel nimiùm quantùm dilatentur, ita, ut per eas humor ille inibi contentus vel subitò & copiosè in disruptione, sensim verò & paulatim factâ dilatatione ex utero profluat vel destillet; Quod si contingat, malum utplurimùm signum vel partus laboriosi, vel fœtus imbecillis & ægrotantis, aut planè abortus futuri à Medicis habetur. Mulierem tamen hic locorum novimus, cui duobus ante partum mensibus singulis diebus aqua sensim ex utero effluxit, unde perterrita consilium petit. Quamvis verò dubiam proposuerim prognosin, malumque vulgò haberi signum hunc multo ante partum tempore contingentem effluxum monuerim, bonâ tamen spe eam erexi, cum aqua jam dicta non confertim ex utero proruat, sed paulatim & sensim destillet, sicque dilatationem potiùs, quàm ruptionem membranarum fœtum cingentium denotet; Ut tamen non bonâ solùm victûs ratione, verùm etiam internis externisque fœtum roborantibus medicamentis (licèt fœtûs motus

satis

ſatis robuſtus & liber obſervetur) utatur, autor fui & ſequentia præſcripſi:

I. ℞. Aquæ fl. borrag. bugloſſ. aa. ℥ij.
cordial. frig. Balſ. Embryon. aa. ℥ijß.
Succ. granat. Aurant. aa. ℥j.
Syr. rub. Id. Corallor. cort. Citr. aa. ℥iß.
Tinct. corallor. ʒij. M. D. S.
Stärck Liquor, alle drey Stunden drey Löffel voll davon zu nehmen ꝛc.

II. Externè ℞. Fol. Roſmarin. Meliſſ. Baſilic.
Flor. lavend. roſar. aurant. aa. Mß.
Caryophyll. macer. cinamom.
Nuc. Moſch. cardamom. aa. ℈ijß.
M. & groſsè conciſ. contuſ. aſperg. ol. cort. citr. aurant. aa. ℈ß.
ol. cinamom. gtt. v. caryophyllor. gtt. vij.
Vin. Hiſpan. q. ſ.

Includantur ſacculo ex ſyndone confecto, imponantur Umbilico. Hiſce adhibitis & continuatis, partus juſto elapſo temporis ſpatio, licet aqua extillans parùm remiſerit, feliciſſimus contigit, puerque elegans & robuſtus in lucem editus, quamvis, aliquot poſt hebdomadas, epilepſiâ obierit.

## OBSERVATIO CI.

## D. BENJAMINI SCHARFII,

De

# Menſium per os exeuntium curatione.

Virgo 21. annorum plethorica corripitur aliquando, poſt diuturnam menſium ſuppreſſionem, improviſo vomitu ſanguinolento per 3. dies continuante, unde de ſalute ſollicita vicinis rem explicat, qui partim vas in pulmone ruptum, hincque, ob præſentaneum mortis periculum, nullis utendum eſſe medicamentis aſſerunt, partim

verò, ut, ad compescendum vomitum, aquâ menth. simpl. utatur suadent, quorum consilio obtemperat & vomitum hoc remedio feliciter compescit. Lætam de felici hoc successu graviora mala non metuit, at mense elapso sanguinolentus hic vomitus iterùm redit, quem & vulgari hoc medicamento iterùm sistit, eodemque subsequente mense iterùm redeunte, ad consuetum hoc medicamentum tanquam ad sacram confugit anchoram, illudque toties, quoties ab hoc vomitu sanguinolento affligitur, repetit, tamque diu in ejus usu perseverat, donec virium exquisitus languor, appetitus planè depravatus, capitis dolor continuus, lumborum & crurum extrema gravitas, respiratio maximè difficilis, aliaque talia, quæ circa suppressionem mensium contingunt symptomata, accedant. Hisce observatis vomituq; cruento iterùm recrudescente, malum mihi aperit & meum efflagitat consilium; Cùm igitur viderem & perpenderem vomitum hunc singulis mensibus semper circa novilunium & consuetum lunaris tributi persolvendi tempus accidisse & rediisse, Virginem esse plethoricam & suppressioni mensium obnoxiam, vomitum hunc cruentum non à ventriculo, non ex pancreate, non hepate aut liene provenire, sed nihil aliud esse, quàm mensium in utero stagnantium & per os exeuntium expurgationem à naturâ vegetâ & sanguini stagnanti exitum quærente institutam, significavi, hincque de utendis aperientibus monui & sequentia præscripsi:

I. Vinum Medicatum, quod

℞. Rad. V. aperient. aa. ʒj. cichor. exoss. filic. aa. ℥ß.
bryon. ℥iß. Ir. nostr. ʒv. gialapp. spir. vin. irror. ʒiij.
Herb. cuscut. meliss. puleg. scolopendr. aa. Mj.
Fol. Sen. el. ℥iß. Summit. absynth. pont. Mß.
Flor. genist. cheir. aa. Mß. cent. min. Mj.
Sem. anis. fœnic. aa. ʒij. cartham. probè contus. ℥j.
Cinam. Caryophyll. Macer. aa. ʒj.
Sal. tart. ℈iv. concis. contus. D. ad chart. S.
öffnende Species zum Kräuter-Wein ꝛc.

Hoc

Hoc cum officio suo deesse non videretur, excepit V. S. in talo 3. ante novilunium instituta diebus, quam secuta est sequentis Electuarii & subsequentis Misturæ præscriptio.

II. ℞. Conserv. rad. scorzon. cichor. aa. ℥ijß.
fumar. meliss. borrag. aa. ℥ß.
Condit. cort. aurant. citr. aa. ʒiij.
Spec. Diarhod. abbat. diapler. Archont. aa. ʒß.
Pulv. rad. cichor. cort. cappar. aa. ʒij.
Limat. martis subtil. ℥ijß.
Brod. rad. cichor. condit. ℥ij. F. Electuar. S.

öffnender Zucker Dos. ʒij. horâ nonâ antemeridianâ & quartâ pomeridianâ corpus modicè movendo.

III. ℞. Essent. martis aper. cum Sal. Armon. parat. ℥ß. Tinct. tartari ʒij.
Elix. Propr. ʒiß. M. D. S. öffnende Mistur.
Dos. gtt. L. horâ 6. matutinâ & 5. vespertinâ.

Hisce adhibitis & per intervalla repetitis medicamentis purgantibus observatâque diætâ exquisita vomitus cruentus unicâ duntaxat vice, in exigua tamen quantitate, rediit, postea verò penitùs emansit.

*SCHOLIUM.*

Aliud Vomitus ejusmodi sanguinei, quem suppressa menstrua concitarunt, curati exemplum *Dec. I. Ephem. harum Ann. I. obs. 95.* recensuit; nec non *D. Bernh. Verzascha obs. med. 13. Mart. Rulandus cent. 3. cur. 4. & cent. 4. cur. 67.* atque *Gregor. Horstius part. 2. obs. med. lib. 1. obs. 33.* Quorum blandiori methodo, sanguinis exitum quærentis derivatio à superioribus partibus ad consuetum locum si fiat, feliciùs progredi licet, quàm si violento conatu, non reserato priùs fonte, sanguini exeunti fores naturales claudantur; qualem ab adsumto medicamento adstringente & opiato letalem casum profert noster Exc. *D. Wedelius Opiolog. cur. lib. 2. sect. 3. cap. 3.* Rarissimum est, quod *Dominic. Panarolus pent. 1. obs. 6.* de femina habet, quæ ab adolescentia usque in senium, per eandem viam, singulis mensibus superfluum sanguinem evacuaverat. Plu-

 res

res etiam de sanguinis istius per locum illum, simili ex causa, expulsione observationes aliorum collegit *Schenckius lib 4. observ. med.* & describit, præter *Thom. Bartholinum cent. 5. hist. 32.* *Joh. Rhodius cent. 2. obs. 64.* Quæ, potiori ex parte in Virginibus dum contigerunt, *Hippocratis* edictum confirmant, *lib. 1. de morb. mulier.* consignatum, frequentiùs nempe viam hanc in virginibus, quàm mulieribus adfectare menstrua, enuncians.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CII.
## D. BENJAMINI SCHARFII.
## Monstrum à constricttione.

MOnstrum, cujus figuram præsens indicat delineatio, anno 1680, ipsis Calendis Maji in oppido Ebeleben ab ancilla stuprata nascebatur, uno quidem prædito capite, at in eo tres oculi, duo nasi, ora duo, menta duo, aures duæ, postea in corporis superficie unicus quidem thorax, at duo ventres, in quorum medio abscissus vasorum umbilicalium unicus funiculus prominebat, duo muliebria membra genitalia, duo ani, quatuor brachia & manus quatuorque pedes erant conspicui. Causa tàm monstrosi partus ex ancillâ, matre hujus monstri, quæsita, talis reddebatur, se videlicet clanculum stupratam & impraegnatam vestimenta tàm arctè constrinxisse, ut nemo fuerit, qui ob arctissimam corporis compressionem, ingravidationem sentire potuisset, hinc factum esse suspicabatur, ut hæ gemellæ, quæ à natura intendebantur, in fœtum tàm monstrosum abierint, quæ causa non absque fundamento prolata videtur; Cùm enim corpus gravidarum nimiùm constringitur, locus fœtui augendo denegatur, quem deinde facilè posse coalescere vel alio modo corrumpi, res est in propatulo: Caveant ergò sibi mulieres gravidæ ab hâc superbâ corporis gravidi arctissimâ constrictione,




Dec. I

ctione, ne, mansuetissimâ Dei facilitate & gratiâ abusæ, tales edant partus monstrosos.

Fig. XXIX.

SCHOLIUM.

CUm de rebus physicis conjecturas rationi innixas liberè proferre, nemo Eruditorum prohibeat, idem etiam mihi licitum fore, arbitror. Quamvis autem arctam corporis compressionem gravidis non uno modo nocere posse, haud sit negandum, id quod de pectoris strictura alii jam notarunt, fœtum tamen hunc gemellum in principio gestationis fuisse separatum, & ab arctiori demum illa abdominis constrictione coaluisse, mihi vix persuadere possum: tùm quòd situs partium, quantum ex delineatione colligitur, id vix permittat; tum plurimas meretriculas, clanculùm imprægnationem itidem strictissimis ligaturis occultantes, fœtus tamen benè formatos & perfectos parere videamus. Japonicæ sanè feminæ, referente *Arnoldo Montano in descript. Legation. Batav. ad Imper. Japon.* ventres mox à conceptione facta fasciis constringere solent, persuasæ, nî fortiter ligatæ fuerint, partum excludi non posse, fœtus nihilominus perfectè formatos, nec compressis aut malè locatis membris præditos parientes. Prætera cùm magnus hiatus in duobus hisce corpusculis, dum conjungebantur, fieri debuisset, nullum autem omnino cicatricis indè enatæ vestigium observetur; caput etiam rotunditate suâ & brachia ac pedes &c. naturali figurâ sint præditi, quæ sanè omnia incurvari ac comprimi unà, imò multò promtiùs debuissent, non parvum hinc dubium enascitur. Prostant denique tot alia gemellorum connatorum exempla, quos ab hujusmodi ligaturis, aut alia violentia externa fuisse conjunctos nemo dixerit; si, præterquam quòd duo capita, justumque brachiorum ac pedum numerum habuerint, unicum tamen cor, hepar &c. in eis fuisse repertum, consideretur; quale, præter alios, *Joh. Riolanus in diss. de monstro Lutetiæ nato, Nicol. de Blegny Zod. med. Gall. Ann. I. Mens. August. obs. 4. & Mens. Octobr. obs. 2.*

*obs. 2.* atque *Consilia Med. Thiermairiana in append. lib. 1.* delineârunt; quomodo enim duo ex. gr. corda in unum absque vitalis sanguinis effusione, & consequenter vitæ dispendio, concrescere possint, haud video. Unde errorem hîc lusúmve Naturæ subesse, credere malo, quæ in uno illo ancillæ ovulo duas cicatriculas connatas efformaverat, ex quibus dein, à semine masculino fœcundatis, connatos etiam duos fœtus fuisse prognatos, mirum videri haud potest. Conferantur, quæ in *additamento ad observ. 13. Hellvvig.* olim simili in materia prolixiùs examini subjeceram.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO CIII.
## D. BENJAMINI SCHARFII.
# Asthma paralyticum siccum curatum.

VIr nobilis 40. annorum temperamenti frigidi & humidi, coloris pallidi totiusque corporis macilenti post improvisam iracundiam cibo satis crudo & δυσπέπτῳ, ut farcimine fumo indurato & pernis se replet haustumque cerevisiæ minus defæcatæ superbibit; Hinc lecto se tradens non semel ibidem in amplexum novæ adhuc nuptæ ruit & venereis utitur deliciis, quibus peractis somno obruitur satis profundo. Expergefactus maximè difficilem & laboriosam sentit respirationem, artuum lassitudinem, aurium tinnitum, visûs hebetudinem pulsumque debilem, & respiratio de horâ in horam fit difficilior, rarior & laboriosior, thorax ægrè admodum movetur, tantaque difficultas respirandi capit incrementa, ut & suffocationis immineat periculum, reliqua benè se habent, nihilque ampliùs desiderat, quàm ut respiratio libera reddatur & suffocatio impediatur. Medicus ex vicinia in consilium vocatus varia præscribit medicamenta pectoralia, resolventia ac incidentia, quibus efficit quidem, ut affectus quandoque remittere videatur, qui tamen paulo post eò vehe-

mentius

mentius affligit & revertitur, unde æger de vitâ non ſolùm ſollicitus, ſed moræ etiam pertæſus, & meum requirit conſilium; Hinc, cum viderem optima & decantatiſſima remedia pectoralia Antiaſthmatica nihil effeciſſe, conſideratis circumſtantiis aſthma hoc nec humidum, nec convulſivum, ſed paralyticum eſſe aſſerui, ejusque cauſam in denegato & impedito Spirituum animalium in organa pneumonica influxu conſiſtere pronunciavi; Nec me fefellit opinio, paucis enim poſt hanc aſſertionem diebus idem Ægrotus & paralyſi in brachio ſiniſtro corripitur omniaque recrudeſcunt prædicta ſymptomata, ideoque ad Spirituum reſtaurationem, ſanguinis pituitoſi correctionem & nervorum obſtructionem removendam ſpirituoſa, balſamica & volatilia præſcribo, quibus adhibitis, en! non reſpiratio ſolùm brevi fit liberior & facilior, ſed ſenſus etiam brachii redit, quem & motus quoque feliciſſimo cum ſucceſſu ſequitur, periculoſo hoc aſthmate quinto demùm menſe remittente & in hunc usque diem non redeunte.

Formulæ præſcriptæ fuére tales:

I. ℞. Spir. theriacal. camphor. anth. lumbricor. aa. ʒij.
Lavend. lil. convall. aa. ʒiij. C. C. ſal. armon. aa. ʒiß.
Tart. urinoſ. ʒj.
Sal viper. ſuccin. C. C. aa. volat. ʒß.
Eſſent. caſtor. ʒijß. ol. ſuccin. ℈j.

MDS. Reſolvirende Miſtur. Doſis ʒj. ſingulis 3. horis in vino.
Externè brachii juncturas, nucham & dorſi ſpinam, nec non pectoris regionem ſequenti inungere Spiritu curavi.

II. ℞. Spir. lumbricor. formicar. aa. ℥ijß. cochlear. ℥iß.
ſal. armon. ʒß. ol. ſuccin. lavend. aa. ℈ß.

MDS. Euſerlicher Spiritus.

Hiſce ſolis adhibitis & continuatis feliciſſimè evaſit.

# OBSERVATIO CIV.

## D. BENJAMINI SCHARFII.

## Febris quotidiana Uretico-Sputatoria.

INter varias febrium hactenùs mortales affligentium copias & sequentem, haud ita pridem, annotare licuit febris quotidianæ Uretico-sputatoriæ speciem, dum Juvenis 24. annorum temperamenti calidi & humidi febre corripitur indies revertente, præcedente horrore & frigore quidem levi & brevi, calore verò eò intensiori, qui ad VI. horas durabat, subsequente. Hanc febrim per tres solidas furere permittit hebdomadas, nihilque ad illam profligandam petit remedii; Imò totum negotium (ut vulgi perversus mos est) naturæ commisisset, nisi à nimiâ (durante paroxysmo) & continuâ tàm urinam reddendi, quàm salivam expuendi irritatione, hincque subsequente summâ virium dejectione ad requirendum medicum coactus fuisset; Quoties enim & quamprimum febris invadebat paroxysmus, toties salivam & urinam reprimere vix poterat æger, sed continuè jam salivam, jam urinam in maximâ quantitate egerebat, ita ut ne momentum quidem ab hâc urinam & salivam egerendi irritatione liber esse posset. Caussam hujus mali partim in sale bilis volatiliori, mediante effervescentiâ febrili, ad glandulas salivales copiosiùs delato seroque admixto & eidem materiam tàm copiosiorem, quàm rariorem & fluidiorem conciliante, partim verò in acrimonia succi pancreatici serum justò acriùs reddente, & vesicam ad continuam urinæ expulsionem irritante consistere putavi. Curam itaque hoc modo aggressus sum & tale præscripsi Purgans.

℞. Extract. Mechoacann. ℈iß. cnicopharmac. ℈j.
Resin. Gialapp. ℈ij. Diagryd. sulphurat. gr. XV.
Ol. anis. gtt. iij. M. F. Pilulæ justæ quantitatis S.
Purgir-Pillen auf 3 mal.

Dia-

Diaphoreticum tale, acrimoniam seri temperans, sæpiùs reiterandum ordinavi.

℞. Spirit. theriac. camph. ℥ß. C.C. Sal. armon. aa. ʒiß.
Essent. anod. ʒj. M. D. S. Sonderliche Schwitz-Mistur.

Dosis guttæ L. ad LX. in vino.

Hisce adhibitis remisit quidem nimius urinæ & salivæ egerendæ conatus, nondum tamen planè evanuit, quapropter & sequens exhibui.

℞. Aquæ plantag. endiv. portulac. aa. ℥iv. Succ. cydon. rub. Id. aa. ℥ij.
Syr. corall. ℥iß. portulac. rub. Id. aa. ℥j.
Træ. corallor. ʒij. anod. ʒj. Pulv. absorbent. ʒiß.

M.D.S. Anhaltender Liquor, offt 2. Löffel voll davon zu nehmen.

Quo usurpato & ad dies 6. continuato omnia, cum Deo symptomata remisére.

## OBSERVATIO CV.

### D. ADAMI à LEBENWALD.

*De*

# Ossibus Draconum verè existentium & eorum usu.

Quinque circiter milliaribus Græcis, quæ est Metropolis Inclyti Ducatus Styriæ, non procul ab arce Bernegg, cernitur mons vulgò Rettelstain nominatus, in quo est Caverna 2. milliarium (ut fertur) longa; inde ossa varia Draconum (ut creditur) deportantur. Ego curiositate ductus misi eò bis exploratores, qui mihi cistam plenam variis ossium fragmentis attulerunt, quæ omnia fodiendo ex terra eruebantur. Inter cætera erant quasi adhuc integra & non multum cariosa 4. ingentia capita diversæ magnitudinis, ejusdem tamen figuræ, dentes molares ultra 200. Canini, quos & arma vocant, numero ferme 100. Incisorii pauci,

maxillæ inferiores 4. ungulæ 10. vertebræ aliquot, femora miræ crassitiei, costæ spuriæ plures, quibus admixta erat particula, ut ebur polita, cranium hominis repræsentans. Hæc omnia apud me detineo cum spe quod sim integrum sceleton acquisiturus; hac de causa animus est, hac æstate, Deo vitam & sanitatem largiente, cavernam istam adeundi, ut omnes loci circumstantias exactiùs observare valeam.

Non opus erit clavâ Herculis, vel Ariadnæ placentulis; nam facile est cum Draconibus mortuis dimicare.

Cum hæc ossa hinc & inde in Provincia divulgentur & ab aliquibus circumforaneis ac Impostoribus pro veris unicornu ossibus vendantur, placuit de eorum usu & effectu solicitè inquirere. Quare à pluribus mihi relatum fuit, ossa hæc magnam virtutem habere in Epilepsia, febribus malignis, arthritide vaga & dysenteria. Data & mihi fuit occasio periculum faciendi; nam cùm animi oblectandi causâ per pratorum declivia ambularem, repentè fallente pedis vestigio in terram lapsus horrendam in metatarso contusionem cum probabili ossis fissura perpessus fui. Orti sunt in parte læsa dolores acerbissimi cum continuis punctionibus & inflammationibus, nullis malacticis mitigabiles. Abripio itaque ossium Draconum fragmenta, in subtilissimum pulverem tero, cum albumine ovi in pultis formam redigo, applico, & ecce illicò tumor & dolor remisit. An hic effectus promanaverit ab aliqua refrigerandi, exiccandi, repellendi & adstringendi facultate, vel à proprietate quadam occulta, ambigo; nolo autem habere sympathiam cum Draconibus.

Conferantur huc illa quæ in Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Ann. 3. Observat. 139. 194. & Ann. 4. 5. Observat. 170. allata sunt.

OBSER-

OBSERVATIO CVI.

D. ADAMI à LEBENWALD.

*De*

## Cœcitate ex remedio superstitioso.

VOcatus ad quendam Reverendissimum Abbatem ex morbo languentem, in itinere adductus fuit ad me puer rusticus 15. annorum, optimi corporis habitûs, sed totaliter visu destitutus. Nulla aderat fluxio, nullus dolor, nulla apparens macula, nisi quòd oculorum pupillæ ampliores nigrioresque, sicut illis qui guttâ serenâ laborant, extiterint.

Causam morbi inquirenti respondent, puerum nunquam aliquo affectu oculorum vel capitis laborasse, nec Parentes aliqua tali labe affectos fuisse, sed eum ante medium annum incidisse febrim tertianam, ad quam curandam adivit Venatorem quendam Medicastrum, qui ipsi chartulam certis characteribus insignitam (uti pluribus aliis medebatur) contra hunc morbum devorandam præbuit.

Vix schedulâ deglutitâ tanta perturbatio capitis & in eo sonus obortus fuit, ut ipsi non aliter visum fuerit, quàm si omnes totius mundi (sic illo referente) campanas pulsari audiisset. Hanc metamorphosin statim excepit omnimoda visus privatio. Ordinavi illa quæ nervos opticos ab humorum infarctu liberarent, caput & oculos roborarent, sed omnia incassum.

*An non pœna Dei hæc sat manifesta fuit?*

OBSERVATIO CVII.

D. ADAMI à LEBENWALD.

*De*

## Sanguine caustico.

REligiosus quidam Juvenis Athletici corporis habitus, hepatis tamen calidioris & humoris biliosi feracis, sensit

antrum vitale sibi opprimi, & cordis thalamos ob stagnantes sanguinis rivulos angustari, qua de causâ ad venæsectionem velut ad sacram anchoram confugiebatur.

Indicatum, factum: aperitur Vena in brachio, sanguis exilit cum impetu, & gutta unica aberrans cadit ad denudatum brachium cum tanto doloris & ardoris sensu, ut vulneratus ad ejulandum coactus fuerit. Exusserat enim non tantum cuticulam, excitatâ in ea vesiculâ, sed etiam subjectam cutim cum eschara, ut etiamnum cicatricis appareant vestigia: Phlebotomon in cuspide livido tinctum colore tam friabile fuit redditum, ut levi attritu in particulas abierit.

Observavi etiam in hoc Reverendo Juvene humores, vel ipsam massam sanguineam tam acrem & corrosivam sæpè fuisse, ut per alvum, urinam, vomitum, tussim non tantùm sanguinem sed etiam carunculas membranulis & venulis conspicuas egesserit.

Curavi illum moderatè evacuantibus & Epicerasticis, vivit etiamnum sanus & incolumis, facetus, moribus autem modestus, cujus Nobilissimus Parens fermè 80. ætatis annum attigit.

*Juvenilis æstus justa temperies Senum.*

*SCHOLIUM.*

QUod in morbis à Venenis assumptis & pestilentialibus oriantur carbunculi & carnis exustiones, facilè concipio; verùm quomodo in naturæ laboratorio fiant salificationes, calcinationes, reverberationes, altioris mihi videtur indaginis.

## OBSERVATIO CVIII.
## D. ADAMI à LEBENWALD.
*De*
# Miro effectu Tabaci.

CHirurgus mihi notissimus & â mea directione dependens, curationem suscepit cujusdam Juvenis Rustici, cui

cui in terram lapſo femur dextrum â rota currus onuſti ita contuſum & contritum fuit, ut caro muſculoſa denudata ab oſſibus quaſi divulſa cerneretur. Diu actum fuit mundificantibus, ſiccantibus ſarcoticis, epuloticis, ſed continuus humorum affluxus omnem operam & vim medicamentorum eluſit. Pulverem Tabaci utpote herbæ vulnerariæ aſperſit parti læſæ, ſed vix hoc facto, patiens ad enormem Vomitum fuit concitatus. Retulit mihi inopinatum hoc ſymptoma prædictus Chirurgus, quod ex naturali cauſa forſan ortum ſuſpicatus, juſſi ut inſperſionem hujus pulveris repeteret; Dictum factum, ſemper inſperſionem immediatè ſequebatur vomitio. An vellicando nervoſum genus, & ſtomachum in conſenſum trahendo, vel communicando Vapores; hæc anacatharſis excitata? Utrumque videtur probabile; totum enim corpus, ex doctrina Hippocratis, & ab experientia Unguentorum Mercurialium, eſt conſpirabile & confluxile.

Fateor equidem & mihi ſtomachum moveri, ſi odorem fumi Tabaci naribus etiam â longè excipiam. Eliminarem ſanè & proſcriberem ex foro medico hanc herbam, ſi in mea poteſtate foret, propter tot nocumenta, quæ â Simone Pauli Commentar. de abuſu Tabaci allata ſunt, ſed nolo offendere Clariſſimos Viros, Thomam Bartholinum & Diemerbrœkium, quos eſſe Tabacophilos teſtantur, illius Conſilium de anatom. pract. fol. 18. hujus verò tract. de peſte. *Cuiq; ergo placeat fumus odorque ſuus.*

## OBSERVATIO CIX.

## D. ADAMI à LEBENWALD.

*De*

# Viſci querni admiranda Virtute.

Quercum arborem Jovi ſacram & Panacæam omnium morborum eſſe credidit antiquitas.

Folia, cortex, capulæ, glandes, lignum, carbones, uvæ, muſcus, fungus, in uſum medicum veniunt

niunt non contemnendum. Omnibus autem palmam præripit Viscum, quod non ex turdorum excrementis, ut aliqui opinantur, sed ex succo nutritio vel luxuriante arboris nascitur.

Referam observata. Monialis quædam â gravissimis morbis devicta, convulsionibus totius corporis agitabatur excepto brachio illo, in quo Rosarium ex ligno Visci querni elaboratum & circumvolutum portaverat. Hoc solum à motibus immune, imò (quod mirum dictu) etiam post mortem rubicundo & florido colore, quasi vivifico nectare perfusum cernebatur. Quantum valeat unguentum illud, quod ex cortic. med. Visc. q. & butyro Majali conficitur, in mucilaginoso humore pectoris extergendo, testantur illi qui pro Phthisicis habiti sæpe ex continuato ejus usu intrinseco & extrinseco optatæ sanitati restituti sunt.

Verum est itaque diverbium:

*In Verbis, herbis, ut creditur, atq; lapillis*
*Magna latet Virtus, Visq; Vigoris inest.*

## OBSERVATIO CX.
## D. DAVID SPIELENBERGER.
## De
## Vermibus nivalibus.

D. 2. A. III. p. 390

MItto hîc curiosum quid, à paucis observatum. Præterito mense inveni illud, pugni magnitudine conglobatum, in campo supra nivem, ad duarum spithamarum altitudinem terræ incumbentem, cùm liquescere jam inciperet. Parvuli admodum sunt vermiculi, quorum nonnulli supra nivem reptitabant, alii verò elatis minimis alis, Sole splendente, avolabant. Nunc mortui fortem terreum odorem spirant, & per microscopium observari merentur. An ex nive vel terra ortum habuerint, divinare nequeo. *Ex literis Leutschov: â Vratislaviam 1683. M. April. ad D. D. Gottofr. Schulzium datis.* Fig. XXX. p. 259.

*SCHOLIUM.*

## SCHOLIUM.

DE vermibus nivalibus multi ſcripſerunt, quos cùm partim Exc. *Dn. Car. Raygerus in obſ. 89. Dec. I. Ephem. harum Ann. IV.* jam denominaverit, recenſere hîc foret ſuperfluum. Ut verò ſimilem vermium cum nive in Hungaria ex aëre delapſum idem notavit, ita & præſens Obſervatio eandem vermium, licet ſpecie planè diverſorum, in dicta Hungaria generationem innuit. Verùm an, & quomodo in nivibus producantur talismodi inſecta, præter alios, inprimis Cl. *Gothofr. Voigtius in diſſ. de nivis albed. Guſtrovii A. 1669. editâ, ſect. 3. quæſt. 2. & 3.* explicare conatus eſt; priorem quæſtionem adfirmativè decidendo, idque tum plurium Doctorum ac celebrium Virorum teſtimonio comprobando, tum contraria *Mercurialis* argumenta enervando; circa poſteriorem verò, calore & putredine, quæ à *Cardano* aliisque in medium adducuntur, rejectis, ad ſemina horum vermiculorum, cum materia futuræ nivis ſurſum attracta, poſtea cum nivibus deſcendentia, & ſub illis excluſa recurrendo, magnique *Sennerti* expoſitione in *Hypomn. phyſ. 5. cap. 8.* hoc illuſtrando. Nec ſanè ad aliud quid commodiùs, quàm ipſum ſeminium, ab ejusmodi vermiculis ſuppeditatum, generatio iſta referri meretur, atque hoc ipſum quidem non aliud, quàm ovulorum ſpecie quod à femellis fuerit excluſum, priùs à maſculino ſemine fœcundatum. Vermium enim, inſectorum, omniumque aliorum animalium generationem non ex fortuito aliquo pulverum, aut diverſorum corpuſculorum concurſu, vel putreſcentium corporum tabe procedere, cùm id præcipuè artificioſiſſima eorum ex diverſis membris facta conformatio, atque exactiſſima ſingulorum in eadem ſpecie ſimilitudo haud admittat, ſed fœcundis aliorum ſuæ ſpeciei animalium ovis deberi, ſatis jam à Viris clariſſimis, idque etiam nuper demum ab Exc. noſtro *Pæone Curioſ.* fuit probatum. Unde cur idem de hac Inſectorum Hungaricorum ſpecie non ſit dicendum, cauſam nullam video. Quæ licet ex ovulis ortum pariter ſuum primò habuiſ-

ſe, nullus dubitem, hanc ipſam tamen ex eis excluſionem non ineunte demum vere ſupra nivem, ſed jamdudum antea, & vel in æſtate, auctumnove prægreſſo, contigiſſe arbitror. Aliàs enim vermiculis hiſce permixta integumenta, ſive ovulorum membranulæ fuiſſent conſpectæ, quarum tamen ne unica quidem in tanta vermiculorum copia, ad nos transmiſſa, per microſcopium oculis meis ſeſe exhibuit. Unde ſi quid conjecturari licèt, animalcula hæc vel ſub foliorum arboreúmve ramorum congerie, vel alibi latibulum aliquod, hyeme adpropinquante, quæſiviſſe, credere malo; quod uti de muſcis intra tabulatorum &c. anguſtias per hyemem quaſi mortuis deliteſcentibus certum eſt, & hirundinum quædam roſtris, alis, pedibusque invicem conglobatæ implicitæque, ſub ipſa quandoque aqua, aut in cavis arborum truncis per hyemem turmatim perdurant: ita nil obſtare puto, quò minùs & hæ muſcillæ magna in copia congregatæ ad ſimilem hyemalem requiem ſemimortuæ alicubi ſe compoſuerint. Cùm autem tempore hyberno, nive inprimis copiosè deſcendente, ingentes ſæpè ventorum impetus oriantur, quia obvia quævis magnâ vi disjiciant, iidem ad conglomeratum ejusmodi muſcillarum nidum allidentes, illum per aërem abripere, & memoratum in locum, nive antea jam incruſtatum, deponere potuerunt; non ſecus ac portentoſos lumbricorum, erucarum &c. pluvias aliquando fuiſſe obſervatas, memoratur; donec menſe Martio, Sole jam validiores in terrenum globum vibrante radios, & calore ſuo vivifico torpidos hujusmodi animalculorum ſpiritus in novos motus ſuſcitante, priorem quaſi in vitam revocatæ fuerunt. Cæterùm tam exigua ſunt hæc animalcula, ut congeriem illam ſupra nivem inventam aliquot eorum myriades continuiſſe, ſit credibile; ſiquidem nudis ita ſi inſpiciantur oculis, pulviſculos tantùm nigricantes æmulantur; licet per microſcopium, quantum quidem in minutiſſimis illis exſiccatis corpuſculis contemplari mihi licuit, binis quodlibet corniculis ſatis craſſis & porrectis inſtructum comparuerit,

in uno verò alteroque, aquæ priùs immacerato, sex pariter pedes deprehenderim.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXI.
## D. JOH. CONRAD. PEYERI.
*De*
# Gemellis monstrosis, coalitis partibus obscœnis.

INter præteritorum temporum historias, quas in adversaria mea retuli, ea valdè singularis & curiosa est, quam hic referam brevissimè: Vinitoris uxor Scaphusiæ in prædio quodam suburbano anno Christi M DC LXXV. ineunte vere gemellos fœminini sexus difficillimo partu enixa est, coalitis ossibus sacris & partibus obscœnis, monstrosos: quos dissecante excellentissimo *Johanne Jacobo Wepfero* vidimus uterum habuisse geminum totidemque vaginas, sed vulvam unicam; bina item intestina recta, unum tamen podicem. Mirum sanè, geminato per omnia corpori pudenda fuisse communia.

## OBSERVATIO CXII.
## D. JOH. CONRAD. PEYERI.
*De*
# Tanaceti pro absinthio usurpati felici effectu.

QUam communico observationem hanc à singulari amico meo *Jacobo Poirierio de la Ramée Ambœsiano* Med. Doct. è Monte Pessulano Kal. Aug. MDCLXXX. accepi: Miles quidam præsidiarius in arce Monspeliensi postquam per improbos Martis labores & malesuadam famem, in febrem lentam incidisset, hydrope tandem obsessus

est, adeo ut aqualiculus sesquipede ampliùs exstaret, tumefactis unà cruribus. Luridi vultûs æger cum medicinam *Rosseletii* Medici ordinarii fastidiret, & militare stipendium sumtibus impar esse videret, ad absinthium, stomacho ejus gratum, tanquam ad certam salutis anchoram se conferre decrevit. Verùm specie delusus pro absinthio obvium tanacetum arripuit, & radicitus evulsit; quo in aqua decocto ad mediæ partis consumtionem, cum cyathos duos exhausisset calidè, sitim auspicatò sedari sensit, qua dirè torquebatur, fassus potione istâ sibi nihil unquam obtigisse gratius. Horis tribus post copiosè minxit. Sic dum pellebatur causa morbi, fugiit venis & aquosus albo corpore languor.

## OBSERVATIO CXIII.
## D. SALOMONIS REISELII.

*De*

# Diureticorum & in specie pulveris Saxifragi Volckameriani utilitate in Hydrope.

Diureticorum maximam vim esse in Hydrope evacuando olim & hodie firmatum est. Exemplum adducam de *Pulvere saxifrago Amplissimi D. D. Volckameri, Helianthi nostri,* quo stabilienda est sententia. JCtus gravissimus & felicissimus, Advocatus Cancellariæ Würtenbergicæ annorum quinquaginta & novem, post dispnœam & tussim vehementem Asciticus factus cum tumore pedum, scroti & abdominis, multa sumsit inefficaciter ad serum deturbandum & roborandum viscera; nempe laxantia, diuretica, diaphoretica tam ex simplicibus euporistis (ut de ononid. lixivio benedicto) quã compositis, donec umbilico sponte rupto multum seri crassi effluxerit, nondum tamen sequente integrâ valetudine. Deinde ex Consilio Exc. *D. D. Joh. Sebastiani Schickardi, Physici hîc* mecum accedentis, qui experimentis aliquot obser-

obſervavit, pulverem dictum Stutgardiæ in calculo uſitatiſſimum, Aſciticos quosdam juviſſe, eundem ſumſit diu, & quidem usque ad grana decem cum vehiculo convenienti, & imprimis decocto fl. cyani, unde urina copioſiſſimè fluere cœpit, quæ antea etiam quibuscunque non poterat provocari. Denique acceſſit diarrhœa per dies ferè octo, ex qua pedes & abdomen detumuerunt, ipſeque reſtaurantibus cibis & Analepticis remediis in priſtinum ſtatum convaluit: uſus abhinc valetudinè ad negotia ſua ſufficiente, niſi quod tuſſi fatigatus fuerit per tempus aliquod, quam Catarrhus ſuffocativus ſecutus eſt Julio 1683. quo periit vir vitâ longiori digniſſimus.

*SCHOLION.*

De pulveris hujus famoſiſſimi & efficaciſſimi ingredientibus tempeſtivè colligendis Excell. Autor *Epiſtolam* ſcripſit *ad Clar. D. D. Sebaſtianum Schefferum Practicum Francofurtenſem & Adjunctum Nat. Cur.* typis A. 1669. impreſſam, denuoque recuſam A. 1683. quorum non minimam partem expleant margaritæ, bezoar, & lapides quinque pretioſi; de doſi valde exigua à grano uno ad quina, de uſu exemplis monſtrato in Nephritide, calculo, tartaro ſeu calce dentium adnata, in Ictero & Hydrope; tandem de pretio nempe aureo pro uncia dimidia. Sed veram præparationem, quæ dies octo requirat, totamque compoſitionem ſilet adhuc Poſſeſſor, donec tandem ſaluti humanæ non denegare exorabitur ſecretum tam utile.

## OBSERVATIO CXIV.
## D. SALOMONIS REISELII.
*De*
# Iſchuria ex glandulis in & extra veſicam, atque ſphinctere calloſo.

Ægidius Inni Vietor & civis Stutgardiæ laborioſus, robuſtus & animoſus, à multis annis difficultate quadam urinæ laboravit, quam verò ob negotia ne-

 glexit.

glexit. A. 1679. à Septembri Iſchuriam per dies tres paſſus, cathetere immiſſo urinam emiſit copioſiſſimam: qua iterum obſtructa, & cathetere indito nihil effluxit, doluit autem valdè in immiſſione, & ſanguinis parum effluxit, unde amplius noluit applicari. Hinc poſt dolores graviſſimos, & conatum ſeu preſſionem maximam minxit ſed cruenta, & mucoſa plurima veluti purulenta. Data multa & diuretica leniora, ut pulvis althææ cum cremore hordei, atque ſyrupis alth. & fortiora alia ſine juvamine, medentibus mecum *Clariſſimis Dn. D. Joh. Jacobo Wepfero* transeunte, *& D. D. Joh. Sebaſtiano Schickardo Phyſico.*

Scrutantibus poſtea nobis per anum, inventus eſt tumor non mediocris verſus veſicam, unde calculum conjecimus fortè adnatum aut adfixum, quem tamen nec primâ vice invenimus, nec deinde quærere licuit propter recuſantem ægrum & metuentem dolores à cathetere. Duravit ergo diu iſte dolor, donec poſt *febris Octanæ* tres paroxyſmos febriculam continuam ſubſequentem proſtratis viribus propter ingentes dolores nono Decembris dicti anni mortuus eſt annorum ſexaginta.

## *SCHOLIUM.*

APerto cadavere (quod vix exoraveram) omentum putridum, multumque ſeri in abdomine viſum fuit. *Veſica*, quæ potiſſimum ſpectanda fuit, carnoſa & craſſa tota obſeſſa erat multis, excreſcentiis glanduloſis, & tuberculis, ſanguinolentis, interque ea unico ſacculo, qui membranam intus nigram ceu uveam oculi, lævigatam habebat; cæterum pelvi oſſis iſchii ita firmiter adfixa ut vix revelli vel reſcindi potuerit, quæque preſſa urinam non miſit, uti aliàs facilè fieri ſolet. Diſſecta nullum calculum, uti ſuſpicati fueramus, nihil aliud niſi turbidam & mucoſam urinam, qualem ſemper minxit, oſtendit, craſſa verò valdè & quaſi aquâ macerata adſpiciebatur. Sphincter qui carneus naturâ debet eſſe & mollis, calloſus, durus & quaſi cartilagineus præſertim intus erat, unde quia non poterat voluntariè aperiri vel claudi, tanti dolores ante

mingen-

mingendum, unde tam difficilis mictio: qualem constitutionem supra laudatus *Schickardus in octuagenarii Nürlingensis* civis subita suppressione urinæ lethali observavit post sectionem. Renes ingentes & salvi, neque muco aliquo repleti, ureteres itidem ampli & valdè crassi.

Plura accuratiùs non licuit indagare in festinata & vix impetrata sectione. Mereretur verò inquiri, unde mucus ille tam copiosus venerit, qui calculosis aliàs est solennis, itemque subcruentæ illæ sordes, an per vesicam penetraverint ex glandulosis istis tuberculis?

Simili morbo laborasse, *Franciscum Müllerum* Senatorem Stutgardiensem putavi, qui annorum 64. Anno 1681. obiit, incertus autem, quia cadaver noluit uxor aperiri. Is enim, cum à multis quoque annis difficulter urinasset & præter solitum Januario Anni 1680, sed sine arenularum aut calculorum signis, sed cum frequenti mictione muci, pedes ivit 28. Martii 1681. Canstadium horâ dimidiâ ab hinc dissitum, & gustavit vinum. Rediens in via lapsus est in terram pronus, sive ambulandi impotentia aut alia noxa, deposuit copiosam urinam, ast nocte sequenti stranguriam dolorosam passus cum tumore circa vesicam, cujus gratia clyster, propter hæmorrhoides externas difficulter equidem applicabilis, diuretica data & lubricantia parum juverunt. Increvit enim dolor, tumor auctus vesicæ regionem circumscripsit, Urina pallida sine sedimento, calculi suspicionem fecit, qui tamen per Catheterem non potuit offendi, quemadmodum nec gutta urinæ per eum effluxit. Mitigatus est dolor aliquando flatibus per clysteres expulsis. Primo Aprilis per anum exploratus est tumor versùs vesicam, veluti globus aliquis, qualis in pube observatus est hactenus, unde insessus juxta cum clysteribus facti, oleum amygd. dulc. datum & in vesicam injectum emulsiones frigidæ diureticæ præscriptæ, cataplasma emolliens continuatum, quandoque & Manna cum carminativis (quæ multum leniebat) sumta, consulente mecum supralaudato *Dn.*

*Schickardo*

*Schickardo;* sed tumor non decrevit, potius augeri sentiebatur, vergens sinistrorsum. Urina interim continuè & involuntariè fluxit mucosa plurima deponens, cum dolore insigni donec Julio mense obiret, me tum absente.

Quemadmodum verò glandulæ externæ vesicam hîc circumdederunt, ita & intus aliquando adnasci observatum est. *In cane* tales inventas esse, Anni VI. Ephemer. Nat. Cur. Obs. 69. scripsi. In *Secretarii* cujusdam *Würtenbergici Schvvartzii* nomine vesica, qui diu maximis doloribus & dysuria fatigatus vitam traxit miseram, repertos esse multos tumores & excrescentias putridas, chirurgi adhuc viventes, qui apertioni adfuerunt, mihi retulerunt, quos ipsi cum Medicis ex lapsu cum equo ante plures annos ortum cœpisse judicaverant. Ausim affirmare, quòd Clar. *D. D. Mögling Physicus Pfortzheimensis* ejusmodi vel internis vel externis glandulis Vesicæ laboraverit, quia planè similia passus, quod explorare non datum fuit, ob prohibitam ab illo ipso sectionem.

## OBSERVATIO CXV.

## D. SALOMONIS REISELII.

*De*

# Cerebello extra Cranium post terrorem gravidæ à fele imposito.

FRiderici *Ablas* Vinitoris Stutgardiensis *uxori* gravidæ staturâ justâ præditæ, carnosæ & robustæ, cæteraque sanissimæ tribus septimanis ante statum partûs terminum vicinus quidam Joh. Jacob Wolff ex petulantia felem masculum circa collum imposuit, qui aliquandiu partibus collo vicinis adhæsit. Anno 1682. d. 22. Maji enixa est puellum vividum & satis robustum, habentem tumorem in nucha similem scroto humano, in apice bifidum, basi latâ partim nuchæ, partim extremo occipiti adnatum, pilis fuscis tectum, ejusdem

dem ſcilicet coloris quo felis mas impoſitus cervici fuit, majorem duabus nucibus juglandibus cortice vividi adhuc involutis, juxta ſe poſitis & contiguis; durum & tenſum; totum quoque occiput à ſero tumentius & convexius apparuit: Quoties alvum ſolvit, quod ob fæcum craſſitiem magno nixu fiebat, aut ſi minxit ob ſabulum urinæ mixtum, tumores augebantur & tenſiores reddebantur. Quia fœtus edit, ſuxit, artus movit, nullumq́ue ſymptoma gravius urſit, parentes pauperculi tumorem neglexerunt. Cùm verò tumorem incrementa ſumere viderent, opem *Domini Chriſtophori Jacobi Beckeri, Sereniſſ. Principis ac Domini Friderici Caroli, Ducis Würtenbergiæ Chirurgi* præſtantiſſimi, & *Domini Joh. Sebaſtiani Scholpii* Chirurgi implorarunt. Is die 18. Junii tumorem in ſiniſtra parte lancettâ aperuit, protinus exſiliit aqua limpidiſſima, ultra Uncias quatuor, inde occiput detumuit, ſimulq́ue ambo tumores ſubſiderunt, ac preſſo dextro ampliùs ex foramine facto tunc & ſequentibus diebus emanavit. Oſſium ſyncipitis, frontis & lambdoidis ſuturæ hiabant valde & ſiniſtræ partis oſſa maximè lambdoidea prominebant ac ſubjecto oſſi incumbebant. Infans per dies tres debilis valde fuit, ferè continuè ejulavit, nunquam convellebatur, comedit nihilominus, ſuxit, artus movit, alacrius tamen omnia triduo elapſo peregit. Alvus ſollicitabatur pilis ſaccharatis moſchatis ano inditis: roborabatur pulvere & aqua antepilepticis. Die 25. Jun. 1682. infantem cum Exc. *D. D. Salomone Reiſelio Sereniſſimi Ducis Archiatro* inviſi. Vegetus erat, artus movit: ob inquietum capitis motum ex vulnere turunda excidit: faſciæ & lintea ſubjecta aquâ madebant: occiput prorſùs detumuit, inæquale erat propter os lambdoideum in latere ſiniſtro prominens, depreſſo illo quod ſubjectum erat: tumores in nucha rugoſi, ſimiles burſæ vacuæ: cutis illorum craſſa & quaſi carnoſa: minores nucibus juglandibus cortice viridi denudatis minusq́ue acuminati: inditâ turundâ ejulavit, die 26. & 27. Jun. ſubin-

 de

de terrebatur, nullæ tamen supervenerunt convulsiones, quamvis vigilanti & dormienti terrores isti supervenerint.

Hæc Excell. *D. D. Joh. Jacob Wepfer Schafhusanus*, Collega suavissimus, cum Serenissimæ Domui Würtenbergicæ consilia daret. Jam quid cum tumoribus his factum, & quid post mortem sectio monstraverit, dicam.

Deficientibus paulatim viribus, quæ quandoque restaurata videbantur, effluente jam materiâ purulentâ ex tumore, & accedentibus tandem convulsionibus mortuus est infans 8. Julii ante primam matutinam. Detecto ad preces parentum cranio sutura sagittalis per lambdoideam usq; ad foramen occipitis transire observata est, bregma utrumque valde lividum, & cuti tenaciter adhærens, dextrum depressius & sub sinistro, inprimis ad lambdoideam succumbens. Tumor uterque, qui planè subsidit, lividus, fœtidus & sphacelatus apparuit, à cute separari potuit folliculorum instar, tener valde & facilè lacerabilis, ex ipsa dura meninge dilatatus & procedens cerebellum in se continebat, quod versus cerebrum aliquo modo incorruptum adhuc videbatur, extra calvariam verò sphacelatum & diffluens foramen proprium sed conjunctum cum illo, per quod spinalis medulla transit, sibi formavit. Cerebrum ipsum molle & flaccidum copioso sero maduit. Periculosam itaque hanc esse sectionem, si usque ad cerebellum pertingat, in ejusmodi casibus apparet, cujus exempla se novisse cum professus est supra laudatus D. *Wepfer*: serum verò evacuari posse innoxiè. Addendum denique est Exemplum periculosæ imaginationis & terroris in gravidis, quod relatum est Antvverpiâ 17. Septembr. 1682. in Novellis. Mulierem scilicet nobilis familiæ gravidam ex felis circa collum applicatione territam peperisse fœtum monstrosum, cujus caput & humeri quoad cutem, pilos & barbam felinis similes fuerint, reliquæ partes humanæ.

SCHO-

SCHOLIUM.

ANno 1682. M. Z. Civi Auguſtano filiola nata fuit, quæ præterquam quòd incurvis & malè conformatis pedibus prædita fuerat, etiam tumorem ſupra os ſacrum in utero materno contraxerat, quo cauterii ope per Chirurgum ſextâ, nî fallor, hebdomade, aperto, plurimum aquæ, & plus quàm tumor continere potuerat, effluxerat, tumore hinc, unâ cum viribus, decreſcente; illudque ſerum non minima ex parte per ſpinalem medullam à cerebro deſcendiſſe creditum fuit, eò quòd caput antea tumidiuſculum, & calvaria poſt mortem, octavâ à partu ſeptimanâ inſecutam, paſſim mollis comparuerit. Ipſum verò tumorem os ſacrum, mole magnum & prominens, conſtituebat; quod fortior imaginatio materna in eam monſtroſam magnitudinem adauxerat, excitata à viſo ſæpius puero mendicante, qui claudus & corpore incurvo præditus per plateas urbis, pro eleemosyna colligenda, circumgeſtabatur.

[*Luc. Schröck. L. F.*]

## OBSERVATIO CXVI.
## D. SALOMONIS REISELII.
*De*
# Oſſiculo retro laryngem nato.

A. 1681. 27. Septembr. Stutgardiæ cadaver defuncti Viri 36. annorum apertum fuit, qui à quinque ferè annis cum difficultate quadam reſpirationis & anhelitus fœtore, cætera ſanus & robuſtus, vineis colendis diligens nihil niſi retro laryngem dextrorſum dolorem quendam ſenſit, & titillationem, à qua ad tuſſiculam ſiccam incitatus fuit, & difficultatem deglutiendi aliquam incuſavit. Paucis diebus domi detentus ſubitò obiit. Sub detecta igitur larynge glandulæ utrinque magnitudine dimidii ovi apparuêre, in quarum dextra verſus aſperam arteriam calculus arenoſus

sus durus satis latuit, uti quidem primo attactu judicabatur, qui postea per accuratiorem inspectionem & separationem membranarum ossiculum potius inventus est avellanæ magnitudine majoris, & dicti sensus molesti atque tussis causa. In laryngis verò posteriori cartilagine, ejusque quasi separatorum parietum intermedio sive intra duas cartilagines nigra medulla & pus apparuit, ut & in tonsilla sinistra, unde ille fœtor oris. Pulmonum quoque sinister præsertim lobus, qui intra erat affixus, in superioribus cœpit ad putredinem disponi tam ob pallidum colorem, quàm teneriorem & viscidam medullam seu parenchyma occasionem & putredini circa cartilagines & augmento glandularum dedisse suspicio fuit, quod & cartilaginis anterioris latus alterum depressius fuit fortè inter luctandum à comprimente aliquo adversario, quando defunctus animosus facilè manus conseruit cum litigantibus.

## OBSERVATIO CXVII.
## D. SALOMONIS REISELII.
### *De*
# Obstructione alvi lethali à suppressis hæmorrhoidibus.

FAber ferrarius robustus, audax, nigris pilis, annorum aliquot triginta, habitans in Mülhausen, à pago Stutgardiâ horis duabus dissito, per annũ & ultra hæmorrhoidibus fluxit, sed in Nicro flumine ligna colligens, sensit non multo post obstructionem illarũ, hinc circa alvum excernendam difficultates, ut instrumento ceu speculo fuerit aperienda; per quam modò purulenta exierunt, doloribus & torminibus intermixtis, modò alvus per plures dies retenta, tenesmus frequens, aut tandem dura scibala expressa, seu in lapideam duritiem firmati globuli, quos domestici ipsos lapides credidêre. Tandem ex inopia remediorum & clysterum maximè hîc necessa-

cessariorum, totus emaciatus periit 14. Octobris A. 1680. ipso natali die & horâ, quod ideo annoto, quia vulgus credit, quòd utplurimum quis moriatur natali suâ horâ.

Dissecto abdomine toto sicco, omenti tamen vestigiis nullis reliquis, statim coli flexus totum abdomen tegens brachii ferè crassitie, usque ad hepar porrectum, ita ut & à felle tinctum esset, occurrit, quod fœcibus satis coctis & ad libras aliquot collectis impletum erat, reliqua intestina flatibus distenta. Hepar boni coloris & substantiæ naturalis, sed diaphragmati plus solito affixum. Vesicula fellea planè inanis. Renes sine ullo vitio.

In intestino recto ab ano usque glandulæ multæ medium distantes digitum circa circum adnatæ fuerunt, vera constrictæ alvi causa, & purulentæ excretionis, & tenesmi, sine dubio ab hæmorrhoidibus induratis suppressis. Pancreas sanum. Venæ ferè vacuæ, in intestino autem colo ut & mesenterio repletæ & crassæ, uti glandulæ plurimæ & insignes. In pectore serum copiosum; pulmonum sinister a...xus & spumoso sanguine, qui putredinem sapiebat, scatens; dexter flaccidus, purulentus & maculosus, cum tamen nulla tussis adfuerit. In cordis planè flaccidi dextro thalamo globulus quidam pendulus, pinguedini similis, quem polypum fortè dicemus, ut & fibræ albæ pingues, in sinistro nihil alienum.

## OBSERVATIO CXVIII.
## D. SALOMONIS REISELII.
### *De*
# Contractura ex mensibus suppressis.

QUantum periculi ex suppressis naturalibus evacuationibus: præter innumeras alias historias & proxima & sequens evincit observatio. Mulier vidua, Martio 1681. in foro corripitur horrore, cui tanquam febrili paroxysmo voluit mederi aceto cum pipere epoto. Verum

menſes tum fluentes ſiſtuntur illicò. Hinc contractio totius cum immenſis doloribus. Datum quidem eſt Vinum menagogum ad preces poſt pulverem purgantem, cum pauco levamine. Sed conſideratis accuratiùs circumſtantiis & cauſis, ſuaſi pugnandum volatilibus, ut ſtagnans ſanguis motum recipiat. Dato itaque Spiritu C. C. volat. & ſalis armon. cum Eſſentia caſtorei, itemque chalybis infuſo, cœpit poſt aliquot dierum uſus movere artus modò dextros, modò mutatis vicibus ſiniſtros cum doloribus mitioribus. Continuato dein eorum uſu, non longè poſt planè reſtituta eſt.

## OBSERVATIO CXIX.
## D. SALOMONIS REISELII,
## *De*
# Ovo monſtroſo.

Cum varias hactenus Ovorum monſtroſorum imagines & deſcriptiones Ephemerides noſtræ Cur. ſuppeditaverint, placuit & illud recenſere, quod A. 1683. menſe Junio Beſſigheimii in Ducatu Würtenbergico gallina excluſit, tam affabrè extuberantiâ quadam, Turcicum capitis integumentum referente, exornatum, ac ſi ab artifice manu ita fuiſſet elaboratum, icone id oculis exhibente. Aliud itidem ab eadem gallina prognatum, quod tamen fractum, cæterum ſimili penè figurâ prædictum fuerat.

Fig. XXXIII. p. 254.

## OBSERVATIO CXX.
## D. JACOB SCHMID.
# Mira ſymptomata ex Nuce Moſchata juſtô majori doſi aſſumta.

U*Nica nux prodeſt, nocet altera, tertia mors eſt.* Verſiculum hunc nonnulli de ſolâ nuce juglande dictum putant,

tant, cujus modicum & immodicum usum hoc ipso indicari arguunt. Verosimiliùs est, Scholam Salernitanam diversa nucum genera indigitasse, ita, ut nux moschata prodesse, avellana nocere, vomica necare dicatur. Quid, si quis diceret, primam istam nempè moschatam & prodesse, & nocere, & mortem afferre, adeoque de hâc solâ dictum hexametrum dici posse? Mihi quid circa eandem observare licuerit, paucis dabo. Quidam inferioris Saxoniæ Nobilis 36. annorum, vegetus alioquin ac sanus, nisi quòd ventris torminibus afflictus fuisset per aliquot dies, ad eosdem sopiendos nucistas numero quatuor (quæ conjunctim fortè uncias duas pondere æquabant,) inter cerevisiæ pocula comedit) quibus assumtis mox calore p. n. dolore capitis, vertigine, mentis alienatione, ac stupore corripitur, visu penitùs privatur & loquelâ, ac ità ἄφωνος, sensuumque usu destitutus lecto incumbit per biduum, & noctes totidem, soporosus licet ac lassus, intereà temporis tamen somnum non vidit, tertio advocor, & prædictis symptomatibus stipatum deprehendo, comate vigili laborare dici potuisset, cum pulsu intermittente ac debili. Exhibeo statim medicamenta cephalica & cordialia, inprimis spirit. vitriol. cephalic. essent. castor. cum spirit. Sal. arm. generos. &c. hinc die quarto paulisper ad se redit, relictâ omnimodâ memoriæ abolitione, ità, ut nullius planè rei vel jam antehâc in vitâ gestæ meminerit, accedente hinc febre continuâ pervigilio contumaci, cordis palpitatione, & quâdam veluti symptomatum syndrome, & postremò paralysi omnium membrorum.

Tandem sermonis usum octiduo post recuperans referebat, primis quatuor diebus se nil nisi densum glaucoma vidisse, scintillis continuis, innumeris oculos infestantibus. Ab hisce malis omnibus ac singulis, continuato competentium remediorũ præcipuè cinnabarinorum ac Sal. armonicaliũ usu, post elapsum demùm trium mensium spatium, Deo benedicente liberatus & quasi postliminiò sibi redditus est. Secundùm Chymicorum hypotheses dici forsan posset, sal volatile aromaticum

cum ſ. oleoſum nimiâ doſi aſſumtum (pondus enim hujus aromaticæ nucis ad ℥ij. juſtô fuerat majus) tantam ſpirituum præcipuè animalium excitaſſe agitationem, eosque citatiori motu veluti igneos reddidiſſe, rapto ſimul ſecum in ſanguinis maſſam ſulphure viſcoſo, narcotico in nuciſta latitante, quod ipſum ſpiritibus exaltatis (eosdem figendo) torporem hinc induxerit, ut liberè poſteà in nervos influere non potuerint, unde ſtupor, aphonia & paralyſis fuerint orta. Verùm de his phœnomenis rectiùs ſentientium judicia expecto; hîc ſaltim indicaſſe juvat, nucis moſchatæ uſum in paulò largiori doſi vix eſſe tutum.

## OBSERVATIO CXXI.
## D. JACOB SCHMID.
## Satyriaſis admiranda in Sene curata.

ANNO 1678. quidam civis Quedlinburgenſis, habitu corporis macilento & ſtrigoſo, ſcorbuticus, humoribus acribus, ſalſis abundans, ſeptuagenarius, poſtquàm per biennium fuerat viduus, conjugali ſibi fœdere jungit juvenculam vegetam & alacrem, nec moderatas Veneris delicias averſantem, hanc ſenex iſte cachecticus in thalamo crebris congreſſibus venereis non ſatiat modò, ſed quoque defatigat, ſingulo nycthemero eandem decem, ad minimum, ſæpè duodecim, quindecim, imò aliquandò viginti coitibus exercens, id quod per tres menſes continuavit, voto ſe obſtringens malitioſo, nefando ac impio, ſe miſellam conjugem in hoc Cypridis certamine non ſuperaturum tantùm, verùm etiam hâc ratione enecturum. Miſera hinc & ſatiata & laſſata & tantùm non enecta rem totam agnatis denunciat, ac non tàm ſuis à continuâ ferè affrictione exulceratis partibus pudendis, quàm inexhauſtæ Senis libidini, ſalacitati ac malitiæ remedium quærit. Conſultus neceſſaria utrique & convenientia præſcribo, quæ Senex petulans non ut ſalacitatis (ab hâc enim, pro ſummo eandem

dem bono habens liberari nolebat) ſed ut ἀγχυπνίας & fictæ quaſi ventriculi debilitatis (appetitus enim cibi proſtratus erat) remedia aſſumit, inter alia Tincturam antiphthiſicam ſaturninam, item cryſtallos Saturni nitratos dedi, juncto his electuario quodam antivenereo. His per octiduum continuatis, efferata iſta coëundi libido in ſene paulatim remiſit, ac brevi evanuit penitùs, adeòque delaſſata fœmella à petulco ſuo Priapo, ipſe verò malitioſus ſenex à moleſtiſſima ſatyriaſi etiam invitus liberabatur, poſthâc non niſi ſingulis hebdomadibus debitum conjugale decenter unâ vel alterâ vice perſolvens. Vivit adhuc hodiè ipſe Senex trium ex dictâ conjuge dehinc ſuſceptorum liberorum parens. Jam verò ex lapſu ab alto hernioſus factus nulla amplius in caſtris venereis meret ſtipendia, ſed languet.

## OBSERVATIO CXXIV.

## D. JACOB SCHMID.

*De*

# Diabete ex nimio aromatum uſu ortâ, brevi curatâ.

VIr quidam Generoſus ac maximè Strenuus juxtà ac Doctiſſimus, 40 annorum, temperamenti ſanguineo-cholerici, ad ſitim & calorem p. n. quem ex nimio aromatum ac vini generoſioris uſu ſibi contraxerat, extinguendum, cereviſiæ triticeæ ſecundariæ, nobis Hipping dictæ in cœnâ & prandiô ſingulo forſan menſuras duas aſſumit urinam hinc ſingulis noctibus in quantitate quadruplo majori reddens, nimirum ad menſuras decem, duodecim, & ultra, quæ colore & odore potum aſſumtum exactè referebat. Unde ipſe rerum Medicarum non adeò ignarus his obſervatis diabete ſe laborare, ſtatim rectè judicans mihi accerſito rem totam enarrat, ac ſingulo manè accedenti dictam lotii quantitatem præviâ nocte excretam oſtendit, toto hinc corpore

emaciatur valdè, cibos licet avidè ingerens, accedit ſitis immoderata, continua oris ſiccitas, lumborum dolor &c. Auxilium petenti ad æſtum viſcerum temperandum initio dedi Tincturam mineræ martis ſolar. hinc interpolatis lenientibus Tincturam terræ Catechu, Tinct. corallorum, aliam martis adſtring. Veſperi eundo cubitum ſumſit partem pulveris ex antihectic. Pot. ebor. ſign. croc. mart. uno addito alterove grano laudan. op. Quibus per menſem continuatis ab hoc malo plenariè convaluit. Sed integro anno poſt in Thuringiâ, ut audivi, apoplexiâ correptus obiit.

*SCHOLION.*

Diabetes vera rariſſimus eſt affectus pauciſſimis viſus; Notham quidem ſeu ſpuriam Veteres itidem non ſæpè at recentiores Medici frequentiùs obſervârunt. In illâ, (quâ aſſumta potulenta nihil planè immutata celerrimè eminguntur) renes primariò & quidem laxitate nimiâ laborare videntur. Ad hanc verò nec ſola renum laxitas nec intemperies calida viſcerum ſufficit. Cùm enim hæc nihil aliud ſit, quàm profluvium urinæ colliquativum, quo longè major urinæ copia redditur, quàm aſſumtus erat potus; Hinc præſupponendum:

1. Viſcera ſi non omnia, pleraque tamen ſeri elaborationi inſervientia hìc peccare, adeoque cauſam magis in totâ maſsâ ſanguineâ latere.
2. Humores in toto corpore per ſal quoddam, & aërem calidum poris nimis hiantibus attractum liquari ac fundi, imò juxta Helmontium in tr. paſſiv. ſchol. Humoriſt. decept. totum mutari in lotium, unde Aretæus, teſte Horatio Augenio Epiſt. l. 3. hunc affectum vocavit miraculum, definiens eundem per τῶν σαρκῶν καὶ μελέων ἐς οὖρον σύντηξιν.
3. Specificam ac ſeparativam fermentionem in renibus, (quam in ſtatu ſecundùm naturam Diemerbrock anatom. l. 1. c. 17. p. m. 147. eleganter oſtendit,) eſſe depravatam, ipſosque renes à ſale quodam anguloſo (aliis ab impacta pituita

pituita salsa) stimulari, juxta Paracelsum tract. 2. de Tartar. Vel Renum archæum ab acore peregrino in furorem actum munia sua oblivisci, uti secundùm Helmontium placet Grembsio, Arb. Integ. & R. Hom. l. 2. c. 1. §. 7.

4. Ureteres, emulgentia & reliqua vasa, n. v. viscera urinam colligentia & secernentia laxa esse, eorumque poros nimis hiare.

Ex his præsuppositis indicationes & curatio patent. Patet, inquam hinc, intentionem primariam esse, ut sanguis nimiùm diffluens & acrior factus concentretur, libereturque per edulcorantia à sale isto anguloso, restituto simul renibus pristino suo tono per leviter constringentia. Hinc in principio (sicuti febris hecticæ) facilis hujus affectûs est curatio, quam iste inveteratus planè nullam admittit. Hinc præ cæteris Martialia, (quæ ideò Hartmannus in pr. Chymiatr. vel sola in hoc affectu internè & externè commendat,) & opiata, insignem præstant operam, illa sanguinem edulcorando, hæc figendo eundem, concentrando utraque nimis diffluentem, quod primariò indicabatur. Hinc Tinctura illa miner. Mart. Solar. spir. ror. majal. extracta, stipticitate quâdam gaudens ceu convenientissimum appropriatum, me observante, se gessit optimè. Hinc denique patet, cur Knoblochius tali diabeticâ passione laborantis rustici corpus, (adhibitis internè refrigerantibus & adstringentibus) totum emplastro involverit, quò scilicet pori nimis hiantes quadantenùs occludantur, eoque modo dictum rusticum feliciter curaverit, quod testatur in Notis ad aphorism. Hippocr. cap. de affectib. ren. aphorism. pract. 38 p. 409. Observavit passionem hanc diabeticam à succo betulæ copiosius hausto ortam Illustris Wedelius, Curiosissimus rerum naturalium Observator Dec. I. An. II. Ephem. Germ. observ. 198. ubi Vir Excellentissimus plura Autorum observata collegit, ac eandem affectionem licet raram, â multis tamen, nominatim præter Galenum, ab Erasto, Lommio, Cardano, Rulando, Do-

donæo, Tulpio, Bartholino, Rolfincio, Hollerio, Hildano, aliisque annotatam esse, ostendit. Vidit eandem quoque Trincavell. bis de rat. curand. partic. corp. aff. l. X. c. 11. ter in patre & filiâ Rondelet. de method. cur. c. 42. semel Forest. l. 24. obs. 4. Knobloch. l. c. & alii. Ita & Excell. Dnn. Bartholinus, Borrichius, Mögling, Cummenius, Nesterus, &c. uti videre est. præced. Dec. An. II. Ephem. observ. 162. 167. 175. 198. it. An. III. obs. 183. & An. VIII. obs. 26. &c. Hîc cibi aromatici ac vinum generosum nimiò assumtum in causâ fuêre, eâdem ratione, quâ ob largiorem farciminis piperati esum, eandem exortam notavit ex Lusitano Schenckius observ. l. 3. p. m. 500.

## OBSERVATIO CXXIII.
## D. JACOB SCHMID.
### *De*
## Urinâ per plures annos oleaginosâ.

UT pulsum; ita & urinam mille res variant. Hinc signa sanitatis ex urinæ statu desumta incerta & fallacia esse, eleganter ostendit Nobiliss. Dn. L. Grassius obs. 68. An. IX. Ephem. Germ. superior. Dec. Observârunt alii chylosam, ut B. Möllenbr. Dec. I. An. I. obs. 89. Eph. Cur. alii lacteam, actu frigidam, nigram, filosam, cruentam, noctu lucentem, viscidam &c. uti in Miscell. Nat. Cur. hinc inde curiosè annotatum videmus. Rarior est urina oleaginosa quoad substantiam, adeò, ut plures eam dari negent, aquam oleo permisceri non posse, putantes, quod tamen accedente sale, tanquàm interprete, omninò fieri posse, saponis exemplo demonstrat B. Mœb. instit. l. 3. c. 4. Mihi talem videre contigit: JCtus Quedlinburgensis, adhûc vivens, Vir. 33. annorum, cholerico-sanguineus, graciliori corporis habitu præditus, anno 79. (quo tempore adhuc in cœlibatu vivebat) ineunte vere contra renum dolores & pollutionem nocturnam remedium petebat, à quo

à quo malo etiam brevi liberabatur, feliciter. Sed durante istius curationis tempore, ipse cum urinâ semen simul excerni falsò suspicatus, hanc digitis explorat, quâ ad tactum pingui deprehensâ perterrefactus ad me accedit, urinam dijudicandam offert, quam colore & odore naturali simillimam, sed tactu merè oleaginosam, & oleum quoddam destillatum subtilè exactè referentem offendi; hinc portionem pinguedinis renalis à calore p. n. (paulò enim antè febricitaverat) liquatam & mediante salino vinculo, latici remixtam infusis spiritibus acidis præcipitare & concentrare conatus sum, sed frustra, stagmate urinali oleaginoso eandem claritatem, pristinamque formam servante, cui tamen post infusionem dictorum spirituum, paucæ veluti squamulæ, spermatis ceti instar in superficie innatabant. Intereà subinde renis dextri dolor afflixit.

*SCHOLION.*

SImilem hunc esse casum, qualem Forestus lib. 24. obs. 3. narrat, existimans, juxta Divini Senis effatum l. 2. prognost. 31. Insignem vel totius vel renum colliquationem metui. Adhibitis hinc contra eandem variis per aliquot menses, remediis, in spec. pilul. de thereb. c. magist. Saturn. croc. Mart. adstr. extract. papav. rh. &c. aliisque nobilioribus præcipitantibus, urina nihilominùs eodem modo oleaginosa per quinq; nunc annos integros permansit, atque talis adhuc hodiè perdurat, sine ullo sanitatis detrimento, nisi quòd circa renis dextri regionem dolor quandoque oriatur obtusus, & corpus oppidò gracile, cibum licet optimè capiat, nullo modò impinguetur. Cùm in ætate tenerâ ferè continuò valetudinarius & cachecticus fuerit, hic legum peritus. Urina talis oleaginosa procul dubio à primo nativitatis ortu extitit, quod ipse antehâc non observavit. Interim talia patiens & ab hoc symptomate colliquationis periculum non sine causâ metuens liberari adhuc discupit, quod, an fieri poterit, debitis porrò tentabo remediis, quid inde fiet, sedulò observaturus. Urinam glutinosam Nobilem quendam ab Hohenheim toto ferè vitæ suæ tempore si-

ne ullâ ſanitatis offensâ reddidiſſe refert Schenck. lib. 3. obſerv. p. 557. Videatur & Foreſt. lib. 24. obſ. 3. Sudorem verò pinguem, item pinguedinem meram per alvum excluſam obſervavit B. D. D. Möllenbrock. An. 11. Ephemer. Germ. Dec. I. obſ. 19. & 20. Simile quid vidit B. Mœbius, fundam. phyſiol. c. 11.

## OBSERVATIO CXXIV.
## D. JACOB SCHMID.
*De*
# Urinâ oleaginosâ in febribus malignis lethali ſigno.

VEriſſimum eſt axioma Excell. Dn. D. Wedelii, Introd. in Medicin. part. 3. ſect. 2. theorem. 23. Urina oleaginoſa quoad ſubſtantiam rara eſt, colliquationem notat malignam. Ejusmodi urinam oleaginoſam, ſimul tamen impensè ruffam ceu peſſimum & funeſtum ſignum deprehendi in duobus fratribus, Coriarii Quedlinburgenſis filiis, quorum alter viginti, alter verò octodecim annorum, uterque febre ſummè malignâ correptus, ille intra biduum, (erumpente ſimul circa pectus carbunculo peſtilentiali livido ac funeſto) hic verò intra ſex horarum ſpatium ab invaſionis tempore, (bezoarticis & expellentibus generoſis & optimis fruſtrà adhibitis) anno 1678. menſe Martio, unâ eâdemque ſimul hebdomade extinguebatur.

## OBSERVATIO CXXV.
## D. JACOB SCHMID.
*De*
# Urina Cryſtallina.

SIc novi Theologum primarium, ſexagenario majorem, in cujus urinâ paucis poſt emiſſionem horis ſemper concreſcunt cryſtalli albi, cubici ac rhomboidei, argenteo ſplen-

splendore micantes, ac depuratissimos tartari crystallos pelluciditate superantes, qui tamen sanitate sic satis firmâ gaudet, nec arthriticis vel nephriticis insultibus, quod mirum, unquam infestatur. Urinam post emissionem lapidescentem bis observavit Excell. Dn. D. Simon Schulzius Eph. Cur. Dec. I. An. V. observ. 126. unde ob materiæ similitudinem hoc addere, non adeò inconveniens esse, duxi.

## OBSERVATIO CXXVI.
## D. JACOB SCHMID.
### *De*
## Sudore unius lateris.

SUtoris Quedlinburgensis, Sigismundi Fäteners uxor adhuc vivens, succiplena, cæteroquin sana & vegeta, ubi corpus à motu vel calore externo, vel assumto sudorifero calefit, in singulis sinistri lateris partibus à capite ad calcem usque sudorem profundit largissimum, in dextro verò latere ne minima sudoris gutta nec mador unquam erumpit, id quod ego partim non modò sæpissimè vidi, sed ipsa quoque hoc à pueritiâ, quantum recordari potest, non aliter contigisse, constanter asseverat. Quod autem hîc quàm maximè admirandum mihi videtur, illud est: quoties hæc fœmina ex marito concepit, (est autem quinque jam liberorum mater) statim à conceptionis & hinc toto gestationis tempore sudorem per corporis partes in utroque latere ordinariè prorumpere observat; exantlatis verò partûs laboribus, eo ipso momento dextri lateris pori concidunt, ac firmissimè iterùm clauduntur, adeò, ut ipsa sudorem totius corporis pro infallibili conceptionis indicio, & quasi pathognomonico imprægnationis signo in se jam agnoscat, habeatque. Extra ingravidationis verò tempus etiam in balneo calidissimo per diaphoretica maximè volatilia (quod aliquoties tentavi) sudor nullatenùs elici potest. Ipsa interim nulla hinc sentit sanitatis incommoda,

nisi

nisi aliqualem sinistri brachii ac totius ferè istius lateris gravitatem, forsan à latice seroso illùc copiosiùs affluente oriundam. Utrùm partes sinistri lateris pluribus ac majoribus vasis lymphaticis vel speciali præ reliquis conformatione, an verò cutis in eâ corporis parte speciali pororum dispositione & structurâ à primo ortu itâ factâ gaudeat, & pluribus glandulis subcutaneis, majorem seri copiam recipientibus & emittentibus? Vel an Archæus partium sinistri lateris alacrior ac robustior sit, è contra verò dextri lateris partium torpidior, ac debilior non nisi à spiritu seminali excitatus excrementum serosum expellere tentet? Acutioribus Naturæ Mystis expendendum relinquo. Observavit jam antehâc sudorem dextri tantùm lateris in XIII Viro Argentoratensi, tandem hydrope mortuo Excell. Dn. D. Francus P. P. Heidelbergensis, Argus in rebus naturalibus perspicacissimus Decur. I. An. V. Ephemer. Germ. obs. 100.

## OBSERVATIO CXXVII.
## D. JACOB SCHMID.
## *De*
# Febri ex umbra sambuci orta.

QUidam apud Quedlinburgenses Balneator, Hermannus Worbs dictus, cacochymico corporis habitu gaudens ac serosis humoribus abundans, quoties sambuci frutici æstivali tempore approximat, ita, ut, umbrâ ejus tegatur, statim quandam in corpore alterationem, lassitudinem ac torporem, inprimis verò glandulas inguinales ad ovi magnitudinem cum dolore intumescere, sentit, unâ vel alterâ elapsâ horâ, rigore febrili non levi ad horæ circiter spatium durante, hinc calore p. n. forti, dolore capitis &c. corripitur, uno verbo: febricitat: Assumto verò rob sambuci, vel alio quodam ex eodem frutice parato remedio sudorifero, intra 24. horarum spatium plenariè convalescit, & ab

ab ista febre umbratili liberatur penitùs. Hoc ipsum tali ritu ſibi vel millies, quoties nimirum in umbrâ ſambuci ſteterit, obveniſſe, juratò affirmat. Hanc p. n. ac febrilem ſanguineæ maſſæ ac lymphæ fermentationem effluvia à ſambuco exeuntia inſpirare, non facilè quis negaverit.

## OBSERVATIO CXXVIII.
## D. GEORGII FRANCI.
### De
# Anatomicis quibusdam noviter obſervatis.

RAriora in nupero cadavere pauca inveni: Ileon perforatum circa umbilicum à lumbricis ultra 20. vivis, ad ſpithamæ longitudinem ſingulis. Muſculi pyramidales ad 6. digitos transverſos longi ad radicem in oſſe pubis ultra duos lati ſenſimque ita deſinentes, admodum robuſti in homine probe mentulato, adeo ut facile accedam Anatomicis pro robore genitalium datos ſtatuentibus. Quin imo ordinarios eſſe credo; quia in omnibus, quæ heic diſſecui, cadaveribus inveni; & olim ſimiliter ap. Præceptores ſemper vidi; ut extraordinarium reputem, ſi deſint; ſed cautela opus eſt in ſeparatione: Prima enim fronte abeſſe credebant diſcipuli quos riſi; quando per enchireſin tam validos inveniebam. Recti abdominis muſculi quatuor habebant inſcribtiones in corpore lacertoſo; adeoque recte credo tot eſſe diverſos muſculos quot inſcribtiones eos diſcernunt. In transverſis abdominis muſculis hoc notabile; quod nunquàm vidi, nec alibi legi; per medium inſcribtio membranoſa & pinguis illos fere diſcindebat; ſi finem verſus umbilicum ad 2. digitos transverſos excipias. Inteſtinorum longitudo 20. ulnas noſtrates excedebat, cum homo eſſet mediocris ſtaturæ. Hepar longe maximum ad ℔iiiß. civiles; quod convexitate ſua totum laquear diaphragmatis adimplebat & perpendiculariter ad utramque papillam deſinebat, quem ſitum naturalem eſſe credo, quia in omnibus cadaveribus ita inveni; ſecus ac plerique

qui credunt ſaltim in dextro hærere hypochondrio; quippe utrumque replet; magis quidem dextrum. Lien pendebat 14. lothones civiles; Cetera viſcera omnia ſana; vaſa ſpermatica teſtesque ad Græfii methodum ſeparavi: Maximè autem cerebrum, cujus ventriculi 2. ſuperioris aqua limpida repleti, in tertio ventriculo minimas etiam particulas quasque; prout icones quoque Anatomicorum maximè Bartholini repræſentant; reliquasque portiones curioſas demonſtravi ad oculum; quippe ſub dio, hora 2. poſt meridiem, præſente Magnif. Dn. Rectore & ſplendida circumfuſa corona.

## OBSERVATIO CXXIX.

## D. PAULI JALON.

*De*

## Urinæ incontinentia.

Puer decennis nomine David Miſchelet macilentus & ingenio acri præditus, ab ineunte ætate incontinentiâ urinæ affectus adeo frequenter lotium reddere tenebatur, ut ferè ſemper eô maderent ejus induſium, veſtimenta & lectus: ſitibundus perpetuò, ſæpe cum dolore, ſæpius ſine moleſtia mingebat, prout vel minorem vel majorem potus quantitatem ingeſſerat. Multa ad hunc affectum tentata in caſſum fuerunt remedia. Circa ſeptimum ætatis annum, per duos dies in hypogaſtrio dolorem acerbum perſentiens tandem in urinæ ſuppreſſionem incidit cum dolore colis urgentiſſimo. Chirurgus accerſitus ex urethra fabæ minoris magnitudine & figurâ calculum extraxit cum ſuccedente magnâ urinæ copiâ. Quô factô dolores ſævi remiſerunt, gravia tamen alia ſymptomata ægrum torquere non deſierunt, nimirum gravitas in imo ventre, mictio frequens & ſæpe dolorifica; pruritus pectinis & moleſta penis titillatio: Ita ut nullus vel è plebe non judicaverit alium adhuc in veſica grandiorem ſtabulari calculum, & ideo puerum lithotomiæ, calculô priùs debitè

debitè exploratô, ſubjiciendum eſſe. Decem poſt menſibus, Chirurgus digitô in anum & cathetere in veſicam immiſsô, nullum ſe calculum deprehendere nec adeſſe aſſeveravit. Nulli tamen facilè calculi ſuſpicio adempta eſt. Annô ſequenti Dn. Callot Lithotomorum hujus Provinciæ dexterrimus ſub initium veris Metas appellens veſicam pueruli cathetere exploravit ejusque collo calculum avellanæ majoris magnitudini reſpondentem, ſed citra ægri interitum propter ejus adhæſionem ſectione nondum poſſe auferri pronunciavit & ad ſequentem annum differri oportere cenſuit. Interim æger majoribus indies moleſtiis afflictus circa hyemem ſævas in hypogaſtrio irritationes convulſivis ſimiles cum excretione lotii imminuta & deſuper rheumatiſmo per totum corpus diffuſô, perſenſit & intra paucos dies obiit.


Cadavere apertô, ſtatim ad renum & veſicæ ſcrutinium properavimus. Loco renum apparuerunt duæ veſicæ renales (ſic enim potiùs quàm renes vocari merentur) exterius multùm adipoſæ, duplo majores rene vulgari, figuræ propemodum ovalis, ſex digitos longæ & quatuor latæ. In has veſicas vaſa Emulgentia ut vulgo ſolent ferebantur & eorum propagines inter duas tunicas, imo in exteriori magis quàm in ſubſtrata hinc inde diſperſæ currebant. Ureteres utrinque ad veſicam urinariam deſcendentes potius inteſtina quàm ductus ordinarii videbantur. Ductus hi prope veſicas renales tres digitos lati ſenſim ſenſimque quo magis veſicæ urinariæ appropinquabant, magis anguſtabantur, ita ut juxta illam & intra ejus tunicas inſerti unius tantùm digiti latitudinem æquarent. Veſica urinaria veſicis renalibus minor, ad tactum denſa ac tunicis ſolito craſſioribus donata ſentiebatur. Hæc erat φύσις harum partium externa, penè dixerim, monſtroſa. Veſica renalis dextra cultello per medium diſſecta exhibuit membranam ſatis denſam ex duabus tunicis conflatam, quarum externa adipoſa craſſior, alba & ſpongioſa capillamentis vaſorum exilibus hinc inde conſperſa; interna verò tenuis & fibris

(ductibus forsan renalibus Malpigii) vario modo dispositis donata videbatur. Cavitas hujus ampla & ovi gallinacei capax duobus septis membranaceis distincta erat, ita ut inde tres quasi cellulæ seu ventriculi, à quibus in Ureterem aditus pateſceret, efformarentur. Vesica renalis sinistra alteri erat similis, nisi quòd in hac unica membrana transversa duos tantùm ventriculos efficeret. Superficies interna utriusque ad tactum inæqualis & protuberantiis admodum exiguis referta carunculas papillares plurimas visu ferè imperceptibiles procul dubio nobis indigitabat. Unde seri copia ingens perpetuò ad vesicam urinariam præcipitabatur. Ureteres ex his, tanquam earum substantiæ membranosa continuatio, egressi amplissimo ductu ad vesicam οὐροδόχον ferebantur. Eorum cavitas in parte superiori tres digitos sibi invicem junctos admittebat; in parte autem inferiori, qua in vesicam hiatu patulo terminabantur, calamus scriptorius ex vesica in eorum ductum sine ulla violentia intrudi poterat. Vesica urinæ sectione aperta membranam dimidii digiti crassitie carnosam & in se quasi collectam, exteriùs valdè adiposam, internè verò multùm cavernosam & rugosam exhibebat. Nullus calculus, imò ne minimum quidem Sabulum in ea reperiebatur. Foveæ seu, ut ita dicam, vacuitates satis profundæ hîc latiores, illic angustiores per totam vesicæ superficiem internam inter corpora quædam prominentia, alba, longa & instar chordarum teretia (quæ secta quasi fasciculos fibrarum nervosarum constituebant) efformabantur. Hæc corpora ad tactum dura styli pugillarium magnitudinem æquantia modò rectâ modò obliquâ & transversali lineâ totam interioris tunicæ superficiem perreptabant & plurima eorum in vesicæ cervicem dimissa, sphincteris constrictionem & occlusionem exactam impediebant: Unde pueri urinæ incontinentiæ causa manifestissime deduci potest. Pleræque partes aliæ & viscera satis rectè se habebant, præter hepar, quod parùm solito majus conspiciebatur.

Nunc rationes symptomatum elicere & casûs enodationem

Fig. 34. f. 293.


Tab. 1.




Tab. 2.




Fig. 39. f. 301.





nem instituere non multum difficile esset, sed aliò me negotia vocant. Addo tantùm figuram anatomicam minùs exactam die sectionis 17. Decembr. 1683. â me delineatam, quam æqui bonique consulas rogo.

Ad Joh. Jacobum Harderum Phil. & Med. Basil. Figura XXXIV. N. I. N. II.

TAB. I.

aa. Vesicæ renales.
bb. Capsulæ atrabilariæ.
cc. Vena cava descendens.
dd. Arteria magna descendens.
ee. Vasa emulgentia.
ff. Vasa spermatica.
gg. Ureteres monstrosi.
h. Vesica urinaria.

TAB. II.

aaa. Vesicæ urinariæ media
pars infima.
bbbb. Foveæ seu vacuitates.
cccc. Corpora protuberantia.
dd. Ureteres abscissi.
ee. Foramina duo ureterum aperta in vesica.
ff. Cervix vesicæ, cum corporibus protuberantibus.

*SCHOLIUM.*

EX primæ conformationis vitio, quod renes cum Vesicâ incurrisse haud obscurè videatur, symptomatica ratio facilè peti potest. Incontinentia enim à primâ ætate infestans non tàm secretionis in renibus impeditam vel acutam nimiùm, quàm vesicæ conformationem vitiatam ostendit, ob quam urina per ureteres amplos appellens ad tempus aliquod retineri non poterat: imposuit illa ipsa chirurgo, ut puerulum calculo laborare sibi persuaserit; percepto haud dubiè corpore duro & renitente. Vesiculæ verò renales naturæ providentiam produnt, quæ organo quoad exteriorem saltem fa-

ciem naturali deſtituta, eam tamen partibus ſtructuram largitur, quâ ſecretioribus neceſſariis utcunque fungi queant: quâ ipsâ tandem ceſſante corpuſculum in deterius labitur, unde & his impedita ſeri ſalſi ſequeſtratione mineraque circa fibras nerveas in abdomine hîc illîc depoſitâ motus quaſi ſpaſmodicos cum rhevmatiſmo aliisque funeſtis ſymptomatibus perpeſſus eſt, uti quidem ſuper iſta videri poterit ætiologia, quam hiſtoriæ puellæ rene altero carentis ſubnexi.

[*Joh. Jacob. Harderus.*]

## OBSERVATIO CXXX.

## D. MARTINI JOHANNIS HAESBAERT.

## Vermium copioſa excretio.

VAria præter naturaliter in corpore noſtro progenerari, præprimis autem viſceribus ac inteſtinis, indies ſolertiſſimi obſervant Anatomici, inter quos principatum obtinuit accuratiſſimus animalium diſſector Bartholinus: ita calculos in hepate, liene, pulmonibus &c. repererunt Foreſtus, Columbus, Crato, imò Rhaſes: quandoque autem fœtus ejusmodi extra corpus eliminat natura, vel quantitate obruta, vel alio inſtinctu laudabili, uti quidem calculoſæ mictiones, imò ſputationes iſtud teſtantur: præprimis autem vermium excretio frequens eſſe ſolet æquè ac ipſorum in inteſtinis generatio, eò minùs inter rara haberi ſolita, quò frequentior: Nihilominus haud injucunda fore confido, ſi quæ circa verminoſam dejectionem haud ita pridem contigerunt recenſeam: Infans erat quatuor annorum, cui pulverem meum anthelminticum exhibui, iſte alvum exoneraturus, tantam materiæ copiam uno ictu dejecit, ut moriendum ſibi altâ voce ingeminaret: Accerſitus, Parentes de viſcerum ſingulorum excretione ſollicitos, bono animo eſſe juſſi: certus nonniſi mali ſentinam vacuatam eſſe, id quod excrementa inſpicienti palam

evaſit

evasit, præter enim innumeram vermium copiam, qui materiæ viscidæ copiosæ implicabantur, nihil animadvertere licuit: Ut tamen quo reficeretur, infantulus haberet, mixturam cordialem præscripsi, quâ vires sensim redierunt.

Omnia medicamenta, quæ vermes necant, constant partibus durioribus, atque inter hæc familiam facilè ducunt, quæ præparantur, ex Vitriolo; idque præstant amaritudine, aciditate aut salsedine, cujusmodi est sequens:

℞. Semin. Santonic. ℈j. Vitrioli calcinat. gr. V. trochisc. anthelm. m. gr. x. F. pulv. detur ex convenienti vehiculo infanti 4. annor.

Silentio hîc præterire non possum, vermes duos oblongos, digito minori crassiores, colore rubeo, quorum effigiem figura præsens exhibet: hospitabantur hi in rene canis sinistro, qui inde totus excavatus & rugosus erat: in dissectis autem intestina decuplo longiora ipsis vermibus conspiciebantur &c.

Fig. XXXV.

## OBSERVATIO CXXXI.

## D. CHRISTIANI MENTZELII.

# Musca pulex vel cimex.

MEnsibus Julio & Augusto præcedentis anni 1683. spectaculum de Muscis pulicibus aut cimicibus alatis Potsdami in ipso lecto meo mihi contigit, manè cùm surgerem, noctemque culicum sonitu, pulicum puncturis, & id genus insectis, corpus noctu infestantibus, satis inquietam habuissem. Mense Julio illæ mihi admodum obscurè innotescebant, cùm tres, quatuorve manibus quidem cepissem, sed corpuscula tenerrima & fluida adeò contrivissem, ut nil nisi alarum quid appareret. Sequente verò mense, die 11. Augusti, cùm eosdem cruciatus noctu sustinerem, idque insecti genus alatum in memoriam rediret, & jam diesceret, perfero incommoda corporis, nec me priùs moveo, quàm clarum

Phœbi

Phœbi lumen lectum perlustraret, quò hostes infestos eò melius intueri & capere liceret: quô factô, subitò me ex lecto in pedes conjicio, locum, ubi quieveram perspicio, atque in lodice inter pulices saltantes has quoque muscas observo, manûsque tactu, sed leviore sex capio, enecatas tamen omnes & penè contritas. Harum duas Microscopio satis claro & â Cl. Dn. Joh. Abraham Ihle, dono mihi tunc misso, subjicio, ac per illud eas sic depingo. Musca hæc major non est pulice, alis tenuibus, membranaceis, pellucidis, utrinque tamen duplicibus aut triplicibus. Per microscopium visa apparuit vespæ minoris aut muscæ majoris magnitudine, ut Figura XXXVI. monstrat. Oculi, ut in vulgari musca, brunni sunt coloris. Venter medius, dorsum & sex pedes, hîc in Figura contracti, crustâ quadam videntur obducti, quæ coloris & ferrei cum cæruleo, splendido mixti, Imus venter respectu animalculi satis crassus & rotundus est, ut cimex parvus videretur, subtus parum candicat superiùs verò niger est. Alæ sunt oblongæ, uti superiùs descriptæ cum costulis quibusdam nigricantibus interstinctæ. Aculeum in ore non potui observare, ut morsu potiùs, quàm punctis infestare videatur. Hæc de Musca pulice aut puliciformi, vel si ob rotundum corpus eam velis cimicem alatum appellare, perindè erit. Quamquam verè cimices alatos in Italia inter Euganeos montes observarim, non quidem vulgares, â Germanis Alfte vocatos, sed cimicibus lectulariis, figurâ magnitudine, colore, & fœtore persimiles & alatos, frutici cuidam insidentes. Inter ea, quæ humanum corpus noctu solent infestare & pungere, innotuit quoque insecti genus parvum, crustaceum, nigrum ex scarabæorum genere, quod frumentum secalinum solet exedere. Id proboscide sua terete, oblongâ & durâ asseres, quibus frumentum incumbit, & ligna quæcunque perforat, inibique latitat. Hic scarabæolus, de quo peculiaris observatio posset institui, cùm est incola lignei lacunaris, atque ex eo in subjectum lectum cadit, sive volitat, hominem quoque noctu solet mordere. Id faciunt quoque Scorpiones lectularii, quos frequen-

frequentes observavi in chartis à typographis recenter tractatis & compactis. Tot & pluribus aliis, vel inscii, & dormientes, subjicimur malis.

Fig. XXXVI. p. 298

OBSERVATIO CXXXII.

D. CHRISTIANI MENTZELII.

## Papilio-Blatta alis plumosis.

ADmirandus est Deus in operibus suis & maximis & minimis! quod in hac tinea sive blatta imprimis relucet. Hujus alæ tantô contextæ sunt artificiô, ut Pavonum præsertim candidorum caudis structurâ & elegantiâ non cedant. Quælibet alarum quinque constat pennis vel plumis, quarum quatuor superiùs satis perspicuè cernuntur, quinta verò omnium minima sub istis quatuor latet. Duæ superiores cohærent ad invicem arctiùs, Blattæque volatui præcipuum robur conciliant, duæ inferiores parùm debiliores sunt ac minores. In extremitate plumarum speculum quoddam pavoninum est, per quod stamen seu costa (in avibus calamus) excurrit & speculum acumine quodam superat & excedit. Reliquæ partes à latere istius costæ, quæ in avibus plumarum filamenta constituunt, in tam subtilem pubem abeunt, ut tenuissima Amianthi extensi staminula vel potiùs effluvia, ad levem digitorum tactum evanescentia, mentiantur. Oculi in hoc Papilione nigricantes ex situ candido, quô instar farinæ aspergitur, vix conspiciuntur: inter eos duo cornicula alba capillis tenuiora, eminent. Pedes ei sunt sex, duo posteriores longissimi omnium, in 5. tanquam digitos divisi, albissimi, muscum candidum ramosum præsentantes: duo intermedii pedes tribus constant extremitatibus: superiores duo individui sunt ac simplices. Totus papilio mirùm candicat tanquam farinâ conspersus: Incidi in id genus papilionum Clivis Anno 1661. 7. Junii in hortis inter gramina vesperi, ubi cum multis

aliis similibus eum cepi, atque ex genere esse papilionum nocturnorum, qui noctu circumvolitant, interdiu latent, animadverti. Cæterùm Genesis ejus & Metamorphosis nondum constat. Est & alia species paullò major, per totum huic similis, sed coloris halcei vel candido viridis, in ericetis mihi iter facienti observata.

Fig. XXXVII. p. 299.

## OBSERVATIO CXXXIII.

### D. JOH. FRANCI.


*De*

# Nummo argenteo, Rapæ incluso.

Quoniam quisque pro suo à DEO sibi concredito talento ad historiam rerum naturalium in medium quid notabile comportat, hanc observationem, quam dupliciter rarum existimo, fideliter, non ut viderer, sed aliorum de hac judicium percipiam, adjicere placuit. Cùm enim A. 1683. die 8. Octobr. st. v. filius meus David Jonathan annorum trium cum dimidio, in museo, me in secando canis utero occupato, rapam passim jactatam cultello suo, Parentis factum ut exprimat, mactasset, diu autem eam acerbiùs tractans lætanti tandem animo me accurrens clamitabat, Parens en nummum! ego formam externam adspiciens satis delectabilem deprehendi. Rapa erat spithamæ & ultra longitudine, brachiata, pedibus Sirenum instar remigantibus instructa, aliàs sat glabra, & absque fibris. Superficies partis ejus superioris ferè usque carnei erat coloris & quasi collari purpureo vestita; cetera cùm res parvi sit momenti & icon suppeditet, hæc describere supersedeo. Ast interna majorem admirationem & oblectationem dedit; ex medio enim rapæ loco cordis emicabat nummus argenteus, qui adeo tenaciter hærebat, ut non nisi in partes priùs plurimas dissectâ, ejus particeps fieri potuerim, separatis dein particulis rapæ, grossum imperialem

A. 1645.


Fig. 35. f. 295.
Papilio Blatta alis plumosis, naturalis magnitudinis.
Fig. 37. f. 298.
Fig. 38. f. 298.
posterior pars.
Fig. 36. f. 297.
a
Musca pulex naturalis magnitudinis.
Musca puliciformis vel cimiciformis per microscopium depicta.
anterior pars.
a. Locus grossi imperialis.


A. 1645. cum effigie Auguſtiſſ. Ferdinandi III. Imperatoris percuſſum inveni. Quem ſub ſemine rapæ primò jacuiſſe, licet aliàs non excludam, mea eſt opinio.

Fig. XXXVIII.

## OBSERVATIO CXXXIV.
## D. VITI RIEDLINI.
# Gutturi inhærentia fortè fortuna rejecta.

IN aſperam arteriam ſæpius quædam nobis, dum edimus bibimus, ſimul ridentibus aut loquentibus delabi, quotidiana teſtatur experientia. Elegantes ſunt hac de re hiſtoriæ, quas diligentiſſimus *Sennertus Prax. lib. 2. P. 2. cap. 1. p. m. 142.* narrat, quibus ego ſequentes binas, licet jam per benè longum temporis ſpatium latuerint, propterea tamen nulli diſpliciturás ſperans, addo; hoc unicum priùs monens, meipſum, qua primam, adhuc dubium eſſe, ubi nummus ille ſive Cruciatus latuerit? interea tamen ad minimum in vicinia aſperæ arteriæ delituiſſe, certum eſt, hanc ideo hiſtoriam haud incommodè cum ſequenti conjungi poſſe, viſum fuit. Eſt autem Andreæ Lehenherren Auguſtani, qui A. C. 1604. d. 13. Decembr. intenſiſſimo dentis dolore detentus, ab amico monitus, ut Cruciatum, nummum aureum, denti dolenti imponeret, monitis obtemperans, dolorem forſan caſu magis quàm indè mitigatum ſenſit, hincque lectulo incumbens obdormivit, poſt bihorium verò excitatus nummum ſuum nullibi invenire potuit, cumque nec in gutture, quod mirum, quicquam ſentiret, ubi lateat, per bimeſtre ſupra integrum biennium inſcius remanſit, donec tandem A. 1607. d. 12. Febr. arundine aucupatoriâ felem globulo petens, fortiusque exſpirans, ſimul Cruciatum ſuum è latebra ſua efflaverit, integrum omnino, illæſum & pituitâ viſcidâ obductum; hic in perpetuam rei memoriam Baliſtariis noſtratibus poſtea dono datus fuit, qui eum Poculi argentei grandis operculo appenderunt,

annis ſupra notatis, annulo aureo, à quo pendet, inſculptis: Filius verò hujus, multis annis poſt, laminam argenteam adjecit, in cujus alterâ parte hæc verba leguntur: Nebenhangenden Ducaten hat mein lieber Vatter Seel. Andreas Lehenherr à 2. Jahr/ 2. Monat bey ſich im Hals getragen/ aber durch einen Blaſer / in einem Vogelrohr nach einer Katzen / GOtt Lob / wieder herauskommen/ in altera verò ſequentia: 1660. den 14. Septembr. zur Ehren-Gedächtnus meines lieben Vatters hab ich Chriſtoph Lehenherr A. Eichtmeiſter dieſes Schiltlein einer Ehrlichen Geſellſchafft der Stahl-Schützen verehrt. Quorum verſionem, quia præter jam narrata notatu digni vix quippiam continent, non adſcribo. Communicavit autem hæcce dictorum Baliſtariorum Præſes, Dn. Johannes Bierman, Pharmacopœus induſtrius, qui & nummum & cætera monſtravit. Altera eſt Nobilis cujusdam Juvenis, cujus laryngi ante plures annos piſum tam improviſò infixum fuit, ut, licet mox poſt tuſſis perpetua cum febre lenta & reſpiratione difficili ſucceſſerit, de hoc tamen nec quidem cogitârit, & Medicus ordinarius per benè longum temporis ſpatium, remediis, aliàs huic malo dicatis, oppoſitis, nil quicquam efficere valens, illum tandem Prognoſtico reliquerit, non ſine magna Matris viduæ triſtitia, quæ aliquando, ne omnino non haberet, quo ægrum recreare poſſet, magnam in Aquam ceraſorum nigror. fiduciam ponens, illam per Aurifabri cujusdam domeſtici diſcipulum è Pharmacopolio peti curavit, qui vel minùs rectè mandata percipiens, vel nominis oblitus, loco hujus Aquam fortem ſibi notiorem & ſæpius hîc loci à ſe emtam petiit, quam etiam à Pharmacopœi miniſtris, cùm pro Magiſtro ut aliàs hancce deſiderari crederetur, traditam, Matri ægroti anxiæ domum tulit; hæc ſtatim filio cochleare unum exhibuit, qui acrimoniâ, & corrodendi, quâ pollet hæc aqua, vi valde læſus, faucibus nimirum & partibus vicinis indè eroſis, clamore & ejulatu id Matri indicavit, quæ errorem tum ſeriùs agnoſcens, ipſamet ad Pharmacopœum cucurrit, eundemque hujus erroris reum facere voluit,

voluit, hic verò rem omnem, uti gesta erat, (ipsemet enim puerum aquam fortem expetentem audierat, eumque insuper, annon in nomine erraret, interrogaverat,) narravit, oleumque olivarum exhiberet filio, suasit, quo facto, ac vomitu indè subsequente, Pisum jamjam germinans, simul rejecit, ex quo, gravioribus symptomatibus ex deglutita aqua forti non subsequentibus, & cætera mala indies remittere cœpêre, breviquе post ab iisdem omnino liberatus, in hunc usque diem, DEI gratiâ, adhuc vivit & pallido tantùm faciei colore superstite valet, atq; ipse mihi dicta modò narravit, quæ Pharmacopœus postea suo testimonio confirmavit. Sicque huic error alterius maximus, maximum sanitatis commodum attulit. Videatur superiùs Observatio 54.

*SCHOLION.*

PUerulo bimulo, cui ossiculum in asperam arteriam incidit, optato adhuc tempore auxilium tuli, in sufflato naribus ex lil. convall. pulvere, inde vi sternutationis iterum illud fuit excussum.

*[Helianthus.]*

## OBSERVATIO CXXXV.

## D. JOH. PAULI WURFFBAIN.

*De*

# Minera Antimonii elegantissimè crystallisata.

NAturam non mortalium, sed mortales Naturæ esse imitatores, quis est, qui negare ausit? Etsi enim abs re non sit ingenium humanum in excogitandis, manus verò artificum in elaborandis suis operationibus, magnam subtilitatis aciem & perfectionis gradum præ se ferre; nihilo tamen minus â Naturæ sapientissimæ matris summè in abjectissimis etiam corpusculis demonstrata perfectione, toto

quod ajunt cœlo, differunt, & accuratius instituta comparatione, imperfectionem suam satis abundè produnt. Chymici præ cæteris laboriosissimi Naturæ scrutatores, unicam sæpè materiam Proteo mutabiliorem, post varias operationes præmissas, variè immutatam, & sub novarum quasi creaturarum specie, mirè & jucundè producunt; sed naturam saltim imitantes, perfectionem ejus minimè attingentes, imo, nihil efficientes, quod non à Natura jam antea, in multò excellentiori gradu, effectum sit: Exempli loco hîc nobis inserviat *Elegantissima* è Naturæ gremio producta *Crystallisatio*, qualem vix ex omni Chymicorum labore & summo mortalium artificio, sperare licebit: non Crystallorum vulgo sic dictorum, sed *Antimonii*, abs me, sine tamen (quod dolendum) patriæ & fodinæ suæ metallicæ habita cognitione, studiosè asservati, ignem nondum experti, saxo seu terra sua nativa firmiter adhuc inhærentis, & quot crystallos, tot quasi trabes, spicula & fulgura minimi ferè digiti longitudinem adæquantes, insigni splendore & rutilantium colorum nitore, jucundo spectaculo præ se ferentis, cujus elegantiam facilius est intuentium oculis subjicere, & quantum licuit, in apposita figura, satis nitidè, delineare, quam verbis decenter describere, vel arte perfectius imitari.

Fig. XXXIX. p. 292 -

*SCHOLIUM.*

VIdetur hæc minera ejusdem esse generis cum illa, quam Dec. I. Eph. Cur. Ann. II. Observatio 28. recenset; qualem & ipse elegantissimè striatam ex Hungaria, dono amici, possideo.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVI.
D. JOH. PAULI WURFFBAIN.
*De*

# Abſceſſu in Mamma Lactantis cujusdam, cum folliculo.

FOemina quædam quatuor liberorum mater, ex lactis corruptione inſignem dolorem ac tumorem mammæ ſuæ dextræ perpeſſa, neſcio cujus ſuaſu, Medicaſtri cujusdam ſatis imperiti curæ ſe ſubmittit; is Emplaſtrum quoddam ex allio quod ajunt & caſeo putrido paratum, ſuperimponit; rupto abſceſſu, neque turundam immittit, neque abſtergentia decocta aut alia mundificantia adhibet, ſolo ſuo Emplaſtro, (ſanum certè fœtore ſuo offendens,) contentus: conſolidato tandem ſponte vulnere, integrè ægra ſanatam ſe putat, niſi quòd duritiem adhuc avellanæ magnitudine ſuperſtitem, ſine tamen dolore, perſentiſceret: ingravidata paulo poſt, tumor hic excreſcere videbatur nonnihil, nullo tamen urgente dolore, rem parvi pendebat, & filiolam rebus ſic ſtantibus feliciter in lucem editam, uberibus ſuis optimè & copioſè alebat, indies ingraveſcente ac indureſcente malo, accedit dolor, qui nimium intenſus, eam ad ſalutaria & affectui huic magis reſiſtentia remedia inquirenda, impellit; meum itaque auxilium implorat, ablactata filiola, Emplaſtrum quoddam vi anodyna & emolliente ſingulari præditum, ſuperimpono, quo vix per aliquot dies geſtato, abſceſſus ſponte ruptus, puris inſignem quantitatem cum *folliculo lacteo unciam ſemis pondere adæquantem*, excluſit, & tantæ quidem tenacitatis, ut quovis modo agitatus, nullam rupturam pateretur, exactè aliàs veſiculam felleam repræſentans, niſi quòd lacte putrido repletus, lacteo quoque colore imbutus fuerit: quâ materiâ excretâ, mundificato & conſolidato methodicè ulcere, cura feliciter finita fuit, nulla ut ante duritie, nullo tumore ſuperſtite.

OBSER-

## OBSERVATIO CXXXVII.
## D. JOH. PAULI WURFFBAIN.
*De*
# Cerebro humano poſt mortem in Cochleas minutiſſimas transmutato.

HIſtorias Cerebri bovini petrefacti Dec. 1. A.I. Obſ. XXVI. & CXXX. ut & Cochleæ in capite ſ. cerebro Lucii piſcis inventæ, A.II. Obſ. cxv. Ephemerides noſtræ non ſine admiratione jam ante hac exhibuerunt: licebit & huic earum Decad. II. An. II. tam lectu quam admiratione digniſſimam hiſtoriam de Cerebro humano poſt mortem in cochleas minutiſſimas transmutato, inſerere: Contigit enim Giengæ in civitate quadam Imperiali Sveviæ d. 7. Mait. A. cIↃ IↃcLXXV. cum Centurioni cuidam militiæ Ducum Lüneburgenſium, hyemali tempore hîc ſubſiſtenti & febre ardente ê vivis ſublato, ſepulturæ locus ſeligebatur, ut in templi hujus loci ſepulchro quodam, *Signiferi cujusdam* ante XL. ferè annos honeſte in eo ſepulti, *caput oſſeum, infinitis minutiſſimis albicantibus cochleolis repletum*, exemtum fuerit, ad ſtuporem & admirationem omnium, tam horum, qui adſtantes oculis ſuis rei veritatem inſpexerant, quam eorum, ad quos rumor hujus tam inſolitæ hiſtoriæ pervenerat: addam hic Extractum Protocolli Eccleſiaſtici, Dn. Joh. Schelio, Notario apud noſtrates Cæſ. Publ. Amico meo pl. honorando, per literas communicatum, pro ut illud unà cum binis ejusmodi cochleolis integris, aliorumque fragmentis, ex ſingulari Fautoris hujus liberalitate poſſideo.

### Extract **aus dem Kirchen**-Protocoll, de A. 1675. die 7. Martii.

HErr Erich Boden / Hauptmann unter den Lüneburgiſchen Völckern / ſo im Winter-Quartier allhier gelegen / ꝛc. ſtarb an hitziger Kranck-

Kranckheit bey Jacob Köllin/ Wirth/ war alt ungefehr 32. Jahr/ und wurde auf Begehren in die Kirche bey der kleinen Sud-Thür ehrlich begraben. Nun waren bey 40. Jahren zuvor zwey Fendriche daselbst beygelegt / und wurde ein Todten-Kopff heraus genommen / der war gantz voller kleinen weissen Schnecklein/ in der Grösse wie Linsen/ viel 100. ja viel 1000. welche vielleicht an diesem trockenen Ort/ aus dem Hirn mögen gewachsen seyn; so viel aus dem Kirchen-Protocoll. Testis

**Martin Leger/ P. in Giengen.**

## *SCHOLION.*

Licet certum omnino sit; Omnium rerum rationem reddi posse, non tamen minori certitudine gaudet & illud: Multa nobis esse occulta, quæ Naturæ manifesta; hinc sensus nostros plerumque tam obtusos esse, ut veritatem rationis assequi rarissimè valeant: Quare satis durum arduumque opus arbitror, veram historiæ hujus assequi rationalem causam: Nam siccitas loci, ad mentem ante allegati Protocolli, ad effectus hujus causam determinandam, insufficiens nimis est, hac enim posita causa, & alterius quoque Signiferi caput eodem loco inhumati, eandem certè sortem experiri debuisse sequeretur; ut taceam solâ siccitate, nulla antehac materiali præsente vel accedente semine, tale quid produci posse: Prius quoque dicendum esset, si quis Osseum hocce caput, satis probabiliter, cochlearum terram hinc inde perreptantium domicilium fuisse, dixerit, exque eorum semine inibi deposito has cochleolas succrevisse, suspicatus fuerit: non enim uni vel alteri tantum cochlearum aditus ad sepulchretum hocce patuit, sed pluribus, imo, ipsæ hæ cochleæ aut saltim earum testæ unà cum arena procul dubio antea effossæ, vestigium sui non sine suspicione adstantibus præbuissent: aliis ergo rarioris hujus historiæ investigationis causam, quo nempe Naturæ mysterio, mollissima aliàs cerebri substantia, crustaceam hancce duri-

tiem & tot minutissimarum cochlearum exasciatissimam figuram, acquisiverit; ulterius rimandam, relinquo.

## OBSERVATIO CXXXVIII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Falsa impraegnatio.

NObilis à Fritschen vidua, 55. annorum, jam mea marita patiebatur vomitum, nauseam, horrorem, uteri contractionem & quae alia, sueto praegnantibus tempore: venter intumescebat, motus aderat etiam satis fortis in ventre, mammae pressae fundebant liquorem aquosum: Dicebat se gravidam, (utpote antea decem liberorum mater, hujusque rei sat gnara) ast ego, repugnabam multas propter rationes. Expectamus tempus partûs, & justo tempore accedebat, cum alteratione insigni; aderat quippe cephalalgia, cardialgia, extensio abdominis dolorifica, angustia pectoris cum metu suffocationis. Adplicamus interna & externa, spirituosa & bezoardica, sudat per noctem copiosissimè, (nam circa vesperam erat haec invasio,) manè alvum deponit aliquoties, respiratio fit melior, extensio abdominis evanescit, venterque sensim ac sensim indies detumescit adque pristinam figuram redit. Et sic spes pariendi cum prole aufugit. Figuli uxor juvencula, Grunebergae, eadem persuasione laborabat, obstetrixque loci, uti sagax satis, cum omni foeminarum Choro idem affirmabat. Tempore partûs legitimo adstat obstetrix, omnia apparantur, foemina ad partum se accingit, exsibilant flatus per uterum, fluitque materia rubraquosa cum frustis sanguinis crassioris & nigricantis, nullus autem foetus. Eandem pariendi fortunam habebat foemina primaria in nostra vicinia, pro qua etiam in suggestu publicae preces instituebantur, ut Divina Clementia ipsam felici partu beare velit, ast post nonum mensem nil se movet, sequuntur adhuc tres menses & nullum adest amplius signum foetus. Tandem preces in templo

plo intermittuntur, & ipſa nunc omnem pariendi ſpem depoſuit, abdomine equidem cum mammis adhuc diſtento & fluxu menſium inordinatè & parùm ſe exerente. Ita fœminarum ſpes in conceptione numeratione & partu ſæpiculè vana.. Vide ſi lubet Decuriæ I. Annum I. Obſervationem I. cum Scholio. Affinis eſt Obſervatio 45. ejusdem Anni, aſt in contrarium. Adde ejusdem Decuriæ Anni 2. Obſervat. 26. cum additamento. Item ejusdem Decuriæ Anni 6. Obſervat. 45.

## OBSERVATIO CXXXIX.

## D. SAMUELIS LEDELII.

# Conatus Naturæ in expulſione fœtûs mortui.

ANNO I. Decuriæ I. Ephemeridum N.C. Obſervat. 49. Excellentiſſimus D. D. Illmerus habet egregiam enchiriſin extrahendi fœtum mortuum cum uncis, id quod mihi ſubſequentem obſervationem conſignare anſam dedit. Vidua Grünbergenſis 40. annorum ſat vegeta in conſortium matrimonii iterum adſciſcit juvenem lanionem, imprægnatur, & die 26. Novembr. St. N. 1683. legitimum partûs tempus accedit, omnia accerſuntur quæ in hoc paſſu ſunt neceſſaria, & ecce fœtus brachium foràs erumpit. Obſtetrix reponit ſæpius, aſt in vanum per diem & noctem, cùm magna puerperæ debilitate. Altero die me conſulunt, ibi periculum indico, & quòd non citius conſiliũ expopoſcerint, exprobro: ordinabam autem quæ proficua judicabam, & ſatis inſtruebam, quomodo tractare debebant patientem. Verùm omnia erant fruſtrà, & quia fœtus, ut dicebant, ſtatim initio partûs eſſet mortuus, & ſummum aderat pro matre periculum, mentionem faciebam diſſectionis & extractionis fœtus mortui, & hoc unicum indicabam præſidium pro vita matris. Nolebant autem audire de hacce operatione, & ni Deus fuiſ-

ſet mediator, ut referam, fœminam morti tradidiſſent. Dum expectant ultimam exhalationem, paululùm ſe recolligit parturiens & quærit anxiè cùm lachrymis opem: ideo iterum me ſalutant, & ſi quid haberem Conſilii, præter extractionem chirurgicam, maximoperè petebant ne denegarem. Ordino itaque Clyſterem ſequentem:

℞. Radic. bryon. ℥ij.
fol. meliſſ.
Mercurialis.
Artemiſ. rubr.
Puleg.
Matricar.
aa. M ß.
Sabin.
fl. Chamæmel.
Baccar. lauri aa. Mj.
Agaric. in petia ℥ß.
Sem. aniſ.
fœnic. aa. ʒij.
Coqu. in aqu. ſ. Colatur. ℥ix. add. Elect. d. bacc. laur. ʒvi. ol. rutac. Chamæm. a. ℥iß. ſal. gemm. ℈ij. m. f. Clyſter.

A quo natura irritata excluſit brachium à corpore ſeparatum, quod multoties immittendo & tractando avulſioni aptum reddiderat obſtetricis manus, & dein uno fermè momento fœtum ſat putridum cum matris reſtitutione & ſalute. Fœtus antea fuerat mortuus, non ut falsò retulerant fœminæ, & in invaſione partûs. Ex his videmus conatum naturæ in partu, & vulgi obſtinatam mentem in caſibus Medicis deſperatis. Vide ſi placet Anni I. Dec. I. Obſerv. 52. Item Anni I. Decad. 2. Obſervat. 101. Videatur porrò Henricus ab Heer, in Obſervat. XIV. in medio.

OBSER-

## OBSERVATIO CXL.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Odor rosarum visui nocivus.

ROsas & earum odorem multis fuisse exitio, historiæ Botanicorum & Medicorum referunt, & esset amplus scribendi campus, si placeret omnes illas huc trahere historias. Brevibus referam ea quæ titulum Observationis exhauriunt. Habemus hic Grünbergæ mercatorem temperamenti melancholici, ast satis vegetum, qui quando rosas olfacit tempore roseo, patitur pruritum oculorum, succedente eorundem inflammatione: lachrymæ involuntariæ copiosè rigant genas, & quod durat aliquot dies, cephalalgiâ intercurrente. Diligenter itaque cavet, & quantum possibile domi se continet dicto tempore, ne fortean obvius quispiam rosam teneat & ipsi hæcce symptomata inducat. Visus aliàs ipsi bonus, nec ulla rubedinis oculorum nota: cephalalgia tamen interdum laborat & difficultate auditûs, cœteroquin, ut dixi, sanus.

## OBSERVATIO CXLI.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Mortui manus curat strumam.

IN Actis Philosophicis Societatis Regiæ in Anglia p. m. 155. & sequ. legimus de effectu tactionis & frictionis. Coquus Anglicus manus suas verrucosas curabat affrictione manus heri sui mortui. Quo etiam collimat Observatio Wedeliana Anni I. Decur. II. Observat. XI. Addo jam manum mortui tollere strumam. Res ita est. Doctor Johannes Beale fecit egregium experimentum tollendi maximam & periculosam strumam applicatione manus hominis mortui, unde homo curandus senserit quasi frigidum rivulum in cor devolutum,

ut ferè deliquium animi passus fuerit. Quid si huic curæ per tactum ansam dedisset Tactus strumosorum Regis Christianissimi, Regis item Angliæ, Hispaniæ, Comitum de Habspurg?

Hoc ὡς ἐν παρόδῳ annecto. Primis Praxeos annis dum Sagani viverem, ubi strumæ non sunt infrequentes, strumaticis hunc pulverem ordinavi à plenilunio ad novilunium singulis diebus adsumendum, cum optato successu, præmissis tamen præmittendis.

℞. Spong. marin. num. ij. benè depura aqua scrophular. vincetoxic. aa. q. s. Exsicca, redige in cinerem.

℞. Hujus cineris
Cineris cysteolith. aa. ℥ij.
Zingiberis.
Piperis longi.
Sal. gemm.
Cinamom. opt.
Scrophular. major.
Ossis sepiæ.
Pyrethr. a. ℥ß.
M. fiat pulvis. D. S. Kropff-Pulver.

## OBSERVATIO CXLII.

## D. SAMUELIS LEDELII.

# Hirudines enecant puellam.

IN Poloniæ majoris pago Podemockel/ prope civitatem Bomst, puella 9. annorum pecora in campo pascit, & dum miles Polonicus equo insidens civitatem petit, ipsaque propè viam ipsum celerè equitantem animadvertit, putat præ timore quod ipsam velit lacessere. Itaq; , ut potest, quantocyus avolat, seque in palude sub frondibus arborum abscondit. Palus scatebat hirudinibus, quæ statim puellæ nudos pedes invadunt, sanguinemque usque ad mortem exsugunt. Puella dum sueto tempore non redit, anxii parentes ipsam undique quæ-

quærunt, ſed non inveniunt. Miles reverſus è civitate dum turbatos homines videt, interrogat quid ſit? reſpondent, amiſſam eſſe puellam. Ille regerit, fortean eſſet illa quæ in campo vaccas cuſtodierit, quæque præ metu cucurriſſet ſub arboretum in vicinia, ibi forſan lateret. Accurrunt cum parentibus vicini, inveniunt puellam pallida morte enectam, ejusque totum corpus hirudinibus obſitum. Hirudines aliàs etiam valent in Medicina: adi Dec. I. Ann. 6. Ephemerid. N.C. Obſerv. 9. Walæus pro & contra diſcurrit an ſint utiles in Medicina. Meth. Medend. p. m. 81. Sennertus l. 1. pract. p. m. 72. Timæus v. Güldenklee mortem vidit in puero 5. annorum à deglutitis hirudinibus. Caſ. Medic. l. 7. caſ. 9. Schvvenckfeld Theriotropheo Sileſiæ p. m. 537. ſcribit, quod majores hirudines num. 9. equum ſugentes occidere poſſint. Adjunge Schrôderi Pharmacop. l. 5. p. m. 342.

## OBSERVATIO CXLIII.

## D. GEORG. CHRISTOPH. GöLLERI.

## Abortus humani monſtroſi hiſt. Anatom.

Quamvis Monſtra patrati ſceleris, malíve ſubſecuturi indicium vulgus cum Tullio habeat: quaſi horrendo prodigio exorta Parentes ſceleratas, futurasque ærumnas demonſtrarent; re tamen verâ vitiatam Ideæ ovalis ſtructuram, & impeditum perfectæ conformationis principium deſignant potius, quàm ingruentia mala nobis portendant. In omni ſiquidem ſubcœleſtium viventium genere Naturæ haud verò luxuriantis monſtroſos experimur fœtus, ita, ut ne ſimpliciora Corpora generanti Naturæ peccandi occaſionem adimere videamus. Ut proinde intuentium animos tantam in admirationem non rapiant ejusmodi monſtra, nec immaturioris judicii pruritum ſtatim excitent. Præſertim ubi Matres ex paſſim obviis ſubito terrore perculſas, indeque blandum earum fotum fœtui ſurreptum cogitaverimus; Non minus quoque anguſtiores uteri cancellos tenel-

lum

lum Embryonem arctiùs sæpè comprimere, aut violentiùs concutere posse; interdum & succum nutritium lascive fermentantem impetuosiùs in eundem irruere aut ubi plures simul conceptus, parciùs & segniùs eosdem enutrire, uniquе horum perfidè se subducere; sic haud rarò quoque tenellas ovuli membranulas aut ob liquamenti nutrientis luxuriam, aut validiorem coarctationem inter primordia facilè disruptas cum obvio coalescere, atque hâc ratione enormiter deformare comperimur. Eoque faciliùs hi (cum aliis plurimis) errores justam fœtus formationem vitiare solent; quò materni ovuli Idea iis plus favet. Hanc siquidem eâ penè ratione ovulo imprimi, quâ prima plantarum rudimenta, in earundem seminibus, observamus, nullus dubito. Gemmam enim & folia, quæ primò erumpunt, facilè ibi deprehendes, caulemque simul quem protrudit, & radicem quæ se terrâ firmat. Adeoque planta suis jamjam conformata partibus tamdiu delitescit, quamdiu idoneo humore minus perfunditur aut irrigatur. Non minus Alma Parens fundamentum futuræ prolis in ovulo humano jam posuit, quod spirituosi seminis virilis contagiosâ quasi fermentatione actuatum successu temporis sese exserit, sanguinisque & spirituum mutuo impulsu motum pro vitâ acquirit; Quæ feliciter in utero materno inchoata, sine labe etiam perennat, nisi quidpiam ei impedimento futurum sit. Minimo verò errore inducto, non tantùm languescere incipit & vacillare, sed & parti languenti idem error profundiùs imprimitur; usque adeò, ut pro mala partium diathesi, diversoque iis charactere impresso Natura in earum adaugendâ mole & texturâ sapienter & benè struendâ fatiscat, & â tramite suo deflectat. Tales Naturæ errores, etiamsi sæpius admiremur, hâc tamen vice non sine animi stupore præsentem Abortum Humanum, tàm externo aspectu monstroso horrendum, quàm interiori partium formatione, imò earum rarâ absentiâ stupendum contuebimur, ejusque historiam Anatomicam hîc subnectemus.

Nimi-

Nimirùm, poſtquam Uxor Civis cujusdam Urbis noſtræ, per ſeptimeſtre ſpatium utero geſſiſſet, & per id tempus ſæpius de dolore conqueſta eſſet, emortuo fœtu monſtroſo, maturiorem partum accelerante, Mater trium natarum facta eſt. Atq; primò quidem puellam decentis & perelegantis formæ feliciter enixa eſt. Hanc infauſto conatu inſequebatur monſtroſa, quam hîc luſtrabimus. Tertia denique corporis formâ & magnitudine primæ vix cedebat. Veluti autem natu majorem & minorem ſecundinæ facilè ſequebantur: ita mediam, monſtroſam nempe, non excepêre; Totum ſiquidem corpus iisdem obvolvebatur, ac ſi integumentis communibus cinctum videres: quod innumeræ venarum atque arteriarum propagines, & infinitæ glandulæ miliares hinc inde per eas diſperſæ, uti & ſubſtantia grumoſum & fibroſum ſanguinem repræſentans, digitumq; craſſitie ſuâ adæquans, facilè demonſtrabant. Hincque corpus deformius redditum â ſecundinis, veram cutem mentientibus, quàm ipsâ oſſeâ & carnosâ mole. Detractis enim hiſce â toto corpore, omnes muſculi ſeorſim dividi,& facili negotio diſtingui potuerant,ut quod Monſtrum anteà, nil poſteà ab humano fœtu alienum ferè cernebatur: niſi quod dictæ cutis pars reclinatum caput cuculli aut mitræ ad inſtar pendula contegebat. Oculorum tantùm aderant veſtigia; Naresque lineolis modò diſtinguebantur. Ore hiante & patulo ſuperior gingiva diviſa prominebat, dentesque æmulabatur. Lingua latiori ligamento palato firmata & labiis coëxtenſa videbatur. Aurium rudimenta ad latera deprehenſa. Facies & collum ejusdem cum thorace latitudinis vix diſtinguebatur, unde vulgus faciem in pectore locatam ſibi perſuadebat. Duo brachia corpore propendebant, quorum tamen dextrum longius craſſiusque; utriusque cubitus recurvus protendebatur; unicusque digitus, pollex nempe, ungue diſtinctus radio breviori affigebatur; utrique enim ulna planè deerat. Sic etiam crura decuſſatim ſibi impoſita, in parvo pede unicum tantùm alebant pollicem tibiæ annexum, Fibulâ

neutri præſente. Et velut Natura dextrum brachium grandius ſiniſtro; ita è contrà crus ſiniſtrum majus dextro formabat, ut damnum utriusque reſarcire viſa ſit. Vaſa umbilicalia quatuor tantùm digitos transverſos longa, fœtuique annexa abſcedebant. Pudenda ſat ampla erant; Anus autem imperforatus.

Hæc Naturæ in exteriori contextu inſolentia ad interiorem viſcerum luſtrationem me commovit. Et ecce abdomen primò apertum tantùm veſicâ quâdam, id omne replente, lymphâque viſcidâ ſcatente, diſtendebatur, ut peritonæum haud incongruè crediderim. Propè umbilici autem exortum quædam inteſtinula extrà peritonæum contorta, ac meſenteriolo quaſi firmata interiùs decurrebant, & in inteſtinum cœcum deſinebant. Hepatis & lienis ne veſtigium quidem deprehendebatur: uti nec ventriculus obſervabatur: niſi peritonæum ventriculum ita extenſum, mucoque illinitum dicere mavis. In Hypochondrio dextro vena cava, ubi aliàs hepati ſe inſinuat, hîc propter ejus abſentiam paulò amplior, ramos ad dictum meſenteriolum dimittebat, plexumque, pro vena portæ habendum, formabat. Superiùs aſcendens ramulo quodam Aortæ ſe inſerebat, & in ſubclavias diviſa, jugulares conſtituebat venas. Deſcendente autem trunco ſuo emulgentes ad renes dimittebat & dein Iliacos ramos diſpergebat. Renes cum incumbentibus glandulis renalibus exteriùs oblongæ preſſulæque rotunditatis; interiùs verò ſinuoſæ cavitatis conſpiciebantur. Uterus majoris molis, duriuſculus, canini ad inſtar bicornis pelvim explebat: Cui tenuis membrana incumbens procul dubio veſicam conſtituebat, quam tamen accuratè obſervare non licuit. Abdomen pectusque diaphragma certo limite dirimebat, expansâque ſuperiori ſuâ, quam pleuræ debet, membranâ, ſub claviculis ulterius extenſum, ſibique rurſus coadunitum, duplicatum quaſi extabat, limitibusque ſuis per totum thoracis ambitum effuſum, ſpiritum continebat: ut velut peritonæum liquore viſcido repletum

totum

Fig. 40. f. 3.15.



Abortus humani monstrosi facies antica.



Ejusdem pars postica.

totum abdomen occupabat; ita & hoc ſpiritu turgens, tanquam veſica eundem in thorace concludebat; Gulæ venæque cavæ non erat pervium; ea namque penitus abfuit; hæc verò ſub tendinoſa ejus portione deſcendebat. Arteria Aorta juxta diaphragmatis duplicaturam in ſiniſtro thoracis latere exorta ei cohærebat, verſusque ſuperiora pergens in ramos diviſa, ſubclavias & ab his enatas carotides protrudebat; inferiùs in iliacas excurrebat.

Pulmones planè deerant; uti &, quod mirum, penetrale cordis. Aſpera tamen arteria linguæ affixa, in deſcenſu ultrà primam coſtam non protenſa, in parvam quandam membranaceam cavitatem, aëre turgidulam, deſinebat. Caput, licet ſphæricæ figuræ notâ à collo & thorace non diſtinguebatur, quoniam cutis totum corpus ambiens craſſior collum expleverat, caputque in ſe quaſi cogeret & quodammodo reclinaret; reſectâ tamen cute iſtâ, collum graciliùs probè id diſtinguebat, terminisque ſuis circumſcribebat. Dum verò cutis per capitis ſuperiora pergebat, ſuprà cranium minùs ſibi coadunita aut adnata longiùs protendebatur, ut à capite pendula cucullos Monachorum ferè imitata fuerit. Os bregmatis dextrum tantùm aderat, ſiniſtrum verò membranâ albicante duriori, Natura adæquabat. Vertex, uti in omni fœtu tenui tantùm membranâ inducitur; ita hîc patulus planè fluidiori cerebro effluenti anſam dedit: Nam quamvis cerebrum variis mæandris & gyris in ambitu adhuc exornatum erat, fluidius tamen & putredini jamjam propinquius ſui contrectationem non ferebat; ut proin partes ejus diſtinguere & curioſiùs ſcrutari non licuerit. Oſteogeniæ limites aliàs Natura in hoc fœtu non excedebat, ſed compagem oſſium decoro ordine & numero cohærebat, niſi quod in cubito, uti dictum, unicum tantùm os, radium nempè produxerit, eique pollicem variis ſuis oſſiculis diſtinctum annexuerit. Simili modo cruri tibiam tantùm addebat, eique pollicem ſolùm quodammodo recur-

vum conjungebat. Hæcque sunt, quæ Curiosior dissectio aperuit nobis & detexit.

Fig. XL. p. 314.

*SCHOLIUM.*

SEd! miraberis forsan, spectator, quid intuitus es? nec abs re; modò exin Benignissimi Conditoris Tui laude ducâris.

Stupesce, si vitam vixisse cognoveris. Lapidem non hominem dixeris, qui absque eo, quo vivat, vivit. Quid sanguinem impulit? quid eum purpurâ tinxit? An abfuisse, an immotum stetisse credis? Prudentiorem Te judico. Naturam insueto tramite incedere posse exinde discas. Quis iste? Conjecturæ dabis veniam. Hæc Tibi displiceant, meliora docebis. Dicam tamen quod res est, & ab ovo, quod ajunt, exordiar. Nimirùm postquam Genitalia matris ob seminis virilis ferociùs fermentantis vim turgidiora reddita, tria simul ovulaè glandulosâ testium compage, quam ovarium dicunt, in uterum depluentia, conceptum triplicem fovisse non negabis. Hoc enim structura visceris suadet, & ratio experimentis confirmat. Posita verò hæc in utero fundamenta & jamjam motu actuata, succo nutritio subinde affluente æqualiter perfusa augmentum ceperunt. Et feliciter forsan, nî infausta Mater abortu quodam vitulino immaturiori viso perterrita; Filiolumque suum creberrimis convulsionum paroxysmis tentatum mœsta sæpius deplorans characterem fœtui impressisset. Positus namque monstrosi corporis inflexus quasi & reclinatus, puero, dum convellitur, admodùm respondebat; carneaque vituli moles glabra adhuc & rutila, sanguine quasi suffusô fœtui haud absimilis hoc suadebat. Eoque magis vim Animæ fœtus experiebatur, quò plus uteri coarctantis angustia & reliqui fœtus situ medium (quod ordo in pariendo probavit) valdè comprimentes, ei favebant. Unde non mirum, si disruptis suis membranulis cum proximis sibi secundinis coaluit. Haud enim ignotus est Naturæ hic coalescendi modus, dum pulchro lusu interdum flores & fructus sibi accrescentes geminavit,

minavit, atque varios inde insitionis modos mortales edocuit. Idque spiritus nutritii fermentantis, & in se coërciti occasione. Nam quàm primùm hic intrà suos carceres non coactus erumpit, ob continuum novarum portionum balsamicarum accessum turgescit magis & luxuriat, ut cum contiguo sibi corpore in unum cogatur. Majorem admirationem subit nutritionis opus, organique sanguinem impellentis, uti & aliarum partium absentia. Anne adhuc Cor primum vivens cum Aristotele, & hepar sanguinis officinam cum vulgo dixeris? sanè micans istud punctulum, primis diebus post conceptionem præsens, id non confirmabit: Minimè enim Cor est, sed tota embryonis Idea, sanguine ceu principio suo vitali perfusa, in quâ partium stamina jamjam reverà posita motu servantur & vigent. Ubi cruentum hepatis imperium? ubi muneris ejus majestas tamdiu servata? non miror exequias olim ei celebratas. Sanguis sui ipsius cocus est & arbiter, alieno non indiget. Nihilo tamen minus necessarius erat sanguinis motus & ejus fœcunditas. Scias diaphragma duplicatum spiritu distentum, succumbentem Aortam comprimens, ut & nervos, arterias ubique comitantes ob cerebri motum eas quodammodo retrahentes, impulsum sanguinis adjuvisse. Tantus enim, qui in adulto, impetus non requirebatur in fœtibus, liberiùs in utero nondum adhuc respirantibus: ut proin non mirum, pulmones, qui aliàs quasi quieti in embryone, planè abfuisse. Quid nî & lympha viscidior chylosaque peritonæo contenta fœtum nostrum enutrire potis erat? Licet ore patulo, ad suctionis munus inepto, dulciorem è matre affluentem liquorem eligere sibi non potuerit. Nec cerebrum rore suo per nervos amandato partibus vigorem addidisse dubites. Hoc enim præ cæteris fœtus partibus mole grandius munere suo non iners fungitur.

Adeò ita necessarius erat pro vitæ continuatione sanguinis, spirituumque Animalium mutuus impulsus, motusque perennis; ut Natura de his magis quàm de solidioribus parti-

bus ſollicita, quâcunque etiam ſtructurâ fœtûs perennationem moliatur. Sufficit ergò per imperfecta organa Naturam vitæ ſervandæ conſuluiſſe, & absque primariis organis eam etiam continuâſſe, dum per perfectiora non licuit. Quamvis difficilior, ſi non impoſſibilis, excluſi in auras fœtus noſtri ſuſtentatio diffitenda non fuiſſet.

## OBSERVATIO CXLIV.
## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.
*De*
# Hæmorrhagia univerſali, ex ictero nigro lethali.

SAnguis, vivificum flumen, aliquando coactè, nonnunquam velut pertæſus exitum affectat è corpore, & tanquam profugus ad internecionem fœdere rupto conſpirat. Vidimus plus ſimplici vice in febribus ardentibus lethales hæmorrhagias narium, nullâ arte compeſcendas, (quamvis in quibusdam ceſſerint ordinariis præſidiis,) donec extremum frigus, ſaniſſimâ mente vitam exolveret. Aſt non unâ viâ excidere eundem, & conſimilem tamen ναυσίωσιν, vel exilium ſpontaneum, ſequenti obſervavimus hiſtoriâ. Vir primarius, LXXIX. annorum per plures annos cardialgiâ, hinc calculo laboraverat, per vices repetitis inſultibus, remittente tamen dolore illo, poſtquàm in calculum ſucceſſivè coierat tartarea mucilago, ob hypochondriacum πάθ☉ conſummatum præ ſe ferebat corpus cachecticum. Non raro tumere pedes, inprimis ſiniſter, conſenſu laterali ſolenni, commodâ tamen diætâ cavere ſibi, non minus ac medicamentis. Prædixerat Aſtrologus, ex infauſto Saturn. aſpectu mortis genus ex ictero nigro futurum, quod ſeu conjecturam probabilem caſus firmavit, ſeu archéus ex conceptis ideis morboſis ſibi exitium hoc ſtruxerit, eveniebat tandem.

Oculi,

Oculi, icteri præcones, flavedinem concipere, urina cum ſedimento tartareo rubro copioſo croceo colore linteamina tingere, corpus totum concolor reddi, alvi ſcybala non tingi. Viſus aliàs morbus facilè cedere vel unico purganti cholagogo, experimento *Galeni* & aliorum, imò noſtro quoque, viſus aperientibus generoſis martialibus, infuſis, nitroſis vinci hic rebellis reſtitit. Per duos prope menſes durante fabulâ, color è flavo in fuſcum tendens minitari mortem dudum quaſi præviſam terrore tantò majori incuſſo, quò certior credebatur eventus jamjam reſpondens prædictioni. Tandem, cum obſtructa intimius vaſa & ſine dubio cœmento tartareo bilis concreta negaret effundi conſuetis loculis, licet vomitu amaricante os inficeretur nonnunquam leviter, ſanguis ſcreatu merus per *os* excretus mox excipiebatur hæmorrhagiâ *narium*, per *alvum* quoque concretus multus exibat, & *urina* cruore tincta ubivis patulas portas ſeu perruptas potius oſtendebat. Ita per omnes vias effuſus, nequicquam præſtante arte omni, corpus morti tradebat. Denegatâ anatome, nihilominus certum eſt, hepatis acinos glandoſos æquè, ac papillas bilioſas, induratas, obſtructas, & tantum non ſcirrho occupatas fuiſſe, lympham ſanguini incoctam omnem ſucceſſivè, bilem granulatam in folliculo ſuo, ſanguinem verò inſpiſſatum, rarefactum tamen bilioſâ amurcâ citatum in motum, &, præcluſo debito ſpatio pro abſolvendo circulo, illapſum laxioribus poris viarum ordinariarum erupiſſe, nullâ humanâ arte corrigendum. Eodem propemodum tempore relationes publicæ narrabant, ſtrenuum quendam virum militarem ſanguine per os, aures, oculos, nares ſeditiosè erumpente vitâ functum.

OBSER-

## OBSERVATIO CXLV.
## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.
*De*
# Pulsu intercurrente.

MUltum interest, pulsum considerare, qui, ceu machinæ vitalis inquies perpetua, præcipuè, statum calidi, quo vivimus, ventris medii, & facultatis vitalis testatur. Neque tam scrupulosâ combinatione ejus differentiæ spectandæ, quâm ex re ipsâ, & ad libellam sanitatis æstimandæ veniunt, ita tamen, ut & ad se invicem respectum habeat, & reliquarum facultatum non negligatur proportio.

Inter hos pulsuum modos dignissimus memoratû est INTERCURRENS, in praxi non raro obveniens, usum habens non vulgarem, & medico famam largiens, & indicium, quæ intus gerantur, non infirmum, si non imperitum offendat æstimatorem.

Non novum est nomen, sed apud *Galenum*, diligentissimum pulsuum ruspatorem, ejus occurrunt vestigia, παρεμπίπτων ipsi audit, oppositus intermittenti, relatus inter inæquales, qui acervatim fiunt, inciduntque, ubi facultas valdè copiâ humorum vel instrumentorum oppilatione impedita est, *l. 2. de caus. puls. c. 3.* Æstimatus eidem ex solâ, inæqualitate crebritatis, ut διαλείπων intermittens, ex inæqualitate raritatis & parvitatis. *l. 1. de differ. puls. c. 12.* Enimverò hæc nondum satiant animum, quamvis autoris summum ingenium demonstrent, quod vel ex intermittentis comparatione liquet, quem lethalem vel periculosissimum saltim statuit, contrà experientiam, aut pro intermittente, ut vox & usus jubet, deficientis species vertenda & intelligenda est. Satis est eundem præivisse & viam monstrasse genuinam, non minus ac rem ipsam longè elegantissimâ historiâ Antipatri *l. 4. de loc. aff. c. 8.* quæ lectu dignissima totum hoc propositum nostrum illustrabit.

Intercurrentem vocamus pulſum, qui inter ictus ordinarios quaſi, licet obſcurè nonnunquam evolvantur, neque pateant æquè minus diſtinguentibus, micationes ſeu ictus offert extraordinarios plures vel pauciores, eosque frequentes. Mechanicè demonſtrari poteſt, ſi concipiamus coloraturas, ut vocant, an cachinnos potius ſæpe muſicos, quando flexiles ſoni breviores velut intercurrunt alios eſſentiales. Vel illuſtrare id licet intercurrente pulſu campanæ, prout, nonnullis locis id uſitatum eſt in vigiliâ feſtorum ſolennium, *bairen* vocant, quando pulſatio fit repetita dirigente manu, nec venter campanæ volvitur, quàm dorſum vapulat.

Talis pulſus occurrit, & extrà febrim quidem, duobus potiſſimum in caſibus, primò in Palpitatione cordis, ubi per paroxyſmos viſitur, tamdiu ac ipſe motus hic p. n. durans. Sanè qui pulſum hunc novit, novit ſtatim palpitationem, velut clavi obtentâ ad eandem dignoſcendam. Manifeſtò tunc ipſi pulſui legitimo illegitimos intercurrentes ictus commixti deprehenduntur, quo grumeſcentia ſanguinis velut ſorex ſe prodit.

Deinde etiam, citra interpolationes talismodi, ſeu paroxyſmantes vices, obſervatur idem recurrens pulſus in aliis, conſtanter, & continuò quaſi, qui polypum in corde gerunt, ſive intra vaſa è coagulo ſanguinis, ſive extravaſatum è coagulo lymphæ, ſed à caſu ab alto, ſeu aliis iujuriis externis enatâ occaſione. Talem obſervavimus utrumque conjunctum in Illuſtriſſimo quodam Comite, ubi pulſus intercurrens id manifeſtò præſagiebat, quod à morte hinc invenimus ad oculum, quo de ſeorſim forſan dicemus. Vidimus idem in generosâ matronâ, ſexagenariâ majori, & ediximus illam laborare polypo cordis. Non abnuemus, poſſe & aliis tuberculis, vel modis, remoram quandam eluctanti ſanguini opponi, ſimilemq; pulſum cauſari, hoc verò frequentius hodiè viſum eſt.

Facit hoc ipſum ad prognoſin inſtituendam, metus enim eſt tunc non levis mortis ſubitaneæ, quando ferre non poteſt

Ss amplius

amplius natura illum obicem, etiamsi longius paulò talis perduret. Facit ad curationem, ut resolventibus, quantum quidem fieri potest, sublevare satagamus laborans viscus, vel demptâ etiam parte sanguinis, pro re natâ. Omnia verò hæc offendimus in laudatâ quoque *Galeni* historiâ conjunctim, ubi ultra sex menses omnigena in pulsu inæqualitatis, ita enim appellat pulsum recurrentem, adfuit, mirantibus consciis medicis, ægroque ipso, quomodo vivere posset qui tandem prægressâ spirandi difficultate, primum levi hinc ingravescente, & palpitatione cordis (indicio majoris irritationis) tandem vero catarrho suffocativo resolutus obiit.

## OBSERVATIO CXIV.

## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.

# Hydrops marasmo finitus.

NOn posse consistere contraria simul in uno eodemque subjecto, vulgata quidem est parœmia; ast in humano corpore non rarò videas affectus oppositos ac adversantes sibi conjungi, quod inæqualiter dispensentur humores vitales, à naturâ suâ deflectentes. Phthisi conjungitur sæpenumero tumor pedum hydropicus; hydropi tabes, superioribus partibus arescentibus, inferioribus tumefactis. Ita fiscum lieni comparabat Imperator, quo tumefacto, partes reliquæ exareant. Ast hydropem finiri marasmo rarum est, nec nisi letho obsignandum, non enim ab uno extremo ad alterum citrà summum periculum tendit natura. Vir XL. annorum juris consultissimus, scorbuticus, ventriculi debilissimi, ut ad paucissima v. g. vj. vij. grana pulveris gialapæ fortiter purgaretur, ante triennium prævià cachexiâ scorbuticâ, & ulcere cumprimis circa brachii sinistri articulum dolorifico molesto & mali moris, incidebat in hydropem ascitem, tumentibus pedibus, scroto & abdomine: illis tandem multum ichorem stillantibus, cum ob viscerum infirmitatem remedia generosa

nerosa minùs voto proficerent, à vetulâ empiricâ purgans ex laureolâ, inscio medico, assumit. Inde passus hypercatharsin, & tono ventriculi penitus dejecto, sedibus utcunque adstrictis, brevi post vomere cœpit cibos & aquosa. Mirum dictu! per sex integras hebdomadas vomitus quotidiè repetebat, semel, bis, ter, frustrà adhibitis theriacalibus, anodynis, emplastris, balsamis, roborantibus & quæ iis in casibus ex arte fieri addecet. Inde sanari cœpit ulcus hactenus tam rebelle in brachio, detumere scrotum, pedes & abdomen decrescere, imò tandem omnes partes arescere tabe, marasmo consumi, donec exhaustis viribus corporis cum humoribus aquosis, rarâ μεταςάσει fatis cederet.

## OBSERVATIO CXLVII.

## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.

# Distinctio Aphorismorum Hippocratis artificialis.

INter reliqua scripta divini Senis instar gemmarum se habent aphorismi, concisâ brevitate conspicui, ut tunc demum videatur incrementum artis præcipuum inchoasse, ubi brevibus his velut oraculis autor, falli nescius, complexus est in arte notata. Sed vino vendibili non opus est suspensâ hederâ. Id desiderari hactenus in iisdem visum est, quòd sine ordine & confusè appareant locati, licet parum referat, sive in cellâ subterraneâ, seu in supremâ contignatione sit panis, modò sciat promus condus, unde illum accipere debeat, quod ex Scherbio alicubi refert *Hoffmannus*. Egent omninò versiones latinæ operum Hippocratis aliquâ limâ, & inter editiones reliquas potior visa ipsa *Lindeniana*. Impræsentiarum satis sit, posse aphorismos commodè distingui, & distinctos velut certis capitibus commodè memoriæ mandari, ita ut quicunque occurrat statim suo loculo reperiri possit. Hunc

in finem cum nondum, quod nôrim, aptata editio habeatur, nisi *Joh. Conr. Diterici* elegantem satis operam huc referamus, qui eosdem illustratus dedit, in nostrum usum distinctiones factas sequentes memorabimus, secundum sectiones ordinarias. *Sectionis Primæ* Titulus sit de immittendis & emittendis. *Sect. II.* De rebus nonnaturalibus, naturalibus, temporibus morborum, doloribus, consuetudine, purgatione, febribus, apoplexiâ, lipothymiâ, epilepsiâ. *Sect. III.* De varietate morborum secundum anni tempora & ætates. *Sect. IV.* De regimine purgantium, febribus, sudoribus & urinâ. *Sect. V.* De morbis convulsivis, pectoris, mulierum, lacte & tumoribus. *Sect. VI.* De prognosticis. *Sect. VII.* De morborum accidentibus novis.

## OBSERVATIO CXLVIII.
## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,
*De*
# Epilepsiâ Lunari periodica.

NOn sine causâ veteres morbum caducum appellarunt Lunaticum, quod ad lunæ phases viderent eundem accidere vel reciprocare magis. Notavimus hujus rei exempla non pauca, unum tamen præcipuum recensebimus. Virgo nobilis XX. annorum, atrabilaria, per aliquot annos dolores gravativos dextri hypochondrii senserat, febri corripiebatur tertianâ, primitus continuam simulante, hinc typum constanter servante. Dolor hypochondrii sub costarum notharum confinio, consuetus inde asperatur, ita ut punctorius sæpe redderetur. Mensibus constantibus sibi probe, & motus convulsivi primò manuum, hinc etiam totius quasi corporis per vices cum febri repetunt. Elapso mense curata benè habet, nisi quòd dolor dorsi, capitis, & faciei φλόγωσις nonnunquam convulsivum morbum minarentur, vel morbi reliquias ostenderent aliquandiu. Hinc verò integrè valere sibi visâ

visâ obſervatur circà novilunium malum redire, modò cum ſuffocatione, velut hyſtericâ, modò cum ἀφωνία, poſt paroxyſmum aliquando ad duas horas durante, (ob confuſionem ſpirituum prægreſſam,) conſtante licet ſenſu & ratione, ut ſcribere poſſet, non eloqui animi ſenſa, modò perfectâ convulſione epilepticâ, cum ſtridore dentium motibusque ſæpe diris & effrenibus, modò gravius modò levius, quin in ſomno quoque non ſemel morbo fatigata. Cum per duos menſes circà novilunium hæc eveniſſent, paroxyſmo binis, tribus, ad ſex usque vicibus de die recurſante, & hoc notatum eſt, urſiſſe tunc ſemper ſimul dolorem dictum hypochondrii, cum tumore etiam ejusdem, adeò adauctum, ut clamare miſerè cogeretur, excreta ſimul ſpumâ ſubcruentâ, fœtidâ, inſtar loturæ carnis vel ichoris ex mortuorum ore per fermentationem egredientis, quandoque etiam levi cum delirio. Poſtea ſingulis lunæ quadris invaluit morbus, tam exacto calculo, ut ipſo momento quadræ lunaris, & inſciâ ſæpe penitus ipſius hujus mutationis in cœlo ægrâ, rhythmum lunarem explicaret, præcipuè verò circà novilunium. Tacemus dolorem etiam oculorum conjunctum & interdum triſtitiam inſignem. Longum foret recenſere quæ medicamenta epileptica, & foco debita fuerint applicata, illud ſaltem addemus, fruſtra fuiſſe vel levioris auxilii pleraque, per aliquot menſes. Fortiori interim, ut decet, animo contra euntes, ut mineram circa hepatis clima exſtirparemus, & lympham acido-biliosâ amurcâ tinctam, fermentum morboſum ſuppeditantem & tantum non abſceſſum minantem, corrigeremus, alterantia ſpecifica cum evacuantibus interpolavimus, bis per annum ἄνω, & toties κάτω exturbantes tumorem peccantem. Simul ac purgante vel emetico depleta eſſet materia morbifica, per duos menſes & amplius ſaniſſima erat. Senſim verò adaucto fermento tertio utplurimùm monebat excretionem, donec, per integrum triennium vires per vices reſumens, penitus domita conquieſceret tandem, nec, accedente hinc quoque mutatione loci, quod conſultum aliàs *Cous*

judicat, rediret. Adeò lympha, extrà archei dominium constituta, motum humidi macrocosmici sequi solet, ichorescens verò vel acido sale ac bilioso confermentato acrior reddita, ad membranas capitis delata epilepsiam edit, varias ludens modis. Cumprimis ergò circa hepar concipi potuit h. l. tale μίασμα, unde pervasa diditum paroxysmum toties accersivit, quò defuncta cœteroqui benè habebat. Et hæc est ipsa illa atra bilis, pro causâ laudata solenniter, unde de elogio laudati *Coi.* & teste experientiâ maxima epilepticorum & melancholicorũ est affinitas *l. 6. epid. s. 8. t. 95.* Ne verò lateat, quænam in themate natalitio phœnomena huc facientia fuerint, ☍ ☽æ & ♂ ex ♈ & ♎ cum □ ☿ intermedio ex ♄ id innuebant. Attamen ☌ ♃ ♂ platica △ ♂ ♀, ✱ ♂ ☽ idem mitigabant.

## OBSERVATIO CXLIX.
## D. ROSINI LENTILII.
### De
# Epilepsia à sono campanæ, & Epilepsia ab Hominum intuitu.

DE admirandis motibus epilepticorum alia observatione dictum, unde causa horum interna peti debeat. Cursim nunc recenseo binas epilepticorum historias, & motuum convulsivorum causas procatarcticas, nî fallor inauditas, quæ cuivis curioso negotium facessere queant. Non autem illis immorabor, cum excludar tempore, satius ducens tacere, quam rationes non præmeditatas in chartam conjicere. Prior itaque historia talis est: In Imperiali Suevorum Heilbronna vixit olim egregia virgo mercatoris filia, nunc, ubi auspicato convaluit, curante Affine meo, D. L. Maskosky, Jurisconsulti non incelebris uxor. Hæc ab epilepsia (suspicor hysterica) plus centies humi prostrata & identidem ad duorum pedum altitudinem sublata, post rursum prostrata

prostrata fuit, non secus ac si vel carpionem vel lucium piscem in pavimento, uti solent alte satis, subsultantem conspicarére: durante paroxysmo ratione valuit, &, quid secum ageretur, novit omne. Hanc autem nunquam convulsiones exercuerunt, nisi, dum aut campanæ traherentur, aut horas proclamarent, ubicumque demum locorum tum temporis versata fuerit, jam à multis annis libera, filiorumque complurium læta mater existens. Altera hæc esto: Minister quidam Cæsareus Donaverdæ vivens, quoties in Templum aut curiam itare aut curru vehi, imo quoties scalas adscendere cupit, illico motibus epilepticis infestatur, dum obvium sibi conspicatur hominem, quisquis denique sit ille. Dum obvelata facie prætereuntem videt neminem, cœtum sacrum & consularem visitat, nil tale passus.

## OBSERVATIO CL.

## D. ROSINI LENTILII.

# Epilepticus absurdorum esu delectatus. Naturæ viriumque robur in epilepticis: De energumenis quædam.

IN Patria mea *Waldenburgo Hohenlohica* vixit *Joh. Jac.* Blank/ decem circiter annorum puer, antea prosperâ satis valetudine usus, aut tali saltem, quæ procul habitâ myrotheciorum ope, utcumque toleratur. Hujus Pater, cùm nuptias secundas celebraret, iste hac ipsa solemni die paroxysmo epileptico vehementi prosternitur, qui postmodum caducus adhibitis in contrarium remediis compluribus, tantùm abest, ut tolli potuerit, aut mitigari, ut circiter singulas potiùs Lunæ mutationes insigniores paroxysmi vehementius iterarent, donec adeo vis morbi invaluit, ut mens primùm turbaretur, post omnino alienaretur, adeo, ut ipsum semet puer ignoraret. Cùm esset jam triennium elapsum, ex quo malè cœpit habere,

Pater

Pater è vivis ſublatus, curam filii mulieri cuidam reliquit, quæ tam fuit ejus incurioſa, ut parum abeſſet, quin à pediculorum myriadibus conficeretur, quæ in miſeri nucha cumprimis & aliis corporis partibus & penum ſibi & ſpecum miro ſanè compendio excavârant; quæ res effecit, ut alii piæ civi crederetur, cui prius nihil fuit, quàm uti quantocyus animalculorum illa luſtra deſolaret; hinc balneavit miſerum ad inſtar puſionis, & anthropophagos polypodas loricâ æneis ollis expurgandis adhiberi ſolita (Panzerfleck) una cum ſordibus ad truam defricuit. Tria tum ferè luſtra vivendo compleverat puer, & tunc quidem temporis ſatis interdum prudenter loquebatur, preculas item, quas recitare plures poterat, precabatur, cætera ſubtriſtior. Sed quamprimum in lætitiam inſolitam & cachinnos effundi cœpit, paroxyſmum eſſe pro foribus adſtantes cognoverunt: Saltavit tunc & tripudiavit accepto nummo, *Orationem Dominicam aut Symbolum Apoſtolicum ſaltare ſe dicens*, quorum aliqua verba ad ſingulos ſaltus in gyrum ductos pronunciavit. Deum præterea & cœlum, ubi de his loquebatur, ſubter pedes, Dæmonem cùm inferno in ſublimi collocavit. Venêre poſtea paroxyſmi, nunc unus, nunc 3. 4. & plures nonnunquam per integrum horæ ſpatium in furore continuo perdurantes, quibus deniq́ue deferventibus per 3. vel 4. dies continuos extra omnem rationis uſum decubuit, adeo, ut ne cibum quidem ipſe caperet, moriturus fame, ni mater (ſic enim curatricem appellavit) in os ingeſſiſſet. Alvum & urinam in ſtratum depoſuit, quod ſtramine recenti erat in ſingulos dies renovandum, & fimus palâ, nil quidquam ſecus, atque in ſtabulis fieri aſſolet, expurgandus; non enim niſi torale, quod frigus externum arceret, quin ne femoralia quidem data, ſed levi denſâ talari indutus in publicum proceſſit, monſtro non abſimilis, cumprimis & ipsâ calvitie, per enim ſingulos menſes Silva capillorum cædua facta & disrurata ferarum ſanguiſugarum latebras diſſipavit; id verò cumprimis factum infirmitatis paroxyſmum inſequentis tempore, erat enim alioqui ingenti cor-

ti corporis robore prævalidus, nec ullâ vi tractabilis, nisi verborum poppyſmis cicuratus. Diebus induciarum per plateas eſt divagatus, neminem, niſi laceſſitus, lædens, panem collegit, è quo prandenti offæ pararentur, quas tantâ menſurâ devoravit, quæ vel quinque mercenariis diutino labore defatigatis abunde ſuffeciſſet, belluæ *Ruſſicæ*, quam vocant *polyphagum*, æmulus, nunquam enim potuit ſatiari, vel ad usque crepaturam voraturus. Cumprimis autem, quæ ſolemus maximè abominari ſaniores, avidiſſime eſitabat; hinc, quamquam pera pane, ſimilâ, aliisque veſcis nonnunquam turgeret, ille tamen appetitu miro ferebatur ad oletum vel proprium, quod, ubi data facultas, etiam de nocte ſurgens, corraſit, focum inſtruxit, ollæ vel ſolùm infuſum, vel aliis obſoniis caſu in culina repertis mixtum, ad ignem coxit, comeſturus, ni à domeſticis intervenientibus, & incendii diſcrimen declinantibus, culinâ exigeretur: præcipuè homerdâ à frigore in faciem hillæ conſtricta, vehementer ad eſum delectabatur. Stercora ſuilla, anſerina, intra pedum digitos collecta, in deliciis fuêre: animalium inteſtina in fimetis reperta, cùm tenacitate membranacea dentium aciem eluderent, more ciconiarum deglutiit, ut mirum planè fuerit, ſpiritum nunquam ei fuiſſe interclusum; hæc ipſi poſtea fuêre ad ulnas aliquot è faucibus protracta, quod agyrtæ cum tæniis faceto ſanè ſpectaculo aſſolent. Corium, lintea vetuſta, limum figulinum, ramos & folia arborum & ſentium, lactucam & braſſicam capitatam, una cum caulibus magnâ copiâ devoravit. Aliquando ſpecies pro nodulo purgante aliquot vicibus exhauriendo & alii præſcripto; vino infuſos, cum vino, ſpeciebus, & linteo involucro unâ vice abliguriit, nil inde quidquam incommodi paſſus, quàm ut anxiè ſudaret. Nudus, ubi potuit, per vicos erravit, noctu etiam plus vice ſimplici de ſuperiore ædium tabulato in plateam deſiliit totus nudus, ſalvus cætera, & incolumis. Talem ingenti cum moleſtia, vix alii toleranda, per integrum Sexennium mulier aluit, quæ, cum aliquando humi ſtrata crus

alterum læderet, & per integri ferè ſemeſtris ſpatium, pedis illius uſu careret, bonus ille homuncio, matris ſuæ curâ deſtitutus, cum nemo vellet, aut fortè poſſet etiam, cum illo verſari, frigore periit, perennaturus procul dubio, nî cura eum defeciſſet.

### SCHOLIUM.

IN hoc epileptico, nil æque miror, quàm admirandam bulimon, & abominabilium rerum appetitum, ex quo hic fonte arceſſendus, & quei diurnare potuerit, ac tot annos, nondum moriturus, nî fixatis ab externo frigore ſpiritibus, conſtricti ſanguinis motus interceptus fuiſſet! Quid alioqui fames diuturna poſſit in obſidionibus, aut annonæ caritate, norunt, qui hiſtoriarum libros volutarunt; heic enim neceſſitate coacti, ad abſurda homines feruntur. Quomodo in obſidione *Samariæ* matres ad filiorum lanienam, ut ſtomacho latranti ſatisfieret, ſint compulſæ, ſacro Codice *2. Reg. 6. v. 27.* docemur. Idem in obſidione *Hieroſolymitana* factum, & alia præterea abſurda, ut corium, fimum vaccinum, homeraam, gramina in cibum cocta *Joſephus l. 6. bell. Iud. c. 16. & l. 7. c. 7. & 8. it. Egeſippus l. 5. c. 41.* teſtatum fecerunt. Matres captivas in nupera obſidione *Viennenſi*, & per Dei gratiam feliciſſimè ſoluta, coactas à Turcis infantes ſuos verubus affixos aſſare, & fama diutina preſſas, ſemiputridos comedere, ab expeditione illa reduces affirmarunt. *Cambyſis Perſæ* in *Æthiopes* expeditio tantâ affligebatur fame, *Herodoto l. 3.* teſte, ut primùm equis ſuis, poſtea herbis & radicibus è terra evulſis ſtomachum miles ſolaretur, denique, horrendum dictu, per ſortem ſe ipſe conſumeret. *Calagurritanorum* tanta fuit pertinacia, ut, cum eos obſidione *Cn. Pompejus* cinxiſſet, qua nullum jam aliud in urbe eorum ſupererat animal, uxores ſuas, natosque in uſum nefariæ dapis verterint, quodque diutius armata juventus viſcera ſua viſceribus ſuis aleret, infelices cadaverum reliquias ſalire non dubitarint, id eleganter deteſtante *Valer. Max. l. 7. c. 6.* Plura in hanc rem exempla ſuppeditant *Naucler. Vol. 2. generat. 17. 18.*

*Büthner.*

*Buthner. epit. hiſtor. paſſim, Procop. l. 2. bell. Goth. P. Diacon. hiſt. miſcell. l. 16. c. 15. Thuan. l. 99. Plutarch. in vita Antonii & Luculli: Chron. Carion. l. 4. p. 404. Liv. bell. Pun. 2. l. 3. Dec. 3. p. 312. De fame Caſilinorum, & p. 317. de fame Petilinorum* utrorumque obſidione cinctorum. *Herodot. Uran. l. 8. p. m. 638.* Omnes autem inclementis annonæ fabulas, immo ipſius *Hieroſolymitanæ* ſatis prodigioſæ, longè, opinor poſt ſe relinquit *Sancerrinorum Gallorum*, à milite Regio, religionis causâ obſeſſorum, incredibilis ferè fames, cujus hiſtoriam longiſſimâ ſerie & pro materiæ dignitate ad usque ſtuporem recenſet *Illuſtr. Thuanus l. 55. p. m. 1117.* digniſſimam ſanè, quæ huc verbotenus transſcriberetur, ſi illud inſtituti ratio permitteret, quandoquidem hiſtoriam huic geminam nemo fortaſſe homo lectitarit unquam. Verùm hæc omnia comeſtionis abſurdæ paradigmata, neceſſitatem durum telum, non appetitum peculiariter ad hujusmodi latum, fontem agnoverunt, hinc talia qui comederunt inter ſacrum & ſaxum conſtituti momentaneam vitæ pauſam plerique fecerunt, intra dentium carceres adhuc inſolitas dapes coërcere viſi. Non ita, qui picâ laborant, affecti ſunt, verùm, ſingulari delectamento feruntur ad ejusmodi, quas imaginantur ſibi, cupedias, concoquunt illas, his nutriuntur, & vitam, ſi non in ſtatu ſano, neutro tamen tolerant. Noſter, quod ſupra memoravimus, quanquam nullâ rerum veſcarum inopiâ premeretur, ſtercus ſibi, præ pane, delegit, nihil gracilitatis exhibens, ſed viſus habitior. Supponenda proinde ejusmodi ſubjecto, fermenti ſtomachalis certa quædam diatheſis, qua & appetere & concoquere abſurda poſſunt. Quæ res, uti ſe habere ſoleat in aliis, bulimo aut picâ propriè & per ſe laborantibus, (quod ultimum femininum ſibi ferè ſoli genus vendicat.) Jam fuſius enucleare, eſſet extra oleas vagari. Sic, ut aliquantum vagemur, habemus *Hyalophagos*, quorum hiſtoriam curiosè recenſuit *Oculatiſſimus Argus noſter Satyr. Med. Contin. XV.* ubi cumprimis *Lazari vitrivoracis* hiſtoriæ huic noſtræ per eſt ſimilis, præterquam, quod noſter fuit epilepticus. *Cultrivorum*

*& pyrophagum Londinensem*, cultros, novaculas comminutas & lapides rotundos, devorantem, laminas ignitas lambentem, massam ex pice, sulphure, lacca, resina, cera totam flammantem in ore volventem & masticantem &c. *Olig. Jacobæus in Act. Med. Hafn. vol. 5. obs. 107.* describit, qualem & nos, *Mitaviæ in Curlandia A. 1679. & heic Crailshemii* mulierem anno superiore, quæstum istiusmodi epulis factitantes vidi. *Petrum Yvens*, ferrum cotis vicem apud laniones præbens, pedem ollæ æneæ, cultros &c. vorantem, & hæc omnia per hypochondriorum abscessus rursum erumpentia narrat *Zodiacus Medico-Gallicus mens. Maj. observ. 2. Ann. I.* Plura ejus farinæ Comedonum exempla videsis in *Ephemer. nostrarum Dec. I. Ann. I. observ. 83. Ann. II. obs. 209. Ann. III. obs. 177. 178. Ann. IV. & V. observ. 143.* Novimus *Illustrissimam* quandam *Comitissam*, nunc Viduam, quæ fila linea perditissimè appetit; Semper in culeo glomeramina duplicati fili, quæ comedat, portat, mensæ accumbens, fila è mappis & mappulis, deniq; quocunque loco stat aut versatur ex indusio proprio, strophiolis, lodicibus &c. extracta perpetuò mandit, à prima juventute ad hunc usque diem, agit autem nunc annum quasi trigesimum octavum. Hinc è lino contexta utensilia filorum hac successiva extractione clathrata quasi efficit ac turpiter defœdat, nec quoquo modo ab horum esitatione potest averti, quin testatur, nil suavius aut posse dici, aut dulcius quidquam excitari, generosa alioqui Virago. Horum inquam causæ ac rationes per se nihil huc attinent. De epileptico nostro quæri meretur, num caducus ad hunc bulimon quidquam contulerit, nec ne? quod mihi quidem per vero videtur simile. Bulimon autem recentiorum plerique à fermento ventriculi justo acidiore, hujus εὐρυχωρίαν perpetuò lancinante, & hinc sensum molestum, famem dictum, subinde excitante arcessunt. Naturaliter enim idem appetitus fermento ventriculi bland-acidulo (quanquam alii eandem sententiam sub aliis nominibus occultent) rectè adscribitur, quod fermentum in aciditate sua plus minus exaltatum, auget quo-

que

que appetitum, & hinc fortè patere causa potest, *cur hyeme magis urgeat fames?* quam sese latere *Erasistratus* olim conquestus est citante *Gell. noct. att. l. 16. p. m. 574.* dum nimirum ab aëre acidiori inspirato eundem aciditatis characterem stomachale fermentum adsciscit. Ejusmodi fermentum acidius, ob hanc ipsam aciditatis auctæ rationem cupit saturari alkalicis, qualia sunt plerumque supra memorata: depravati appetitus objecta, eaque, dummodo non sint omnino invicta, adgreditur & digerit; hinc *Jacobæus* in observ. superiore à *Cultrovoro Londinensi* bacillum vitreum devoratum, post 2. dies cœruleo infectum colore & velut aqua stygiâ corrosum per alvum exisse, it. bacillum è ligno buxi frustulatim exesum, & clavem ferream nigerrimo colore infectam prodiisse dicit, omnia aciditatis auctæ aperta testimonia. Jam verò humoribus acidis epilepticorum corpora scatent: unde enim inordinati nervorum motus, nisi à lymphæ aciditate spiritus animales turbante & rarefaciente quasi deduci queant? Sunt autem epileptici cumprimis edaces, quanquam non omnes æquè bulimo laborent. Potuit autem in nostro Epileptico ob cerebrum insigniter concussum & affectum magis habitualem depravata ratio ab hujus farinæ pænissimè absurda appetenda symbolam contulisse. Certè nisi hanc de acore lymphatico hypothesin amplectamur, vix licebit admirandas epilepticorum commotiones, nonnunquam incantamentis sagarum, ast perperam, adscriptas, mente comprehendere. Exempla qui volet, *ap. Willisium tr. de morbis convulsivis* oppidò rara inveniet, ubi explosiones fictæ curiosum quemlibet vix satiabunt. Saltem, quæ mihi observata, recensebo: Virgo Nobilis annorum 13. ante triennium epilepsiam hystericam tam est atrocem passa, ut iterantibus singulis horæ quadrantibus, adeoque plus quadragies per diem paroxysmis oculus dexter ad mediam usque genam, una cum ore convelleretur, & quod mirandum, pedes triplici gyro intra sese convolverentur ad instar plegmatum muliebrium, quod sanus vel agyrta sine cru-

rifragio nullâ arte effecerit; Sanitati priſtinæ feliciter à me reſtituta, ubi ſaluberrimam *Tincturæ caſtorei* opem ſatis deprædicare non valeo. (eand. Tincturam Caſtorei cum ſpirit. CC. aliis pluribus epilepſiâ hyſtericâ laborantibus, & cumprimis virgini nobili vehementer cum illa conflictatæ, multum profuiſſe, quanquam hanc ultimam viſco ſolo Corylino percuratam propinquo velint, qui autem aliis exhibitus exſpectationem eſt fruſtratus, *Exc. D. D. Georg. Laibius Phyſicus Dinkelsbühlenſis*, Amicus noſter honorandus in litteris reſtatur.) Opinor autem ejusmodi motus admirandos non poſſe melius concipi, quàm, ſi quis imaginetur ſibi *pupam circumforaneis uſitatam*, quæ *à pluribus fidiculis ſubter veſtibus huic aut illi membro occultè adglutinatis, per manus trahentis in varios motus cietur*, ita, ut nunc capite huc illuc nutet, nunc brachia moveat, nunc gradiatur quoque, pro trahentis arbitrio, non ſine plebeculæ admiratione. Ejusmodi tendiculæ ſunt nervi corporis animalis, qui prout à ſpiritu animali, qui hîc ſunt inſtar manus, ad animalis, hîc agyrtæ, arbitrium intenduntur, partes, quibus affixæ ſunt, ſurſum deorſum, rurſum prorſum, movent. Hi nervi, ubi ſpiritus animalis ab aciditate lymphæ inquinatur, ut omne acidum eſt nervis inimicum, rarefit & in furorem quaſi agitur, irritantur, & hic acor ſpiritus animales in furorem fermentalem agens agyrtæ trahentis vicem ſuſtinet, membraq; motu involuntario, nonnunquam ſtupendo, nunc hæc nunc illa, prout hi vel illi nervi intenduntur, conquaſſantur, quæ rabies tam diu durat, usque dum diſſipatis particulis fermentabilibus exſpirare cogitur; neque huic nos motui reſiſtere valemus, quia motor eſt peregrinus, non domeſticus. Nec verò *energumenos* aliter à maligno ſpiritu tractari ſuſpicari licet; Eſt enim optimus Phyſicus & liturgiam animalem, omniumque nervulorum uſus habet perſpectiſſimos, in ejusmodi naturæ ſcientiæ perſpicatiſſimum quemlibet Anatomicum facilè antecellens. Hic itaque humani generis hoſtis, hominis à ſe obſeſſi nervis pro arbitrio imperat, nec aliter illos huc ducit atque

reducit,

reducit, quàm circumforanei puparum membra tractis fidiculis, ceu nervis, movent. Hinc videmus nonnunquam miros saltus ab *energumenis* perfectos, item, potuisse illos muscarum ad instar per parietem perpendiculariter expansum uncare; loquitur ex illis invitis Diabolus, & quidem sono prorsus peregrino, quàm alias loqui sueverunt obsessi, dirigens nervos linguam adeuntes, ut proferre cogatur voces exotici idiomatis, & linguam eloqui, quam nunquam obsessi didicêre. Exemplum non absimile Anno superiore heic *Crailshemii* in puella septenni, ni fallor, vidisse contigit, à fœtido tamen hoste denique relictam. Quòd autem tanto robore præditus fuerit Epilepticus noster, mirum fortasse videri posset, nisi prostarent exempla parallela. Non autem propterea, quòd epilepticus esset, tantum ipsi roboris accessisse arbitror, sed quòd rationis usu careret; non hic loquor de paroxysmo durante, ubi sex interdum viri sunt vix uni lymphato tenendo, & ratio in promptu est: Hoc volo, mente alienatos esse longè aliis hominibus robustiores & naturâ & viribus. Alii puero epileptico in eodem *W ltenburgo* Textoris filio morbus hic insputandus *Plauto in captivis* dictus, rationem adeo obtudit, ut templum incurrens sub publica concione exclamaret, à femina, ab omnibus pro honesta habita, pomum se accepisse, quo comesto, jam sit in equum conversus, nec postea cibos ullos humanos, sed equinos, fœnum puta, avenam & gramina comedit, & in equilibus versari amavit; Cætera fuit priore insolentior, & tanto robore præditus, ut totam virorum coronam ille solus in fugam conjiceret, astu postea circumventus & compedibus vinctus per annos aliquot vixit, fato post functus. Alius in *Curlandia Genere Nobilis*, sed demens ex melancholia, certis intervallis in carcere detentus, ferrea repagula ligni ad instar putridi confregit, nonnunquam, ubi se in libertatem adseruit, omnes villâ exegit, & tanto fuit naturæ robore præditus, ut, cùm Pastoris cujusdam filiolum, tunc quidem epilepticum restituissem, & pro confortando cerebro Electuarium sequens præscripsissem: ℞. Conf.

lil.

lil. conv. prim. ver. pœon. fl. til. aa. ℥ß. ſal. alcal. nativ. ℈ij. C. alc. ppt. Cran. hum. philoſ. ppt. aa. ʒj. ſpirit. Vitrioli gtt. xx. Sir. pœon. q. ſ. ille culullam adhuc plenam ad feneſtram reperiens totam unâ vice devoravit, nil inde quidquam incommodi paſſus, quam, ut alvum aliquoties dejiceret. Adderem exemplum hortulani in Aula Onoldo-Brandenburgica Noſtra, anta aliquot annos ex vulnere capitis maniaci facti, obices craſſos ferreos, catenas ferreas levi negotio diſcerpentis, & totum aliquando Noſodochium fugantis, nî μετάβασις εἰς ἄλλο γένος objiceretur. Unde verò tantum naturæ robur? Si quid conjiciendum, opinor ab alimentis rudibus & terreſtrioribus, glutinoſis & viſcidis, tendines quaſi, in quibus omne robur, ferruminari; Deinde, quia bruta animalia reſpectivè ſemper majori ſunt robore prædita, quàm homines, arbitrari fas erit, fatuos & amentes, nihil ſpirituum in ratiocinando & meditando inſumere, ſpiritus proinde, quos habent, conjunctis quaſi manipulis, ſolis operibus reſervari, quibus nihil à brutis differimus, qualia ſunt nutritio & motus localis. Homines verò ſtudiis præcipuè, & ratiocinatione multâ, curis, aliisque animi pathematis ſpirituum, & per conſequens virium, haut ſanè parum deperdere, quilibet in ſeſe poteſt ipſemet experiri.

## OBSERVATIO CLI.
### D. ROSINI LENTILII.
## Corpus Myloides poſt partum Maſculinum ex utero propendens cum ſubitaneo Puerperæ interitu. Aperturæ cadaverum utilitas.

UXor Molitoris noſtri in mola *Kuppelichiana* dicta, 30. præterpropter annorum, ſat alioqui bonæ conſtitutionis, infantisque jam unius mater, per totum ingravidationis ſecundæ tempus facie pallidâ ſe malè habuit.

*D. 25. Sept. A. 1683.* dolorifico pulsu fores uteri *Lucina* pulsavit, accersitur obstetrix audacula, & ex illarum sorte, quibus *est satis loquentiæ, sapientiæ parum*, ut loqui *Salustius* amat: elapsis binis horis, quod quidem illi retulerant, enititur pusionem vegetum. Secundinæ satis auspicato (iterum referente obstetrice) successerunt. Interim continuati dolores puerperam ad horæ dimidium excruciant, identidem ingeminantem, adhuc adesse, quod excluderet, aut Didymon aut aliud quidpiam. Manus obstetrix commodat, exspectatur geminus, corpus enim ad obstetricis tactum infantile caput mentitum erat. Secus autem atque exspectarant, res cecidit. Propendet extra pudendum corpus globosum, sed nulla arte, nisi fortè adhibita vi separabile; obstetrix hîc agere sola verita, Chirurgum; hic autem re explorata, fatiscentibus interea ægræ viribus, me accersunt. Ego, quantumlibet festinabundus, (non enim dum molior aut comor, annus est) fati velociam prævertere non potui; pedem enim vix porta extuli, dum animam hæc exhalavit. Adsum, *Corpus myloides* (molam dicere non audeo) illinc adhuc propendebat, sanguinolentum, adque tactum duriusculum; sed manu calidiore tractatum rediit ad cascam mollitiem. Jubeo chirurgum digitis explorare, si fortè posset hujus corporis initium quoddam reperisse, quod ab illo frustra tentatum; quousque enim digito penetrarat, corpus illud secutum est. Impero denique ut cultro, quam posset, profundè adacto, illud rescinderet, quod ægrè, cultri aciem remorante cartilaginea cervicis, quam corpus illud habebat, duritie effectum. Saccum post illum, quem referebat, accuratiùs examinavimus foris totum sanguinolentum, sed per longitudinem cultro apertus, nil quidquam, immo ne aquæ guttam in ventre ostendit, sed cute glabrâ, quanquam corrugata & albicante, superficiem internam, investitus erat; Caro interim spongiosa, sesquipollicem suâ crassitie absolvens; nihil hîc vasorum, ligamentorum, ossium, squamarum nihil; illud et-

iam

iam me vehementer mirum habuit, quod tam citò puerpera extingueretur.

SCHOLIUM.

QUid heic fuit opus factu? *Cadaveris apertura poterat omnem, quæ animis nostris insederat, dubitationem dispulisse. Impia verò Pietas*, qua, hoc quidem in passu, erga mortuos sunt affecti, qui sanguinis eos propinquitate contingunt, salutare hoc & fructuosum opus in fere parricidia numerat. Ut enim suspicer, fuisse *non molam*, sed *uteri fortè procidentiam*, id tamen asseverare non audeo. Multas ego molas & legi & vidi, nunquam talem. At, quid uteri substantiæ convenientius, si fortè solam cartilaginem excipias? Potuit autem uteri orificium aliquâ suâ parte cartilagineum esse, veluti tum in pyloro, tum ani, vesicæque sphincteribus plus vice simplici observarunt anatomici. Obstetrix autem, qualis hæc fuit, sibi relicta parum prudens, ubi deinde pauxillum illud sanæ mentis vini effluvia tumularunt, secundinas fortè arctiùs hærentes, vel internæ uteri superficiei alicubi adnatas, vi evellere tentans, uterum potuit simul loco movere, qui per nixus secundas extra pudendi rimam omnino propelli potuit. Jam verò est cuilibet notum, *quàm possint ægrè puerperæ statim post partum externum frigus perferre*, ita, ut multoties ingenti horrore ceu paroxysmo febrili concutiantur, immò, ni tempori succurras, de vita periclitentur, quale exemplum haut ita pridem in civitate nostra habuimus, quid futurum, Lector, arbitraris, utero insuper ipso, & quidem inverso, refrigerato? nonne quandoque herniosi, sicubi refrigeretur hernia, morte luunt aëris inclementiam? atqui sunt herniæ insuper beneficio cutis externæ, cui involvuntur, aliquantillum á frigore munitæ, secus atque ipsissimus propendens uterus. *Scilicet, sunt hæ partes membranosæ, frigoris proinde impatientissimæ, quo tactæ facillimè convelluntur, insequente morte.* Quod autem supra monui, non licuit audacter pronunciare, fuisse uterum, nec enim ulteriorem aut per sectionem, aut per digitos explorationem ferebant

bant adstantes, & naturam variè quoque ludere in molis generandis novimus. Exempla varia *Ephemerides nostræ* suppeditant, *cumprimis Dec. I. Ann. I. obs. I. 36. Ann. II. obs. 79. 84. 160. Ann. III. obs. 129. Act. Med. Hafn. vol. 1. obs. 26. Plater. obs. l. 3. p. 868. 872. Schenck. Salmuth. Bartholinus, Hildanus & alii plures.* Suppeditat hic casus 2. quasi porismata, quorum primum est: *Interesse Reipublicæ, ut obstetrices conducantur piæ, sobriæ, prudentes & peritæ:* Alterum: *Interesse eidem, impiam illam Pietatem consanguineorum antiquari, & in casibus præcipuè singularibus cadaverum aperturam concedi, quin, pro circumstantiarum ratione imperari.*

Vulgus non solet distinguere inter *Anatomen* & *solam cadaverum aperturam* (Oeffnung) hinc, quia inaudiunt fortè in *Academiis* supplicio affectorum cadavera *anatomiæ* tradi, defunctorum aut affinitatis existimationi detractum iri verentur, si aperiri permittantur; sed facilè possent hoc timore exui, ni vanis & præconceptis persuasionibus pertinacius inhærerent. Quamquam enim nec ipsa anatome supplicio affectorum in contumeliam defuncti aut propinquorum tendat, & boni publici caussa fiat, ob quam injuria fieri non censetur, ut rectè allegat ex *ff. Carpzovius in prax. rer. criminal. part. 3. quæst. 137. n. 72. s.* (ubi disquirit, num supplicio affectorum cadavera sint anatomico cultro subjicienda, & allatis rationibus affirmat) *toto tamen cælo differt cadaverum apertura ab eorum anatome*, siquidem in hac omnes corporis partes ad pernoscendum hominis naturalem statum, examinantur & explicantur; in illa tantùm in caussam morbi, huncque insequentis interitus, adeoque statum hujus præternaturalem, inquiritur, ut aliis cum eodem aut analogo morbo conflictantibus opera Medici tantò sit præsentior. Tantum itaque abest, ut ab ejusmodi apertura cuiquam impietatis nota affricetur, ut potiùs impingat vehementer in Christianam charitatem, quisquis heic Medici sedulitatem sufflaminare sustinet. Quantum debemus laboriosissimo *Boneto*, qui in aperturis cadaverum operam

 collo-

collocavit nullo auro compensandam, cujus est testis illustre *Sepulcretum* à laudato auctore evulgatum. Si quid heic impii lateret, cur *Magnatum* cadavera aperiuntur? non ea fini, ut vel inde tantilla ægris utilitas accrescat, nisi fortè per accidens, sed tantùm in conditura seu balsamationis gratiam? Quid multis? Si modò homines reflecterent, Medicum non animi gratia, sed ut ægris prosit, sectiones has desiderare, non adeo sese opponerent: quid enim in hac apertura, ex tetro fœtore, vel miasmate etiam contracto delitiarum? quid non potius molestiæ? Hanc autem, uti non in omnibus morbis sine discrimine requiro (quid enim interest aperire, quem ex febre maligna interisse constat?) sed tantùm in casibus valde dubiis, rationem & experientiam Medicam illudentibus, aut ubi quid commissi erroris ab adstantibus suspicamur, velut in hoc nostro casu factum; *heic dico, quantumcunq; etiam propinqui reluctentur, autoritate superiorum esse cogendos, ut vel ingratiis Medicos cum Chirurgis ad sectionem admittant.* Plura in hanc aperturam notabilia habent *Ephemer. nostræ Ann. I. obs. 15.*

## OBSERVATIO CLII.
## D. ROSINI LENTILII.

# Lactationis difficultas: Globuli pingues butyracei per infantum alvum magnis cum torminibus ejecti. Clysterum usus in infantum morbis.

QUi *stomotrophiam fetus in utero*, saltem ultimis mensibus, defendere satagunt, parum sibi fiduciæ sciant in recens natis infantibus collocatam, eò quòd hi, consuetudine quasi in utero materno contractâ, illico mammam adoriantur, quamquam propterea cum celeberr. *Sylvio* non dimicemus, qui primam infantis nuper nati passionem sitim pronunciat, *l. 1. Prax. c. 1. §. 1.* Non sunt profectò tam

tam ad ſugendum prompti infantes, ac ſibi quisquam imaginatur, ſed eſt ſæpiſſime opus artificio, ut papillam apprehendant. Hinc aliquæ mulieres *Coloſtrum* illud primum ſapore ingratum, priùs emulgent, quàm infanti mammam præbeant, quod tamen minùs eſſe conſultum *B. Ettmüll. in valetudin rio infantili* arbitratur, dum coloſtrum illud ſit cibus medicamentoſus, laxandi vi præditus, cujus ope meconium exturbari queat, Aliquæ *lacte vel proprio vel amygdalino, vel Sirubo violarum areolas illinunt*, quibus nil juvantibus, infantes adultiores & ſugendi peritos adſciſcunt, qui mammis per affluentis lactis copiam in tumorem ſublatis, varicibus fœdatis & inflammatis opem ferant, ubi juniori infanti ab adultioris matre interim lac in oſculum mulgetur, ut vel ſenſu diſcat infans, eſſe in illis collibus, unde ſitim leniat, atque adeo exercitio demum, quid opus ſit factu, diſcat. Experimentum in ipſis meis ædibus moleſtum ſatis in filiolo meo factum, qui primis â partu diebus, quamquam papaverculum in magna ſatis copia redditum, continuis tamen clamoribus dies noctesque transegit, & mammam ſugere omnino detrectavit. Pulticulis hinc & amygdalino lacte aluimus, interim verò mammæ puerperæ in tumorem ingentem, cum dolore & ardore ferè intolerabili, excreverunt, quæ, cùm non adeſſem, mulieris cujusdam ſuaſu, unguentum ex *albumine ovi, alumine & pauxillo croci* ſuper carbones mixtum & chartam cœruleam explicatum, mammis impoſuit, unde quidem tumor, ſed unà lac, evanuerunt, ſuccedente in ejus locum præcordiorum anxietate magnâ, & ſpirandi difficultate. Dum hæc aguntur, alia mulier quadrata & à tribus menſibus puerpera accerſitur, quæ vix denique, magno cum labore, infantem ſugere docuit, interea nos in eo eramus, uti medicaminibus lactiferis, & quocumque modo lac in mea rurſum adduceremus, ſed, nihil hîc emulſiones, nihil pulveres, intritæ, pulmenta, ubera vaccina; nil pileoli, vitra, ora ſugentium, nil denique lapis galactites appenſus (dum alioqui hujus farinæ amuleta, quæ, præter ſignaturam, nil habent, unde

ratio possit acquiescere, à me parvi fiunt) nil, inquam, hæc omnia, nisi lactis tenuis & aquosi parum extuderunt. Perreximus itaque ad quadram alienam puellum ablegare, sed tam exiguo cum emolumento, ut, quamdiu lactaretur ab hac infans, torminibus ferè continuis, flatibus, ructibus affligeretur misellus, nullis remediis cedere volentibus. Nunquam alvus, qualia debuit, excrementa dedit, sed liquida nonnunquam, interdum spissiuscula, sed viridia, & minutalium ad instar granulata, denique *globulos cum excrementis, nunc plures, nunc pauciores, aliquos Cerasorum acidorum magnitudine, aliquos pisorum majorum, qui primâ facile pelliculâ quasi induti videbantur, curiosius autem explorati, nil nisi pituitam conglomeratam exhibuerunt, acidum spirantes;* ante verò, quàm hos excerneret, horrendis clamoribus totas ædes explevit, cohibitâ respiratione, ut parum abesset, quin suffocaretur; excretis verò istis paulùm conquievit.

## *SCHOLION.*

MIrabantur omnes, qui, aut quæcunq; hos inspexere globulos, matronæ polytecnia beatiores, atq; propterea multisciæ, nunquam antehac sibi tale quid visum professæ, ita, ut aliquæ incantamenta caussarentur. Ego verò statim recordor, esse mihi è multis scriptoribus Medicis unicum, unicum inquam,(nec enim ullibi me parallelam observationem legisse memini) ex quo geminum paradigma petere liceat. Et verò hic *Laur. Hofmannus tr. de vero usu & fero abusu medicam. Chim. p. m. 48. Ubi casum, quantum ipse quidem tunc novit, inauditum, matronæ valde obesæ, 4. filiolarum Parentis recenset, quæ omnes primo ætatis anno elapso, mediante epilepsiâ, vitam cum morte commutarunt, nec Medici, nec mæsta mater caduci hujus morbi & interitus caussam noverant. Cùm verò quintam enixa esset filiam, hæcq; primum ætatis annum ferè complevisset, eorumdem motuum convulsivorum sese præbuerant indicia, hunc igitur in Consilium vocavit, qui, cùm de singulis percontaretur, mater se nihil observasse ajebat, quàm grana quædam butyracea instar pisorum*

*sorum & Cerasorum, copiosè cum excrementis permista, aliquoties fuisse excreta, qualia quinta quoq; filia tunc temporis excerneret; Ille itaq; statim pingues hasce excretiones epilepsiæ caussam fuisse suspicatus est, rationemq; tam granorum butyraceorum, quàm ipsis quoq; subsequentis epilepsiæ hanc excogitavit, ad quam eruendam, ipsi vetula quædam premendis caseis præfecta, ansam dedit, quod scilicet magna sit differentia lactis ab hac vel illa vacca emulcti, quodq; lac aliud alio magis butyraceum. Similiter rem cum mulierculis se habere existimavit, lacq; lacte pinguius. Hoc itaq; posito infantes adhuc tenellos solo plerumq; lacte materno & mollibus quibusdam pultibus pasci, ubi pinguedo ista lactis in infantis alimentum non cedat; sed in intestinis tanquam partibus membranosis & frigidioribus condensetur, atq; in coli cellulis admodum profundis accumuletur, ibiq; latitans sulphureos & auripigmentales halitus de se mittens, epilepticorum paroxysmorum auctor exsistat. Quod verò primo semestri pinguedo illa granulatim cum excrementis non excernatur, in causa esse fecum liquiditatem & mollitiem: quamprimum verò infans juscula, carnes & alia solidiora comedere incipiat, alvi feces duriores & compactiores factas, cum materia ista butyracea in coli intestini cellulis contenta fortiter aduniri, majorique nisu excerni. Hanc noram, de nova epilepsiæ causa, opinionem, præter doctissimorum quorundam virorum judicia effectum ipsum satis superque probasse, quintam enim filiolam talia quoque butyracea excernentem granula, & quosdam etiam leves perpessam paroxysmos epilepticos, solis clysteribus abstergentibus, & singulari quodam liquore hordeaceo, auxiliante Deo, exoptatæ sanitati se restituisse: Hæc ille.*
Circa quæ monendum esse duxi 1. Satis hunc accuratè esse de hisce globulis & epilepsiæ causa philosophatum: Nam, sicut à lacte nimis tenui & seroso, ita ab eodem nimis butyraceo & pingui, necessariò damnum lactenti, immo majus ab hoc, quàm illo, infertur. Toto die experimur, quantum negotii pinguia largius comesta adultorum ventriculis facessant, in hæc enim difficulter agit ventriculi fermentum, &

*ab*

*ab istorum lævibus & globosis particulis, hujus acutæ & cuspidatæ obtunduntur partim, partim deflectunt*, quemadmodum e. gr. globulus aut vitreus aut marmoreus politissimus frustra mucrone petitur, qui aut obtunditur, aut ob lubricitatem declinat (glitscht ab.) Hinc ab ejusdem fermenti particulis corroduntur quidem & dissociantur pinguia, non intimè solvuntur, quemadmodum ab Aq.Reg.& Aq.Fort. Sol & Luna discerpuntur magis & dilacerantur, quàm solvantur; hinc facilè sunt reductibilia, secus atque perfectè soluta; hinc ab ejusmodi dilacerationibus violentis magni tumultus cum effervescentia excitantur; hinc flatus effervescentiæ comites; hinc à dispassis intestinis tormina; hinc etiam ceu imperfectè soluta exspirante menstruo priorem naturam & consistentiam induunt. Novimus matronam, quæ, ubi pinguia comedit, post triduum cum sudore frigido & anxietate vix credibili, ea nihil quidquam mutata, *immo ad tactum frigida*, & tali consistentia, qualem pinguia refrigerata habere solent, revomit; quæ historia seorsim alio tempore tractari merebitur. 2. Rectè officina horum globulorum Coli cellulæ adseruntur; ejusmodi enim pinguia sunt per se ad motum inepta, hinc ubi in coli membranulis, quasi remora ipsis datur, ibi morantur & in globulos juxta cellularum ἐυρυχωρίαν efformantur, non secus, ac animalium excrementa sicciora, equorum puta & caprarum: hinc quia & flatibus & excrementis liquidioribus ab intestinis tenuibus illuc tendentibus transitus denegatur, facilè concipi potest, unde tam horrendi clamores, unde denique quies à globulis excretis? Non autem 3. ideo in illis cellulis hi globuli condensantur, quòd intestina, ceu membranacea, sint frigidioris temperiei, aut quòd cibi solidiores admixti sint: Illud enim quod attinet, condensationis causa, uti dictum, censebitur potius liquoris viscidi ad motum ineptitudo, cellularumque favorabilis configuratio, hoc autem refellit filiolus meus, vix uno post nativitatem mense tales excernens. Quòd autem 4. filiolæ Hofmannianæ totius anni terminum attigerint, causam esse

esse suspicor, quòd lac maternum suxerint, pedetentim butyrositatem illam adsciscens, secus autem meus, qui suxit lac obesæ & peregrinæ mulieris, filiolam aliquot annorum jam lactantis, adeoque respectu corpusculi tenelli, lac jam butyrosius, quàm ut meus concoquere potuerit, generantis: argumento fuit, lac non alio quàm bonitatis (liceat ita loqui) vitio peccare, quod infans, quantumlibet torminibus, flatibus & clamoribus excruciatus, tamen secundùm omnes dimensiones augeretur, nec quidquam emaciaretur. 5. Exhalationibus autem acidis & sulphureis ex vitiosa effervescentia prodeuntibus, nervosumque genus ac cerebrum lancinantibus, & in convulsivos motus cientibus, epilepsiæ causam rectè adscribi, totus ferè Medicorum chorus adstipulabitur, ut qui cumprimis in recens natis id agit, ut aciditati obviam procedatur, ne ea accumulata epilepsiam excitet. 6. Denique cura rectissimè instituta; hanc enim cùm imitarer, & singulis fere diebus clysterem *ex aqua hordei, cum parco Saccharo & oleo rutaceo injici*, post etiam *infantem ablactari* curarem, nunquam id genus globulos ampliùs observavi.

Multi sunt admirati, me infanti tenellulo clysteribus mederi velle: Sunt enim adhucdum in ea opinione nostrates, non tantùm è plebe, homines, ut arbitrentur, clysteres esse remedium insigniter violentum, & hos, qui sufferre velint, athletico robore præditos requiri; alii putant, enemata esse remedium extremum, reliquis nil juvantibus exhiberi solitum, adeoque hæc ubi vident præscribi, conclamatum esse de ægro autumant, **man nehme ihn für einen todten Mann an/ er sey so gut als hin / man geb ihm keinen Heller mehr/ um sein Leben.** Hinc multis precibus & persuasionibus vix eo se adduci patiuntur, ut hos admittant; *quin immo ante usum aliqui testamentum condunt exemplo eorum, qui aut lithotomis aut celotomis aut id genus Medicinæ operatoribus sese subjiciunt.* Aliquando mulier, cujus marito clysterem ordinâram, in faciem mihi dixit, *me occidere maritum suum*, quo audito discessi,

nec quidquam medicaminis ampliùs præſcripſi. *Ego verò, ſi clyſteres interdicto publico Medicinâ exulare juberentur, nollem eſſe Medicus*, tanti à me fiunt plurimis in affectibus, quidquid contra *Helmontius* & adſeclæ auſint, quibus *mea*, ſpero, *Oologia* cum emphaſi ſeſe opponet. Poſtremo omnes Medicinæ Practicos obteſtor per Dei Charitatem & Proximi, ubi ſingularem quandam encheireſin aut ſecretum contra puerorum epilepſiam norunt, propalare illa ne graventur; graſſatur enim peſtilens hoc malum cumprimis in his regionibus in miſellos infantulos, ita, ut vix opus ſit quærere, quo morbo infans interierit? nec eſt quidquam ferè certi remedii. Ubi nil opis in mediis naturalibus invenitur, ſuperſtitioſa prodeunt in ſcenam, nec *dici poteſt, quot & quantis ſuperſtitionibus vulgus noſter ſit undequaque quaſi ſuffarcinatus*. Unam curam appono, cuilibet liberum relinquens judicium, ego nullum fero: *Lingua Urogalli, ei vivo, dum laſcivit, evulſa, & regioni cordis intra linteolum exſiccata, ſic alligata, ut deorſum apex vergat*, quam vel centum epilepticis opem tuliſſe perhibent.

Dec. II. An. I. obs. IV. p. 12.

## OBSERVATIO CLIII.
## D. ROSINI LENTILII.
## Racemus Goſmannsdorfianus verſicolor.

Uvarum acinos compactis auri atomis ſplendentes, & in acinis auri obryzi granula inventa exhibet *Ephemerid. noſtr. Dec. II. Ann. I. obſ. 131.* Uvas barbatas, ſed per fraudem, ejusdem *Anni obſ. 48. & Ann. IV. V. obſ. 148. & Schitinium Chium apud Apollonium in mirabilibus* fabulatum eſſe, *fructus ſine nucleis, uvasq; ſine acino in Britannia naſci Camden. in Britann. p. 2.* teſtatur. Botrum ego & uvas verſicolores produco. Cùm enim anni hujus autumno, ad Generoſiſſimum Dominum, Dominum GEYERUM de GNIBELSTATT, Dominum meum gratioſum, tunc in *Franconia* inferiore vindemiantem profectus eſſem, *Goſmannsdorfii* prope *Ochſenfurthum* offertur nobis à cive racemus oppidò rarus, &, quod fatebantur omnes

in

in regione vitifera nati & educati, à se antehac nunquam visus. Erant illius uvæ ex albis & rubris perfunctoriè mixtæ, uvarum autem erant aliquæ totæ rubræ, aliquæ totæ albæ, aliæ duo hemisphæria exhibebant, alterum album, alterum rubrũ, aliquæ tantummodo striis hinc inde albis & rubris ludebant, jucundo sanè spectaculo. Adeo natura non tantùm per omnia sua regna, sed & per omnes illorum species ludit, & nobis lusuũ istorum causas curiosè rimantibus illudit. Vid. Dec. 2. obs. 4.

Ao. 1680 i mea fabri Vinea

## OBSERVATIO CLIV.

## D. ROSINI LENTILII.

# Sanguinis è vena secta, non nisi corporis motu prævio, eruptio. Hæmorrhagia narium singularis.

VItam Hominis à perpetuo Sanguinis motu continuari, huncque naturali modo procedentem esse sanitatis Architectum, est axioma Medicorum. Ubi hunc rapidum esse nimis, experimur, caliditati illius & particulis in effervescentiæ motum actis adscribimus, & sedativis atque præcipitantibus furorem compescimus. Contra, motus hujus torpidus à sanguinis crassitie, inertique spirituum fixitate procedens, nunquam non morborum Chronicorum auctor, & semimortuæ quasi naturæ index est constitutus. Exhibemus hic virum 48. circiter annorum, cætera valetudinis satis prosperæ, præterquam, quod catarrhis ferè continuis affligitur. Obesulus est & frigoris impatientissimus, quod, ubi patitur, cæruleo colore totam faciem, quasi pulvere bombardario petitus, pingitur. Hic à prima juventute ad hunc usque diem, quoties venam sibi tundi cupit, ad largum usque sudorem movere corpus adigitur: alioqui si vel decies venam quamlibet sauciaveris, vix una sanguinis gutta plagæ rubescet. Olim *decoctis aromaticis calidissimis, libanotidis, salviæ &c. cum vino coctis*, & in cataplasmatis forma brachio applicatis sine motu prævio rarefactum sanguinem elicere conati sunt, sed irrito labore.

bore. Sanguis autem, ubi ſemel per ejusmodi corporis motionem rarefactus, atque eruptioni præparatus eſt, magno cum impetu erumpit, ejusque vix cohiberi fluxus poteſt, ſed turbatus quaſi & irritatus cumultuatur ad inſtar muſti in fervorem acti. Quaternæ faſciæ ægrè intra venarum pomœria eum cohibent, & per integrum diem brachium movere non audet, leviſſimam enim hujus motionem ſcaturigo purpurea ſequitur. Eſt autem vir ille, per venæſectionis illam diem ad actiones ferè torpidus & moroſus.

## *SCHOLION.*

B. Præanteceſſor meus, celeberrimus *Joh. Valentinus Majerus*, hunc admirandæ & rariſſimæ temperaturæ hominem pronunciavit, ſummè puta ſanguineum & ſummè phlegmaticum. Mirum qua ratione vegeat ſanguine tam craſſo præditus, non enim poteſt alia ſupponi ratio ineptitudinis ad motum, & hujus per motum corporis facta rarefactio demonſtrat, eum ante motum, & ſic ordinariè, eſſe craſſiorem. Sanguinem ægrè effluentem, etiam venâ probè pertusâ, quotidiana teſtatur experientia, quamvis id vix in ſanis accidere ſoleat; omnino non effluere rarum eſt, rarius, id in homine ſano fieri, rariſſimum talem quinquagenarium evadere. Si aërem externum ſanguini tantam mutationem ſtatim imprimere cauſſeris, cur epithemata aromatica, cur hypocauſta vel ad ſuffocationem excalfacta huic moleſtiæ non medentur? Si ſanguis per ſe tam craſſus & ad motum ineptus, ita ut plagâ latiuſculê egredi nolit, quomodo capillaria corporis vaſa, ut debet, ingreditur? Quales inde Spiritus generantur? Scito etiam, quicumque hæc legis, à calidis & aromaticis intro ſumtis lædi Hominem, à quibus tamen ſanguinis rarefactio exſpectanda. *Transactiones Anglicanæ Ann. 1667. obſ. 10. Fracaſſatum* allegant, qui transfuſionem tentans cani Aq. Fort. dilutam in venam jugularem infudit, qui poſt mortem extemporaneum ſectus, ſanguinem in venis omnino fixum, majoraque vaſa concrepuiſſe docuit. Canis alius poſt infuſum Spirit. Vin. epilepticorum more ſpumans,

denique

denique mortuus, sanguinem etiam fixum & grumosum fuliginis ad instar exhibuit. Num analogi humores idem in nostro efficiant, est ulteriori inquisitione dignum, nisi fortè magis in sero sanguinis viscidiore & glutinosiore caussa est quærenda, quod non adeo videbitur illi absurdum, qui considerarit hunc nostrum esse summè phlegmaticum & obesum, serum autem sanguinis esse comitem individuum, & eum pro sua aut copia aut consistentia nunc fluidiorem posse reddere nunc crassiorem. Idem *Fracassatus* ab infuso cani Tartari oleo, ejus indè inflati & enecati sanguinem floridiorem & fluidiorem repertum adserit; possetne ab hujus olei usu interno seri fluiditas & sanguinis diluitio sperari? Apoplexia hunc deniq; moriturum suspicor, cujus se plura præbent indicia, & allegatus toties *Fracassatus* in plerisque omnibus apoplexiâ mortuis vasa pulmonum rupta se invenisse adseverat, atque hinc hariolatur, apoplexiam fortè curari posse opportuna infusione liquoris dissolventis in venas. Utinam posset vel tantillum hujus sanguinis ante examinari, quàm per motum rarefactus esset, aut ad minimum tolerarent nimis religiosi, ejus per venam sectam educti per varios liquores infusos facta experimenta! Cæterum in hoc Nostro non licebit expectare Venæsectiones spontaneas, quales allegant *Ephemerid. nostr. Dec. I. Ann. III. obs. 54.* Qualis etiam *B. D. M. Joachimi Kühnii, Præpositi Libaviensis in Curlandia* fuit, qui passus est narium (accuratius ferè nasi dixissem) hæmorrhagiam periodicam; non autem sanguis ipsi, more aliis solito, par nares effluxit, sed ad radicem nasi vena à jugularibus dextra sese aperuit, & ad extraneam nasi superficiem, antecedente pruritu sanguinem evomuit, quasi sectâ venâ, largâ copiâ & cum εὐφορίᾳ insigni. Sponte interdum fluxus ille cessavit, interdum, ubi judicavit vir optimus, satis esse cruoris perditum, stipticis venæ hiatum constrinxit.

# OBSERVATIO CLV.
## D. ROSINI LENTILII.
## Buxus trichopoios.

ANte menſes non adeo multos petit à me Conſilium puella ruſtica, quæ pridem ex morbo caſtrenſi Hungarico convaluerat, inſequente capillorum defluvio tali, ut tàm eſſet in capite glabra, ſicut ovum. Alicujus conſilio caput *lixivio, cui buxus incoquebatur*, lavit, ſed ubi incautius & ipſam faciem & collum lixivio tetigiſſet, non tantùm caput promiſſa cæſarie ſubcaſtanea luxuriare cœpit, ſed & tota facies & collum pilis ruffis mirum in modum fœdata conſpiciuntur, ut ſimiæ non ſit abſimilis puella, quæ nihil fuiſſe præterea in lixivio aſſeveravit. Ordinavi *Dropacem è reſina laricea & maſtiche à Platero obſ. l. 3. p. m. 573.* Virgini Nobili in eodem affectu præſcriptum. Num ibi quid opis invenerit, hactenus ignoro.

### *SCHOLION.*

SUnt enim ita ruricolæ noſtri affecti, ut non niſi ſemel, Medicum adeant. Si medicamenta juvant, non redeunt, prout ſæpe ipſos, uti redirent, rogavi. Si non illico juvant, aut æger ulteriorem medicamentorum uſum detrectat, aut alibi quærit auxilium. Sive itaque moriatur æger, ſive convaleſcat, non novi Medicus, ni ex eodem pago, ab alio me conſulente & interrogato, de rei eventu reſciſcam, quæ res multum officit obſervationibus Medicis. Sed eſt præterea ruſticorum noſtratium adhuc magis exſecranda conſuetudo: Non adeunt urbem aut Medicum, ut ægro conſulant, niſi ſit præterea, quod in urbe exſequantur: hinc reliquis ſeptimanæ diebus vix ruſticum adeuntem me video, ſed pleriqúe veniunt eâ die, qua nundinæ hebdomatales celebrantur: Sic enim unâ fideliâ duos parietes dealbare ſe poſſe credunt, itinerumque compen-

dium

dium facere; es gehet so in einem hin/ sive periclitetur interea de vita æger, sive non, id parum pensi habent, si nolit vivere, ad usque nundinarum diem, abeat in pace; Est enim ἔργον eorum ligna, frumentum, gallinas, butyrum, ova vendere, dum urbem adeunt, valetudini suorum consulere πάρεργον. Sed ad observationem. Buxum posse calvitiei mederi, aut generare pilos, nusquam me legisse memini, ex *Matthiolo* verò, *Sim. Paulli* & aliis lixivium buxinum ruffo colore capillos tingere lectori patebit; unde igitur tanta buxo facultas? Qui à signatura caussam arcessere satagunt, profectò nimium illi tribuunt; quamquam nec in *Crollio*, nec *Helvetio*, Signaturarum magnis Patronis, inveniam buxo capillorum Signaturam adscribi: Sed, quid ni densissima ramulorum & foliolorum luxuries capillorum Silvam æmuletur? Certè finguntur alioqui Signaturæ ab Auctoribus longius multo petitæ: Quid enim, ut *Helvetii* Syllabum *in diribit. Med. c. 1.* transcurram, analogiæ *malo citreo* cum *corde?* nonne *castaneæ nuces*, aut *cerasa*, *propterea cardiaca* dicta, majori illud propinquitate contingunt? Hæc tamen inter cordialia nemo numerat. *Betonicam cerebro* similem non video; Si enim à foliorum scissura aut crispatura, eam cum multis sanè communem, ut *brassicâ capitatâ*, hujusque pluribus generibus, *lactucâ*, *betâ*, *hederâ terrestri*, habet; Si ex floris crispatura? atqui *Satyrionum* omnia genera, *prunella &c.* idem possident: nec etiam in Practicorum libris video, adeo *nucem juglandem* vel commendari, vel adhiberi in cerebri affectibus. *Euphrasia* parum videtur cum *oculis* convenire, quod non *bellidi* potiùs, aut *buphthalmo*, aut *conyzæ*, aut *heliotropio*, aut *matricariæ* conveniat, *asariq́* foliis major est cum *renibus*, quàm *auribus* affinitas; quorsum *pilosellam* referre ridiculum est, cùm non sint oblongæ homini, aut aures pilosæ, quales asinis. Quid *collo* cum *lauri foliis?* nonne eandem & in *plantaginis*, & *salviæ*, & *sigilli Salomonis*, & *herbæ Paridis*, & *liliorum convallium* foliis congruentiam conspicamur? Idem de *lingua* sit dictum, cui *hominum* æque simile atque aut *prunella*

aut

aut *salvia*, & magis adhuc similis *scolopendria*. Quid, amabo, *abietis* foliis commercii cum *dentibus*? *pulmoni* cum *quercus* foliis? *hepati* cum *beccabunga*? *Fellis* signaturam habere *absinthium*, *centaurium minus &c.* ajunt, quasi non & *opium* sit amarum, & *colocynthis*, & *agaricus*, & *extractum ligni aloës*? *splenis* figuram æque *beta* & *verbascum* expresserint, atque *scolopendria*, & *cynosbati baccas renibus* assimilare absurdum est. Quid, quæso, *Curcumæ*, *Zedoariæ aut Zingiberis* radicibus cum *stomacho*? nonne longè melius hunc & *Cucurbitæ*, & *melones* & analoga, at quanta stomachica, mentientur? Nolo ulterius procedere, nam hæc exempla vanitatem apertam, apertè loquuntur; nisi, quod ad *herbas capillares*, ubi non video, si testis internarum virtutum est signatura, quid peccarint & *cuscuta*, & *sabina*, & *barba hirci*; & *equisetum*, & *pini abietisq́;* folia, & *cupressus*, & *millefolium*, & *filix*, & *Carduorum omnium* flores, & *anisi* & *fœniculi* herbæ & alia sexcenta, quòd inter capillaria non numerentur? Jam, si consideremus, quàm aliqua hactenus recensita, parum conducant, ad viscerum, quæ repræsentare dicuntur, affectus, protinus miror esse, qui his fidem faciant. Sic, nonne *melissa*, *borrago*, *violæ*, *cordis*; *verbena cerebri*; *valeriana*, *fœniculum*, *oculorum*; *helenium*, *glycyrrhiza*, *veronica*, *hyssopus*, *pulmonum*: *absinthium*, *hepatica nobilis*, *bellis*, *hepatis*; *Fumaria*, *capparum radicum cortex*, *nasturtium*, *cochlearia*, *splenis*; *idem absinthium*, *mentha*, *ventriculi*; *resta bovis*, *petroselinum*, *renum affectibus* longè præsentiori sunt solatio, quàm omnia supra ob signaturam memorata? Ego sanè malim *verbenâ* uti in *capitis dolore*, quàm *nuce juglande*, aut *hyssopo* in *pulmonum infarctibus*, quàm *foliis quercus*, & sic porrò. Placet hinc Herculis nostri Herois sententia, de medicam. facult. p. 9. 10. ajentis, non esse omnino spernendas signaturas, eò quòd his manuducentibus multa sint remedia inventa; Externa tamen cum internis necesse esse maritari. Ideoq́;, quod ego addo, sola signatura est hodegus falsissimus in simplicium indaganda virtute, cui minus fidendũ, quàm ulli alii accidenti.

Sed

Sed rurſum ad pilos. Minus proinde in pilorum generatione habitâ buxi Signaturâ, cauſſam aliquam proximiorem inveſtigamus, quam meliùs non eruemus, quam ſi de pilorum generatione naturali ſimus ſoliciti. Et eſt operæ pretium de his agi, quandoquidem magnus eis ſemper honos habitus, legi merentur in hanc ſententiam, quæ curiosè congeſſit Polyhiſtor *Dietherrus in epiſtola ad Excell. Scultetum adnexa obſervat. 148. Ann. IV. & V. Ephemeridum.* Quibus addo: *Chinenſibus* nil eſſe ſupra capillos; immò, ubi ludunt (ſunt autem aleæ editi) omnes facultates ſuas antè luſu perdere, quàm capillos oppignorent, quibus amiſſis ſervitutem libenter ſubeunt, *vid. Saar. Itiner. orient. p. m. 21.* Et *Spartanos* capillos à pubertate ex inſtituto aluiſſe, memorabili legiſlatoris dicto, comantibus capitibus multò pulchriora fieri humana corpora, quæ ſint alioqui deformia, teſtis eſt *Aubanus vit. & mor. popul. l. 3. p. m. 205.* ſecus, atque apud *Ruſſos* ſexui virili probro datur omnis capillorum cultus, ex *eod. p. 223.* Hinc ubi capillos ad lenocinium decoris promiſſos in *Apulejo* criminantur adverſarii, eleganti, ſed gravi deſcriptione capilli inculti & horridi, eos idem refutat *Apolog. 1. p. 250.* Immo *Helmontius* ex lactis aſinini guſtu dignoſcere potuit, an aſina fuerit iſto mane pexa. Non autem hic tangemus controverſiam, cui vulgares Phyſici ferè ſoli immorantur, neglectâ de pilorum generatione veſtigatione curioſiori & utiliori; eſt autem hæc: Sintne pili corporis partes? Recordor, cùm adhuc in Academiis viverem, virum non adeo obſcuri nominis in hanc controverſiam inſumſiſſe octo lectiones integras, quanto cum emolumento, prudentiores judicent. Sed ita ferè comparatum eſt in Phyſica doctrina, cumprimis illa pure *Ariſtotelica*, ut hæreamus magis circa corticem, relicto nucleo. Sed horum generationi, ceu utiliori argumento inhærebimus, quæ facilè dignoſcitur è ſequentibus Phœnomenis: 1. *Paul. Barbette Anat. Pract.* pilos eſſe quadratos figura, & cavos ſcripſit; meliùs autem nobis ſatisfiet ex *Ephemeridibus noſtris Dec. I. Ann. I. obſ. 13.* Capillus

humanus, ſpecillo ſuppoſitus orbiculatam & alveatam refert Zonulam, immo, evulſo pilo ſpectantur pori & meatus cutis, per quos ſudor & pili erumpunt, immo craſſus & terreſtris humor, & viſcoſa capilli radix, *Fontan. obſ. microſcop. 8.* Capillos concavos, ut canales pertuſos ac perforatos, adeo ut pennas avium repræſentent, & in iis varios colores & quaſi irides obſervat *Borellus obſerv. 23. microſc.* Rotundos, verſus extrema craſſiores eſſe, quam circa radicem, & ab uno extremo ad alterum eſſe excavatos perinde, ut cornu aliquod, aſſerit *Hookius in Ephem. Gall. T. II. p. 485.* 2. Pili poſt mortem creſcunt, & ex nigro in flavum colorem mutantur. Nec enim arbitror, tantùm apparenter hos creſcere, dum concidente poſt mortem & flacceſcente carne, neceſſariò longiores appareant: Sed *Paræo* fidem habendam exiſtimo, affirmanti, cadaveri condito, & per 24. annos domi ſuæ adſervato, pilos & ungues, quoties reſecuerit, recreviſſe: flaveſcere verò *Bartholinus* notat ad dict. *Ann. I. Ephem. Curioſ. obſ. 123.* 3. Ubicunque pilus, ibi glandula, & rurſum: Ubi glandulæ ibi, cæteris paribus, pili. Ubi verò glandula, ibi lympha; hinc tota cutis pilis inveſtitur, minoribus illis quidem & minùs in pleriſque ſenſibilibus, quoad truncum & artus, (licet magis horridi quidam ſint) pluribus verò, ac confitis, monticulisque ac poris, magis conſpicuis, in capite, ſub axillis, ubi rarior & poroſior cutis eſt, ex *Excell. Wedelii noſtri Phyſiol. Med. Sect. III. c. 27. p. m. 190.* vide etiam *Plater. obſ. l. 3. p. m. 575.* ubi nec manus volam pilis deſtitui ſcribit, ſed manum magis glabram apparere, quia pili ſint exigui, & continuo atterantur. 4. Pili intra corpus ordinariè non naſcuntur. Quamquam enim fuiſſe *Ariſtomeni Meſſenio* Cor hirſutum, Hiſtorici ſcribant, quidam etiam per incantationem, cum aliis abſurdis pilos aut evomuerint, aut per alvum reddiderint, urina pilos quandoque monſtraverit, cyſtides piloſæ ſint in corpore repertæ, qualem in muſculo bovino delineant *Hafnienſes in Act. Med. vol. 2. obſerv. 45.* Hæc tamen omnia ordinariâ naturæ viâ non procedunt; & ſi quis

narium

narium vibrissos objicere velit, eas non esse intra corpus respondebo. 5. Defluunt capilli in capite, præter alias causas, præcipuè à febre maligna & Hungarica. 6. Bruta animalia sunt homine pilosiora, & ea quidem magis in dorso, quàm abdomine. 7. Ostrea, pisces &c. pilis carent. Ex his accuratè consideratis licet hariolari; 1. Pilorum materiam esse udorem lymphaticum, viscidum, glutinosum & flatulentum: 2. Subjectum esse cutim, quæ tota est quasi glandula conglomerata, & hanc quidem, ubi porosior est, magis pilos, quàm alibi generare: 3. In glandulis cutaneis lympham glutinosam per calorem moderatum in effervescentiæ quendam motum cieri: 4. Halitus inde terrestres, glutinosos, & crassos per cutis spiracula efflari: 5. Hos ab externo aëre ambiente condensari propria viscididate adjutos: 6. Denique successu temporis halitu semper novo succedente in eximiam longitudinem continuari. Hæc pilorum generatio magis adhuc conspicua fit, ubi *fungorum* & *tuberum* generationem consideramus. Sunt enim Terræ moderatè calidæ & humidæ, crepitus quasi tenuiores, at ficciores, & eorum quasi est momentanea generatio; hinc etiam rustici nostrates sunt in ea superstitione; tubera, simul ac quis viderit, sive magna sive minima, esse decerpenda, post enim, quàm quis ea viderit, in illa manere dimensione, nec quidquam ampliùs crescere, quamquam per dies aliquot rursus accesseris ea decerpturus. Ego verò pro materiæ flatulentæ copia à prima statim generatione nunc majora, nunc minora exsurgere existimo. Sed ut hæc ad superiùs dicta applicentur, hinc est, quòd pili sint rotundi, versus extrema crassiores, quàm circa radicem, cornuumque ad instar cavi. Caussa est, quod flatus illi viscosi, quamprimum ibi è pericranio, hic è terra prorumpunt, more se flatuum expandere nitantur, idque promtiùs eò, quò sunt ficciores, quales sunt flatus terrestres; extremi verò halitus, non ordine, sed situ, ab aëre externo frigidiori densantur in corpus visibile, hoc postea ulteriorem inclusorum jam flatuum expansionem impedit, ut

amissâ, vel impeditâ vi elasticâ intra certos sese terminos cohibere cogantur, qui in pilorum & fungorum internis parietibus affiguntur denique, & in substantiam unam coalescunt, relictâ interius cavitate, & quidem ob æqualem particularum motum, rotundâ. Actio verò hæc, non est æquè capillis, quàm fungis momentanea, ut ita loquar, ob materiæ in capite majorem humiditatem & glutinositatem, cujus non est tàm facilè dissipabilis halitus, hinc naturâ suâ aptiores ab externo aëre promtiùs & minori negotio densantur, succedens autem novus identidem halitus, intra angustiores carceres detentus, motu recto, cum laterali nequeat, ad capillorum extima fertur, & in longitudinem eos continuat. Quanquam in reliquis corporis partibus, ubi minus est glutinosi, pilulorum minutulorum generationem magis etiam accelerari citiùsque perfici existimem. Potest etiam indè peti caussa, pili resecti cur crassiores recrescant? halitus enim viscosus in majori copia accumulatus, amissa cavitate pilorum longiorũ, dimensionem crassiorem ad latera sibi necessariò requirit, sicuti, & *petroselinum*, & *majorana*, & *porrum sectile*, & *buxus*, & alia plura sæpiùs resecta, latius & crassiori scapo recrescunt, halitu viscoso suprema petente, nec inveniente ad latera diffuso, quia retrocedere non potest. Hinc etiam *cordum* est *fœno* crassius & pinguius, & ex eo meliùs armenta impinguantur. Varii isti colores atque irides quasi viscosam pilorum materiam confirmare videntur, ut, qui sint pinguedinibus convenientissimi, exemplo sint sublatæ ex aqua *Saponata* bullæ, per lusum puerorum, quæ & ipsæ sunt versicolores. Incrementum capillorum post mortem arcessendum à materiæ viscidæ proventu uberiore in cadaveribus, nemo negaverit, uti & eorum è nigro in flavum permutationem; sunt enim nigri capilli è materia calida magis & sicciori, & plerumque in calidioribus naturis magis crispi, quæ crispatura non à pororum cutaneorum configuratione arcessenda, quod vult *Hornius, arc. mos. p. m. 83.* sed è materiæ ob caliditatem & siccitatem promtiùs dissipabilis vago motu;

tu; hinc ubi post mortem calor nativus perit, succedens pilorum à resolutione putredinali viscosius & humidius nutrimentum, colorem mutat in flavum, capillis phlegmaticorum consuetum. Patet hinc etiam, cùm sit in confesso, glandulas esse lymphæ productrices, pilos enasci, ubicunque sunt glandulæ, è quibus, ceu nerveis papillis, *Malpighio* dictis, cutim constare, supra dictum, & capillorum proinde materiam esse humorem glandularem; hinc etiam in tota corporis regione, pro ratione materiæ nascuntur pili. Hinc ubi calor intensus humidum in corpore depascitur, ut in febribus malignis, ardentibus, Hungaricis, pili nutrimento destituti poris excidunt, nec alii, nisi restitutâ in integrum naturâ, succedunt. Hinc, quo sunt calidioris naturæ homines, eò citiùs calvescunt; idem fit, ubi sunt justo humidiores; sic enim, aut serum est fluxile & viscositate requisitâ destitutum, hinc capitis perpetui sudores, cum capillis paucis, iisque sensim disraratis; aut est tanta ejus viscidītas, ut pilorum loco enascatur capitis fœda scabies, favi, porrigo &c. Hinc bruta sunt homine pilosiora, ἐπὶ τὸ πολὺ, cùm vescantur alimentis viscosioribus, & sero glutinosiore, sanguine idem crassiori prædita, didita ferè æquali proportione per universum corpus materiâ. Hinc eodem in abdomine non sunt æquè pilosa, ob calorem ibi majorem. Hinc ob eandem humiditatem nimiam pisces & ostrea pilis carent. Denique materiæ viscosæ tantillum, admirandæ extensioni naturâ suâ est aptissimum, quod clarissimè videmus in *aranearum telis*, *bombycumq; textura*, utrisque humore glutinoso ex ore protracto & in filum extenso longissimum procedentibus; quod magis etiam pilorum genesin illustrat. Sic pueri nostri cum *cerasorum gummi* ludunt, ejus particulam intra duos digitos madefactos tenentes, alioque digito tenuissimam telam intexentes, hinc *pili humani destillati in oleum, innatæ viscositatis testem, fatiscunt.* Postremo, ut magis ad scopum, medicamenta calvitiei adhiberi solita apta nata sunt & esse debent, udorem viscosum vel augendi, vel ni-

 mis

mis fluxilem inviſcandi: uti *mel, apes, favi, pinguedo talpina, ſerpentina, urſina. ladanum, maſtiche, radix malvæ*, & quæ ſunt alia. Ex eodem fonte, opinor, *buxi* virtus eſt derivanda, quod ſuam, qua ſcatet, pinguedinem, in oleo buxi demonſtrabilem, in lixivium deponit, hoc autem ratione acrimoniæ primùm poros cutis aperit, hinc lympham inviſcat pinguedine; libenter autem pinguedines lixiviis maritari ſapo teſtis eſt. Faciei verò, colliqúe pilos non tam de novo generatos, quàm copioſiores, craſſiores, longiores & magis uſu hujus decocti conſpectui expoſitos arbitror. Commendatiorem itaque ſibi poſthac *buxum* ad ejusmodi mala Medici habebunt, præſertim, cùm aliquibus vires *ligni ſancti* æquare credatur, & uſu *decocti buxi* Lobelio teſte, ancilla ſe à lue venerea vindicarit. *vid. iterum ſub hoc titulo* Simonem *Paulli.*

## OBSERVATIO CLVI.
## D. ROSINI LENTILII.
## Paralyſis mirabilis à Tertiana diuturna, curata.

M. *Martinus Schmidius, Haſſus*, nunc, niſi fallor, *Diaconus Eccleſiæ Teutonicæ Mitavienſis*, quæ eſt *Curlandiæ Metropolis* & *ſedes Ducalis*, tunc autem, *Maximè Reverendi & Excellentiſſimi Domini HENRICI ADOLPHI, Ducatuum Curlandiæ & Semgalliæ Superintendentis*, Fautoris mei ſummi, Filiorum Informator, Vir eruditionis profundæ, quam inſignis humanitas, & candor ſinceriſſimus, raræ virtutes in una domo, comitantur, & Amicus, in extremo Germaniæ angulo, mihi intimus. Hic, inquam, *Epidemiâ A. 1679. per totam Curlandiam Tertianâ intermittente* corripitur. *Archiater Ducalis D. Harderus*, medicamentis obviam ire anticipanti ferè ſemper paroxyſmo, conatur, ſed fruſtra. Cùm enim per ferè tres menſes cum morbo conflictatus fuiſſet, à fer-

â fermentatione humorum miaſma ſcorbuticum jam in corpore latitans ( uti ſcorbutus malum eſt illi regioni endemium) fuit excitatum : hinc artuum vagi dolores, poſt ventris ſcorbutici. adhibitis antiſcorbuticis & clyſteribus mitigati quidem, ſed non ſublati. Acceſſère pedum tumores, & femoris dextri ſtupor. Denique ſpem omnem atque expectationem præter, cùm nemo quidquam ſuſpicaretur, quaſi epileptico paroxyſmo correptus ſubitò, licet non niſi ſemel, corruit, & omnia in deterius vergentia minabantur paralyſin ſcorbuticam. Reverendus Frater ejus, *Paſtor Eccleſiæ Vindavienſis in Curlandia*, urbe maritimâ 22. milliaribus *Mitaviâ* diſtante, Fratris meliorem ſe poſſe curam in ædibus ſuis habere, aëriſque mutationem, quod fieri ſæpe aſſolet, poſſe quadamtenus malo mederi, confiſus, elapſis à morbi prima invaſione octodecim ſeptimanis, vix reſpirantem inde *Vindaviam* abduxit, & minimum ſanè abfuit, quin ſuis cadaver aſportaret. Cum itaque *Vindaviæ* appuliſſent, varia medicamina, à variis, uti ſolet, ordinata, rem deniq́ue ad reſtim redegerunt. Tantam enim eſt miſer artuum reſoluti nem paſſus, *ut per integrum* Semeſtre *minimum minimi digiti articulum ne movere quidem potis eſſet, immo nec ipſum caput.* Quoties autem videretur, miniſtrantibus quinque hominibus lecto fuit efferendus; quorum unus caput, ſuo gravatum pondere quolibet ruiturum, tenebat, reliqui artus. Et, quod impensè mireris, voce, cùm ante maſcula ſatis uteretur, tunc exili, puſionis ad inſtar, & vix intelligibili, animi ſenſa proferebat. Datæ tunc ad me litteræ malum expoſuerunt, ordinavi, quæ pro re nata judicarem proficua *antiparalytica interna & externa, decocta, ſpiritus, in laconico ſudores, unguina, purgantia*, omnia nullo cum ſucceſſu. Denique, cùm pro deſperato haberem, anceps in *ſalivatione mercuriali* auxilium quæſivi; ſed cùm ob loci diſtantiam huic ipſe præſens eſſe non poſſem, æger equidem, quidvis potiùs, quàm morbi atrociam, paſſurus, annuit, adſtantes noluerunt. Legi denique alicubi in *Dekkeri notis ad Barbettianam praxin* ſequens decoctum in ejusmodi

ejusmodi casibus cum fructu exhibitum, quod pensitatis ad amussim omnibus, eidem sum ordinate ausus: ℞. *Ras. lign. sanct.* ℥vj. *sassafr. sarsapar. aa.* ℥iiij. *santal. alb. citrin. ras. C.C. ebor. aa.* ℥ß. *Conc. cont. s. a. Coq. in aqua font.* ℔. *xvj. ad consumt. mediet. in fine add. antimonii crudi pulveris. & in pet. lig.* ℥iiij. *rad. calam. arom. galang. min. aa.* ℥ß. *irid. flor. bardan. aa.* ℥j. *cardam.* ʒvj. *sem. coriandr.* ℥ß. *dactyl.* ʒvj. *F. l. a. decoctum.* Hujus decocti bis singulis diebus ℥iij. calidè propinari volui, instillatis priùs singulis haustibus mixturæ seq. gtt. xx. ℞. *Elix. m. polychrest.* ℥ß. *spirit. CC.* ʒj. *ol. succin.* ℈j. *M.* Unguento sequenti efficacissimo bis de die artus inuncti: ℞. *Ung. martiat.* ℥ß. *ol. fl. chamom. hyper. aa.* ℥j. *bacc. junip. castor. laur. aa.* ʒiiß. *succi cochleariæ* ʒiij. *Alum. plumos.* ʒj. *ol. spic. sal. armon. aa.* ʒij. *aquæ magnanim. vit. Matth. aa.* ℥ß. *M.* Cùm per sex dies decoctum bibisset, jussi sequentibus pilulis uteretur. ℞. *Mass. pil. fetid. maj.* ʒß. *resin. gial. troch. alhand. aa. gr. iiij. ol. rosmar. gtt. iij. M. F. pil. n. vij.* pro una dosi. Jussi postea continuari decoctum, & elapsis sex diebus rursum purgationem institui. His ad præscriptam methodum usurpatis, & ad secundam usque purgationem continuatis, mirum dictu, æger & collum, & brachia & pedes rursum movere cœpit, eorumque successivè usum recepit, ut, cùm circa *Johannis Bapt. festum A. 1680.* in *Germaniam*, ut functionem publicam *Physicatus Crailshemensis*, ad quem è *Curlandia*, mandato *Serenissimi ac Celsissimi MARCHIONIS BRANDENBURGICI ONOLDINI, Domini mei Clementissimi*, vocatus eram, capesserem, rediturus, *Vindaviam* venirem, jam posset scipione nixus vir optimus, templum visitare, quanquam gressu lentissimo, & maximè defatigatus. Nunc vivit athleticè.

### *SCHOLIUM.*

MIrum fortasse alicui videri posset, febrem tertianam tantas ludere tragœdias posse! Sed, si rem penitius consideremus, facilè est captu, quo id pacto fiat. *Magnus* quidem *Cous*, febrem, quocunque ratione intermiserit, vacare periculo adserit,

ſerit, & rectè quidem: Sunt enim febres intermittentes ſanguinis totiusque corporis, quod alibi in *inaugurali mea diſputatione, A. 1680. Altdorfii de febre tertiana intermittente epidemia CURLANDIAM infeſtante, habita §. 18. docui*, ubi & hujus caſus fit mentio, mundificativum inſigne, ſingulisque paroxyſmis haud ſecus expurgatur corpus, atque incensâ fuligine fumaria, **als wenn man einen Schlot ausbrennt/** aut ex amianto contextæ veſtes in ignem conjectæ ſordes deponunt. Verum enim vero, ubi febres tertianæ diutius quàm par eſt, affligunt, non quidem, quod antiqui voluêre, in alium ſemper typum degenerant, ſed evadunt periculoſæ, morborumque chronicorum, *ſcorbuti* puta, *hydropis & paralyſeos* productrices. Per tot enim paroxyſmorum fervores, ſanguis balſamico ſuo ſulphure prorſus depauperatur, & exaltatis interea particulis ejus ſalinis, ab igne indomabilibus, quin ad majorem potius acrimoniam evectis, ad inſtar vini penduli ſanguis vappeſcit, indolemque ſcorbuticam adſciſcit. Dum poſtea Sal ille ſanguinis arterioſi in naturam lixivioſam fixiorem magis magisque ſemper evehitur, ita ſpiritus animalis quoque pro ratione ſuæ materiæ ſpiritu ſuo volatili orbus & expers gignitur, nec eſt, niſi iners lympha. Hinc motus impotentia & nervorum reſolutio, non quidem ab horum obſtructione exorta, ſed hoc in caſu ſpiritus animalis non ſecus ſe habet, atque, dum in ſclopeto illud, quod pennam vocamus, debilius eſt, quàm, ut ſit potis, ad ignem è chalybe cum impetu eliciendum, vel quando defluentis aquæ ſuper molarem rotam impetus ad eam circumagendam non ſufficit; uti enim nervi à ſpiritu animali efferato tacti in motus convulſivos membra cient; ita ab eodem fatuo membra moveri non queunt. Reſtituendus igitur erat ſanguini balſamus, deprimendæ particulæ ſalinæ, ſulphureæ evehendæ, ut ex hoc correcto ſpiritus animalis vegetior gigneretur. Id optimè & feliciter ſuperiore decocto effectum, cui primæ in affectus curatione debebantur, præcipuè autem *antimonio crudo* illud ingredienti. Multi, fateor, ſunt

admirati, me ausum fuisse, *antimonium crudum* tanto pondere, viribus adeo lapsis, ordinare; mirari desistent, si chimiæ gnari fuissent. Est namque firmior antimonii compages, quàm ut virus suum, in sale fixo corrosivo consistens, simplici decoctioni communicet; est sanè ad hoc obtinendum clave fortiori opus. Huc, quas desideravi, particulas sulphureas subtiliores deposuit, relictâ in residuo corpore, salinâ acrimoniâ. Sum firmiter persuasus, per decocta analoga posse forsan morbos herculeos plures, vix aliis medicamentis coërcibiles, domari & fugari.

## OBSERVATIO CLVII.

### D. JOH. GEORGII LAIBII,

### De Podagrâ ab Agyrtâ minus feliciter & inunctione mercuriali curatâ.

NObilis quidam, Dn. è Tannhausen, duabus circiter horis ab urbe nostra distans, præterita æstate, per aliquot septimanas, doloribus podagricis, quibus per decennium jam obnoxius, mirè excruciatus fuit. Cumq; audivisset, esse Empiricum quendam in Franconia, qui diram hunc morbum curare posset, eum advocari jussit, àquô, nescio, quibus medicamentis, per tres septimanas usus, in eadē interim sævitia persistentibus cruciatibus. De utroque interea femore tumorem durum exsurgere videt, de quô, cum interrogaret Empiricum, responsum tulit, esse causam materialem Podagræ, per divina sua medicamina, ad exteriora corporis protrusam, misero ægro spem faciens, de pristina sanitate mox, mox recuperanda; pro tumoribus his tollendis, adhibuit unguentum, (prout colligere potui) ex oleo laurino c. Mercurio vivo subactô constans, à cujus applicatione utrumque femur intensè inflammabatur; reiteratâ itaque renuente quamvis ægro, per triduum inunctione hâc, inflammatio latiùs serpere incipie-

incipiebat, exortis flavis lividisque pustulis, circa scrotum, partesque adsitas. Monitus de Gangræna ab adstantibus; meum consilium implorat. Adveniens, invenio nobilissimum Dn. Patienten, in miserabili statu, totumque, abdomen, ad genua usque, intensissimâ inflammatione correptum rubris lituris, hinc inde, ad alias partes tendentibus. Nolebam primò, in tam ancipiti statu, aliquid præscribere, ne Empiricus occasionem haberet, culpam in me conferendi, si sinister sequeretur eventus. Victus tandem & ægri & adstantium, precibus, præscribo pulverem exsiccantem ex farina fabar: pulv. bac. lauri, oliban. myrrh. ceruss. & sacch. saturni, quem partibus abdominis flavis lividisque pustulis scatentibus inspergere jussi. Pro Gangrænosâ inflammatione ordinabam spirit. vin. rectif. c. croc. & camphora. Internè vero propinabam Mixturam sudoriferam, ex aq. card. ben. fl. sambuci, aa. ℥iß. Antimonii diaphor. ℈ij. myrrh. rub. ℈j. spirit. tart. ʒj. camph. gr. vj. laud. opiat. gr. iij. Syrub. papav. errat. ℥ß. à cujus usu, cùm per subsequentem noctem integram, alterumque diem largissimè sudâsset, Dei gratiâ, intra biduum, restitutus fuit, remanente saltem flavâ crustâ, anteriora corporis investiente, quæ ipsa crusta post aliquot dies exaruit, & sponte decidit.

## OBSERVATIO CLVIII.

## D. JOH. LECHELII.

# Hydrocephalus vitio spinæ bifidæ.

ANno 1683. d. 22. Febr. natus est infans masculus Parentibus quibusdam magni nominis, non sine magno gaudio. Sed ubi statim post partum tenelli infantis corpus paulo exactius examinatum, duos tumores, unum in occipite, alterum in spinâ dorsi offenderunt. Ille in medio occipitis juglandem magnitudine æquavit, tactu mollis, colore fusco, multis pilis obsitus, similibus murium pilis. Mater hujus tumoris causa fuit, uti postea dicetur. Alter tumor

in ſpinâ dorſi, magnitudinem ovi anſerini habuit, initium ſumens ab ultimâ thoracis vertebrâ, tendens usque ad os coccygis, colore ſanguineo, tactu mollis, inſtar fungosæ carnis. Ad latera verò tumoris ſpinæ dorſi diviſæ, margines utrinque ſatis luculenter digitis tangi & diſtingui potuere. Medicos & Chirurgos conſuluere, quid circa iſtum tumorem agendum? Chirurgorum intempeſtiva ſuppuratio rejecta, Medicorumque opinio admiſſa, nempe & naturam tumoris & conditionem corporis infantis requirere lenia exſiccantia ex variis herbis & floribus, quæ etiam adhibita, & ſæpè quotidiè tumori calidè impoſita.

Secundo à partûs die apparuit totalis utriusque pedis paralyſis à coxendice, usque ad plantam, non ſine ſuſpitione, illum, morbum ortum vitio ſpinalis medullæ. Varii ſpiritus & aquæ ſpirituoſæ membro affecto adhibitæ, ſed in caſſum, uti etiam exſiccantia pro curando tumore.

Interea caput ſenſim ſenſimque in molem præter naturalem extenſum, oſſa calvariæ nec dum ferruminata ad pollicis latitudinem & ampliùs ab invicem diſtare obſervata, pericranium pellucidum, & reliquum corpus macie conſumi deprehenſum. Lacte interea ritè tenellus nutritus, excrementa debitè reddidit, ſomno refectus & cæteræ medii & infimi ventris functiones integræ repertæ, niſi quod tuſſiret quandoque & difficulter reſpiraret, quæ tuſſis eò aucta, ut ſub init. Maji usque ad finem vitæ cum ſtertore & ſonitu clangoſum duxerit ſpiritum.

Interea moles capitis adeò aucta, ut truncum corporis præponderaret, cum ſummâ miſeri infantis moleſtiâ.

Die 28. Maji placidiſſimè hic infans absque motibus convulſivis animam efflavit.

Die 29. ejusdem, permiſſu Parentum corpus exanime disquiſitioni anatomicæ ſubjectum.

Aperto abdomine, nullum ferè omentum, niſi tantillum, quod fundo ventriculi adhæſit; inteſtina verò laudabiliter

ter conſtituta reperta. Ventriculus, hepar, lien, renes, optimè; in pectore pulmones & cor absque omni culpâ.

Exemtis his, ſpina dorſi ab alterâ parte tumorem ſupra deſcriptum, obtulit.

Quo diſſecto duo cochlearia aquæ inſipidæ & limpidiſſimæ, cryſtalli inſtar effluxere, nihil cruoris, nihil ſubſtantiæ fungoſæ vel peregrinæ; nihil, quod magis, ſpinalis medullæ, repertum, filamenta quædam alba & tenuiſſima ſi excipias, rudera potiùs membranæ inveſtientis ſpinalem medullam, quàm nervorum.

Vertebræ verò ipſæ, ab ultimâ thoracis usque ad os coccygis ſupputando, in utramque partem dilatatæ, admodùm deformes, quarum ſtructura depravata ſpinæ bifidæ, quam Tulpius obſ. 38. l. 3. exhibet, tam ſimilis eſt, quàm ovum ovo. Per foramen ultimæ thoracis vertebræ hians in apertum tumorem & explicatas lumborum vertebras, ſtylo Chirurgus penetravit, usque ad tertiam colli vertebram.

Medullæ ſpinalis in utrumque crus nulla diviſio, quare tota in liquorem limpidum reſoluta, cruribus nihil virium afferre potuit.

Porrò caput in tantam molem cretum inſolita promiſit.

Pericranio facili negotio in crucem diſſecto, oſſa cranii infantum more nullibi conglutinata, in naturali ſtatu omnia apparebant, niſi quòd longiùs quam ſolent, & latum pollicem ab invicem ſejungerentur.

In medio quoque occipitis oſſe, rotundum foramen, craſſum digitum admittens, in conſpectum veniebat, omnino præternaturale, pericranio eo in loco, ut principio dictum, in levem tumorem elevato, ac pilis conſito.

Meninx dura piaque, ut & cortex cerebri, quoad externam faciem, erant ſaniſſima. Cum verò in cerebri corticem ad ventriculos ejusdem explorandos culter fixus, viderunt corticem non excedere calami ſcriptorii craſſitudinem, quo ſeparato, loco ventriculorum oſtenderunt amplam quaſi veſicam,

repletam limpidissimâ & insipidâ aquâ, quantitate uncias quinquaginta excedente, neglectâ eâ, quam spongiæ & linteamina inbiberunt.

Hâc effusâ collapsi cerebri ventriculi manifestò docuerunt, illam in utrumque ventriculum per corticem mediantibus tubulis à recentioribus Anatomicis passim descriptis, destillasse, undique suâ copiâ cerebri substantiam, cranium, pericranium extendisse, atque capiti illam deformitatem conciliasse.

Reliquas cerebri partes, glandulam pinealem, nates, vulvam &c. examinare non permisit præceps aquarum affluxus, & hunc insecuta partium illarum confusio. Ex cerebello tamen adhuc integro, & naturaliter constituto pars in spinam dorsi pro medullâ deferebatur, quæ solummodo unam & alteram thoracis vertebram assecuta in brachia dimittebatur pro motu illis conciliando. In reliquis thoracis vertebris medulla sensim deficiebat, & in primâ lumborum erat planè nulla. Altera pars cerebelli in aquarum cerebri per occipitis ossis foramen inusitatum supra descriptum, propulsâ, ibi tumorem illum pilis consitum formabat, qui signatura muriformis ante obitum credebatur.

Mater infantis quæsita, an tempore gestationis terrorem ex re aliquâ adversâ passa sit, unde signaturam illam muriformem fœtus acquisivisset? Respondit, se quidem à muribus ordinariò non moveri, sed accidisse ante 4. Menses, ut Maritus parvulum sacculum herbarum odoriferarum plenum, lusus ergò ipsi ex improviso in occiput jacuerit, quo perterrita sibi imaginatam esse, murem ab alto in occiput cecidisse, & partu citius locum affectum digitis parum fricuisse.

Cui verò tumorem spinæ adscribere deberet, nescivit. Nisi quòd cecidisset aliquoties graviter, & semel cervi cujusdam vertebras ad usum œconomicum in longum diffindere paulò attentiùs intuita sit.

OBSER-

## OBSERVATIO CLIX.

## D. JOH. LECHELII.

# Steatoma Mesenterii.

PAupercula quædam à longo tempore conquesta est modò de doloribus in abdomine, modò de pondere quodam in abdomine hærente. Tandem tractu temporis venter assurgit in molem, ut tactu manus durus & renitens tumor posset observari, magnitudinem capitis infantis habens. Medicamenta tàm interna, quàm externa diligenter adhibita, sed nullo cum effectu. Ægræ corpus in dies magis emaciabatur, & patiebatur nunc horribiles vomitus cum diarrhœâ & intolerabilibus torminibus ventris, nunc alia graviora symptomata. Tandem paulò ante obitum intumescebat pes sinister tantùm ad eum modum, quo Hydropicorum pedes solent intumescere. Mense Junio moriebatur, & placidissime, absque ullis convulsionibus, accedente quoque aliquot dies ante obitum excoriatione gutturis. Secabatur cadaveris abdomen, quod non erat difficile, cum musculorum caro unà cum pinguedine planè contabuisset.

Apertâ igitur cute cum peritonæo, de Omento ne γρῦ quidem observabatur, subitoque magna illa & globosa moles in conspectum veniebat, situm suum habens in medio intestinorum, quæ planè ad latera propulsa, neque naturalem suum situm ampliùs habebant. In cavo ventris nihil liquoris reperiebatur, sed omnes partes summè siccæ. In sinistro latere hujus extuberantiæ hærebant duæ amplæ vesicæ sero limpidissimo refertæ, diceremque, illas ferè duas libras seri in se conticontinuisse.

Cum hac mole Mesenterium adeò erat in globum convolutum, ut non posset amplius dignosci neque aliter judicari, ex luxuriantium glandularum Mesenterii protuberantiâ molem istam excrevisse in eam magnitudinem, quæ sanè si

exemta,

exemta, aliquot ponderasset libras. Cum incideretur iste tumor, latebat in ea crassa & albicans materia sebo similis. Unde judico, tumorem hunc magis ad steatoma quam scirrhum Mesenterii esse referendum, an benè vel malè melius sentientium judicio relinquitur.

## OBSERVATIO CLX.

## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.

# Exspiratio frigida lethalis.

TAmdiu vitam superesse, quamdiu calor suppetit, ex iis est, quæ probatione non indigent. Non aliunde verò hunc, quàm ex motu lucis vitalis in corde locatæ ac sanguine, arcessendum, non minus in confesso est. Neque enim aliter nobis concipere licet vitæ rationem, vel lucem fœnerari animæ & corporis copulæ, quàm à luculâ, à supremo numine variè in animantium genere, splendidissimè verò in humano dispensatâ. Frigus hinc omne mortiferum, exæstuatio πυρετώδης periculosa, medius blandus tepidus, humidusque calor vitalis.

Extinguendæ hujus flammulæ index frigus prognosticum non raro occurrit in praxi. Videas, qui animali robore minus infirmati, sensus, motumque sæpe ipsum integrum habent, morti tamen proximi judicandi ex frigore extremorum, pulsuque frequenti, vel incerto jam, formicante & deficiente. Mors ibi præsentanea instat. Idque cumprimis in iis affectibus solenne est, qui cum profusione sanguinis vitæ pausam intentant. Vidimus dysentericum per tres integros dies toto corpore frigidum quasi, sponsæ tamen potiundæ spe frustrà humanũ anhelantem auxilium, quod vires ipsi viderentur reliquæ suppetere. Vidimus fœminam mensium immodico fluori obnoxiam, αἱμοφόβον, frigentem pluribus horis prius, quàm fato fungeretur. Sed illa quotidiana ferè sunt, monendis medicis,

cis, ne vitali facultate exhaustâ reliquas superesse posse putent, etiamsi robore aliquo abblandiantur.

Idem verò de exspiratu sentiendum frigido, foci extinguendi notâ. Puer octo annorum, cùm mense Februario aquam frigidam bibisset, prævio horrore, febri ardente corripitur. Quarto die motibus convulsivis gravibus impetitur, frustrà oppositis generosis antepilepticis juxta ac bezoarticis. Accedit hæmorrhagia fortissima, indeque exquisita epilepsia erumpit. Sequitur respiratio difficilis & profunda, labascentis vitalis caloris indicio, exspiratio verò ipsa manifestum frigoris sensum inferebat, ut adstantes ventum alicubi spirare frigidum primò opinarentur, donec edocti contingente manu spem vitæ, monente medico deponerent, nocte sequente eâq; morbi septimâ exolutæ.

## OBSERVATIO CLXI.

## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.

## *De* Usu Peritonæi.

CUm vita consistat in calore, calor verò in motu, omnia totius corporis membra vel pro caloris succendiculis, vel motûs perpetuatione videntur fabricata. Ad motum verò impulsu opus est & machinis, ut & emicare & produci posset in omnes partes. Cum ergò duo motus præstentur præcipui & principales, quibus vita absolvitur perfecta: pulsus & respiratio, ita fabricata utriusque sunt organa artificiosissimè, ut alter alterum producat, juvet, & promoveat, utrique conspirantes in salutem totius, reliquis omnibus largientes quem habent dependentem & secundum.

De usu Peritonæi disquisitum est dudum, quo usu & officio fungeretur præcipuo ac primo. Facilè is patere potest, si actionem ejus attendamus, si structuram. Non dicemus de aliis ejusdem usibus, itidem nobilissimis, unum illum laudabi-

mus, quod præstet motum, adeoque usus ejus sit, quod *Galenus* quoque asserit *l. 4. de U. P. c. 9.* ὡς διαφράγματ☉, *ut septi transversi.*

Præstat motum peritonæum *communem* & *perpetuum*, cum ipso diaphragmate. Perpetuum & ipsum est mobile, motum in longum & profundum, latum & transversum exhibens & promovens. Diaphragmatis est socius, divisus cum eo operas exequens in respiratione, adeoque motui in singulis ventribus necessario cooperans. Diaphragma est continuatum & velut alterum, fibris suis nerveis musculorum actionem dirigens &, firmans. Fibræ nempe in musculis magis unitæ sunt, pro majori robore. Omnes musculi abdominis vellificantur motui peritonæi magis, quàm hoc illorum. Unita conjunctim spectanda sunt, à potiori tamen & hîc facienda denominatio.

Præstat motum *medium*, perpetuum ex parte & interpolatum, communem respective toti, & proprium abdomini, in promovendis contentis in cavitate ventriculi, intestinorum & vasorum ipsorum, lacteorum, lymphaticorum & sanguiferorum, præstant motum *peristalticum* seu circumpressorium, ut blandè, sensim & quasi lumbricatim promoveantur singula, chylus, scybala, lympha & humores reliqui.

Præstat motum *proprium* & determinatum individualem, ani, vesicæ, uteri, partim sphincterem horum, partim fibras motrices reliquas excitans, & in opere suo comitans ac juvans, collectis in unum velut nervis, & impetum versus inferiora adigens, quem tamen ad superiora quoque propagat non minus. Quæ procidentiâ uteri laborant fœminæ, pro lubitu extrudere possunt & ipsum, quoad partem, vel totum laxatum, modò halitu retento deprimere velint & peritonæi fibras stringere; & in eo contenta.

Neque diaphragmati id adscripseris rectè, quod sensus & strictura abdominis id testetur satis. Vidimus quæ pomo inserto retinebat uterum quando vellet, depressione isthâc factâ

cum

cum impetu exploderet globum in pavimentum. Nec in partu expediundo hinc ſufficit ſibi uterus citra peritonæi illam præſentaneam opem. Sin muſculos opponas, idem in diaphragmate viſitur. Muſculi præſtant motûs robur: complicatas & multiplici nexu ſibi illigatas fibras obtinentes, ut firmitudo præſtò eſſet: hæ verò velut nervorum propagines & glomeramina primum ſuſtinent impulſum.

## OBSERVATIO CLXII.

## DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

## Abſceſſus in capite recens nati phlebotomo curatus.

HAud ita diu eſt, cùm *Molitor* ex vicinâ nobis *valle Buſeccanâ* heîc *Gieſſæ* me conveniret, cum aliquot hebdomatum infantulo, *tumorem* ovi anſerini ferè magnitudine in ſiniſtro capitis latere habentem, ab ipſa ſtatim nativitate obſervatum; cùm verò non ſine ratione vereretur, ne materia inibi contenta ſuperiorem illam cranii aperturam ſive penetrando, ſive extus pericranium inundando, pathemata varia epileptica vel apoplectica induceret, maturam ejus curationem petebat, ſoſtrum ſpondens XX. florenorum ſi puerulum hunc unicum ſibique chariſſimum ab infauſtô hoc periculô liberarem: Subridens ego tam ſuperlativo redhoſtimento (hodienum certè rariſſimo) vix opus eſſe dixi. Hinc contrectato blandè *tumore* indolentem eſſe reperio, digitis facilè cedentem ſubitoque in priſtinum redeuntem: Hydrocephali primitus exordium videbatur, eò quòd oculus ejuſdem lateris continuò lachrymaretur multumque ſeri funderet; Mox tamen candelâ ex adverſo poſitâ nullibi transparens ſed opacus apparebat tumor, unde *abſceſſum* potius inibi latere ſtatuebam aut â duriori obſtetricis contrectatione ſub puerperii carnificinâ, aut in ipſo adhuc utero, â mirabili illo fœtus cum matre

consensu progenitum, quod ex subsequâ matris relatione ferè collegi, quam tempore graviditatis lignum in eandem omnino capitis regionem desuper illapsum graviter ferierat, quod tumori huic occasionem fortè dare potuit. Interea quicquid sit, extra dubium versabatur, *abscessum* illîc contineri maturè removendum. Sic quo scopo tentandum prius erat, an ad suppurationem deduci possit tumor. Quapropter erasâ leniter lanugine *emplastrum de mucilag.* imposui, sed irrito consilio, tumorem eodem in statu remanente. Chirurgiâ ergo opus esse dixi; Renuebat primò Parens ob nimiam corpusculi teneritatem: Nil obstare regero, cùm hæc ætatula, ubi tactus ferè obtusior esse solet, operationes ejusmodi facilius toleret, neque etiam tam facilè inflammatio quædam accedere possit, cujus rei causam tradit RENATUS MOREAU apud BARTHOLINUM *Cent. 1. Epist. LXXXI.* Ægrè tandem consentiente rustico, tumorem in paulò decliviori loco phlebotomo aperio, unde plurimum sanguinis plus minus corrupti erumpebat, quô penitus exhausto ipsoque vulnusculo *ol. inf. Balsaminæ* c. paucis *bals. peruvian.* guttis consolidato, perfectissimæ sanitati restitutus est puerulus, relictâ vix observabili cicatriculâ.

## OBSERVATIO CLXIII.

## DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

## Dentium casus ob narcoticorum usum.

ADeò ferè mala sunt commixta bonis, ut inevitabile sæpè sit mutuum eorum connubium, id quod præter alia remediorum genera polychresto quoque *opio* commune esse, quotidiana Praxis ingratiis Medicorum subinde loquitur: Hinc tot cautelas circa usum ejus attendendas jure meritò inculcarunt ii, quibus salus hominum atq; sanitas curæ magis cordique esse solet, quos inter post WILLISIUM *in Pharm. Rat.* excellit Nobilis illa celebriorum H.S. Medicorum Triga, D. WEDELIUS in Opiologia, D. WALDSCHMIDIUS

SCHMIDIUS *in Monitis circa Narcot. usum* & νῦν ἐν ἁγίοις, D. ETTMüLLERUS *in Diss. de opii virt. Diaphor.* Æterna Academiæ Germanorum Curiosæ Decora & Ornamenta. At verò, quàm cautè quoque hîc sese gerat Practicus, nihilominus tamen sæpè est, quod ex improvisò negotium facessat, cujus rei fidem facit id, quod in curanda contumaciori *odontalgia* jam diversis vicibus observare licuit, ubi aliis ferè irritis necessariò tandem ad *laudani opiati* usum deveniendum erat, quod vel pilulari forma cavis dentibus inditum, vel gingivis illitum, vel etiam cum infuso quodam aromatico solutum & in ore paulisper detentum dolorem illum primô quidem intuitu felicissimè & incantamenti instar sopire solet, hoc tamen cum incommodô, quòd flaccescentibus brevi, inque tono suo resolutis fibrillis & membranulis eorundem radices firmantibus, vacillaverint primùm, mox verò penitus ceciderint: Et hinc sine dubiô est, quòd circumforanei illi dentium Archiatri vulgò die Zahnärtzte dentes firmissimè aliâs alveolis suis infixos, *opio* vel hyosciamo pro obtundendo doloris sensu priùs quasi mortificatos, tam facili levique encheiresi evellere soleant.

Quin & ex eodem principiô illi, *qui tabaci fumo* nimium inhiant, præmaturam dentium suorum jacturam ferunt, ut certâ quoque experientiâ constat, adeo quidem, ut ferè dubitem de Historia illâ, vel saltem de subjunctâ ætiologiâ, quam refert BORELLUS *Cent. 3. Obs. 13. de dentibus sapientiæ* in adultis quandoque genitis, ubi Doctoris cujusdam meminit, cui 21. ætatis anno dentes ejusmodi protuberarint, idque ex nimio *tabaci* usu, quod sanè contra naturam narcoticorum erat, nisi fortè crassiuscula quædam membrana dentis hujus eruptioni obicem posuerit, quæ continuo tabaci usu flaccescendo quasi emollita, eò felicius penetrari poterat, qui tamen casus admodum singularis experientiæ nequicquam præjudicare poterit, quæ certè me hactenus docuit, *opiata & narcotica certam esse dentium ruinam:* Eaque propter omnibus, quibus dentes sui in pretiô sunt, author essem, ut in tali dentium car-

nificinâ rem prius aromaticis blandis & nervinis tentent, quàm ad opiata perveniant atque tunc pro evitando majori malo eligant minus. Hoc verò quam maximè, quum insignior jam *inflammatio* gingivas corripuerit, in qua nil æquè magis suspectum habere decet, quàm intempestivum narcoticorum usum, quæ partes illas ad gangrænam facilè disponere apta nata sunt, id quod in partium internarum, intestinorum v.g. cum inflammatione conjunctis torminibus subinde evenire solet, prout in recenti memoriâ adhuc versatur funestus ille casus mulieris Giessensis, *ileo c. hernia* detentæ, quam ubi Dnn. Medici aliquamdiu suetâ sibi methodo tractâssent, tandem è viciniâ Chirurgus (qui nefariâ prorsus Metamorphosi in Medicum ferè abiit) accersitus medicamentum aliquod *opiatum* obtulit; quid fieret? dolores subitò cessant, idque cum applausu Domesticorum, verùm sphacelatis sine dubio intestinis paulò post funus erat, muliercula elegantissima, medicastro interim nimiam vocationis moram incusante, omnemque culpam Medicis Ordinariis imputante. Optandum ergò esset, ut puriora illa metallorum sulphura penitius innotescerent, quæ nimiam illam spirituum ferociam absque ullâ vi narcotica conjuncta, facilè sopire dicuntur, verùm non omnibus Junonem hanc amplexari datum est.

## OBSERVATIO CLXIV.
## DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.
## Surditas â pisô aurem illapso.

CIrcumforaneus quidem, insignis aliâs herniosorum castrator, cujus nomen hîc ut inseram, indignum prorsus judico, æstate præterlapsa huc appellens, splendidoque suo vestitu atque comitatu credulitati plebejorum fucum faciens, tantam sibi authoritatem conciliabat, ut & *surdi* & *cæci* & *claudi* & quicquid miseriarum amplius mundus

dus alit, facto quasi agmine advolarent: Sed successu prorsus miserabili! neque enim *surdi* audiebant, neque *cæci* videbant, neque *claudi* ambulabant, neque tandem pauperes aliud inde sperare poterant, quàm sesquipedalia verba. Nihilo tamen minus, ut audaces fortuna subinde juvat & in tanto hominum confluxu quandoque occasionem trudere solet, quâ certâ aliâs, ignominiæ periculo subterfugere possint, ita & huic Stentori accidit, cui inter alios sutor quidam & civis Giessensis, nomine Stechenrath/ filiolum suum obtulit, qui jam ab aliquot mensibus sine manifesta causa *auditum* amiserat, cætera sanus. Medicaster ille immisso auriscalpio *pisum* educit, nescio quo casu auribus illapsum, quô factô auditus subitò rediit, & ita præter sostrum non contemnendum speciosam insuper bullam tulit, in perpetuum miraculi hujus testimonium, cui fortè plus admirationis conciliare potuisset, si acutam illam decipiendi artem à *Chirurgo* quodam *Giessensi* didicisset, qui cùm pariter olim rusticus de insigni auditus gravitate conquestus esset, accuratius paulò inspectam auris cavitatem copiosissimô cerumine obstipatam cernit: Facta E. certâ curationis spe subsequo mane rusticum suum redire jubet, & eductis priùs sordibus sub pretiosissimi arcani prætextu auribus instillat spirit. vin. & ita *surdum* illum *sordidum* pristinæ sanitati restituit, qui 8. Imperialium sostro mulctatus, gravem rusticitatis suæ pœnam luit.

## OBSERVATIO CLXV.

### DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

### Phthisis incipiens ex intermissa V.S.

PRivilegiatum omnino beneficium est, quô mulierum sanitati consultum voluit alma Mater Natura, ut illarum sanguis conceptá per mensium intervalla *fermentatione* se sponte quasi defæcare & in puritatis statum exaltare possit, quâ variis modis sive vitiatâ sive penitus suppressâ, sexcentis

centis ferè succumbere solent incommodis, non tantum in statu p. n. sed & ubi quodammodò secundum naturam eadem remanere & quiescere solet, post sc. annum quinquagesimum: Illæ verò præprimis exinde pejus se habent fæmellæ, quæ paulò succulentioris sunt habitus, ubi centum inter vix decem reperias, quæ inculpatè degant, nisi vicariâ sæpe V. S. annuatim ad minimum sibi consulant, quæ & ipsa, si in consuetudinem abierit, non sine magno vitæ periculo postmodum negligitur, cujus rei vivum testimonium mihi præbuit honesta quædam Matrona, annorum circiter 56. vegetæ tamen usquedum constitutionis, quæ cum post *naturalem* illam *mensium emansionem* ob respirationis difficultatem aliaque symptomata annuâ V. S. asuefacta fuisset, hâc postmodum per 2. annos intermissâ incidit primò in tussiculam quandam nocturnam, quâ ex somno subinde expergefacta aliquoties leviter tussire cogebatur, cum continua pectoris gravitate, dicebat enim: Es sitze ihr so auf der Brust. Mox appetitus dejicitur cum maxima imprimis carnis nausea, cujus ne odorem quidem impunè ferebat, hinc sensim se contabescere observat, sæpius inspiciens lacertos solito flaccidiores, sudoribus nocturnis diffluebat & tandem quoque sputum cum sanguine striatim admixto tussiendo rejiciebat; quæ omnia cum *Phthisin incipientem* jam præ foribus esse ostenderent, pro eadem debellandâ solita statim remedia propinavi, vitæ ante actæ primùm ignarus. Cùm verò exiguum inde levamen persentisceret, quæro tandem, an fortè scarif. aut V. S. olim asuetam neglexerit, quòd cùm affirmaret & omnia sincerè enarraret, jam absque mora ulteriori Chirurgum vocare & sanguinis circiter ℥viij. detrahere jubeo, quo facto sensim convaluit, DEO benedicente, usquedum incolumis adhuc vivens.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXVI.

## DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

# Hectica in febrem ardentem salutariter terminata.

STudiosus quidam Juris, *Dn. Ludovicus Hermannus Röder*, Giessâ-Hassus Francofurti degens *febri tertianâ* corripitur, quâ, nescio quibus remediis, intempestivè sublatâ, ut sæpe fieri solet *hectica* succedit cum appetitus prostratione, calore post pastum, sudoribus nocturnis & marcore insigni. Consulto E. Medico Ordinario varia tum ex officinis tum domesticis in usum vocantur, sed in vanum omnia. Quare desperabundô ferè animô Patriam suam Giessam repetens mihi altero statim die omne negotium exponebat. Periculosam *hecticam* imminere dico, idque *ex febri Tertina malè curata*. Idem & Francofurti sibi à Medicis dictitatum esse regerebat, deque eô, se pessimè habere, sed nullane sanitatis spes mihi reliqua? inquiens. Omnino respondebam, ast cùm periculum in mora, maturo consilio opus esse, cum adhortatione, ut morigerum se præberet, Deoque T. O. M. & medicinæ ab ipso de terrâ creatæ confideret. Præmisso igitur obsequio, digestivi loco præmisi Sal. Armoniac. hôc in casu unanimi celebriorum Practicorum confessione commodissimum, aliis quibusdam præcipitantibus junctum, idque ad imitationem *Pulv. antihectic.* Felicissimi D. D. CONERDINGII, quem à Celeberrimo Viro D. D. SCHEFFERO obtinuit olim Beatissimus D. D. TACKIUS, Magnus quondam Hassiæ Machaon, è cujus MSS. eundem Curioso Lectori lubentissimè impertio, cum omne bonum sit communicativum sui; est autem talis.

℞. Ocul. cancr. ℥j.
Salis Armoniaci.
Nitri præpar. aa. ℥ß. Div. in 6. p. æ.

D. una dosis quotidie. Nitrum autem studiô omisi, cùm ob

 nimiam

nimiam digestionis primæ depravationem diarrhœâ quoque subinde laboraret æger, cui sal facilè fomitem addidisse poterat: Remedio hôc per aliquot dies continuatô præter omnem expectationẽ supervenit *febris ardens continua* cum intensissimo calore, siti, vigiliis ac delirio, quæ omni pulveri illi meherclè insontissimo, ascribentes consanguinei mihique paulatim diffidentes Dn. Physicum hujus loci Ordinarium accersere jubent, qui præcedentium fortè nondum certior redditus, triste prorsus prognosticum tulit non tantum coram adstantibus, sed & in officina Pharmaceutica, à pulsu sine dubio impulsus, qui prioribus morbis, jam nimium quantum debilitatus erat. Ego verò spem neutiquam abjiciendam esse duxi; sperabam enim fore, ut materia mortifica, factâ è primis viis in vasa sanguifera metastasi, fermentatione ejusmodi febrili eò citiùs subjugetur atque æger à molesta illa Hecticâ fortè liberetur; nec decollavit spes primitus concepta: Debellatâ enim febri illa ardenti, omnia simul hecticæ symptomata prorsus evanuêre, convalescente sensim ægro, qui nunc athleticè vivit.

## OBSERVATIO CLXVII.

## DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

## Calculi è pulmonibus per tussim rejecti.

NOn *renes* tantum & *vesicam* fœcundas calculorum matrices esse, sed & in aliis corporis humani partibus nobilioribus, *cerebro, corde, epate &c.* eosdem sæpe reperiri spissæ Practicorum observationes abundè testantur. Sic è *pulmonibus* tussi rejectos lapillos observavit BORELLUS *cent. 1. obs. 67.* cui ferè similis se casus obtulit nuper D. D. DORSTENIO *Acad. Marp. P. P.* qui Nobilem Germanum adhucdum sub manibus habet, per integrum jam triennium aliquot, pisi magnitudine lapillos, non tamen rotundos, sed oblongos magis & angulosos, durissimæ tamen substantiæ, tussi rejicere solitum; quàm observationem literis nuperrimè

perrimè ad me datis à Viro Excellentissimo communicatam & hic reticere nolui. *Calculum* quoque *intestinalem* ex atro viridescentem vidi inter rariora B. Dn. D. RöTELII Prof. olim Giessensis, quo pertinet *Obs. 90. Anni 9. & 10. Ephem. Acad. N.C.* quæ & *uteri calculos* sistunt *Anno I. Obs. 106.* & quid frequentius *calculis in vesicula fellis* inventis. *Palati* & *umbilici* calculos BARTHOLINUS refert *in Epist. cent. 1. ep. LXII.* Sub *lingua, humero*, variisque externis partibus lapillos genitos BORELLUS habet. Quo ferè referenda videtur *podagricorum creta*, quæ idem fortè principium habet, cùm raro reperias arthriticum, qui non calculo plus minus sit obnoxius. Utinam ergò causa horum malorum & generationis modus tandem innotescerent, ut duris ejusmodi & Herculeis revera nodis similis quoque cuneus inveniri possit, atque sic non tantum calculosi, sed & Arthritici, certum carnificinæ suæ & querelarum finem videant, nec indigeant ampliùs sive *Pythagoræismis* sive *consolationibus* illis ridiculis, queîs Podagricis tantùm non illudere; videas CRATONEM, SENNERTUM & alios. Equidem vereor, ne tamdiu destituamur remediis, & præservativis, & curativis, horum malorum, quamdiu latuerit proxima illorum causa & generationis modus, neque de nihilo est cordata cujusdam GALLI decisio in *Tr. de la Conservation de santé*, qui reperitur inter *Opera* Dn. GUIBERTI *Gallicè* his verbis: *Priant le lecteur de croire, qu'il est tres vray, qu'il n'y a remede aucun en la nature, qui puisse casser les pierres des reins ou de la vessie, & que quiconque se vente d'voir quelque remede ou secret pour cela, c'est un Charlatan & affronteur, c'est une folie de croire, qu'il y en ait.* Quicunque ergo operæ pretium mereri, totamque Medicorum familiam æternum sibi obstrictam reddere voluerit, experimentis variis *solutionibus, coagul. præcip.* &c. institutis, paulò accuratiùs in coagulatorem illum microcosmicum inquirat, omnemque lapidem moveat, ut in abstrusam lapificationis causam penetrare liceat. Facem nobis prætulit Generosus HELMONTIUS, offâ suâ ex spirit. vini re-

ctificatiſſimo & ſpirit. ſal. armon. artificioſè præcipitata. Quod elegans experimentum etſi nonnihil claudum videatur, cùm non tam corpus ſolidum quàm potiùs ſaponi formis quædam maſſa indè redeat, laudandus tamen Nob. Viri animus & intentio, neque tot calumniis proſcindendus & plusquam Vatiniano odio proſequendus erat, ut ſæpe fit ab iis, qui gloriæ ſibi ducunt aliorum, Recentiorum imprimis, ſcripta, quæ vix obiter inſpexerant, ubivis arrodere, eô ipſo tamen illorum famæ adeò non detrahunt, ut potiùs propriis ſuis abortibus æternam concilient ignominiam turdorumque inſtar certum ſibi exitium fundere ſoleant.

## OBSERVATIO CLXVIII.
## DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.
*De*
# Dyſenteriâ vomitu curata.

AFfinis meus *Dn. Georg Valentin Metzger*, V. D. Miniſter Herxhemii ad Rhenum, ſub intenſiſſimo æſtatis æſtu Wormatiam milliaribus aliquot inde diſtantem abiens & quosdam amicorum ſuorum ſalutans, *more Palatino* lautius juſtô excipitur vino nimirum admodùm generoſo, eô præprimis, quòd in ſuburbio juxta Ædem B. Virg. Mariæ ſacram copioſè provenit & ab incolis vulgò Unſer Lieb Frau Milch audire ſolet, quô benè, *& ſat Theologicè* lactatus, ſub veſperam domum redit laſſus & aſſus. Lectum ergo petens in profundum ſomnum delabitur. Subſequente verò die atrociſſimis corripitur abdominis torminibus cum crebrô, ſæpiuſculè tamen fruſtraneô, deſidendi conatu; excretione mucoſi plus minus ſanguinolenta, infallibilibus *Dyſenteriæ* pathematibus. Hinc varia ſtatim remedia ante-dyſenterica in uſum vocata ſunt, ſed exiguo cum levamine, rebus ægri in pejus ruentibus: Præter enim ea plura ſubinde ſequuntur ſymptomata

ptomata, erraticæ præprimis phlogoses, anxietates cum insigni oris amarore, nausea & s. p. Quæ omnia nimiæ bilis abundantiæ & acrimoniæ imputanda esse duxi, quæ non tantùm in præcordiis fluctuando, sed & intestina copiosè inundando, rodendo, vellicando ovum hoc excludere poterat, cui fomitem addidit insignis ille vini generosi abusus cum insequenti motu vehementiori. Cum ergo parum usquedum profecissem medicamentis ordinariis, cogitavi annon per *vomitum* saburra talis exantlari possit, quamvis, ut verum fatear, trepidum ferè me senserim ex eô, quod omnia ferè, quotquot hactenus evolvisse datum erat, Practicorum præcepta, nullibi hujus remedii in curanda *Dysenteria* meminerint: Animum interim reddidit cordatum ITALORUM axioma: *La vera regola è saper romper le regole à tempo & luogo.* Propinatis igitur *tart. emet.* granis ij. dici non potest, quantam bilis æruginosæ copiam excluserit, cùm præsentaneâ symptomatum remissione, adeò quidem, ut elapsis 3. vel 4. diebus munere suo Ecclesiastico, DEO Benedicente, ritè rursus fungi potuerit. Unde jam constat, non semper adeò rigorosè inhærendum esse vulgaribus PRACTICORUM Generalium libellis, sed suum semper locum relinquendum esse *Prudentiæ Medicæ*, cui pro varietate indicationum tritam aliâs curandi viam subinde mutare liberum esto, ne si fortè æger moriatur juxta methodum, Medicus tandem puniatur juxta legem.

## OBSERVATIO CLXIX.
## DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.
# Hydrops ex crebra Venæsectione.

FOemina quædam *Giessensis* non infimæ sortis, habitusque adeò corpulenti, ut per multos annos in publicum prodire nequiverit, ob molestam respirandi difficultatem, quæ hominibus illis pinguedine tantâ suffarcinatis (sua de causâ) communis esse solet, *sanguinis missione* subinde, pro

more vulgi, ventilationem quærebat, ſperans inſimul fore, ut inſignis illa & ei moleſta corporis moles eo ipſo quoq; vel imminuatur vel ſaltem in augmento ſuo præpediatur. Crebrò igitur venam ſibi tundi curabat, præſente primùm Medico Ordinario D. M. H. Cùm verò hic, ut Virum conſcientioſum decet, ſanguinis quantitatem extrahendam non libris ſed unciis metiretur, tandem ſolum Balneatorem, idque clanculum; ſæpe vocare ſolebat, qui in *mittendo ſanguine* non ita parcus & meticuloſus, conſtitutionique ſuæ magis conſulere viſus, plurimùm unâ vice cruoris continuò profundebat, cui ipſa Mulier (ex Domeſticorum relatione) his ſubinde verbis animum addere non dubitavit: **So recht/ ſo recht / Meiſter** Melchior, **laſt es nur braff lauffen/jetzt ſind wir fein allein/was ſollen doch die** Doctors! Aſt ah! quàm funeſta cataſtrophe! Vix enim aliquot annis hæc ſcena ludebatur, & exhauſtis ſpiritibus tam craſſam molem & inſanam ſubſtructionem hactenus ægrè ſuſtinentibus lethalis *hydrops* accedens, non tantum Tragœdiæ hujus, ſed ipſius quoque vitæ Epilogum egit. Et ſimilem quoque eventum obſervavi olim in Viro quondam Integerrimo *Dn. Hieronymo Grebenero*, Redituum Principalium Præfecto, qui eodem *nimiæ corpulentiæ* onere preſſus, adhibitis pariter crebrioribus juſtò Venæſect. in periculoſum hydropem ſe iterato præcipitem dedit, quo & tandem penitus ſublatus eſt. Quicunque propterea vitam ſuam in pretio habent neque fata ſibi ſuisque ægris ante diem accerſere volunt, cane pejus & angue fugiant crebram nimis *venæſectionem*, quæ Parcarum inſtar, ſi quam maximè blandiri videtur, vitæ filum reſcindere ſolet, ptout fusè id demonſtrant HELMONTIUS, GREMBSIUS, HOLTERHOFIUS & alii, qui *de Vita longa & ſana* commentati ſunt.

OBSER-

# OBSERVATIO CLXX.
## DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.
## Passio hysterica cum stupore brachii.

VIx duo præteriêre menses, quòd Rusticola quædam *passionibus hystericis* aliâs vexari solita, me conveniret, inter alia multum conquerens de molestô quodam *brachii stupore*, quem per consensum uteri fieri vel ipsa muliercula sentire videbatur, dicebat enim: **Wann sich die Mutter regt / so kommt mir es in Arm / daß ich sorge ich möchte lahm darinn werden;** quem & haustis hysterico-anodynis mox cessare solebat symptoma illud, reverâ insolens. In quô verò *consensus* hujus ratio consistat, quærat fortè mens curiosa, generalioribus hisce terminis haud facilè contenta? Vaporibus eundem ascribere, ignorantiæ esset velum & caliginem obducere: Nervorum quoque plexus (quibus aliâs Cel. WILLISIUS plurima felicissimè expedivit) nimis hinc remoti sunt, & de cæterô quoque constat *stuporem* non tam nervorum, quàm potius musculorum eorumque tendinum affectum esse, cùm violenta nervorum crispatum aut dolorem aut totalem ferè ἀναισθησίαν conjunctam habent: Sed neque cæteræ consensus species huc quadrare videntur, quas ex professô tradit DN. FRANCISCUS BAYLE *in Tr. de consensu uteri cum reliquis C. H. partibus.* Ad difficilem E. problematis hujus resolutionem notandum, tum demum symptoma hoc ab Ægra observari, si quando dolores fuerint atrociores ipseque uterus reverâ compatiatur, id quod ferè patet ex eô, si tormina concurrant Puerperis aliâs communia: tensio sc. juxta os sacrum, violenta uteri convulsio & vanus enitendi nixus **es schiesset in Schooß** / unde intensissimus dolor, de quo summè quoq; conquerebatur Hysterica illa Palatina, de qua *in obs. seq. CLXXI.* Jam autem constat, uterum ligamentis suis latis interno ischii ossi annexum esse, in ejusmodi confiniô, ubi plurimorum musculorum est principium, in specie

cie verò *musculi quarti thoracis*, qui hinc exortus perque lumborum vertebras trajiciens, prioribus X. costis adhæret, donec tandem septimæ cervicis vertebræ inseratur, ad alarum & brachiorum motum aliâs symbolum quoque addens: Convulsis itaque & distentis uteri ligamentis, musculi hujus principium quovis modo compressum *stuporem* hunc admirabilem sine dubio producere solet, qui ex eôdem fundamento conjunctus utplurimum est ischiadico dolori; exemplum habet RIVERIUS *cent. 2. obs. 72.* Quin & mulierculis quoque notum, Gravidis ferè ordinarium esse surarum tensionem & *stuporem* pedum, dextri quidem, si masculus, sinistri si fœmella fuerit embryo, quam fœminarum Philosophiam exemplis confirmare non dubitat BINNINGERUS *cent. 2. obs. 38.* Causam verò ligamentis pariter latis sive convulsis sive distentis ascribere videas RIOLANUM, BAUHINUM, BARTHOLINUM & omnem ferè Anatomicorum cohortem.

## OBSERVATIO CXLXI.
## DN. MICH. BERNHARDI VALENTINI.
# Hysterica tabaci fumo sublevata.

CUm ultimò præterfluxâ æstate SPIRA redux *Freinshemium* Palatinatus inferioris oppidum, diverterer, vix vicus erat aut angulus, qui non tristissimas vetularum lamentationes & suspiria obaudiret, propter miserabilem Prætoris sui Conjugis conditionem, quæ animal quoddam vivum in utero gerere dicebatur, eandem summè discrucians: Quam cum Generosi admodum & Per-Strenui Turmarum Palatinarum Ducis, Dn. JUNGHENNI rogatu inviserem, *Passione Hystericâ* eaque gravissimâ detentam reperio, quam paroxysmatim una sæpe hora bis tervé perpeti solebat. Vix enim dimidium horæ quadrantem consederam & nova Tragœdiæ suæ præludia sentiebat, solutisque vestimentis putatitii illius animalculi motum & visui & tactui liberè offerebat.

bat. Accidente verò carnificinâ non umbilicus modò, ſed & hypochondria utrinque violenter intus trahebantur, mox inteſtina cum meſenterio factis variis vibrationibus mirabiliter convellebantur, hinc plexus illi meſenterici in globum contorti paſſim in abdomine oberrabant, donec tandem ſuperiora petentes raptis in conſenſum præcordiis ægram penitus ſuffocarent: Quæ omnia neſcio cui animali tribuebat non ipſa ſaltem ægra, plus minus melancholica, ſed & univerſa circumfluentium vetularum caterva, idque hac potiſſimum de causâ, quòd utero ſæpe per conſenſum furiente, eadem prorſus tormina accederent, qualia ferè Parturientium eſſe ſolent, omnes reliquos dolores immanitate ſuperantia, adeò quidem, ut non tantùm obſtetricem diverſis vicibus advocârit & manuum immiſſione explorare juſſerit, quisnam ſub herbâ ſit anguis, ſed & ſectionem ſæpe abdominis petierit ægra, cui cùm multis tandem obteſtationibus ægrè perſuaſerim, nihil prorſus in utero contineri, ſed meros eſſe ſpaſmos, & convulſiones hyſtericas, pro his aliquantùm cohibendis *Laudani* mei *Cinnabarini* (ex una parte extr. opii per ferm. & duabus cinnab. nat. ſelectioris parati) quasdam doſes propino, quibus cum paroxyſmi illi ſtatim maximè refrænati fuerint, ſub neceſſaria abitus mei maturatione ſuadebam poſteà, ut *tabaci* fumum haurire diſceret: ita fore, ut efferi illi paroxyſmi tanquam fræno quodam coërceri posſint, usquedum ſub ſtatu paratiori Spiram abire & Cameræ Imp. Archiatri, Magnifici D. D. WIDTII, Collegii Noſtri LEOPOLDINI *Aſclepiadis &c.* curâ & conſiliis uti poſſet, qui ut alibi, ita in his præprimis affectibus curandi Feliciſſimus eſſet. Neque ſine ſucceſſu. Ex literis enim Affinis non multò poſt intellexi, quòd hauſto ſtatim, ſi quid perſentiſceret, *tabaci* fumo, immanes illos cruciatus ſubitò reprimere ſoleat, ita quidem, ut rebus ſuis domeſticis, quas longo jam tempore penitus deſeruerat, vacare rurſus potuerit. Hinc profectò non absque ratione INDICÆ fœmellæ, ſuffocationibus hyſtericis obnoxiæ; tanti faciunt *tabacum* herbam, quam ſecum ſemper

habentes necessitatis tempore vel extus umbilico applicant ut ex MONARDO refert B. Dn. SIMON PAULLI, *Tr. de usu & abusu Tabaci*, vel quoque oretenus haurire solent, modô INDIS consultô, qui non tam fistulis Nostris hominibus usitatis, quàm potius parvis corniculis de collo pendentibus utuntur, quibus tabacum in globulos contortum inserunt, prout formam eorum pingunt & describunt Authores libri illius Gallici, cujus titulus: *La maison rustique de Monsr. Charles Estienne & M. Jean Liebault*, his verbis: *Et mesme recoivent la fumée par des petits entonnoirs ou cornets, pendents a leur col, faits de fueilles de Palme, ou de cannes, ou de jones; la figure est cette suivante.* Vid. Figur. XLI. n. 1.

I. Exhibet corniculum Tabacinum Indorum A. quod fune sericeo b. b. b. de collo suspendunt.

II. Idem cornu A. instar Cornucopiæ, globulis Tabaci B. suffarcinatum, cujus extremitas C. ori inseritur.

III. Tabacum sistit in globulos formatum.

## OBSERVATIO CLXXII.

### D. JOH. GEORG. SOMMERI.

# Iræ effectus in humano morsu, abortu & lactati infantis morte noxii.

UTi irâ incandescentes canes, feles, apes, lupi, sues, equi & alia aliàs veneni expertia bruta morsus venenatos infligere possunt, (qui tamen pro speciei natura & idea furentis Archæi intensiori aut remissiori plus minusve nocent;) ita in ipso corpore humano spiritus alias naturæ tutelares impetuoso iræ œstro contaminati malignam qualitatem induunt, &, nisi hæ Archæi Furiæ virulentias suas per diarrhœam, vomitum, erysipelas, fonticulos & ulcera antiqua expuant, illas in partes internas effundunt, imprimis in eas, in quas hactenus optimi spiritus pro singularibus actionibus ibi per-





Fig. 42. f. 392.



perficiendis naturæ ductu potissimam partem affluere consueverunt, v. gr. ad uterum prægnantem, mammas lactantes, vulnera consolidanda, iidem spiritus nunc furentes eandem viam calcant, & fulminis instar in illas irruunt, ibique sonticas turbas excitant.

I. Ita ante novendecim annos inter verba & verbera viri cujusdam pollicis anterior articulus dentibus adversarii ita impetebatur, ut quicquid Chirurgus mundando niteretur, in cassum fiebat, quia vulnus venenato salivæ fermento infectum omnem consolidationem respuebat, donec pars infecta esset resecta.

II. Sic mulier cætera sana & felices fœtus edere solita duas horas post effusam iram fœtum quatuor mensium abortiebat cum insigni sanguinis profusione.

III. Ex eadem causa non minus tristis sequebatur affectus in quadam matre filiam duorum mensium lactante, quæ post iræ effervescentiam inconsideratè filiæ mammas à virore plus quam bilioso nondum liberatas porrigens, paulo post habebat epilepticam & post octo horas mortuam.

## OBSERVATIO CLXXIII.

### D. JOH. GEORG. SOMMERI.

### Urinæ incontinentia.

PLinius *hist. nat. lib. 29. cap. 4.* scribit: *Murium natura non est spernenda præcipuè in asscensu siderum.* Et *Forestus* postquam *lib. 25. observ. 21. & 22.* multa adstringentia, nervina & specifica interna & externa contra mictionem urinæ involuntariam prolixè commendasset, scribit in scholiis: *Interim urina infantium, (ut etiam refert Benedictus Veronensis,) muribus elixis in cibo datis cohibetur,* & addit: *Ego hoc expertum novi à quibusdam mulieribus Delphensibus, quæ pueris elixos mures commodè dederint.* Exemplum huic congruum novi ex Nobilissima, benefica & in re domestica curiosa Matrona, quæ

 alebat

alebat ancillam incontinentiæ urinæ laborantem, cujus malo ſubvenire deſiderans curabat, ut in culina præparentur paſtilli ex farina & aliis communibus ingredientibus, quibus permiſcebat pullos murium pilis adhuc carentes fruſtillatim conciſos. Hunc cibum frigefieri & in ſcrinio ſervari jubebat, quo poſt menſam reponi ſolebant ciborum reliquiæ. Piam hanc fraudem continuabat Nobiliſſ. Filia ancillæ comedendos hos paſtillos, ceu cibum nunc neglectum, quaſi dono offerens, hæc oblatam benignitatem arripiens paſtillos comedit, & horum eſu à malo ſuo libera permanſit. Quod quidem remedium ſpecificum uti in quibusdam ſuccedit, ita ſecundum cauſarum varietatem etiam cum aliis permutandum erit.

## OBSERVATIO CLXXIV.
## D. JOH. GEORG. SOMMERI.
# De Arthritide.

ABjectum & ſordidum quidem eſt, remedium ex pediculis petere, cum verò in aliorum defectu miſeri & non rarò pauperes ægroti effectum magis quàm gratorum ſelectum deſiderent, adeò ut multi graves, ceu ſunt jam nominati, item *Horſtius*, *Borellus*, *Schröderus* & in illum commentans *Hofmannus*, & multi alii de uſu pediculorum ovium & hominum, cimicum, aſellorum, ſcarabæorum, cantharidum, ſtercorum &c. ſcripſerint, igitur præcedenti obſervationi addo, quod eadem Nobiliſſima & pia Matrona ante aliquot annos audivit de viro peregrè iter faciente, qui citra manifeſtam cauſam in diverſorio iſtius loci de acerbis artuum doloribus conquerebatur, huic jam dicta Matrona novem pediculos ovium in rob ſambuci dari juſſit, poſt cujus remedii uſum patiens doloribus liber iter propoſitum ſine morbi remora continuavit.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXV.

D. JOH. GEORG. SOMMERI.

## Dyspnœa ex fulmine.

QUòd ferro onustæ naves à saxis magneticis attrahuntur & in motu suo impediuntur; quòd etiam fulmen in turres, in quibus pulvis pyrius absconditur, sæpius irruit, sympathia quadam fieri scribit *Borellus Cent. 2. Observ. 38.* Eadem sympathia factum puto, quod, cum servus quidam in curru fœnum vehens fulminis allisione in terram cadebat, & ex ejusdem vapore sulphureo in laboriosam dyspnœam incidebat, omnia medicamenta intentioni aliàs sufficientia citra manifestum emolumentum adhiberentur: Postquam autem ex sulphure præparata assumere curavi, liberrima spirandi facultas rediit.

OBSERVATIO CLXXVI.

D. JOH. GEORG. SOMMERI.

## Granula seminum per urinam excreta.

PUer 18. hebdomadum cætera sanus, qui præter pultem & lac maternum nihil unquam per os assumsit, aliquoties magnos dolores sine alio symptomate patiebatur, uti ex ejulatu & corporis motu anxio colligere licebat. Hic puer post singulum talem paroxysmum cum urina medii cultri cuspidem seminis cujusdam, semen lavendulæ lancinatæ forma & magnitudine, non autem colore, referentis excernebat, quo post adhibita carminantia & laxantia excreto, singula vice halcedonia grata redibant. Horum granulorum procul dubio à sagis injectorum excretio, postquam per tres septimanas singulo ferè triduo semel repetita esset, non amplius apparuit, & puer ex eo tempore sanus permansit.

## OBSERVATIO CLXXVII.
## D. JOH. GEORG. SOMMERI.
## Causæ morborum monstrosæ.

PUer recens natus quoties in cunabulis urinam reddere conaretur, paulo ante ejulatu anxio ingentem dolorem indicabat nulli remedio cedentem: cum autem pedibus inniti ætas & vires admitterent, quaque stimulatione urinæ currebat per circulum inter continuam & anxiam ejulationem, donec vi motus corporis & vesicæ repletionis urina erumperet ordinariæ quantitatis & qualitatis, quo peracto, uti cætera sanus, ita etiam quietus & lætus erat. Postquam autem jam bimulus variolis afficeretur, & vigor spirituum nervosarumque partium doloribus crebris non parum esset attritus, vis supervenientis epilepsiæ naturam facile superabat. Post hæc fata supra relatorum dolorum memor istorum causam apertione corpusculi explorando videbam vesicæ fundum, loco urachi, vinculi istius præsertim in fœtibus vesicam suspendentis, omento medio & solito solidiori immediatè & arctè combinatum, quapropter vesica versus umbilicum justo retractior liberæ excretionis urinæ impedimentum erat, manifesto argumento, dari interdum morborum causas monstrosas nullo artificio investigandas.

## OBSERVATIO CLXXVIII.
## D. JOH. GEORG. SOMMERI.
## Usus olei ligni fraxini.

FAber quidam lignarius instrumento ferreo palmam penitus perforabat, hic in defectu Chirurgi vulnus illiniebat oleo fraxini per descensum parati, quod cum aliquoties

ties repeteret, vulnus ſine aliis auxiliis & ſymptomatibus feliciter conſolidatum eſt.

## OBSERVATIO CLXXIX.
## D. JOH. GEORG. SOMMERI.
# Corium porcinum cum nauſea deglutitum ventriculus negligit.

ALius faber lignarius aliquando in gratiam cujusdam amici cum nauſea deglutivit corium porcinum elixum, ferè non manſum, quod uti cum nauſea ventriculo obtruſum, ita etiam ab illius actione deſertum eſt, quare etiam ex eo tempore hic vir ut plurimum male ſe habuit, ceu ſæpè illis accidit, qui aut abſurda in ventriculum non pertinentia degluṫiunt, aut cibum affatim & feſtinanter ingurgitant, & dein diu queritantes ajunt: Es ligt mir was im Magen/ ſcil. ſi cibus dentibus non ſufficienter comminutus & ſalivali fermento non imbutus, ſed per impetum copisè ingeſtus, adeoque à ventriculo ceu hoſpes non invitatus etiam non amicè amplectitur, & merito ſuo ibi neglectus jacet, ceu dictum corium, quod in ventriculo hæſit; donec poſt duos annos hic manupretio vivens, cùm, fortè ex hac ipſa cauſa, tertiana febre laboraret, motu vomitorii incoctum pituitaq́ue obductum per os rediit. Siquidem tota fere die febres intermittentes & alii affectus ex alimentis quantitate, aut vitioſa qualitate coctionem interturbantibus accenduntur, quæ ſi non naturæ robore ſuperantur, aut tempeſtivo vomitorio removentur, certiſſimi cujusdam morbi fomes fiunt.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXX.
## D. JOH. GEORG. SOMMERI.
*De*
# Calculo vesicæ à Muliere septuaginta novem annorum excreto.

MUlier hujus loci temperamenti temperati, jam secunda vice per multos annos vidua Anna Völckers dicta, ætatis 81. annorum, per totam vitam paupere frugalitate victitans, passa est ante quinque annos inter urinæ stillicidium immanes dolores ex calculo vesicæ per triennium continuum, nullo usa est medicamento, nisi quod interdum à vicinis aliquid aquæ petroselini oblatæ biberit, sed, uti facile est creditu, nihil ex hac remissionis sensit, demum ab amica plebeja docetur herbarum petroselini & hederæ terrestris succum recenter expressum omni mane ad unciam unam aut ultra bibere, quod postquam continuavit per quatuordecim dies, tandem inter dolorum tormenta ipsi mortis præsentiam persuadentia exclusit calculum ovalis ferè conformationis & quantatis, ceu figura adjuncta docet, substantiæ solidæ, coloris ex cinereo flavescentis, crassitudinis duorum digitorum, superficiei partim levis, partim ex adnato petroso musco asper, ponderis ℥ij. ʒij. Alterutra extremitas aspera, quasi abrupta, (quæ procul dubio versus cervicem vesicæ locata fuit,) videtur esse hujus coagulationis calculosæ terminus. In dictis tribus annis urina sanguine semper tincta est, in ipsa exclusione autem sanguis & serum in copia fuit excretum. Ante hujus lapidis apparitionem non raro excrevit calculos aculeatos parvos & ex sanguine coagulato nigredine obductos. Cum partum hunc lapideum hæc anus primùm manu prehendit, passa est singularem iræ motum, & dum prope mœnia urbis habitat, animo volvit dirum hunc tortorem super ea abjicere.

Ex

Ex eo autem tempore, quo hoc calculo liberata eſt, nec calculum, nec ex eo dolorem patitur. Uti autem ex laudabili digeſtione vitæ ſanæ & longæ ſuccreſcens felicitas ridet; ita ex digeſtionis vitiis vitæ valetudinariæ & potiſſimorum morborum progenies luxuriat. Siquidem & hujus calculi cauſa non eſt calor aut pituita, nec vinum nec ingluvies, ſed potius ventriculi fermentum nimis acidum, quod atomis alimentorum etiam minus ſpirituoſorum ſalinis partim fixis partim volatilibus junctum tartaream genituram concipit, illaque chylum inficit, & pro vitio hoc plus minusve fortiore prioribus aut poſterioribus ætatibus tartareum hoc inquinamentum auget & coagulat, demumque anxio dolore calculum aut podagricum tophum aut dolorem excludit. Fig. XLII. p. 386.

## OBSERVATIO CLXXXI.
## D. JOH. GEORG. SOMMERI.
## Fœtus exanguis.

MUlier conſtitutionis temperatè calidæ & ſiccæ, ætatis octo & triginta annorum, poſtquam bina vice fœtus mortuos pepererat, tertium ſub agone mortis luci exponebat vitæ & vitalis habitus expertem: omnes quidem partes in naturali quantitate, numero & ſitu, ſed ſubſtantiæ à natura imperfectè elaboratæ apparebant: loco cutis enim erat cuticula, loco muſculorum erat gelatina tenacior & quaſi pellucida ex albo flaveſcens, venæ & tendines erant filamenta mollia, oſſa brachii, femorum &c. erant cartilago, quacunque parte corporis ſecabatur, nil niſi lympha effluebat, præterquam in ſolo corde transverſo ſitu locato, tres vel quatuor guttulas ſanguinis, vitæ & ſanguinis natalium indices, inveniebamus. Cujus rei cauſa videtur, quod mater ad cachexiam diſpoſita uſui ſpiritus vini & cereviſiæ triticeæ nimium indulgere ſolita, viſceribus chylificationi & ſanguificationi dicatis ἀτονίαν & actionum naturalium lubricam ἐνέργειαν, totique

corpori habitum cachecticum contraxerat, cujus qualitatis alimento etiam fœus enutritus in solam fere gelatinam confluxerat.

## OBSERVATIO CLXXXII.

## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.

### De Diarrhœa carnosa.

D.II.A.4.Obs.174.p.318.
-II- 3. - 159 - 307.367.

SOlenne sæpe est vulgo & medicis quoq; dicere, particulas viscerum excerni posse, hepatis, putâ, pulmonis & similium integras. De eo hâc vice disquirere non animus est, illud saltim urgebimus, sæpe excerni corpulenta talia, quæ visceri nulli adscribi possunt. Anno M DC LXXI. miles Gothanus, 56. annorum, herniosus, cum ante annum expertus esset diarrhœam cruentam, (ita enim maluimus dicere,) cum tenesmo continuo, dolore dorsi summo, ut & pedis femorisque sinistri totius, ab eo tempore laxiorem alvum, seu continuantem diarrhœam sensit, cum fecibus modò diluto, modò sincero excreto subinde sanguine, in moram jam ducto malo & velut consuetudinem.

Ab adhibitis medicamentis roborantibus & anodynis, mense Februario, restitit sanguis, melius habente ægro. Sed brevi dolores dorsi & pedum redibant, exitum affectante sanguine, indeque repetente debilitate, inappetentiâ, & omnium membrorum dolore. Propinata martialia, temperantia, cinnabarina, traumatica, hepatica, opiata, non nisi ad breve tempus quietem concedebant. Ineunte Aprili excernere occipiebat frustra carnea, fibrosa, parenchymatica, instar lienis, vel molæ cujusdam, cum sanguine. Nullum medicamentum quicquam præstare visum, præterquam opiata, ad granum j. ij. iij. & amplius danda, quæ nisi darentur quotidiè, per Deum & cum lacrumis ea expetebat.

Mode-

Moderabantur hæc molem ſanguinis, & dolores, ut paccatius & quietius procederet excernendi onus. Ad plures libras excretæ viſebantur carneæ maſſæ, & citra ullam ſpem quaſi recuperandæ valetudinis, donec ſuperato Julio menſe fatis cederet miſer, ſatis doloribus tortus.

Non potuimus arceſſere molem hanc ab ullo parenchymate, quod & penetratio dimenſionum non detur, & longè major quantitas excerneretur, quàm ipſa viſcera penderent. Credibile eſt vaſa meſenterica venoſa hiaſſe in inteſtina, & appellentem ſucceſſivè ſanguinem in carneas vel parenchymaticas tales abiiſſe pilulas, ut ita loquar, tum fibris propriis, tùm inteſtinalibus forſan productis ad coagulum concurrentibus. Sæpè ſanguis per venam ſectam emiſſus æmulatur parenchyma, totus cohærens, ut ſcindi poſſit, & membranâ obductus videatur. Cumque ſic velut ordinarium exitum invenerit, licet peregrino loco, non tam in grumos abiit nigricantes, quàm ſervato utcunque vitalitatis charactere carneam molem præ ſe tulit, ſucceſſivâ concretione fabricatam & in particulas diviſam.

## OBSERVATIO CLXXXIII.

## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.

*De*

# Cœcitate à ſuppuratione.

ORdinarius modus eventus inflammationum inter alia etiam eſt ſuppuratio, quæ ut in aliis partibus promovetur cum ſucceſſu, ita exitioſa eſt oculis. Hypopyon, quod vulgò deſcribitur, magis inter corneæ lamellas enaſcitur, facilè curandum, vel ſolâ pinguedine viperinâ. Puella paſſere mortuo impetita per ludicrum jactum, fit ut roſtrum pupillam vulneraret levius, mane ſequenti exhibebat puſtulam eminentem, pure plenam. Inſtillatâ pinguedine laudatâ evacuatum pus & inducta leviſſima & vix

notabilis cicatrix, citra viſum labefactatum. Ab ophthalmiâ verò, ſive majori impetu irruente, ſive neglectâ & malè tractatâ vidimus non ſemel viſum fuiſſe extirpatum, nullibi tamen mage ferinam quàm ſequenti exemplo. Anno MDCLXX.

Piſtor L. circiter annorum quoddam velut diluvium patiebatur ſeri ſcorbutici acris & ſalſi in capite. Fluxio ſeu catarrhus naſum occupabat, poſtquam diu hactenus odorari non potuerat, unde depluus mentum, inprimis ſuperiùs exulcerabat, cum cruſtis inſignibus, (mentagram dixiſſes aptiſſimè;) oculos verò utrosque ophthalmia graviſſima, cum ſummâ & tantum non flammeâ rubedine. Ichoroſa materia ex auribus quoque affectabat exitum, & in occipitio ſcaturiebat eadem, cum fœtore. Applicata ad abarcendum morbum, quæcunque generoſa excogitari poterant, purgantia, antiſcorbutica, veſicatoria, collyria, aliaque ſed fruſtra omnia. Adeò enim invaluerat ſeri vitium, ut humores vitales oculorum & domeſtici ſuppurationem ſubirent, deſtruerentur, & conciderent, unde cum machina oculi utriusque, exactâ unâ alterâque hebdomade, deturpata viſeretur, actum eſſe de iisdem ediximus, nullâ arte reparabili viſu.

Fit id in intimiori & velut totali inflammatione nonnunquam, unde ſuppuratione tali ſuccedente res deſperata eſt, nec à privatione ad habitum datur regreſſus, quòd & in aliis vidimus, quamvis non totali & utriusque organi ſimultaneâ clade.

## OBSERVATIO CLXXXIV.

## D. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

### *De* Fractura oſſis mira.

CUm oſſa στάσιν, εἶδος καὶ ὀρθότητα largiantur corpori, multum intereſt, ut fracta componantur, & mediante callo ferruminentur iterum, quò pars organica actionibus




Fig. 42. f. 393.

A. A. *Pudenda.*
B. B. *Matricis corpus.*
C. C. *Moles carneæ carnosâ membrana utero adnexæ.*
D. D. *Moles carnea maxima, multo membranarum contextu utero adhærens.*
E. E. *Incisura ab Obstetrice facta, quâ simul uterus læsus.*




Fig. 45. f. 420.



Fig. 43. f. 397.

nibus priſtinis præeſſe poſſit. Nec rarò fiſſæ partes eximi gaudent, reſarciente archeo defectum, cum aliter peragi curatio renuit.

Eſt apud nos vir eximius, cui ante annos viginti circiter fractum os femoris, ſupra genu binis locis, præcipiti & periculoſo cum equo lapſu facto, curari non potuit aliquot menſibus, donec, conſolidatione negatâ, os, utrinque fracturâ illâ ſeparatum, quinque unciarum longitudine, (ſi integrum ſpectetur in ambitu) laxaretur, & extractum demum concederet unitionem perfectam. Contractius ad ejus egreſſum genu non obſtat tamen, quin ambulare ſic ſatis nôrit.

Mirandum eſt, quomodo tantum ſpatium expleri, vel potius uniri per brevem vim potuerit, cum talis plenaria exemptio facilè deſtructionem & νέκρωσιν poſt ſe trahere videri potuiſſet. Obſtat verò non rarò conſolidationi huic ſtatus ſeri acrior, vel acetoſior, γλιχρῦ debiti & temperati expers, unde & fiſtuloſa ulcera conſurgunt, vel ſaltim non conſtans unitio, quin ad motus eminentioris macrocoſmi harmonicus ſentiatur ſymboliſmus major, & inflammatio, dolores, exitus ichoris, recidivent. Fig. XLIII.

## OBSERVATIO CLXXXV.

D. JOH. JACOBI HARDERI.

*Ad*

Ill. S. R. I. Acad. Nat. Cur.

HERCULEM,

D. GEORGIUM WOLFFGANGUM WEDELIUM.

*De*

## Molæ generatione & differentiis.

MIraberis, Amiciſſime Vir, quod ſilentii diuturnioris culpam, fœtu iſthoc confuſaneo expungere tentem: Verùm ubi & hunc pro ſui maturitate, otii non pa-

rum postulâsse videris, veniam largieris facilè, si non encomium, ubi de naturæ defectu, perfecti ac distincti quid disseruero: Causæ equidem, quæ ad tale quid accedendum me coëgerunt, variæ sunt: præterquam enim quòd mulierculanum nonnullarum sortem dolui, quas, dum almæ sobolis aliquando excludendæ spe lactabantur, ante tempus deformem ejusmodi partum edidisse conspexi, sæpius non citra vitæ periculum, vel illud potissimum cordi fuit, quòd de molis varia blaterarent aniculæ, imò etiam, quibus Diva Pallas videbatur esse faventior, neque de dubiis hic illic obrepentibus, in veterum vel aliorum monumentis sufficiens invenirem responsum. Animalia bruta, quibus nil sublime dedit Deus O. M. præter terram tueri, in isto uno homine conveniunt, quòd sibi simile ex ovo æquè progignunt, paribus pro actione isthâc animali obeundâ organis instructa: prærogativam tamen aliquam sibi juxta vendicare videntur, quòd fœtus suos plerunque legitime edunt, neque ipsorum loco deformem ejusmodi massam excernunt, ad quod ipsum attendens Aristoteles, rationes sollicitè excogitavit, quare in muliercularum uteris potius, quàm cæterorum animalium molæ generentur, quæ quàm obscuræ sint, tute haud difficulter intelliges, ubi tantisper attenderis: ita autem ille l. 4. de gener. anim. cap. VII. Περὶ δὲ τῆς καλουμένης μύλης, ἣ γίνεται μὲν ὀλιγάκις ταῖς γυναιξὶ, γίνεται δέ τισι τοῦτο πάθος κυούσαις· τίκτουσι γὰρ ὃ καλοῦσι μύλην: ἤδη γὰρ συνέβη τινὶ γυναικὶ συγγινομένῃ τῷ ἀνδρὶ, καὶ δοξάσῃ συλλαβεῖν, τὸ μὲν πρῶτον, ὅτε ὄγκος ηὐξάνε τὸ τῆς γαστρὸς, καὶ τἄλλα ἐγίγνετο κατὰ λόγον; ἐπεὶ δὲ ὁ χρόνος ἦν τοῦ τόκου, οὔτ᾽ ἔτικτεν, οὔτε ὁ ὄγκος ἐλάττων ἐγίγνετο. ἀλλὰ κινδυνόσασα ὑπὸ δυσεντερίας, ἔτεκε σάρκα ἣν καλοῦσι μύλην. περὶ μὲν τοῦ πάθους τῆς αἰτίας, εἴρηται ἐν τοῖς προβλήμασι: πάσχει γὰρ ταυτὸν τὸ κύημα ἐν τῇ μήτρᾳ, ὅπερ ἐν τοῖς ἐχομένοις τὰ μολυνόμενα. καὶ οὐ διὰ θερμότητα, ὥσπερ τινές φασι, ἀλλὰ μᾶλλον δι᾽ ἀσθένειαν θερμότητος. ἔοικε γὰρ ἡ φύσις δυσθανατεῖν, καὶ οὐ δύνασθαι τελειῶσαι, οὐδ᾽ ἐπιθεῖναι τῇ γενέσει τὸ πέρας. ἀπορίαν δ᾽ ἔχει, διατί ποτ᾽ ἐν τοῖς ἄλλοις οὐχὶ γίνεται ζώοις, εἰ μήτε πάμπαν λέληθεν. αἴτιον δὲ δεῖ νομίζειν, ὅτι μόνον ὑστερικόν ἐστι γυνὴ τῶν ἄλλων ζώων, καὶ περὶ τὰς καθάρσεις πλεονάζει, καὶ οὐ δύναται πέπτειν αὐτάς, ὅτε οὖν ἐκ δυσπέπτου ἰκμάδος συστῇ τὸ κύημα, τότε γίνεται ἡ καλουμένη μύλη.

Tres

Tres ſunt quibus Philoſophus potiſſimum innititur columnæ, quarum tamen nulla ſatis firma eſt: Primam conſtituunt affectiones hyſtericæ, ex Galenicorum intemperie frigidâ & humidâ ut plurimùm ſcaturientes. Secundam menſtruorum abundantia, unde materiæ ſatis pro ejusmodi fœtu ſuppetit, & tertiam caloris debilitas, unde concoctio legitima deficit: *Illam* quod concernit, cùm conceptui ipſi, quo minus fiat, moram non pariat, quis eſt, qui non futilem agnoſcet? Neque etiam uteri vitio, (qui nonniſi commodum habitaculum, tempore geſtationis fœtui pullulanti præbet,) mola frequenter progignitur, uti quidem alii ipſo cum arbitrati ſunt, vel ex hujus intemperie, quæ veterum figmentum eſt, ut taceam quidquid ex ictero mali ſequiori ſexui accidit, non tam huic, quàm materiæ heterogeneæ in maſsâ humorali abundanti, vel eo delata, imputandum eſſe: *Iſtam* rejici facit, commune nutrimentum, quò tam brutorum quàm humani fœtus fruuntur, quod pariter ex ſanguine per vaſa uterina ad glandulas vel cotylas delato, in vaſa fœtuum, placentas plerunque perreptantia recipitur: ſin autem menſtrua materno ſanguini cum Fernelianis contradiſtinguat, molæ generationem ineptè planè concepit; illæ quoniam ſanguinis grumeſcentiæ, variæque ex ejus ſubſiſtentia prodire ſolitæ carnoſitates, quibus (quod à fluxu iſthoc ſolenni libera ſunt) bruta deſtitui novimus, pro molâ genuina nunquam habendæ ſunt: *Hanc* verò quod ſpectat, ridiculam itidem credimus, ſiquidem nec uterus menſtruorum concoctini emancipatus ſit, neque molæ ſuccretio, maſſæ humoralis dyſcraſiam aliquam neceſſariò arguat; aliam proinde ubi de modo generationis molæ diſſeruero, rei hujus rationem producere neceſſe erit, quam Ariſtoteli aliisve non potuiſſe innoteſcere, mox patebit: nempe fundamenta quæ ille adduxit, falsâ hypotheſi nituntur, ac ſi ex humore crudo & conceptu difficili mola progigneretur, cujus loco Hippocr. l. περὶ ἀφόρων ſubſtituit γονὴν ὀλίγην καὶ νοσώδεα ſemen modicum & morboſum, & l. 2. περὶ γυναικείων, παχέα γόνην ἐνεχομένην craſſam genituram intus

intus retentam: neque isthoc melius Galenus l. XIV. de Usu part. & cum eo veterani plures, seminis masculi vel exiguitati, vel calori in illo deficienti, indeq; utriusque illegitimæ mixtioni culpam imputant, cùm inquit: *Jam ipsum fœmineum semen, gignere per se fœtum non potest, sed maris semen omnino flagitat, cum quo oportet misceatur, ita ut utrumque semen in unum motum conspiret: Nam tametsi gallinæ citra gallinacei operam, ova subventanea concipiant, ex illis tamen animalia excludere nequeunt, quandoquidem ut ea perficerentur, masculi caliditatem desiderabant: At mulierem nemo vidit unquam, sine viro vel molam vel ejusmodi quippiam concepisse.* Licet enim non errârit, cùm ovum subventaneum à molâ distingui contendit, contrà quàm aliqui faciebant, qui ex solo semine femellæ cùm sanguinis complemento molæ primordia derivabant, seminis tamen masculi, à quo motus principium ille deducit, labem vel in se, minus in fictitiâ cum fœmineo commixtione, adeò facilè non evincet, perinde ut alii diu adhuc laborabunt, circa facultatis formatricis, ob sanguinis affluentis copiam, errorem detegendum: Motus quem liquor genitalis Massæ sanguineæ & spiritibus femellæ impertit, necessarius est utique, non modo ad conceptum genuinum, sed ad molam etiam producendam: Audacter forsitan mentiri videbor Medicis spermaticis, dum isthæc assero: ast ex mendacio quod illi dixerunt prius, quare cœco impetu in aliorum sententias jurarent, veritatem me dicere, omnibus, ut reor, fiet manifestum: Seminis utriusq; Parentis σύμμιξις explosa est hodie, utpote experientiæ & sanæ rationi adversa: Harvei Viri celebris sufficiat authoritas, qui quamvis studiosè in damis ab ipso côitu indagârit, illam tamen pari, quo veteres sibi imaginati sunt, successu nunquam reperit, ut aliorum vel meam nunc seponam, altoque quod ajunt silentio prætereaM tot absurda, quibus excogitandis ansam suggessit, de seminis fœminei frigiditate, de facultate formatrice, spiritu plastico, aliisque pluribus; propterea tamen generatio non incerta vel dubia, quam ex ovo femellæ succedere

dere Medici illustres dehinc compererunt, successu laudatissimo æquè ac felicissimo: Prolixiùs heic non edisseram, quod alibi pluribus commonstratum est: Satis est inde & genituram crassam cum caloris imbecillitate, & seminis utriusque malam σύμμιξιν &c. everti, sicque molæ natales tantisper illustrari. Citra Viri congressum molam pullulare posse, non tàm Galeni autoritate, quàm firmâ ratione negatur, cùm mola nil aliud sit, quàm conceptus falsus à posteriori, cui Virgines, nî labem sibimet intulerint, utique obnoxiæ non sunt, supraque jam monstraverim, aliud planè esse à molâ, quod ex menstruorum morbosâ restitatione prodit, cùm vel ipsorum Vett. effato membranas, variaque vasa, quæ Natura modo extruxerat, inibi notare liceat; Verum quidem est in ovariis femellarum pariter ac gallinarum, ovula plurima recondi, maturationem ac fœcundationem necessariam expectantia, falsum autem quòd perinde ut istæ temporis tractu, ova excludere possint, subventanea vulgò dicta: neque his accensendum primordium illud est, è quo vitiato vel destructo, mola plerumque succrescit; nimirum ad molæ generationem ovum non maturum modo, sed fœcundatum insuper requiritur, quod primariâ naturæ intentione, in uterum per oviductum devehitur, ut ex ipso fœtus naturalis, ceu ex conceptu legitimo progignitur; hæc ipsa autem naturæ actio, quum à violento quopiam pervertitur, molæ generatio in procinctu est, cujusmodi quid à Matris perversâ imaginatione, vel vehementioribus animi pathematibus frequenter accidit: imò cùm ipsæ partes in ovo, earumque fibræ tenellæ admodum sint, quin ab humorum (quibus aliàs nutriuntur) acrimonia vel vehementiori impetu, rumpi vel erodi, indeque in unam massam, rudem ac indigestam coalescere queant, extra aleam ponendum autumo: Nec temerè cum molâ confundendum ὠὸν ὠμόν Hippocr. quale nupero demum anno, à juvenculâ à duobus circiter mensibus gravidâ, placentulæ adhuc adhærens excretum vidi, illud siquidem abortum efficit, qui fœtus

decenter configurati præmatura est exclusio: Ut autem, quæ modo delibavi, evidentius se omnium animis sistant, sciendum est, maxima esse femellarum, cum fœtibus quos in utero detinent, consensionem, adeò quidem ut hi illis intimè compatiantur, eoque facilius noxam accipiant, quò cum cerebri ipsorum, tum singularum partium fibrillæ teneriores sunt, neque ejusmodi impetus, de quibus modò, pariter sufferre vel iis resistere possint: Absurditatis heic iterum sed temerè, accusatur à Galeni filiis, si infantes matrum intelligere suspiria, audire ejulatus, videre afflictiones, vel vulnera perpeti dixero, cùm tamen inficias ire nequeant, iisdem, quibus illas, animi pathematibus affici, & unionem hanc quàm maximè necessariam esse, pro tenerâ ipsorum vitâ sustentandâ: unde etiam admiranda fuit Naturæ atque hujus Authoris providentia, quâ utrique horum, cùm sanguinis pro aurâ vitali, tum spirituum pro sensu & motu influxum communem esse jussit, ita quidem, ut ex eodem liquore vitali, quem vasa matris placentæ suppeditârunt, & particulæ nutritiæ partibus singulis apponerentur, & spiritus nitro-aëreus, per delicatulos cerebri poros secerneretur. Qui deinceps ex filamentis exiguis in nervos per sui propagines, versus singulas corpusculi partes protensas, pergeret, munia hic illic legitima obituras: Quod si ergo, ex Matris vitiosâ imaginatione, quæ variè utcunque succrescit, nunc ab externis, motum vehementiorem plerumque concitantibus, nunc ab internis, recordatione pertinaci eorum, quæ aliquando vidimus, spiritus impetuosè motitentur, ob recitatam partium teneritudinem generationis negotium facilimè confunditur, ut fœtus monstrosus, vel massâ omninò deformis, postmodum procudantur. Illustre est exemplum, cujus Author scrutinii veritatis, l. 2. cap. 7. meminit, de fœminâ quâdam, quæ cùm assisteret supplicio, quod rotâ in hominem flagitiosum statuebatur, adeò à singulis ictibus facilè constrata fuit, ut filium pepererit à primâ nativitate fatuum, cujus singula ossa distracta erant pariter, ac illius, qui ob flagitia commis-

sa,

ſa, dictam pœnam ſuſtinuit: Monſtrorum quoque aliarumve deformitatum productiones, quæ ex intuitione rei ſimilis vel vehementiori deſiderio non rarò ſcaturiunt, hanc ſpirituum arctiſſimam unionem ſatis probant: Veriſſima tamen ſunt, quæ Nobiliſſ. Pythagoras noſter, eruditè hac de re ad me ſcripſit: *Fermè*, inquit, *molarum cauſæ, reales magis ſunt quàm imaginariæ, & permanentes ac diuturnæ potiùs, quàm ſubitaneæ aut tranſitoriæ;* (addo quæ primis menſibus imò ſeptimanis maximè contingunt, ubi partes nondum penitus evolutæ & ſummè teneræ exiſtunt, cùm ubi ad qualemcunque molem fœtus jam pervenit, fibræ robuſtiores redditæ omni ſpirituum impetui non ſtatim cedant) *Ærumnoſa vita, triſtitia, iracundia quoque & præcipitati animi furores, ſi crebrò, multumq́ iterentur, ad generandas molas plurimùm contribuunt;* Namq́ue hi affectus omnes, cùm violenti ſint, ad deſtructionem tendunt eò libentius, quò ſubtilia corpuſculi ſtamina, inſtar tenellarum arbuſcularum, ab impetuoſiore vento facilè diffringuntur; Ita experientia me docuit, fœminam fœcundam aliàs ac multiparam, binis vicibus, cùm gravidam ſe exiſtimaret, molam ovo anſerino majorem, nunc ſub tertii, nunc quarti menſis initium, fœtus immaturi loco excluſiſſe, nullam ob rationem aliam, quàm quòd utrâq́ue vice, uti quidem confiteri neceſſe habuit, animo volvebat creberrimè, quàm infeliciter aliquot retrò annis peperiſſet, fœtus binos, quorum alter ante tempus proruperat, alter maturus intra ipſa uteri oſtia interierat: Et quid opus eſt verbis? Si animi pathema gravius, potis eſt de fonte quandoque conceptum præcipitare, quidni eundem uteri parietibus adhærentem aliter pervertere poſſit? Sunt autem fœminæ, quæ infortunatos ejuſmodi fœtus vident, non rarò nolentes, ob organorum præcipuè vitium, quæ mollecula & tenera, ab humorum acritudine eroduntur, unde poſtmodum loco membrorum ſejunctorum, probeq́ue configuratorum, deformis quædam maſſa, in immenſum excreſcit, uti quidem cum aliorum Medicorum,

tum propria rursum me id docuit experientia: atque isthoc in casu, in massâ humorali magis, quàm ovario, seu semine matris, culpa quærenda est: Inde propterea argumentum infallibile non depromitur, quascunque, siquidem humoribus intemperatis videantur esse refertæ, molas potius, quàm fœtus legitimos esse progenituras, cùm indubiæ sit veritatis, naturam ad perfectiorem finem omnibus modis collimare, & ob id ipsum embryoni in utero existenti, alimento laudabilissimo, tenero & blando, pro viribus prospicere: unde sæpissimè jam animadverti, in nimiâ istiusmodi κακοχυμίᾳ æquè facilè in matrem noxam redundare ac in fœtum: Difficilius forsitan esset Galenico, clarè & distinctè exponere, quî in tali corporis δυσκρασίᾳ, fœminæ semen fœcundum possint ad legitimam σύμμιξιν conferre: Quicquid sit, elucescere ex dictis reor molæ genuinas causas, quæ Veteribus de generatione aliter planè judicantibus, non potuerunt non esse obscuræ: operæ pretium jam erit inquirere, eccur animalia bruta vitiati hujus fœtus pariter cum mulierculis non sint feracia? id quod Philosophus attigit quidem sed non explicuit: Si causas denuo ruminare libet, difficile erit utcunque, illa penitus hinc vindicare; imaginationis etenim vitia in his perinde observantur atque in illis, & machinalis hæc actio, admirando artificio ad stuporem usque in iis absolvitur: Nolim autem æstimativam quempiam iis tribuere, cujus ope, (uti Peripatetici ogganniunt) ex speciebus sensatis, non sensatas colligant, indeque objecto simplici oblato, de hujus bonitate aut malitiâ compositiones tacitè efforment, ita quidem ut conspectâ re horribili, vicissim exhorrescant, & sicubi femella utero gesserit, fœtum similem dehinc excludat. Egregia certè brutorum actio, & horum Virorum ratiocinio dignissima, quæ propediem rationabilium choro illa inseri efficiet: Dolendum sanè quod homo, qui rationis lumine solus instructus, præ quibuscunque mundi creaturis triumphat, Creatorem suum dignius non veneretur, & quæ, ceu prærogativæ insignis loco, ipsi unicè concessit ad effigiem

figiem ſuam formato, animantibus aliis attribuere contendat, ceu in quibus pariles motus quandoque deprehendit, non cogitans ſupereſſe ſibi nobiliſſimam ejusmodi motuum ducem, quâ deſtituta illa, tales æſtimationis vel compoſitionis aut diviſionis actus impoſſibilè edere poſſint: Falſiſſima eſt hypotheſis imaginari bruta non poſſe, nî hoſce actus viciſſim exerceant: ac ſi res tantæ difficultatis foret, animæ, quam vocant, ſenſitivæ, & mentis operationes ab invicem diſtinguere: ad ipſorum intentionem loquor, non ſanioris Philoſophiæ regulas; propriè enim nonniſi ſpirituum ab exterioribus ad interiora cerebri motus, idemque, ſi ita loqui fas ſit, circularis (quo veſtigia aliquando impreſſa repetuntur, & filamenta interiora, pariter uti tum agitantur) illis competunt, qui actus in homine, ceu animâ rationali prædito, quæ de utroque diverſimodè dijudicat, nunc ſenſus, nunc imaginationis nomine veniunt, atque abhinc ille vel ſentire vel imaginari dicitur: Sufficit autem quòd nudus iſte ſpirituum motus, ſi violentus evadat, ex objecti monſtroſi intuitione, vel graviori impreſſione, aut aliâ quâvis causâ concitante, etiam in brutorum fœtibus eâdem ratione deformitates varias, vel monſtroſitates producere valeat, uti quidem exempla ab authoribus recitata evidentiſſimè evincunt; neque enim generatio animæ rationalis negotium eſt, ceu cujus bene eſſe ab iſtâ dependeat, nunquam certè monſtroſi vel aliis deformes partus ita ederentur, utpote quas anima quovis modo præpediret, licet mulieres, temperando ſibi ab intempeſtivis animi commotionibus, ex ſana rationis imperio, ad partum naturalem multum utique conferre, non eamus inficias, compeſcendo vel ſubtrahendo id, quod ſpirituum enormitatibus primariam aliàs anſam ſubminiſtravit: Ex his autem nondum liquere exiſtimo, molam in uteris femellarum brutarum, vel non vel rarenter productum iri, quin imò cùm monſtra pariant frequenter, molas pariter concipere poſſe, pluribus abſonum non videbitur, utpote ex iiſdem ferè, quibus illa, cauſis reſultantes, ovi tenerrimis fibrillis non relu-

ctantibus: Fateor ejusmodi quicquam ex bruti utero excretum, hactenus me non conspexisse, rogitoque studiosè quoscunque rerum naturalium, veritatis præprimis avidos, ut si quid de his compertum habeant, vel olim experiantur, publico mihique non invideant: id verò dicere ausim, oblatum mihi fuisse nuperâ æstate ovum majusculum, quod cum aliis Gallina incubârat, cujus putamine rejecto, non pulli stamina, sed materia rudis sanguinolenta oculis se objecerunt, manifesto ut auguror, generationis interruptæ indicio, campus heic aperiretur amplus satis, de ovo à Gallinâ incubato disquirendi, modo instituti illud pateretur ratio. Mihi hac vice satis erit, vel ex hinc communicationem spirituum matris incubantis, cum spiritibus pulli in ovo delitescentis, aliquo modo probari posse; licet enim concedam partes singulas pulli cum materiâ nutritiâ inibi jam contineri, id tamen statuere, ἄτοπον planè non videtur, *illius* ope partium accretionem & conformationem legitimam quasi determinari, uti quidem in animantibus quæ intra se generant, manifestius observare est, sed fortè nimis subtilis sum, qui novi incubationem gallinæ pro pullis excludendis necessariam semper non esse: ast excludantur hi ope furni interdum, hæcque quam modò innui communio tantisper exulet, saltem ille nodus primùm erit solvendus, si recitatæ observationi respondere non libeat, quî fiat ut medio incubationis tempore, ubi tempestas tonitruosa ingruit, aut etiam ligna prope locum quem incubans elegit, scinduntur, pulli non rarò intereant? Spero sanè vel isthinc peritiores excitatum iri, ut philosophemata aliorum melius examinent. Potissima quæ pro Aristotelis sententiâ militare potest, causa molarum infrequentiæ in brutis, animi pathemata videntur esse, quæ non violenta modò sed iterata ac persistentia superius accusavi, quorum pervicaciam in mulierculis haud dubiè creberrimæ cogitationes de rebus præteritis seu tristibus seu exosis, aliisvé causantur: in brutis etiamsi spirituum fervidiorem motum, qui in omnibus pari celeritate non evanescit, non negem,

gem, talem tamen concipere difficilimum, cùm objectis irritantibus remotis, ſpiritus ſenſim placari incipiant, motus quoque violenti, ſi quibus tentantur, abortum maturâſſe magis, quàm deformem ejusmodi maſſam produxiſſe, experientia teſtetur: hinc equæ utero geſtantes parcius calcaribus exercentur, ne tenello pullo detrimenti aliquid accedat, qui tamen uti & vaccinus uteri glandulis, plurimarum placentularum ope, optimè connectitur: hæ primis geſtationis ſeptimanis, ceu tot in ovo conſpicui poruli, animum mirè reficiunt: cauſæ iſti alteram adjungo itidem rariorem, humorum videlicet acritudinem, ſeu iſti in brutis oppoſitam benignitatem; vaſorum enim ſtaminumque teneritudo utrobique obtinet, neque ſucco, qui alimenti loco advehitur & ſequeſtratur, ſi naturam erodentem pariter indueret, humanis magis reſiſterent: Sed de his plus ſatis, pro virium mearum modulo, quibus ſi meliora attulerint alii, non modo libenter obtemperabo, verùm gratias agam inſuper quàm maximas; ratum quoniam apud me eſt, nullâ re ad veritatem nos magis erudiri, quàm contrarias opiniones probè expendendo, & genuinum, ſi fieri poteſt, nucleum deinceps eruendo: Ad molarum differentias ut pergam, promiſſi hortatur ratio, quarum ſi plures alii recenſent, ego potiſſimas ſaltem exponam: Molæ aliæ ſunt annuæ, aliæ non: *Illæ* dicuntur tales, quod per annum unum vel plures in uteri cavo commorentur, magis magisque accreſcentes & indureſcentes, non ſine maximo muliercularum incommodo & detrimento, utpote quibus non tam ponderoſitate ſuâ, ceu vitâ & motu legitimo deſtitutæ, quàm ſubtractione pabuli nutritii, moleſtiſſimæ ſunt, utpote quæ pariter, ac ſi fœtus adeſſet, nutriuntur: hæ contra brevius in utero hoſpitantur, & vel primis menſibus, laudabili ipſius naturæ ſtimulo, vel artis ope expelluntur: Illarum exemplum rariſſimum refert cùm Excellentiſſ. Jænifius obſ. 79. Ann. 2. Ephemerid. de Molâ quinquenni, prolapſum uteri mentiente, tum Clariſſ. Schenkius de ſeptendecenni aliique: Ego quoque fœminam novi, quæ quum

quum gravidam primùm se arbitraretur, anno circiter ætatis quadragesimo molam gestare comperta fuit, postquam tempus partûs diu multumque frustra expectâsset. Medicusq; in consilium accersitus, abdomini intumescenti, hydragogis sæpius, sed in cassum, prospicere contendisset: Chirurgus qui malum isthoc funestum, quod per biennium ferè delituerat, in uteri latebris detexit, manuali operâ ægræ assistere utcunque detrectavit, cùm magnitudinem capitis infantis mole exuperaret, utero pertinaciter adhærescens, hydropisque suborientis haud obscura videret indicia: Mortua est inde anno circiter post, verè hydropica, corpusque istud globiforme & scirrhosum valde, post mortem demum, Chirurgi manu exectum fuit, cujus vasa utique erant elegantissima, quibus imprudenter resectis, præsentaneum periculum imminuisset. Porro mola alia est solitaria, alia cum fœtu conjuncta, & quidem ita ut vel isti adhærescat, non citra grave, quod in parte inde instat periculum, vel ab eodem separata sit: cæterum mola talis vel ante conceptum sua potest sumere primordia, ex causis sæpius dictis, vel paulo post hunc, cujusmodi quid in superfœtatione (de quâ inferius) contingere existimamus: Molam tamen fuisse dubito, quam fœtui accretam refert, Franciscus Maurickus, Chirurgus Parisinus peritissimus, & libro de Arte obstetricandi edito celebris: Verba ejus l. 1. cap. 9. sunt seqq. *En l'année 1665. estant chez Monsieur Bourdelot, Docteur en Medicine de la Faculté de Paris, chez qui on fait publiquement tous les Lundis des conferences Academiques; comme on fut tombé sur le discours de la circulation du sangque s'expliques pour lors selon mon sentiment, on y apporta l'enfant d'une femme nouvellement accouchée à terme, auquel manquoit toute la partie superieure de la teste, n'ayant aucun crane, ny cerveau, ny même aucun cuir chevelu: mais il avoit seulement, au lieu de toutes ces parties, une mole ou masse charnüe plate & fort rouge de l'epaisseur & largeur d'un arriére fais, recouverte d'une simple membrane essez fortei cet enfant non obstant cela avoit toutes les*

*autres*

*autres parti & du corps &c.* Cranii certè, cerebri, partiumque caput ſuperius integentium defectus, vitium aliquod formationis ex perversâ forti imaginatione aut impreſſione, quâ mater prius laboravit, oriundum indigitant magis quàm molam, quæ inſtar maſſæ cujusdam latiuſculæ & rotundæ, reliquum caput obtegebat, quin imò hoc ipſum naturæ providentiam arguit, quâ in opere ſuo abſterrita vel impedita, munimento carneo, mentis domicilium obmunire ſategit, vide ſis Celeberr. Wepferi Hiſtoriam de Puellâ ſine Cerebro nata An. 3. Ephemerid. Suppetiiſſent ipſi haud dubiè obſervationes aliæ, cujusmodi legere eſt apud Thom. Bartholin. Cent. III. Epiſtol. quibus veritatem felicius illuſtrare potuiſſet: Pariter omni obſcuritate non caret exemplum quod attulit capite præcedenti, de fœminâ quæ elapſis graviditatis menſibus, gemellos peperit, è quibus filiola juſtam magnitudinem erat adepta filiolo parvulo exiſtente, & ſi hinc augurari licuiſſet, nonniſi quinque menſium, etenim ſuperfœtationem, (quam ex minoritate aliqui optimè concluderent, cùm in gemellorum geſtatione, licet unus alteri ſucci nutritii ſibi plus aſſimilet, tanta tamen diſparitas niſi ob cauſas evidentes rarò appareat) heic non adfuiſſe, ex placentæ unitate evincere annititur, utpote quâ manifeſtum ſit, ex uno coitu conceptum utrumque pullulâſſe: ego verò ſalvâ hujus Viri experientiâ, quam maximi æſtimo, ſignum hoc infallibile eſſe non crediderim, ſiquidem contrarium ſub ipſa ferè labentis hujus anni auſpicia comperi, apud fœminam cui gemellos parienti adſtiti, quorum uterque propriâ gaudebat placentâ, nec etiam ſcio, qui generationi ex ovo, quam quidem negaſſe ipſum, ſed præter rationem novi, aſſertum hoc conforme ſit, ceu in quo placentulæ veſtigia, jam agnoſcimus. *Excellentiſſ. Borrichius Volum. 5. Act. Hafn.* ſuperfœtationum exempla tria refert, in quibus omnibus ea fuit fœtuum diverſitas, ut duo circiter menſes inter primam ſecundamve conceptionem interceſſiſſe viderentur, nullâ placentarum vel pluralitatis vel unitatis factâ mentio-

 ne,

ne, & quidem si de superfœtationis tempore loqui ausim commodissimum illud primi menses esse videntur, non quod Vett. heic adstipuler commento, superfœtationem irritam facientibus, nî prius semen utriusque Parentis probè fuerit commixtum & membranis investitum, quo effluere amplius non possit; Superfœtatio nusquam sanè ita contingeret; sed quia tum fœtus nondum ita accrevit, secundum omnes uteri parietes, ut ovulo denuò delabenti, ob nimiam ipsorum extensionem, idoneus adhærescendi locus adimi posset: quod si tamen quocunque tempore ovum adsit maturum, isque à liquore genitali spiritibus & massæ humorali matris motus semper imprimatur, quem pro conceptu, uti necessariũ ita determinatum hactenus existimavi, conceptionem iterari posse, quis inficiari auderet? neque enim me moratur, quod Hipp. l. περὶ ἐπικυήσιας, inquit, ἐπικυήσωνται δὲ τῶν γυναικῶν, ὧν ἂν ὁ στόμαχος μετὰ τὸ πρῶτον κύημα μὴ ξυμμεμύκῃ, συμμεμύκει δὲ μετὰ τὰ ἐπικυήματα τὸ ἐπιπιπτόμενα ὕστερον; conceptu quoniam facto, licet non negem os uteri claudi atque angustari, ea tamen asserti hujus infallibilis sequela non est: *Ubicunque post congressum maris cum feminâ, uteri orificium non ilicò occluditur, ibi conceptus fieri nequit;* Siquidem clausura hæc non tam pro seminis injecti (uti supponit) quàm fœtus augescentis ad legitimum tempus commodâ retentione à naturâ instituta fuit: sed de his ὡς ἐν παρόδῳ. Ad tertiam molæ differentiam transeo, quam constituunt molæ vivaces ac volatiles, iis de quibus supra, mortuis quasi existentibus: de his aniculæ & mulierculæ plurima uti communis ipsarum genius ferre solet: utrum autem fabellam merè referant, tute judica, qui experientiâ & judicii dexteritate emines, esse istas gravidarum carnifices, ceu quæ liquorem vitalem hiante ore exugant, & ubi semel exclusæ fuerint, in conclavi variè circumcursitare, dum pristinum, quam modo reliquerant, locum nî promptè occidantur reperant, sæpius inaudivi, quandoque cum joco & risu, quo istam sexûs Philosophiam dignissimam videbam, vitam & motum corpori utriusque

utriusque horum fontibus destituto tribuentem : interdum cum admiratione , ubi narrationi fidem exempla fecerunt, præprimis verò cùm in virorum eruditissimorum monumentis, harum non levia vestigia animadverterem : Celeberr. Bartholinus Volum. 1. Act. Hafn. *Familiaris est*, (inquit) *illa mola in Belgio, ubi vulgo Suygers vocatur, quasi sanguisuga, fœtui infesta sugillando, similis illi quam Levinus Lemnius describit l. 1. de occult. Nat. mirac. In urbe nostra non nullæ sunt matronæ, sedulò caventes ne facilè innotescat: Post fœtum in partu prodit, & cubiculi angulos pervolitando, inquietat mulieres, quæ omni studio persequuntur, ut enecatam comburant, credentes nisi comprehensa comburatur, laborare aviculam in eo, ut iterum uteri latebras intret, quas si repetierit, mori puerperam:* hæc ille: quibus plura addidit Excellentiss. Sachs. p. m. Ann. 2. Ephem. notatu longè dignissima; quid mihi super isthâc re contigerit, paucis enarrabo: Anno 1681. Matrona honesta, cùm se à quatuor circiter mensibus gravidam existimaret, d. 24. Octobr. sub vesperam ingentibus torminibus & doloribus ac si fœtum perfectum enixum esset, corripitur, lochiorum fluxu aliquot antè septimanas jam comparente: Vocor sub mediam noctem à Marito de uxore valdè sollicito: Accedenti ægrota corpus deforme monstrat, quod interea per uterum excreverat, talpæ figurâ & longitudine pedes subtus quasi reconditos habens, & parte anteriore proboscidem: inde conspicua erant duo foramina, quæ nares, & duo alia, quæ oculos referre dicebat obstetrix : dorsum ex infinitis constabat papillulis, cujus medium linea cingebat subatra, latiuscula , intus verò præter massam fibrosam sanguinolentam, quidquam aliud animadvertere non licuit: Hanc ex dictis molis seu sanguisugis unum esse, quam nostrates Fraaß vocant, adstantes uno ore profitebantur, quæ ubi diutius delituisset in antro suo, vitam utique & motum adepta esset: his autem ego parum attribui fidei vel assensus, cum papillæ illæ placentæ figuram æmulatæ sint, reliquaque massa fibrosa, quid fœtus tandem corpus isthoc deve-

 nisset

nisset, satis edocuerit: similem ferè historiam video recenseri à Celeb. Wepfero Ann. 3. Ephemer. nostr. Obs. 129. & Clariss. Salmuth, de Matronâ quæ d. 5. April. 1621. massam exclusit carneam, palmam longam & latam viventem, os latum instar tineæ vel cyprini, sed non cavum, & duo puncta nigra oculos referentia habentem: In terram hæc prolapsa non palpitavit modo, sed variè se movit ac piscis instar se convolvit: Quid de hisce judicandum sit, ancipiti feror animo; difficile enim mihi, si probè philosophari velim, molæ seu massæ carneæ indigestæ in quâ nec cerebri vel nervorum, vel cordis ulla amplius reperiuntur vestigia, imò quæ ex sanguinis confusaneo quaquaversum affluxu succrescit, motum genuinum vel pulsum tribuere, quo vivat, circumvolet, imò unum alterumve membrum fœtui quandoque demordeat: aliorum nihilominus fidem irritam non faciam, vel experientiæ quidquam detraham: quin, si optare fas est, vellem istiusmodi spectaculo præsentem esse posse; reâpse enim si quid istorum contingit, spiritus saltem aêrei præsentia requiritur, qui ubi locorum in tali massâ, secernatur commodè vel stabuletur, versusq; partes matricis influat, multæ adhuc meditationi ansam suggeret; videnturque mihi ejusmodi fœtûs, quorum supra ex Bartholin. aliisque memini, monstrosi magis, quàm mola dicendi, utpote in quibus producendis, natura ab opere suo descîscit, ut totius vel aliquarum saltem partium ratione, nec opus heic repetere, quæ de variis animantium formis, quas ex accidenti quandoque producit, alii disseruerunt: Sufficit supra laudatum Bartholinum, monstris illos accensere, mirarique potissimum, quî semina Parentum in eam materiam in utero transmutari possint: Quod si verò molas etiam vocitare velint alii, per me liberum esto, modò non confundantur, quæ ab invicem vel diversissima existunt. Molæ multiplices sicubi in uteri cavernis offenduntur, curiosam mentem identidem reficiunt, cujusmodi septem diversæ magnitudinis, in Virginis Episcopi Cellensis matrice repertas, etiamnum se servare,

vare, Clariss. D. D. Anhornius, Physicus Sangall. meritiss. Decur. II. Ann. I. Ephemerid. meminit: dixerim tamen ejus cum veniâ, veras istas molas non fuisse, siquidem Virgo illa perstitit; impossibile quoniam feminam in cœlibatu viventem concipere vel ova parere heu! quot non, si isthoc obtineret, quotannis excluderent? inde etiam Excellentiss. noster Pythagoras Parerg. 6. quod honoratiss. *Aretæo* inscripsit, tuberum vel globosorum corporum nomine illas convenientissimè exprimit: Huic non dissimilem historiam, quum Genevæ degeret, impertiit Clariss. D. D. *Theod. Zvvingerus* aviti nominis hæres felicissimus, quam heic subnectam, utpote Tibi & Curiosis omnibus placituram.

## OBSERVATIO CLXXXVI.
## D. THEODORI ZWINGERI.
*De*
# Excrescentia carnea uterina.

Rustica quinquagenariæ proxima è pago Engishofen superioris Turgoviæ, cui nomen Catharina Huberin/ phlegmaticæ, ut appellant vulgò, temperiei, ad Venerem segnis, nupserat ante viginti, & si quid excurrere potest, annos marito vegeto, robusto, & cui ad τὸ εὖ εἶναι præter χρύσεον βαλάντιον nihil deesse visum est. Cum hoc non nisi duos integro illo spacio progenuit filios, quorum prior octodecim, posterior novem jam annos natus, uterque τῶν ἀθλητῶν Hippocratis laudatum nomen meriti. A biennio autem lumborum doloribus, levibus quidem, sed ἀδιαλείπτοις divexabatur; cui frequens mingendi desiderium ceu individuus sese junxerat comes. Menstrua intermedio hoc tempore sæpius intempestivo, aliquando immoderato & continuato ad aliquot septimanas fluxu urgebant; interdum etiam nihil prorsus fluebant. Symptomatum horum impatiens fœmina, Veterinarii cujusdam, ut infelicioris mortalium sortis ἄλογόν ἐστι τὸ ἔθος,

consilium & opem exploratura abit, sed tristi, ut fieri plurimum solet, cum eventu, quippe ab eo, ceu calculo renum laboraret, generosa tollens remedia λιθοντείπτικα, in continuam ex eorum usu incidit mingendi necessitudinem: minxit autem haud difficulter & absque dolore molestiore. Appetitus interea ἀλύμαντος perstitit; nec ulla unquam κεφαλαλγία fœminam torsit. Semestre nunc labitur, ex quo artuum lassitudinem primùm sentiebat; à trimestri verò præ lumborum & inguinum doloribus licet non adeo vehementibus sedere difficulter poterat, nullâ licet exterius apparente corporis labe.

Die Junii 12. anni hujus 1681. sentire quid cepit in vaginâ uteri, quod egerendi maximum conatum movit. Novitate rei perculsa fœmina, duas statim arcessivit obstetrices, & licèt certò sciret, se gravidam non esse, voluit nihilominus, ut quid rei hoc sit, studiosè explorarent, insolitarum ejusmodi rerum imperitæ obstetrices fungum coagulati sanguinis esse sphacelatum (vocant ein Brandknollen) arbitratæ, manu illum extrahendum statuunt. Consilio dum anxia de sanitate Ægra annuit, peritior, quæ sibi visa est, obstetrix manus admovet promptas, sed dum grumum se obtenturam sanguinis credit, en carneam molem duas spithamas longitudinem propemodum æquantem pertinaciter protrahit, Ægrâ interim præ acerbissimis, qui sibi in extractione pariebantur, doloribus immaniter vociferante, venas inprimis atque nervos omnes ex utroque iliorum latere sibi rumpi alto clamore ingeminante. Obstetrices perpetuis Ægræ ejulantibus attonitæ, serò nimium animadverterunt, corpus istud præternaturale non ex vaginâ saltem, sed ex utero ipso ulterius descendere. Sollicitæ itaque de rei eventu Veterinarium, à quo antea sinistro cum successu curata fuit, accersi de novo volunt. Ille verò semel atque iterum vocatus accedere renuit, suam hisce in casibus ἀπειρίαν prætendens. Intolerabiles interim dolores Ægram miserrimam eo impulerunt, ut obtestaretur obstetrices, incisione corporis levamen sibi procurare tentarent. Nec rogari diu con-

consuetæ morem gerunt obstetrices, vulnusque digiti longitudinem, ac duorum digitorum transversorum profunditatem facilè exæquans incautæ infligunt. Verùm enimverò, ut sinister utplurimum solet esse eventus eorum, quæ ἀλόγως peraguntur, ita tantum quoque abfuit, ut Ægra inde levaretur, ut potius in pejus omnia ruerent, dolorque per se jam intensus singulis penè momentis magis magisque exacerbaretur, nec, quod pessimum omnium, extaret, qui consilio adjumentum præstare potuisset. Fatis igitur commendata Mitioribus jacuit ad 14. Junii ejusdem, quo Cleophea Schobingera Matrona Sangallensis Nobilissima, & ob plurimos, quos ipsa perpessa est, morbos, in variis Mulierum affectibus percurandis versatissima, ad Miseram invisendam à ruricolis rogabatur, haud longè tum à pago negotiorum causâ existens. Matrona igitur, pro affectu, quo erga miseras & pauperes ejusmodi fœminas auxilio destitutas tenetur, benigno, sine morâ ad Ægram proficiscitur, ubi examinatis probè omnibus casûs circumstantiis, comperit tandem corpus illud ex sinu pudoris propendens sphacelatum jam magna sui parte, intolerabilem ferè expirare fœtorem, ac penitius consideratum nil esse aliud vidit, quàm inversum uterum, carneis excrescentiis pluribus, ut ex figurâ adjectâ patet, involutum, molemque carnis maximam spithamæ unius cum dimidiâ longitudinem exæquare cognovit. Observavit itidem, ipsam quoque uteri substantiam à vulnere læsam ac sphacelo corruptam extare; molesque carneas singulas propriis involutas membranis, ac à se invicem distinctæ, uteri substantiæ tenacissimè adhærere. Omnibus sic probè perpensis, Prognosin statim funestam facit, omnia tamen ad Ægræ salutem se contributuram promittit. Eum in finem Chirurgum, qui maximè vicinus erat, accersi jubet, utpote cùm quo de medendi ratione, siquidem manualem heic operationem necessariam esse omninò prævidebat, consilium iniret. Quo facto, in eo convenerunt, uti absque admotione cultri (in desperato enim casu famæ quoque immeritò sæpe in

dubiis

dubiis eventibus periclitantis habenda ratio) digitis saltem carnea moles ab uteri substantiâ divellantur; eoque peracto uterus in locum reponatur. Manum itaque Matrona admovit operi, molesque singulas satis magno cum labore ab utero sine notabili cum dolore ita avulsit, ut vix duas sanguinis uncias inde perdiderit Ægra.

Maxima, quæ adfuit, moles, duorum transversorum digitorum latitudinem utero undiquaque adnexa, colorem secundinarum finxit, substantiamque obtinuit soliditate lienis bovini gaudentem, ac pondere libram civilem æquantem venis quoque quamplurimis superficiem permeantibus superbientem. Minores verò moles omnes carnis fuerunt firmioris, ac fibrosioris, coloris autem nigricantis, odoris fœtidissimi; & leviculâ sui parte utero per venarum, arteriolarum, aliorumque vasorum reciprocam communicationem adhærentes. Avulsis hisce corporibus Matrona uterum quoque extremis partibus violacei ac nigri coloris, insensilem quippe & jam sphacelatum, in locum suum reponere laborat, ac dum eum sub osse pubis sursum protrudebat, Ægra leviculum persensit dolorem, sed statim iterum evanescentem. Ab 11. Jan. usque ad 14. Ischuriâ laboravit Ægra, bihorio autem post operationem peractam sine difficultate ac impedimento urinas reddidit. Nauseâ interim perpetuò conflictabatur, quæ sanè sphacelo membri laborantium atque inde moribundorum consuetudo tantum non perpetua. Peractis hisce omnibus, in id incumbendum erat, ut sphaceli progressus minueretur, vulnusque uteri sanaretur. Præscriptis itaque ex consilio Medici internis sudoriferis blandis, vulnerariis decoctis, ac injectionibus uterinis convenientibus, & diætâ ad mentem Dn. Mauriceau in tractatu de Affectibus Muliebribus imperatâ Matrona Nobilissima ad negotia pristina revertebatur, Ægramque Chirurgi sollicitæ commendabat curæ, quam & eâ industriâ gessit, ut Ægram adhuc ad sex integros dies superstitem servaret: quibus absolutis, sphacelo ingravescente animam reddidit.

Hactenus

Hactenus *ille*, quibus ego meam qualemcunque adderem ἐπίκεισιν, nî eá perspicuitate singula essent dicta, ut ab omnibus pariter intelligi possint: Agmen dissertationis claudet, historia Juvenculæ, ovula innumera excernentis, cujus copiam suggessit, Excellentiss. Theophilus *Bonetus*, Medicus Genevensis, æternâ laude dignissimus, in literis d. 16. Aug. 1681. ad me exaratis: *Oblatæ*, inquit, *mihi â muliere clinicâ, duæ patinæ stanneæ, mediocris magnitudinis, quas adimplebant ovorũ myriades, omnino illis similium, quæ è majoribus nostris truttis, in exenteratione eruuntur, magnitudinis scilicet grani juniperini maturi, etsi quædam essent minora, qualia in dicto frutice ante maturitatem. Eô verò à prædictis discrimine, quòd sibi invicem non cohærerent, sed sparsim humori lento & albo innatarent, ovi albumen referenti. His confusæ erant pelliculæ, quæ in aquam calentem conjectæ, non dissolvebantur, sicuti concretæ & compactæ pituitæ accidit, sed membranarum fragmenta referebant: Adstabat his frustum carneum, obscurè rubens, ovi gallinacei mediocris magnitudine: Chirurgus familiaris, ut audio, ovorum nonnulla aquæ ferventi immissa, induruisse retulit &c.* Ruminent ista eruditi, & quî vel unde hæc ovorum congeries succreverit, pro ingenii quâ pollent acie melius examinent; mihi enim de his aliisvé hactenus lallâsse satis est. Vale ô Academiæ nostræ decus illustre, scriptisque elegantissimis orbem literatum locupletare perge! Scribsi Basil. d. 19. Decembris, 1683.

[*Joh. Jacob. Harderus.*]

## OBSERVATIO CLXXXVII.
## D. VALENTINI SCHAD.
*De*
# Fœminâ ex scabie in melancholiam desperatam incidente, lochiorum fluxu curata.

UXor Lanionis hujus loci, temperaturæ sanguineo-melancholicæ, ætatis vigesimum octavum annum agens, ma-

mater 4. liberorum pietatis & pudicitiæ fama, nota, carnibus fumo induratis & salsis, unico verbo, crasso victu adsueta, scabie, ex lunari tributo restricto, laborabat meumq; implorabat consilium, monui itaq; ut præ omnibus victum mutaret crassum & concoctu difficilem vitaret, è contra concoctu faciles eligeret; dein decoctum aliquod aperiens sanguinemq; mundificans uterinis permixtum decenter usurparet; Ast maritus hujus magis avarus quam indigenus, medicamenta & mea pro uxore suâ præscripta præter-propter thalerum imperialem constantia tanquam nimis prætiosa emere recusabat. Quid fit? Uxor mariti avaritiam & animum erga se mente revolvens & secum reputans, hoc pro maximâ ignominiâ habens, incidit in mœrorem & tristitiam quam quidem primis diebus dissimulat, sed paucis post fit tota delira; imaginatur illam esse pauperrimam ideoque nec edere nec bibere licere; Cacodæmonem apud illam in cubiculo imo in ventre illius residere & præcipere ut liberos omnes trucidaret, quia eos propter paupertatem educare non posset. Vestimenta dilacerat & si ab amicis non custoditur, per fenestras se vult præcipitare: Maritus hâc in re suam agnoscens culpam, me convocavit sed prædixi statim, quod occasionem optimam (quæ juxta nostrum venerandum Senem Hippocratem præceps est) neglexerit; Etenim nec edere nec bibere (aliâs medicamenta cibis admiscuissem) multo minus medicamenta assumere volebat, metuens omnia sua bona devorare. Nihil ergo præter venæsectionem (quia plethorica & Juvencula erat) & quidem primo in brachio deinde in pede consulere, restabat, cucurbitulasque cum scarificatione partibus inferioribus apponendas consulebam; sed hæc præsidii genera nihil efficiebant amplius quàm quod ægra ex persuasione mea cibum parum ab amicis per dies aliquot caperet, menses verò suppressi manebant; hinc tribus diebus elapsis cibum respuebat & phantasiæ falsæ huic insistebat, ut etiam ad extremam maciem deducta potius Sceleton quam vivum hominem repræsentaret & proximè mori videretur;

retur; sed præter omnium opinionem vires recepit & se subduxit ex suâ domo, in pagos hujus urbis, proximos, ubi radices omnisque generis fructus immaturos devoravit; Maritus eam insequens in pago Hebel, & quidem in horreo invenit iterumque secum duxit: quia verò domi manere nolebat, eam arctius custodire curavit & cubiculo inclusit, tandem etiam custodiæ pertæsus maritus iterum instanter à me consilium petebat, cum itaque omne auxilium in mensium fluxu consisteret, hic autem nullo modo promovendus erat, tum omnia remedia respuebat, spem in lochiorum fluxum posui Maritoque suasor exstiti ut uxorem ad coitum incitaret illamq; ingravidaret; Maritus huic consilio obtemperans, illam placidis verbis eò adegit & imprægnavit; durante gestatione præcipuè cum, fœtum se movere, perciperet, Diabolum in ventre gestare, semper dixit, sed exitus consilio & spei respondit, etenim Anno 1682. Mense Aprilis legitimo partus tempore feliciter filiam peperit, & lochiorum fluxu decenti ab omnibus supra memoratis falsis phantasmatis nunc in annum & quod excurrit, liberata, Dei gratiâ liberè vivit.

## OBSERVATIO CLXXXVIII.
## D. JOHANNIS DOLÆI.
# Vulnus Cor pertransiens non illicò lethale.

DIe 4. Jan. 1684. jussu Serenissimi Principis Hassorum CAROLI, Domini mei Clementissimi aperui cadaver Juvenis 25. annorum, sub mammillâ dextrâ intra costam 4. & 5. ab alio gladio perfossi. Aperto cadavere vidi pectus totum sero & sanguine refertum, pericardium & cor per binos ventriculos perfossum, & tamen Juvenis per 4. aut 5. horas superstes in vita mansit.

OBSERVATIO CLXXXIX.

D. JOH. GEORG. VOLCKAMERI.

De

# Lapide Bezoar ex Simiis Berneæ majoribus.

INter complura ex Indiis ſecum allata, verè rariora, quibus muſeum meum exornare voluit Nobiliſſimus & Excellentiſſimus Dn. D. Grimmius, eniteſcit Bezoar orientalis, ex ſimiis majoribus ſive Bavianis Berneæ exemptus. Ejus color extrinſecus caſtaneâ lucidior, forma inæqualis rotunditatis, nucem ferè juglandem adæquat; pondus drachmas ſex refert: æſtimio cæteros ex capris Bezoarticis longè anteit, ut talis 50. vel 60. Imperialibus vendatur. Uſum ſimilem, quem cæteri tales bezoartici orientales lapides præſtat, in affectibus præcipuè ex acido ortis circa cor, in cholerâ & aliis, qui acidæ ſunt efferveſcentiæ ſoboles. Etenim ſimilis eorundem cum cæteris terræ lapidibus generatio, ex alcali & acido procedit, ſubtiliori tamen hi ſunt terrâ præditi.

Fig. XLV. p-397.

[*Ex literis Grimmianis.*]

*SCHOLIUM.*

JOh. Bapt. Tavernier l. 2. Itin. Ind. cap. 24. Quod lapidem Bezoar ex ſimiis attinet, tantæ hic virtutis eſt, ut duo grana ſuperent ſex grana lapidis ex capris deſumptis. Rarior longè eſt, & in talibus ſaltem reperitur ſimiis, quæ per inſulam Macaſſar vagantur. Rotundæ hic autem figuræ eſt lapis; dum qui ex capris exempti ſub variis ſe prodant formis, prout vel à ramulo, aut gemmâ fruticis cujusdam capra comedit. Sicut verò rariores ſunt lapides iſti ex ſimiis, præ cæteris aliis, tantò etiam ſunt pretioſiores illis, & majore cum ſtudio quæruntur: inventum talem magnitudine juglandis, ultra 100. imperiales licentur.

centur. Lusitani inhiare his oppidò solent, metuentes juxta secum excubitores, venenis ipsis subdolè insidiantes.

Vilioris longè pretii æstimio Philippus Baldæus venire hos lapides bezoarticos refert in sua Malabaricæ & Cormandelii regionis descriptione, cap. 16. Hos enim, si ovum columbinum adæquaverint, sex, aut septem, qui verò ad ovi gallinacei magnitudinem accesserint, duodecim realium pretio æstimari ait. Idem Author cap. 24. ex capite talium simiarum oriri, Bandæ incolas affirmantes adducit. Bontius in Tr. de medicinâ Indorum, cap. 45. Vidi, ait, & lapides Pazahar, natos in ventriculis simiarum, qui teretes sunt, ac longitudinem digiti aliquando excedunt, qui hîc præstantissimi omnium censentur.

## OBSERVATIO CXC.

## D. JOH. GEORG. VOLCKAMERI.

# Periculosus Mercurii usus Antimonio diaphoretico emendatus.

Foemina quædam hujus urbis nostræ, Mercurii dulcis usu granorum XV. purgata, variis agitari cœpit symptomatis: Minùs ritè præparatum eundem fuisse effectus docuit: decem quippe & octo annorum ætatis fuit; in ore ingratum metalli saporem, instar sublimati retulit, vomitum excitavit & tormina ventris, exasperatis inde faucibus. Vespere eandem invisens satis perturbatam inveni ægram, cui Venetas porrexi pilulas, ut murmurantem sopirem ventrem. Nocte benè peractâ ad consueta eandem dimisi rursus munia. Post quatuor revocatus ad illam dies, facie offendo pallidâ, dentibus nonnihil vacillantibus, fœtente oris halitu, toto corpore imbecillem & quasi tremulam. Quid consilii in arena eligerem dubius, cujusdam tandem in me ipso facti non immemor experimenti, exhibeo cubitum ituræ pulveris Antimonii diaphoretici scrupulum unum; sudavit per noctem,

 quievit,

quievit, maneq; benè percurata nullius amplius medicamenti indiga ulteriori illorum usui valedixit.

### *SCHOLIUM.*

QUæ in averruncandis Mercurii assumti non ritè præparati vitiis virtus insit Antimonio diaphoretico ex sequenti patebit historiâ. Anno post Christum natum circiter quadragesimo, inter cæteros in Chymicis labores, ad Mercurium sublimandum me adcinxi. Cœpi proinde illum in aquâ solvere stygia, abstractum dein & siccatum cum colcothare & sale calcinato in lignea paropside benè miscui cum pistillo ligneo. Exhalans inde tetra, me non advertente, mephitis per os & nares cerebrum subintravit, corpusque meum miris per biduum divexavit symptomatibus, nil opis ex Theriaca, Methridatio, aut cæteris cumque alexipharmacis expertus, appetitus omnis ablatus, totius lassitudo corporis subsecuta; nonnunquam artus convelli cœpêre, nullâ tamen subsequente salivatione. Aurum in ore detentum non fuit maculatum, nil sudor proficere voluit. Tandem sub noctem alterius diei ad Antimonium, quod noviter præparatum habui diaphoreticum, confugi, ejusque scrupulum ponderaturus unam, drachmam integram immisi per noctem in aquam Cardui benedicti. Exoriente sequenti die infusionem hancce epotavi, mox ad sudorem compositus ferè diffluxi madore. Lecto egressus in hypocaustum mutato indusio obambulare cœpi: vomitus ex improviso vehemens secutus est vel trinis vicibus: quo vix peracto sexies copiosa supervenit dejectio, citra ullum virium lapsum, quin post exactum horæ vix unius spatium me mirè refectum & ex singulari DEI gratiâ in integrum fuisse restitutum, sensi.

Annum circa septuagesimum quartum aurifabro cuidam sexagenario idem id tulit auxiliũ, qui diebus octo in inaurandis cupreis laminis, quod sub diu factum, fuit occupatus: Tremulas exinde acquisivit manus, cum frequenti capitis nutatione. Virum hunc bonum, ceu meum in mineralium δοκιμασία

magi-

magiſtrum deſererre nolui: præſcriptis proinde pro triduo tribus Antim:diaphor:ſcrupulis in aq.ſcorzoneræ montanæ exhibitis ſubſecuto ſudore ad priſtinum artuum robur, DEO favente reduxi, ut absq́ue ullâ ſuo iterum fungi officio potuerit remorâ. *Divinas Antimonii virtutes deprædicat Baſilius Valentinus, in ſuo Curru triumphali. Alexander à Suchten in tract. de Antimonio.* Videatur ſupra obſervatio 156. fol. 361. ad finem.

## OBSERVATIO CXCI.

## D. JOH. GEORG. VOLCKAMERI.

# Parcus nimiùm potus hepati in primis nocivus.

NObilis quædam fœmina floridi vultus & calidioris conſtitutionis conqueri cœpit de dolore ſub ubere dextro: Diliteſcebat quippe in mediâ ſubtus lineâ, quâ pectori adhæret, exiguum ulcuſculum rotundum, milii ſeminis magnitudine, quod ſerum quoddam ſtillabat, ſinum hinc inde cum dolore arrodens. Huic ſuccurrebam cum oleo ovorum, cui ceruſſa alba fuit admiſta. Inde ceſſàvit dolor, & eroſus ſinus ille optimè reſtitutus apparuit, Dein ſub coſtis dextri lateris, nocturno præcipuè tempore de atroci conqueſta dolore, laborare incepit: lenitâ autem alvo, emplaſtrum de ſpermate ranarum parti impoſitum dolenti fuit, & aquam recens ex radicibus Scrophulariæ & foliis Agrimoniæ deſtillatam, cum ſyr. de polypodio compoſito quotidiè ad tres uncias bibit. Melius ſe habere gaviſa eſt, nec tamen ſubſequente conſtanti valetudine: nocturno ſiquidem tempore ad duas vel tres horas excitata ex ſomno è lecto ſe proripere fuit coacta: dolore circa jecoris regionem incrementa ſubinde cum gravitate quadam ponderosâ ſumente. Tandem eandẽ ob nimiam potûs abſtinentiam, nulla illam ſtimulante ſiti id damni

perpeti

perpeti intellexi; unâ enim aut alterâ potûs uncia fuit contenta, sæpius nil penitus bibens; ad liberaliorem proinde illam coëgi potationem, ut squalido nimis subveniret jecinori. Post tales nonnunquam dolores quandam cum languore totius cordis palpitationem fuit perpessa, deficiente scil. lymphatico latice in pericardium inde nimis parcè refluo. Tandem asthmatica obiit.

*SCHOLIUM.*

IN hâc fœmina fontem humidi primigenii, jecur, ob defectum humidi laborasse, & induratum fuisse nullum est dubium. Ob parciorem siquidem potum, omento præcipuè sat exiguo sitim infrequentem inferente non sufficit humiditas primò hepati oblata (juxta tritum illud, **der erste Trunck gehet zur Leber**) ut idipsum pro necessitate inundare possit. Hinc in scaturigine lymphæ ad jecur delatæ ob imminutam quantitatem culpa latet gravissima; hinc jecur ipsum suâ naturâ siccius exarescit & indurescit; hinc illud ponderosius quasi redditum gravitatem cum dolore junctum certis quibusdam temporum intervallis æstimandum offert; hinc lymphæ ad pericardium fluentis inopia cor afficit, & cum palpitatione tremebundum quasi propter ademptam convenientem humiditatem efficit; hinc cum induratione jecoris hectica & atrophia universi corporis, nisi remediis locus supersit, ominanda. Cor *calidi* fontem in liene arteriis scatente, humidi scaturiginem in jecinore posuisse videtur, quorum alterutro vel leviter affecto universum statim corpus ingentem virium prostrationem sentit: Illo existente languidiore animi dejectionem cum mœrore, calido quippe nativo in corde patiente: hoc verò minus ritè disposito, decolorem faciei formam, appetitum imminutum, habitumque corporis cachecticum, humido nempe primigenio ruinam metuente, subsequi necessum est.

OBSER-

## OBSERVATIO CXCII.

## D. JOH. GEORG. VOLCKAMERI.

# Calvariæ recenter ex patibulo deſumptæ mira deſtillatio.

IN officinâ urbis noſtræ præcipuâ, Stœberliniana recens è patibulo à carnifice emptum fuit cranium, quod nocturno tempore in ampliore fornace calcinari debuit. Mediam circiter noctem inſignis in laboratorio exortus fuit ſtrepitus, januæ hinc inde apertæ & cum vi atque impetu denuò obſeratæ auditæ fuére, ita, ut ſurſum deorſumque omnia fuiſſe mota quis ſuſpicari potuiſſet. Sequenti die nil fuit in laboratorio deprehenſum quicquam immutatum, portæ omnes exactè clauſæ, inque ſuo ordine relicta fuere viſa omnia, citra ullius rei diſpendium.

*SCHOLIUM.*

COnſimile quid contigit in decollatâ infanticida, quæ ſubſequente nocte albo habitu amicta coram lecto cuſtodis carcerum comparuit, & elegantem, quam frequenter captiva etiamnum viva modulata fuit, cantionem repetiit. Ea ipſa nocte mediâ in D. Petri templo, in quo ad extemporaneam ſectionem Anatomicam aliquot vicibus celebrandam mihi commiſſa fuit, vehemens auditus fuit ſtrepitus & rumor, ut ruinas ſedilium & ſcamnorum inde vicini metuerint. Sequenti mane diei illæſa & illibata inventa fuére omnia. Utrum hæ actiones à ſpiritu corporis vitali, qui jam è corpore dimiſſus reditum ſuum quaſi molitur, & nonnunquam ſub ſpectrorum formâ hominibus imponit & conſternat; an verò Satanicis adſcribendæ ſint impoſturis, dubium eſſe videbitur. Cum verò tales ad mortem deſtinatæ perſonæ DEO ſe ſeriò

commendent nec quicquam ipsis commercii sit cum Diabolo, facilè fuerit judicandum, soli spiritui vitali hasce actiones adscribendas esse. Spiritum autem vitalem in corpore intelligo primum in eo motorem, vitæ authorem, Archæum, quin vitam ipsam; qui, quæ ratio ipsi dictat, efficit, illius se movens voluntate & instinctu, naturalibusque vitalibus & animalibus actionibus præest. Hic ex interfecto egrediens corpore deposito cadavere liber jam existens, cum aurâ sese vitali in aëre iterum unit & in illa lætatur, tanquam in propriâ suâ naturâ: quia, dictante Philosopho, omne eò revertitur, unde exivit.

## OBSERVATIO CXCIII.

## D. JOH. GEORG. VOLCKAMERI.

## Periculosa aëris subtractio.

ILlustrissimi Generalis Montecuculi Conjux Noribergæ graviter decumbens, propter vim venti fenestras penetrantis, immiteque in hypocausto satis amplo frigus, redintegrare vires haud potuit pristinas; huic inserviens Hecuba quædam, insano subvenire consilio cogitavit. Omnes enim fenestrarum commissuras glutine nimis obseravit, ut ægrotam in lecto invisenti mihi, cùm ingressus ad eam fuissem, spiritus deficere cœperit: Vetulæ in obstruendis rimis istis nimium solicitæ accurro, summam illius execror dementiam, illicò ad cæteras procurro fenestras, rejectisque chartis illis agglutinatis, iisque apertis liberum aëri introitum reddo, ut spiritus vitalis suo frui pabulo demum potuerit, qui aliàs flammæ instar, denegato hoc vitæ spiritu paulatim evanescere potuisset.

### *SCHOLIUM.*

VItam omnibus notissimam, præ cunctis aliis thesaurum esse pretiosissimum, æstimatissimum, nemo ibit infi-

cias. Ex elementis vel eorum qualitatibus hanc suam ducere originem quis asserere audebit, igne inprimis ipsi è diametro contrario; reliquis etiam in excessu multùm ei adversantibus. Solem ille Lunamque è mundo sustulerit, qui natales spiritus vitalis aliunde, quàm ex astris, calidum quippe nativum ex Sole, humidumque ex Luna primigenium oriundos existimant, vitamque cœlitùs descendere, corporibusque immitti negant:

*Sedibus æthereis Spiritus ille venit.*

Quamvis verò elementa virtutes suas ad conservandam & propagandam vitam contribuant, & eidem inserviant, absque aurâ tamen vitali nimium rursus nocent. Quot enim combustione consumptos, terrâ absorptos, aquâ suffocatos, ademptoque aêre extinctos novimus, ob defectum illius auræ, quæ sola fomes est vitæ, tàm vegetabilium, & animantium, quàm mineralium & metallorum. Vitæ flammæque præest spiritus ille in aëre subinde exultans, quo si orbatus fuerit aër, res intermortua penè est. Separabilis autem ab aëre est illa aura, quam cum aêre, suo quippe vehiculo in respirando attrahimus, attractam sanguini per pulmones transeunti communicamus, aêrem hoc suo incolâ privatum iterum exhalamus: sic flamma ignis in aurâ vitali exultat neglecto comite suo aëre inani. Lucernam servabis ardentem sub amplo detentam & inclusam vitro; in mobili vigebit splendore flamma ista, quoad auræ fruetur beneficio, in vitro contentæ; quâ verò ex aëre absumta paulatim elanguescit & evanescit: Auram hanc nuncupat Setonius, in suo novi luminis epilogo, *occultum vitæ cibum, quem nos rorem de nocte, de die aquam vocamus rarefactam, cujus spiritus invisibilis congelatus melior est, quàm terra universa.*

Hâc Hermetis avicula plurimum delectatur Archæus noster, causâ non saltem vitæ, quin & morborum ap. ægro-

tos. *Tanta* quippe *corporibus omnibus spiritus hujus inest necessitas*, quod ait Hippocrates, *ut si quidem aliis omnibus & cibis & potibus quis abstineat, duos tamen & tres, vel plures dies possit vitam trahere: at si quis spiritui in corpus vias intercipiat, vel exiguâ diei parte homini pereundum est. Adeò necessarius est usus spiritûs in corpore.* Videsis superiùs pag. 97.

FINIS

CORONAT OPUS.



APPEN-

# APPENDIX
*AD*
# ANNUM SECUNDUM
DECURIÆ II.
# EPHEMERIDUM
## MEDICO-PHYSICARUM
NATURÆ CURIOSORUM,
In Germania.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M. DC. LXXXIV.

# MOMO

## Saniorem mentem!

*NUllum tàm celerem, quo non duxiſſet Apelles*
*Lineolam fertur paſſus abire diem.*
*Nulla dies noſtro ſine libro præterit ævo*
*Proſore quæ credit prodere quisque cupit:*
*Quamvis non eadem faveat fortuna ſecundo*
*omnibus eventu, cœptaq; laude probet.*
*Damnet Ariſtarchus cenſurâ pleraq; durâ*
*quamlibet, hoc ipſum det quoque ſæpè probro;*
*Si non bullatis turgeſcat pagina nugis,*
*ſi quid ſit ſcriptum ſimpliciore manu.*
*Non ideo viſum eſt perituræ parcere chartæ,*
*alter quod tumidus reſpuit, alter amat.*
*Naturæ ſanè ſtudio qui noſcere curant,*
*abdita ſollicito deſide tecta ſitu,*
*Cum natura parens ſit ſimplex, Numen ut ipſum,*
*cum ſit & una, ſolent ſimplicitate capi:*
*Non tamen eſt rebus calor & color omnibus idem*
*nec ſtilus hîc: facies hîc ſua cuiq; manet.*
*Sit ſatis in mediam traxiſſe latentia lucem,*
*qui meliora petit det meliora prior.*
*Poſtea deſpiciat, quæ conſpicit. Adſpice ſodes,*
*quisquis es, & ſpeculum læve videre puta.*
*Si fueris facilis, facies ridebit in iſto;*
*horrebis viſo, ſi malus, ore tuo.*

CON-



# CONTENTA APPENDICIS P. P.



NOBI-

# EPISTOLA
## JOH. CHRISTOPH. STURMII,
Math. & Phyſ. P. P.

*Ad*

# JOH. GEORGIUM
## VOLCKAMERUM, M. D.

*De*

## Veritate Propoſitionum in Joh. Alphonſi Borelli Lib. I. de Motu Animalium ſubtiliùs demonſtratarum.

*Oculis ipſis quodammodo ingerenda.*



## NOBILISSIME ET EXCELLENTISSIME VIR, FAUTOR ÆSTUMATISSIME.



Ccepi à Filio Tuo & versionem Hypotheseos Anglicanæ circa Magneticæ Declinationis variationem,& nuperrimas quoque Tuas,in quibus ex Dn. Leydeckeri literis mecum communicabas observationem variatæ ejusdem in australibus etiam Mundi partibus, unâque haut immeritò judicabas, Anglicam illam Dn. Halleji Hypothesin directè saltem ad nostrum institutum parum facere, utpote quæ causam variantis eodem tempore in diversis locis Terræ Declinationis exponere satagit; cùm nobis quæstio sit & præcipua cura de causa variationis ejusdem in eodem loco diversis temporibus observatæ: tametsi sic inter se colligatæ mihi videantur hæc & illa, ut unâ satis accurateque detectâ, nec altera fortassè in obscuro diu latere possit.

*Hautefueillii* tamen è Diario Gallico nobiscum communicata cogitata propiùs attingunt, non tam causam variationis nostræ, quàm ipsam variationem præcisiùs observandam; de quibus equidem imposterũ videbo, ubi rem ipsam experiundi major fuerit commoditas. Causam autem quod attinet,non minus laudabile est quàm ardens Tuum ejus sciendæ desiderium. Verùm enim verò hoc opus & hic labor est, meo judicio, non unius ingenii, nedum obtusioris mei, nec unius, opinor, seculi. Satis est hoc nostrum ævum rem ipsam & variationis hujus phænomena præcipua detexisse; de causa ipsorum genuina posteritas nostra videat, posteaquam nos

ei materiam judicandi sufficientem, h. e. Observationes multò plures ex diversis ac remotissimis etiam Terræ locis collectas, & ritè inter se conferendas, transmiserimus; qui præcipuus equidem invitatoriæ nostræ Epistolæ scopus erat. Frustrà igitur, à me saltem, exspectas admirandæ mutationis causam, qui malo nihil de rebus abstrusioribus quàm sine veri specie dicere. Ne tamen is Tibi videar qui symbolam ad Ephemeridum Vestrarum laudabile institutum ex paupere mea penu conferre detrectem; en Tibi nonnulla, quæ hisce diebus primò meditatus eram, dein opere ipso manuque tentavi circa JOH. ALPHONSI BORELLI NEAP. de Motu animalium aurei verè operis sublimes ac diffusas demonstrationes, in gratiam mediocrium ingeniorum & facilitandas multùm & in angustiam haut ingratam, spero, contrahendas.

Etenim, cùm in prima præcipuaque operis laudatissimi parte hoc unum maximè agat Vir Acutissimus, ut contrà communem opinionem evidentissimè demonstret: Naturam haut exiguas, sed immensas ferè Vires adhibere minutis articulorum artuumque, aut, quæ his appenduntur vel incumbunt, ponderum momentis exæquandis aut superandis, nec id tamen imprudenter, sed sapientissimè; asserti tam parodoxi veritatem indubiam indagine multiplici eruturus & in ipsa Solis luce collocaturus, methodo incedit prorsus Mathematicâ, & principia Mechanica cum Observationibus Anatomicis adeò felici copulâ constringit, ut neque paria his à quoquam unquam facta in hoc genere, neque fieri ab ullo alio ingenio potuisse, jure censeas, nisi quod Borelli similem Anatomiæ cognitionem exploratissimam & Mathematum Scientiam accuratissimam junctim in promptu haberet. Cùm igitur Conclusiones ab ipso demonstratas earumque veritatem perspicere plurimorum intersit; demonstrationes autem adeò sublimes & concatenatam propositionum seriem

nexum-

nexumque uno, ceu par erat, intuitu complecti haut facilè in quenquam cadat, nisi cui non Mathematica demonstrandi methodus tantùm, sed ipsa Mathesis, inprimis Geometria & Mechanica, sit familiarissima: prævideo sanè quamplurimos utilissimis tantorum laborum fructibus carituros, nisi aliâ viâ & magis tritâ & breviore ad illos degustandos manuducantur. Quod equidem dum dico & facere nunc pro mea virili paro, nolim sanè in eam partem id quenquam interpretari, quasi aut prolixitatem in demonstrationibus Borellianis aut difficultatem vel obscuritatem incusare, aut capiendis illis pares ab earum lectione & meditatione retrahere in animo habeam, id quod equidem absit à me quàm longissimè; sed, uti solemus eos, qui neque Solis directum obtutum sustinere valent, nec ejus vultum per Helioscopia contemplari consueverunt, in ejus eclipsibus spectandis ad aquas deducimus, in speculo illo rudiore quasi cominus faciem Solis, obscuratam spectaturos; ita, quibus demonstrationum illarum mathematicarum ubique exoptanda ἀκρίβεια & subtilitas aut afferre tædium, aut veritates ipsas eâ ratione demonstratas ignorandi necessitatem imponere posset, eorum oculis easdem rudiore quodam ac simpliciore modo ut ingereremus, simulque in animis eorum, quibus non tàm facultas quàm voluntas deforet illa profundiora ratiocinia exhauriendi, horum etiam pernoscendorum desiderium accenderemus.

Ejus rei specimen aliquod edere in prima BORELLI Indagine illustranda cùm ferat hac vice animus, sciendum est, Universæ hujus indaginis primæ nervum quasi & nucleum contineri in Prop. XXII. & seqq. usque ad XXX. exclusivè, præcedentibus in harum demonstrandarum gratiam præmissis. Omnem autem octo harum propositionum veritatem oculariter, ope machinulæ cujusdam in eam finem paratæ demonstro, cujus hæc est fabrica: Super

asserculum quendam sesquipedalem erectæ sunt binæ columellæ in *a* & *h* (Fig. I.) mediam complexæ regulam *a*, *c*, *b*, tanquam vectem, cujus pars dextima *c a* geminata crenam habet, quæ rotulam *a* recipiat unà cum ipsa regula intra duas columellas *a e*, transversâ robustiore acu sic suspensam, ut & regula ipsa intra columellas, & rotula intra regulæ crenam, circa eam liberrimè volvatur, & pars anterior regulæ *b* intra binas alteras columellas *h f* facillimè quoque ascendat ac descendat, ad latera solùm evagari prohibita. Porrò verò *e d* & *f g* sunt alia duo brachiorum paria, quæ ternas rotulas sive trochleas eburneas promptissimè circa suas axiculas volubiles gestant, supernè circa *d* & *g* transverso clavo firmiter connexa, infernè verò ad columellarum capita *e* & *f* cochleis ita adstricta, ut junctim unà cum suis trochleis in quemcunque situm, aut erigi aut inclinari, & in eodem situ deinde firmari queant, prout usus in hac aut sequentibus indaginibus postulaverit.

## *Prima Borelli indago simpliciore modo ad oculum demonstrata.*

Primùm igitur Prop. XXII. veritatem ipsis oculis spectandam exhibituri, vectem sive stateram *a b*, (vid. Fig. II.) immisso crenæ posticæ plumbo, ad æquilibrium reduximus; deinde semidiametro rotulæ *a*, ab ejus centro sive axe vicies per longitudinem regulæ *a b* signatâ, ex puncto vigesimo *b* suspendimus pondus parvulum *r* unius drachmæ, in puncto tertio verò *c* alligavimus funiculum eumque super rotula *a* protensum, demisso brachio *e d* circa trochlearum unam *d* demisimus, infernè ex ejus unculo supenso pondere *k* 20. drachmarum oneratum: Quo facto deprehendimus, elevato brachio *e d* unà cum filo non ulteriùs, quàm ut hoc rotulam adhuc in *i* contingeret, appensa duo pondera momenta habere

habere æqualia ſeſeque mutuò continere inæquilibrio; ſublato verò altiùs filo, ut ejus diſtantia perpendicularis à centro rotulæ major eſſet hujus ſemidiametro, h. e. vigeſimâ parte vectis *o b*, præponderabat ſtatim pondus K; ſed contrà depreſſo licet ampliùs filo, manebat nihilominus æquilibrium quia diſtantia lineæ directionis *c i* manebat eadem, utpote ob rotulæ protuberantiam per illam poſticam fili depreſſionem non mutabilis. Erat igitur nunc ad oculum evidens: Sicut erat lineæ directionis obliquè trahentis *c i* diſtantia à centro *o i* ad lineæ directionis rectà trahentis *b r* diſtantiam *o b*, ſic eſſe reciprocè pondus minus *r* ad vires ponderis majoris K; ſcilicet utrobique ut 1. ad 20.

Quandoquidem ergo in caſu Prop. XXI. & XXII. (vid. Fig. 3.) Cubitus A B eſt inſtar vectis, pondus R loco drachmæ, muſculi brachiei & bicipitis tendines *d i c* loco fili, & eorum vis contractiva loco ponderis k, tuberculus A I loco rotulæ *a i*, diſtantia O I ad diſtantiam O B ut 1. ad 20, per obſervationem; evidentiſſimum eſt vi experimenti noſtri; Ut 1 ad 20, ſic eſſe pondus R ad muſculorum D C illud ſuſtinentium vim contractivam, atque adeò hanc ponderis R vigecuplam: &, quia in juvene robuſto pondus R, à cubito A B, dum humerus A E fulcro cuidam innititur, liberè ſuſpenſum, non ſuperat 26. ℔ aut, ſuperaddendo propter ipſius cubiti pondus unà ſuſtentandum adhuc 2, ℔; ad ſummam 28. ℔; robur illorum muſculorum abſolutum æquivalere vicies 28, h. e. 560 ℔.

In Caſu Prop. XXIII. (Fig. 4) quia, flexo humero A E verſus cubitum A B, directa magis evadit tractio tendinis C I, & O I diſtantia paulò major; ideò iidem muſculi mediante eodem vecte plus ponderis, quàm antea, ſuſtinere poſſunt, nempe ut experientia teſtatur 33, & cum duabus cubiti 35 ℔; prout in machina noſtra obſervamus, allevato tantiſper filo, momentum ponderis K ſtatim evadere majus, ut plusquàm *r* ex *b* ſuſpenſum ſuſtentare valeat.

Caſus

Casus Prop. XXIV. est priorum consectarium quoddam, in quo solius bicipitis musculi CD vires æstimantur, utpote qui tenuis manet &, quantum per flexuram EOB (Fig. 5.) laxatur, tantundem iterum per alternam GDO iterum tenditur; dum interim brachieus FI totus laxus ferè nihil agit. Cùm igitur in tali situ sustentatum pondus maximum sit 25 ℔, & distantia OI ferè $\frac{1}{12}$ ex OB; erit, ut 1. ad 12, sic pondus R 25 ℔ ad vires musculi bicipitis 300 ℔ æquivalentes: Ut adeò pro brachieo restent non nisi 260, quia utrique in casu Fig. 3. valuerant 560. Hanc verò rem totam in machina nostra ad oculum ostendimus, rotulæ *a*, cujus semidiameter antea vigesima pars vectis *o b* fuerat, hîc substituendo aliam, cujus semidiameter sit pars duodecima ejusdem *o b*. Sic enim, manente suspenso ponduſculo *r* unius drachmæ, ad obtinendum cum ipso æquilibrium requirebatur pondus K tantùm 12 drachmarum; sive hoc eodem modo, quo in Fig. 2. appensum, sive reflexo brachio *e d* (vid. Fig. 1.) & filo supra rotulam *a* fibula quadam aut ope alius rotulæ *e* detento, ad præsentis casus similitudinem accommodatum fuerit; qualis applicatio ad casum Fig. 4. eadem facilitate fiet, erecto solùm brachio *e d* & adhibitâ rotulâ, cujus semidiameter sit $\frac{1}{12}$ ex *o b*.

Pro Casu Prop. XXV. oculariter demonstrando, mutatâ paulùm machinulâ, ut è Fig. 6. manifestum, depressum vectem *o b*, adeoque partium talium 10, qualium *o i* distantia funiculi à centro, nihil hîc variata, erat 1, ope suspensarum ab utroque extremo lancium & superpondii *m*, reduximus ad æquipondium sive momentorum æqualitatem in illo situ; deinde filo *c i* super rotula *a* porrecto & circa trohleas erecti brachii *e* ac *d* circumvoluto appendimus ponduſculum solitum K 20. drachmarum, altero 1. drachmæ lanci *b* imposito. Hujus verò momentum tantum aberat ut momento ponderis K æquale esset, (uti aliàs in casu Fig. 2. solebat) ut altera insuper drachma esset addenda pro æquilibrio in hoc situ conservando.

do. Remotis deinde ponderibus *k* & *b*, elevatum ampliùs vectem *o b* per auctarium quoddam ſacomatis *m* iterum reduximus ad æquipondium in hoc altiore ſitu (hoc enim in his experimentis ubique ſedulò faciendum, ut vectem obtineamus gravitatis quaſi expertem) & appenſis decenter ponderibus in *k* & *b*, deprehendimus, ad ſervandum eundem vectis ſitum, in *b* requiri quidem plus quàm drachmam 1, ſed minus etiam quàm 2; quemadmodum è contra, depreſſo ampliùs vecte & per imminutionem ſacomatis, *m* æquilibrato, idem pondus *k* drachmas 3 lanci *b* impoſitas in illo ſitu detinuit. Hinc verò per nudam ſubſumtionem evidens erat univerſa veritas Prop. Borellianæ, quòd ſc. quò propior eſt perpendiculo ſitus inflexi cubiti A B, (Fig. 7.) tantò plus ponderis eadem vis muſculorum D C & F C (utpote quoad rem & æquivalenter vecti breviori O K applicata) ſuſpendere queat; quo magis autem hic à perpendiculo remotus & cubitus elevatus fuerit, eò minus perpetuò, ſed plus tamen ubique quàm in ſitu horizonti parallelo Fig, 4.

Prop. XXVI. Caſus (Fig. 8.) nihil novi habet, præterquam quòd eadem vis muſculorum D C, quæ in ſitu horizontali prono Fig. 3. ſuſpenderat pondus 28. ℔. in hoc ſitu horizontali ſupino poſſit ſuſtinere 30. ℔. quia ipſius cubiti pondus æquivalens in B 2. ℔. muſculorum conatum juvat.

Prop. XXVII. Caſus (Fig. 9.) ſimillimus eſt illi Prop. XXII. Fig. 3. hoc uno quippe differens ab illo, quod hîc diſtantia tendinum tibiam flectentium à centro motûs, nempe O I. non ſit pars vigeſima tibiæ, ut ibi cubiti, A B, ſed 13tia tantùm. Quamobrem ad experimentum hîc ritè inſtituendum juxta Fig. 2. rotulæ *a* ſubſtituenda eſt paulò major, cujus ſemidiameter æquetur parti decimæ-tertiæ vectis *o b*; ſic enim pondus *r* unius drachmæ & pondus K 13. drachmarum conſiſtent in æquilibrio, atque adeò demonſtrabunt, in caſu Fig. 9. quo-

que esse ut 1. ad 13. sic pondus R à quatuor musculis tibiam flectentium suspensum (quod experientia docet ad summum esse 68. & cum pondere ipsius tibiæ 10. ℔. pendentis & in B. 5. circiter valentis, 73. ℔.) ad vires dictorum musculorum 949. ℔. æquivalentes.

Prop. XXVIIII. & XXIX. continent casûs similes ei, quem Prop. XXIII. Fig. 4. exposuerat, sed eventu dissimili; siquidem inflexo ibi ad perpendiculum humero A E, cubitus A B in situ horizontali plus ponderis sustinebat, quàm antea in directa extensione Fig. 3. hîc verò contrarium accidit, ut flexo femore ad perpendiculum A E & thorace quoque dorsoque E G erecto, ut in Fig. 10. maximum pondus à tibia A B sustentatum unà cum pondere ipsius tibiæ non excedat 36. ℔. thorace verò dorsoque, rursum inflexo ad situm horizonti ac tibiæ A B parallelum (ut in Fig 11.) 52. ℔. ad summum conficiat; cujus varietatis à Borello gemina hæc assignatur omni jure ratio: quòd *primò* per illas inflexiones femoris solius in casu Fig. 10. & dorsi insuper in Fig. 11. centrum O in infimo tuberculo femoris necessario aliquantum retrahatur, ut distancia O I evadat ibi $\frac{1}{14}$ hîc $\frac{1}{16}$ circiter longitudinis tibiæ O B; *secundò* quòd in casu Fig. 10. omnes quatuor musculi per D C & F C indicati propter flexuram E A B redditi sint laxiores atque adeò se contrahendo tantam vim exercere non possint quantam in casu Fig. 9. sed multò minorem & vix 500. ℔; in casu Fig. 11. verò flexura E A B per alternam dorsi G E A quidem compensetur, excepta tamen mediâ parte musculi bicipitis E C, quæ laxa maneat &, cùm sit pars septima ferè quatuor prædictorum musculorum, etiam parte septima ferè imminuat vires ipsorum superiùs inventas, ut pro 949 jam 813 circiter ℔. æquivaleant &c.

Sic igitur veritas 8. Propp. præcipuarum Capp. VIII. & IX. satis, opinor, manifesta erit, non requisitis antecedaneis per capita priora necessariò præmissis, quòd iis carere demon-

demonſtrationes mathematicæ non poſſent. Quod ſi tamen illarum quoque evidentiam experimentis machinulæ noſtræ illuſtrare quis voluerit, (quibus ſc. difficultatis aliquid & rationis mechanicæ ſubeſt) id quo pacto fieri facillimè queat, figuris tribus ultimis declaramus. Etenim ſi v. g. drachma *r* (Fig. 12.) directè trahat vectem in *b*, funiculus *d b* verò ex eodem puncto *b* (qui eſt Caſus Prop. XIII.) aut funiculus *e c* ex puncto alio *c* (qui caſus ex parte conficit Prop. XVtam) obliquè, mediantibus ſc. ponderibus in lancibus ex *d* & *e* ſuſpenſis & æquale momentum cum ponduſculo *r* obtinentibus adeoque veſtem *a b* in ſitu horizontali detinentibus; deprehendetur utrobique, quoties pondus *d* in caſu primo aut *e* in ſecundo majus eſt ponduſculo *r*, toties reciprocè diſtantiam *o b*, lineæ directionis rectæ *b r* à centro vel hypomachlio *o* (è ſcala quadam geometrica menſuratam) majorem eſſe diſtantiâ lineæ directionis obliquæ *o l* in primo, aut *o i* in ſecundo caſu.

Similiter, ſi duæ potentiæ eundem libræ terminum *b* obliquè trahant ſecundùm directiones *c b* ac *d b* (quod in machinula noſtra ope lancium *d* & *e*, juxta formam in Fig. 13. exhibitam applicatarum & ad æquipondium in ſitu vectis *o b* horizontali oneratarum, commodiſſimè fiet) invenietur iterum ea ponderum *d* ad *e* proportio, quàm habet reciprocè diſtantia *o l* ad diſtantiam *o i*; prout vult Prop. XIV.

Pariterque in libra inflexa *b a e* (Fig. 14.) trahentibus pondere *r* rectà, & pondere *k* ſecundùm lineam directionis obliquam, ac ſe mutuò detinentibus in æquilibrio, quocunque ſitu libræ inflexæ, ſemper pondus *k* tantò majus erit pondere *r*, quantò major eſt reciprocè *o l* diſtantia à linea directionis hujus, quàm *o i* diſtantia à linea directionis illius &c.

Hæc ſunt, VIR Experientiſſime, quæ circa Borelli primam indaginem deproperare hac vice licuit; quæ cùm à

Scopo Veſtrarum Ephemeridum nihil abludant, ſi digna Tibi videantur, quibus aliquis ibi locus concedatur, per me quidem id fieri poterit. Sin aliter Tibi viſum fuerit, abundè mihi hunc qualemcunque laborem ex eo compenſatum judicabo, quòd, cùm multa Tibi debeam, animum ſaltem ac voluntatem iſtis ex parte me exſolvendi non ſine machina demonſtraverim. Vale & rem omnem age ex voto, pergeque favere

Nob. Excellæ Tuæ

Altorfi d. 14. Febr. 1684.

*Perpetim obſervantiſſimo*

Joh. Chriſtoph. Sturmio.

EPI-

# EPISTOLA
## Reverendi Dn. MELCHIOR. LEYDEKERI, Theol. & Medicinæ Doctoris, Ministri Verbi Divini Bataviæ Indorum vigilantissimi, ac Mathematici insignis,
*Ad*
## Excell. Dn. ANDREAM CLEYERUM, Protomedicum & Senatorem Bataviæ Orient. gravissimum,
*De*
## Variatione Magnetis à suo quondam solito puncto.

*Doctissime & Celeberrime Vir, Domine CLEYER.*

ALiquot diebus jam præterlapsis à Te sententiam rogatus de declinatione magnetis, præsertim de variatione ejus in partibus lineâ æquinoctiali australioribus, & quid ea de re observaverim in itinere meo ex Selandia ad Javam usq; libenter observationes meas, prout illas tunc annotavi, tibi communicare volui, quas si comparamus cum aliis observationibus alio tempore factis, facilè constabit, declinationem magnetis non minus in illis, quam in partibus æquinoctiali borealioribus certam esse.

Antequam vero eò pergam, pauca quædam annotanda sunt, quæ hac in re scire oportet.

1. Me in designanda longitudine initium ejus sumsisse ab insula vulgo dicta Teneriste, ejusque monte altissimo, quoniam ille locus initium longitudinis à Belgis statuitur.

2. Me in observanda longitudine usum fuisse duobus horologiis pendulis.

3. Quamvis longitudo hoc modo supputata multò accuratior fuit supputatione nautarum, quæ, ut notum, admodum incerta est, hanc supputationem tamen potuisse esse accuratiorem, sed inhumanitate nautæ, & ejus, qui ipsi secundus erat, hæc horologia nullum convenientem locum habere potuerunt, & de loco in locum ea transferre coactus fui.

4. In observanda declinatione magnetis me usum tantùm fuisse vulgari pyxide, prout in talem usum fabricatur, ut nautæ eâ declinationem magnetis observent.

5. Me annotasse latitudinem & longitudinem eo die, quo observavi declinationem magnetis, licet latitudo & longitudo annotetur ali-

aliquando, prout illa erat tempore meridiano, quum declinatio magnetis annotata sit prout illa erat vel ante vel post meridiem, vel oriente vel occidente Sole, &c.

6. Me posuisse hîc quatuor columnas, quarum 1. diem, 2. latitudinem, 3. longitudinem, & 4. declinationem magnetis indicabit, prout illa vel Orientem vel Occidentem versus vergat.

| *Dies anni.* | *Latitudo.* | | *Longitudo.* | | | *Declinatio magnetis.* | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1675. | grad. | min. | grad. | min. | sec. | gr. | min | |
| April. | Borealis. Latitu. | | | | | | | |
| 12 | 0 | 20 | 358 | | | 1 | 36 | *Orientem versus.* |
| | Lat. grad. | Aust. min. | | | | | | |
| 22 | 4 | 25 | | | | 2 | 3 | |
| 23 | 5 | 55 | 357 | 31 | 15 | 3 | 48 | |
| 24 | 7 | 23 | | | | 4 | | |
| 25 | 8 | 40 | | | | 4 | 15 | |
| 26 | 9 | 52 | 356 | 51 | 30 | 4 | 30 | |
| 27 | 11 | 21 | | | | 4 | 48 | |
| 28 | 13 | 6 | 356 | 33 | 45 | 5 | 15 | |
| 29 | 14 | 13 | 356 | 20 | 30 | 5 | 52 | |
| 30 | 15 | 14 | | | | 6 | 30 | |
| Majus | | | | | | | | |
| 2 | 17 | 8 | 356 | 1 | 45 | 6 | 37 | |
| 8 | 25 | 36 | 352 | 5 | 55 | 11 | 55 | |
| 15 | 34 | 26 | 2 | 50 | | 11 | 15 | |
| 17 | 34 | 14 | 7 | 23 | 15 | 7 | 30 | |
| 21 | 35 | 30 | 15 | 2 | | 4 | 2 | |
| 23 | 36 | 8 | 18 | 47 | 15 | 3 | 28 | Die 22. vidimus Algam marinam, unde conjecimus nos insulas Tristari de Cunha jam prænavigasse. |
| | | | | | | *Declinatio Occidentem versus.* | | |
| 26 | 35 | 15 | 25 | 58 | 15 | 0 | 48 | |
| 27 | 34 | 42 | 27 | 33 | | 2 | 8 | |
| 29 | 34 | 9 | 32 | 52 | 45 | 5 | 28 | |
| 30 | 33 | 46 | 36 | 40 | | 7 | 30 | |

Hoc die hora circiter sexta vespertina appulimus ad promontorium bonæ spei, ibidemque invenimus declinationem 8. gr. 28. min. Occidentem versus. Ponitur jus vulgò hujus promontorii longitudo 38. gr. atque ideo & nos illam longitudinem in tabula sequenti supponemus.

*Dies*

| Dies anni. | Lat. Austr. grad. | min. | Longitudo. grad. | min. | sec. | Declinatio magnetis Occidentem versus. grad. | min. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1675. Junius | | | | | | | |
| 20 | 36 | 35 | 39 | 20 | | | |
| 22 | 38 | 25 | 41 | 14 | | 11 | 30 |
| 25 | | | 50 | 20 | | 16 | |
| 28 | 37 | 28 | 57 | 40 | | 20 | 40 |
| 29 | 37 | 49 | 60 | | | 21 | 45 |
| 30 | 38 | 3 | 62 | 4 | 15 | 23 | |
| Julius | | | | | | | |
| 5 | 37 | 33 | 77 | 25 | 30 | 26 | 30 |
| 6 | 37 | 45 | 80 | 18 | | 26 | 45 |
| 7 | | | 82 | | | 25 | 44 |
| 9 | 38 | 14 | 87 | 25 | 45 | 25 | 30 |
| 10 | | | | | | 22 | 22 |
| 12 | 38 | 3 | 96 | 20 | | 22 | 44 |
| 13 | 37 | 1 | 98 | | | 21 | 30 |
| 15 | 35 | 54 | 103 | | | 18 | 40 |
| 19 | 28 | 46 | 111 | 36 | 30 | 10 | 3 |
| 21 | 26 | 50 | | | | 7 | 54 |
| 22 | 25 | 22 | 116 | 17 | 45 | 7 | 30 |
| 23 | 23 | 30 | | | | 7 | |
| 25 | 20 | 26 | 118 | 43 | | 6 | 40 |
| 29 | 14 | 10 | 122 | 6 | | 4 | 15 |
| 30 | 12 | | 122 | 12 | 15 | 3 | 45 |
| 31 | 11 | 28 | 122 | 30 | | 2 | |
| August. | | | | | | | |
| 1 | 9 | | 123 | 1 | 45 | 2 | 10 |
| 2 | Circa horam 10. vespertinam videbamus insulam Javam, inter duo ima capita, quæ vocantur vulgo het Pruis hooft, en Hoorns hooft. Atque hæc sunt doctissime Domine, quæ tunc temporis de declinatione magnetis in illo vastissimo Oceano observavi, quæque ex aliis observationibus extraxi. | | | | | | |

Hoc die prænavigavimus insulam vulgo dictam S. Paulo.

In observationibus decimo & duodecimo Julio factis forte aliquis error est commissus, cum declinatio magnetis 12. Jul. major sit quam declinatio 10. Julii.

Si jam

Si jam hæc cum aliorum obſervationibus, quæ ante multos annos factæ ſunt comparentur, manifeſtum erit declinationem magnetis non parum variatam eſſe. Cùm enim elapſis aliquot annis, apud promontorium das Agulhas, (non procul â promontorio bonæ ſpei) nulla fuerit declinatio magnetis, jam in his obſervationibus comperietur eam eſſe ultra octo gradus. Et cùm tunc temporis ab eo loco, cujus longitudo eſt circiter 39. gr. declinatio inceperit, jam in his obſervationibus deprehendetur, eam jam â 26. gr. longitudinis incepiſſe. Atque ſic dubitationi illi (nimirum num declinatio magnetis in his partibus auſtralioribus etiam varietur) ſatis factum eſſe confido. Bataviæ 17. Novembr. 1681.

*Tuus*

Melchior Leydecker.

GEOR-

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII

# DISSERTATIO

*De*

## Morte Judæ, Arii, inteſtinis ab ileo ruptis.

INſigniſſimum eſt Medicinæ præconium ſapientiſſimi *Democriti*, omnes homines inquiens artem Medicam noſſe oportere; & ex his maximè eos, qui eruditionis ac eloquentiæ cognitionem habent, *l. de nat. hom. in init.*

Inſolens & faſtuoſum primo intuitu id videri poſſet, occupari debere omnes arte hâc, quaſi una eſſet reliquis præferenda ac potior. Neque nos hâc vice id rigorosè vel urgebimus vel probandum ſumemus. Satis eſt, omnibus id ſalutiferum & neceſſarium eſſe ad vitæ tutamen, & ſanitatis præſidium; eruditis verò ad excolenda ſtudia, quibus vacant.

Refert medicina priſtina illius felicitatis humanæ rudera, ubi divini numinis miranda opera inoperta obverſabantur intellectui, nihilque incognitum omninò erat, ubivis patulis clavibus cognitionis perfectæ. Sola Medicina hos velut theſauros condit & novit arcana, reliquis ſi non impervia, ignota tamen & licet obvia ubivis, neglecta.

In mentem venit inexhauſtus arcanorum fons ex ipſis ſacris literis largo flumine ſcaturiens. Non affectat Medicorum opera, ut lucem accendat tam divinis ſcriptis, ipſa ſatis radiantibus per ſe, non rari nihilominus occurrunt floſculi, ſolis quaſi Medicorum filiis ad debitum ſplendorem explicandi. Inde unguentum & ſuffimentum divinum lege artis pharmaceuticæ conficiendum ab ipſo divino numine præcipitur. Non niſi à Medico memorata in ſacris vulnera definiri poſſunt,

quodque sit illud aliquoties occurrens vulnus sub quintâ costâ, ut quæ pestis sit in occulto grassans & vastans meridie, de quo jam alibi diximus, & alia plura silentii involvamus sipario.

Memoratu digna præ aliis est mors Judæ proditoris, & huic affine Arii, hæresiarchæ, de quâ ex artis nostræ regulis sermonem instituere operæ videtur pretium.

Mortem descripturis Judæ necessum est authenticam historiam, seu relationem cordi habere, de quo *Matthæus c.27. vers. 5.* breviter, καὶ ἀπελθὼν, *inquit*, ἀπήγξατο, *& abiens suspendit se.* Lucas verò *Act. 1. v. 18.* καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. *Et pronus fiens crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus.* Duo distincta referuntur, quid ipse fecerit & quid obtigerit invito: Vis externa quam sibi intulit, & hanc seu comitantia, seu consequentia.

Contraria videntur, nec sibi concordans mortis genus, utrumque ad inferendam illam satis potens & sufficiens. Non dubitandum est, suspendisse se ipsum, & laqueo mortem vel invitatam vel coactam potius. Nil aliud τὸ ἀπήγξατο infert; seu sacra conferamus, seu profana. Ipsissimo illo verbo utuntur LXX. Interpretes ubi Ahitophelis suspendium, quod indubium est ex fontibus Hebræis, reddunt καὶ ἀπήγξατο, καὶ ἀπέθανε, *& suspendit se & mortuus est. 2. Sam. 17. v. 23.* Et strangulationem seu spontaneam, seu extraneam idem notare, ne longius abeamus, apud *Hippocratem* non unus occurrit locus. Τῶν ἀπαγχομένων, *inquit 2. Aph. 43.* μήπω δὲ τεθνηκότων οὐκ ἀναφέρουσιν, οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα. *Ex his qui strangulantur, nondum autem mortui sunt, non ad se redeunt, quibus spuma circa os fuerit;* quod *Galenus* de strangulatis laqueo ad verbum exponit *in commento.* Et idem *Cous*, ubi de κυνάγχῃ, anginæ specie periculosissimâ, agit, ab eâdem radice ἄγχος dictâ, *l. 3. de morb. c. 10. t. 5.* meminit inde suffocari hominem, oculosque apertos esse & prominere, ὡς ἀπαγχομένοισι, velut strangulatis.

Indè verò efficitur, nec ab alio illatum hoc lethum fuiſſe, quòd ἀπελθὼν ſe ſuſpenderit, *abiens* non vi abductus, ſive id de cacodæmone quis ſuſpicari vellet factum, ſeu de aliis. Non hoc patitur longanimitas divina, quæ rariùs paulò ἐπ' αὐτῷ φόρῳ vindictam exigit, quin ad pœnitendum concedat moram; non textûs συνάφεια & clara verba, ut vocis mediam ſignificationem non urgeamus. Nec putandum eſt, illum κυνάγχῃ ſeu ſuffocatione tali anginosâ, præcluſis faucibus interiiſſe, quod repugnet & illud dictis locis. Sed inquiat aliquis, quomodo cætera latius expoſita à Spiritus Sancti altero hiſtorico quadrant ſtrangulationi? Id verò eſt, de quo certent interpretes. Sed ingrediamur hanc viam, & ubi à DEO diſceſſerimus, qui hoc triſte exemplum eſſe voluit, gratiæ ſuæ deſertorum, filo Ariadnéo utamur, medicâ arte, ut ex labyrintho hâc exitum invenire vel ſic forſan liceat.

Ἐλάκησε *crepuit* proditor, quod violentiam notat, & ſonum, q. d. crepuit cum ſonitu, cum fragore, indicio disruptionis. Crepuit μέσος, quod de abdomine ſeu infimo ventre, tanquam medio totius corporis intelligendum eſt. Neceſſum ergò eſt, crepaturam illam ruptionem aliquarum partium ſecutam, ſive illa diſploſio ruptionem teſtata, ab externo lapſu facta fuerit, ſive ab internâ violentiâ. De externo ſanè vix illud affirmari poterit, quaſi à loco ſublimi medius crepuerit, disrupto à caſu vel præcipitio abdomine.

Suſpenſionem vel αὐτοχειρίαν conſimilem aſpirantes non æquè altiora petunt, humillimo ſpiritu præditi, & leviſſimâ contorſione laquei, vel hujus æmuli ſtraminis, ſeu quicquid deſperationi obvium fuerit, ſuffocantur, ut jures id non potuiſſe confringere jugulum. Adeò nempè dejecti ſunt ſpiritus & anxii, concluſi, ut exolvantur facilè, quin, vel noſtrâ iteratâ experientiâ, liberati & impediti ab opere, ſeu ſupervenientis cujusdam ἀπὸ μηχανῆς ſervatoris, qui invitos

vitæ reddat, diſciſſo laqueo, ſeu caſus ita ferat, non inflicto vulnere lethali, non rarò fuerunt tamen ob ſummam illam concentrationem & dejectionem ſpirituum, non eluctari valentium ex abyſſo illâ. Imò ponamus inde vulneratum abdomen, non crepitus extraordinarius conjunctus fuerit. Quin repugnat vocis ἔμφασις, crepitus enim per naturam rei non aliunde fit, quàm ex intrinſeco impetu, citra injuriam externam, aufbörſten nobis dicitur.

Nec fas eſt putare, relictum fuiſſe ſuſpenſum in ferali illâ arbore vel ligno, ut aliquanto tempore poſt à conceptâ putredine ac fermentatione disruptum abdomen crepuerit, ac viſcera effuderit, cum & apud nos & quasvis alias gentes ſuſpenſa ſuis manibus corpora non relinquantur, neque id ferat publicus uſus; nedum apud Judæos, quibus religionis erat ſuſpenſum, accedente veſpere, à Solis occaſu non loco movere, & terræ mandare, quod ex ſacris paſſim liquidum eſt. Sed, inquies, quænam pars crepuit, an continentes abdominis partes, an contenta interius quædam, quæ cum crepitu disrumpi, & disrumpendo diſplodi poſſint?

Abdominis cutis elevata cum ſubjunctis partibus membranoſis, adipoſis, carnoſis per naturam disrumpi ἀθρόως καὶ βιαίως, ut disruptio id importat, nequit, neque ullum talismodi exemplum unquam contigiſſe vel novi, vel arbitror obſervatum. Repugnat ratio, diſtendi enim poteſt, quod & in vivis hydropicis, & poſt mortem tumefactis etiam brevi temporis ſpatio viſitur; arctè ſibi cohærent fibræ adipoſæ, quæ laxant, & tenſionem ſic juvant, membranoſæ quæ firmant, muſculoſæ, quæ veſtiunt. Sicque apertio quædam fit circa umbilicum in hydropicis illa cuticula magis eſt elevata per cuniculos aquæ ſubeuntis in poros ligamenti umbilicalis, vel urachi quoque, ut aliis viſum eſt.

Peri-

Peritonæum, abdomini ſubtenſum, & laxatur & rumpitur non rarò, quod in hernioſis toto experimur die, ſive definitè, circa umbilicum, ad inguina, ad ſcrotum, ſeu reliquo ambitu ſuo id fiat, effuſis in ſpatium reliquum ſuſtinentis cutis inteſtinis. Enimverò nec hujus ruptura hîc locum invenire poteſt, longè minor enim hæc eſt, quàm ut exprimat crepationis vim, licet ſucceſſivè ſatis grandis evadat, ut meminerimus hernioſum præ mole inteſtinorum effuſorum per plures annos extra domum prodire non potuiſſe.

Supereſt, ut dicamus crepuiſſe inteſtina, quod prius, quàm latius demonſtremus, probandum nobis incumbit & crepare poſſe inteſtina, idque in Judâ quoque factum fuiſſe.

Inteſtina flatuum ſunt receptaculum, cumprimis craſſa, & inter hæc κατ' ἐξοχὴν cœcum appellatum, cui ſi incarcerentur, ſeu ob anguſtiam glutinoſæ pituitæ, ſeu ſcybalorum duritiem, ſeu inflammationem, & quæ aliæ cauſæ in medicorum ſcholis recenſentur, tenſio, dolor, & ſi fons ita ferat, crepatio eorundem præſtò eſt.

Inſtar omnium ſunt ileoſi, in quibus hoc non novum eſt vel inauditum. Liceat nobis duo exempla, à nobis obſervata, afferre in medium. Ante annos octo vir 54. annorum dolores experiebatur infimi ventris, eosque inſignes, torminoſos, & quidem in dextrâ hypogaſtrii parte, ubi ſedes cœci inteſtini, cum alvi obſtructione. Adhibita ex arte carminativa, anodyna, discutientia, clyſteres, quæque alia iis in caſibus fieri addecet. Videbatur habere melius, ſed tertio die laxatâ licet alvo, derepentè ibidem exorto fragore mox obſcurari oculi, & tenebræ obverſari, ſudor toto corpore & frigus morticinum ſe exerere, cum immaniſſimo corporis tenſi ſeu abdominis dolore, morte brevi ſubſequente. Denegabatur cadaveris ſectio, nihilominus omnes circumſtantiæ illæ non niſi ruptum inteſtinum arguebant, idque certâ, non probabili ratione.

Ante annum ſimile quid in matronâ primariâ vidimus. Decubuerat iliacâ paſſione, alvo firmiter obſtructâ, nec purgante, nec clyſteribus movendâ, doloribus eodem loco, ut diximus, quem affectum eſſe teſtabamur & ipſa ægra monſtrabat, obviis & fixis. Quarto tandem die lenitâ alvo ablatæ videbantur remoræ, & nova ſpes vitæ ac ſanitatis affulgere, aſt brevi & inſtabili gaudio. Recidivante dolore, obſtructione denuò urgente, periculum intendebatur, neque tamen res deſperata penitus viſa, donec è veſtigio ruptione crepante factâ extremi imminerent labores, frigore ferali ſuccedente & fatali momento vitæ.

Nec ruptio in aliis quoque cavis partibus corporis fragoſa inconſueta eſt omninò. Laudare poſſumus hanc in rem teſtem omni exceptione majorem, Excell. *D. Faſchium*, Collegam noſtrum, qui à partu difficiliori disruptum, eodem cum affectu, iisdem cum ſignis & modo eventûs ad mortem, uterum notavit, pro ſectione factâ αὐτόπτης obſervavit.

Sed quando illud acciderit Judæ, non æquè liquidum eſt; an ante ſuſpendium, an poſt crepuerit, an ſimul quaſi deſperans. De eo textus inquit, quod crepuerit πρηνὴς γενόμενος, *pronus fiens*. Poſſet id de pronitate ſeu poſitu corporis à ſuſpendio contingente intelligi, unde & reddunt quidam vulgo: ſuſpenſus crepuit, vel poſtquam diſciſſo laqueo præceps factus fuerit, ſed uti hoc non videtur probabile; ita nec illud. Suſpendium enim initum corpus ὀρθοστάδιον reddit, neque ſi ponamus inclinâſſe utcunque caput deorſum, hæc circumſtantia quicquam creporis rationem dilucidat.

Pronus poſitus dolentium eſt, tàm corpore, quàm animo, ut facies ad terram converſa una affectet, nec audeat cœlum ſuſpicere. Dum itaque pronum factum innuit crepuiſſe, credibile eſt, non voluiſſe *Lucam* ſuſpendium deſcribere, tanquam jam dum notum, ſed alterum adjunctum,

ctum, non minus horrendum & prævium mortis genus, quod per ſe quoque mox finiret miſeram vitam. Unde non ſolùm animi cruciatibus, angore, terriculamentis perculſus, verùm quoque corporis dolore εἰλεῶδη affectus putandus fuerit, accenſis ſic duplicatis dolorum facibus. Cumque his tortus creperet medius, novo terrore velut exanimatus omni ſpe, atque ſpatio privus, ſolâ memoratione dolorosâ nefandi facinoris, citra fidem in Salvatorem, abjecto animo laqueum, forſan jam collo deſtinatum, arripuit, ſicque expiravit.

Nec tempus interceſſiſſe adeò magnum opus eſt; potuit vel ab oſculo illo nefario eâdem nocte prehendi miſerando tortore, ut ſolatium quæreret apud Pontifices, quo non invento iteratis remorſibus fatigatus, à DEO non implorato derelictus, tremendum adiit diſcrimen, & triſtiſſimum mortis iter.

Ad ea verò progredimur, quæ creporem conſecuta ſunt. Καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. Per τὰ σπλάγχνα non intelligi viſcera omnia infimo vel medio quoque ventre contenta, patet ex corporis naturâ, neque enim ita crepuerit, ut renes, hepar, veſica & alia, nedum cor & pulmones violenter extrorſum protruſa fuerint. Illa itaque intelligenda viſcera effuſa, quæ & promptius & propriè magis effuſionem pati poſſunt, ut verbo dicam, inteſtina. Viſcera hæc ſunt κατ' ἐξοχὴν, omnium longiſſima & capaciſſima, quæ totum abdomen quaſi complent & occupant, quæque prona magis præ reliquis viſuntur. Poſt enim, quàm crepuiſſent, effuſa ſunt, non extra corpus pendula, ſed in ipſam abdominis cavitatem, effuſis illuc fecibus, quique cum his remiſcentur humoribus, imò ſanguine ipſo & conſecutione quâdam omnium reliquorum viſcerum vitalibus ſuccis. Accedit vocis ipſius genuina ſignificatio & ἔμφασις, quæ fuſionem liquidorum vel quaſi talium infert magis, quàm

quàm provolutionem integrorum viſcerum. Et ſanè juſto DEI O. M. mors tam infanda obtigit proditori, cujus prodromis doloribus ad pœnitentiam pellexit, crepante effuſione verò coercuit ſcelus, laqueo improperato vitæ exitu.

Nec abſimile fatum *Arium* manſit; Hic enim introducendus in eccleſiam invitis orthodoxis & mane altero in communionem recipiendus nondum orto Sole, χρείας αὐτὸν ἑλκοσάσης εἰς τόπον, ἐκεῖ κατέπεσεν, καὶ τοῦ ζῆν ἐστερήθη, *cùm neceſſitas illum in locum detraxerat, ibi collapſus eſt & vitâ ſpoliatus*, teſte *Athanaſio Diſp. 1. contra Arian. p. 30. Tom. I.* Seu, ut alibi id effert, ex relatione præſentis Macarii presbyteri, εἰσῆλθεν εἰς θάκας ὡς διὰ χρείαν τῆς γαστρὸς, καὶ ἐξέφνης, κατὰ τὸ γεγραμμένον, πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ πεσὼν εὐθὺς ἀπέψυξεν, *in ſeceſſum abiit, quaſi ad uſum alvi & derepentè, juxta quod ſcriptum eſt pronus factus medius crepuit, humiq; lapſus expiravit. Epiſt. ad Serapion. p. 523.* ῥαγεὶς ſcilicet, effuſis viſceribus disruptus, iisdem evacuatis, ut *alibi* apud *eundem* declaratur. Doloribus ileoſis, cum alvi obſtructione tortus cum opus naturæ tentaret, eandem ſubiens disruptionem vivere deſiit. Neque enim putandum eſt, illum alvo effusâ ſeu procidente defunctum, quod mora longiori eget, neque deſcriptionis verbis quadrat, non minus ac ſuperiori relatione; ῥῆξιν enim pasſus eſt, ut iterum *Athanaſius;* neque hâc procidentiâ dejici in terram illum oportebat.

Hæc ſunt, quæ impræſentiarum de morte Judæ ex medicinæ ſcriniis potiſſimùm depromere volui, ſalvo Theologorum vel aliter ſentientium judicio. Ita verò omnia exactè clarent, neque opus eſt ad miracula referre, citra neceſſitatem, quæ per naturalem ritè fieri & explicari poſſunt modum.

EPISTO-

# EPISTOLA
MICH. BERNHARDI VALENTINI,
Med. Lic.
*De*
NOVA MATRICIS ET MORBONÆ
MULIEBRIS ANATOME
*Aliisq; OBSERVATIONIBUS Curiosis*
Ad
*ILLUSTREM ET MAGNIFICUM*
# DN. D. JOH. DANIEL
## WIDTIUM,
Diversorum Imp. Statuum Cameræq; Imperialis Spirensis Archiatrum & Acad. GERMANORUM Curiosæ Collegam Meritissimum, d. Asclepiadem.

VIRO.

*CURIS. UTCUNQUE. FELICISSIMIS.*

MAGNIFICO.

*DOCTRINA. ERUDITE. CURIOSA.*

EXCELLENTISSIMO.

*PRAXI. DIFFUSISSIMA.*

EXPERIENTISSIMO.

DN. D. WIDTIO.

MAGNATIBUS. CHARO.

ERUDITIS. ÆSTUMATO.

CIVIBUS. ACCEPTO.

*OMNIBUS. DESIDERATISSIMO.*

FAUTORI. SUO. MAGNO.

*SALUTEM. ET. FELICITATEM. PERPETUAM.*

P.

MICH. BERNHARDUS. Velten.
GIESSA-HASSUS.



BIennium jam diffluit, MAGNIFICE DOMINE, quòd cùm ad dulces Nemetum fines Medicinam faciens SPIRAM forte salutarem, Tibi primùm innotescendi ansa mihi data fuit. Queîs tunc honoribus me prosecutus sis, quam lautè me peregrinum exceperis & quam benevolè mecum egeris, hîc fortè dicendi locus esset: Verùm ita comparata sunt Tua in me merita, ut sive calamo concipi facilè nequeant, nec aliud unquam potero quàm tacitâ subinde & gratâ meditatione Benevolentiæ Tuæ admirari magnitudinem. Hâc equidem obstetricante factum, ut Cæsareas inter copias, quæ sub Regimine Illustrissimi & Generosissimi Comitis & Generalis Domini de STAREMBERG fatale multis PHILIPSBURGUM in præsidio tenent, honorifico MEDICI CASTRENSIS munere aliquantisper functus, Praxin Medicam cordatius ordiri measq; inibi vires feliciter experiri valuerim. Postquam enim Generosus admodum & Per-Strenuus Turmarum Palatinarum Dux DN. JUNGHENN eò enitendi calcar mihi & animum addiderat Tuamque Magnificentiam de me meisque studiis certiorem fecerat, Deûm atque hominum fidem! quàm facilis eras & quam pronus petitis nostris assurgendi, donec tandem acciderit, ut omnium votorum sim particeps factus. Ut jam non dicam de Venerabili Tua, quâ me sæpe dignabàre, consuetudine & felicissimis in Praxi consiliis, queîs quidem ab eô quô vitæ bellicæ valedixi tempore ægrè caruisse mihi visus sum, mox tamen novam mihi spem fecit *Celebratissima* GERMANORUM *Societas Curiosa*, postquam Tuam quoque Magnificentiam in partes suas exoravit: Fiet enim ita, ut quas olim coram, posthâc in Eorum *Annalibus* legam observationes & mecum omnes quibus hæc talia sunt in

pretiô : Dictu enim facile non eſt, quot indies acceſſiones fiant Arti Noſtræ Medicæ *Curioſis* his *relationibus* , quæ non omnis modò generis experimenta ferunt, ſed & exquiſitiſſima quævis de optimis ſcriptoribus judicia, quæ *tertiam eruditionis partem* facile abſolvere haud abſurdè credit Nobilis *Itinerarii Germaniæ Politici* Author; ut vel hoc nomine magni facienda ſint tot hactenus inſtituta *Collegia & Societates Curioſæ*, dummodò ſuetum ſemper ſibi tramitem ire pergant. At verò quod citò fit citò ſæpe perit. GALLUS certè ſub primô quo cœperat impetu quaſi *ephemera* correptus *ephemerides* ſuas cantare fermè deſierat, poſtquam in Chriſtianiſſimi ſui Regis Bibliothecam ſe abſconderat, donec tandem recollectis paulatim viribus ad ſueta redierit *Diaria*, quæ ut olim factum, Latio propediem tradet *Interpres Erudito Orbi Notiſſimus*. ITALI tacuere dudum. ANGLI angulos quærunt & latibula ſi quid curioſi amplius invenerint , contenti ſatis ſapientia ſua unicam ſaturare inſulam : Optandum verò unicè , ne de Laudatiſſimis Eorum *Transactionibus* actum eſſe tandem increbeſcat. Cæterùm ſola Germanorum conſtantia eruditam Curioſitatem nondum exuit, ſed indies ſua admiratur incrementa, id quod non tantùm DNN. LIPSIENSES ſuo nuper comprobarunt inſtituto , ſed & alia fortè jamdum ſub cinere gliſcunt in apertam mox eruptura flammam. Erit! enim erit! ut Generoſa HASSORUM indoles evigilet & pari forte intentione conſpiret in uniſonum : Quin vel Noſtra GIESSA huic operi ſat ſuffena foret, cui dudum operam ſuam & ſtudium obtulit curioſæ & profundæ eruditionis Vir D. D. NITZSCHIUS in *Præfat. Edit. 2. Ephemerid. Erud.* Nec πολυμαθέστατον Noſtrum D. CLODIUM alioſque Viros Doctiſſimos ab hâc ſententiâ multùm alienos eſſe aliunde conſtat.

Verum tranſeant hæc, ne fortè iis, quos pio potius ſilentio venerari mallem, ſive vota ſive conſilia dediſſe videar : Neque enim hic ſchedæ meæ ſcopus eſt , ſed ut meam erga Magnif. Tuam Excellentiam pietatem ſpiſſius conteſtari liceat.

Ab

Ab eô enim, quo Patriam meam repetii momento quæsivi sæpe, quemadmodum illam, quam toties mihi probasti Benevolentiam quodam officii genere rependerem donec commodam tandem occasionem mihi suggesserit nupera, quæ heîc administrata fuit, *anatome*. Cùm enim adhuc constet, quàm curiosus semper harum rerum fueris, haud ingratum fore speravi, si jam ea, quæ vel nova vel insolita ibidem annotaveram candidè referrem, measque circa eadem meditationes edecumato M. T. judicio committerem. Ita enim accidit ut puella 18. circiter annos habens perpetratum à se infanticidium capite lueret, corpus verò ejus Jussu & Clementia Serenissimæ Nostræ Principis ELISABETHÆ DOROTHEÆ Hassiæ Landgraviæ &c. &c. Sceptra Principalia Tutorio jam nomine tenentis, Facultati Medicæ in sacrificium cesserit. Subjectum ruri natum erat, ob copiosam tamen, qua diffluebat, pinguedinem mollicellum & quod rarum in Rusticorum familiâ, tantâ teneritate conspicuum, ut plurimis quoque suburbanis, quæ tamen, quo suis tandem placeant Melibæis, nullas non tentare solent artes, palmam facile dubiam reddidisset. Quin & omnia membra tam eleganti proportione colludebant, ut inibi ferè nihil desiderasses, nisi quod partus justo forte difficilior Thoracis & Costarum peripheriam immane quantum distenderit, cujus rei vestigia vel in ipso *Sceleto* adhucdum apparent. In ipsa verò sectione etsi forte plura sive demonstrata sive observata fuerint, notatu tamen & digniora & scitu magis necessaria videbantur ea, quæ sub illarum partium inquisitione occurrebant quæ Mulieribus & sexus & sexcentarum molestiarum authores semper sunt.

Factis enim variis circa famosum nuper, nunc tamen in dubium rursus tractum Recentiorum *ovarium*, *Tubæ Fallopianæ* ductum ejusque *expansionem* ut GRÆFFIO audit, *foliaceam* aliaque experimentis & evaginata jam *vaginæ* structurâ, demonstravi primùm iis, qui tum à latere forte stabant, Philiatris, scitu visuque dignam prorsus *Urethræ* insertionem, quæ

ſub una *carunculararum myrtiformium* extus erumpebat. Hinc ſui forte immemor erat Celeberrimus DN. SYLVIUS cùm ipſum Urethræ exitum ſub *Alis* ſeu *Nymphis* eſſe ſcriberet. Enimvero ſi caſus ſæpe deſperatus catheteris urgeret uſum & adſtans forte Medicus oſculum ductus urinarii ſub alis quæreret; omnium etiam infimæ ſortis Chirurgorum riſui ſe exponeret. Aut E. quandoque bonus dormit Homerus, aut non planè de nihilo eorum opinio, qui multam *Praxeos Sylvianæ* partem Diſcipulorum fœturam eſſe credunt. Hujus jam certior redditus ipſam *uteri vaginam* ſcalpello leviter vulnero & ecce mirando prorſus ſchemate erumpunt *conglomerationes* plurimæ *botriformes*, ex indefinitis ovalis figuræ glandulis conſtantes & ad levem quemvis contactum neſcio quid liquoris ſpumoſi albicantis fundentes. Mirabar primùm inſolitam rei apparentiam eoque magis, quod & ii, qui ex hôc muſtaceô jure quidem meritò) laureolam dudum obtinent, ejus rei vel non vel parcè ſatis meminerint. Diductô hinc paulatim *vaginæ* ductu, ſuperficies interna *racemis* illis *glanduloſis* tota tota obſita erat, altius tamen in utroque latere protuberantibus ſuique veſtigia ad externum usque orificium ſequentibus donec maritentur ſupra modò tactis *carunculis*, quæ forte nihil aliud ſunt, quàm glandularum harum productiones, eôdem cum illis officiô fungentes. Id tamen notari velim, majores longè apparituras eſſe haſce *glandulas*, ſi vagina ſitui ſuo naturali relinquatur; aliâs enim ſi violenter fortè diſtendatur, obliterantur fere & quasdam quaſi rugas formant, quæ fortè cauſa eſt, quòd aliorum obſervationem hactenus ſubterfugerint; Deinde in brutis pariter *canibus* præprimis & *felibus* huncin finem aciem anatomicam expertis, proportione minores inveni quàm in homine; huic tamen incommodo, aqua fervente facilè obviam ire poteris, ad modum WILLISII, PECHLINI, BAYLEI aliorumque, ita enim intumeſcentes oppidò majores apparere ſolent. Erat hæc *glandularum vaginalium* facies & ſtructura, de quâ usque dum altum ſilent Anatomici.

mici. At vero, quid nudus juvat aſpectus ſi non diſcatur & *uſus?* Non ſcindentis ſed mentis acies eſt quæ Medicum nobilitat. Ecquid enim eſt Lanionum more corporum lacerare viſcera, exta perſpicere niſi ea inſimul innoteſcant, quæ ſpiſſis Artis Noſtræ difficultatibus majorem ſubinde lucem fœnerent? Quid eſt, quòd tot vexis hactenus obnoxius fuerit ipſe *Uterus*, potiores tamen ejus uſus & affectus in obſcuro ſemper manſerint, quæ vel obiter inſpectâ textura ejus glandulosâ expediri facile poterant. Equidem primò, neminem, credo, latet, quantũ ſe macerarint omnes ferè Anatomici, in perquirenda *liquoris* illius natura, quem ſexus ſequior non tantum in Statu ſ. naturaliter ſed & præternaturaliter *in fluore Mulierũ albo*, copiosè profundere dicitur, quænam ejus origo, quæ officina & per quæ feratur vaſa? Plurimi, cùm manifeſtis carerent viis, ad occultos & ut loqui amant, *cæcos* confugêre meatus, adeoque ſe turpiter excœcatos fateri malunt, quàm ulteriori perquiſitioni inſiſtere. Alii alia quærunt effugia & *ligamenta* uteri *rotunda* huic muneri alligare ſatagunt. Verùm neque hi forte ſunt, qui rem acu tangunt. Iſtud quidem certum eſt, nobiliori eadem, quam ligamentorum munere fungi, neque ſine causâ negligentiæ heic cujusdam accuſat Anatomicos, ipſe tamen certi quid determinare non audet FRANC. BAYLE *Tr. de conſenſu uteri cum reliq. partibus:* Propius verò veritati acceſſiſſe videtur CASPAR BARTHOLINUS, qui neſcio quam primò *glandulam* in brutis non tantum, ſed & cùm Florentiæ viveret in muliebri cadavere ſimile quid obſervaſſe ſibi viſus, antiquam GALENI ſententiam ex Orco revocare non dubitat, Fœminas haud aliter atque Viros ſuis gaudere *proſtatis*, & illas ad urethræ exitum ſitas eſſe tum *Tr. de Diaphragmate*, tum & *Epiſt. de Ovario Mulierum* ſincerè profitetur. Cæterùm cùm abundè conſtet ipſam urethræ inſertionem non tam ſub alis, quàm potius 4. vaginæ carunculis poſitam eſſe, illa quoque, quæ urethræ munit exitum, ſua q. de causâ, cæteris nonnihil major videatur, jam nemo non videt, quid ſibi velit hæc BARTHO-

LINI

LINI opinio, quæ quidem in tantum à vero non abludit, nisi quòd insufficiens sit partium enumeratio. Non enim una vel altera glandularum tantum humoris imbrem facile plorare poterit, sed totum *glandularum vaginalium* contextum symbolum quoque suum addere inficias ire nemo sustinebit, qui rem penitius consideraverit. Heîc ergo latet fons & scaturigo *liquoris* illius *genitalis*, qui tantùm exercuit Anatomicorum ingenia: Hac enim sive callô sive alia quavis ratione obturata, siccescere penitus solent illæ partes, quas aliâs continuo madore irrigari tam cordatè dictitabat Medicisque largum inde risum movebat *Chirurgus* ille *Giessensis* apud HORSTIUM *in Observ. de Coalitu partium genitalium.* Glandularum nempe munus est secernere, quòd fusè docent WARTHONUS, STENO, GLISSONIUS &c. non nuda saltem & mechanica colaturâ, sed formali insuper alteratione à fermentis cuilibet glandularum speciei specificis. Non enim una liquorum inde scaturentium facies est, sed diversa planè pro diversitate glandularum secernentium. Hircum olent glandularum subaxillarium sudamina, aurium cerumen fellis sapit amaritudinem, sudor salsedinem, urina lixivium, quæ omnia non caloris univocè semper agentis vim, sed altioris puncti transmutatorem vel digitis ostendunt, qui communem sibi ex vasibus arteriosis laticem juxta indolem suam motum & figuram variè alterare, in serum sui generis convertere & per vasa excretiora in destinatas cavitates dispensare novit.

Cæterùm, quamvis materiæ intuitu *liquor* hic ferè participet cum Virorum spermate, neutiquam tamen ejusdem eum excellentiæ esse dici potest. Divinius quid latet in semine masculino, generationis nempe principium & quoddam Archei centrum, quod de *liquore muliebri* pronunciari nequit, cum ne quidem seminis nomen tueatur, sed omnium Medicorum consensu eò tantum destinatus sit, ut sublestum generationis negotium quoddam inde mollimentum & illecebrarum argumentum habeat. Ipsamet enim alma mater Natura

Natura sibi sat suffena est ad fabricandam sufficientem voluptati materiam, ut neutiquam opus sit perditis illis artibus (siquidem artes nominanda sunt vana quævis hominum ludibria) quas quidam Veneris Proscholi protervè profitentur, sicut inter Antiquos OVIDIUS, AUSONIUS & Poëtarum alii, quibus cum Pictoribus quicquid impunè licet, justo sæpe liberius locuti sunt, eò tamen lasciviæ non devenerunt ac effrontes eorum sequaces, quos inter agmen ducit famosus olim ARETINUS Atheus, qui cum suo coætaneo POGGIO author quoque audit maledicti illius & quotquot Solem unquam videre omnium pessimi libri: *De Tribus Impostoribus Mundi*, cujus vel nomen horret mecum quivis verè Christianus. Hic lasciva hujusmodi Veneris mysteria & ut TERENTIUS abusivè loquitur, *artis meretriciæ* præcepta, Italico sermone, (nisi me memoria fallit,) evulgare non erubuit, quæ ipsa verò vel ex solo Authoris nomine, tanquam ex ungue Leonem quivis judicare poterit. Hunc tamen & alius imitatus est, qui paris argumenti librum & ut vocat *Virginum Scholam* Gallico scripsit idiomate, additis insuper desperati ingenii figuris æneis, quæ varia recusæ formâ, maximô hinc inde veneunt pretio: Et sunt ut audio, qui hanc Libitinæ Scholam Germanicè versam Typographorum prælis furtivè offerunt, sed Magistratus in eò erit, ne hæc exterorum toxica Germanos quoque inficiant, ut eorum discant mores

*Quos Venus improba vexat.*

Tandem cùm ne hoc quidem commentario saturata fuerit voluptuosa Cupidinis Academia, Latium quoque lascivire cœpit & obstetricante ALOYSIÆ SIGEÆ nomine novum de *Arcanis Amoris* partum est enixum, qui cum Tr. Medico *De remedio contra libidinem Mulierum* in Belgio nuper prodiit & paulò post quasi re benè gestâ non sua tantum *augmenta*, sed & nuperrimam *Gallorum versionem* vidit: Liber de cœterô ejusdem cum prioribus notæ, stylô tamen purissimô & elegantissima Latinitate turgidus, ut mirer ego Virum adeo cele-

brem, cujus nomini jam parco, mellitiſſimæ Suadæ ſuæ feudum tam malè locaſſe, nec pertimuiſſe illius Domini judicium, cui aliquando omnes de quovis vanè locato verbo rationem reddere tenebuntur. Imo ſunt & alia hujus farinæ monumenta, ſeu, ut verius dicam, mundi apoſtemata, quæ datâ operâ reticeo. Optandum enim, ne priora quidem innotuiſſent unquam & tantùm non totum contagio ſuo tetigiſſent orbem: Quin laudandus omninò eſt quorundam magiſtratuum rigor, qui hujus ſortis impietates vel igni vel Fiſco, JCtorum idolo, ſacras eſſe jubent. At verò ſemper aliquid hæret multumqúe zizanii remanet, quod tandem clanculum ſerpendo creſcit: Nec inde facile jacturam ferunt Bibliopolarum officinæ, qui id quod reliquum erat, non decuplo ſed centuplo diſtrahere norunt idqúe magna cum gratia. Novi enim quosdam, qui ſupra tactam Virginum Scholam tanto redemerant pretio, quo integram ſibi bibliothecam comparant alii ſtudiis ſuis ſufficientiſſimam. Hunc verò utplurimum exinde fructum ferunt, ut magnô quidem nominis & exiſtimationis naufragio *viva* poſtmodum malè ſanæ curioſitatis ferant teſtimonia, tanti pœnitere quis emet? Eò verò nunc redeo unde paululum digreſſus eram. Et cum jam abundè conſtet *glandulas* noſtras *vaginales* œconomiæ genitali & humani generis propagationi inſervire, unius autem rei plures ſint ſubinde fines, nullus dubito quin & aliis eædem uſibus deſtinatæ ſint. Poſtquam enim ob primum Adami lapſum ex juſtiſſima DEI maledictione & hoc pœnæ genus ſexui ſequiori dictatum ſit, ut in dolore ventris ſui parturire debeat, hinc natura de variis ejus lenociniis ſollicita non tantum humores in animo contentos tanquam præcurſores quosdam partui præmittit, ſed & ipſe forte fœtus in tranſitu preſſione ſua ex his quoque *glandulis* lentorem quendam emungere ſolet, quô vias magis lubricas ſuperare queat, ut jam plura taceam. Hæc enim ſunt potiora, quam *racemi vaginales* hactenus promiſere commoda. At verò nec ab omni

amnio

noxa

noxa sunt immunes, sed & suos patiuntur manes. Ita enim est: Juncta spina rosis nec quicquam ea gaudet dulcedine, quæ non insimul quadam temperata sit amaritudine, cùm vel nectarinus sacchari dulcor tantæ potentiæ acorem in sinu suo foveat, qui non primò saltem attactu ditiorum dentes in nigrorem corrodere, sed varias insuper in corporis penetralibus turbas dare soleat. Quin ergò id commune habent cum reliquis C. H. partibus, ut & variis infestentur morbis, imò longè pluribus. Nam si verum est HELMONTII sancitum: *Mulieres omnem bis pati morbum*, id certè utero ejusque partibus asscribendum erit. Cùm enim multa ejus substantia glandulosa sit, quid mirum, si & eis, queis glandulæ ob laxiorem sui structuram obruuntur morbis, obnoxius sæpe fiat? variis nimirum *catarrhis*, *lymphæ effusionibus*, *stagnationibus*, *corruptionibus* &c. ita quidem ut nulla fere sit uteri labes, in qua non aliquid *catarrhosi* subsit. Speciatim verò *racemi* nostri *vaginales* verûs nidus atque focus sunt, in quo *Morbona muliebris* tragœdias suas variè ludit, exceptá saltem menstruorum œconomia, in qua tamen & suas sæpe vices obeunt. Quodsi enim *liquor* inibi generatus quovis modô abundet, neque tamen in cœlibatus statu excerni sufficienter possit, turgescentia sua virgines miserabiles aliasque in tristi orbitatis statu viventes viduas juniores variè vexare & si SENECÆ verbis dicere fas est, *quodam cum dolore delectare solet*. Hinc enim illæ lachrymæ: *Tentigo* scilicet, *furor uterinus*, *clitoridis insania*, *insomnia Venerea* & inde scaturientes *pollutiones nocturnæ* aliaque tanquàm è fonte suo manare solent; imò, si vel copiosior vel justo serosior glandulas hasce nimio suo pondere inundaverit, hæ in æquilibrio suo & statione contineri nesciæ extus erumpere fictumque illum & Eruditis dudum explosum *uteri prolapsum* mentiri solent. Quodsi verò ulteriorem corruptionis notam subeat, suæque fracedinis fermento M. S. crasin perturbet, tandem *Chlorosin* seu *febrem Virginum albam* eniti quoque solet, quâ non omnia modò viscerum fermenta, sed

totus insuper corporis habitus in tantum alteratur, ut cadaverum instar pallescant & incantamenti sæpe schemate fallere soleant: Nec admirationem meretur hæc p. n. corporis alteratio, cùm & in statu s. n. sub primis pubertatis annis insignis plane mutatio fiat, mammæ turgescunt, vires succrescunt totusque corporis habitus floridior redditur; hinc illæ sæpe virgines, quæ magis turgent virtute genitali cæteris sunt elegantiores, dummodo simus qui fuimus Troes.

Præter vero ea *sexcenta* quoque *Hippocratica* variosque sapores morbosos induit liquor hic, ponticum, acerbum, salsum & quî glandulosæ substantiæ infensissimus est, *acidum*, hinc varii partium illarum *pruritus*, *excoriationes*, *spasmi* & ipsa *sæpe passio hysterica* his in glandulis furere, atque reliquas non abdominis modo sed & præcordiorum, imo τȣ ἐγκεφάλȣ quoque partes in consensuales convulsiones rapere solet, non, quod quidam inde *vapores* surgant ut antiquata nunc GALENI dogmata ferunt, qui, prout q. HELMONTIUS ludit, illis quaquaversum penetrandi quendam *salvum conductum* dare novit; Sed id admirabili fit nervorum textura & crispaturâ plexus mesenterici magni, unde ramos suos mutuatur ipse uterus, quod ex elegantibus WILLISII *Tabulis* cuivis innotescere debet. Etsi verò passio Hysterica utplurimùm suas in primis viis sedes habeat ipsique viri similia hinc patiantur tormina, negandum tamen non est, eam in uteri quoque substantia glandulosa sæpissime primas radices agere, idque tùm potissimùm, si frigori extus irruenti id acceptum ferat. Si enim quidquam est, quod glandulis inimicum, id certè *frigus est*, cujus tamen causas hactenus neglexêre Physici, ii præprimis, qui manifestis illud qualitatibus annumerare non dubitant, cùm aliis magnetis actio adeò occulta non sit, quàm vera causa frigoris. Privativum quid esse, credat Judæus Apella: Certè vel rustici nostri hanc ridebunt sententiam, qui nil atque magis, quam realem auræ Hassiacæ carnificinam pertimescere solent. Sublimius quid subodorantur Recentiores Philosophi experi-

experimentales mixturis ſuis frigorificis, non tamen omnes forte difficultates ſuperatæ penitus ſunt.

Quicquid ſit, hoc certum eſt, id quovis modò ab extra ſuſceptum M. S. & lympham ita diſponere, ut coagulum promptius ſubeant & quendam acorem contrahant, qui nervoſis locis adeo eſt infeſtus, ut HELMONTIUS ſuſpiriis ſuis Scholas (fallor tamen ſi non in vanum hactenus) dudum repleverit, *neſciunt*, inquiens, *ah neſciunt! acidum venis hoſtile.* Hinc peſſimè agitur cum ſexu ſequiori, quòd non paulô melius ſe contra externas aëris muniat injurias. Tantum enim abeſt, ut togis ad terram largè demiſſis auræ cuniculos ſubterfugiant, ut potius nihil minus. Quin fortior eſt *aëris* per inferiora *latus elater*, cum ab incumbente deſuper athmoſphæra continuò prematur, ſicut id Illuſtris BOYLE aliique eleganter oſtenderunt & quotidiana in furnis ahemiis experientia ad oculum demonſtrari poteſt. Hinc fortè ſanitati ſuæ magis conſulerent tenerioris texturæ Veneres, ſi noviſſimi uſus ſubligaculis & femoralibus ſubtus ſe munirent, quorum utilitatem non ſat deprædicare poſſunt Matronæ caſtra ſequentes, quas alibi aulica quoque Gynæcéa generosè imitantur. Ultima tandem eaque peſſima *liquoris ſeminalis* corruptio eſt in affectu ſi quis alius nauſeoſo, *fluore mulierum albo*, qui glandulis his mage proprius & revera nihil aliud eſt, quàm quædam *uteri coryza*, ex continuo humoris nutritii abſceſſu & fœtidiſſima in *glandulis vaginalibus* corruptione propullulans. Neq; mirum videri debebat iis, qui veterem Humoriſtarum Adamum exuere ſive nolunt ſive neſciunt, unde tanta excrementorum copia hinc ſcaturire queat? Fur enim eſt Tyrannus ille morboſus, in partibus glanduloſis ſtabulans, qui non vicinas modò, ſed omnes inſimul C. H. partes ſuo defraudans nutrimento in putrida hæc liquamina præcipitat. Oſtendit id habitus corporis, oculi concidunt, malæ labaſcunt cæteraque membra ſolito graciliora fiunt, quod vel mulierculis apparet, quando ſuum exinde dolorem & commiſerationem teſtaturæ

dicunt: Ey mein liebe Frau Gevatterin / wie seht ihr so spitz aus? ihr sehet so schmahl / als wann ihr eben aus dem Grab gekrochen wäret. Hinc quoque est, quod affectui huic tandem jungatur quædam cachexia, quatenus nutrimento suo defraudata viscera fatiscunt, eorumq; fermenta vitalia quandam patiuntur ecclipsin, imprimis stomachus, qui foco carens & igne cibos nec subigere nec volatilisare novit, seu in putridam convertit mucilaginem, quæ nullibi correcta ut inutile venarum pondus quâ data porta ruit. Exasperantur hæc omnia, si liquor hic malignitatem quovis modo contrahat & *aciditatem corrosivam induat, in Lue sc. Venereâ,* ad cujus nomen quoque nauseant & tremunt Germani, quamvis Galli eandem non multum pertimescant, quod constat ex historia, quam Personatus ille WIGANDUS *in eleg. sua de Itineribus Philiatrorum German. Disp. I.* de quodam Regis Galliæ Legato, Viennæ perfecta Lue graviter decumbente, refert, qui, cum Medici morbi nomen diu modestè reticerent, ipse tamen forte perciperet, quem hospitem intus foveat, omnem tristitiam exuens ad quosdam à latere sibi stantes Nobiles dixit: *Messieurs, j'avois bien mal, & je ne sçavois pas quelle maladie c'estoit, en fin i'ay trouvé un honeste homme, qui m'a dit, que ce n'est autre chose que le mal de Naples & j'en suis bien aise, que ce n'est que cela.* Revera tamen morbus est & ægro & Medico sat molestus, cujus primarius nidus atque focus sunt *hæ glandulæ vaginales.* Hinc sibi caveant ii, qui cum Marte adultero stationem suam & conscientiam deserentes in Veneris castris stipendia quærunt, neque fidant scrofis illis fœtidissimis è Putipharis familia oriundis, quæ leprosæ suæ pellis puritatem mentientes, ad autopsiam sæpe provocant; quamvis enim primâ facie omnia salva videantur, latet tamen anguis sub herba & in abscondito furit *acidum* illud *malignum,* tantæ corrosivitatis, ut & carnes & ipsa, substantiæ quasi durioris, ossa penitus erodere valeat, id quod tamen non huic modò, sed & aliis affectibus *podagræ, Epilepsiæ* &c. commune esse *alibi* probatum dedi & ad oculum olim ostendit publica quæ-

quædam Epileptici Anatome, quæ ante ſexennium heic administrata fuit: Hujus enim oſſa pariter & viſcera acidi hujus penetrantiam variè experta erant, imprimis verò ſtomachus, cujus tunicæ ad unam omnes, non procul à ſuperiori orificio, nævis plurimis atro purpureis defœdatæ, in putridum plane & mucoſum liquamen corroſæ erant, adeo ut ad leviſſimum etiam contactum disrumperentur penitus omniaque contenta extus diffluerent, cujus rei teſtes appello, quotquot eidem actui interfuêre: *Veneni* ſumpti ſuſpicio erat, nullum verò in corpore vivo indicium. Non dubitavi hîc primariam caduci ſedem fuiſſe, cerebrum enim in cujus ſectione quærebatur mali cauſa, omnino immune erat & ſano prorſus ſimile. Et hinc forte eſt, quod Antiqui Epilepſiæ cauſam *venenum* dixerint. Notum enim eſt venena ſua in primis viis primùm deponere ſpicula easque variè aggredi, quod eſchara, communis illis, ſat probare videtur. Sic *venenum* peſtilentiale & contagia febrium malignarum ventriculo eſcharam impreſſiſſe hinc inde teſtantur CASUISTÆ: *Cicuta* quoque quam duo illi Gregarii Auſtriaci Philippopoli pro cicutaria ſua Patriâ in acetario comederant, in ſtomacho ſui veſtigia reliquiſſe ex eorum anatome Magn. Excellentiæ Tuæ adhuc conſtabit, cui ſimilem penitus caſum lego apud KIRCHERUM *in Scrutinio Peſtis*. Omnia tandem ea, quæ circa novam hanc *Morborum Muliebrium* ætiologiam hactenus dixi, confirmant & illa quæ pro *cura* eorundem militant, remedia, eò unicè collimantia, quò vel liquoris ſeminalis *redundantiam*, vel corroſivam ejus *aciditatem* corrigant & cohibeant. Præter enim *univerſalia* & *Martialium* ſubinde curam opem ferunt omnia, quæ ex *alcalium* ſunt proſapia, atque ſale urinoſo ſeu fixo ſeu volatili eoque vel manifeſto vel occulto turgida ſunt; Tum & omnia *balſamica catarrhalia*, myrrha, camphora, ſuccinum: Hinc antiquas inter compoſitiones tam maſculè ſeſe gerunt *trochiſci de carabe* in omnibus uteri fluoribus catarrhoſis & gonorrhæis, quamvis & *opium* ſuas inibi

partes

partes quoque agat, divinum planè remedii genus, tantæ præstantiæ, ut Feliciſſimus SYLVIUS dixiſſe feratur, *malle ſe carere Praxi quam opiatis.* Quin & Generoſus HELMONTIUS *felicem æſtumat ægrum, cujus Medicus auxiliator noverit ſeparare lethalia è papavere, retento auxilio.*

Imò verò felicem Medicum, qui juſto tempore numero & menſurâ illud applicare novit! id quod fit obſervando regulam modo laudati Viri: *Opiata non ſomnum inducant, ſed ſaltem receſſum alimentarii liquoris cohibeant*: Ita enim non tantùm in ſeroſis fluoribus, ſed & omnis generis *hæmorrhagiis* mira præſtare, experientia toto die loquitur. Equidem multos ex nimia ſanguinis profuſione jam agonizantes *opio* quaſi incantamento quodam convaluiſſe ipſe memini. Sic cum Philippoli adhuc degerem, Cubicularium Generoſiſſ. Domini Villani, Supremi Stationum Magiſtri, Magnif. Tuæ forte non ignoti, ex immani ejusmodi *narium hæmorrhagia* purpuream jam ſtillantem animam intra ſesquihorium reſtitui & quidem paucis opii granis. Heîc quoque Hortulani Academici, boni noſtri HENRICI conjux *uteri hæmorrhagiis* ſæpe obnoxia, graviter nuper decumbebat. Poſtquam verò adſtringentibus variis, ligaturis, armilliſque coralliatis & ipſo porcorum zibetho in vanum diu fatigata fuerat, maritus tandem noctu me conveniens ſuam mihi calamitatem referebat: Periculum in mora erat, quare miſturam ei dedi ad SYLVII mentem ex ſubcontrariis, oc. cancr. cor. rub. acet. vin. acerrim. c. laud. op. competentibus vehic. dilatatam, & manè res omnis in ſalvo erat. Quin eodem fere remedio in vicina nobis Imperiali Fridbergenſi Puerperam ex *nimio lochiorum fluxu* periculosè ſyncopizantem extemplo revixiſſe, ex ſincera Dn. Medici relatione refero. Et quis ignorat, quid non præſtet in omnis generis doloribus citò tutò & jucundè ſopiendis? Hinc profecto non eſt de nihilo B. Dn. LUDOVICI, quando *in utiliſſima ſua de Pharmacia Diſſ. I. æque multos ob meticuloſam opiatorum & emeticorum intermiſſionem, quàm empiricorum manu occubuiſſe credit.*

Sed

Sed abunde forte de profundis opii opibus, cum quô in effectu conspirat *crocus* non pulmonum saltem sed & uteri anima. In Gonorrhæis incomparabilis est *balsamus de copaiba*, de quo fusè *rerum Indicorum Scriptores*: A COSTA, BENZO, BONTIUS, CLEYERUS, KIRCHERUS, LAETIUS, LINSCHOTTUS, MARCGRAVIUS, MARTINUS MARTINII, NEUHOFIUS, PISO, RECCHI & qui omnium ferè compendium est Virque multorum laborum ERASMUS FRANCISCI. De *castoreo* variisque ejus præparatis res pariter certa est, quamvis illud Castoris testes neutiquam esse Recentiorum *itineraria* testentur. Sic *Luem Veneream* radicitus exstirpat Mercur. lupus acidorum insatiabilis, totam verò curæ historiam mea non capit epistola: Experiuntur indies incomparabilem Magnif. Tuæ felicitatem & in eâ curandi methodum Officiales Cæsarei, cujus oculatus ego testis sum. Porro nec ignota sunt *vegetabilia* varia utero sacra, omnia sale alcalino volatili turgida, quæ non varia modò dant Decocta & Infusa, sed & *Externè* non omnino incongrua sunt, sive jam sub *cataplasmatis* forma immediate abdomini vel externo uteri orificio applicentur, cum *subligaculo* illo *uterino* & plus quàm pudicitiæ cingulo, cujus iconem habet SCULTETUS *in Armamentario Chirurgico*: sive *balnea* varia & *insessus* inde parentur, perinde est. Nescio tamen annon omnibus iis palmam eripiat urinosissimus spirit. salis armon. per ligneum GLAUBERI tubulum subtus adhibitus, in cujus defectu, felici olim successu matronæ difficulter menstruanti commendavi phiolam longioris colli circa asperas extremitates lacca Hispanica linteisque munitam & carbonibus ardentibus impositam: Hocque magis conveniet si vapor ejusmodi spirituosus profundius in uteri concamerationem penetrare debeat: Quodsi tamen certò constiterit vitium in *gland. vaginalibus* hærere suffitus subtus exceptus, forte utilior erit v.g. ex mixtura salis arm. cum cin. clavell. sale tartari vel calc. viv. it. ex liquorib. variis scoriis ferri candentibus infusis, aut etiam lixivio scoriarum Reg. antimon.

quod ob copiosum alcali in uteri affectibus nobile plane est remedium. Tandem & Diætæ œconomia suum addidit calculum, quæ in omnibus *mulierum morbis* nil æque vetare vel vitare debet ac *salsa* nimis & *acida*. Aliâs verò in statu f. n. non tam *qualitas* quam ciborum *quantitas* peccare solet: Nec perpetua est nonnullorum regula: *Qualis cibus*, *talis chylus* &c. Ineffabilis enim est stomachi alteratio, quæ in sanis ex durissimæ notæ cibis, optimum quoque chylum gignere valet. *Potus* easdem subit leges. *Vinum* tamen est *divinum*, imprimis generosum & illud, quod tritissimum ITALIS proverbium in deliciis habet: *Il vino puro &c.* Hâc tamen cautione ut PAULINO non vero MORE PALATINO propinetur.

Hæc erant, VIR MAGNIFICE, quæ Tuam nunc censuram subire desiderant. Plura addidisse neque licuit neque libuit, ne vel epistolæ, vel verecundiæ limites excessisse videar. Quod si jam hæc talia sint, quæ, si non assensum, saltem conspectum abs Tua Magnifica Excell. mereantur, esset equidem de quo mihi gratularer. Sin vero ne hoc quidem, sat me fecisse putabo, si meum quo Magnif. Tuam hactenus veneror animum fusius explicavero, qui magnam vitæ meæ partem eò locare amo, quo Viris viva validaque doctrina conspicuis placere semper & inservire studeam. VALEAT interim Magnifica Tua Excellentia & cum Splendidissima sua Familia felix semper & ex votô

V I V A T!

HISTO-

# HISTORICA RELATIO

## Uteri duplicis in fœmina obſervati, Mr. Dionis, Chirurgi Regii Pariſienſis,

*Ex Gall. in Lat. verſa.*



# HISTORIA ANATOMICA.

Mulier quædam 20. annorum, secundo Conjugii mense gravida facta primò, quia menses, non tamen quantitate solitâ fluebant, dubitavit de impraegnatione: sed cum ubera dolerent, vomitus crebri secuti, appetitus inordinati, & fastidia frequentiora adessent, dubium omne cessavit: inprimis, cum post mensem quartum & dimidium infantis motum sentiret, quinto mense menstrua fluere desiére, & materiæ serosæ quid successit; tunc & corpore crassior apparebat, & crebriùs motum embryi sentiebat, nisi quod ille in solo latere sinistro, & loco cæteris altiore motum ejus senserit. Anno 1681. 5. Junii subitò ingenti ventris dolore per tres aut quatuor horas ita vehementi correpta fuit, ut instantem omnes abortum metuerent. Post duodecimum diem horâ VIII. vespertinâ, tam violentos sensit dolores, ut fœminæ clamoribus ejus accitæ illam præ dolore incurvatam prorsus & inter vomendi conatus invenerint. Lecto decumbens omnia, quæ ore assumserat, rejecit: Chirurgus quidam aulicus illi vicinus remedia omnis generis, quæ videbantur utilia, ei obtulit: sed hisce nil proficientibus supervenêre convulsiones cum tanto extremarum partium frigore, ut calorem iis reddere fuerit impossibile. Hæc Symptomata ad V. usq; matutinam durarunt, ut misella interim singulis debilior momentis reddita non absque insigni difficultate respiraret: tandem ventre palam increscente in sedili consedit, ubi post

quadrantem horæ expiravit. Paulò post obitum illius Chirurgus, qui vivam tractaverat, in corpore mortuo Cæsaream tentavit operationem, ut infantem vel vivum servaret, vel baptismo maturum fœtum non privaret. Rumor rei gestæ per aulam percrebuit: Regina & Domina Delphina mihi in mandatis, ut corpus illud exenterarem, dedére, ad inveniendam mortis tàm subitaneæ causam. Omnibus igitur necessariis statim ritè dispositis, ut eadem horâ, quam Dn. Daquinus, Summus Regis Archiater, & Dn. Fagon, Summus Reginæ Archiater, qui præsentes esse volebant, constituerunt, paratus essem. Dn. Felix, Supremus Regis Chirurgus eo die Parisiis erat; Dn. David verò, Supremus Reginæ Chirurgus eâ de re monitus non comparuit. Domini Archiatri cum venissent, incepi operationem more solito: Cùm incidissem tegumenta, musculos & peritonæum, partes vidi contentas, & primò quidem, quod oculis se nostris obtulit, infans fuit, super intestinis incumbens, annexus etiamnum chordâ suâ umbilicali secundinis suis, natabatque in magnâ sanguinis quantitate, qui totam ventris capacitatem impleverat. Cum infantem exemissem, & partem secundinarum loco, unde exierant, adhuc adhærentem separassem, omniaque in pelvim imposuissem, multos sanguinis grumos sustuli, quorum quidam membranis placentæ adhærebant, quos eidem pelvi imposui. Post omnem sanguinem spongiâ exhaustum, ut singulas partes accuratiùs examinare possem, nihil inveni in Epiploo, Stomacho, Intestinis, Jecore & Renibus singulare: Lien autem in complures separatus erat lobos. Postea cum intestina in superiorem abdominis partem impulissem, vidi corpus figuræ rotundæ, proportione respondens magnitudini infantis, quod cavitas esse matricis videbatur: & iste quidem erat locus infantis, unde egressus fuit, hospitium. Sed pars ea erat redundans, sita in latere sinistro, ab ordinario & vero utero transversorum digitorum duorum spatio distans: & in parte suâ laterali

rali ſiniſtrâ omnia habebat, quæ cavitati matricis ordinariæ adhærere ſolent; nempe vaſa ſpermatica, teſticulum unum, cornu ſive tubam unam ligamentum latum & rotundum. Cum verò partes easdem in parte dextrâ corporis hujus non invenirem, ulterius in eas inquiſivi. Adhærebant illæ corpori paulò, quàm præcedens, minori, in medio ſito hypogaſtrio, verſus dextram regionem, figurâ ſimili cavitati uteri, niſi quod craſſior erat, & longior, quàm in ſtatu ſuo naturali eſſe ſolet. Et hæc quidem verè erat cavitas uteri, quem Dominis Archiatris oſtendi. Atque illi quidem non minùs quàm ego mirati ſunt, duas omninò ſimiles cavitatis uteri partes reperiri, cùm hac ſolâ differentiâ, quod ſiniſterior ſimilis eſſet cavitati extenſæ, quæ infantem continuit; altera autem cavitas in ſua convenientе magnitudine conſtituta; atque ita duo iſta corpora continua erant collo matricis.

Cupidus autem cognoſcendi, quænam ex duobus naturalis aut abundans eſſet; veſicam detexi, & inciſionem ſecundum longitudinem inſtitui, & quidem verſus partem ſuperiorem & internam vaginæ, per quam orificium internum uteri patuit, quod clauſum quidem fuit, ſed non tàm arctè, quàm in gravidis aliàs eſſe ſolet. Continuavi deinde inciſionem verſùs cavitatem uteri, cujus totam longitudinem reſecto orificio interno aperui. Erat in hac cavitate mola magnitudine ovi minoris, cujus membranæ parùm ſolidæ facilè rumpebantur; omnes autem glandulis globoſis refertæ erant, diverſæ tamen magnitudinis, quarum maxima piſum parvum non ſuperabat. Orificium internum uteri impeditum & quaſi obſtructum erat, materiâ mucilaginosâ, admodum ſiccâ & ſubflava. Cum molam illam quæ totam uteri capacitatem impleverat, ſuſtuliſſem, facilè foramen cornu dextri videri potuit, quod ibidem patebat.

Reſta-

Reſtabat, ut exploraremus, an duo iſta corpora invicem communicarent. Quod ut indagaremus, incidi primùm corpus, in quo jacuerat infans; inde à parte ejus ſuperiore, usque ad locum, in quo annexum erat collo matricis: non reperimus ullum meatum conſiderabilem, nec exitum quidem in orificium internum, neque in vaginam. Id nobis clarè demonſtravit, quod ex 2. cavitatibus dextra, in qua mola fuit, naturalis eſſet; ſiniſtra autem in qua infans, non naturalis & abundans.

Cum autem impoſſibile eſſet, in tantâ temporis brevitate, quæ exenterationi cadaveris communiter ſolet impendi, accuratè omnia ea examinare, quæ ſingularia inibi reperiuntur, ea ſolemus exempta ex corpore & ablata ſeorſim diſſecare cum otio, & partes etiam minutiſſimas inveſtigare. Conſultum itaque duximus idem hic agere, & exemi duo iſta corpora collo matricis annexa, cum veſicâ, teſticulis, cornibus, parte vaſorum ſpermaticorum & ligamentis, quæ omnia mantili involuta in ædes meas deportari juſſi.

Continuavi deinde diſſectionem pectoris, & ſublato ſterno inveni pulmones coſtis adhærentes; aperui etiam cordis ventriculos; in dextro non naturale erat corpus, quod ſæpè invenitur, & polypus cordis dicitur, qui totam occupabat auriculam, & 5. vel 6. unciarum longitudine in venam cavam intrabat. Similem invenimus in ventriculo ſiniſtro, ſed mediâ parte minorem. Cùm verò Dominis Archiatris non fuerat viſum diſſecare caput; partes omnes in priſtinum repoſui locum, & pellem more conſueto iterum conſui.

Veſpere in ædibus meis operam impendi accuratiorem, pro uteri diſſectione, ita tamen, ne nimium eundem diſcinderem; volui enim illum, quam poſſem, integrum ſervare ut depingi poſſet.

Die

Die ſequenti Regina mandabat, ut uterum ad eam portarem; erat autem tunc apud Delphinam. Tàm curioſa autem ipſa fuit regina, ut ſatis diu conſideraret iſtum uterum.

Domini Daquin & Fagon ſuas de eo ſententias Reginæ, Duciſſæ Aurelianenſi & aliis nonnullis fœminis illuſtribus aperuerunt. Poſt meridiem Reginæ nomine mihi mandatum fuit, ut uterum iſtum denuò ipſi adferrem; & tunc quidem in cubiculo ſuo erat, cum unâ ſolâ fœmina. Regina itidem non, ut cæteræ mulieres à demonſtrationibus Anatomicis abhorret: Tanto ſiquidem Illa me honore dignata fuit, ut ſæpiùs Illi diverſas animantium partes diſſectas exhibuerim. Et hæc eſt hiſtoria fidelis eorum, quæ acciderunt circa mortem fœminæ illius, & circa exenterationem corporis, quam inſtitui.

Antequam de tabulis agam, quinque vel ſex obſervationes eſſentiales & oppidò neceſſarias ſubjungendas duxi.

1. Fœminam illam circa 4. imprægnationis menſem ſenſiſſe ægritudinem, quæ ad mortem usque duravit, quæque augebatur indies; in latere dextro cubare non poterat, ſed quàm primùm ita decumberet, dolores ſentiebat intolerabiles, ita ut in lipothymiam quandoque incurreret.

2. Dolores violentos, quibus vexata fuit, ab VIII. veſpertinâ usque ad V. matutinam diei ſequentis, quâ expiravit, non fuiſſe continuos, ut ſolent eſſe, qui à materia in inteſtinis hærente proveniunt, ſed interrupti erant & per intervalla, ut ſolent eſſe uterini. Dolores illi in renibus oriebantur, & ad inferiora tendebant, ut fieri ſolet in fœminis ex partu laborantibus, cum hac tamen differentiâ, quod nihil ex matrice profluebat.

3. Notanda eſt grumorum ſanguinis, qui in cavitate ventris fuére, natura: erant autem valde ſolidi, colore atro, nec tàm facilè frangebantur, quàm illi, qui ex ſanguine nuper ex-

travaſato concreverunt; ſed talem habebant ſoliditatem, quam illis à quibus ſeroſitas omnis temporis tractu ſeparata, quibus nil niſi fibræ nigerrimæ & ſpiſſiſſimæ reſtant.

4. Obſervandum porrò eſt, aperturam illam, quæ inventa eſt in eo corpore, quo infans concluſus erat, nullo inſtrumento, ſed violentâ diſruptione factam fuiſſe, ſicut ex tabulis patet: Nam alioquin duo labia partis, ſciſſæ æqualia eſſent; cum hîc planè ſint dilacerata. Complures partes membranarum in filamentorum morem, quæ è circumferentiâ aperturæ iſtius propendent, ſatis clarè notant violentiam, quam pars iſta, cum rumperetur paſſa fuit. Dnn. Archiatri probè conſideratâ iſta aperturâ communi conſenſu ſtatuerunt, ſponte factam eſſe; quod etiam confirmatum eſt à Chirurgo, qui operationem Cæſaream adminiſtravit. Is certò, ſe reliquiſſe infantem eo in loco, in quo illum invenerat, hoc eſt, in cavitate ventris ſuper inteſtina, extra cavitatem, in quâ contentus fuerat, ſicut & nos eandem invenimus.

5. Quod neceſſariò infantem ultra 15. dies mortuum fuiſſe credendum eſt; coloris ſiquidem erat ſubfuſci & lividi, brachia habebat & crura maciſenta & attenuata, atq́;, ne quid dubii ſuperſit, notandum eſt, epidermida, ſi modo tangeretur, ſtatim diſſolutam digitis adhæſiſſe. Putridus planè nondum erat; nam embryo in matrice, in loco clauſo innatat aquis, quæ muriæ loco ipſi ſunt, & in matrice minùs corrumpitur integro menſe, quàm extra uno die.

6. Tandem & illud obſervandum eſt, fœminam iſtam menſes ſuos ſtato habuiſſe tempore, tamdiu, quàm cavitas ſiniſtra ſola fuit ab infante occupata. Cavitas enim dextra quippe vacua per vaſa ſua ſanguinem excernebat, qui certo tempore eò deferebatur; ſed quàm primùm & iſta cavitas à mola fuit obſeſſa, id, quod contigit inter 4. & 5. menſem imprægnationis,




Append. Mag. Dionis hist. relatio.

TAB. I.



nis, evacuatio iſta ceſſavit. In hac occaſione citra tergiverſationem admittenda hîc loci erit ſuperfœtatio; quæ in duabus facta cavitatibus fuit ſeparatis: nec mirum videri debet; mola enim in hac dextra nata fuit cavitate, cum facilè intelligi poſſit, infantem alium inibi potuiſſe formari, & faciliùs quidem, quàm in ſiniſtra. Sed citra quæſtionem & ratiocinationem & verum extitiſſe infantem in ſiniſtrâ matricis, quæ ſuperflua erat, cavitate certum eſt, & dextram, quæ naturalis erat, molâ occupatam fuiſſe.

Poſt veram hanc quàm exhibui narrationem, de iis quæ in hâc Anatomicâ accidére diſſectione, & poſt obſervationes, quas utiles & neceſſarias credidi, ad perfectam ejus intelligentiam inſpectio tabularum rei totius ideam Lectori tam claram poterit dare, quàm ſi ipſe oculatus ad fuiſſet teſtis. Duas ſculpi curavi, 1. Matricem extraordinariam exhibet, ſicuti ea ſita erat in corpore. 2. Eandem oſtendit, uti erat, cum ex eodem fuerat exempta. Prima matricem hanc eadem magnitudine & craſſitie refert, cui nihil neque addidi, neque ſubtraxi, præter inciſionem in longitudinem quam feci in partem ſuperiorem & profundam vaginæ, ad oſtendendum orificium internum, quod equidem diſpoſitionem naturalem iſtarum partium non immutat.

*Sciat B. L. minorem noſtræ exhibitæ iconis magnitudinem, à majore originali diſcrepare; cujus differentiam Scala in ære appoſita ritè docebit.*

## *Explicatio Tabulæ primæ.*

A A. Arteria & vena ſpermatica dextra.
B. Teſticulus.
C. Tuba.
D. Ejus orificium.
E E E. Pars abrupta.
F. Ligamentum latum.

G. Ligamentum rotundum.
H. Cavitas naturalis matricis.
I. Connexio cavitatis matricis naturalis cum ſpuriâ.
K. Cavitas ſpuriæ matricis.
L. Apertura per quam infans exiit.
MMMM. Multæ partes in filamentorum forma, quæ teſtantur hanc cavitatem ruptam fuiſſe.
NN. Arteria & vena ſpermatica ſiniſtra.
O. Teſticulus.
P. Tuba.
Q. Ejus apertura.
RRR. Pars abrupta.
SS. Ligamentum latum.
T. Ligamentum rotundum.
VVVV. Apertura facta in vagina.
X. Orificium internum.
Y. Ejus apertura, quæ tam arctè non eſt clauſa, quàm eſſe deberet.
Z. Vagina cum ſuis rugis.
1. Veſica.
2. 2. Ureteres.
3. Collum veſicæ.
4444. Labia majora.
5. Præputium clitoridis.
6. Clitoris.
7. Nymphæ.
8. Orificium veſicæ.
9999. Quatuor carunculæ myrtiformes.
10. Pronaum.
11. Apertura orificii externi.

In ſecunda tabula ſculpi curavi orificium internum & cavitatem matricis, apertâ tota ſua longitudine. Cavitas orificii amplior eſt, quàm eſſe deberet: continebat enim mate-

materiam istam mucilaginosam, induratam, & glutini spisso similem, de quâ dixi. Cavitas matricis spatiosior est, quia molam continebat: apertura cornu dextri ibi visibilis est. Nihil observavi, in quo cavitas hæc ab aliis differret matricibus, nisi quòd in parte sinistra non eadem haberet vasa & ligamenta, quæ habebat in dextra. Non situs erat hic uterus in medio hypogastrio, ut naturalis: hoc enim corpus superabundans lateris sinistri, quod infantem continebat, cùm majus esset & gravius, dextrum premebat & retrocedere cogebat. Cavitas, quæ infantem complexa est, aperta exhibetur, usque ad locum, quo adhæret fundo matricis, cum quo tamen, nisi per tria aut quatuor vasa valde exigua & tenuia, quæ non nisi postquam multo labore in ea inquisivi, inveni, non aliam habet communicationem. Corpus hujus matricis ex simili constat substantiâ uteri, nempe omninò foliatim compactâ, & infinito pororum numero scatens, qui à parte internâ non penitus ad exteriorem penetrent. Multò autem spissior est parte sui inferiore, quam in superiori, quæ semper diminuitur & tenuissima est eo loco, ubi rupta est. Videntur inibi particulæ quædã placentæ huic cavitati adhuc adhærentes: Stilum delineari curavi in figura, insertum orificio cornu sinistri, quod in hanc cavitatem desinit. Vasa & ligamenta eadem, quæ in altera etiam in hâc reperiuntur cavitate. Ita ut duæ inter se dividant, quod uni soli deberet esse proprium.

Secunda figura molam repræsentat; hæc extraordinaria erat propter ingentem glandularum numerum in membranis ejus adhærentium, & propter substantiam subalbentem & parùm solidam, quæ in aliis rubicunda est, & admodum dura.

In tertiâ tabulæ hujus figurâ infans exhibetur in justâ magnitudine, sicut erat annexus chordâ umbilicali ad secundinas suas, planè quidem dilaceratas, quibus adhærebant adhuc mul-

ti ſanguinis grumi, quos indicari curavi , ne neglectæ alicujus circumſtantiæ neceſſariæ mihi eſſem conſcius.

## *Explicatio Tabulæ ſecundæ.*

A A. Arteria & vena ſpermatica dextra.
B B. Rami ad teſticulum abeuntes,
C C. Qui ad uterum abeunt.
D D. Rami qui ad fundum matricis tendunt,
E E. Qui ad collum tranſeunt.
F. Arteriola, quæ ligamentum rotundum humectat.
G. Tuba uteri.
H. Ejus apertura verſus fundum uteri.
I. Stilus per aperturam tranſiens, ſive orificium.
K. Apertura tubæ verſus ventrem.
L L L. Particulæ dilaceratæ.
M. Ligamentum latum.
N. Rotundum.
O. Cavitas naturalis matricis cum pluribus exiguis orificiis probè conſpicuis.
P. Extremitas orificii interni.
Q. Plures plicæ in longitudine orificii interni, quæ retinebant humorem mucilaginoſum quo erat impletum.
R. Figura roſam æmulans ad introitum orificii interni obſervata.
S. Margo orificii interni.
T. Pars vaginæ.
V V V V. Inciſio facta per longitudinem fundi.
X. Conjunctio duarum cavitatum.
Y. Vaſa exigua plura, ab uno ad alterum tendentia.
Z Z Z Z. Oſtia dictorum vaſorum.
1 1 1 1. Inciſio facta in cavitatem ſpuriæ matricis.
2. Cavitas, quæ continuit infantem.

Secun-








Fig. II.







Fig. III.

TAB. II.



33. Secundinarum quædam reſidua, quæ adhuc cavitati adhærent.
4444. Partes diſciſſæ, quâ rupta eſt, & quâ infans tranſiit.
5. Orificium tubæ ſiniſtræ.
6. Stilus tranſiens in eam.
7. Tuba ſiniſtra.
8. Ejus orificium verſus ventrem.
9. Pars abrupta ſ. expanſio foliacea.
10. Ligam. latum.
11. rotundum.
12. Teſticulus.
13. Venæ & arteriæ ſpermaticæ.

## *Figura II.*

aaaa. Forma Molæ.
bbbb. Plurimæ glandulæ magnitudinis differentis.

## *Figura III.*

a. Caput infantis.
b. Fonticulus infantis.
cc. Oculi clauſi.
dd. Corpus infantis.
ee. brachia & pedes valde attenuati.
ff. Pars cuticulæ marcida facilè tangentis hærens digitis.
g. Umbilicus.
h. chorda ſive vas umbilicale.
i. Secundinæ.
kkk. Earum partes complures penitus corruptæ.
l. Pars membranæ.
mmm. Grumi ſanguinis, adhærentes ſecundinis.

*TANTUM!*

CORO-

## CORONIDIS LOCO.

HUic Ephemeridum anno, in quo tot inſectorum facta fuit mentio, adjungere viſum fuit LACERTAM ALATAM VOLANTEM, cujus mentio facta fuit anno Ephemeridum IX. & X. fol. 307. juxta cum PAPILIONIS ad vivum in Indiis delineata icone; quas Exc. Dn. *Hermannus Nicolaus Grimmius* Medicinæ Doctor & Potent. Suecorum Regis Archiater, Amicus integerrimus inde redux mihi benignè obtulit. De Lacerta illâ volante hæc annotavit: *Hæc in arborum fruticumque ramis vitam conſervat ſuam, formicis veſcitur, muſcis & papilionibus, aliisq; inſectis minoribus: nec hominibus, nec animalibus unquam noxia:* quibus cum præſentem hunc claudo annum, & Lectori me Benevolo cupio commendatiſſimum


*12. Martii 1684.*

Helianthum.

INDEX




Lacerta
volans.



*Vermiculus pictis adeò spectabilis alis,*
*Sæpè virens tenui semine fœdat olus.*



*Fœdat opus Momus, quamvis sibi pulcher, honestum;*
*Quam citò papilio debilis, ipse perit.*



# INDEX
## Ephemeridum S.R.I. Acad. Natur. Curios.
### *Decur. II. Anni II.*

Castorei

Contractura *ex mensibus suppressis.* 277
Convulsiones *cur exhausto sanguine puerperas invadant.* 221
*earum causa.* *ibid.*

I.

## L.

Mon-

Pellis

*è vena*

Ven-


# F I N I S.



# Errata potiora


## *in Ephemerid. Natur. Curiosor. Decur. II. Anno II.*


PAg. 3. lin. 24. pro ἀσιζ@ lege ἀσι̃@. p. 8. l. penult. post vocabulum Albini leg. præsidio. p. 11. l. 11. pro portis l. poris. p. 13. l. ult. del. vocabulum si. p. 26. l. 16. pro Major l. Mayow. p. 30. l. 16. & 17. pro adhitum l. adhibitum. p. 37. l. 9. Processum l. Processuum. p. 42. l. 1. effabrè l. affabrè. p. 45. l. 30. modum l. motum. p. 71. l. 21. implerat l. impleret. p. 74. l. 6. pro 150. l. 100. p. 75. l. 6. alexinep. l. alexikep. p. 84. l. 15. ab l. ob p. 103. virtutum l. virtutem. p. 112. l. 8. ἄσβιςορ l. ἄσβεςον. p. 114. l. 11. Magnat l. Mag. Nat. p. 115. l. 2. Seindacht l. Steindacht. ibid. l. 15. Subaudia l. Sabaudia. p. 122. l. 11. excusso l. excuso. p. 159. l. antepen. pro universum l. universam. p. 165. l. 12. subjungunt l. subjungit. p. 172. l. 18. ductis l. dictis. p. 186. l. 30. minimum l. minimam. p. 191. l. 2. hirundinem l. hirudinem. ibid. l. 28. quod l. quàm. p. 196. l. 11. surgant l. surgunt. p. 202. l. 22. humore l. humorem. p. 210. l. 28. dolorifico effluxu l. dolorificum effluxum. p. 222. l. 27. quod l. quàm. p. 223. l. 1. l. brachio. ib. l. 3. del. vocabulum interanea. p. 238. l. 12. horum l. hæc. p. 248. l. 23. Scherfii l. Scharfii. p 250. l. 23. petit l. petiit. p. 251. l. 21. este ditus l. est editus p. 254. l. 12. constricttione l. constrictione. p. 266. l. 8. arboreumve l. arboreorumve. ibid. l. 19. quia l. qui. p. 271. l. 19. sive l. sine. p. 274. l. 24. cum l. tum. p. 278. l. 2. & 3. menagogum l. Emmenagoga. p. 281. l. 15. CXXIV. l. CXXII. p. 282. l. 31. fermentionem l. fermentationẽ. p. 292. l. 12. membranosa l. membranosæ. p. 293. l. 28. secretionis l. secretionẽ. p. 294. l. 2. secretioribus l. secretionibus. p. 298. l. 15 rarum l. raram. p. 309. l. 12. quod l. quæ. p. 322. l. 12. CXIV. l. CXLVI. p. 324. l. 3. illustratus l. illustratos. p. 325. l. 28. tumorem l. humorem. p. 330. l. 18. homeraam l. homerdam. p. 332. l. 5. pro nos l. ipse. p. 334. l. 7. propinquo l. propinqui. p. 343. l. 22. pro noram l novam. p. 348. l. 25. latiusculè l. latiuscula. p. 349. l. 26. par l. per. p. 357. l. 21. eodem l. eadem. p. 360. l. ult. quocunque l. quacunque. p. 362. l. 20. diram l. dirum. p. 370 l. 12. vellificatur l. velificatur. p. 374. l. 26. quidem l. quidam. p. 376. l. 13. annua l. annuæ. p 378. l. 13. mortifica l. morbifica. p. 384. l. 17. CXLXI. l. CLXXII. p. 388. l. 1. incontinentiæ l. incontinentiâ. p. 391. l. 16. copisè l. copiosè. ibid. l. 18. pro amplectitur l. suscipitur. p. 392. l. 19. quantatis l. quantitatis. l. 21. pro musco l. muco. p. 394. l. 27. frustra l. frusta. p. 395. l. 1. & 2. paccatius l. pacatius. p. 399. l. 26. concoctini l. concoctioni. Cætera quæ superfuerint, Benevolus Lector ipse corriget.





## *Ad Bibliopegum.*


OB festinatam Impressoris operam icones plerasque in plerisque exemplaribus suis carere foliorum numeris indico, quas sequenti ordinare licet in loco. Fig. 18. ad pag. 192. Fig. 34. ad pag. 293. Fig. 35. ad pag. 298. Duplicis in Appendice uteri tabula prior absque foetu, ad pag. 483. secunda verò cum fœtu, ad Mr. Dionis historicam relationem p. 486. referenda est. Lacerta verò volans, ut & Papilio Ind. ad paginam 488. alligàri commodè possunt.


Fig. 1.
g
b
f
h
k
d
e
c
a


D
E
Fig. 4.
I
O
C
A
B
R
33 ℔


D
G
E
F
Fig. 5.
B
I
O
A
C
R
25 ℔
B
C
I
A
73
R
℔


G
D
E
F
Fig. 11.
O
I
C
B
A
R
52 ℔


A
O
I
Fig. 8.
D
B
R
B
R
36 ℔





D
F
E
I
O
C
A
b
r
l

Fig. 3.




ig. 2.









Fig. 7.








Fig. 6.





Fig. 13.





Fig. 12.





Fig. 14

# MEDITATIO
*DE*
# PESTE ET FEBRIBUS MALIGNIS,

JACOBI WEIZII, Archiatri Gothani
Celeberrimi, S. R. I. Acad. Nat. Cur.
d. Æſon II.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO cIↃ IↃc LXXXIII.

# MEDITATIO
## De
# PESTE ET FEBRIBUS MALIGNIS.



PEstis uti ſine diſcrimine in quoscunque ſanitatis ſtatus & gradus ſævit, ita cauſa ejus ſingularior eſt.

Reliqui namque morbi cùm ſint vel ex temperamento, vel diætæ errore, vel quovis alio ſex rerum non-naturalium abuſu & dehinc ſubortâ viſcerum atq; partium cachexiâ, peſtis his omnibus relictis ſuum ſemper ſequitur genium.

Hinc non eſt ordinariis remediis contra venena ſpecificis, utpote balſamicis, theriacalibus, bezoarticis, cardiacis &c. facilè curabilis, ut potius ſingularius ex his deſideret medicamen, ejusque operandi modum, prout ab ordinariis morbis ſingularior multumque differens ejus cauſa eſt.

Et hoc eſt, de quo toties conqueruntur Medici, quòd naturam peſtis nunquam ſatis ſcrutari, neque tot atque innumeris adhibitis, nonnunquam etiam mirè inter ſe mixtis, aut planè nihil, aut non ſemper idem efficere potuerint, ut potius ubique aut ſaltem plurimum contrarii eventus ſecuti fuerint.

Modò namque optima bezoartica per ſudorem agentia plenariam colliquationem & cum illa animæ è corpore defluvium cauſarunt.

Modò theriacalia, utpote balſamica, bezoartica, & leviter opiata (aliàs pro demulcendâ veneni acredine & præpoſterô

 fermen-

fermentô ſiſtendô ſatis ſufficientia) fermentum magis concitaſſe & tandem attonitos & colore nigricante inflatos dereliquiſſe novimus.

Nunc volatilia ſolâ præviâ animi diſturbatione planè exangues fecere. Nunc eadem cum fixis & præcipitantibus mixta leves quasdam inducias, facto tamen recurſu majoris fermenti jactationumque impetus, cum vitæ diſpendio addiderunt.

Præcipitantia cum pulveribus bezoarticis vegetabilibus minimæ in his morbis virtutis viſæ ſunt, utpote quorum tanta doſis haud aſſumi totiesque reiterari potuit, quò efferveſcens cum humoribus acidum ſufficienter attrahere, venenumque in ſanguine totoque corpore latitans ſatis expellere potuerint.

Metallica verò, cujuscunque bezoartici, & firmiter fixati titulo fuerint conſignata, aut diſturbationem alvi enormem, aut inflationem ventris ad præfocationem usque, aut tormina cum lancinatione inteſtinorum ſanguinolenta effecere.

Paucis, præparata, calces & pulveres alii, eorumque eſſentiæ, extracta &c. vel cum ſegnitie operata ſunt, vel maſſam ſanguineam planè non affecerunt.

Volatilia cum diſturbatione archæi majus fermentum concitaverunt.

Acida verò cum aſſumto humido quaſi cruda ad vaſa rapta incendium humorum non ita conſopiverunt, quàm quod ex acido jamdum repertos ibi ſanguinis grumos magis magisque ingroſſarint atque hoc modo circulatione præpeditâ inopinatam mortem produxerint.

Adeò vel planè nullum ex hoc genere medicamen proficuum fuit.

Quapropter veram veneni naturam, quæ in peſte & malignis ſaltem ſecundum majus & minus differt, hic recenſere ſtatui.

Neq; tamen hoc ſimplici curſu faciam, ſed quantum brevitas

vitas hujus meditationis admittit, per rationes, contingentia, nociva & proficua in his morbis ita agam, ut de hinc & methodum & Medicinam facili viâ invenire possis.

Equidem aliquando proficua fuerunt vel saltem levamen dederunt sudorifera.

Per sudorem enim aliquoties (levi tamen facto interstitio) iteratum nonnulli evaserunt.

Idem sudor si non ita vitam, placidam tamen moriendi cupidinem dedit.

In quibus habes effectum dissipatæ cum sudore acredinis pestilentis, qua remotâ, quamvis etiam in moribundis, reddita tamen fuit partium tam internarum, quàm externarum sufficiens temperatura, qua neque angustiæ atque anxietates visæ, neque terribiles vociferationes auditæ, neque retractus & convulsionum motus enormes animadversæ sunt.

Nociva vero ut multa alia, ita (per exemplum loquor) inter illa etiam fuerunt metallica bezoartica, utpote vel non satis fixata, vel acriori fermento iterum concitata & in pristinam naturam reducta, vel superfluo, quàm continere potuerint, acido superfusa.

Quæ enim non satis fixa sunt, si cum acredine quadam miscentur, ebullitiones præstant.

Et inde est, quòd his associatis & assumtis ventriculi viscerumq; acredinibus inflationes & præfocationes insecutæ fuerint.

Acriori verò fermento si metallorum Calces concitantur, olim sopita natura metalli recedit & vitriolescit quasi cum metallô fermentum, ex quo tormina intestinorum, anxietates cruciatusque circa præcordia, constrictiones cordis & cum hac pulsus interceptiones, atque lipothymiæ oriuntur.

At si hæc metallica superfluum & majus quàm capiunt acidum, attrahunt, modò hypercatharses, modò vomitus, modò utrumque insequitur.

Et tales sunt affectus acidi austeri per se quidem coagulum in sanguine inducentis, ex accidenti verò fervorem na-

turæ concitantis, quo hinc enormis calor & humorum cum confusione æstuatio liberaque & immodica fluctuatio insurgit.

Nec absque ratione unumquodque horum semper cum vitæ noxa est.

Quorum tamen omnium alia ratio & causa dari nequit, quàm veneni Mercurialis & arsenicalis maximè & instar sublimati acris, lancinantis & naturam ad pugnam atque inter illam omnes corporis humores (ubicunque latitantes vitiosos & naturales) absque intermissione ad motum concitantis.

Natura namque contra veneni insultus insurgit, intumescit, incalescit & semper contrarium atque illud immodicè agit.

Scilicet si venenum ex acidô sanguinem coagulat, atque vasa constringit, resolvit hæc, laxat & disrumpit.

Quando venenum collapsum venarum & viscerum denegato & per acidum interrupto transitu humidi naturalis instituit, natura è contra extollit sanguinem & viscera cogit, ut nimia incalescentia & motu pura indifferenter & impura quævis ad se viscera rapiant & vasa, quo sic crudis planè & indigestis humorum confusionibus immergantur quasi & suffocentur. Unde tandem improvidus tumor vasorum, viscerum & partium accidit.

Dum tandem venenum acredinosâ frigiditate nocere vult, incalescit archæus & diffusis undique acredinibus miras in partibus vellicationes facit.

Tale jam est ex venenô & resistente natura tandem proveniens fermentum, tales ejus effectus, talis pestis febriumque malignorum genius; quibus nisi placidis & absorbentibus & resolventibus citius subveniatur, necesse est, ut tandem natura seipsam expugnet & planè succumbere debeat.

Dicere possem hic multa de acido & alcali, de atomis, de luce & agilitate spirituum, contrariaque eorum obtenebratione & delassatione, de archæo quieto & irato, de sale, sulphu-

re

re & mercurio. De arteriâ biliosa seu bilifera, quæ modò in dextro, modò in sinistrô latere ex intercostalibus ad hepar transit atque ibidem se exonerat; & quæ insuper alia seculorum hucusque novitatum excogitata & inventa sunt:

Sed quoniam omnia ad unum effectum tandem coincidunt & disquisitione longiori tædium parere possum, non abs causâ his supersedeo.

Dehinc non volatile, non præcipitans, non acidum solum & simplex, sed omninò aliud atque illud suave & demulcens medicamen requiritur, quod nonnisi in saponariâ sive media illa natura lixiviosa invenies.

Hæc non solùm est, qua acredo illa mercurialis & arsenicalis summè noxia contemperari potest; utpote quæ & acidum mitigat & quasi dulcificat & dum vi segregatoriâ & resolutoria agit, insuper præcipitat, abstergit & quod omnium maximum, quæ saponariâ suâ naturâ per vasa quæcunque capillaria transit & segregatione instituta levi incalescentia vel saltim fomento caloris naturali sudores excitat atque sic noxium expellit.

Exemplo tibi sit dolorifica sensatio ex quovis aliô corrosivô, maximè verò mercuriali & arsenicali in quacunque corporis parte contracta, quæ nullô neque externo neque interno mitigari potest, ut potius necessariò mortificatio eousque sequatur, quousque corrosivum suâ acredine attingere potest.

Lixiviosa tamen non solùm hinc ortos calores & dolores, sed etiam hinc promanantes difformitates & intumescentias omnimodè sedant atque iterum componunt.

Inter labores Mercuriales & Arsenicales, Martiales &c. si quid respiratione attractum fuerit, sola lixiviosa vel ex cinere clavellato vel ex tartari deliquio vel alia modò in vinô, modò in cerevisiâ assumta omnem veneni impetum coërcent, sive ante, inter, vel pòst assumantur.

Eundem in modum ol. tart. per deliquium, saturata cinerum clavellatorum solutio, panacæa Holsteinensium, quæ est

sal

ſal ex cap. mort. aquæ fort. ardorem febrilem contemperant, ſudores promovent, atque ut in his, ita etiam in conquaſſatis congrumatum ſanguinem fortiter reſolvunt, & dehinc excitatos dolores pungitivos facilè mitigant.

Quantum etiam in malignis ſanguis hirci, pulvis pyrius, nitrum &c. valeant, in praxi toties compertum eſt.

Qui effectus omnes à nullo alio ſunt quàm à decantatâ hucusque natura lixiviosâ & ſaponariâ.

Quid cum ſolutis per acidum, ſi quando illis lixivioſa ſuperinfundantur, fiat, & quæ ſingularis tunc accidat partium ſegregatio, notum eſt.

Quomodo vel ſolis lixivioſis etiam ex corporibus duriſſimis Sulphura extrahi poſſint, quæ dein quamvis aliàs facilè inflammabilia & ad ſublimandum prona fuerint, nunc igni difficulter cedunt, vel ſi cedant, magis in Terram mortuam, quàm in ſpecies & partes volatiles convertantur, illis conſtat, qui calcibus metallicis impuris corrigendis aliquid temporis & ſtudii dederunt.

Potulenta nunc fermè aceti inſtar acida, quæ ſaponariis renovari quaſi poſſint, illis conducunt, qui ex hoc ſtudioſo labore quæſtum quærunt.

Ipſum citri pomum non tam ex acido ſolùm, quàm inſimul oleoſis ſuis cum multo humido adhuc mixtis partibus (quæ conjuncta præſtat vim illam ſaponariam) egregias ſuas in his morbis dotes expedit.

Quomodo in probationibus metallicis vel ſola lixivioſa impura Sulphura cum noxiis & inter ſe fermentantibus ferè Salibus, ne cum metallo vel metallum cum illis uno actu avolare poſſit, ſed granum expectatum exhibere debeant, expertum eſt.

Ipſum Solis Sulphur, ſi quando primis initiis laboris phyſici nimis volatile factum, ut videatur quaſi cinnabaris ſummè purificata, ne vitrum diſrumpat tanto agitatum calore, non alium volatilitatis ſuæ moderatorem deſiderat, quàm

(mirum certè) restantes adhuc sophici Mercurii partes; quæ quidem aliorum judicio magis volatiles, mihi verò lixiviosæ, nunc mediæ seu saponariæ virtutis participes videntur; quo inde etiam evenit, ut in congressu continuo suaviter inter se agant & variatis interim coloribus plus sopitæ ad fixitatem naturæ tendant, quàm ulterioris volatilitatis acquirant, usque tandem eodem igne omnes hi colores tanquam volatilitatis & ingressûs vindices in exoptatâ nigredine disspareant.

Non alia ratio est mitigandi, contemperandi & penitus ejiciendi Sulphuris arsenicalis & Mercurialis, vel quo nomine alio nocivum pestilentiale venenum indigitare velis.

Illud tàm extra quàm intra corpus aliud nihil, quàm lixiviosum & saponarium tale in operatione placidum & moderatum pro segregandis & separandis à massâ sanguineâ impuritatibus acredinosis sufficiens, expulsionibus per sudorem in omnibus capillaribus vasis & quibuscunq; extremis partibus præsens & acredinem constipativam per totam massam sanguineam suaviter demulcens, ad omnimodam pugnarum, quæ dehinc ubique à veneno pestilenti exorsæ sunt, compositionem morbique maligni placidam curationem desiderat.

Quæ quocunque modo vel sola vel cum aliis specificis, balsamicis, bezoarticis, corrigentibus, oleosis, odoratis & cordialibus, cephalicis &c. commiscere vel in aliam atque aliam formam (semper tamen observata illa mediâ & saponariâ naturâ) artis beneficio subigere velis, præstabit tibi unicum tàm externum quàm internum contra malignos ictus & pestis & consimilium febrium remedium.

Pro quo Tibi Summa Trinitas! sit laus & honor. Cujus benedictione cedat ad proximi salutem & ærumnarum levamen; ad publici aliàs ex his morbis multum divexati & conquassati novissimum emolumentum.

Sic scribebat inter inquietas noctis horas.

JACOB WEITZ, Phil. & Med. D. Gothæ hor 3. matutina usque ad dimidiam 8. d. 26. Sept. 1682.

Sequitur jam modus componendi & methodus tam internè quàm externè uſurpandi hæc medicamina, additis quibusdam notis neceſſariis.

## CAP. I.

# DE INTERNIS.

I.

Fiat lixivium (quod quo magis ex lignis, corticibus, radicibus, herbis &c. appropriatum eſt, eò eſt melius) ex quo facto totali humidi abſtractione Sal habebis lixivioſum, vel ſi in ſubſtantiâ (aut per ſe aut cum aliis bezoarticis) vel, cùm in oleo deliquii reſolutum fuerit, uſurpabile.

II.

Idem lixivium ſi ante abſtractionem quibuscunque balſamicis & bezoarticis &c. ſuperfuderis, usque dum ſufficiens extractio facta ſit, & dein in Salis lixivioſi conſiſtentiam (non attentâ cryſtalliſatione, ſcilicet per quam fortior foret Salis concluſio & dehinc difficilor ejus reſolutio) excoxeris, amplio-ri ſic medicaminis virtus & pro diverſitate & ſubjectorum & genii maligni ſpecificari magis poteſt.

III.

Funde ℔j. Sulphur. vivi in crucibulo & dum ſatis ignitum eſt, admiſce vel pulveres bezoarticos vel balſamica alia ex reſinis vegetabilibus, itemque ſi lubet olea confortativa, imò etiam de carne & oſſibus viperar. it. C. C. it. Caſtor. & ſimilia (ad ℔j. Sulphur. pondus admiſcendor. non excedat ℔$\frac{1}{4}$.) & mox ab igne remove & in ℔iij. ante dicti lixivii calida effunde & frigefactum filtra & ad Salis lixivioſi formam inſpiſſa.

IV.

Sic idem Sulph. cum lixivio phthiſicis, mulieribus, contractis & catarrhoſis ſpecificari poteſt. Quamvis enim talia medicamenta per ſe ſola ſimul omnibus his morbis ſufficiant, facilitatur tamen cura magis ex ſpecificis. Ex. gr. pro phthi-

ficis tantillum facchar. Saturn. pro contractis cinnabaris nativæ parum, pro mulieribus asâ fœtida & castoreum, myrrha, pro catarrhosis succinum, pro visceribus obstructis & induratis limatura Martis ignitioni Sulphuris admisceantur. Sic quoque medicamenta habebis, quibus vel solis in omnibus morbis progressus felices facere poteris, utpote pro conditione & statu patientis vel simpliciter vel inter se mixtis adhibendis.

V.

Possunt etiam fieri cum lixivio supra-dicto ex absinth. rut. scord. & millefol. essentiæ, quarum tamen dosis major, & in die aliquoties ad gutt. 40. & plus adsumi debet, prout virtus in his non ita, ut in Sale, concentrata est.

VI.

Vel cum tinct. tart. antimoniata (hæc fit igniendo tart. antimonii & Nitrum ana, & injiciendo sic calida adhuc in spiritum è fecibus vini non ita fortem: quo sic temperata, lixiviosa & multi usus in omnibus formè morbis tinctura extrahitur) fiant essentiæ ex myrrhâ, tacamahac. benz. asæ fœtid. itemque ex herbis, lignis, radicibus, imò etiam ex ossibus & carnibus viperar. Cordis Cervi. C. C. nec etiam incongruè ex calcibus, ut lunæ, solis & martis, vel his, solis vel inter se mixtis. Facilè enim sic mediante saponariâ tincturæ hujus virtute, sulphura & salia diversorum horum corporum accedent, & saturabitur magis tinctura.

VII.

Vel ex tart. crudo & capite mortuo vitriol. ana fiat cum spiritu è fecibus vini spiritus, cum quô supra dicta & alia extrahi possunt.

VIII.

Vel tartaro crudo admisceatur quarta pars salis ciner. clavellator. & ut supra §. 7. cum spiritu è fecibus vini fiat spiritus pro extrahendis tincturis & essentiis.

Modus, quomodo fiant hi spiritus, talis esto: Sit tibi ad ma-

nus cucurbita terrea, quæ habeat foraminulum in medio. In hanc mitte ſupra dicta materialia & adaptato alembico cum recipiente igne arenæ forti urge. Quibus ſi jam igneſcant, per foraminulum mediante infuſorio infunde cochleare unum vel alterum ſpiritus è fecibus vini (non tamen ita fortem, ut etiam ſalia reſolvi poſſint) & factâ infuſione foraminulum luto vel argillâ ſtatim occlude. Sic adſcendent ſpiritus ſulphure & ſale corporum admodum ſaturati. Spiritus & halitus ſi nunc ceſſent, iterum novum affunde ſpiritum, idque toties usque dum in alembico viſa prius inter ſpiritus quaſi lacteſcens pinguedo deſinat.

IX.

Nitrum fluat in crucibulo usq; ad concremationem: dum injiciatur vel terebinthina cum camphora mixta, vel ſpiritus vini terebinthinatus & camphoratus, vel camphora ſola vel myrrha &c. moveatur ad plenariam commixtionem & ſtatim effundatur. Dein affuſo pauxillo aquæ appropriatæ vel alicujus eſſentiæ fiat deliquium, vel ab effuſione ita durum ſervetur & uſurpetur vel in ſubſtantiâ vel injiciatur, ut aliàs, globulis de nitro ſolutis, in potum ordinarium.

X.

Solvatur in aq. Regis ſol & in ſpiritu nitri luna, conjungantur ſolutiones (providè & ſucceſſivè) & ad ſiccitatem abſtrahantur (hinc promovens menſtruum pro uſu externô ſervari poteſt) in cucurbitâ benè lutata igne aren. Dein in crucibulo ſufficienter igniantur (neque tamen fluant) addito ultimo ſaccharo cum camphorâ & oleis cinnam. citr. aur. ſuccin. &c. & ſtatim effundantur ut frigefiant. Ex quibus dehinc in vitrô amplô affuſo pauxillo humido fiat deliquium. Reſtitans pulvis elutriari & pulveribus bezoarticis, præcipitantibus admiſceri poteſt. Aqua verò, qua cum elutriatio facta eſt, ſervetur.

XI.

Fiat antimonii cum nitro detonatio pro antimonio diaphore-

phoreticô, quod dein ad fortissimum ignem optimè fluat,& effundatur super lapidem mundum. Frigefactum frangatur & servetur in amplo & mediocriter altô vitrô, quod hybernô tempore in cellam mundam, ubi successivè aër attingere potest, æstivo verò aëri obvium (tutum tamen ab illustratione & radiis solaribus) ponatur. Sic aquam aëris magneticam nancisceris internam & externam in his morbis miræ & stupendæ virtutis, quæ destillatione arenæ à corpore abstrahenda, corpus verò ad ulteriorem attractionem, ut ante, in particulas fractum reponendum est, quo sic in infinitum procedere poteris. Si forsan amplius non attrahere velit, fluat iterum in crucibulo forti igne, quo sic idem ut ante præstabit. Habes hic exemplum magnetismi universalis in calce saponariâ. Habes si inquirere velis, modum absorbitionis, quo in corporibus humanis saponaria illa agant.

XII.

Si lubet, dum igne forti fluit nitrum cum antimonio, possunt ultimo injici pulveres bezoartici, ut rad. imperator. angelic. pulv. viperar. &c. quo sic calcinata specificam magis virtutem labori addunt. Usus oleorum eorum ex deliquio fit in die & nocte quater, ad gutt. 19. in vinô.

Salis in substantia sit idem usus, ad gran. viij. vel per se vel cum aliis in juscul. vin. vel cerevis. Essentiar. ad gutt. 40. ter vel quater in die pro sudore. Pro confortatione verò & continua profligatione veneni possunt in potu ordinariô vel successivè post alteram horam 9. ad 10. gutt. sumi.

Interim æger continuo madore squaleat, assumtis verò medicamentis paulò longius sudet, necesse est.

Reliqua, utpote à multis jam ante dicta, & ad diversi temporis, loci, ægrique conditionem diversimodè apta, reliquimus.

Hujus generis alia atque alia concinnari possent chymicô more medicamina; sed hæc pro nunc sufficiant.

## CAP. II.

# DE EXTERNIS.

TAm pro collutione oris, quàm pro abluitione & fomento carbunculorum ſummè ſunt neceſſaria.

Neque tamen eſt, ut illa longè quæras, ſcil. omnes elutriationes vel cum aqua deſtillata ex herbis vel pluvia vel ſimplici ex reſiduis à deliquio aut poſt extractas eſſentias factæ, commodè & mirè ad binos hos uſus inſerviunt & egregia præſtant. Et ſingulariter idem operatur aqua illa aëris magnetica per ſe §. 11. deſcripta. Vel ſpiritus à ſolutione ſolis & lunæ §. 10. abſtractus ad lenem aciditatem cum aqua deſtillata, vel ex herbis vel ex aqua pluvia, vel ſimplici (notanter hæc adjicio, aqua fontis enim non alia quam quæ absque ſapore acido, ſtillat, conducit; aquæ enim quæ acidæ ſunt vel aliquid aliud ſapiunt, ex ſubterraneis particulas minerales ſecum ducunt, ex quibus ſi forte quid deglutiatur, levi viâ in corpore jamdum ex fermento noxio langueſcente, novum fermentum excitari poteſt) moderetur. Pro collutione quidem in his omnibus mitigatus ſit ſapor, ut patientes commodè ferre poſſint.

Pro ablutione verò & fermento ad carbunculos ſaturari magis poſſunt ſalibus ſaponariis.

Sic omnis inflammatio & faucium & carbunculi ceſſabit, peſtilens apoſtema moderato nunc calore & affluxu humorum præpoſtero præpedita placidè maturabitur.

Neque quicquam in his gargariſmis timendum, cum ut in collutione oris præſtans & præſens medicamentum exhibeat, ita ſi fortè deglutiantur, pro contemperatione caloris & fermenti peſtilentis febrilis, commodè inſerviunt.

Quod ſi verò mavis emplaſticis in carbunculor. curâ agere, caveas maxime ab omnibus calidis, quæ attrahunt & dehinc dolores & fermentum majus concitant.

Caveas

Caveas etiam à reprimentibus & frigidis, utpote quæ ad peripheriam detrusum venenum non promovent, sed nequam iterum recedere faciunt.

Solis tamen moderatis & intermixtis illis, quæ sunt mediæ naturæ, abutaris necesse est, si supra laudatum effectum obtinere velis; quorum non incongrua exempla sequuntur.

I.

Si pulveres ranar. flor. chamomill. millefol. tot. c. sufficiente quantitate mellis & ceræ, addito aceto vel simplici vel cum sacchar. saturn. impraegnato (qualis est extractio calcis saturn. vel min. vel lithargyrii &c. cum aceto facta) in emplastri mollioris formam redigantur.

II.

Nota illa ex min. cum aceto vini facta extractio, si cum oleis infusis chamomillæ, rutæ, lilior. rosar. scorpion. vermib. majal. lumbricor. terrestrium & his similibus conquassetur, fiet inde linimentum crassius, quod amplius sufficiente quantitate albi græci vel recrementor. avium, ut pass. hirund. & pauxillo melle & cerâ in emplasticam formam lenem subigere poteris.

III.

Pulvis antimonii ex solâ detonatione talis non elutriatus, â sale cum gummis panis triticei & pingui cerevisiâ in lenem emplastri consistentiam decoquatur.

IV.

Lac coagulatum concrematur satis, & cum tantillo butyr. majalis & cerâ lene emplastrum fiat.

V.

Cineres ex bufone, ossibus cervi, humanis &c. cum lumbricis terrestribus in massam lenem conquassari debent; quæ dein cum pauxillo vini fortis, mell. & cera lene emplastrum præstant.

VI. San-

VI.

Sanguis hirci, cervi, canis, galli &c. ſi cum grumis nigris panis addito pauxillo aceto & ſaccharo coquuntur & dum jam grumos exhibet, cum pulveribus ſcordii, millefol. rad. ſymphyt. major. althææ, tormentill. & pauxillo melle absque cerâ in emplaſtrum lene ſubigitur.

VII.

His omnibus emplaſticis poſſunt etiam pulvis lithargyrii vel minii, item lixivioſa ſalia, ut ſal ciner. clavell. &c. & alia ſupra recenſita in coctione; poſt finitam coctionem verò etiam ſi lubet tantillum de oleo nuciſtæ expreſſô, de camphorâ, parum de myrrhâ & asâ fœtidâ &c. addi.

Plura in infinitum poſſem afferre, ſed quieſco hic & reliqua ulteriori inveſtigationi aliorum relinquo. Concitatô ſtylô d. 22. Novembr. 1682.

J. W. D.



Ad

*Splendidiß. S. R. I. Academ. Natur. Cur.*

# HELIANTHUM,

PÆONIS

*De*

# RUPICAPRARUM INTERANEIS ET ÆGAGROPILIS,

*SUCCINCTA DISSERTATIO.*

---

*NORIMBERGÆ,*

ANNO M. DC. LXXXIII.



Ad

*Splendidiss. S. R. I. Academ. Natur. Cur.*

# HELIANTHUM,

## PÆONIS

*De*

# RUPICAPRARUM INTERANEIS ET ÆGAGROPILIS,

## SUCCINCTA DISSERTATIO.



E Rupicapris, animali ſylveſtri, plures ſcripſerunt Medici & Hiſtorici, nullus tamen, quantum mihi quidem ſcire datum eſt, earum interanea plenè expoſuit, quin aliqui circa vocis Etymologiam, variasque hujus ſpecies enodandas maximam partem ſunt occupati, omiſſis iis, quæ Rei Medicæ addictis, & curioſis omnibus lucem afferre, famamque ſæpius auctam ſatiare poſſent: Sunt tamen qui cùm Veterum monumentis, tum propriâ diligentia adjuti ac inveſtigandi induſtriâ incitati, in cornigeri hujus naturam, mores, domicilium, cibum, uſumque varium, quem corpori humano præſtare compertum eſt, ſtudiosè inquiſiverunt; uti ex Geſnero & Aldrovand. l. 1. de Quadrupedibus prolixiùs haurire licet: Ex Recentioribus, Beatus *Velſchius*, Academiæ noſtræ Neſtor, Vir Celeberrimus, uis de Ægagropilis, quarum occaſione de Rupicapris eruditè

etiam quædam inseruit, Dissertationibus, æternam sibi famam comparavit, adeò ut labor frustraneus videri possit, post Homerum hunc Iliada velle scribere: Ast quia ipsa veritas, aliorum etiam fide ac autopsiâ confirmari desiderat, quò triumphi nobilioris omnes habere possit spectatores & Fautores, malè me non acturum speravi, si ea, quæ cùm Velschianis experimentis longè accuratissimis consentanea, tum ab aliis hactenus vel non animadversa, aut saltem publico non prodita, deprehendi, heic in chartam conjicerem, in primis quod Tuæ exhortationi parere, Amicorumque dubiis, quantum quidem pro tenuitate meâ licet, satisfacere, æquum est: Et quidem animus heic non est Caprarum sylvestrium plurimas similitudines enodare, aut rupicaprarum synonymias, vel differentes Authorum sententias excutere, quæ singula, pro summâ qua emicuit ingenii acie, in supr. citat. opusc. feliciter ille peregit. Sufficiet heic monuisse Rupicapræ vocem in sensu paulo strictiori me sumere, quàm Scaligerum fecisse video, Exercit. 207. qui Ibicem & Capream, illius species facit, à Plinio inter caprarum genera, cum *illâ* recensita, ut & *Oryge, damâ,* pygargis &c. quod ipsum Gesnero ansam dedisse arbitror c. l. eleganter multorum πολυωνυμίαν culpandi: Si accuratiores, inquit, singulorum descriptiones haberemus, minus molestum esset singulis convenientia nomina indere: Hac autem deficiente multa ex his nominibus non intelliguntur, vel confunduntur, vel alienâ interpretatione obscurantur: Mihi Rupicapra αἴγαγρος est Oppiani, qui lib. 2. Κυνηγετ. p. 16. Edit. Paris. ita:

*Αἰγῶν δ' αὖτε πέλει, προβάτων τε, πανάγρια φῦλα*
*Οὐ πολλὸν τούτων οἴων, λασίων τε χιμάῤῥων*
*Μείζονες, ἀλλὰ θέειν κραιπνοὶ, σθεναροί τε μάχεσθαι,*
*Στρεπτοῖσιν κεφαλῆφι κορυσσόμενοι κεράεσσι.*

*Est agreste genus caprarum oviumque ferarum,*
*Non multò nostris ovibus caprisque petulcis*

Aspectu

*Aſpectu referens majorem corpore formam:*
*Sed multò leviùs celeres rapiuntur in auras,*
*Pugnasq; armatæ reflexis cornibus acres,*
*Miſcent terribiles.*

Ubi non opus eſſe autumo diu dubitare, num reapſe rupicapras intellectas velit, an ſtrepſicerotem, ſiquidem de cornibus reflexis ſermo ei ſit, quæ *iſti* non competunt, & poſtquam in antecedentibus de eurycerote, damâ, Bubalo, dorcade, multùm diſſeruiſſet, poſt de ægagro dicere incipiat, ſeu rupicaprâ noſtrâ, majorisque declarationis ergò ſtatim ſubnectat.

Αἰγάγροις δέ τις ἐϛι διὶ αὐτῶν αὐλὸς ὀδόντων
Λεπταλέης πνοιῆς κεράων μέσον, ἔνθεν ἔπειτα
Αὐτὴν εἰς κραδίην, καὶ πνεύμονας εὐθὺς ἱκάνει.

*Eſt autem capris agreſtibus ore foramen,*
*Anguſtum, medios per dentes cornua verſus,*
*Pervadens flexis anfractibus intima cordis, &c.*

Quæ quî in rupicapras quadrent, mox explicare conabor: ſitne autem hæc Æliani κεμὰς, quam l. 14. c. 14. δραμεῖν ὠκίϛην θυέλλης δίκην, ἰδεῖν δὲ ἄρα πυῤῥότριχα καὶ λασιωτάτην, inſtar turbinis curſus eſſe citiſſimi, quoad ſpeciem verò pilis rufis & perquam hirſutam ait, equidem ignoro: Utrique ſaltem magna eſt pilorum affinitas, quæ fortè etiam Celeberr. Bochard. movit, ut κεμάδα pro Plinii Rupicapra ſumeret in Hierozoico p. m. 912. l. III. Sed propius ad externam hujus animalis faciem delineandam accedo: Rupicapras tres cultro ſubjeci, mares duos, & femellam unam, quarum hæc cum mare, anſam dederunt in thermis Leucenſibus, partes genitales præcipuè examinandi, utpote cæteris viſceribus jam deſtitutæ: mas verò alter nupero demum Julio, in thermis Favarienſibus, ubi Vener. Domini Parentis mei curæ itidem vacavi, curioſitatem meam magis explevit, utpote quem nondum exenteratum per venato-

 rem

rem Reverendiffi. Abbatis Favar. fex à thermis leucis, apportari curavi, cùm olim Nobiliff. *Pythagoras* nofter, de ventriculorum pluralitate, à me quædam edoceri cupierit, egoque quoad ægagropilas, de quibus ante fermonem nonnullum cum Excell. *Celfo* habui, plura fcire defiderârim: Capræ hæ agreftes fingulæ magnitudine & figurâ villaticas noftrates optimè referunt, cornibus inftructæ nigricantibus, aduncis, & fub finem fui non parum incurvatis: ab exortu horum ad usque medietatem evidentes funt plurimi nodofi circuli, quibus exafperantur; quos excipiunt minores aliquot, minùs confpicui, in unco nullis planè exiftentibus: Cæterùm duplicem fubftantiam reapfe videndam exhibent, unam exteriorem corticalem, ligneam quafi, quæ fe rurfum dividit in corticem exteriorem & interiorem, quorum uterque nigricat; alteram interiorem offeam, albicantem, cranii fubftantiæ congenerem, quæ folida admodum eft & compacta, neutiquam pervia, minus cava: Color his fuit inter fufcum & rufum; albas tamen nigrasque deftinctis coloribus dari Albertus affirmat, cujus autopfiæ ego nihil detraham, cum Philofophus lib. de color. καὶ λευκὸς δήποτε πέφηνε καὶ ἔλαφος καὶ ἄρκτος: album quandoque vifum effe & cervum & urfum afferere aufit: Aures oblongæ, pedesque ut in animantibus aliis bifulci, cauda latiufcula: Ex quibus patet, *cùm* malè rupicapris (voce prefsè fumtâ) accenferi capream unicornem, cujus mentionem injicit præf. Bochard. p. 967. & Euftach. Antiochenus, utpote quæ orygem Plin. & Ariftot. magis æmulatur; ita enim hic l. 2. hift. Animal. Μονοκέρατα δὲ καὶ μώνυχα, ὀλίγα, οἷον ὁ ἰνδικὸς ὄνος μονόκερως: Μονόκερων δὲ καὶ διχηλὸν ὄρυξ. Cui non contrariatur Oppian. l. 2. Cyneget. p. 18.

> Ἔστι δέ τις δρυμοῖσι παρέστιος ὀξύκερος θὴρ
> Ἀγριόθυμος ὄρυξ, κρυερὸς θήρεσσι μάλιστα.

Eft etiam fera, quæ fylvas perluftrat opacas, cornu acuto, oryx, feris maximè horrendus: *tum* etiam erraffe illos, qui cornibus

nibus ſpirare ægagros ſcripſerunt, è quorum cenſu Oppianum eſſe volunt ſupr. citat. lib. canentem:

Εἰ δέ τις αἰγάγρου κηρὸν κέρασιν περιχεύοι,
Ζωῆς ἐξέκλεισεν ὁδοὺς, πνοῆς τε διαύλους.

Quæ Bodin. ita reddit:

*Quòd ſi quis fuſa ſenſim per cornua cera*
*Intercludat inane, citò reſtinxerit auras*
*Vitales, animamq́, & reſpiracula cordis.*

Mihi verò dubium utcunque videtur eſſe, per τὸ κηρὸν κέρασι περιχεύειν intelligendam eſſe ceræ in ipſa cornua injectionem, partim quòd in præcedentibus foraminis meminit κεράων μέσου, quod ego; *inter cornua*, interpretor, partim quod juxta cornuum ſoliditatem, ultimum rupicapræ examen me docuit, poſt cornua duo adeſſe foraminula patentia, quibus aërem haurire venator aliique confirmârunt: quod primo intuitu mihi abſurdum videbatur, cùm ſub foramine ſtatim cranium delituerit, ductusque patentes alios invenire non licuerit: poſt autem fidem aliquam ipſi adhibere fecit, & naturæ ſollertia, quæ animali iſti, in ſummis alpibus degenti, viis hiſce non fruſtrà proſpexit: & gratiſſimæ Pythagoræ noſtri, quem ſuper hac re primum conſului, Amici verè fraterni, literæ; ita autem ille die 10. Auguſt. labent. hujus Anni 1682.

Quæ de rapicapris notas, omninò ſunt memoratu digniſſima, nec tamen nova: Nam & Oppianus pridem ita cecinit Cyneg. l. 2. 339.

Αἰγάγροις δέ τις ἐστι, δι᾽ αὐτῶν αὐλὸς ὀδόντων.

Quibus ego quidem non potui non acquieſcere, utpote exinde edoctus veteres plurimorum notitiâ non merè ſuperficiaria imbutos fuiſſe: ſcrupulus tamen animo hæſit adhuc, quem ob finem ulteriori aëris meatu animantia iſta indigeant; Unde die 25. Auguſt. ſeq. repoſui: Locus, quem ex Oppian.

tuis

tuis inseruisti, evidenter & inventum meum confirmat, & cereas injectiones Veteribus notas fuisse commonstrat: Illud autem mirari subit etiamnum, quare natura alia foramina pro aëre transmittendo huic quadrupedi insuper parârit, iisdem aliâs, quoad structuram partibus pneumonicis cum capris villaticis donato: num quod locos excelsissimos scandunt & inhabitant, majori pabuli nitro aërei copiâ indigere dicendum est? hæreo: cum oves sylvestres, de quibus idem Oppianus, sedes easdem petant & (uti canit ipse) celeres rapiantur in auras: Ad quæ eruditè rursus die 29. ejusdem Mens. respondit Amicissimus Vir; uti ex eruditis ejus meletematibus, Ephemeridibus nostris itidem insertis, videre licebit. His non ingratum fore auguror, si quæ venerand. *Carol. Sponius* Medic. Lugdun. Celebratiss. ad me Kal. Novembris St. N. dedit, adjecero: Quod te (inquit) à Pythagorâ nostro monitum scribis de miro foraminum ponè ægagrocerata usu, juxta eximium Poëtam Oppianum: Fortassis hoc ipso incitare ac allectare te voluit, ut rationem hujusce eventus singulari tuâ sagacitate investigares: *Ego, ut quod sentio, super hoc negotio liberè dicam, nullus dubito, quin foramina ista hoc in animali, orificia sint, in respirandi usum, à naturâ* τῇ δαιμονίῳ *constructa, ut per hæc ipsa, perq; meatum ab eâ parte palatum usque fistulæ instar pertinentem, aër facilius, uberiusq; tum attrahi, tum cum fuliginibus expelli possit, tanquam per idonea fumaria, in animali, pernicibus cursibus, saltibus, & acclivium præruptorumq; locorum scansionibus, per totum ferè vitæ curriculum indulturo: præcipuè quum venatorum, (uti sæpè fit) incursibus premitur, ac infestatur. Et certò memini, Naturæ Scribam PLINIUM c. 50. l. 8. nec non ipso vetustiorem VARRONEM c. 3. l. 2. R. R. ex Archelai auctoritate notâsse, Capras auribus spirare, non naribus, quemadmodum & ab Alcmæone proditum fuisse memorat Philosophus, c. 11. l. 1. de Hist. anim. Quanquam naribus istiusmodi feras eodem tempore non respirare, absurdum putem: Utraq; enim parte* καὶ διὰ τῶν ὤτων καὶ διὰ τῶν μυκτήρων *omnino respirant, teste Æliano* περὶ ζώων ἰδιότ. *l. 1. c. 53.*

*c.53. modò aurium vocabulo foramina ſupra laudata ponè cornua ſita intelligantur, ut certè intelligi debent.*

Adeò ut abundè iſthinc conſtet pneumonica eſſe hæc organa, de quibus Veteres paulò obſcurius, ſi non omnes, plerique ſaltem locuti fuerint: Rimari tamen oportebit ulterius, diſtinctam foraminum horum terminationem, quoties anſam vel alii, vel ego nacti fuerimus: Illud etiam de cornibus addendum, non inanem, uti quidem aliqui autumant, vel levem eſſe illorum uſum; propterea enim quod ad multam defenſionem adhiberi nequeunt, inutilia non ſunt, quod Ariſtot. l. 3. hiſt. animal. cap. 2. de bubalis capreisque præcociter aſſeruiſſe videtur, cùm vel noſtrates iis contra niti, certum ſit, utpote injuriam iis propellere aſſuetæ, neque penitus rejiciendum, quod Scaliger præfat. Exercit. habet: Capreæ (ſic illas vocat) ibice longè minores ſunt: Mira earum comparata nobis prudentia, ubi errabundæ quærunt novas ſedes aut paſtum, perſpectâ proximâ rupe, projecto pede ſæpè periclitantur ejus fidem, nempe mobilisne ſit, an fortaſsè lubrica.

Ajunt cornuum mucronibus (qui ſatis acuti ſunt) tergum ſcabere: Ex eâ ſcalpuritione, quæ pernicies evenerit, opus eſt cognoſcere. Creditum eſt tanta illas illo in pruritu perfundi voluptate, ut extremum cornu veſtigium in corium eousque adigatur, unde retrahi nequeat, quod ultimum penes authores ego reliquero, de priori neutiquam, dubitans: quinimò extra omnem controverſiæ aleam poſitum non videtur, quod Geſnerus negat contra Albertum & Iſidorum, qui cornibus de rupe ſe quaſi ſuſpendere ajunt, cùm ad iſtud cornua apta habeant: unde & Martialis de capreâ l. 13. epigr. 93.

*Pendentem ſummâ capream de Rupe videbis,*
*Caſuram ſperes, decipit illa canes.*

Ast satis de externâ quadrupedis istius facie lallâsse mihi videor, quam succinctè describere tantisper necesse duxi, ne aliis impostor audirem; de interaneis delineandis jam ero sollicitus: Abdomen reseratum epiploο superbiit pingui admodum, cujus ductus adiposi, luci quum obverteretur, egregiè conspiciebantur: hoc remoto in hypochondrio dextro emicuit hepar rubore suavi, loborum suorum visum reficiens, in cujus cavo vesicula fellis delituit, suis ductibus versus intestinum duodenum vergens, quâ destituuntur, si Aristot. illustri Peripateticorum Dictatori credimus, cervus & dama, uti colligere est ex l.2.hist.animal. c.XV. cujus rei fides sit penes ipsum: difficile enim credere est utcunque, balsamico hoc succo, quo insecta etiam, maximâ saltem, quod sciam, ex parte, donantur, ruminantia ista destitui: hinc tertius & quartus ventriculus prominebant, quorum *ille*, prout in hircorum nostratium anatome olim animadverti, folia seu cellulas habebat serratas, hærentibus inter interstitia alimenti reliquiis penitus exuccis: *hic* verò membranis foliaceis undique ambiebatur, conspicuis inter interstitia hinc inde plexibus glandulosis: *ille* insuper pilas exhibuit duas, minores, necdum cortice obductas, virides, fragmenta stirpium comestarum referentes, odoris summè fermentacei: de quibus aliquid adhuc infra: sub finem hujus & initium duodeni valvula apposita fuit insignis, regurgitationem ex intestinis versus superiora impediens: Ventriculus imus, seu omasum, & secundus, seu reticulum, ingestis pariter turserunt; formati cæterùm ut hircini, de quibus Exercit. 17. ad Pythag. Oesophagus pariter oblongus fuit & angustus, fibrosus tamen & glandulosus: Intestinorum tenuium tractus multiplex fuit, isque tortuosus, quæ cum crassis undique connectebat mesenterium, glandulis scatens, maximè circa medietatem sui, subfuscis, molliculis: post colon appendicem notavi, oblongam, in quâ glandulæ solitariæ *Pejeri* hinc inde protuberabant.

In ſiniſtro hypochondrio, ventriculum ſecundum amplexabatur lien, orbicularis omnino figuræ: Renes bini, quibus ſuperius appenſi erant ſuccenturiati ſubpingues intus & cavi, cum ſuis ureteribus ad veſicam pergebant, pone cujus collum, veſiculæ ſeminales propendebant, aliquot ℥. à proſtatis duriuſculis & in juvenculo hoc capro parvulis adhuc, diſtantes, ductibusque propriis in urethram tendentes, quos etiam in tauro ibidem loci diſtinctè oſtendi; Reliqua quæ de proſtatis & utero hujus animantis animadverti: inſerta ſunt Exercit. IV. & XII. ad Pythag.

Medius venter cor oſtendit majuſculum, pericardio obvallatum, cum ſuis vaſis, & pulmones, quorum veſiculæ, cùm ſanguine ferè exhauſti fuerint, eleganter admodum videri poterant; de horum ſtructurâ, aliarumve partium, prolixior eſſe nolo, cùm Exercitatiſſ. Malphigius, & alii illam eruditè enucleârint: Illud dixiſſe ſufficiat, ex ventriculorum pluralitate, quibus quadrupes iſtud gaudet, pateſcere, ruminantium perfectorum numero illud utique accenſendum eſſe, etiamſi, quî ruminatio abſolvatur, jam declarare non inſtituerim, cùm quicquid hujus eſt operæ, feliciter ac ingeniosè Nobiliſſ. Pythagoram noſtrum abſoluturum, & Erudito Orbi aliquando exoluturum ſciam: evidens eſt juxta ægagropilarum ex fragmentis comeſtorum compoſitio, de quarum generatione ſagaciſſimè diſſeruiſſe conſtat Excellentiſſ. Velſchium, cujus inventis parum omnino eſt quod poteſt addi, multum tamen, ubi majorem fidem ipſis hoc modo accerſi videbimus.

Antequam autem de ipſarum natalibus plura fari incipiam, priùs ſubſtantiam formamque earum delineabo, quas in ventriculo cellulato, torcularis vices ſuſtinente, reperiſſe me ſuperiùs memini: ſunt autem quoad ſubſtantiam ſolidiuſculæ, ſubrotundæ, colore virides, magnitudine globuli, ex innumeris fruticum, herbarumque ſubtiliſſimè tritarum, fibrillis

ſecum invicem arctiſſimè involutis compactæ: Fibræ iſtæ ita implicatæ prima pilæ ſtamina faciunt, primo generationis momento, ſenſimque adſcitis aliis, quæ pariter implicantur, in corpus ovale, interdum oblongum ac quadratum, diverſæ magnitudinis exſurgunt, & cortice quodam, qui in *hiſce* evidentior eſt, inveſtiuntur: dico in *hiſce* ſcilicet pilis majoribus & magis abſolutis, etenim non ſemper, aut ſaltem non æqualiter creſcunt, nec cute perinde veſtiuntur, ſed ad ſufficientem magnitudinem, quæ naturæ utcumque tolerabilis exiſtit, ſemel evectæ, aliquo modo ab incremento ſui ulteriore abſtinere videntur, uti quidem in bulithis res evidentius oſtendi poteſt, qui cortice nigricante undiquaque ſecundum ſui peripheriam obducuntur, relicto in parte ſuperiore parvulo foramine, vel angulo, in quem quod pilorum accedet, adhuc recondi neceſſe habet, aut è ventriculo eliminari, ne novo ovo materia ſuppeditetur: cujus veritatem haud parùm me docuit bulithos inſignis in omaſo vaccæ ante biennium repertus à lanio, mihique hinc dono datus: & confirmavit ægagropilus oblongus cute nigricante penitus obmunitus, quem ex Nobiliſſ. Aretæi noſtri liberalitate poſſideo, neque forſan contraire poteſt pilarum diverſa magnitudo, ni dicere malimus uno quaſi ictu cute illas obtegi, quod autopſiæ non parùm adverſatur: imò & ſanæ rationi; porrò meæ circa baſin ſuam ovalem quaſi agglutinabantur cellulæ alteri ventriculi, & in peripheriâ majorem fibrillarum coagmentatarum firmitatem oſtenderunt, reliquo ipſarum agmine, quod hiſce parietibus ambiebatur itidem artificiosè compacto, nec dum abſoluto (cujus etiam, inæqualis in parte ſuperiore conſpicua cavitas, indicium eſſe poteſt) exiſtente, minuſque renitente, quod ipſum ſucci corticem naturaliter conſtituentis, præſentiam aliquam arguere mihi veriſimile fit: de herbis, è quibus iſtis materia accedat, certi quid propalare non auſim, licèt cum Excell. Velſchio perſuaſum habeam, doronici ſolius ramenta illas non conficere: adjungam

jungam aliquid de generationis modo, de multiplici illarum usu vicissim lectorem ad laudatiss. Nestoris meletemata remittens: Ægagropilas per coagulationem potissimùm progigni ille statuit pag. 22. dum ait: Quanquam *verò ægagropilos fibrarum & succi plantarum nondum perfectè resoluti coagmenta veriùs statuerimus, haut parum tamen & aphronitri alpini & salis petrosi metallici ac arenarii linctum ad coagulationem acidi spirituosi fermenti in ventriculo facere monebamus:* quæ sententia, ubi acidi spirituosi existentia, (quam ab adversariorum injuriis salvam facere prudenter studuit,) & perversio ejusdem vel defectus, substiterint, plausibilis satis est: mihi verò, qui fermentum spirituosum subacidum in prod. Physiol. pro ciborum dissolutione gnaviter, ex aliorum meaque tum hypothesi adstruxi, etiam citra hujus incommoda, ipsarum ortus si non evidenter demonstrari, saltem adumbrari posse videtur: videlicet si dicamus, ægagropilas illis potissimùm in ventriculis progenerari, in quibus fibrillæ seu fragmenta plantarum minutissima facilè hærent, & hinc temporis tractu, accedentibus aliis, sibi invicem magis magisque implicantur, ac fibrarum matricium ope, quæ in ruminantibus suas partes egregiè saltant, tandem in corpus rotundum, nunc ovale magis, nunc oblongum excrescunt, quod singulari naturæ providentia ipsius animantis bono, ita compingitur, ne detrimentum gravius ventriculi parietes inde accipiant, & muco insuper viscido (cui partes salinas inesse non negârim) oblinitur, corticem dehinc constituente: Sententiam istam verisimilem si reddere nequeat, bulithi ex pilis deglutitis, nec tamen ita facilè coagulabilibus, generatio, confirmabunt, ut spero, tum loculi ventriculorum, in quibus reperiri consueverunt, 1. videl. 2. & interdum tertii, idoneam, structuræ peculiaris ratione denticulatæ & serratæ, sedem subministrantes, acidique fontes, hactenus saltem, minus decantati: tum, quod grana quæpiam salis splendentis aut coagulati, in omnibus non conspiciuntur; sique deprehendan-

hendantur, magis de aphronitri ab acido, quàm fibrarum coagmentatarum coagulatione testentur; reapse enim acidum ventriculi rupicapræ peccans (ex hypothesi loquor) cum aphronitro coagulatum, pilæ coagulum producere amplius non censendum, licèt particulæ quædam coagulatæ, iisdem coagmentati involucris impactæ quandoque inveniantur; ut taceam, nondum extra controversiæ aleam positum esse, nonnisi in statu morboso illas scaturire, ventriculi fermento (quod hujuscemodi aciditate imprægnatum graviora adhuc produceret symptomata) à statu naturali multùm recedente, siquidem vegetas acrobustas, quibus ne gry quidem, ex interaneorum saltem lustratione, deesse dici posset, pilas ejusmodi progenerâsse constet: generatæ autem præternaturales fiunt, dispositionemque morbosam, præsertim ubi majus incrementum sumserint, tandem inducere possunt, cui naturam, cùm levitate, quâ corpus istud pollet, tum artificioso illius compigmento & munimine, obviam ire tantisper, ego sanè arbitror: accedit huc, quod, suppositâ nudâ coagulatione, ægagropili mobiles forent, (qui autem non sunt) & generationis primordia adepti, à naturâ eliminari possent ac deberent, nî inertiæ ipsam accusare velimus, quæ corpusculum fluctuans, animantis detrimento, non modò non ejiciat, sed ulteriorem alimoniam ipsi insuper suppeditet; eventu proin & autopsiâ contrarium testante. Satiùs erit dicere fibrillas istas solutas, in unius alteriusve ventriculi loculo implicari, ac implicatas hærere, & quasi agglutinari; quam agglutinationem faciliorem & frequentiorem reddi aphronitri, aut salis petrosi lincti copiâ, in aliis magis, in aliis minus, si quis statuere volet, cùm usquequaque ἄτοπον non sit, per me liberum esto; mihi ista tantisper delibâsse sufficiet, dum cum Deo & otio meliora ac evidentiora edocear: In quarto ventriculo ægagropilos conspectos fuisse æternâ laude dignissimus *Velschius* commemorat, ex aliorum magis fide, quàm propriâ autopsiâ, unde & infrequentes inibi eosdem pronuntiat:

tiat: ego aliorum teſtimonia irrita non faciam, quin potiùs decenter veneror, avem tamen hanc raram illic loci videre geſtirem; mirum enim utcunque, ubi plantarum prima re-ſolutio, ardua & laborioſa peragitur, fibrillas non hæſiſſe, ſed eò delatas eſſe, ubi ſucci expreſſi fortè ulterior fit agitatio & elaboratio, adq́ue partes inteſtinales immediata transmiſſio: De fermento quoque ſpirituoſo ventriculi, quod nonnulli penitus exulare faciunt, quibus glandularum liquor ſpiritui animali pro vehiculo (quo tamen non indiget) tantum eſt, quædam adjungere poſſem, non tam defenſurus aciditatem talem, quàm ipſi ineſſe plures perperam arbitrantur, quàm liquorem glandularum ſtomachicarum, à meris ſpiritus nitroſi ſervitiis vindicaturus: Verùm in immenſum excreſceret epiſtola, quam his incluſam volo cancellis, pluraq́ue eſſent alia, quæ ſuprà enarratis adjici poſſent, à quibus tamen hâc vice abſtinere conſultius duco, dum experimentis reiteratis, mihi vel aliis plura dicendi, occaſio ſuccreſcet.

*Script. Baſil. d. 8. Decembris*
*Anno 1682.*



# HERMES CURIOSUS,

*Sive*

# INVENTA ET EXPERIMENTA PHYSICO-CHYMICA

*Nova*

CHRISTIANI ADOLPHI BALDUINI,
S.R.I. Academ. Nat. Curiof. & Societ. Reg.
Anglic. Collegæ, d. Hermetis.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO cIↄ Iↄc LXXXIII.

*Ad*

# CHRISTIANI ADOLPHI BALDUINI
## d. HERMETIS
## BEATOS MANES.

TE pax alta beat defunctum partibus ævi,
Noſtri adeò nuper ſplendida gemma chori!
Quòd tamen haud totum ſinimus requieſcere, factum
Id cum pace tua, nec ſine laude, reor.
Poſtuma ne pereant præclara reperta, ſed extent,
Jamque tui major nominis extet honor.
Cùm poſtrema ferè ſint acceptiſſima, ſicut
Cantus is eſt, edit quem moriturus olor.
Quare poſt obitum non triſtis compita mundi,
Plurimus in chartis hiſce legendus, obi.

HELIANTHUS.



# LECTORI CANDIDO
## S. D.



*Quod sibi Symbolon esse voluit Imperialis Naturæ Curiosorum Academia:*

*NUNQUAM OTIOSUS:*

*quod Lemma Societas Regia Anglicana: NULLIUS IN VERBA: horum autoritas apud me semper summa ut esset, sedulò feci. Nam nec, otiosus cùm essem, Utriusq; Membrum, sic horas transmisi, planè ut agerem nihil. Ei rei testes produco, quæ legis, Inventa Experimentaq; Curiosa.*

*Quod autem, nullis me alienis sententiis passus astringi, in nullius Magistri Verba jurârim, facilè me absolvere possunt, quæ inibi continentur.*

*Ferè hæc nova Omnia sunt. Quintiliani enim judiciô, pigri hominis fuerit, in his acquiescere, quæ ab aliorum ingeniô ac industriâ veniant. Brevia sunt, sed in recessu habent non pauca.*

*Restabat, ut, quem Naturæ Curiosis delineassem, istis nunc innotesceret Labor. Quod quò citiùs fieret, in mentem venit Typographiæ, quam, vili precio, meis portatilem usibus ipsemet destinâram. Nec successu res caruit. Prodeunt enim Observationes hæ novæ, nostris manibus, Typis nostris exscriptæ, ne Cochleâ quidem Prælôve nec aliis, quibus Pressores vulgò utuntur, adhibitis Instrumentis.*

*Lege itaque, quod peto abs te primùm, Curiose Lector! hæc Curiosa, nec, quàm intellexeris, priùs judica.*

*Tuô autem HERMETI CURIOSO huic favore ad altiora imprimis stimulum perge addere. Vale.*

 I. AQUI-



I.

# AQUILA SOLARIS MAGNETICA.

CEssi tandem petitis gravissimorum de Collegio Academiæ nostræ Imperialis Virorum. Qui, ne Aquilæ Solaris Magneticæ illius, quam (nutu S. Cæs. Majestatis) æternæ memoriæ inter Invictissimum Augustum Ejusdemque Augustam d. 14. Dec. 1676. Passaviæ celebratarum magnificentissimè Nuptiarum feceram, brevem saltem Delineationem premerem, aut diutiùs Publico inviderem, monere non destiterunt. Esto itaque [I.] hæc Observationum, quas, de Inventis Physico-Chymicis meis, cum DEO! singulas, Mensibus singulis, destinavi.

Nimirùm referebat Ea Imperialis Formam Aquilæ, ad hæc biceps & Corona insignis. Illustrabat Sol Pectus, duabus his literis, L & M, nexu inter se vinctis, ijsque augustissimorum Utriusque Cæsareæ Majestatis, LEOPOLDI & MAGDALENÆ Nominum indicibus, notabile inprimis atque conspicuum. Præferebat alias duas quasi Rostris insertas, E & T, quibus Eleonora & Theresia, reliqua Augustæ nomina, designarentur. Sceptrum ungues armabat ac Gladius: Cœlum, quod ambiebat, aureis stellis distinctum: Speculum autem, cui inerat hæc Effigies, arte chymicâ confectum octangulum. Thecæ denique argenteæ deauratæ, insculpti hi versus:

*Flammivomi Solis rutilans Aquila attrahit aurum:*
*Et Sol imperii Te, Leopolde, trahit.*

* * *

*Der Adler zieht der Sonnen Gold,*
*Die Sonne Dich, ô Leopold.*

Itaque quemadmodum Aquilæ nomine Imperatorem Ipsum, Solisque Augustam velim intelligi: ita quôvis diei tempore magne-

magneticâ vi, ignem Solis (sine ustione) ex aere aquila attrahens, ejus operâ, admirandum in modum in obscuro tota flammea apparebat. Quod ne gratis à me dici quis opinetur, habeo utique, qui & S. Cæsaream Majestatem suis mihi Literis referebat, Experimentum ejus Rei sumsisse haud rarò, eòque Gazophylacio suo jussisse inferri, ut (Magnif. D. Nic. Guil. Beckers, Cæs. Maj. Consilarii & Archiatri verbis) ibi Cæsareas inter Raritates perennare & fama autoris perpetuò splendere valeat. Quid? quod Aquila dudum ista Gratiæ Cæsareæ non tantùm Phosphorus, sed & aureis suis radiis lares meos illustrans facta est sol. Cæterùm unde præparavimus Universale hoc subjectum, Sophorum fuit, in quo latet Ignis & Luminis naturæ realis atque essentialis scintillula, imò secretissima nec non immortalis anima illa azoth ipsius, & consequenter intrinsecus atque invisibilis Ignis, visibilem Solis Ignem vel lucem mirificè attrahens, splendoremque ejus vicissim in tenebris emittens ejaculansque; nam lux non nisi raritate partium differt ab Igne, & Ignis cœlestis ab elementari puritate tantùm distinguitur. Magna res est, veram cognoscere Lucem, quam si noveris, noveris aurum verum & Sophorum, noveris Ignem & plura alia, quæ tantò celarunt artificio.

Sed rarò sine nube cœlorum lux effulget, aut sine veniâ labor, in clarissima quanquam luce occupatus. Lux igitur æterna tenebras nostras illustret, ut videamus clariùs, quæ Luce apertâ Infinitum Lumen exposuit!

## II.

## POMUM IMPERIALE FULGURANS.

PArùm fuerat, Inlustrem Naturæ-Curiosorum Academiam confirmasse patentibus Literis, quas vocant, clementissimè scriptis: nisi, qui Eidem dedissent nomina, S. Cæsarea Majestas in hos munificentiam suam pariter exerceret, meq; adeo, elapsô abhinc annô, Splendidissimâ Torque aureâ, una cum Effigie Cæsarea, imprimis remuneraretur. Cui ut nunquam,

 celebran-

celebrandæ gratiæ, nedum referendæ esse potero; Sic decere gratitudinem meam subjectissimam vicissim existimavi, ut, quod Chymicâ arte præparassem, Pomum Imperiale Fulgurans, Eidem Sacratissimæ Majestati dedicarem humillimè, permitteremque. Erat id Globus Vitreus Ingens, Cavus, Cruce conspicuus, totus denique inauratus; nisi quod circumscriptum eidem

LEOPOLDI

Augustissimum Nomen transpareret, emittendo, qui intus continebatur, Igni scilicet. Quem enim in obscuro Globum si constitueres, fulgurabat assiduè, per literas Nominis, quod jam diximus, LEOPOLDI, velut erumpentibus Flammis. Nec id semel atque iterùm tantùm de die, sed quotiescunque visum fuerit, noctu etiam.

Cæterùm consistit in forma liquida Ignis hic, unde seu Ignem-Aquam, aut Aquam-Ignem, utrumque recte, nomines licet.

Materia ex meomet Corpore est, ex qua, singulari artificiô Chymicô, utut non sine ingenti labore, Ignis ille est humidus præparatus: ab Igne, cui Aquila Solaris nostra Magnetica debet originem, siccô differens multum.

Constituitur enim iste ex sale, Sulphure & Mercurio Subjecti Universalis macrocosmici; cum iisdem ille ex principiis Subjecti particularis microcosmici sit. Quanquam uterque expers corruptionis & sine ustione, qualem Philosophi Arabes olim in inclyta civitate Aden Sultano Principi maximo & polytropo ostenderunt; (ut fidem haud dubiam Excellentissimo Puerario, in Genuensi Academia Prof. P. & Medic. Doct. fecit doctrinâ & genere illustriss. Casp. Scioppius.)

Sicuti igitur Seculô etiam nostrô concessit Natura, Nova Ignea invenire: Ita dùm connata omnibus Lux, quasi pyrite, laboribus nostris excutitur, & ex latebris provocatur, ex parvâ scintillâ immensa flamma accensa Cœlorum conditioni nos

nos æquat, altiusque & ad Summa niti, Origini ut reddamur, extimulat, quasi subditâ Face.

Interim, quin Imperiale Pomum hoc Fulgurans S. Cæsareæ Majestati plurimum Delectationis sit allaturum, ut nullus dubito: Sic, ut Orbis Imperialis, [cujus Pomum idem insigne,] una cum Maximo LEOPOLDO, non in pace tantùm exsplendeat, suosque quoscunque fideles subditos foveat benignè ac tueatur, sed & in Bello imprimis fulguret, terrorique externis hostibus veniat ubique, ex animo oro precorque.

## III.

## VERTUMNUS IGNEUS.

UT rarò est, qui de hoste optimè sentit, ita, sævientibus passim incendiis tristissimi belli, quod adversus Roman. Imperatorem Galliarum Rex gerere cœpit, elapso ab hinc proximè anno, frequentatum, nimis quàm temerarium, Votum istud Gallicum est:

*Florent les Lis, l' Aile perdu!*
*Lilium floreat, Aquila pereat.*

Ego, qui tum fortè Inventis Igneis operam dabam, id intuens, cœpi statim & de Vertumno Igneo cogitare, non qui inverterem, quod satis futile intelligebam, Votum, aut, (quod à me quidem quàm longissimè absit) par pari referrem: sed ut Curiositati meæ etiam hîc indulgerem.

Formavi itaque in Lamina cuprea, ingenti illa ac semirotunda, è peculiari quadam eâque minerali materiâ, Insigne Galliæ, Lilium aliquod; ita quidem, ut in illo biceps Aquila, vix noscibilis, contineretur, cum Lemmate: Lilium floreat, Aquila pereat! Cæterùm, quæ incaluerat paulum jam, obscuro alicui conclavi quamprimum Laminam intulissem, continuò, quod dixi, cum lemmate Lilium, in Imperialem Aquilam versum, Inscriptionem hanc præferebat: Vireat Aquila! tantum flammæ aut ignis absque fumo ac fœtore vomentem, quantum

quantum vel internoſcendo homini ſatis eſſet; liliô contra cum votô gallicanô ſalvis iterum atque rectè habentibus, ſi ex obſcuro auferrentur. Quæ quotiescunque libuerit, experiri licebit. Nunc, non ita pridem reductâ Pace, divinâ clementiâ, bellisque fugatis, cùm inverſus rerum ordo videatur, & hic meus Vertumnus aliô velut habitu incedere didicit, in Aquila Lilio, Eâdemque in Iſto amicabili compoſitionis lege quaſi coeuntibus inter ſe atque unitis, utrisque Pacis lumen fundentibus, quoties lubet, nec ſine Voto, quod ſincerum magis tale legere eſt:

AQUILA VIVAT,
LILIUM FLOREAT!

En verum Igneum Vertumnum! Subjectum ex quo Matrix eſt mineralis, lapidibus metallicis adnata; nec unius illa quidem generis, & diverſicolor admodum, alba puta, mox viridis, nunc purpurea &c. unde & flamma nunc alba, nunc viridis, nunc purpurea gignitur. Cujus imprimis Materiæ operâ Imagines igneas alias, ſeu Emblemata, locô variorum colorum, flammis variis exhibere poſſis, incredibili oculorum animorumque oblectamento. Latet enim in Matrice hac mineralis ignis, primum mobile Metallorum, ſeu embryonale ſulphur, purum adeò ac ſubtile, ut, ſi ardenti injicias pulverem pyrium, ne incendat quidem. Ubi, vel parum calcinatæ iſtius materiæ Phiolæ hermeticè ſigillatæ (calidis impoſitæ cineribus) inditum, integrum facilè diem absque fumo ardere lucereque poſſe, admiratione dignum pariter videatur. Quæ cùm itaque bona ſpeculatio ſit, cui praxis & natura conveniant, perſcrutatus hanc Mineram eâ diligentiâ ſum, conſumptisque libris aliquot, quadraginta horum circiter cepi Experimenta; quæ ſi tanti videbitur opera, fieri poteſt & ipſa aliquando lucem ut videant. Nec, ineſſe Subjecto iſti, pari ſtudiô eruenda naturæ complura miracula, ullum mihi ſit dubium.

IV. SPHÆ-

## IV.

# SPHÆRULA VITREA (Ori inserta) LUCENS.

EXtant in Actis Philosophicis Illustriss. Societatis nostræ Regiæ Anglicanæ, d. 18. Jan. 1666. No. 21. Relat. 4. de Interitu modi præparandi Lapidem Bononiensem lucentem, quæ sequuntur, digna notatu: Non est in rerum Natura Materia nobis cognita, quæ prædita sit virtute hujus Lapidis; adeò ut [ad pudorem hujus seculi] haud probabile sit, Phænomenon illud denuò repertum iri alicubi, præter quàm in chartis, nisi fortè Genius aliquis felix incidat vel in eandem vel in similem scientiam.

Quæ cùm diu multumq́ue animo volutassem, fateor, lubido incessit, vindicandi non ab interitu tantùm artificium istud, Lapidemq́ue, quem præparassem, luciferum asservandi inter Arcana: sed & de Subjectis aliis cogitandi, quæ inventa à me, virtute longè ante illum, quem dixi, lucentem Bononiensem Lapidem essent: quod quidem in Aquilâ meâ Solari, Pomo Imperiali fulgurante, & Vertumno denique Igneo abundè mihi videor præstitisse. Cæterùm, his non contentus, & in hanc porrò cogitationem curamq́ue descendi: Annon in Cordibus quoque Humanis visibilis Ignis quidam aut Lux à Magnete luminari aliquo attrahenda? Et, si detur, tam potens illa sit, latentem in Magnete excitare Ignem atque accendere?

Quantum ad [Primum] noveram antè, ex Dissertatione de Flammula Cordis, Jacobo Holstio, Viro Excellentiss. ejus Authori, quid animi esset: Esse scilicet de purissima Flamma Cordis Ignem & non urere. Quamvis Nobilissimus Gualt. Needhan, Med. Doct. Londini, in Disquisitione anatomica de Fœtu formato, putatitium Flammulæ vitalis Succenticulum vocet: Illustris autem Robertus Boyleus ἀπέχειν hîc satiùs duxerit, oculari demonstratione sine dubio destitutus. De

[altero] laborandum minùs existimavi, quod de Solariæ nostræ aut Magnesiæ philosophicæ Igne Magnetico mihi constaret: cujus ergò beneficiô haud ita pridem Sphærulam Vitream, quæ Pediculo eleganter inaurato sustineretur, Chymicè præparavi. Quam Ori insertam modicô calore ibi si foveas, in obscuro adeò lucet, ut candefactum Globulum aliquem ferreum putes. Expers est, nisi frangas, corruptionis; &, quandocunque libet, experire, non deerit unquam.

Imò suspensa de collo Fœminæ alicui, quàm diu vita ipsi supererit, Mammas inter, assiduè fore arbitror, in occulto ut luceat, ob calorem, quem spirant.

Quemadmodum enim Nobilissimus *spiritualis* ac cœlestis contentus eâdem in Sphærula Ignis est, quem *Mundi* velut *Animam* credas: Sic affinis idem quàm maximè Calido innato aut Spiritui vitæ corporum illorum, quæ circumferimus homines. Neque ullo Calidum innatum pacto distinguitur ab cœlesti illa Luce, quam in creatione Universi per omnia Elementa ac Cœlos, posito in sole tabernaculo, Deus dispersit: Cùm sit, è contrario, humana Anima Lux Divina quædam, & rectè credatur.

## V.

## SOL ARTIFICIALIS PERPETUO MOBILIS.

QUod nemo Curiosorum eat inficias, artificialis Motus perennis Ingeniorum verè Tormentum fuit hactenus. Hinc ejusmodi Machinam, post tot seculorum decursus, plurimi inter impossibilia reputarunt. Igitur Technicen Ævi nostri cùm deficiat infiniti motûs Principium; Arti intrinsecum; arcessenda erunt auxilia ab ipsa Natura, quibus æquivalens quædam motûs perennitas, & ab Arte debitè applicanda Machinæ, ut hæc perennem motum mixtum, sive Physico-Mechanicum efficiat:

Nixus ego hôc fundamentô, cùm variè ſudaſſem, SOLEM tandem inveni, qui perpetuò mobilis eſſet.

Refert humanam ille Faciem, circumcirca Radios emittentem. Materia Lamina eſt, ſubtilis eademq; inaurata. Via per aërem, in Cœlo picto, quod ſpectanti deſuper pictam affabrè Regionem, duarum quaſi ulnarum, & amplius, quô decurrat, ſpatium præbet. Oſtendit, quem diximus, Sol curſu ſuo, pro variâ aëris temperie, caloris ac frigoris incrementa ac decrementa, non ſolùm in proximè circumſtante, ſed etiam in longè latèque circumfuſo aëre, internoſcens ſimul, qui ſit, decurſu totius anni calidiſſimus, qui frigidiſſimus dies.

Neque tamen, [ quod cuiquam venire in opinionem poſſit] animatur Automato Sol. Magnes Hermetico-aërius, idemque in æquilibrio poſitus, hunc qui regit, eſt: nec corruptioni ulli ab calore aut frigore quidem venit obnoxius; unde non æſtivô tantùm, ſed hybernò quoque tempore, in conſuetis nobis Vaporariis, uti ejus operâ licet, nihil præpeditò curſu ipſius calore illo, quo, per anni id tempus, frigus nobis defendimus, ex quo de tempeſtate extra hypocauſtum judicare in promptu facile ſit. Anni jam ipſi quatuor ſunt, cùm Eundem Cœlo ſuo donavi; necdum de effectu ſuo quicquam remittentem. Quem, perpetuò mobilem, in Muſeo noſtro, non ſine viſentium ſtupore, tot jam hactenus oculis Curioſorum expono, nondum ſatis penetrantium, quo illum Magnetiſmo ſecundùm gradus caloris ac frigoris moveri contingat. Quod quemadmodum Inventum Chemiæ, tum Phyſicæ inſuper atque Mechanicæ noſtræ debet originem: Sic, quin ſimili modo Machinis perpetuatis haud paucis aliis efficiendis occaſio detur, quis juxta mecum non videt? Liceat mihi XII. Signa illa Zodiaci, exempli gratia, proferre; quæ, quàm elegantiſſimè poteſt, efficta Cœlo & iſti picto applicarem ſic, ut ſingula ſingulis vicibus è nubibus prodeuntia adparerent. Cumque, conſentientibus Aſtrologis, alia ignea atque ſicca calidaque, alia ex adverſo frigida ſint, cùm aquea, tum humi-

da quoque: efficerem ego, uti per vices aſpectu ſuô quodlibet gradum vel caloris, vel frigoris, in aëria Regione, per integrum annum indicaret.

Tanta eſt humanarum mentium ſitis Cupiditatis in Omnibus, quibus delectantur, tanta aviditas, ut nunquam repelli contingat, ac ne tum quidem expleatur, quin Novi ſemper exoptetur aliquid!

## VI.

## ENCAUSTUM HERMETICUM.

FErtur, imperante Tiberiô, vitrum Artifex quidam ductile illud ac malleabile inveniſſe, Cæſarique dono dediſſe, quanquam irreparabili ſuo cum damno, quippe quem Imperator decollari juſſerit, additâ ratione, ne, ſi artificium innoteſceret, aurum argentumq́ue luti inſtar vileſcerent. Quod ut Sarisberienſis Joannes, Anglus ille, (floruit is circa Ann. Chr. 1182.) in Policratico ſuo L. 4. 5. cum Plinio, L. 36. c. 26. inter res incertas, quæq́ue à falſò propiùs abſint, videatur referre; non omnem planè fidem huic tamen abrogat Dio Caſſius Lib. 57. Hiſtor. p. 614. Vide ſis Iſidorum Lib. 16. 15. Jan. Duzam in ſuis ad Petronium Præcid. cap. 9. Ludovicum Cœlium Rhodigin. lib. 20. lect. antiq. cap. 30. Guid. Panciroll. Rer. mem. deperd. p. 1. tit. 36. Sed non decollarit hunc Cæſar Tiberius, (quanquam ad ſævitiam natum ejus ingenium, ex Suetonio, quotusquisque eſt, qui ignoret?) num ſit propterea artificium ipſum vocandum in dubium? pro eo ſtantibus tot Hiſtoricis, quibus de rebus aliis plurimum credimus. Licet inter ævi ſui deperdita non immeritò referret, cujus jam meminimus, Pancirollus.

Interim neque ita multò ante Liquorem inveni, dictum mihi Encauſtum Hermeticum, cujus tanta virtus, tanta efficacia eſt, ut vel duriſſimo Vitro ſit penetrando.

Erat inuſtum picturæ genus Encauſtum Antiquis, poſt deinde Liquor ille, quò ſcripturi Cæſares utebantur, nempe ex

ex Conchylii ſanguine, ſive purpura (l.6.C.de diverſ. Reſcriptis) præparatus, deſignabatur. Cæterùm cùm Encauſtum conſueverit dici Liquor hodiè, quò & nos ſcribentes utimur, & hinc Meo vocabulum dedi, ſed cum adjecto, nam & Hermeticum volui dici, nòn à meo tantùm Hermetis agnomine, ſed imprimis, è quâ confectum idem eſt, ab Materia quoque Hermetica ſive Mercuriali.

Soleo iſthòc ego in Tabellis vitreis Typos effingere atque Imagines Regionesque & Inſignia; ſcribere item Dicta, ita quidem, ut, (quod cælo conſuevit) non velut inſculptæ inſint figuræ illæ; ſed quaſi exſcluptæ extent emineantque. Cujus rei complura hactenus documenta, ac præcipuum iſthoc elegansque imprimis, effictо in Vitro ſpeculari Potentiſſimi Magnæ Britanniæ Regis CAROLI II. Societatis noſtræ Anglicæ Fundatoris atque Patroni, ſub Coronâ Regiâ, Nomine, non ita pridem exhibui.

Non eſt ſanè de nihilo & miraculum debet duci, naturam ejusmodi nobis materiam, vel duriſſimo Vitro [nullis aliàs aquis fortibus regiisve penetrabili,] emolliendo ſuppeditâſſe.

Quid? quod eodem ex fundamento nuper album mihi confectum Vitrum Speculare, effictusque in fronde ſedens quidam Pſittacus eſt. Erat, cryſtalli inſtar, ille pellucidus, Vitrô ipſo obſcuro; qualis Murrhinis color poculis eſt. Quod ut Vitrum corruptioni ab ſale alcali, ſive ſpiritu corroſivo nulli obnoxium, non eſt illud tamen non admirandum, ſi communi aquæ immiſeris, pellucidum fieri; contra ea rurſum ſiccato obſcuritatem ſuam redire.

## VII.

## PHOSPHORUS HERMETICUS PERPETUUS.

ET ſi, quæ de Phoſphoro, annis abhinc IV. admodùm, edidiſſem, ſatis fore, adeòque in poſterum de re illa nihil mo-

vendum amplius mihi, existimabam; tamen, quòd de Phosphoris Commentatione Epistolicâ, VIR EXCELL. GEORG. CASP. KIRCHMAJERUS, P. P. WITTEBERG. veteris amicitiæ fide junctus nobis, inter cætera, detrahere de splendore ejus, Kunckelio æquior, conaretur; non potui, quin, quos illi visus offundere esset, quasi Nebulas dissiparem, invitus, cæterùm quod Lex nostra Academica XII. jubet, amicè humaniterque. Neque nunc verò de Inventione Phosphori, quem [ex Urinâ hominum inspissata fieri solitum] nobis descriptum dedit Virorum Amplissimus: Kunckelione? annon Brandio, Hamburgensi Chymico potiùs asserenda ea sit? disputabo. multò minùs dispiciam: uter Phosphororum alteri præstet? minimè omnium autem in examinandis refutandisvé KIRCHMAJERO eruditissimè traditis, occupabor: istud impræsentiarum unum acturus, ut, quæ Nostro imputare ibi visus Phosphoro est, sed modestè, sed leniter & sine felle declinem, virtutesque illius, Ejus dissensu, Orbi Literato, nondum esse debilitatas, ostendam. Nam, quòd, Commentarii pag. 9. Phosphorum meum, ait lucem nullam, sed mutuatitium saltem lumen habere in se: demonstrare quî audeat, scire oppidò velim. Fortasse, cui contradicit, Phosphori tractandi methodum ignoret. Et non lecta Illi de Appendicis [quam DE AURO AURÆ TRACTATUI MEO annecto] §. 9. verba hæc sunt: Phosphorum, vel Magnetem Luminarem non alienô tantùm lumine gaudere, sed & propriô igne, [vel si mavis, luce] lucere? Sed fortasse, quòd non viderit, fidem asserto isti non habet Dn. Commentator. Non cogam id equidem. Promitto interim recipioque, pransum paratum, quocunque tempore, qui volent, habituros me esse, omnibus ac singulis ostensurum, quem jam totiens dico illum Phosphorum meum, si vel pennâ aut culmō tetigerint leviter, nullâ attractione luminis præviâ, scintillas quasdam emittere. Ut sic, quòd non veram tantùm lucem substantialem habet internam, sed & lumen externum attrahit, jure Phosphorum nominarim.

Deinde

Deinde, tanquam minùs accusat durabilem, (p. 10.) naturam scilicet Phosphori aggressus. Sed quid si regessero, quæ Clarissimo Liceto ipsemet suggerit Dn. Commentator: (p. 6.) Alkor non Lunam vidit plenam? Fertur, in huncdiem, quem, Stellæ instar, argenteæ Thecæ laminis deauratis, inclusum, ante hos ipsos IV. annos, Magnæ Britanniæ Augustissimo REGI permisi; integris adhuc viribus esse, h. e. lucere. Quid? quòd etiamnum in proclivi producere est, Phosphoros aliquot, ante hos qs. V. annos mihi confectos, nec nisi ligneis receptaculis asservatos, qui & ipsi nihil dum de effectu suo remittant. Non diffiteor durationis ut plurimùm causam Phosphoro esse ab eo, cum cura ut præpares. Quam quòd sine dubio Dn. Commentator rationem ignoret, quid mirum, meo si demat? Cur autem, quæ non capit, insciuscarpit?

Quærit denique Hermeticus Phosphorus cui usui cedat? (p. 10.) ac pergit: Interponam fidem meam publicè, in Nitro, (Materiâ Phosphori,) neque inveniri hæc Arcana, (sc. Alkahest &c.) nec ab eodem posse sperari &c. Respondeo: Non crediderim, ipsum verô vultu hoc dicere. Interim, naturam Nitri nondum verè examinâsse, id verò est, quod mihi facilè patior persvaderi. Cæterùm quid si, in Nitro quæ latent, eò Mirabilia neget, ut eliciat? Age, si vera hæc sunt, Dno. ego Commentatori cum cæteris Curiosorum eam gratiam facturus, quæ, quantaque in Materia Phosphori, Nitro imprimis Philosophico, Arcana repererim Chymica, Experimentis, quæ sequantur, ostendam. ita tamen, ut ne temerè Hermetis sigillô violatô, in eundem Patrem nostrum quid peccem aut injurius deprehendar.

## VIII.
## PYGMÆUS SEMPERVIVUS.

EQuidem est Experimentum Hydrargyri, intra vitream fistulam erectam suspensi, ad vacuum comprobandum, memorabile cumprimis atque jucundum. Quod ut *Valeriano*

*Magno,*

*Magno, Capuccino*, ſunt, aſſertum qui eant: ſic plerique, *Robervallio* puta, atque *Kircherus*, *Merſennusq;* & *Schottus*, inſignem Ducis Hetruriæ Mathematicum, *Torricellum Evangeliſtam*, autorem verum agnoſcunt. Iſti *Georg. Sinclarus*, in Univerſitate Glaſguenſi Phil. Prof. Invento Baroſcopii nomen imponit, *de arte nova & magna Gravitatis Librô*, ubi hæc perſequitur latiùs.

Quemadmodùm autem Inventis addere facile admodum eſt: ſic vir Nobil. *Otto Gericcius*, ſingulari quâdam ante annos, aliquot praxi, de ligno Statuam, intra vitreum Tubum aſcendere ac deſcendere fecit, aëris quôvis tempore gravitati deprehendendæ. Sed, quod celandi ipſius ſingulare ſtudium eſt, rem arcanam publico hactenus & invidit preſſitque quantâ potuit diligentiâ.

Quanquam autem in præparandi Methodo, quam dudum excogitâſſe mihi videor, nihil quicquam errârim, fuit tamen, quod dimenſioni Tubi obſtaret. Interim mihi Illuſtr. *Dn. D. ab O.* Schema quoddam, additis Obſervationibus, exhibet. Cæterùm cùm & hîc, emendatione quæ indigerent, non pauca deprehendiſſem, operi me ipſe accinxi, eô ſucceſſu, ut ſecuto *Torricelli* fundamentum non *Pygmæus* tantùm *ſemper Vivus* unus: ſed & duo ex alio mihi principio naſcerentur. De quibus in præſens. (I.) Surgit mihi Spirituale genus, non indecoro opere, Columellæ. Ei duæ Coronæ, quaſi in vicem nexæ, ſuperimpoſitæ, inter quas parvus quidem, ſed diſtinctis, iisque appictis, gradibus Tubus vitreus prominens eleganti ſculpturâ Pygmæum includit. Viventis ſpeciem præbens, quem dixi, Virunculus externo aëre fertur; ſubindeque locum mutando, aſcendit enim atque deſcendit, digitulo monſtrat, quæ, ad CC. milliaria, in circumjacentibus terris aëris facies? qui ibi imbres, quæ procellæ, quæ aliæ tempeſtates; & an noſtrum ea petituræ ſint Horizontem, nec ne? Ea autem communiter indicat minimùm, duobus antè, vel tribus diebus. Prout enim celeritate utitur cunctaturve, ita fiunt. Huc Regulæ faciunt,

ciunt, quas judicandæ tempestati certas aliquot tradunt. Quòd si autem scire volueris, cui, intra CC. milliaria, regioni Venti illi & tempestates graves incumbant, tibi compara Instrumentum, cui XXXII. Rhombi Ventorum inscripti. quod ita dispones, ut quatuor mundi plagis situ respondeat exactè.

(II) Anni præteriére non amplius tres, cùm ex alio planè, eoque physico fundamento, Sphæræ vitreæ cavitati Hygroscopicum Pygmæum inclusi. Cernitur hæc in partes aliquot æquales, suis notatas numeris, extrà esse divisa. Virunculus ipse, insistens Machinæ, parvæ illi quidem, sed quæ minùs obvia intuentibus sit, vertitur tractû aërei magnetismi, in gyrum, jamque Orienti, jam Occidenti, mox & cæteris mundi plagis, intermediis quoque, obversus, quæ sit temperies aëris, monstrat, qui humiditatis gradus, qui siccitatis, quæ, insequenti die aut nocte, cœli tempestas &c.

(III.) Jam biennium est, ex quo & Pygmæus Horometricus inventus nobis. Principium Mathematicum automaticum est. Per Tubum autem, quem, ulnas non amplius duas longum, ei vitreum dedi, singulis XXIV. horis ascendens, notatas in Tubo partes illarum, quadrantes puta, dimidias, integras denique, interdiu ac noctu, digito ostendit. Inauratus Tubum hunc Globus tegit. Basis ex tenerrimo Alabastro non incelebris artificii Cranium est. Isti aureis literis subscripti versus.

*Prætereunt tacitô pede tempus & annus & ætas;*
*Vivitur ingenio. Cætera mortis erunt.*

## IX.
## MUMIA HERMETICA.

Nunquam de Ægyptiis Romanisque atque humanioribus gentibus soleo cogitare, quin Uncturæ feralis, seu Pollincturæ, in mentem simul veniat; ritûs scilicet, quô putredinis abigendæ à demortuis corporibus usi illi mortales, adhibitis Sale, Nitro, Cedro, Asphalto, Melle, Cerâ, Myrrha, Balsamo aliisque.

 Quan-

Quanquam autem nec infrequens ea res noſtrô hôc ſeculo in curandis Magnatum funeribus ſit, non fit tamen, niſi, ut apud Veteres, prævia evisceratione. Quæ, quod absque diſſectione corporis procurari non poſſet, vel hoc nomine crudelis haud paucis habita planè intermiſſaque eſt. Quô factum, ut de mitiori via, quâque cadavera integra condire liceret pollincireque, hodierni imprimis Medici Chymicique, [in quibus honoris cauſsâ nominandi *Magnif. Nicol. Stenonius, Illuſtriſſ. Ludovic. de Bils, Excell. Gabriel Clauderus,*] ſollicitè cogitarent.

Quemadmodùm verò hæc eorum Caromomia ut plurimum ſalinum, ob ejusdem videlicet efficacem penetrabilitatem, agnoſcit principium: ſic ſalita illa corpora mutationibus aëris, & in ſpecie humiditati ipſius [ſalinam ſubſtantiam colliquanti utique ac reſolventi,] nimium quantum expoſita ſunt, nec, niſi aliquamdiu, putredini reſiſtunt. Ut hinc *Celeberrimus Th. Bartholinus, Diſſertatione de Hepate, p. 551.* Condituræ Bilſianæ haud ſatis æquus referat: Corpora ejus Balſamica valdè madere. --- *Clauderus* autem, *Excell.* Vir, *Methodo Balſamandi c. 6. p. m. 172.* ultrò fateatur: Liquori ſuo, [quem ex cineribus clavellatis & Sale Armeniaco præparaverat,] enchiriſes veras, aëris injurias eludentes, quas applicaret, nondum ſe reperiſſe; non deſperare autem, cum Deo & die.

Admovi hinc & ipſe Operi manum, jam ab annis admodum ſex, neque tacui de Thermometro *Auro Auræ c. 10.* quod, conſervantis cujusdam ſalis ope è meo ſanguine perpetuum confeciſſem. Accedit, quod *Capite V. Veneris Aureæ*, de ſucco quodam Gorgoneo ſeu lapideſcente, Experimentum inſerui, noſtrum & planè ſingulare. Nec contentus his quidem, ſum ultrà progreſſus animumque ab tactu injurioſo aëris humidi liberæ, Pollincturæ adjeci. Quùm enim, ſeminis lapidifici ope, non Natura herbas ſolùm & ligna & panes & ova, piſcesque ac aves, corium denique atque alia, miranda quâdam metamorphoſi, convertat in lapides, ſed & quando-

quandoque materno in utero ipsos adeò Infantes, reservatâ, quæ hominis erat, figurâ, absque intermedia quidem putredine aut dissolutione materiæ; (cujusmodi, sed adultæ magnitudinis fœtum, versum in petram *Illustriss. Joh. Bapt. Helmontius,* Parisiis memorat fuisse excisum [*de Lithiasi, Tr. cap. 1, n. 11,*] Hùc Infantis, in abdomine inventi, & in duritiem lapideam conversi, quam *Deusingius* dedit, *Historiam* refer; nec non Petrificatum Puerum illum, ex Urbe quâdam Africæ, ante annos aliquam multos, *Cardinali Richelio* transmissum; referente *Magnif. Th. Barthol. Epist. Med. 53. Cent. 1.)* cur non artificio imitari naturam, illiusque quod diximus, seminis lapidifici beneficiô, durabilem minimùm duritiem Cadaveribus communicare possibile sit?

Opere ipso, anno proximè præterlapso, quæ speculatus fueram, adimplevi, fecique, per Nitrum purificatum ex arena albissima, Lapidificus mihi Liquor ut esset, qui vulgari Spiritui microcosmico mistus, Experimentis, quæ sequuntur, non defuit. (1.) Separavi Sanguinem meum recentem à Phlegmate suo, & tantundem dicti Liquoris sanguini isti adjeci, quæ feliciter adeò cessit mistura, ut rubentem egregiè in hanc horam & sanguinem servem, & de putrefactione ejus sim omninò securus. (2.) Piscem ego (quem de minutissimorum genere Fundulum vocant) (3.) Frustum Carnis deindè, per horæ spatium, Muriâ nostrâ condivi; condita ad aërem siccavi; siccata asservo, virtute Balsami hujus sine dubio salva integraque nobis futura. Quid? quod (4.) Vitro inclusus, per dies aliquot, Liquor ipsemet solidatur in aëre atque concrescit, juri gelato non absimilis.

Quæ ut ut sint, nondum tamen desiderio meo satisfacere potuére; non ob laborem, quem parandâ partim in conditurâ, partim balsamandis exsiccandisque corporibus requiri videam; sed quòd aërem, arte quoque petrificata; compererim, in arenam & sal resolvere aliquandò atque ita corrumpe-

re, licet quantâ poſſis cum curâ, avertas aërem arceasquè, ne mutet. Hinc non multò antè alia ac planè nova ratio Balſamandi excogitata nobis inventaque eſt. Condituram dictam multis paraſangis poſt ſe relinquens.

Veteribus Chymicorum Mumia ſæpè Balſamum eſt. Et hoc ſenſu novum ego Balſamum meum Mumiam, eamque Hermeticam appellavi. Eſt enim illud noſtrum univerſale Sal cum catholico Balſamo, cui refero acceptam, nullo penè labore ſumtibusque conſtantem. Quanquam autem, ex quo in Arcanum iſtud mihi licuit penetrare, negotiis gravioribus aliis impeditus: non niſi Piſcium, Murium, horumque, quorum minora corpora ſunt, experimentis fuerim confirmatus: quin majora tamen eaque humana corpora Mumiâ noſtrâ Hermeticâ præſervaturus ſic ſim, omninò dubito nullus, ut, viſceribus nullis, nullis inteſtinis exemptis, ac ne recrementis quidem ſeparatis, nulla ab aëre, aquâ, terrâ metuenda his corruptio ſit.

Quâ quidem de re, fieri aliàs poteſt, ut pluribus agam: aut peculiari quoque Tractatu Curioſum Lectorem impertiar.

## X.

## AZOTH ſ. SAL HERMETICUM.

PRæclarè ſemper de communi Nitro cujuscunque ævi Philoſophi cùm ſenſerunt, tùm locuti etiam ſunt, quippe quod Magneſiam Sapientum Titaniamque nunc Solariam, Lunariamque atque Uranogæam vocitarent. Conſtat enim non id Sale tantùm Terræ, qui Magnes ejus ſive attrahens eſt: ſed aëris quoque & Ignis Sale, qui, ſi compares, ferrum ejus ac chalybs ſive attractum. Solem Patrem agnoſcit; non invita Lunâ, quam Matrem dixeris haud ineptè. Quem rubeum igneumque habet, à Patre Spiritus: Mater album ei frigidumque Corpus aptavit. Undè calidum idem ac frigidum: vivificum

ficum pariter ac mortiferum eſt. Mirificus verò tàm diverſæ Naturæ Parentum Fœtus! Quem cùm non heri tantùm hodieque igne variè excuſſerim, produxerimque indè, quæ non injuriâ Mira habeantur & ſint: in quibus primô locô occurrunt Mundi Spiritus, (quem imperitè nonnulli, ex aëre nobis attrahi opinantur,) Mundi Balſamus, Aquila Solaris, Mumia Hermetica &c. & interioribus (ut ſic dicam) ejus denique arcanorum Summum, Centrale Catholicum Purumque Naturæ Mercuriale, ibi quod lateret, offendi, dictum mihi hìc *Azoth* ſeu *Hermeticum Sal*; quòd vocabulis iſtis, Azoth, Sale & Mercurio Philoſophico Chymici promiſcuè & ſine diſcrimine uſurpant.

Sed ſunt Ipſi, quas nunc damus, proprietates: (1.) Candorem, qualis nivis eſt, præfert. (2.) Nitrum ſapit. (3.) Solvitur, ſive vino aut vini ſpiritui, ſive aquæ, forti item, cæterisque menſtruis corroſivis immiſeris, ut nec ſtrepitum edat. (4.) Liqueſcet in argenteo cochleari, ſi vel lychnum, vel candentes prunas ei ſubjeceris, aquæ inſtar; nivis in modum, ſi dempſeris, iterùm congelaſcens. Cave autem fortiorem ignem ſubmittas; nidum enim Hermetis Avicula deſeret tunc, & Draconem aget volantem, evaporando citiùs, quàm putaveris, utut nullus (5.) ab graveolentia aut corroſione ullâ metus. neque enim (6.) propriè corroſivum Azoth hoc noſtrum; igneum potius eſt, (7.) incorruptibile quid, cujusque gratiâ Natura conſervat omnia, agens ſummum: (8.) Salamandra vera, in igne vivens & creſcens & multiplicans ſe, imò (9.) præſtantiſſimum in ſe Medicamentum, cujus in morbis non unis, Malignis Febribus, Calculoque, Maloque hypochondriaco aliisque ſatis expertus vires hactenus ſum. Ac, ut ſit volatile corpus iſtud Hermeticum Sal, occultum tamen (10.) ſuo in Centro fixi & permanentis naturam indolemque habet, coctione tandem perenni ac continuâ prodentem ſe manifeſtè ac erumpentem.

# XI.
# ALKAHEST HERMETICUM.

Tot tantaque sunt, HELMONTIO quæ de Alkahest memorantur, ut, qui legant, in mentem his veniat, possedisse nunquam Liquorem illum Secretorum Naturæ cum primis acerrimum Indagatorem: quidam autem omninò vocent in dubium, utrum fuerit unquam aut sit, quod nos Menstruum universale indigitamus. (Consule *Exc. Ludovic. de Comitibus* Præf. in Discept. Pract. Man. quamque *Otto Takenius* Epistolam super Alkahest juris publici fecit.) Sed cùm in cæteris Arcanorum nihil quicquam commentus fuerit opinatissimus ille Vir: adhæc non per integrum tantùm Opus crebra Alkahest nominis repetitio, sed & ipsam ita descripserit rem, *Tract. Arcan. Parac. p. m. 441.*) quòd Liquor sit immortalis, immutabilis, aqua solvens & sal circulatus, Qui resolvat tangibile omne corpus in liquorem sui concreti &c. utique non omnis ei fides abroganda statim hinc fuerit. licet summo id studio occultârit, ipsique ignotum adeò *Francisco Mercurio*, filio suo Menstruum esse voluerit. Quanquam autem persvasissimum & habeam, in conficiendo Alkahest, Argentô vivô, tánquàm materiâ, usum *HELMONTIUM*; neq; id minus, Argentum, quod dixi vivum, Artificialis ignis ope, in Aquam nullo igne mutabilem posse verti existimem. nimirum, ab superfluo, accidentali externoquè atque adustibili illô sulphure, nec non Humido superfluo si purges; solâ Argenti vivi ac sulphuris radicalis interni fixi substantiâ permanente; quòd si enim is serpens se ipse momorderit, reviviscens jam à veneno, tùm mori & nescit amplius, Mercuriusque de Mercurio nominatur: Quæ, inquam, ut certissima mihi essent, operi tamen tàm arduo pariter ac laborum pleno, adhæc vel solâ temporis impensâ preciosissimo, implicari religioni hactenus fuit. Potiùs in id incumbendum mihi existimabam, ut quod tanti Cæteris, nec

imme-

immeritò, fieri videbam, & è Sale noſtro Hermetico, videlicet Mercurii proprietates aliquatenus participante, Catholicum mihi ipſe Solvens componerem. Habet enim Sal idem ſecum ſulphur, & Mercurium habet, & eſt purus putus naturæ ignis, non elementaris, ſed cœleſtis prorſus, incorruptibilis, penetrabilis. Nec tanto labori noſtro, tantis ſumptibus ſucceſſus, fateor, defuit. Solvit Alkaheſt noſtrum Vegetabilia, imò ipſos Carbones; Mineralia, e. g. factitiam ſolvit Cinnabarim, Metalla omnia ſolvit, ac ſine corroſione quidem, potabilia ut ſint, efficit. Sicca enim hæc Aqua omne in tenuiorem ſubſtantiam corpus, cum medica facultate, reducit. Imprimis ſub examen nobis Metallorum venit nunc Rex, quod ſingulare planè cum eo inſtituo. Sed de hoc Capite ſequenti.

## XII.

## LAPIS MEDICINALIS HERMETICUS.

IN cæteris, quibus univerſale Menſtruum vocabulis gaudet, & Magnes Aureus eſt, cùm quòd inſignis ipſi cum Auro vulgari ſympathia intercedit; tùm quòd ſolvere radicaliter id, ſeque ipſi uniri figique, ut credunt, facilè patitur. Quemadmodùm itaque, annô proximè præterlapsô, viſurus, utrum Hermetis Arborem Solvens iſtud, ſeu Sapientum ignis, combuſturus in cineres ſit, nuptias ego Alkaheſt noſtro cum Auro puriſſimo Philoſophicas feci: Sic, cum calce Solis Alkaheſt miſtô, cùm in phiala leniter digeri permiſiſſem, nulla ibi ſolutio violenta, qualis per aquas fortes regiasque atque alias hujus formæ fieri ſolet: ſed blanda, ſed ſvavis, nec ullô auditô ſtrepitu ſequebatur. Et, interjectis quidem aliquot ſeptimanis, cum Auro Menſtruum ſublimatum, in varios ſe colores, cinereum, viridem, flavum, rubrum, fuſcum, cœpit induere.

duere. Rursum, ſpatio aliquot menſium, atramentum crederes, Illi candidus ſuccedebat: eô, quòd Solvens eſt, cum Soluto aquæ in modum calore fluentibus: contra ea concreſcentibus gelu. Eunt jam rurſus aliquot ſeptimanæ, cùm flavi coloris eſſe conſpiciebatur, in rubrum hodiè inclinantis. Spectaculum, quô jucundius magisque mirandum me videre unquam vix memini! Nec, quem per integrum ferè annum, diurni nocturniquè ignis cura non fatigavit, ab inceptô deſtiturus nunc quidem etiam ſum, dum, quod propediem ſpero, volente DEO! Medicinalis mihi Lapidis fiat copia!
Interim, cùm perficiundo illi pauca reſtent, pauſam
his quidem imperat.



# *DECURIÆ*
# ANNORUM SECUNDÆ
# MISCELLANEORUM
# MEDICO-PHYSICORUM
*Sive*
# EPHEMERIDUM
# GERMANICARUM
# ANNUS TERTIUS.


COLLEGIUM
ACADEMIAE
CURIOSORUM
L
NUN
QUAM
OTI
OSUS
MEDICO-PHYSICA
DEC. II
ANNUS III.
MINERAL.
VEGETAB.
Mora
via
Bohe
mia
Vratis
lavia
Misnia

# MISCELLANEA CURIOSA
*SIVE*
# EPHEMERIDUM
## MEDICO-PHYSICARUM GERMANICARUM ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM
*DECURIÆ II.*
## ANNUS TERTIUS,
Anni M. DC. LXXXIV.

*Continens*

Celeberrimorum Virorum,

*Tùm Medicorum, tùm aliorum Eruditorum in Germaniâ & extra Eam*

**OBSERVATIONES**
MEDICAS, PHYSICAS, CHYMICAS,

*Nec non*

MATHEMATICAS.

*Cum*

**APPENDICE.**

---

*NORIMBERGÆ,*
Sumptibus WOLFFGANGI MAURITII ENDTERI.
*Anno M DC LXXXV.*



POTENTISSIMO

*Atque*

INVICTISSIMO

IMPERATORI

# LEOPOLDO,

SEMPER AUGUSTO,

## PIO, JUSTO, FELICI;

ROMANORUM, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ & SCLAVONIÆ

## REGI,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

&c. &c. &c.

VICTORIAS! VITAM! FELICITATEM!

Hectorea

HEctorea de ſtirpe Ducum, Mitiſſime, quo nil
Excepto majus Numine Mundus habet.
Lumine ſic igitur dignatus cernere noſtros
Inclutus Auſtriaco diceris eſſe libros?
Auctor adhæc, ut pergamus modò viſa per Orbem
Naturæ ſimili prodere mira fide?
Teſtibus egregiis ſed enim quis credere nollet?
Hæc & Alexandro ſcire cupido fuit.
Ut Macedo, pariter CÆSAR, totiesq; triumpha!
Sic noſtra & nutu ſuſcipe cœpta Tuo!

*Sic vovent ſubjectiſſimi*

Academici Naturæ Curioſi.

EMI-



EMINENTISSIMO ATq; CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

# DN. JOANNI HUGONI

DEI GRATIA

Archi-Episcopo Trevirensi, S. R. I. per Galliam & Regnum Arelatense Archi-Cancellario & Principi Electori, Episcopo Spirensi, Administratori Prumiensi, Præposito Weissenburgensi &c.

*Sacræ Cæsar. Majest. Judici in Camera Imperiali &c. &c.*

Domino & Principi Electori nostro Clementissimo.

EMINENTISSIME ATq; CELSISSIME

PRINCEPS ELECTOR,

*Domine Clementissime,*



CUm inexhaustus Medicinæ Oceanus, uti ex complurium mente non inconcinniter audit, quotidie, veluti olim Africa, aliquid novi proferat & præmonstret, quod homini & salutiferum esse debeat

 & ob-

& obſervabile; non male rata eſt, ſi recte judicamus, Academia noſtra, ubi præter ordinarios, quibus circa rerum naturam & ægros occupatur, labores, & hoc bono daret publico, ut quæ præ quotidianis & vulgaribus, ſuapte evileſcentibus, rara offenderet, tanquam perſpicientiam veri, in CONDITORIS gloriam, Salutem Proximi & Artis ſacræ incrementum, literarum monumentis conſignaret, atq; enudaret penitus; ac velut lampada poſteritati, ſi qua ſupererit, contraderet. Nec ſpes voto excidit, quin ipſe Divus noſter Augustus LEOPOLDUS, vere Primus, pius, felix, inclutus, Triumphator, hujus non contemnendi ſtudii, & ad Sacratiſſimos Ejus pedes adrepentis, tutamentum ſubinde ſuſcipere neutiquam dedignatus; quin immo adminiculatus eſt longe maxime, longe benigniſſime, ut vel è pretioſiſſimo Ejus orbis ditaretur eruditus gazophylacio, rariſſimis æque atque cariſſimis obſervationibus, Curioſorum palato mirifice blandientibus: quæ certe inſignis eſt atque præſtabilis dignitas.

Sed quod accidit iis, qui domicilium aliquod exædificant, ut non auro, non argento, non cupro, non

ron ferro ſint contenti, ſed & requirant vitra, & lapides, & ſtramina emucida, & carbones, & lutamentum & alia, & quibus omnibus felicem per harmoniam longe ſplendidius conſurgit palatium, ubi & viliora ſerviunt percommode præſtantioribus, & hæc illis amiciſſime utantur: Ita & in hoc noſtro comparatum eſt ſtudio, ut quilibet κτ̀ δύναμιν καὶ κρίσιν ſuam conferret, quæ obtigerunt ipſi, quæq; ipſa non male poſteris profutura judicaret.

Nobis hercle non alia mens, quam quæ boni cujusque civis, boni viri, cui SALUS POPULI SUPREMA LEX ESTO! Hæc & imperantibus lata eſt, & parentibus.

Cumque non ſolum S. R. Imperium, ſed univerſa Europa, immo utraque Solis domus jam priden & cognoverit, & cognoſcendo amaverit, & amando adoraverit incredibile ſtudium EMINENTISSIMAE V. CELSITVD. ELECTORALIS, quo præ ſummis, iisque maxime arduis SACRVM erga IMPERIVM curis tam perdius, quam pernox, temporibus etiam valde exulceratis, vigilat, ut bonæ literæ, quæ in Nobili aurum, in Principe gemmæ, maximè conſentiente σοφωτάτῳ Alphonſo Arrag.

)( 2 Rege

Rege, non ita pridem feliciter renatæ, & in vigore conservarentur & honore, quippe qui artes alere solitus est.

Quare & Academia nostra refugium suum heic, quasi in bipatenti animis asylo, invenire se credidit. Jubet sancta & prisca fides, ac veneranda canicies, oris Majestati æque atque cordis pietati maritata, nos optima illa atque gratificationem sperare; videlicet non ingratam fore illam quam hac vice humillime VOBIS consecramus *Observationum Curiosarum Syllogen.*

Suscipe ergo PRINCEPS ELECTOR EMINENTISSIME absque incommodatione, quæ præspargimus heic munuscula, ornatione equidem paupertina, utinam non invisa. TEque speciariis donaremus amplissime donis, si virium esset nostrarum. Dabitur tempore deincipe, ubi cetera inenodabilis Natura Arti Pœoniæ multa concedet, quæ instar hecatombæ ad aras Vestras devotissime immolabuntur. Unde immortaliter Academia gaudebit nostra, nec incommendata inde abibit, quin minus exsternata ad obsequium se abjiciet omne, & emuniet contra adversariorum

ictus;

ictus; inde quoque noster hic cultus clarius enitescit.

De cetero pro incolumitate TUA, DOMINE, veneramur assiduè DEUM supplices, & adprecamur habitudinem firmam, salutem perennem, famam personam, Nestoreos annos, vires recompositas, regimen faustissimum, terrarum pacem, quam DEUS reconcinnet; uno corde, ore uno! Illa gratia incredibiliter delectabimur!

*EMINENTISSÆ. Vᴱ. CELSITUDIS. ELECTORALIS*

*humillimi, devotissimiq;*

PRÆSES & COLLEGÆ CETERI
Academiæ S. R. I. Nat. Curios.

# CATALOGUS

## *S. R. I. Academiæ Naturæ Curiosorum Collegarum omnium, cum Nominibus, Agnominibus & tempore Receptionis.*

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 1 | Joh. Laurent. Bausch, Svvinf. Acad. Nat. Curios. Fundator & Præses I. | Jason | Phys. Svvinf. | 1652. |
| 2 | Joh. Michaël Fehr, Kittinga Francus, Acad. Nat. Curios. Adjunctus I. jam Præses II. | Argonauta | Phys. Svvinf. | 52. |
| 3 | Georg. Balthas. Metzger Svvinf. | Americus | P. P. Tubing. | 52. |
| 4 | Georg. Balthas. Wolfart Svvinf. | Alceus | Pract. Svvinf. | 52. |
| 5 | Christoph. Keiling Islebiensis. | Æson | Phys. Isleb. | 52. |
| 6 | Valentinus Andr. Mollenbrock Erffurt. | Pegasus | P. P. Erff. | 52. |
| 7 | Gregorius Horstius Ulmens. | — — | Phys. Ulmens. | 52. |
| 8 | Joh. Pfautz Ulmens. | — — | Med. Ulmens. | 52. |
| 9 | Conrad. Theod. Lüncker Marpurg. | — — | P. P. Marpurg. | 52. |
| 10 | David Wilhelmi Baccharac. | — — | Phys. & P. P. Bern. | 52. |
| 11 | Andr. Wolffius Jenens. | — — | Phys. Smalcald. | 1653. |
| 12 | Joh. Martin. Uhlius Svvinf. | — — | P. P. Sleusing. | 53. |
| 13 | Alb. Conrad. Langenauer Uffenheim. | — — | Phys. Weidens. | 53. |
| 14 | Nicol. Balthas. Merz Herbipol. | — — | P. P. ibid. | 1654. |
| 15 | Joh. Daniel Horstius Giessens. | Phœnix | Arch. Francof. | 1655. |
| 16 | Joh. Adam Stoer Herbip. | — — | P. P. ibid. | 1656. |
| 17 | Philipp. Jacob. Sachs Uratislav. A. N. C. Adj. | Phosphorus | Phys. ibid. | 1658. |

18. Joh.

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 18 | Joh Deutſchlender Frauſtad. | — — | Arch Polon. | 1661. |
| 19 | Leonhard Urſinus Norimberg. | Zephyrus | P. P. Lipſienſ. | 61. |
| 20 | Elias Schmidt Haslac. A. N. C. Adj. | Phaëton | Phyſ. Svvinf. | 61. |
| 21 | Joh. Andr. Grabe Mulhuſ. | Cephalus | Phyſ. Erff. | 61. |
| 22 | Joh. Jacob Sauer Palatin. | — — | Phyſ. Herbip. | 61. |
| 23 | Joh. Philipp. Deisler Svvinf. | — — | Phyſ Sulan. | 61. |
| 24 | Joh. Jacob Wittig, Erff. | — — | P. P. Erff. | 61. |
| 25 | Georg. Chriſtoph. Petri Erff. | Achilles | P. P. Erff. Arch. Mog. | 1662. |
| 26 | Jacob. à Typſma Harlem. Friſius. | — — | Phyſ. Leoward. | 1663. |
| 27 | Hieron. Conrad. Virdungus ab Hartung. Marp. | Meliſſus | P. P. Herbip. | 1664. |
| 28 | Paulus Amman, Uratislav. | Dryander | P. P. Lipſ. | 64. |
| 29 | Joh. Daniel Major Uratislav. A. N. C. Adj. | Heſperus | P. P. Chilonien. | 64. |
| 30 | Chriſt. Frider. Garman Martisb. | Pollux | Phyſ. Chemnic. | 1668. |
| 31 | Jeremias Rhoetius Arnſtad. | Caſtor | Phyſ. Arnſtad. | 68. |
| 32 | Joh. Rudolph. Camerarius Tubingenſ. | Hector | Phyſ. Tubing. | 68. |
| 33 | Heinr. Vollgnad, Uratislav. A. N. C. Adj. (Adj. | Sirius | Phyſ. Uratislav. | 1669. |
| 34 | Joh. Jæniſius Uratislav. A. N. C. | Arcturus | Phyſ. Uratislav. | 69. |
| 35 | Joh. Chriſtian Mackius, Cob. | — — | Phyſ. Schneb. | 69. |
| 36 | Michaël Ettmüller Lipſ. | — — | Fac. Med. Aſſeſſ. Lipſ. | 1670. |
| 37 | Joh. Ferdinand Hertod à Todenfeld Morav. | Orpheus | Phyſ. Brunn. | 70. |
| 38 | Joh. Georg Greiſelius Viennenſ. — — | — — | P. P. ibid. | 70. |
| 39 | Georg. Sebaſtian Jungius Viennenſ. A. N. C. Adj. | Podalirius | Arch. Cæſar. | 70. |

40. Sa-

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 40 | Salomon Braunius, Chilon. Holſat. | — — | Phyſ. Biberac. | 1672. |
| 41 | Paulus de Sorbait, Belga. | Machaon | Arch. Cæſ. | 72. |
| 42 | Gottlieb Georg Schramm, Frauenſtad. | — — | Phyſ. ibid. | 72. |
| 43 | Melchior Friebe, Friedland. Sileſ. | Cleander | Phyſ. Præf. Hayn. | 72. |
| 44 | Georg. Wolffg. Wedelius, Luſatus, A. N. C. Adj. | Hercules | P. P. Jenenſ. | 72. |
| 45 | Joh. Sculcetus Norimb. A. N. C. Adj. | Perſeus | Phyſ. Norimb. | 72. |
| 46 | Georgius Francus, Naumburg. | Argus | P. P. Heidelb. | 72. |
| 47 | Joach. Georg. Elsner Uratislav. | — — | Phyſ. ibid. | 1673. |
| 48 | Gottfried. Schubart, Uratislav. | — — | Phyſ. Breg. | 73. |
| 49 | Gottfried. Chriſtian. Winckler Breg. | — — | Phyſ. ibid. | 73. |
| 50 | Chriſtianus Adolph. Balduin, Dobela Miſnic. | Hermes | Præf. Hayn. | 73. |
| 51 | Matthias Tilingius Jevera Friſ. | Zephyrus | P. P. Rinthel. & Arch. Haſſ. | 1674. |
| 52 | Salomon Reiſelius Hirſchberg. | Amphion | Arch. Wirtem. | 74. |
| 53 | Joh. Sigmund. Elsholtz Berlin. | — — | Arch. Brand. | 74. |
| 54 | Caſp. Theophilus Bierling Lipſ. | — — | Phyſ. Magd. | 74. |
| 55 | Ehrnfried Hagendorn, Görlitz. | Pegaſus II. | Arch. Sax. Görl. | 74. |
| 56 | Dn. Chriſtian. Auguſt. L. B. à Frieſen. | Jaſon II. | — — | 1675. |
| 57 | Chriſtianus Mentzelius Fürſtenvvald. | Apollo | Arch. Brand. | 75. |
| 58 | Caſpar Marchius Stettino-Pomeran. | — — | Arch. Brand. | 75. |
| 59 | Chriſtianus Franciſcus Paullini Iſnacenſ. | Arion | Med. Quelferb. | 75. |

60. Joh.

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 60 | Joh. Laurent. Fehr Svvinf. | — — | Med. ibid. | 75. |
| 61 | Joh. Petr. Prückelius Ratisb. | — — | Phyſ. Ratisb. | 75. |
| 62 | Joh. Georg Trumphius Goslar. | — — | Phyſ. Goslar. | 1676. |
| 63 | Gothofred. Scultetus Uratislav. | Ægineta | Phyſ. ibid. | 76. |
| 64 | Georg Hieron. Welſch, Auguſt. | Neſtor | Phyſ. Auguſt. | 76. |
| 65 | Rudolphus Wilhelmus Kraus, Naumb. | Tiphys | P. P. Jenenſ. | 76. |
| 66 | Georg. Abraham Merclin Junior Nor. | Chiron | Phyſ. Norimb. | 76. |
| 67 | Gabriel Clauderus Altenburg. | Theſeus | Arch. Altenb. | 1677 |
| 68 | Benjamin Scharff Sondershuſ. | Bias | Arch. Svvartz. | 77. |
| 69 | Georg. Caſpar. Kirchmaier. | Phoſphor. II. | P. P. Witteb. | 77. |
| 70 | Joh. Burg Uratislav. | Meſue | Phyſ. Uratisl. | 77. |
| 71 | Gothofr. Samuel Poliſius Francof. ad Viadr. (Adj. | — — | Phyſ. Francof. | 77. |
| 72 | Luc. Schröck Jun. Aug. A. N. C. | Celſus | Phyſ. ibid. | 77. |
| 73 | Dn. Dietericus de Warvvitz Eq. Hieroſ. | Ulyſſes | — — | 77. |
| 74 | Joh. Nicol. Pechlinus Batav. | Telamon | P. P. Kilon. | 1678 |
| 75 | Joh. Jac. Waldſchmidt Wetter. | Priamus | P. P. Marpurg. | 78. |
| 76 | Dn. Heinricus L. B. à Friſen. | Atlas | — — | 78. |
| 77 | Joh. Chriſtoph. Adlungius Erff. | Ajax | P. P. Erff. | 78. |
| 78 | Joh. Georg. Volckamer Norimberg. A. N. C. Adj. | Helianthus | Phyſ. ibid. | 78. |
| 79 | Joh. Sieboldus Gothanus. | Laomedon | Arch. Magdeb. | 78. |
| 80 | Laurentius Giesler, Sen. Brunſvvicenſ. | Hippocrates | Phyſ. Brunſvic. | 78. |
| 81 | Andreas Cleyerus. | Dioſcorides | Ph. Bat. Ind. Or. | 78. |
| 82 | Joh. Fried. Allmacher. | Zethes | Arch. & Phyſ. Wertheim. | 1679 |
| 83 | Tobias Czaſchelius. | Æſculapius | Arch. Cæſar. | 79. |
| 84 | Joh. Georg. Sartorius Bamberg. | Calais | Phyſ. Bamberg. | 79. |

)()( 85. Joh.

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 85 | Joh. Chriſtianus Tralles. | Avenzoar | Phyſ. Uratisl. | 79. |
| 86 | Jacob Wolffius Numb. | Socrates | Phyſ. Altenb. | 79. |
| 87 | Carolus Patinus, Pariſienſis Gallus. | Galenus | P. P. Patav. | 79. |
| 88 | Günther Chriſtoph. Schelhammer Jen. | Theophraſtus | P. P. Helmſt. | 79. |
| 89 | Johannes Pfeiffer Geran. | Muſa | Arch. Ruth. | 1680 |
| 90 | Joh. Ludov. Hannemannus. | Neſtor II. | P.P. Chilon. | 80. |
| 91 | Joh. Dolæus. | Andromachus | Arch. Haſſ. Caſſel. | 80. |
| 92 | Sebaſt. Scheffer A. N. C. Adj. | Perſeus II. | Ph. Francof. | 1681. |
| 93 | Hieron. Ambroſ. Langemantel. | Solon | Patr. & Can. Aug. | 81. |
| 94 | Joh. Jacobus Harder. | Pæon | P. P. Baſil. | 81. |
| 95 | Joh. Daniel Widdr. | Aſclepiades | Arch. Trev. | 81. |
| 96 | Joh. Conrad Peyer. | Pythagoras | Ph. Schafh. | 81. |
| 97 | Joh. Paulus Wurffbain Norib. | Hermes II. | Phyſ. Norib. | 81. |
| 98 | Georg. Eberhard. Rumph. | Plinius | Hiſt. in Amb. | 81. |
| 99 | D. Joh. Petrus Albrecht. | Caſtor II. | Ph. Hildesh. | 81. |
| 100 | Joh. de Muralto. | Aretæus | Phyſ. Tigur. | 81. |
| 101 | Henricus Screta. | Nicander | Ph. Schafh. | 1682. |
| 102 | Joh. Adam Limprecht. | Fabius | Phyſ. Uratisl. | 82. |
| 103 | Gerard. Blaſius. | Podalirius II. | P. P. Amſtel. | 82. |
| 104 | Joh. Jacob. Dôbelius. | Hippocrat. II. | P. P. Roſtoch. | 82. |
| 105 | Emanuel Kônig. | Avicenna | Phyſ. Baſil. | 82. |
| 106 | Marc. Joh. Haësbart. | Rhaſes | — — | 82. |
| 107 | Joh. Georg Hieronymi. | Aëtius | Ph. Gvelph. | 82. |
| 108 | Joh. Georg Landbeck. | Serapio | Pract. Kittin. | 82. |
| 109 | Carolus Ohmb. | Sirius II. | Phyſ. Uratisl. | 82. |
| 110 | Jacobus Schmidius. | Podalirius III. | Arch. Anh. | 82. |
| 111 | Jacobus Weizius. | Æſon II. | Arch. Goth. | 82. |
| 112 | Joh. Matth. Faber. | Plato | Phyſ. Heilbr. | 1683. |
| 113 | Adamus à Levvenvvald. | Æſculapius II. | M. Con. Stir. | 83. |

| | Nomina | Agnomina | Locus | Ann. Rec. |
|---|---|---|---|---|
| 114 | Joh. Jacob Weberski. | Ægineta II. | Ph. Gedanenſ. | 83. |
| 115 | Joh. Georg. Sommer. | Machaon II. | Phyſ. Arnſtad. | 83. |
| 116 | Roſinus Lentilius. | Oribaſius | Phyſ. Nôrdling. | 83. |
| 117 | Martin Chriſtoph. Metzger. | Phœnix II. | Phyſ. Ratisbon. | 83. |
| 118 | Michael Bernhard Valentini. | Theſſalus | Pract. Gieſſen. | 83. |
| 119 | Georgius Hannæus. | Diomedes | Pract. Othin. | 1684. |
| 110 | Joh. Daniel Dorſtenius. | Averrhoës | P.P. Marpurg. | 84. |
| 121 | Joh. Maurit. Hofmann. | Meſue | P.P. Altorf. | 84. |
| 122 | Joh. Conrad Rappius Oring. | Heliodorus | Phyſ. Rotenb. | 84. |
| 123 | Theodorus Chriſtoph Krug. | Mercurius | Arch. Haſſiac. | 84. |
| 124 | Zach. Fürſt. | Æolus | Arch. Trevir. | 84. |
| 125 | Chriſtoph Helbig. | Galenus II. | P.P. Gryphsvv. | 84. |
| 126 | Daniel Bſcherer. | Philadelphus | Phyſ. Norib. | 84. |
| 127 | Samuel Ledelius. | Theſeus II. | Phyſ. Grünb. | 84. |
| 128 | Jacob Auguſt. Hûnervvolff. | Actuarius | Phyſ. Arnſtad. | 1685. |
| 129 | Eberh. Gockelius Ulmenſis. | Alector | Phyſ. Ulmenſis. | 85. |
| 130 | Georg. Bernh. Gloxin. | Q. Serenus Archiater. | ViceSyn. Patav. | 85. |





# CATALOGUS

*Excellentissimorum Dnn. Medicorum.*

Qui pro augendo Tertio hoc, secundæ Ephemeridum Physico-Medicarum Decuriæ Anno, Observationes communicarunt, secundum ordinem Alphabeticum.

1. D. JOH. ACOLUTHUS, *Physicus Uratislaviensis.*
2. D. JOH. BLUMIG, *Medicus Thorunensis.*
3. D. JOH. BURGIUS, *Phys. Vratislaviensis*, Academicus Curiosus.
4. D. GABRIEL CLAUDERUS, *Archiater Altenb.* Academicus Curiosus.
5. Dn. SERVATIUS CLAVIUS, *Minister Verbi Divini Bataviæ novæ, in Java majore.*
6. D. ANDREAS CLEYERUS, *Protomedicus & Senator Bataviæ Orientalis*, Academicus Curiosus.
7. D. DANIEL CRUGER, *Medicus Elector. & Physicus Colbergensis.*
8. D. JOH. DOLÆUS, *Consiliarius & Archiater Hasso Cassellanus*, Academicus Curiosus.
9. D. JOH. DANIEL DORSTENIUS, *P. P. Marpurg.* Academicus Curiosus.
10. Dn. GEORGIUS CHRISTOPHORUS EIMMART, *Mathematicus Norimberg.*

11. D. JOH.

11. D. JOH. MICHAEL FEHRIUS, *Consul & Archiater Svinfurtensis*, Academ. Nat. Cur. PRÆSES. d. Argonauta.

12. D. GEORGIUS FRANCUS, *P. P. Heydelbergæ Universit. Pro-Cancellarius, Emin. Elect. Trevir. & March. Badensis Archiater*, Academicus Curiosus.

13. D. JOH. CHRISTIAN. FROMMANN, *Medicus Ducalis & Provincialis, atq; Illustrissimi Gymnasii, quod Coburgi est, P. P.*

14. D. ZACHARIAS FÜRST, *Consil. & Archiater Trevirens.* Academicus Curiosus.

15. Dn. CHRISTIANUS FRIDERICUS GARMANN, *Sereniss. El. Sax. Medicus Provincialis, ac Physicus Chemnicensis.*

16. D. HENR. NICOL. GRIMMIUS, *Practicus quondam in India Orient. celeberrimus.*

17. D. EHRNFRID HAGENDORN, *Physicus Görliz.* Academicus Curiosus.

18. D. GEORG. HANNÆUS, *Practicus Othiniensis*, Academicus Curiosus.

19. D. JOH. LUDOVICUS HANNEMANNUS, *P. P. Chiloniensis*, Academicus Curiosus.

20. D. JOH. JACOB. HARDERUS, *P. P Basil.* Academicus Curiosus.

21. D. BENEDICTUS HERMANN, *Phys. Memmingensis.*

22. D. JOH. MAURICIUS HOFFMANN, *P. P. Altorfinus*, Academicus Curiosus.

23. Dn. JACOB. AUGUSTINUS HÜNERWOLFF, *Physicus Arnstadiensis*, Academicus Curiosus.

24. Dn. HERBERTUS de JÆGer, *Illustris Societ. Ind. Orient. ap. Belgas Protomercator, Mathes. & Ling. Orient. peritissimus.*

25. D. FRIDERICUS FERDINAND ILLMER, à Wartenberg. *S. Cæs. Majest. Consil. & Archiater P. P. Viennens.*

26. Dn. GEORG. CASP. KIRCHMAJER, *Orator. P. P. in Wittenb. Universit.* Acad. Cur.

27. D. EMANUEL. KÖNIG, *Phil. & Med. Basil.* Acad. Cur.

28. D. ADAMUS à LEBENWALD, *C. P. & Stiriæ Med. Consiliarius*, Acad. Cur.

29. D. SAMUEL LEDELIUS, *Medicus Grünbergensis in infer. Silesia*, Acad. Cur.

30. Dn. ROSINUS LENTILIUS, *Physicus Crailsheimensis Med. Licent.* Academicus Curiosus.

31. D. FRANCISCUS à LOEWENWALD, *P. P. Pragensis.*

32. D. CHRISTIANUS MENTZELIUS, *Sereniss. Elect. Brandenb. Consil. & Archiater*, Acad. Cur.

33. D. GEORGIUS ABRAHAMUS MERCLINUS, *Phys. Norimb.* Acad. Cur.

34. JOH. de MURALTO, *Phys. Tigurinus*, Acad. Cur.

35. CAROL. OHMB, *Phys. Vratislaviensis.*

36. D. JOH. CONRADUS PEYERUS, *Physic. Schaffhusanus*, Acad. Cur.

37. D. SALOMON REISELIUS, *Sereniss. Ducis Wirtemb. Cons. & Archiater Stutgard* Acad. Cur.

38. Dn. GEORGIUS EVERHARDUS RUMPHIUS, *Ill. Soc. Ind. Or. in Insula Moluccarum Ambona ap. Belgas Senator & Mercator emeritus*, Acad. Curiosus.

39. D. VITUS RIEDLINUS, *Phys. Augustanus.*

40. D. SEBASTIANUS SCHEFFERUS, *Phys. Francof.* Acad. Nat. Cur. Adjunctus, d. Perseus II.

41. D. ERNESTUS FRIDEMANNUS SCHELHASIUS, *Physicus Kauffbeirensis.*

42. D.

42. D. JOH. BARTHOLOMÆUS SCHLEIRMACHER, *Archiater, Landgraf. Hassiæ Darmstadiensis.*

43. D. LUCAS SCHRÖCKIUS, SENIOR, *Physic. Augustanus Sen. Collegii.*

44. D. LUCAS SCHRÖCKIUS, LUCÆ FILIUS, *Phys. Augustanus*, Acad. Nat. Cur. Adjunctus, d. Celsus.

45. D. GOTHOFREDUS SCULTETUS, *Physic. Vratislaviensis*, Acad. Curiosus.

46. D. JOH. GEORG SOMMER, *Archiater Arnstadio-Schvvarzburg.*

47. Dn. CORNELIUS SPIELMANN, *Prælustris & Bellicosus Dux Generalis Belgarum in Ind. Orient.*

48. Dn. MICH. BERNARD VALENTINI, *Med. Licent.* Acad. Curiosus.

49. D. JOH. GEORG VOLCKAMER, *Phys. Norib.* Acad. Nat. Cur. Adjunctus, d. Helianthus.

50. D. JOH. JACOB WAGNER, *Poliater Tigurinus.*

51. D. JOH. PAULUS WURFFBAINIUS, *Physicus Noribergensis*, Acad. Curiosus.



CATA-



# CATALOGUS OBSERVATIONUM.

## Dn. HERBERTI de JÆGER.



## D. JOH. MICHAEL FEHRII.



## D. CHRISTIANI MENTZELII.



## D. GEORGII FRANCI.



## Dn. GEORG. CASP. KIRCHMAJERI.



## D. GEORGII FRANCI.



## D. ANDREÆ CLEYERI.



D. CHRI-

D. CHRISTIANI MENTZELII.



D. FRIDERICUS FERDINAND. ILLMER.



D. LUCÆ SCHROECKII SEN.



D. LUCÆ SCHROECKII, LUC. FIL.



D. CHRISTIANI MENTZELII.



Dn. GEORGII EVERHARDI RUMPHII.

D. JOH. MAURIT. HOFFMANNI.



D. EHRNFRIDI HAGENDORNII.



D. HERMANN. NICOLAI GRIMM.



Dn. ROSINI LENTILII.



D. MICHAELIS BERNARDI VALENTINI.



D. CHRISTIANI MENTZELII.



D. FRANCISCI à LOEWENWALD.



D. COR-

D. CORNELII SPIELMANN.



Dn. ROSINI LENTILII.



D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.



D. JOH. BLUMIG.



D. JOH. DANIEL DORSTENIUS.

D. JOH. LUDOV. HANNEMANNI.



Dn. ROSINI LENTILII,



D. BENEDICTI HERMANNI.



D. ADAMI à LEBENWALD.



D. GABR. CLAUDERI.



81. Ex

Dn. MICH. BERNHARD. VALENTINI.



Dn. JACOB. AUGUSTINI HUNERWOLFFII.



D. EMANUEL KOENIG.



D. SAMUELIS LEDELII.

D. JOH. GEORG. SOMMERI.



D. GEORGII. FRANCI.



Dn. GEORG. CHRISTOPH. EIMMARTI.



D. ZACHARIAS FURST.



D. CHRISTIAN. FRIDERIC. GARMANNI.



D. JOH. JACOB. HARDERI.

D. JOH. de MURALTO.



139. De

158. De

D. JOH. CONRAD. PEYERI.



D. JOH. CHRISTIAN. FROMMANNI.



D. JOH. DOLÆI.



D. GOTTOFREDI SCHULTZII.



D. JOH. BURGII.

D. CAROLI OHEIMB.



D. JOH. ACOLUTHI.



D. JOH. PAULI WURFFBAINII.



D. VITI RIEDLINI.



D. JOH. JACOB. WAGNERI



D. DA-

D. DANIEL CRÜGERI.



D. GEORG. ABRAHAM. MERCLINI.



D. DANIEL CRÜGERI.



D. JOH. CHRIST. FROMMANNI.



Dn. ROSINI LENTILII.



D. GEORGII FRANCI.



D. JOH. BARTHOLOM. SCHLEIRMACHERI.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.



## D. GEORGII HANNÆI.



## D. JOH. GEORGII VOLCKAMERI.



# *ADDENDA.*

## Dn. SERVATII CLAVII.



## Dn. COLLINGII.





EPHE-

# EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM CURIOSARUM ANNI TERTII

## OBSERVATIO I.

## De Sementina.

*CLARISS. ET AMICISSIMO DOMINO*

ANDREÆ CLEYER,

Proto-medico Bataviæ Indicæ,

ac

*Collegii Curiosorum Germanici membro insigni,*

HERBERTUS DE JAGER

*S. P. D.*

CUm visum sit Domin. vestræ ex me scilcitari, quid de *Sementina*, & Khato seu *Lycio Indico* sentiam & sciam, & placuerit, ut mentem meam hac in re scripto promam, officio huic deesse nolui, quanquam non satis sufficiens, ut Dominationi vestræ, & Illustribus *Naturæ Scrutatoribus Europæ*, hac in parte, plenè satisfaciam; sed amico tali morem gerere potius habui, quàm ut prætextu imbecillitatis & imperfectæ notitiæ, scrupulosè famæ meæ consulens, me ab isto onere exsolvam, eà tamen conditione, ut partem culpæ feras, in eo, quod malè & imperitè, ut fortè totum erit, aut si aliter deficio, cum ipse ad audaciam hanc impulsor, imò & author sis, & ego tantùm officioso meo obsequio peccem, quod tamen omninò me Domin. vestræ debere censeo. Accipe ergo hæc, quæ ex memoria & schedulis meis,

meis,aliisque authoribus hauſi, parùm nitidè & inordinatè diſpoſita, prout mens & penna hæc impræmeditatè ſuppeditant, meriturus, ut ſpero, veniam, in hoc barbaro & inſcito verborum nexu, cum jam viginti per annos, in remotiſſimis Orientis tractibus, ab omni Latini ſermonis culturâ, & commercio, longè procul fui, & olim etiam in hoc linguæ nitore ſatis ſterilis fui, ſemperque nuditatem & ſimplicitatem colui, atque etiam affectavi. Accedens itaque ad rem, priùs *Sementinam*, ut Europæ magis propinquam, notam & familiarem, in aciem educam, quod Turcia Oſmanica, ut & Perſia, inter cætera gignunt, ita ut neceſſe non ſit, ut de natali ſolo usque ad Sinas excurramus, quò aliqui, ob nominis fictionem, quod vulgò etiam Semen Sinæ audit, ſe convertere videntur, ut inde originem ſolam repetant. Eſtque hæc planta ex genere ejus, quod Perſicè دریمنه vel درمنه[a] & Arabicè Sjeehh شيح, vocant, & ego potius Abrotanum vel *chamæ-cypariſſum*, quàm cum Clariſſimo Golio in ſuo lexico Arabico Latino, *Abſinthium Ponticum*, aut cum doctiſſimo Plempio, in Canone Avicennæ, ſub nomine *Sjihh*, *Seriphium*, vel *Abſinthium Marinum* verterim. Eſtque hæc *Sjeehh* duplex, una Sjeehh roëmi, شيح رومي, i. e. Abrotanum Romanum, h e. Græco-Aſiaticum[b], & altera شيح تركي Sjeehh Turki, i. e. Abrotanum Turcicum, appellata, quarum prior, quoniam montes amat, etiam Arabicè شيح جبلي, Sjeehh dzjebeli, & Perſicè درمنه كوهي[c], i.e. utrâque linguâ, *Abrotanum Montanum* dicitur, quod Iſpahani, totius Perſiæ Metropoli, pro foco ſervit, & 3. 4. & 5. dierum diſtantiâ à camelis ex montibus advectum, quotidiè in

a Dirijemneh vel Dirimneh.

b quia Arabes cœterique Orientales per الروم Romanos intelligunt Græcos, ſcil. Novæ Romæ ſubditos.

c Dirijemneh cuhi.

in foro venum exponitur, pretio ſatis caro, cum lignorum penuria ibi magna ſit. Hoc cremium illic vulgò جاوشان, ſeu شاوشان dzjajvvesjaan vel Sjavvesjaan ſonat, ſed nunquam viride conſpexi, aut ſaltem non adverti, at, quantum memini, eſt fruticoſa vel potius ſarmentoſa, rarò hominis ſtaturam ſuperans, ſatis ſurculoſa, & valdè ſvavi-odora, foliis Cypreſſi ſimilibus, lanuginoſis, cinereisque, & (niſi mens me fallit) fiore flaveſcente, & quaſi glomerato. Ulterius non recordor, & vix dubito, quin hæc ſit eadem planta, quam *Rauhwolfius* circa Bethlehem, & in aliis Palæſtinæ locis, propriis ſuis oculis luſtravit, cum regio ibidem ſit valdè montoſa, & hic frutex nomine *Scheba* illic innotuerit. An cremium hoc ſpinoſum ſit, ut Ebn-Sina, noſtris Avicenna, deſcribit, nihil aſſerere audeo, ſed aculeatum, aut ſaltem cuſpidatum, ſeu aſperulentum, aut ſimile quid in eo deprehendiſſe puto, minimè tamen hærens, quin ipſiſſima ſit planta, quam author hic Arabs deſignavit, cùm nomen & Perſicum & Arabicum in eâ conveniunt, & illam ſatis fingunt atque determinant. Quod ſemen & flores hujus pro lumbricis enecandis proſint, facilè adducor, ut credam, cum genus idem, ac odor aromaticus, & ſapor amarus in utroque reſpondeat, ſed præcipuus hujus decocti uſus, pro inteſtinorum torminibus, flatibus, & urinæ obſtructionibus, quibus & altera *Sjeebbi* ſpecies valdè conducit, quæ eſt *verum lumbricorum ſemen*, quod, apud pharmacopolas Perſas, nomine درمنه تركي, *Diremneh Turki* i.e. Abrotani Turcici, proſtat, ut illic locorum certò mihi conſtitit, & teſte Avicennâ, hoc eſt طرفاوي الورق *Tamarici folium*, ita ut hanc plantam inde etiam Chamæ-Tamaricem indigitare liceat, habens, ex relatu Perſarum, caules virides, craſſiolos, annexos petiolis ſub-albis, tenellis & lanuginoſis, eſtque odore gravi & aromatico, ac ſapore amaro-ſuavi. Vocatur & hæc apud Arabes شيح ارمني, i.e. *Abrotanum Armenicum*, quia in iſtis oris copioſè provenit, ut ex catalogo ſimplicium Perſico-Arabico, qui

qui libro اِخْتِيَارَاتِ بَدِيعِي, *ichtijârâti bedéi* inſcripto, ſubnexus eſt, clarè patet. Et ut ſcias, quod fortè etiam deſideras, quas illi virtutes huic adſcribant, ex tractatu hoc, qui de ſimplicibus Perſicè agit, & fortaſſe nondum adhuc ſatis in Europâ vulgaris eſt, eas ipſiſſimis authoris verbis hic transfero, quæ ita ſe habent:

شيح[a] بپارسي درمنه گويند وبهترين وي ارمني بود وآنرا درمنه تركي خوانند وشيح جبلي افيلون خوانند وطعم وي تلخ بود وطبيعت وي گرم وخشك بود در اول سوم وگويند گرم بود در دوم وخشك بود در اول محلل رياح بود ودروي قبضي بود دون قبض افسنتين وچون بسوزانند وخاكستروي با روغن بادام بر داء الثعلب طلا كنند نافع بود ومنع اكله بكند وعسر النفس سودمند بود وكرمها وحب القرع بكشد وبول وحيض براند وجهة گزند كي عقرب ورتيلا وزهرها مفيد بود مقدار دو مثقال وچون بسوزانند وبر ريش كه كوتاه بود يا بر موضع ريشي كه زويبله باشد طلا كنند موي برويانند ووي مضر بود باعصاب ومصدع بود ومعدهرا زيان دارد ومصلح وي ترمس بود وگويند مصلح وي شراب ريباس بود يا شراب اترج وبدل وي در قاتلات دود برنگ كابلي بود ودر عملهاي ديگر غير ارمني بدل وي كنند ۞

Quæ latinè ſic exprimo; *Sjeebb* vel abrotanum Perſicè *Diriemneb* vocant. Et Armenicum eſt in illo [genere] optimum, quod *Diriemneb Turki* appellant, ut & *Sjeebb dzjĕbĕli*, i. e. abrotano montano, nomen *Afilôen*[b] indunt. Sapor ei amarus, & natura calida

a Hoc vocabulum literis miniatis ſcriptum, eſt nomen ſimplicis Arabicum, quod hic tractat.

b Nota benè, quod hoc vocabulum eſt antiqui ſermonis, & jam ferè obſoletum ac extra uſum, niſi fortè in aliquibus Perſiæ provinciis illud adhuc vigeat, quemadmodum illic quidam terrarum diſtrictus aliquando propria ſibi vocabula ſervant, quæ aliis territoriis ignota ſunt.

calida ſicca in $1^{c}$ & $3^{o}$ [receſſu] Quidam ajunt id calidum in 2do, & ſiccum in $1^{o}$, diſcutit flatus. Eſtque in eo ſtypticum quid, ſed minus quàm in abſinthio. Cineres cremati, cum amygdalarum oleo, alopeciæ loco inuncti proſunt. Phagedænis reſiſtit lumbricos & aſcaridas necat. Urinam & menſtrua pellit. Adverſus ſcorpionis & phalangiorum ictus, & alia venena proficuum eſt. Doſis eſt duarum *Miskaal.* [c] Combuſti cineres loco capillis curtis & raris obſito, aut ubi nulli planè proveniunt, inuncti, capillos & crines germinare faciunt. Tendonibus nocet, & capitis dolorem, noxamque ſtomacho adfert. Correctivum vel emendativum ejus eſt lupinus, &, ſecundùm alios, Ribeſii veri ſirupus aut citreorum ſirupus. Et ſuccedaneum ejus in vermi-necantibus, eſt *Berengi Kabuli*, & in aliis affectibus, alia ejus ſpecies, extra Armenicum, hoc eſt, *Sjeebb* vulgare, vices ejus ſupplet. Hactenus hic Perſa, & ego unà cum illo hæc abrumpo, plura diſſertaturus, ſi jam adhuc in Perſiâ, loco & occaſione opportunâ ſubſiſterem, & non, ut olim, tantâ negotiorum mole gravatus, quæ me tunc à Muſis, & adhuc magis à Botanicorum libris, quàm longiſſimè removerat. Conſiderationes & caſtigationes in authores, qui de hoc ſemine ſcriptitarunt, miſſas facio, ne epiſtolæ modum excedam, illud tantum monitus, quod قَنْبِيل *Khanbîl* Avicennæ longè aliud quid ſit, quàm Sementina vel ſemen lumbricorum, ut Matthiolus & alii etiam notarunt, miratus Plempium eouſque errore abreptum, ut hoc vocabulum tamen pro ſemine iſto interpretatus fuerit, annotatorem ad Dodonæi herbarium nimis temerè ſecutus, & in eo ſeductus, quod hoc quoque verminecans eſt, ac ſatis preſsè inhærens, quod ab Avicennâ pro ſemine habetur, cum tamen in ſcholiis ſuis tot Arabum opiniones, circa hoc diſſentientes, recenſeat: & ſi viſui hac in re quid tribuendum, uti ego ſæpe hoc oculis uſurpavi, ſpeciem potius pulveris minuti arenacei, quàm

A 3 ſeminis

c Vide Avicenn. & alios Arabes de menſuris & ponderibus medicorum Arabicorum.

ſeminis præ ſe fert, eſtque, ſi non idem, ſaltem valdè ſimile pulveri illi rubicundo ad flavedinem vergenti, h.e. mercurio præcipitato, quem Chirurgi vulneribus inſpergunt. Et cum Avicenna ſimplex hoc ſatis jejunè tractarit, uberiùs illud, ex manuſcripto præcitato ob oculos hic Perſicè expono, hoc modo: قنبيل

صاحب منهاج گوید بروری رمل است وصاحب جامع از قول
تمیمی گوید که آن یکی از منها است از آسمان می افتد در بادیه
یمن واز قول رازی همچنین گوید که وصاحب تقویم نیز
همچنین گوید از قول دیگری گوید خاکیست سرخ بریان
کنند زرد شود فی الجمله طبیعت وی گرم وخشک است
در سیوم وتمیمی گوید در اول درجه دوم مجففی قوی بود
ورازی گوید سرد وخشک است در دوم وابن ماسویه گوید
دروی قبضی تمام بود وحب القرع بکشد وبیرون آورد ومنشف
رطوبات ریشها بود وبثرها که بر سروروی وی طفلان پیدا
شود که مردمان آن را ابه واطباء اورا سعفه گویند چون بروغن
کل چرب کنند وقنبیل بدان پاشند خشک گرداند ونشف
رطوبات بکند وجرب را نافع بود وشربتی از وی دو درم
وگویند مضر بود بامعاء ومصلح او شبج ارمنی بود وبدل وی
رازیانه است وگویند مصلح وی انیسون است وبدل آن ترمس
وبرنک لا بلی وگویند مضر بود بغم معده ومصلح آن
مصطکی وانیسون بود ۞

Quæ hoc modo reddo: *Khanbiel*, author libri *Minhaadzj* inſcripti, ait ſemen eſſe arenaceum. Et Author libri *Dzamée* intitulati, ex ſententiâ *Temimi* dicit, eſſe mannæ vel roris ſpeciem, quæ in deſerto Jemenæ [a] cœlo cadit. Idem ex dicto Râzi, quemadmodum & author libri *Takvviem* idem aſſerit, ex dictis Dicarı eſſe ſc. terram rubram, quæ torrefacta vel aſſata, flaveſcens evadit. In ſumma, natura ejus calida & ſicca eſt, in 3°, at ſecundum Temimi, in 1° &

a *Jemen* vel *Jaman* eſt Arabia felix.

& 2do gradu. Eſtque valenter exſiccans. Verùm juxtà Rázim eſt frigida [*& ſicca, & Sjeich Evraiis calidam & ſiccam in 2do gradu pronunciat,*] ac Ibn Maſoejah adſtrictionem illi totalem tribuit. Aſcaridas necat & expellit; ulcerum humores imbibit, ſeu attrahit. Et puſtulæ, quæ in capite & facie infantium erumpunt, & à vulgo [Perſicê] Rabeh, & à Medicis (Arabicè) Säafah vocantur, ſi roſarum oleo inungantur, & Khanbîl iis ſuperligetur, exſiccantur, humore attracto. Etiam ſcabiei conducit Hauſtus ex eo eſt 2. *direm.*[e] Adſerunt, quod viſceribus nocivum ſit. Correctivum ejus eſt Sjeehh Armenicum, & ſuccedaneum ejus fœniculum; alii autem aniſum correctivum ejus, ac lupinos & *Berengkabuli* ſuccedaneum ejus prædicant. Ajunt & ſtomachi orificio noxam inferre, ac maſtichem & aniſum correctivum ejus eſſe. Sic Perſa, & ego unà eum eo materiam hanc nunc claudo, ſi in tranſitu notaverim, Bereng Kabuli perperam à Plempio *oryzam* Kabulenſem traductam, cùm toto cœlo ab oryza differat, ut aliàs fortè latiùs differam. Cœterùm & hoc præterire nequeo, quod ex iſta humoris imbibendi facultate, quam huic adſcribunt, jam in conjecturas ducor, quod ſit ipſiſſimus pulvis, quem Golkondæ, ab agyrtâ quodam circumforaneo aquæ injectum, & rurſus, nullâ morâ intercedente, inde extractum, totaliter ſiccum, absque ullo humoris veſtigio, percepi, fundatus in eo, quod color & forma cum hoc Khanbiel peroptimè congruant. Sed cùm de hoc ſatis, pro inſtituti ratione, vertamus nos jam longiùs ad Indos, ut ibi *Khaath*, quod noſtrates Câtsjoe, & Garcias ab Orta *Cáte* appellant, quæramus & exploremus, quo nomine hîc in Indiis intelligunt *omnem ſuccum aſtringentem*, ex fructibus, radicibus vel corticibus, decoctione elicitum & inſpiſſatum, qui, unà cum Betele & Areca maſticatus, ruborem ſalivæ intendit, unde & ſimpliciter à Gymnoſophiſta quodam, in ſimplicium catalogo quo-

hæc in textu Perſico non extant.

(e.) Direm eſt drachma Arabica. Arab. درهم Derhem, quod eſt corruptum à Græco δραχμή.

quodam Arabico-Perſico-Indico, hic ſuccus Perſicè *reng*, رنگ id eſt color κατ᾽ ἐξοχήν, redditur, hoc vocabulo Khaath tale quid ſignificante, ita ut ſuccum hunc in Lycii Indici claſſem aſſumere non verear. Eſtque *Lycium* hoc non unius arboris proprium, ſed ferè omnium Acaciæ ſpecierum, quæ cortice adſtringente & rubeſcente præditæ ſunt, multarumque aliarum plantarum, ex quo ſimilis ſuccus excoqui poteſt, qui omnes eodem nomine Khaath hîc ſignantur, quanquam bonitate & virtute diſpares; adeò ut Lycium hoc Indicum non unicæ arbori, ut Theophraſtus, Plinius & alii veteres putant, ſit adſcribendum, quibus in plantarum deſcriptione, quæ in Indiis ſolùm indigenæ ſunt, fides valdè ſæpê dubia, utpote fabuloſis longinquè peregrinantium narrationibus ſuffulta & innixa, aliquando quidem etiam veris admixta, ut jam ab aliis luculenter animadverſum eſt, & ego quoque aliàs forſan latiùs de materia hac evagabor. Et quamvis lycium hoc adeo multiplex, eſt tamen arbor, quæ præſtantiſſimum & optimum reddit. Planta hæc Hindoſtanicè & Decanicè كهير *Kheir* vocatur, ut Catalogographus prædictus hiſce verbis Perſicè indicat. كهير درخت ريكرا كويند چون در آب بجوشانند تا آن زمان كه شيع بقوام آيد وبست كردد اورا رنك كويند hoc eſt, *Kheir*. Ita arborem *Reng* vel coloris vocant, quando illam excoquunt, eouſque donec ſuccus ejus, ad conſiſtentiam redactus, & totus inſpiſſatus ſit, hoc *Reng* vocant. Gymnoſophiſta quidam alius, qui ſimilem catalogum confecit, ferè iisdem verbis innuit Perſicè, hunc in modum; ut كهير درخت رنك را كويند چون بجوشانند تا زمان كه غليظ كردد وخوشك شود رنك كويند يعني كتهه i. e. *Kheir*, ita arborem *Reng* nominant, quando illam excoquunt, eouſque donec ſpiſſum evadat, exſiccatumque ſit. Reng i. e. colorem vocant, h. e. *Khath*. Ex his jam itaque Lycii Indici optimi planta jam certa & fixa, quæ linguâ Brachmanum eruditâ, quam *Sanſcriet*, i. e. benè com-

compoſitam indigitant, *Khadira*, mediâ correptâ, ſermone Telinganico, qui maximam Regni Golkondenſis partem, eamque borealem occupat, *Tſaanra*, ac Malebaribus, qui auſtrales oræ chormandelicæ tractus inhabitant, *Karanggáli Patti* ſonat, ut ex harum peritis linguarum mihi liquidò obvium fuit; eſtq; illa ipſa, quam ad vivum delineatam, hîc exhibeo, ex ramulo, mihi longè ex ſylvis Paliacatham, dum ibi degerem, allato, qui floribus ac fructibus deſtitutus erat. Fig. I. Hujus deſcriptionem non molior, cùm figura formam ejus ſatis benè exprimit, ſed monendum tamen, ramos majores cortice albicante cinereo, ſed ſurculos, qui folia alatim producebant, cute ruffeſcente veſtitos, inter ſpinulas binas ſibi è directo oppoſitas, ac hamatas, externè ex ramo majori erumpere, foliis Acaciæ ſimilibus, ſed minoribus, undè arborem hanc inter Acacias recenſeo, & ex hac, in regno Pegu, ut mihi relatum, vel ſolâ vel aliis admixtis, hujus tamen Lycii principaliter ingreſſu Suum Kaath, quod adeò celebre, ac per totam Indiam diſtrahitur, conficiunt. Eſt & alia ſpinoſa arbor, Acaciæ quoque ſimilis, ſed foliis valdè minutis, quæ Telinganicè *Dziemmi*, & Sanskriticè Siami vocatur, ex qua etiam Lycium igne elici audivi, iconem hujus accuratè naturali correſpondentem habui, neſcius quo fato illud cum aliis pluribus amiſerim, non ſine cruciatu maximo, præſertim cum reſtituendi copia mihi negata ſit, aliàs absque hoc caſu, ſchema ejus hic etiam adjuncturus. Sed ne formæ ejus ideâ planè deſtituaris, illam ex annotatis meis ruditer tibi ob oculos exhibeo: eſt ergò hæc arbor in ramis ſuis densè horrens ſpinis, iisque curtis & in Baſi admodum latis, cortice majorum ramorum ſcabro, ac colore obſcuro- melleo flavo rubeſcente. Rami ſunt ſatis inordinatè diſpoſiti, & confuſim inter ſe mixti, prodeuntibus ex unâ ſobole, tanquam ex uno petiolo, 2. aut 3. ſurculis, qui utrinque parvis foliolis, oblongo-rotundis, cinereo virideſcentibus ſtipati ſunt, erumpentibus hinc illic inter foliola, ſupra, infra & in ſurculorum extremitatibus, ſeminibus aut


fruti-

fruticulis quibusdam rotundiuſculis, quales in ſubſeminariâ conſpiciuntur. Reliqua, quæ ad cognitionem pleniorem deſiderantur, ex figura haurienda, & ſupplenda erant, cui plura etiam de forma adſcripſeram, quæ jam, ut dixi, perierunt. Utra harum à Garcia indicata fuerit, vix definire auſim, cum circa Goam & in Caukáni partibus, arbor hæc in conſpectum non ſe dederit meum; ita hoc judicio ac examini veſtro & Europæ Curioſorum relinquo. Circa Gatem, montem ſatis celebrem, qui à Comorîni capite exorſus, totam Malebâram, Ikêri, quam Europæi vulgo Canaram vocant, Caucanum, & hiſce adhuc borealiores terras cingit, etiam Lycii quam plurimùm excoquitur, idque ferè hunc in modum, prout Gymnoſophiſta quidam, qui Idoleorum viſendorum gratiâ, non ſolùm eas, ſed & totam Hindoeſtanam peragraverat, & quem per aliquot annos ſtipendio alui, & ſatis fidelem ac familiarem mihi habui, mihi declaravit. *Areccam* igitur vel nucem *Faufel*, quando adhuc viridis, & non plenè matura eſt, in 2. aut 3. fruſta ſecant, & ita in aqua, addito parum calcis per 4. circiter horarum ſpatium, excoquunt, donec ſegmenta colorem obſcuro-rubrum contraxerint, quò calx hæc multum juvat, ex colore hoc etiam debitum excoctionis gradum dijudicantes, relictâ in fundo materiâ ſpiſsâ & fœculenta, pultis inſtar, quæ ex nucum fruſtis in aquam ignis vi tranſit, & ſola pro Khaath inſervire poſſit; ſed ut Lycium hoc ſpecie melius reddant, addunt & corticum Tsjaanræ vel Acaciæ prædictæ & ſpinæ Ægyptiæ nigræ recentium & viridium tuſorum & per tres dies maceratorum aquam, quâ fæci prædictæ ſuperfuſâ, & per horam circiter ebullitâ, materiam hanc inſpiſſatam ſtoreæ ſuperjiciunt ſoli expoſitam, donec duriuſcula evadat, quando illam in maſſulas vel paſtillos, vel pilulas redigunt, quorum formâ, nomine Khaath, ubique diſtrahitur, ſed non ſemper purum, at plerumque admixtâ argillâ & arenâ, quo maſſam & pondus augeant, ut nationes illæ valdè fraudulentæ ſunt, adeò ut rarò merx proba & ſincera ex manibus illarum


Fig. 1. f. 11.
Telingaricè Thiandra et
Thaawe. Malabaricè Karanguli-
patti. Sanſcriticè Khadiram.
Acaciæ ſpecies, ex quâ Kaath vel Lycium Indicum conficiunt.


Fig. 2. f. 11.
Acacia Indica ex horto
Farnesii Tobiæ Aldini.

rum haberi possit, nisi antè sollicitè præcautum sit. *Habes* jam Lycii extrahendi modum, qui etiam ex fructibus Palmescentium vel Phænicoidum quarundam educi potest; ut intellexi etiam fieri apud illos, qui ex pauperie, melioris illius *Khaathi*, potis non sunt; sed ditiores non contenti solùm hoc præstantioris notæ Lycio, illi & moschum, ambram, & alia admiscent, quo gratior & luxuriosior evadat. Sed hæc etiam de khaatho sint satis, pro modo epistolæ, non necesse ducens, hic indicare, quòd Uzeg & Agiahalid P. Alpini, ab optima Lycii plantâ satis discrepant, sicuti & Bontii arbor spinosa sua, quanquam non dubitem, quin Lycium quoddam, sive ex radice, sive ex cortice illarum haberi possit; cæterùm de hac ultimâ, quoniam & aliam quandam considerationem meretur, plura hic commentaturus, nisi jam negotiis inexcusabilibus distraherer; itaque hæc ad opportunam magis occasionem differo. Interim fruere hisce, si tanti valeant, satis & abundè mihi gratulaturus, si lucem aliquam, & manum ad ulteriora suppeditant. Sin minus, in meum transferam commodum, quod in magnis aliquid voluisse sat est, & solamini ducam, quod desiderio & obsequio Dominationi Vestræ non defuerim. Vale. Dabam Bataviæ Indicæ 29 Januarii 1681.

*Lycii Figuram I. ex Indiis, II. ex horto Farnesiano Tobiæ Aldini f. 4. sub nomine Acaciæ Indicæ dare hîc voluimus.*

## SCHOLIUM.

Quid Ampliss. noster Dn. Præses, cùm quo, indagatore rerum naturalium solertissimo, aliquot olim literas, de Seminis hujus natalibus ac genuitate &c. commutaveram, nuperrimè demum, ex occasione, quam præsens erudita observatio suppeditaverat, à me rogatus responderit, Lectori curioso non ingratum fore, arbitror, si huc, cum Ejusdem veniâ, adposuero: Statim atque mihi Anno 1651. sub aurora Paci- "ficationis Monasteriensis ac felici exortu Academiæ Nat. Cur. "ab incluto Collegio provincia Absinthii excolendi tradere- "

 tur,

„ tur, non destiti datâ quacunque occasione anxiè inquirere „ in genuinam faciem Abs. Santonici; sed quod maximè mi- „ ror, oleum & operam hactenus perdidi omnem; Curiosam „ meam solicitudinem ex parte in Hiera mea piera pag. 14. & „ seqq. luculenter videbis, cum conjectura mea, quam non- „ dum deponere possum, cùm tot variantes sententias de hoc „ simplici indies comperior: Dari illud, omnium est in con- „ fesso, omnium prostat in officinis Aromatariorum, idque „ copiosè; De natali autem loco & genuina facie altum apud „ omnes est silentium: Sunt qui Ægyptum & Terram san- „ ctam, (unde & semini nomen natum,) sunt qui Indiam oc- „ cidentalem, non desunt qui Orientalem cum Persia & ex- „ trema Tartaria ejusdem patriam agnoscunt; sed ut de ortu, „ ita etiam de forma plantæ in tam diversas abeunt sententias, „ ut quæ tandem animum planè ἀμετάπλωτον reddere posset, „ viderim nullam; Rauvvolffii utpote αὐτόπ]ε figuram vene- „ rantur omnes, & inter illos quoque solertissimus Breynius „ ad Apollinem nostrum; ac judiciosissimus noster Nestor l. „ ὁ μακαρίτης, licet huic multa alia semina commisceri à merca- „ toribus & agyrtis fateatur; sed qui similem in Palæstina aut „ Ægypto plantam invenerit, nemo, quod sciam, inventus est: „ & quàm frigidè hîc responderint Veneti, nosti ipse. Matthioli „ effigiem fictam & in ipsius cerebro, veluti suam Jovi Palla- „ dem prognatam esse, ingenuè fatentur Domini Basileenses „ in hist. plant. univers. Semen cynæ nobis nasci recens fa- „ tum, præter Lobelium & Tabernæmontanum, negant o- „ mnes, adduntque, semen cynæ nihil esse aliud, quàm pri- „ ma seminis stamina immatura, sed ex Indorum invidia ca- „ lidâ priùs perfusa, ne in Europa progerminent. Oleum ex „ eo destillari asserunt, & ostentant id in tabernis suis plerique „ Trochistæ, eò quòd semen illud tritum instar reliquorum „ seminum oleosorum in tritura conglobari, nec per cribrum „ facilè transmitti videatur; sed iis masculè contradicitur ab „ experientissimo Hercule ad me: Semen f. (inquit) à me sa- tum

tum non vidit auras: hujus verò curiositatis gratiâ oleum ut pararem, ℔j. sem. more aliorum commisi digestioni & destillationi, ast paucissimas guttulas vel vestigia saltem olei indeptus sum. Nobis etiam in officina nostra Senatoria tale venit oleum, quod in nupera nostra visitatione ordinaria cum oleo tanaceti collatum, ferè idem fuit visum. Curiosissimus noster Dioscorides ex quodam Batavo, Domino Herberto de Jæger, ex Persia nobis certiora de semine cynæ promisit, sed quia is Chamæcyparissum pro Sementina nobis offerre satagit, in eandem charybdim appellere videtur. Notissima sunt in vulgus, & severâ lege coërcenda quorundam Aromatariorum mangonia & oscitantia Medicorum (Medicastrorum potiùs) temeraria credulitas, qui experimenta per mortes faciunt. Verbo dicam, sed præfiscinè: Aut nullum nobis est Absinthium Santonicum vel Sementina; aut Tanacetum nostrum odoratum luteum flore millefolii, semine vel nondum maturo, vel calidâ ad prohibendam propagationem perfuso, pro genuino nobis propinatur, cùm forma utriusque ferè conveniat, & effectus amborum sit idem. Hucusque venerandus noster Argonauta.

Liceat & mihi paucis conjecturas meas, inprimis ex supra memoratis literis ad prælaudatum Dominum Præsidem scriptis, depromere ac publicè proferre; qua nempe conjecturarum incertitudine lactare nos cogimur, usque dum aliquis certiora aliquando edoctus scrupulum hunc curiosis Naturæ scrutatoribus omnino eximat. De loco quidem natali primò videndum; quamvis enim hunc habere cognitum, parum Medicis prodesse, videri alicui posset, cùm tamen ad genuini electionem, juxta cum aliis κειτηείοις aliquid conferre, imò resciviſſe eundem, ad ipsius plantæ cognitionem tandem eò faciliùs impetrandam facere possit, labor hic non prorsus frustraneus erit censendus. Palæstinam, præter Petr. Bellonium lib. 2. obs. cap. 64. nostrum Leon. Rauvvolffium hic denominare, notum est; sed cùm ejusdem descriptio cum se-

mine ipso, quale ad nos adportatur, & hucusque ab omnibus pro genuino habetur, non coincidat, eo ipso locus iste suspectus redditur. Ex Ægypto adhuc hodienum adferri, fuêre qui nobis persuadere voluerunt, sed labili fundamento innixi, eò quòd Alexandrini cognomen ipsi vulgò tribui soleat, imò ex Alexandria, Ægypti Urbe, sæpè ad nos deferri, certum sit; nescii utpote, quòd simplicibus variis emporium quandoque, non patria, largiatur cognomina; ceu id de Moscho quoque nuper in ejus Historia Cap. 11. pag. 56. monui, qui itidem Alexandrinus communissimè dictus, illîc tamen locorum neutiquam provenit; imò diligentissimus plantarum Ægyptiacarum indagator, Prosper Alpinus, & qui in eum commentatus fuit, Clar. Joh. Velsingius, uterque in Ægypto aliquot per annos commoratus, nullam ejus mentionem fecerunt; quod sanè ob seminis hujus obscuritatem, quæ latere illos minimè potuit, vix aliàs prætermisissent. Mihi Nobil. Joh. Bapt. Tavernierii, Galli, relatio, videlicet in Regionibus Orientalibus versatissimi, cujus Itinerarium in Gallica lingua editum, non ita dudum in Germanicam quoque traductum Noriberga & Geneva nobis dederunt, præ cæteris magis arridet; qui uti ab eruditis & æquis Scriptorum æstimatoribus non exiguam sinceritatis laudem promeruit, ita in hoc quoque certiora nobis eum tradidisse, verosimile videtur. Is itaque in Indiæ Orientalis regno Boutan illud provenire, parte 2. Itiner. lib. 3. cap. 15. ex diversorum relatione, enarrat, modum etiam collectionis in regno isto usitatum subjungens. Quia verò hactenus pauci aut nulli planè Europæorum, ne dicam, Medicorum, ad loca illa remotissima penetrâsse, certum est, & Mercatores de lucro potiùs, quàm adcuratiori mercium suarum cognitione utplurimùm sunt soliciti, quid mirum, si hac quoque in parte certa relatio nos destituat? Unde dum patriam cum Moscho semen hoc communem & Veteribus planè incognitam obtinet, antiquissimis Medicis eò minùs innotescere potuit, in quorum nempe scriptis neutrum horum recensitum

censitum novimus. Ex Tartaria ad nos deportari, quod aliqui putant, laudatus Tavernierius ibidem negat, erroris que causam detegit. In Carmania autem, Persarum regno subjecta, idem quoque, paucum tamen & incolarum tantùm usui sufficiens, crescere concedit. In Turcarum etiam regionibus progigni, ex nupera Pharmacopœia Persica, Lugduni Paris. Anno 1681. in lucem emissa, colligere quis posset, dum *Absinthium Turcicum seu Sementina* in Medicamento quarto præscribitur. Ut alia loca taceam. Suspicor tamen, alias hîc plantas, & fortè etiam vel ipsas à Cl. nostro Autore descriptas, ab iis innui, quæ videlicet semen aliquod anthelminthicum pro usu Populis istis suppeditare queant; qua ratione & nobis vulgatiora Absinthiorum & Abrotonorum semina aut summitates contra vermes inserviunt. Superiùs, Rauvvolffianum Absinthium, quod Santonicum vocat, & lib. 3. Itiner. sui cap. 22. pag 456. recenset, plantam esse à seminis nostratis officinalis planta diversam, edixi; quanquam enim cauliculos ipsi tenues & seminulis plenos, saporem etiam acutâ amaritie imbutum adscribat, idque de Santonico offic. itidem sit dicendum, dum tamen foliola ipsi cinerea, Absinthio nostrati sic satis similia tribuit, foliola autem seminis Santonici officinalis, quæ non parcè ipsi permista esse solent, cinereo illo colore omnino destituuntur, coloreque saturatè viridi, si recentia inprimis fuerint, tinguntur, figurâ insuper, in fine libri 4. expressâ, toto, quod dicitur, cœlo ab altero illo differunt, eo ipso, quanta inter utrumque Vegetabile sit diversitas, satis elucescit. Quod Petr. Andr. Matthiolum concernit, illa plantæ, cujus à Cortuso sibi missæ in notis ad Dioscor. lib. 3. cap. 24. meminit, figura, à Tabernæmontano & Lugdunensibus in suas plantar. historias dein pariter inserta, vel est planè conficta, quod Vener. Dn. Præses in elegantissima sua Hiera picra pag. 15. verisimiliter negat, vel alterius alicujus plantæ iconem refert, vel, quod credere malo, vitiosè delineata est, non tantùm quòd seminulorum figura potiùs foliola quædam repræsentet,

ſentet, ſed & ſeminula ipſa, bina ferè ſemper è diametro ſibi oppoſita, cauliculis adhæreant, cùm tamen alternatim ubique è lateribus prodire, cauliculi ſeminulis, prout ad nos deferuntur, permiſti edoceant. Cæterùm hanc à Cortuſo transmiſſam plantam fuiſſe genuinam ſeminis noſtri helminthici matrem, arbitror, cùm illius à Matthiolo datam deſcriptionem ſatis huic quadrare, αὐτοψία commonſtret; fruticoſam enim admodum, caulibus & ramis numeroſis refertam, ſemine præterea minuto oblongoque racematim prodeunte, amariuſculo guſtu, odoreque non inſuavi præditam fuiſſe, ſcribit: quæ omnia officinali noſtro exactè conveniunt; Lobelius etiam in Hiſt. plant. fruticulum ſurculoſum eſſe, undique ſeminibus gliſcentem, pluribus fermè quàm foliis, teſtatur. Unde ſi non planta ſui generis fuerit, ad Abrotana referre mallem; præſertim cùm & hoc vegetabile vim anthelminthicam poſſideat, & aliquæ ejus Species etiam apud nos non planè ab illo peregrino diverſæ, quoad foliola, ſeminum copiam, colorem, odorem &c. compareant. Aliàs rectè Exc. D. Elsholzius dicta ſemina noſtra officinalia non ipſum eſſe ſemen, Dec. I. Ephem. Curioſ. Ann. VI. Obſerv. 127. tradit, quia potiùs capſulæ ſunt virideſcentes floriferæ, vel receptacula ſeminis flaveſcentis, quod Microſcopio ſubjectum teres flavumque eſt, candelas cereas conjunctas elegantiſſimè repræſentans. Id quod in Tanaceti ſemine non comparet, quod itaque pro Sementina vix habendum erit; quamvis cum illo adulterari quandoque ſolere, aut fortuitò etiam commiſceri, nolim ire inficias; quo de prælaudatus Elsholzius l. c. uberiùs egit. De olei è Sementina poſſibili deſtillatione, ut & hoc pauciſſimis addam, non dubito, modo ſemen vegetum & benè maturum huic operi adhibeatur; cùm vel in aliis noſtro ſub cœlo enatis vegetabilibus, ſi in vigore non fuerint collecta, vel à tempore, aliamvè ob cauſam effœta reddita, idem contingat, & vel nullius, vel parcioris olei proventum experiamur. Mihi ſanè, dum hæc ſcribo, ſemen iſtud licet non admo-

admodum recens aut vegetum, aliquot guttulas olei odorati & amariuſculi ex retorta cum aqua ſtillavit, licet duas tantùm uncias operi deſtinaverim, unde ſi in copia majori præſtantius tale ſemen huic ignis torturæ ſubjiciatur, oleum in aliqua copia impetrari poſſe, mihi perſuadeo; ſicut viciſſim ab evanido ſemine, quale apud multos proſtat, olei nihil vel pauxillum ſperare licet. Quin & odor ſatis fortis & conſtans de olei præſentia teſtari videtur; idque etiam fortaſſe ejus cum Abſinthio vel Abrotano, utroque oleum ſtillante, magna convenientia poſſet confirmare. Quod verò in Officinis nonnullis pro Sementinæ oleo oſtenditur, utplurimum, ſi non ſemper, adulterinum eſſe, vel alterius vegetabilis fœtum, & vel ipſum fortè ex Zedoariæ radice prolectum oleum, cùm quibusdam ſemen hoc noſtrum lumbricarium ſatis inconvenienter dicatur, exiſtimo.

## OBSERVATIO II.

## D. JOH. MICHAEL FEHR, ACADEM. NAT. CUR. PRÆSIDIS.

*De*

# Fluxu Hepatico.

FLuxus Hepaticus ob hepatis in putatitiâ ſanguificatione ἀτονίαν olim ita dictus, rariſſimus affectus & à paucis viſus, plurimis quoque præclarorum Virorum ſententiis diſſidentibus obnoxius factus eſt, nimirum de ejusdem ſcaturigine, motu, viarum numero (non unam enim ſemper viam, cholidochum puta aut pancreaticum ductum, ſed ſæpè plures easque ignotas Naturam ſibi eligere quotidiana teſtatur experientia) curandique diverſitate, de quibus acerrimè inter ſe conflictantur potiſſimùm Neoterici, ſanguificandi munus non ampliùs hepati, ſed cordi primariò deferentes, quorum graviſſimis rationibus & nos jure meritoque aſſurgimus.

Vir quidam consistentis ætatis, temperamenti sanguineo-cholerici, capillis ruffis crispisque præditus, gracilis, siticulosus & negotiosus; ad iram promptus, nuptiarum & conviviorum creber assecla, biliosis dejectionibus & ventris rosionibus plurimùm afflictus, ante hos decem annos inflammatione hepatis correptus est cum febrili horrore & calore circa vesperam indies invalescente, cum tussicula sicca, colore lurido vel citrino, respiratione difficili & quasi intercepta vel singultuosa, cum dolore & nonnulla intumescentia lateris dextri, nauseâ viriumque summâ debilitate, sed tùm ab hoc periculoso morbi genere convenientibus medicamentis menstruo & quod excurrit spatio, per DEI gratiam fuit liberatus: paulò verò post in eosdem diætæ errores delapsus, sæpiùs iterum ejusmodi rosiones ventris & dejectiones biliosas experitur, præsertim à somno & prandio cum nonnulla cardialgia, urinæ acrimoniâ, siti appetituque ferè nullo, quin & fluxus hic quandoque triduum ipsum interquiescit, sed postea largiùs fertur cum flatibus, rugitibus & tenesmo. Excrementa modò crassiora sunt & grumosa, sæpiùs autem liquida dilutè rubea instar loturæ carnis, modò cinerea sine febri, sine dolore, cum lassitudine spontanea; omnium rerum adest tædium & somnolentia plurima. **Er ist zu allen Sachen verdrossen / ist kein Lust noch Freud mehr bey ihm.** Cùm autem malum hoc sæpiùs inducias daret, à variis quoque Medicis variisque medicamentis adstringentibus pariter, & corroborantibus & tonicis, e.g. hepate lupi, mastiche, theriaca, tinctura corall. rhabarb. diu multumque per aliquot annos fatigatus parum levaminis inde sentiret, tandem tamen præter omnium spem crebro agrimoniæ vulgaris Dioscoridis usu cum prædictis aliisque exhibitis plenariè restitutus est, sumpto in pulv. conserv. mixtura, decoct. infusis & hisce rotulis. ℞ pulv. agrim. per setac. transmissi ℥iij. rhab. opt. hepat. lup. præparat. ʒj. cassiæ lig. veræ ℈ij. conf. alkermes completæ ℈j. cum sach. in aqua agrimon. solut. q. s. F. rotulæ insperg. ol. cinam. Cujus simplicis

plicis virtutes in ulceribus veſicæ conſolidandis Foreſt. l. 7. obſervat. chir. 3. ac in involuntaria urinæ emiſſione Horſt. l. 1, p. 2. de morb. mulier. obſervat. 1. præ cæteris felici cum effectu comprobarunt.

Quemadmodum autem hic affectus plerumque cachexiam, hydropem, atrophiam atque ipſam denique ex colliquatione mortem minantur, ita etiam hepatis inflammatio ut plurimum in abſceſſum degenerat, quem vidi in juvene 21. annorum, qui ex remedio purgante ab empirico ſumto in hypercatharſin primò, poſtea in graviſſimos dolores colicos incidit, quibus nonnihil remittentibus, ſuccedit febris erratica, bis terque uno die repetens, ſed calore ſudoreque horrorem ſemper præcedente (inverſam febrim diceres) cum poſt æſtum ac ſudorem tantus quandoque ſubſequeretur rigor, ut lectus tremeret, & lintea, quibus coopertus erat æger, ſubſultarent: Paroxyſmus hic non ultra bihorium extendebatur & in largam urinæ profuſionem deſinebat, ſed mali contumacia ac diuturnitate victus, tandem pro diſcutiendo rigore ex vetulæ conſilio temerè aſſumit largum ſpiritûs vini hauſtum, unde ſtatim utriusque lateris tenſio dolorifica primùm, pòſt autem & conſtanter ſolius dextri cum voce & reſpiratione quaſi intercepta, nec alterutri lateri ampliùs incumbere poteſt, Secta Medianâ ſanguis extractus craſſus cum circulo in ſuperficie flavo, ſitis urget, & nauſea perpetua cum vigiliis, ac renitenti in dextro latere tumore, reſpiratio ſenſim difficilior, pulſus languidior, Urina rubea cum plurimo ſedimento inſtar minii vel ſandarachu Græcorum, color faciei & totius corporis luridus, vomitus ſedesque primò nigricantes, deinde puri & floridi ſanguinis ſed fœtidi plurimùm, ſuccedente ſomnolentia, ἀναισθησίᾳ, morte.

## *Poſtſcriptum.*

In recenſione obſervationum Nat. Curioſ. Decad. 2. Anno 2. p. 390. ab Excell. Archiatro Sommero inter cauſas mor-

borum & monſtroſas quandoque occurrere aſſeritur, tales ſcilicet, quæ nullo artificio inveſtigari poſſunt, adductoin exemplum puero, qui non niſi curſu priùs aliquoties in circulum facto Urinam reddere poterat, cujus effluxus crebro circulationis motui tum temporis aſſignatus, ſed poſt fata vitium Conformationis deprehenſum: Sic graviores animi affectus à ſpiritibus animalibus irritati ordinarias Naturæ functiones in humoribus ſæpiùs ita turbant & quaſi fermentant, ut præter ſpem & expectationem admirandus exinde & periculoſus quandoque ſequatur effectus, quod in peſte ex conſternatione crebrò accidit. Novi fæminam ſiniſtri lateris paralyticam, quæ Urinam ſæpiùs & plerumque præter voluntatem emittit, ſed alvum nequaquam exonerare poteſt, niſi ægra priùs ad riſum excitetur, levi namque joco aut re delectabili excitata profusè in cachinnum & alvum ſolutam proruit, ſuave delirium diceres, niſi mente ea adhuc integra conſtaret: Sic puerum vidi 17. annorum qui ſub axillis leviter titillatus enormiter vomit & omnia viſcera excuſſurus eſſe videtur, ſi diutiùs eo modo vexaretur, quod non tam inpreſſioni fortiori quàm exultationi ſpirituum animalium attribuendum eſſe cenſeo, adeò ut riſus potiùs ſextus ſenſus eſſe videatur, quàm Scaligeri ſextus ſenſus; quod nervosè in ſua phyſiologia præ cæteris exponit Nobiliſſimus Noſter Hercules ſingulari capite de riſu.

## OBSERVATIO III.

## D. CHRISTIANI MENZTELII.

*De*

## Iride Solari albâ.

MUlta accidunt Meteora in aëre ex nubium pluvialium, vaporum roſcidorum, nebularum, & Solis, Lunæ, majorumque ſtellarum luminum mixtura, quæ vulgo ea intuenti pro miraculis habentur, ſapientioribus verò inter conſueta naturalia reponuntur. Ut de

cæteris

cæteris taceam & de Iride Solari pauca proferam, cujus ſpecies ſuprà enarratas vix ab eruditis conſignatas eſſe puto, cùm eas nullibi inveniam, præter vulgarem illam verſicolorem à plurimis eleganter ſuis mathematicis demonſtrationibus deſcriptam. Unde miſsâ, hac vulgari Iride, ad ſpecies ejus me confero, ubi primò Alba Solaris ſeſe offert. Hæc ubi primùm mihi viſa eſt, pro inſolito & ominoſo phænomeno habebatur; at cùm per aliquot annos viſui meo pluries mihi ea obvenerit, inter conſuetas naturales res, quæ certô anni tempore ubivis accedere poſſunt, eam colloco. Ariſtoteles l. 3. meteor. c. 2. miratur, ſe ultra 50. annos Iridem albam Lunarem, (nam de Solari alba planè ſilet) bis ſaltem vidiſſe. Verùm hocce phænomenon, Iris nempe Lunaris, hodiè non rarum eſt, & diligenter obſervanti quôlibet pleniluniô, cùm raræ nubes nebulæque noctu exiſtunt, occurrit. Solaris autem alba ter mihi jam viſa eſt. Prima concomitabatur mihi à dextro latere per integram horam Anno 1676. die 12. Septempris horâ ſextâ manè circa Æquinoctium hiemale prope Berolinum, cùm ex Pomerania eſſem eò redux Anclamô cum Sereniſſimo Principe Electorali FRIDERICO. Altera Iris Alba aſſiſtebat mihi per bihorium eodem modo à dextris poſt quadriennium Anno 1680. die 22. Septembris Juliani horâ ſeptimâ cum dimidia Matutinâ, cùm ex venatione cervorum Cuſtrinô Berolinum ſequerer Sereniſſ. meum Electorem Brandenb. cui etiam illa cum aliis apparuit. Tertio mihi ſeſe hôc Annô 1684. manè horâ ſeptimâ die 27. Septembris obtulit per integram horam ex adverſo, cùm Sol retro me oriretur, atque à fonte ſalutifero Freienvvaldiæ exorto reverterer cum Sereniſſimo Principe Brandenburgico PHILIPPO WILHELMO. Hæ Irides Solares totæ albæ, quin ſuboriantur quotannis, nullum mihi eſt dubium, etſi rarò obſerventur aut curioſis non ſemper occurrant, quòd tunc temporis, manè craſſiſſimis & aliquando fœtentibus nebulis neceſſariò tunc exiſtentibus, nemo facilè iter ſuſcipiat. Atque ut breviter Iridem noſtram Solarem albam

deſcribam, eſt illa arcus cœleſtis unicolor albus tempore Æquinoctiorum, præſertim Autumnalium accidens, à Sole exoriente in oppoſitos ſibi vapores roſcidos nebulasque denſas & craſſas medii aëris, in nubes pluviales nondum concretas, ſed à Phœbi radiis, non autem à ventis, deſuper in terram detruſas, quò poſt meridianum tempus ſerenitas aëris indè reluceſcat, efformatus, & in ipſis nebulis viſui patens. Cauſa igitur efficiens hujus arcûs eſt Sol aut ejus radii: cauſa verò materialis vel ſubjectum eſt vapor roſcidus, craſſus, ſive nebula denſa, deſuper in terram vi radiorum ſolarium detruſa, & nondum in nubem ſuperiùs denſata, aut in guttulas pluviales coacta & reſoluta. Differt igitur Alba hæc Solaris Iris, à verſicolore, quòd hæc gignatur. ὅταν ἄρχηται ὕειν, καὶ ἤδη μὲν συνίσταται εἰς ψεκάδας, juxta Ariſtotelem, & cùm guttulæ pluviarum perfectæ conglobatæ ad ἔνοπτρα aptæ, ex nube denſa decidunt: illa verò Iris alba exiſtat non in guttulis pluviarum, ſed materia ſaltem earum, nempe vapore roſcido. Hic enim vapor ob minutiſſima atomorum inſtar corpuſcula, humida, & vaporoſa, humanis oculis ſpecula colorata à radiis ſolaribus, & refracta, exhibere nequit, unde color albus neceſſariò emergit. Sicuti enim guttulæ integræ, inſtar glaciei puræ & cryſtalli, ſive vitri pellucidi & clari, juxta angulorum varietatem, à lumine Solis incidente, variis coloribus refranguntur: ita minima vaporum roſcidorum corpuſcula, inſtar glaciei raſæ & in nivem candidam redactæ, vel cryſtalli aut vitri ad inſtar, in pollinem albiſſimum contuſi, à Solaribus radiis in Iridem albam franguntur & efformantur. Crura hujus Iridis ſolent eſſe craſſiora verſus terram, quoniam vapores, nebulæque ad terram craſſiores tunc exiſtere ſolent, quàm ſuprà in ſublimi aëre, ubi ob hanc cauſam arcus perquàm obſcurè cernitur, ſalvis peritiorum Mathematicorum judiciis.

OB-

# OBSERVATIO IV.
## D. CHRISTIANI MENTZELII.
*De*
## Iride aureo-lutea Solari, & alba Lunari insequente.

INter elegantissima meteora numerandæ mihi occurrunt tres Irides, spaciô duarum horarum sese mutuò insequentes, quarum spectaculum attulit mihi dies 23. Januarii st. v. Anni 1681. vespere horâ quartâ, sub elevatione poli nostri Arctici 52. grad. cum dimidio, sequenti modô: Phœbus jam erat sine nube occasurus, Ortumque disruptis nubibus, nebulisque gelu constrictis plenum, arcu cœlesti primò albicante adornabat, mox, cùm jam occasum propiùs accederet, eundem arcum nubesque omnes Occasum versus aureô colore tingebat in tesseram candidi & aurei amoris erga Cynthiam suam mox orituram. Quô factô cùm jam Phœbus thalamum ingressus visui se nostro subduxisset, Diana, plenô & hilari vultu assurgens, arcum suum cœlestem in Occidentalem plagam ad Phœbi thalamum reddebat, quem in signum mutui amoris & candoris per 4. horas in multam noctem candidissimâ veste jubebat persistere. Causæ efficientes horum tam pulchrorum arcuum cœlestium erant Phœbus & Cynthia, radii nempe Solares & Lunares. Materiales verò causæ erant vapores roscidi ob gelu in sublimi aëre hærentes cum nubibus disruptis mixti, qui priùs Iridem albam reddebant, quàm Sol regionem vaporibus repletam radiis perlustraret, ubi objectas nubes qua parte Occasum spectant, arcumque sibi oppositum aureô colore inficiebat. Sol namque duplici videtur veste amictus cùm oritur & occidit serenô Horizonte. Etenim ante diluculum matutinum lux quædam alba præcedit, quàm sequitur aurora amicta coccô & purpurâ, quibus Sol immediatè

diatè inveſtitur, priusquàm ſurgit aut occidit. Flabat eô veſpere ventus ab Occidente qui plurimas nubes fractas cum vaporibus gelidis adferebat, unde Sol jam occaſurus per vapores radiis ſuis aureis omnes nubes oppoſitas arcumque antea albidum, jam verò luteo-aureô tingebat colore. Sequente hora ſeptima noctis, poſt exortum Lunæ exhibebat ſe Iris alba Lunaris Occaſum verſus, quæ per 4. horas, à 7. usque ad 11. noctis perſiſtebat. Erat igitur aëris regio ſuperior nubibus & vaporibus gelu conſtrictis plena, quæ una eademque cauſa Iridis duplicis Solaris & Lunaris fuit. Eodem tempore circa Venerem Halo erat inſignis. Inſequebantur poſterâ die nebulæ craſſæ per totum diem, indiciô, quòd pridiè ſuperior aëris regio illis nebulis craſſis fuerit obducta, ſalvis eruditiorum judiciis.

## OBSERVATIO V.
## D. CHRISTIANI MENTZELII.
*De*
# Iride cœleſti rubra Solari, item de Aurora matutina & veſpertina, Halone, nube reſplendente pauca.

ANno 1677. die 19. Octobris ſt. v. horâ quintâ veſpertinâ, cùm Sol jam occidiſſet, nec ſupra Horizontem exiſteret, cœlô ventis liberô & tranquillô ſerenôque Horizonte occidentali, aliàs verò undiquaque nubibus disruptis, cum vaporibus intermixtis, obductô, viſa mihi eſt, & aliis, circa urbem Stetinum Pomeranorum, in caſtris Brandenburgicis Orientem verſus Iris Solaris tota rubra, ultra dimidium Circuli arcum, eum ferè integrum figurâ ovali exhibens, cum Aurora Phœbum occaſu jam ſepultum multô rubore inſequeretur. Erat hac veſpera gelu intenſum & aër imus à ventis tranquillus: in ſuperiore autem aëris plaga venti boreales nubes omnes gelu denſatas agitatione aëreâ disrumpe-

rumpebant. Hæ nubium partes quaquaversùm, erant ad Solis occaſum, Auroræ veſpertinæ rubore omnes tinctæ. Cùm autem in ſuperiore aêris regione inter nubium diſtantias vapores nondum in nubes coaliti, ſed adhuc rari & congelati, ventis agitarentur, Iris noſtra rubra Solaris maximâ circuli circumferentiâ verſus Ortum in nubibus & vaporibus ſeſe oſtentabat. Et hæ ſunt Iridis rubræ cauſæ, ut puto, & efficiens, nempè aurora veſpertina; & materialis, ſcilicet vapores craſſiores, frigore conſtricti & nubibus intermixti. Hi ſubjectum poterant eſſe Iridis & albicantis & deinde croceæ ſive fulvo-aureæ Sole adhuc ſupra Horizontem exiſtente: ſed cùm Sol jam ſub Horizonte latet, eundemque ſerenum Aurorâ ſuâ pertingit, radii ejus cum aurora, objecta quævis in aëre rubore ſuo inficiunt. Arcus autem in Iride ſemicirculo major extitit, quoniam Sol ſub Horizonte latitabat, & radios ſuos obliquè ſurſum ad nubes & vapores gelidos jaculabat. Quemadmodum enim Sol & Luna, ſi ſunt ſupra Horizontem in lineis meridionalibus, cæteris paribus, nempè nebulis craſſis & vaporibus in alto exiſtentibus, circulum integrum, ſive Halonem aut Iridem circulô integram efficiunt, qualem Cl. Dn. Gottofredus Schultzius obſervavit & adnotavit Anno Ephemeridum noſtrarum ſexto & ſeptimo, Obſerv. 290. p. 353. & Venerabilis noſter Senex Argonauta (uti teſtantur literæ Ejus ad me) Anno 1676. die 12. 13. Maij idem phænomenon in cœlo intuitus eſt, egoque hîc Berolini illud ſuſpexi Anno 1677. die 9. Maij ſt. v. cujus color apparebat mihi gilvo-luteus in ſupremo candidus, cùm aêr in ſublimi eſſet undiquaque nebuloſus & obſcurus inferiùs verò ſerenus & placidus. Ad eundem modum Sol ſub Horizonte exiſtens cùm nubes & vapores craſſos ſurſum verſus radiis ſuis attingere poteſt, circulum fermè integrum efficit in nubibus aut vaporibus oppoſitis, qui aliàs dimidius ſaltem appareret, cùm Sol aut Luna plena in Horizontibus vel orientalibus vel occidentalibus tantùm exiſteret. Halo enim ἅλως vel ἡ ἅλως area, corona & ἔμφασις λαμπρότη-

τῷ ἄστρῳ περιαυγός; circulus lucidus ſub aſtro, (Sole, Luna, ſtella majore) in nube æqualiter rara, inter oculum noſtrum & Solem vel aliam ſtellam majorem rectà poſitus apparens, ex radiis iisdem in nube reflexis integrum circulum ſtellæ deſuper oculis noſtris exhibens. Eſt autem circulus hic ſive Halo Iridis ſpecies integræ in nube rorida plurimùm tranquilla circulum integrum efficiens. Quod ſi ſub his vaporibus placidis inferiùs aliæ nubes raræ à ventis impetuosè agitentur, ubi ſæpiùs Hyeme præſertim obſervavi, tunc Halo ipſe fallaci ſpecie tanquam currere & agitari videtur. Exiſtunt enim in aëre nubes variè inter ſe diſtantes: quædam in ſuprema aëris regione vel ob ἀντιπερίστασιν, vel ob nimiam diſtantiam quaſi quieſcere: aliæ infra has, per milliare unum aut alterum diſtantes, à ventis moveri: aliæ adhuc inferiores quandoque fulgore & tonitruis miſceri: aliæ imæ in terram depluere videntur, ſicuti hoc in promontoriis excelſis, vel ad illa ex navibus mari præternavigantibus manifeſtò apparet, & ego talia in monte præaltô Granatorum Hiſpaniæ ex freto Gibraltar, itemque in monte Sumano & aliis cum ſtupore intuitus ſum. Sed ut ad Iridem meam rubram revertar, notandum, quòd Iris hæc rubra crura habeat craſſiora quàm arcus ipſe ſuperiùs ſit conſtitutus, ob vapores ad terram majores & denſiores, quàm in ſuperiore parte aëris, vel quia id quod à nobis longinquius & remotius eſt, rarius, quod vel proximum eſt, denſius & craſſius apparet. Deinde obſervavi quoque ad crura hujus Iridis craſſa aliquid obſcurè cærulei, vel ob gelu in vaporibus craſſis, vel ob umbras occaſum Solis inſequentes; ſicuti tunc temporis omnes nubes terram proximiores nigræ conſpiciuntur ob umbram, quæ à Solarium radiorum abſentia in terris & nubibus terram proximis inducitur; contrà verò ſuperiores nubes, quæ radios Solis ſub Horizonte latitantis adhuc recipere & ex auroræ colore tingi poſſunt, rubræ videntur. Aurora igitur etſi frequentiùs ſumatur ab Autoribus pro matutino crepuſculo immediatè Solem præcedente; tamen una eademque

que illa eſt, quæ Solem ſequitur veſpere immediatè poſt ejus occaſum, & ultra dimidiam horam non durat. Unde Aurora veſpertina æquè ac matutina exiſtit. Hîc non reticendum videtur phænomenon perrarum, quod aſpectui meo contigit eôdem menſe & anno, inque eôdem ſupramemorato loco veſperi horâ ſeptimâ, poſtquam Sol tribus horis præterlapſis occidiſſet. Erat in occidentis Horizontali plaga nubes unica, denſa, atra, cæterùm cœlô undiquaque ſerenô. Hæc retrò, versùs occidentem lumine inſigni erat prædita, adeò ut ex ſeſe radios circumcirca igneos, ſplendentes longè lateque ejacularet, tanquam ineſſet huic nubi Luna plena vel aliud igneum & luminoſum corpus, cùm tamen & Phœbus & Diana tunc ſilerent. Nubes hæc atra per dimidiam horam cum radiis ſuis ita perdurabat, tandem lumen omne ſenſim evaneſcebat & nubes atra perſiſtebat. Cauſam luminis in nube hac conjeci in radios Solis ſub Horizonte latitantis, qui ad nubem hanc potuerunt pertingere, in qua ob craſſitiem & denſitatem tanquam in ſpeculo radii Solares refracti igneum ſplendorem genuêre, ſalvis aliorum judiciis. Tantum de tribus Iridis ſpeciebus.

## OBSERVATIO VI.
### D. CHRITIANI MENTZELII.
*De*
# Colorum Iridis cœleſtis comparatione cum Coloribus hypoſtaticis ſive Pigmentis, horum ordine, & natura.

POſt Obſervationes de Iridis cœleſtis quibusdam ſpeciebus raris, non tam celeriter ab Iride cœleſti diſcedendum arbitratus ſum, priùs quàm Taumantiæ verè admirandæ colores paulisper perluſtrarem, & de iis obſervata quædam in medium producerem. Hi etſi integros volumi-

num tractatus mereantur, quò exactiùs quid de iis diſſeri poſſit, præſertim cùm de coloribus apparentibus in Iride comparatio quædam cum hypoſtaticis, terreniſque coloribus, vulgò Pigmentis inſtitui debeat; tamen, ne modulum Obſervationis hactenus uſitatæ excedam, animus eſt, ea, quæ certâ experientiâ innotuêre, breviter ſaltem & ſummariè prodere, videlicet: quot colores in Iride cœleſti propriè dentur: quô ordine ſe invicem inſequantur: quot cardinales exinde colores reſultent: quomodo cum illis colores ſubſtantiales ſive pigmenta conferri, & myſticè cum Planetis explicari aut comparari, atque in uſum rei ſcriptoriæ & pictoriæ rectè collocari & parari poſſint? Colores primò in Iride cœleſti, *Ariſtoteles* tres tantùm præcipuos agnoſcit: φοινίκεον, πράσινον & ἁλουργόν, rubrum ſeu phœniceum, viridem & cæruleum: verùm duo adhuc manifeſtè apparentes addi poſſunt: ξανθὸς & πορφυροῦς, flavus nempè & purpureus, adeò ut in Iride cœleſti verſicolore quinque deprehendantur colores, qui ordine ſeſe ita inſequuntur. Primò ſupremam arcûs cœleſtis regionem tenet ruber color ſeu phœniceus: ſecundò ſequitur luteus vel aureus: tertiò viridis: quartò cæruleus: quintò puniceus vel purpureus. Hi ſunt quinque colores Iridis admirandi, à Sole tantùm procedentes & tanquam in ipſo Sole reſidentes. Niſi enim in ipſo Sole eſſent, quî poſſent ab eo procedere & in objecto exhiberi? Juxta namque Veterum ſapientiam, (quod notandum) & Planetarum harmoniam, Mars rubicundus ſupra Solem reſidet aureum: quem ſequitur inferiùs Venus viridis: hanc verò Mercurius cæruleus: denique Luna purpureâ veſte mutuatitiâ. Ad perfectum autem numerum ſeptenarium implendum reſtant adhuc duo colores, albus & niger: candidus nempè Jupiter, nigerque Saturnus. Nimirùm ex atris Saturni tenebris, in rudi Chao latitantibus, quæ tegebant omnes colores, juſſerat in Principio prodire Divinum Numen Jovialem lucem, albam, primigeniam, quam ſubſequebantur ignes reliqui rutilantes, exſurgebatque Aurora rubicunda

cunda cum Sole aureo, præfecto trium regnorum Orbis nostri, scilicet mineralis, vegetabilis & animalis. Qui de coloribus scripserunt Autores, septem quidem colores cardinales agnoscunt, sed in ordine eorum numerando eos potiùs confundunt, quàm explicando justè collocant. Verùm ne à tramite recto aberrem, cynosura colorum mihi esto Iris nostra cœlestis versicolor, Taumantia verè admiranda, istud divinæ reconciliationis cum humano genere signum, Arcus cœlestis, Speculum Apollinis, quatenus colores cardinales cum septem cœlestium corporum harmonia, & theoreticè & practicè, tam in Chemiæ quàm Pictoriæ laboribus congruunt, ponendo eos hôc ordine super asserculum politum (vulgò Politam) ita, ut color Saturni niger primum, Jovis albus secundum, Martis phœniceus vel ruber tertium, Solis verò aureus sive luteus quartum, Veneris viridis quintum, Mercurii cæruleus sextum, & Lunæ purpureus septimum sibi vendicent locum. Similem huic aliquem ordinem in asserculis dictis apud præcipuos Pictores observare licet, qui inscii quidem cœlestis hujus ordinis, pro rei tamen indigentia Naturâ Ductrice omnium primò collocant nigrum colorem & album, pro mistura umbræ & lucis, deinde rubrum vel cinnabrinum & luteum ex ochra, cum his addito parum albi coloris fit mistura coloris carnei ad partes hominis nudas penicillô præsentandas, hos quatuor colores comitantur reliqui, pro cujusvis pictoris indigentia. Sed ut à spiritualibus & apparentibus saltem Iridis cœlestis coloribus descendam, & ad terrestres & hypostaticos me convertam, enumerando præcipuos tantùm & magis hodiè usitatos, distinguendos eos existimo in colores minerales & vegetabiles, atque ex iis mixtos. Minerales ex terris variis desumpti oleis præcipuè lini aut nucum expressis miscentur ad picturas durabiliores, unde & colores oleaginei vocantur. Vegetabiles, ex plantarum partibus variis petiti Aquei dicuntur colores, qui aquâ plerumque simplici, cum micula saltem

 gummi

gummi arabici clari ſolutâ ſubiguntur & ita ad ſcripturas vel picturas adhibentur. Ex mineralium cenſu ſunt:

1. Nigrum Colonienſe, terra nempe atra circa Coloniam Agrippinam & alibi foſſilis: Huic nigro conveniunt oſſicula vel putamina amygdalarum, perſicorum, ebur, Cornu cervi ad nigredinem uſta, germanicè Beinſchwartz / quoniam ad colores oleagineos egregiè faciunt, licet non ſint minerales.

2. Albus color ex Ceruſſa, i. e. plumbo cum aceto calcinato fit: item Album Anglicanum ex Stanno Anglicano vel plumbo albo ſimili calcinatione peragitur, germanis Schieffer weiß / durabilius eſt ceruſsâ.

3. Phœniceus ruberq́ue color præcipuus hodie & Cinnabaris artificialis ex Mercur. & ſulph. ſublimatis. *Minium* Cracovienſe, ibidem foſſilis, raro artificiale ex Saturno ad rubedinem calcinato adhibetur, Boli rubri, qui ſunt, glebæ in Armenia & aliis regionibus foſſiles, ochra uſta &c.

4. Luteus color præcipuus eſt Ochra flava, ex omnibus fermè acidulis, tanquam ferri matrix, promanans, quæ coloris pelluciditate aut obſcuritate valdè differt, germanis, Ocker. Flavum ebulinum, germ. Sittichgelb / ex ebuli ſucco, ceruſsâ impрægnato fit. Flavum plumbeum, germ. Bleygelb / ex Mercur. & Jov. ſublimatur. Auripigmentum, peculiare eſt ſulphur foſſile ſuô Mercurio conſtans, & venenoſum eſt itemq́ue Riſagallum, germ. Reuſchgelb / aliàs Arſenicum citrinum vocatum, quoniam ex Arſenico albo cum particulis ferri ad colorem luteum exuritur, &c.

5. Terra veridis, Italis Terra verde, in Italia & alibi foſſilis. Chryſocolla nativa, germ. Berggrün / etiam foſſilis eſt. Æs viride, germ. Grünſpon / ex Venere cum aceto aut Tart. paratur. Fit etiam color viridis ex mixtura flavi & cærulei coloris, ſicuti in Iride cœleſti color viridis medius eſt inter flavum & cæruleum, isq́ue exinde progigni à quibusdam putatur. Sic Auripigmentum cum Indico colore vel Indigo, item Ochra

Ochra cum cæruleo montano inter ſe mixti elegantes exhibent colores virides.

6. Cæruleum montanum, germ. Bergblau / foſſile eſt, & coloris ſui remiſſione vel exaltatione multùm differt: unde quod vilius eſt germ. Bergaſche dicitur, quia cineres fermè præſentat. Lapis Lazuli & nativus & factitius, germ. Laſur. Nativus in petra pellucida alba hæret, plerumque Lunam & Mercurium continet: factitius ex Cobalto & ſilicibus contuſis exuritur. Cobaltum verò germ. Kobalt aliàs Fliegengifft / ex plurimo Mercurio, & arſenico conſtat: in Saxonia, Bohemia, &c. foſſile: præſtantius complectitur plerumque Bismutum, aliàs Marcaſitam argenteam, ſcilicet Mercurium ex lapide ſuo admiſto parùm coagulatum & in ſemi-metallum induratum. Ex ambobus, & Nativo & Factitio, quia ſunt colorum omnium conſtantiſſimi, paratur ſubtiliſſimâ triturâ decantatiſſimus ille cœleſtis color, Azurum ſive Ultramarinum, hodiè vocatus. Indicum, ſive Indicus color, vulgo Indigo, cæruleus ad nigredinem usque ſaturus color, etſi is ex glaſti cujusdam ſpecie in Indiis paretur (de quo laude digniſſimam prodidit Obſervationem Cl. noſter Collega in Indiis D. Herbertus de Jæger in anno præcedente ſecundo Decuriæ ſecundæ Ephemeridum noſtrarum, tamen, quia etiam ad colores oleagineos adhibetur, hûc etiam ſpectare videtur.

7. Purpureus color præcipuus, Lacca dicitur; eſtque vel in rotulis vel in globulis. Lacca in globulis Germ. Kugellack / vilior longè eſt illâ in rotulis, quia ex creta vel ceruſſa cum parum Laccæ in rotulis admixtæ componitur, & in formam globulorũ formatur. Lacca verò in rotulis, aliàs Florentina, quòd Florentiæ frequentiùs quàm alibi fuerit parata, germ. Florentiner Lack / ex pannis ſcarlatinis lixiviô extrahitur ad conſiſtentiam legitimam, inque placentulas vel rotulas effunditur. Panni autem ſcarlatini inficiuntur ſuô modô ex tinctura granorum chermes, ſive coccorum ex Ilice coccifera, vel etiam vermiculis ex iis, inſtar gallarum quercûs; vel ex ficûs Indicæ

fructu

fructu enatis, qui vulgò Cocconillie dicuntur, quod genus vermiculorum vel coccorum basis est purpurei nostri coloris. Tantæ excellentiæ purpureus color ex regno minerali huc usque nondum innotuit. Hi colores omnes possunt cum oleis lini vel nucum subtilissimè triti à pictoribus adhiberi, & demum vernice i. e. oleo lini cum resinis pellucidis cocto, vel cum gummi Copal & spir. Vini soluto ad conservandos & speculi instar illustrandos colores picturis illiniri. Alterum genus colorum ex vegetabilibus, (rarò ab animalibus, ut ebur, cornu Cervi & similia) sumuntur, vid. ex radicibus, foliis, floribus, fructibus, lignis, lacrymis & reliquis plantarum partibus, & aquâ simplici parùm gummatâ ad scripturas vel picturæ genus celebre, quod punctim peragitur, & vulgò *Miniatura* appellatur, adhibetur: quamvis colores in hoc picturæ genere facilè aëre absumantur, nec tam diù, uti oleaginei perdurent. Ita

1. Niger color primarius Atramentum scriptorium est, cujus compositio passim habetur. Atramentum siccum Indicum ex China hodiè frequens allatum,

2. Albus color in miniaturis plærumque non hypostaticus est, sed charta pergamena albissima relinquitur iis in partibus sine aliquo colore infecta, in quibus albedo vel lumen præsentari debet: quandoque tamen pilus aliquis albus, vel aliquid aliud pingendum, Albô Anglicanô peragitur & præsentatur.

3. Color ruber aut phœniceus etiam Cinnabari factitio, aut gummi, sanguine Draconis arboris, minio eleganti & aliis cum aquâ gummatâ paratur. Succus autem radicis rubiæ tinctorum vel Alcannæ magis purpureus, quàm phœniceus est.

4. Flavus vel Luteus ex croco, floribus Cheiri, gummi gotta &c. aquâ temperatâ fit.

5. Viride saturum germanicè Safftgrün pro exprimenda viriditate graminum eorumq; umbras præsentandas ex succo

bacca-

baccarum maturarum Spinæ infectoriæ vel Rhamni solutivi fit. Paratur viride halcinum ex viridi ære aquâ, non gummatâ, (contra Caneparium de Atramentis, pag. m. 364.) sed tartarisatâ i. e. admixto parum pulveris tart. crudi, sed puri, quâ extrahitur elegans color viridis in charta scriptorius & non transiens eam; quòd si huic colori admisceas aliquid extracti croci, multò elegantiorem virorem & colores acquires. Componitur etiam viridis color ex luteo & cæruleo, v. g. ex gummi gotta cum Indico, croco cum cæruleo montano, aut alio cæruleo uti Azuro &c.

6. Cærulei coloris diversitas extrahitur ex floribus Cyani cærulei, violarum purpurearum, anagallidis cærulei, vel ex glasti specie, ex qua Indigo fit, de quo superiùs dictum.

7. Purpureus demum color suprà inter colores minerales laudata Lacca Florentina est. Feliciter etiam iste & eleganter ex decoctione ligni Brasiliani Fernambuci, additô tantillum aluminis in fine: item ex sanguine Draconis Arboris & aliis rebus: Tantum de coloribus præcipuis per modum Observationis edere volui, omissis aliis, ne enumeratio hæc nimiùm excresceret, licet singula de hac materia longius quid atque exexactius desiderent.

## OBSERVATIO VII.

## D. CHRISTIANI MENTZELII.

*Judicium eruditi cujusdam & curiosi Medici*, de patinis parvis aureis Iridium vulgò cœlestium, in harum cruribus inveniri & cum iis decidere creditis, ad requisitum *Amici cujusdam mei singularis & naturalium rerum curiosi*, transmissum & Additamenti loco ad Observationes præcedentes de Iridis Solaris speciebus raris hîc appositum. D. V. obs. 203. p. 47.

MUlta superstitiosa humanis mentibus solent obversari, cùm insolita & rara fortè accidunt, quorum ratio vera non statim inveniri potest, sed loco ejusdem aliena, sive ignorantiæ culpâ, sive lucri gratiâ comminiscitur. Patet hoc inter infinita alia ex patinis illis parvis aureis, quæ à Romanis veteribus sive aliis gentibus quacunque de causa terris absconditæ & ab aratoribus aut fossoribus in agris, ubi Iris fortè fuit observata, effossæ, nomen ab Iridibus fuerunt sortitæ, Germanis Regenbogen-Schüsselein/ quarum una supràlaudato Viro Aulico, Basileæ Anno 1650. in Camera raritatum Felicis Plateri, & alia non nemini Ulmæ, aliæque alibi fuerunt ostensæ. De his cùm varia fidemque excedentia narrentur, quòd fuerint effossæ in locis, ubi crura vulgaris Iridis steterint, tanquam Iris uno in loco subsisteret & cum Sole aut Solo sive Orbe terreno, itemque cum homine, qui Iridem intuetur, locô non moveretur; & alia, quæ captum eruditum superant, placuit judicium viri alicujus eruditi ad hoc requisiti, cui calculum album facilè addo, huc per partes tantùm adducere, quod ita se habet: Etsi infirmitatis meæ mihi probè sim conscius, ut judicium meum de rebus obscuris dare ausim, facilè cessurus unicuique cui

*E meliore luto finxit præcordia Titan;*

tamen, cùm Artis magna pars sit, speculari posse, quæ rectè scripta sunt, ideò non reformido in re obscura judicium meum communicare. Quæstio igitur mihi & Collegis oblata: Quid sentiendum sit de patinis aureis parvis ex Iride decidere creditis? Quæ historiarum duarum fide munita: ubi consideranda veniunt: 1. Num dentur ejusmodi patinæ aureæ? 2. Ubi proveniant, & quid reverâ sint? Ad primum quod attinet, dari & reverà existere has patinas aureas, non saltem ex Historiis allatis patet; sed etiam apud nos degit Vir quidam apprimè doctus, qui ipsemet in Camera raritatum Plateri unam, duas verò alias in Bibliotheca & quartam Ulmæ [illegible] libus vendere voluit. Te- [illegible]

[illegible]

ſcuram ſtellæ (in aliis Solis, gladioli, corculi) effigiem extare, ipſas verò apparere quaſi fuſæ ſint, uti aliâs cera in varias formas funditur. Cùm itaque Vir fide dignus oculatus nobis ſit teſtis, nemo dubitationis anſam habebit, quaſi non invenirentur iſtæ patinæ. Sed unde proveniant & quomodo generentur, hoc indagatione dignum: Ab Iride deciduas Hiſtoriæ relatæ oſtendunt. Iris verò ſecundum Ariſtotelem 3. meteor. 3. & arcus multicolor in nube rorida, opaca & concava, ex radiorum Solis oppoſiti reflexione apparens. Nubes verò juxta eundem 1. met. 9. eſt vapor humidus & craſſus à Sole ad medium aëris elevatus, qui frigore illius loci conſtrictus & quaſi congelatus pendet. Hinc patet, Iridem non eſſe ſubſtantiam ſed ſaltem aliquid apparens, quod reverâ nihil eſt. Sicut enim facies in ſpeculo non ſubſtantialis, ſed potiùs ejus ſimulacrum; ſic etiam Iris non eſt Subſtantia, ſed ſaltem radiorum Solis effectus: nec Iris cadit in certum locum, ſed poſt partum pluviæ nubis imprægnatæ evaneſcit, ſicuti facies in ſpeculo abeuntis: ubi nec Scaligerum curamus, qui exercitat: 80. de ſubtili: illos irridendos non putat, qui ab incubatu Iridis plantas odoratiores fieri dicit. Non entis enim nulla ſunt accidentia. Itaque aurum Iridi tanquam Iridi ineſſe non poteſt. Sed fortè in nubis gremio continebitur? Nubes cùm è vaporibus à Sole elevatis conflata, ſi Sol, ut varias materias & ſemina cum rore attrahere ſolet, è quibus herbæ, animalia, imò lapides generantur, aureas exhalationes attraheret, & illæ condenſarentur, Aurum verò nubi ineſſe poſſet, & quidem illo tempore, cùm Iris apparet, eò magis quàm altero, & hoc ideò, quòd Sol hoc tempore magna vi aquoſa & vaporoſa attrahit: quod exinde cognoſcimus, quia nubes tunc ſummoperè ingravidatæ & craſſæ ſunt: undè etiam aqua tonitrualis è craſſis ejusmodi nubibus decidua virtuoſa admodùm ſit tam in Medicina, quàm in Chymia & ad fertilitatem agri propter ſulph. nitrum & ſal armon. quæ ſalia aurum ſublimandi vi pollent.

Etſi verò hoc concederetur, quòd ſcilicet Sol ex aurifodi-

narum exhalationibus nubes imprægnaret; tamen perſpicuum non eſt, quomodo patinæ inſculptis præcipuè figuris & ſignis à natura conficiantur, quin potiùs imber aureus prorumpat, ut Cæſaris Matthiæ tempore accidiſſe nuper mihi narratum. Itaque nec ab Iride, nec à nube has patinas decidere poſſe firmiter mihi perſuadeo. Cum itaque res ita ſe habeat, perſcrutandum porrò, unde ortum habeant? Certè circa Baſileam non ſaltem monetam vetuſtam, ſed & alia antiquitatem redolentia inveniri & effodi Cameræ raritatum pleniſſimæ ibi oſtendunt. In Pancirolli memorabilium notis p. 323. annotatum invenio, Julium Cæſarem poſt magnam victoriam milites tam cultos habuiſſe, ut etiam auro & argento politis armis ornarit: & Aurelianum etiam gregariis militibus, ut per omne tempus militiæ fibulas haberent aureas, privilegium dediſſe. Et Virgilius de equorum ornatu dicit:

*Inſtratos Oſtro alipedes, pictisq́ tapetis*
*Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.*

Quæ verba idem Pancirollus introducit & addit, præter tapeta eos habuiſſe monilia, ut erant roſæ, tintinnabula & alia ornamenta. Itaque concludo, has patinas ita dictas in terræ gremio latuiſſe & de ornamentis & monilibus vel hominum vel equorum fuiſſe. Salvum, ut ſuprà monui, ſit doctioris judicium.

## SCHOLIUM.

QUamvis materia hæc ab Anonymo ingenioſè admodum pertractata fuerit, ut parum ampliùs, ad erroneam iſtam opinionem confutandam, ſuperaddi queat, benevolæ tamen Nobiliſſ. noſtri *Apollinis* poſtulationi ſatisfacturus, meam pariter de Scutellis iſtis adnectere ſententiam haud intermittere poſſum. Aliquot autem ejusmodi latitare in ſcriniolis Concivium meorum, ſub hoc Scutellarum ex Iride ſolari deciduarum nomine, Vaſcula, non parvo pretio æſtimata, audio; è quibus unum favore Nobiliſſimi Domini Poſſeſ-

ſoris

ſoris hic delineatum exhibeo; quod craſſum admodum & drachmas duas cum novem granis pondere æquans, ex auro mediæ ſortis, & quod vulgò ſic dictum coronarium aurum bonitate ſuperat, conflatum, inque ſemiglobularem figuram, ſed excavatam, rudi artificio fuſum adparet; cujus partem concavam ſtella ſeptem angulis inſtructa (vid. Fig. IV.) occupat, quam ſemicirculus, exteriore ſui parte ſerratus, ex uno latere ambit; prout etiam in convexa ejus parte ſtella ſexangularis notatur, quam incerto ordine diſperſæ circulares eminentiæ (vid. Fig. V.) circumſtant. Quomodo autem taliter figuratum corpus in aêre generari queat, non video; ut ita rationes à prælaudato Anonymo allatæ ſuo robore utique polleant. Quin &, Iridis partus dicendæ ſi forent ejusmodi Patellæ, ſequeretur, infinitum, quod tamen eſt contra experientiam, numerum earum repertum iri; quia *Iris non omnibus*, ut verbis *Antonii le Grand hiſtor. natur. part. 6. artic. 9.* utar, *eadem apparet, ſed ſua cuique videtur: unde tot in nube picti arcus conſpiciuntur, quot oculi ſunt, qui verſus eam diriguntur;* vel, ut *Joh. Sperlingius Inſtitut. phyſ. lib. 5. cap. 9.* loquitur: *quivis propriam videt Iridem, & unus plures. Qui caput elevat, illi & Iris elevatur. Qui deprimit, ei deprimitur. Qui movetur, illi Iris movetur. Qui ſtat, illi ſtat. Et ſingulis paſſibus, ſingulas ſpectamus Irides, ut nobiſcum ambulare, ſaltare & quieſcere videatur &c.* Imò cùm ex guttulis pluvialibus ſtillantibus, à radiis ſolaribus illuſtratis producatur, ſingulis etiam quaſi momentis nova oculis Iris adparet, ſuccedentibus nempe ſubinde in delapſarum locum novis aliis ex nube, in pluvialia illa ſpecula ſe reſolvente. Nec portentoſæ illæ pluviæ, ſive mineralium, lapidum, vegetabilium, animaliumque ex aëre deſcenſus, quales ex. gr. metallicorum corporum recenſet *D. Chriſtoph. Adolph. Balduinus in tract. Venus aur.* lapidum *D. Thom. Bartholinus cent. 4. hiſt. anat. 49.* tritici *D. Hieron. Welſchius hecatoſt. 1. obſerv. phyſ. 32.* murium *D. Olaus Wormius lib. 3. Muſ. cap. 23.* quidquam his favent, cùm iſta corpora

non ipsis in nubibus aut aëre genita, sed turbinis vehementioris violentiâ aliunde abrepta, in aërem sublata, ac postea alibi ex eo iterum decidua esse, prudentiores jam animadverterint. Quare etiamsi idem cum Scutellis dictis, ex loco aliquo, in quo neglecta antea jacebant, ventorum vehementiâ, qualis, ubi cœlum nube densâ in pluviam se resolvente turget, haud est infrequens, in altum sublatis, inque alium dein locum pondere suo delapsis, fieri posset, nondum tamen merebuntur, ut isto Iridis propterea elogio mactentur. Quod si aureas exhalationes à solarium radiorum virtute in altum fuisse evectas fingamus, quo motore tamen longiùs dispersæ illæ atomi uniantur, & concrescant, haut liquet; & licet sulphurearum ac nitrosarum particularum in nubibus præsentiam fulmina ex eis erumpentia satis ostendant, ac ita mediantibus istis particularum aurearum liquatio, quam sanè monetæ aureæ vel argenteæ, in sacculis fulmine percussorum absconditæ, fusio probabilem reddit, in aëre contingere queat, informis tamen utplurimùm massa potiùs, quàm ita figuratũ corpus semper hinc evaderet. Fortè autem stellata illa in eis potissimùm occurrens figura rudioris ingenii aut rusticanæ prosapiæ aliquem permoverat, ut cùm in reperta fortuitò in agro patella talem conspexisset, cœleste aliquod corpus esse debere, hinc superstitiosè concluserit, cumque Iridem à DEO in signum gratiæ constitutam sciret, ac post imbrem, arcûs cœlestis subjectum, quo latitans priùs sub terra Scutella à sordibus adhærentibus repurgabatur, ut sic nitore suo oculos perstringeret, invenisset, ex ipsa tum visa Iride, præcipuè si unà dimidiatus ille arcus, stellulæ latus cingens, comparuerit, descendisse, sibi persuaserit; hinc quia humana mens nimiâ credulitate, rerum inprimis naturalium cognitione neglectâ, seipsam toties decipit, talismodi effatum invenire fidem passim facilè potuit; quam dein fida credulitatis adsecla, superstitio, non modò egregiè confirmavit, sed ampliorem multò reddidit; quo factum, ut plura istis Patellis fuerint attributa encomia, quàm

revera

revera merentur; quæ inter vel unicum illud indigitare libet, quòd potui injectæ strenuam propulsandis febribus aut etiam partui accelerando conferant operam. Sed quid tandem revera sint, nunc itidem videndum. Ubi sanè non displiceret conjectura D. Anonymi, ad antiqua Romanorum ornamenta, hominibus vel equis concessa, easdem referens, nisi incertum admodum esset, quomodo v. g. fibularum officiô defungi potuerint, rotundiæmulâ suâ figurâ, nec ullo pediculo vel retinaculo instructâ, infibulationi minùs inservire idoneæ; nec ideò constare itidem potest, quomodo arma sua &c. exornare hisce valuerint, nullo nempe comparente indicio, quo iis adfigi potuissent; nisi fortè marginem earum alteri alicui corpori inclusum fuisse, dicere placeret; quamvis minùs artificiosa illa elaboratio, parum ornamenti conciliatura, scrupulum haud exiguum injiciat, cùm tamen Romanos quondam sculpendi cælandique artificio fuisse incomparabiles, nemini ignotum esse queat. Mihi, Monetæ alicujus antiquæ (non interim dubitans, supposititia hîc corpuscula sæpè effingi, & lucri causâ obtrudi,) genus esse, probabilius videtur; incertus nihilominus hæreo, cujus Gentis eam fuisse, dicere debeam. Ad Romanorum enim illas, quas ibidem in agris &c. fortuitò, etiam apud nos, reperiri constat, referre vix licet, cùm sculpturæ elegantiâ has sese commendare, neminem fugiat. Unde si non alterius alicujus barbaræ gentis fuerit, monetam Gothicam esse, ut conjiciam, rudior earum elaboratio & figuræ impressio me permovet. Siquidem, ut Nob. *D. Caroli Patini* verba, ex ejusdem *Introductione ad histor. numism. nuper Amstelodami recusa*, mea faciam, *Gothi rerum facti Domini, Romanos Imp. æmulaturi, suis typis & characteribus monetas procudebant, sed barbarie & crassâ ubique regnante ignorantiâ tantâ, ut vix quidquam contineant, quod gratum esse possit &c. Et: Rebus postea tristi pace compositis, omne cudendorum Numismatum artificium & conservandorum studium*

*ſtudium ſenſim periit; Barbaris rudi & leviter ſignatâ maſſâ in uſus vulgares contentis.* Hasce autem noſtras terras tum aliorum Populorum, tum Gothorum etiam invaſionibus multùm fuiſſe olim expoſitas, inprimis noſtri Ill. *Marci Welſeri Chronicon Auguſtanum* docere poterit. Ut autem Monetam eſſe, eò faciliùs credam, utraque Scutellarum iſtarum facies, tàm concava quàm convexa, ſignis notata, perſuadere aliquo modo potuit; ut non dicam, hanc, convexam videlicet, uſu diuturno attritam, concavam autem, tangentium motui non ita expoſitam, magis integram comparere. Nec inuſitata figura, quæ in notioribus iſtis plana aliàs utplurimum eſſe ſolet, hîc verò excavata, & dimidium globulum repræſentat, mihi contrariatur; cùm, ut alia taceam, ex cupro elaboratum ſcutellare corpus, quod itidem longa annorum ſeries ex Iride delapſum credidit, Amici benevolentiâ, hîc exhibeam, in parte convexa (Vid. Fig. VI.) Deiparæ fortè imaginem repræſentans, inſcriptione lateri dextro adpoſitâ Mariam, in ſiniſtro verò quæ fuit θεοτόκȣ epitheton, nî fallor, deſignante; in ejusdem autem parte concava (Fig. VII.) Imperatorem aliquem, dextrâ ſceptrum, manuque ſiniſtrâ orbem vel pomum imperiale tenentem, & quidem, quod ex habitu ejus conjecturare datur, Orientalem, fortaſſe Andronicum, exhiberi puto, cujus caput ab alio, lateri ſiniſtro adſtante, quem Chriſtum, vel Sanctum aliquem denotare, arbitror, dextrâ exporrectâ tangitur. Liberum tamen cuilibet, in hiſce magis exercitato, per me ſit judicium.

*[Luc. Schröck. L. F.]*

OBSER-



Fig. 3.
f. 43.


Fig. 7.
f. 40.


Fig. 6.
f. 40.


Fig. 4.
f. 37.




Fig. 5.
f. 37.


Fig. 14. f. 123.


Fig. 8.
f. 47.

## OBSERVATIO VIII.


# D. GEORGII FRANCI.

*De*

# Iride Lunari.

TAnta Iridis excellentia, ut teste *Platone in Theæteto f.m. 74.* nullum meteorum omnium admirationem magis pariat, insignem. Hinc Ethnicis pro Dea culta, filia Thaumantis & Electræ. *Apollodor. Bibliothec. l. 1. p. m. 5.* Et Peruviani, teste *Joseph. Acosta adhuc dum illam colant.* De caussis ejus Physici & præcipuè Optici maximè se torserunt, qui eorum varias discupiet sententias adeat *G. J. Vossium l. 3. de Orig. & Progr. Idolol. c. 13. Aristotel. l. 3. de meteor. c. 3. Senecam l. 1. Q. N. c. 3. seqq. Jac. Milich. ad Plin. l. 2. H. N. c. 59. p. m. 281. Sperling. Inst. Phys. l. V. c. 10. Fromond. l. VI. de Meteor. c. 1. art. 3. Scribon. Phys. l. 1. p. m. 90. Joh. Amos Comenium Phys. c. 4. p. m. 54. Anonymum in Enchir. Phys. restitut. Canon. 117. & præcipuè Isaac Vossium de Lucis natur. & propriet. cap. 27. 28. & 29.* Dividitur à Physicis in *Solarem*, quæ à Sole est, & frequentior; adeò ut sæpiùs geminam observaverimus, Immò Tres quandoque apparent, teste *Mazzotta l. 1. de Meteor. aër. c. 2. p. m. 72. seq.* Sic triplex visa Patavii ∞ IↃCI Febr. 7. hor. 21. teste *Gassend. in vita Peireskii l. 1. p. m. 25.* Triplicemque ipse observavi m. Majo ∞ IↃCLXVIII. in Alsatia superiore. Quomodo qq. artificialis effici possit docet *Kircher. de Magnete l. 3. p. 2. c. 3. p. m. 540.* & in machina hydraulica heic in arce Heidelbergensi; egregiaque illa Stutgardiana, alibique multoties observavi. Dividitur qq. in *Lunarem*; quæ à luna est; cujus radii cùm adeò sint debiles, rariorem quoque efficiunt, teste *Jonstono Thaumatograph. Class. 3. c. 11.* Notabilis verò erat illa, quam A. C. ∞ IↃC LXXVII. d. XIX. Decembr. st. v. vesperi statim post hor. V. observavi

cum multis studiosis Medicinæ, domesticis & auditoribus meis; indicavique statim per famulum Illustr. Dn. Raugravio Palatino Carolo Eduardo t.t. studiis incumbenti heic in Academia in Collegio Sapientiæ proximè ab ædibus meis; item Excell. D. D. Leuneschlossio P. P. Mathes. Celeberr. atque Cl. D. Gerlachio Antiquitt. Eccles. P. P. aliisque pluribus. Hocque erat mirabile visu; quòd tam clara & visu maximè notabilis esset; Luna tamen adhuc sat imbecilla, siquidem post 2. dies demum fiebat dimidiata. Ubi ego animadvertebam fortuito primus; integra jam erat & plena Iris; eaque reverà gemina supra se circa Lunam; eo ferè modo quo Halo solet accidere; verum diversa erat ab halone, propter colorum varietatem; quæ Iridi solemnis est. Rudi saltim *Minerva* heic depingam; prout tunc ipsâ splendente feci.




| | |
|---|---|
| 1. Blaw. | 1. Cæruleus. |
| 2. Dunckel. | 2. Obscurior. |
| 3. Feuer-rot. | 3. Rubicundus & igneus. |
| 4. Gelb. | 4. Flavus. |

5. Grün-

5. Grün-Blau. 5. E viridi cæruleus.
6. Feuer-rot. 6. Rubicundus & igneus.
7. Weiß-gelb. 7. Ex albo flavens.

Hi ſunt veri colores, quos unà omnes accuratè obſervavimus & depinximus t. t.: duraverunt autem hi colores usque poſt h. VI. adeoque ſupra integram horam; ſiquidem circiter VIII. minut. poſt h. VI. ſubitò evanuit Iris, ita tamen, ut inciperet deficere à Septentrione primò, ac denique versùs auſtrum ultimò disparuit.

## SCHOLIUM.

RAriorem eſſe præ Solari Lunarem Iridem, quòd radii lunares multò debiliores ſint ſolaribus, colores in tenebris minùs ſint conſpicui, noctu minor detur obſervantium numerus, & Lunâ plerunque oriente vel occidente fiat, vix dubium eſſe poterit; unde ob raritatem iſtam eò magis adnotare illam ſtuduerunt; qualem ex. gr. in Dec. I. Eph. Cur. Ann. IV. Obs. 14. exhibuit Collega quondam noſter D. Sal. Braunius, & Antonius le Grand hiſt. natur. part. 6. art. 9. Quibus jungere libet duplicem A. 1681. 25. d. April. ſt. n. circa horam 9. veſpertinam, Lunâ tum creſcente cornua indutâ, à me plurimisque aliis hîc Auguſtæ Vind. obſervatam; quarum minor coloribus Iridi ſolari non admodum diſſimilibus, major verò colore Haloni ſimilis comparuerat; in quibus itidem duplex Paraſelene, lumine tamen obſcurior, in angulo nempe ubi ſe ambo arcus contingebant, conſpiciendam ſe exhibuit; alterâ Paraſelene paulò poſt, tum & ſecundâ unà cum circulo minore ſenſim juxta cum majore intra horæ ſpatium diſparente; quorum omnium figuram addita Fig. VII. oculis ſiſtit.

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO IX.
## Dn. GEORG. CASP. KIRCHMAJERI.
*De*
# Admiranda Lunari Iride.

EXcerpſimus hanc ex Celeberrimi noſtri Phoſphori Il. Dn. Kirchmajeri, nuper ad venerandum noſtrum Dn. Præſidem & Illuſtr. Dn. Anton. Magliabechium ſcripta, & Wittenbergæ typis publicata Diſſertatione epiſtolica de Lunari Cruce, Iride, & Volante Lampade nocturna. Id quod cum venia Clar. Dn. Autoris nos facturos ſperamus, tum materiæ, cum præcedente, affinitate illecti, tum eruditum illud ſcriptum plurium noſtrorum Curioſorum in manus fortè haud perventurum veriti.

Anno 1684. pridie quo Phænomenon apparuit, intenſiore gelu aſperari aër cœpit. Die 24. Jan. tamen, Jul. comput. uberiorem nivem invehebat Boreas. Ad ſeram veſperam in rariores tenuabat nubes ventus, ut liberior rediret cœli facies. Poſt horam 10. nocturnam (biduum à plenilunio elapſum fuerat) apparuit Corona circa Lunam, indè Crux transverſa, recta & perfecta, albicans, conjunctis aliquot, per modum linearum, radiis, & tres horas integras figuræ retinens, paraſelenes geminas obſcuriuſculas, cum Iride pulcherrima Lunari, incompleta interim, exhibebat oculis. Altitudo Lunæ fuerat initio apparitionis Wittebergæ, poſt 10. nocturnam ſupra Horizontem 21°. 30′. Fallor? an ſub ſtellis in capite Virginis tunc occurrente Lunâ; lineam conſtituebat rectam cor Hydræ ac Arcturus, extrema in Leonis caudâ & in roſtro corvi communis cum Hydrâ. Inde Lunæ longitud. prodeat 21°. Virg. 7′. & latitud. 4°. 8′. Sept. Multis admodum ac valdè diſſitis in locis viſum hoc mirabile Phænomenon fuiſſe indè colligas, quòd Dreſdâ, Berolino, Lipſiâ & ex Sileſia Amici quid monuerint privatis, de illius obſervatione, literis. Dignum memoratu,

varii

varii cum infra Lunam generis in aëre hæsisse nubes. Densiuscula, æqualis, & continua halonem, sive aream subjecta corpori Lunari, dabat. Paraselene una alterâ visibilior, utraque cum Luna homocentrica per causas necessarias. Nubem planè aliam oportuit fuisse illam; specularem nempe atque glacialem, in qua effigiata Iris erat. Res admirationi propior est, Iridem videri posse, sine guttularum aquearum stillicidio. Tum enim temporis nec nix, nec pluvia cadebat. Glacialem igitur ac specularem appellavi nubem. Specula in guttulis non tantùm, sed & in glacie pellucida, haud secus ac in prismate, aut crystallo. Unde Iridis repræsentationes. *Cartesius* rem acu tetigit, in Meteorol. c. 9. n. 4. *Iris nunquam apparet, nisi pluente cælo; licet sæpiùs non pluat, ubi spectator consistit.* Idem ibi *glaciem pellucidam* substituit. *Coronas autem nunquam*, ubi pluit, *conspici*, adjecit rectè. Quæro autem: *unde illa in eodem tractu nubium extiterit diversitas, & alteratio?* Recurrendum certè simul ad diversa loca diversarum nubium, sublimiorum, aut depressiorum. *Sed nec vitrum* (objicit *Cartesius* ibid. n. 1.) *in pulverem comminutum, nec nix, nec nubes paullò densiores, pellucidæ esse possunt.* Annuo; sed nego cecidisse nivem, loco temporeque observationis factæ. Ut de conglaciatæ & sexangularis nivis admirabili figura, vestimentis & fenestris sæpè adhærente nihil memorem; quot quæsò vicibus æstate quoque mediâ, dum inhærescit aër, speculares & pellucidæ dejiciuntur grandines, in quibus velut speculis imagines solares Iridem relinquunt; nisi spissior impedimento sit tempestas. Nec dum prætermittere silentio Lunarem Iridem debemus. Rariùs hæc visa; visa tamen semel iterumque nobis. *Aristoteles* commemorat, veteribus inobservatam, temporeque suo bis solummodo supra annos quinquaginta visam. Dicit, illam prorsus esse albam, & non nisi plurium annorum interstitio contingere; & die mensis unicâ videri, plenilunio nimirum. At oppositum demonstrant sapientes, *Scaliger* Exerc. 80. §. 11. *Sennertus* in Scient. nat. l. 4.

c. 9. *Albertus* non plenâ Lunâ, *Snellius* biennio bis obſervavit. Vid. *Gaſſend.* part. 2. oper. ſect. 3. Phyſ. membr. 1. l. 2. c. 6. Ex *Fribergenſibus* Annalibus congeſtis à D. Medico *Mollero*, diſcimus duas uno eodemque Anno 1580. die 25. Julii, & 18. Decembr. viſas in Hermunduris fuiſſe Irides Lunares. Hoc ſeculo Fribergæ iterum, & quidem plures obſervatæ, die 25. Januar. Anno 1630. inter mirabilia oſtenta alia. Ibidem die ultima Novembr. Anno 1663. Parhelii apparuerunt duo, totidemque Irides; nocturno autem tempore Lunaris juxta albicantem Crucem viſa. Ad Annales provoco easdem. Nuper inter alia phænomena, quam Wittebergæ Iridem ſpectavimus Lunarem die 24. Januar. poſt 10. nocturnam, ſaturis coloribus, figurâ tamen incompletâ ideo comparuiſſe talem judicamus, quòd non pleno ampliùs fulgeret orbe Luna: decima ſeptima enim poſt conjunctionem, ſecunda poſt oppoſitionem, phaſis erat Lunæ. Iris ſine ſecade aut pluvia ſtillante aliàs paradoxon. Supplebant vices pluviæ (quarum tunc propter gelu nulla cecidit,) particulæ collectæ ex vaporibus nocturnis glaciales, ſtabulantes multâ copiâ in aëre. Crux crucem nobis figet maximè. Quæ enim ſufficiens produci cauſa poteſt, cui candidiſſimarum hac figurâ linearum diſpoſitio tam diuturnam conſervaverit durationem. Dic cauſam, niſi ſumma ſemper agens liberè hæc cauſa moderatrix fuit, quæ in aëre repræſentavit Crucem Conſtantino M. cum epigrapha Romanis literis expreſſâ: IN HOC VINCE! *Euſeb.* 1. de vit. Conſt. M. c. 28. *Socrates* Hiſt. Ecc. l. 1. c. 2. *Sozomen.* l. 1. H. E. c. 3. Dic cauſſam, cur in Cœlo Crux affixum Servatorem exhibuerit cum clavis & ſtillante ſanguine in Anglia, Auguſti die 8. ab hora pomeridiana tertia usque ad occaſum Solis, Anno Chriſti 1188. *Calviſio* in Chron. notante. Cruces ex aëre decidentes poſt *Trithemium*, Abbat. Spanheimenſ. 2. Chron. Hirſaug. ad Anno 1500. & *Naucler* vol. 2. Geogr. §. 20. *Marquardus* prodidit *Freherus* Tom. 2. Germanic. rer. f. 242. Mirandulæ

randulæ Concordiæque Comes, *Franciſcus Picus* de prodigio hoc ad Divum *Maximilianum Cæſarem* : *Monſtraſti*, inquiens, *dum eſſem in Germania, cruces, clavos, lanceas, & alia pleraque, cœleſti quâdam, nec viſibili pluviâ corporibus delineata. Vidi & ipſe*, addit, *poſtquam à Tua Majeſtate diſceſſi in Italiam rediturus, multa quæ non modò fidem rei jam vulgatæ adſtruerent, ſed majorem multò etiam demirationem incuterent, & univerſam penè Germaniam ad cœleſtia prodigia religionis ergo commoverent. Apparuerunt autem cruces etiam in veſtimentis hominum, in linteaminibus, in menſalibus, in Sacerdotum albis, in mulierum peplis. Nec Sola in Germania, ſed univerſa Gallia, Hollandia, Brabantia, Polonia, Dania. Joh. Funccius* in opere Chronolog. ad Annum Chriſti 1503. non ſolùm in veſtimentis denuò, ſed & in pane ſimilaceo apparuiſſe cruces per Germaniam teſtatur. Caroli M. tempore (Imperii illius anno quinto pridie Nonas Junii, Lunari in Eclipſi) ſignum Crucis modo planè mirabili apparuiſſe in Luna, refert Autor Chronici illius magni Belgici. Quod cùm non memorent *Notkerus Balbulus*, aut *Eginhardus* ipſemet, aut *San-Gallenſis* Monachus, aut alii apud *Andr. de Cheſne*, ne de Annalibus Francor. dicam, hactenus in medio relinquam. Anno 1557. tres viſas Lunas & in media crucem, prodidit *Suffridus Presbyter*. Triennio ante, ſimile quid contigiſſe, *Godefridus Monachus* eſt Autor in Annalib. Anno 1517. Saxoniæ Elector atque Principes *Vinmariæ* in Luna crucem amœniſſimam viderunt.

Fig. VIII.

OBSER-

## OBSERVATIO X.
## D. GEORGII FRANCI.
### *De*
# Eryſipelate Faciei exulcerato.

CUm circa finem Decembris 1683. inſolitum ingrueret frigus, ( cujus inclementiam ferè tota paſſa eſt Europa ) accidit ut adoleſcens I. W. S. XIII. ann. temper. choler. forte cum aliis luderet pilis nivalibus & juſto longius commoraretur ſub bruma. Cepit circa veſperam languere; friguſculum modo, modo calorem ſentire *inſolitum*; ceſſare appetitus & ſomnus; Nares primùm *incipiunt* tumere, & inflammari, adeò, ut ferè planè obſtruerentur; inde difficilius reſpirabat cum ſiti magna. Tumor dein malam ſiniſtram, mox verò dextram, & quidem vehementius occupabat cum rubore & dolore. Lecto ſe dare cogitur: interim per utramque malam aliquot veſiculæ pellucidæ, aqua flava refertæ, diverſæ figuræ & magnitudinis apparebant cum ſummo dolore. Exhibentur interius diaphoretica admiſtis interdum alexipharmacis, maximè ubi facies adeò intumebat, ut quadrata videretur, oculique ferè penitus eſſent abſconditi. Tumor ad utramque usque & ultra progrediebatur aurem, ita ut exterior dextra auris ſimilibus veſicis in tota ora exteriore eſſet obſita. Veſiculæ omnes ſenſim ſponte aperiebantur, effluente materia flava, acri & viſcida; ſubſequebatur cruſta, quæ maximè in dextra mala ad aliquot permanebat dies, donec tandem illitione balſami rubri Locatelli intra paucas horas decideret, ipſeque adoleſcens per Dei clementiam reſtitueretur. Similem affectum in aliis quoque animadverti eodem tempore: nec non ante biennium in ſene ſexagenario I. I. A. in pedibus tumentibus eryſipelatoideis.

SCHO-

## *SCHOLIUM.*

NOn admodum diſſimilem Caſum, tempore quidem diverſo, præteritâ ſcilicet fervidâ æſtate, in viro quadraginta circiter annos nato hîc obſervavi, qui itidem præter languorem & alternantem cum calore friguſculum, ſomnum impeditum, nec non adpetitum imminutum, dextræ genæ tumore & inflammatione correptus, idem malum paulò poſt non tantùm frontem & nares, ſed & ſiniſtram faciei partem invadere perſenſit; quod dein in dextra parte paulatim aliquantulùm remittens, per occiput progreſſum, denuoque ad partes faciei dextras reverſum fuerat: loca ſic adfecta interim veſicis ſat magnis, pellucidis, aquâ flavâ refertis, diverſæ figuræ & magnitudinis occupantibus; ex quibus & ſponte apertis & Chirurgi manu diſſectis ſerum flavum, acre & ſubviſcidum effluxerat. Cæterùm propinando præter Potiunculam leniter evacuantem, inprimis Antimonium illud diaphoreticum martiale, vulgò Specificum ſtomachicum Poterii dictum, Chirurgo interim liquidiuſculo Unguento Saturnino partes adfectas inungente, & Sparadrappo involvente, curam intra paucos dies feliciter abſolvi. Quod idem etiam paulò poſt in alio Viro obſervare mihi contigit, qui eodem pulvere antimoniali, ut & Theriacâ cœleſti Greiff. exhibitis convaluit.

*[Luc. Schröck L. F.]*

## OBSERVATIO XI.

## D. GEORGII FRANCI.

# Menſium obſtructio cum Cachexia & ſedibus cruentis à ſaltatione.

GEneroſ. Virgo à B. XVII. annos nata Temp. Cholerico-Sanguinei, ∞ ıↄc XXCII. ante 4. Menſes in oppido W. cum cognatis & amicis choreas immodicas ferè agit, & æſtuante corpore ingurgitat potum è

Vino aquâ diluto cum saccharo & citro, quem vulgò Limonade vocant. Ab illo tempore menses subprimebantur, ita ut aliquid, sed parcissimè funderent: inde anorexia, chlorosis, dyspnœa, dolor in dorso. Immò post statam mensium periodum; dein ad 3. vel 4. septimanas copiosos sanguinis grumos unà cum fecibus deponit. Anxia mater, nata de B. consilium meum quærit. Dedi tempore verno 1683. nodulum purgantem; postea Liquor. Tart. Splenet. Schröderi ad aliquot septimanas, de quo singulis noctibus cubitum itura gutt. XL. ad L. sumsit cum stricta Diæta. Dein appropinquante æstate usa est acidulis Svvalbacensibus, inde optimè convaluit. Nimirum juvenculæ ejusmodi sæpè immoderatis delectantur choreis, nescio quam laureolam ex hoc mustaceo quærere velint; cùm tamen sæpè inde multi morbi graves, immò ipsa mors fuerit exorta. Conf. *Camerarii Syllog. memorab. Cent. X. part. 39. §. 7.* Inde mictio sanguinis, vide *Fabrit. Hildan. Cent. VI. obs. 46.* Item Abortus, evolve *Sinibald. Geneanthr. l. 8. tr. 2. c. 3. p. m. 701. b. Thom. Burnet. Thes. med. pract. l. 1. s. v. p. m. 3. a.* ipseque exempla Argentorati vidi. Item Arthritis, Chiragra, Podagra; vide omninò *Panarol. Pentecost. V. Obs. 30.* Illustris Virgo familiæ, cum certaret, & palmam juveni nobili dubiam de saltatione reddere vellet; de lassitudine incidit in Sputum sanguinis, quod excipiebat puris sputum & tandem funesta tabes, teste *Rolfinc. med. Comment. l. 2. s. 3. c. 53. p. m. 122.* Sic uxor formosa civis Antverpiani, postquam in sumptuoso epulo, genio prius, dein remotis mensis, tripudio de more gentis indulsisset: oborto mox animi deliquio, abunde vomuit, doloresque intra abdomen acerbissimi sunt subsecuti, ut paullò post exspiraret. Dissecto cadaveris ventre, peritonæi cavitas cruoris plena disruptam venam esse testabatur, sunt verba *H. Smetii*, Viri CL. olim Antecessoris nostri *in Miscell. l. X. p. m. 525.* Ita ante hos 14. circiter annos Illustriss. Dn. Baro de W. inter saltandum moriebatur; cetera antea sanus; procul dubio apoplexia. Plura de intempestivo chorearum usu

usu in nubtiis egi *Oratione Panegyr. de Nubtiis* ∞ IϽC LXXVII. In promotione Doctorali aliqua.

## OBSERVATIO XII.
## D. GEORGII FRANCI.
*De*
# Varicum spontaneâ apertione.

VIrgo rustica in Langenbrütt / pago Episcopatûs Spirensis ann. XX, Temperam. Melancholico-Sanguinei jam à duobus annis menses ritè fluentes non habuit, sed saltem paucos: Quare in cruribus & prope malleolos aliquoties tumores in venis lividos & subcæruleos observavit ad mori vel uvæ magnitudinem; quos nodos neglexit. Accidit autem quinquies, ut sponte suâ rumperentur; hocque nuperrimè, ubi in fimeto stabat. Effluxit ultra ℔j. sanguis (über 1. Schoppen / oder 3. Trünck-Gläser voll) dein ipsamet vulnus obligavit, & bene se habet. Suasi mitteret sanguinem. Nimir. accidit his varicibus, quod interdum hæmorrhoidibus. Confer Observationem 26. Dec. 1. Anni 6.

## SCHOLIUM.

UTrùm Varices generati in cruribus, femoribusque nihil periculi inferant, quod nonnulli volunt, nisi tempestivè tollantur, non immeritò dubitatur; cùm sanè ex. g. à spontanea earum apertione mortis periculum oriri queat; quale subiit illa gravida, quam observ. 104. Decad. I. Ann. III. Ephem. Curios. describit; quod etiam facilè contigisset illi, in observ. 54 memoratæ, nî manus Chirurgi auxilium tulisset. Licet autem in gravidis quandoq; turgescentes, à fœtu excluso iterum sponte subsidant & dispareant, cùm tamen, nî sola plethora fortè easdem excitaverit, utplurimum à massæ sanguineæ, particulis multis acidis, terrestrioribus & viscidis præditæ, & hinc stagnationi opportunæ, culpâ oriantur, medicamentis idoneis ut vitium

hoc emendetur, necesse est; cùm & ulceribus diuturnis hinc productis nocere, & dolore ac inflammatione obesse queant.

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO XIII.
## D. ANDREÆ CLEYERI.
*De*
# S. Thomæ Christianis Indiæ Or. pedibus strumosis.

EST singularis in Regno Malabar Indiæ Orientalis tractus, in quo homines alterutrô pede, sæpiùs tamen sinistrô tumores ingentes, strumosos, ex utero materno sic conformatos, gestant, adeò ut pondere isthoc tumorum, celeritas currendi ipsis gravior reddatur; & impediatur, licet præter istam molem nullum dolorem sentiant, & pedetentim gradatimque incedere possint. Ingravescente horum hominum ætate ingravescit quoque hæc pedum moles. Incolæ hi à Christianis in Indiis Orientalibus viventibus, imò ab ipsis Mahummetanis & Malabaricis inveteratô nomine appellantur S. Thomæ Christiani (Thomas Christen) eò quod orientales populi annosâ traditione credant, Thomam Apostolum Christi, qui in istis regionibus Evangelii propagandi causâ vixit & ibi mortuus est, cuidam peccatori ejusmodi strumosum pedem cum posteris omnibus gestare advoverit. Dantur hîc Bataviæ Indorum plurimi servi & mancipia talis strumosis pedibus, quorum omnium patria iste Malabariæ districtus est. Hic pedum affectus neque per Brachmanes Medicos, Philosophos & Physicos insignes Regni Malabariæ, qui Pythagoricæ sectæ sunt addicti, neque per nostros Medicos & Chirurgos curari potest, quoniam incurabilis ideò censetur, quia naturalis est.

*[Ex Literis D. Cleyeri ad D. Mentzelium Bataviâ Ind. datis.]*

Con-


Caryophylla Regia in Machian Regno olim nata,
jam v. nullibi existentia coloris ruffi.


Caryophylla Regia Ambonica
hodie superstitia.
Fig. 10.



Fructus vel Semen Caryophylli
Officinis Antophyllum; inte-
grum et excorticatum.


Agallochum sive Lignum
Aloës, verum.
fol.
74.


Fig. 11. p. 57.



Agallochum spurium.



Resina
Dammar
Selan.




Lignum Laccæ.
fol. 76.


Cortex Caryophyllodes
Culilattan.


Cortex Orinius, sive
Massoy.


Resina Ambonica,
sive
Dammar Battu
pellucidum ut Succinum.

TAB: I.

Conferantur quæ de hoc tibiarum tumore ex Joh. Hug. Linschottano habet noster b. Welschius tract. de Vena Medin. pag. 149. & 150.

Fig. IX.

## OBSERVATIO XIV. D. CHRISTIANI MENTZELII.

*De*

# Muliere sinistrô pede instar Christianorum S. Thomæ strumoso ad fontem salutiferum Freienwaldensem accedente: ubi de Fonte illo quædam observatu digna præmittuntur & inseruntur.

ANno 1684. mensibus Junii & Julii innotescebat exorta in media via scaturigo quædam lympidissimi fontis, proximè Oppidum Freienvvalde, quod ad Oderam fluvium situm est, tota æstate existente siccissimâ & adurente, quâ anni tempestate ejusmodi fontes ex terra emergere solent. Ex hac scaturigine hauserunt aquas primùm ii, qui febribus quartanis diu erant afflicti, cùmque potu aquarum istarum â febribus liberarentur, alii quoque accesserunt aliis morbis detenti: & dum horum quidam etiam sanitatem recuperabant, atque ex plebe major undique fiebat affluxus, mandato Serenissimi Electoris Brandenb. Domini mei Clementissimi Fons ille primùm undique lignis quernis muniebatur, & fabricatis aquæductibus ut quilibet ægrotantium aquas per canales ex fonte derivatas uberrimè haurire posset, claudebatur desuper, tectô superimpositô ne pluvia aut aliquid maligni â malevolis posset incidere. Mox famâ, quâ non alia res velocior ulla, per pagos, urbes proximas, tandem viciniores regiones sparsâ, quotidiè ingens

 popu-

populorum accessus ad fontem extitit, ex quibus quidam arthritici summi, calculosi, splenetici, melancholici, febricitantes, & horum plurimi quartanarii, imò ex parte cæci, claudi, & aliis internis & externis affectibus ægrotantes quandoque ad stuporem sanitati restituebantur. Hûc ego Mense Augusto præsentis anni jussu Serenissimi Electoris accessi cum Sereniss. Principe Philippo Wilhelmo, Marchione Brandenburgico, ut ejus curæ, quæ ex fontis hujus usu suscipiebatur, quæque per DEI gratiam feliciter cessit, cum aliis ex aula interessem, ubi etiam, dum hæc scribo, adhuc commoror. Cùmque apud fontem, ut solet fieri, variis & insolitis morbis ægri me consulendi causâ convenirent, plurimos ad fontem solùm ablegavi, ut eô more cæterorum intùs & extrà uterentur, nisi urgeret summa necessitas pharmaca sumendi. Ita enim ferè existimavi, ut honori DEI, qui scopus noster unicus sit, magis consuleretur. Lubet tamen insolitum hûc afferre Casum, ob similitudinem materiæ in observatione præcedente Cleyeriana habitâ, cui adjungam alium consideratione dignum, ob subjecta sibi forte fortunâ societate & curandi modô conjuncta. Uterque casus nudius tertius, dum hæc scribo, in duabus fæminis hîc accidit tali modô. Præteritâ die Saturni, qui erat 30. Aug. 9. Sept. Anni 1684. accedebat ad fontem mulier 50. annorum, Sabina Schumacherin, uxor æditui in pago Goltzen, cujus cognomen Gütterbock, ut dolorum remissionem aliquam nancisceretur, qui in sinistro pede monstroso satis ob tumorum molem in eo conspicuam, per 15. annos perdurarunt. Propendebat ex femore ejus tumor ingens molem capitis humani exsuperans, quem sequebatur in genu tumor ejusdem quantitatis: hunc excipiebat alius latus & amplus suras præsentans: & huic excrescentiæ aliæ atque aliæ, quæ articulos, malleolos utrosque dorsum pedis, digitos pedum tumidos & crassos ob velantes, præsentabant, adeò ut totus pes tumoribus suis strumosis (liceat hîc strumam colli affectum applicare similitudine quâdam pedibus) nihil quidquam

cederet

cederet ſtrumoſis illis pedibus Chriſtianorum S. Thomæ in Oriente degentium. Miſercula (interrogata à me ſuper omnia) contraxerat malum primo matrimonii anno, ex Eryſipelate in toto pede ſiniſtro ſuborto, quod cùm negligentiâ non curaret, rubore pedis diutiùs perſiſtente & exulcerato, tandem tumores, annuatim invaleſcentes ſtrumarum in modum, pedem ita monſtroſè deformarunt, uti Figura X. oſtendit. Ex illo tempore miſercula ægrè potuit incedere, & juxta incrementa Lunæ ingentes dolores, (quos à roſione vermium intùs latentium perſuaſa erat) ſenſit. Præterea indies geſtare linteamina circum inferiorem pedem cogebatur ob ſeroſum humorem, ei ex cute ibi locorum excoriata die nocteque effluentem. Hôc pedis ſtatu proceſſit noſtra ad fontem, ut incommoda præcipua, auxilio DEI & uſu aquarum à ſe removeret. Accidit ut eodem die ſub veſperam diverteret alia mulier in ejus diverſorium, ſatellitis Electoralis uxor, mihi quoad vultum nota contractis ex arthritide manibus prætumidis, pedibusque, annum 47. agens, cùmque pedes parum, manus verò per integrum ferè annum (nam 4. ſaltem reſtabant ad complementum anni hebdomadæ) præ doloribus nequidquam poſſet movere, atque informata ab altera illa dicta muliere, ſubſequente ſummo manè, qui erat dies Solis 30. Aug. 10. Sept. contulerunt ſeſe ambæ ad fontem ut ex eo biberent, cumque arthritica vitrum, quod ſecum portaverat, ex marſupio non valeret extrahere, ſtrumoſa ei ad hoc rogata porrexit. Poſt hauſtus aliquot aquæ & lotiones artuum perrexerunt ambæ ad concionem ſacram, quæ ibi ſub cœlo ſereno inter Principis tentoria ad magnam ægrorum frequentiam à Concionatore Aulico Domino Antonio Brunſenio habebatur. Vix concio erat finita, cùm ambæ mulieres dolorum levamen ſentirent; arthritica quidem in manibus & brachiis, quorum tumores in articulis imminuebantur cum totali abolitione dolorum, adeò ut manus & digitos movere, brachia extollere, pedibusque firmiori-

bus

bus ambulare posset : Strumosa verò à corrodentibus suis verminosis cruciatibus libera, cùm nihil serosi humoris per cutim emanare sed ejus excoriationem jam persanatam videret, abjectis circumligatis linteis vegetior multò quàm antea strumoso suo pede, cujus tumores etiam molliores erant redditi, obambulabat. Obstupuimus omnes, quotquot vidimus mulieres intra paucas horas fontis usu adeò immutatas. Hujus repentinæ convalescentiæ causas etsi possemus inquirere & forsan dare ; suadet tamen sanior mens acquiescere hîc soli honori DEI, in omnibus actionibus nostris unico Scopo. Fons hic exhalat aliquid sulphurei, continetque aliquid adstrictionis à ferro provenientis. Silices in eo reperti sulphure aureo & cupreo *obducti* visuntur, ferrum autem in eo sæpiùs submersum croceo colore inficitur ab Ochra & ferri minera in aquis istis latitante, quæ parum sulph. & sal adesse arguit. Multa de hoc fonte possent curiosè proferri, si occasio ferret. Aliquibus alvum subducit, plurimis autem constipat, & per vias urinarias excernitur, paucissimis iisque quartanâ laborantibus sudores excitat: aliquibus per tria dicta emunctoria egreditur: Quibusdam febres novas excitat, ut iis humores vitiosi, qui in quibusdam per cutim extruduntur, dissipentur &c. Aqua simplex plurium certè morborum medicatrix, si prudenter adhibeatur, quod etiam de potatione infusionum Herbæ Thee statuendum. Antequam vini & cerevisiæ usus innotesceret, primævi nostri Parentes ex simplicis aquæ & simplicium herbarum usu pro potu & cibo longævitatem videntur acquisivisse, quod ipsum exemplô quodam, quod mihi memoriæ nunc incidit, sequenti confirmare & loco observationis subjungere placet.

Fig. X.

OBSER-

## OBSERVATIO XV.
## D. CHRISTIANI MENTZELII.
*De*
# Sene 120. annorum cui dentitio integra in ſua ſenectute obtigit.

ANno 1666. cùm eſſem Clivis, cum Sereniſſimo Electore meo eò profectus, acceſſit Clivos Senex quidam 120. annorum, qui ut ſpectaculum ſui exhiberet, mercede circumducebatur. Is etiam in Aulam Electoralem adductus plurimis mecum ſeſe videndum præſtitit. Hic Vir pulmonis ſui robur per elationem vocis & cantationem elementorum vocalis Muſices: ut, re, mi, fa, ſol, la, ſtentoreâ voce, ut per centum aliquot paſſus exaudiri poſſet, oſtendit. Deinde aperto rictu omnes dentes ſuperiores & inferiores, margaritarum inſtar candidiſſimos, quibus vel ipſa Helena arrogantiùs ſuperbire non potuiſſet, videndos præbuit, talia referens: Ante duos annos, cum agerem 118. annum eram Hagæ-Comitis, ut me pretiô hominibus oſtenderem, cumque audirem, adeſſe quoque ſenem Anglum me duobus annis majorem nempe 120. annorum, avidè eum viſendi causâ acceſſi, eum ſic allocutus. En, amice, adſum tibi quoque annoſus & duobus annis te minor: inceſſit cupido te videndi mihi annis ferè parem. Nullus mihi dolor aut ægritudo per vitam afflixit; jam verò per triduum, cùm hîc Hagæ commoror, inſignis dolor capitis & maxillarum me invaſit; adeò ut videar mox ſupremum per DEI gratiam, obire diem. Adhæc ille: ô, inquit, amice, repueraſcis, dentitione laboras infantium more; id mihi etiam ante duos accidit annos cùm agerem eundem annum 118. Ah, inquam, ne mihi longiorem vitam ſuperaddat juſtâ pœnâ altiſſimus DEUS! ſic abiens contuli me decubitum ac paullò poſt ineffabili cruciatu dentes mihi

omnes successivè enati sunt. Hîc ego, seni adstans interrogabam ipsum, quidnam causæ naturalis censeret attulisse sibi tot annorum proventum; Respondebat: causam quidem primariam esse DEUM. O. M. qui justa irâ eum tantâ senectute puniverat, ut etiam omnes suos consanguineos, cognatos agnatosvè supervixerit, adeò ut etiam nemo eorum superesset, sibique videretur, cùm esset in sua patria Brabantia, in altero quasi mundo aut peregrino regno vivere. Secundariam verò & naturalem causam si adducere vellet, quæ longævitati suæ aliquid tribuere potuisset, sibi videri frequentissimos potus aquarum simplicium, præsertim earum, quæ ex scopulis & vividis fontibus scaturiunt, quibus à teneris delectatus fuisset.

## *SCHOLIUM.*

SEnectutis incommoda expositurus *L. A. Seneca epist. 96. Vesicæ*, scribit, *dolor te inquietavit: epulæ fuerunt parùm dulces: detrimenta continua: propiùs accedam: de capite timuisti. Quid tu? nesciebas te hæc optare, cùm optares senectutem.* Sic est: Senectus ipsa morbus est; quam tamen tot alii, vano mortis metu, expetunt; secus ac senex hîc memoratus, qui fortè miseriarum, seniles annos comitantium non inexpertus, longævitatem ut pœnam à DEO irrogatam consideraverat. Cæterùm præter plura alia ab aliis passim recensita, longævorum, imò & in summa senectute fœcundorum exempla sistunt *Ephemerides nostræ Dec. I. Ann. 3. Obs. 163. Acta Med. Hafniens. Volum. 1. Obs. 49.* & *Volum 4. Obs. 10. Conr. Gesnerus epist. med. pag. 72. Phil. Jacob. Sachsius gammarol. lib. 1. cap. 23. Felix Platerus Obser. med. lib. 1. Fogeroles de senum affect. part. 1. cap. 8.* & *Engelb. Holterhof præfat. tract. de vit. long. & brev.* Legique inprimis meretur *Nob. D. Henr. Meibomii ad Seren. Brunsvvic. & Luneburg. Ducem Augustum epistola de Longævis* perscripta. Uti verò vini crebriorem & copiosiorem potum vitæ prolongationi admodum contrariari, nemo facilè negare poterit,

terit, quem etiam non minimum pondus vitæ abruptæ in Sene illo, *Thoma Parre*, cujus mentionem facit *Thom. Bartholinus cent. 5. hist. anat 28.* dedisse, *in Act. philosoph. Angl. Num. 44. §4* adstruitur: ita juxta cum temperie corporis laudabili, violentorum casuum absentia, & cæteris diætæ laudabilioris observatis, aquæ simplicis & purioris potum eidem obtinendæ aliquid conferre posse, non minùs certum est: qua ratione etiam Ægyptiorum longævitatem à *Prospero Alpino lib. 1. de Med. eorum cap. 11.* præter sobrium & simplicem victum, salubri aquæ Niloticæ potui fuisse adscriptam, legimus.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO XVI.

## D. FERDIN. FRIDERICI ILLMERI.

# Excretorum lapidum quorundam per Abdomen.

MAgnificus quidam Baro multos mihi lapides transmisit ex Hungaria avellanarum magnitudine, similes planè iis, quorum 101. quondam in vesicula fellis cujusdam Baronis Bohoëmi hydrope exstincti inveni, adjunctis literis in hunc sensum: Ancilla mea lotrix 40. annorum, habitûs pinguiusculi, ordinariâ victûs ratione utens, benè alioquin se habens sanéque degens, subitò incipit conqueri de quodam dolore & tumore sub hypochondrio dextro penes umbilicum, cui, cum in abscessum videretur transiturus, medicabatur more solito & consueto Chirurgus illius loci. Apponuntur cataplasmata maturantia, anodyna, cathæretica & ecce, tanden rumpitur abscessus, & exeunt calculi memorati unà cum exigua materia purulenta: Absterso ulcere, arte chirurgica clauditur & sanatur, ac nunc benè sana degit; quærit igitur hic vir Magnificus, quid hoc sit, unde calculi veniant, an habeant aliquam speciem Magiæ? Respon-

di ego, ex veſicula fellis hos non poſſe provenire; nam debuiſſet neceſſariò rumpi veſicula, quæ rupta, licet non ſit pars præſtans aut princeps, tamen his inſervit & eos trahit in conſenſum, ac ſic illa tandem fato & lenta febri aut hydrope exſpirâſſet. Ex renibus aut cavitate abdominis hi prodire etiam non poterant; idem enim fatum attuliſſent. Manet igitur quod hi lapides ex pituita vitrea vel gypſea, concurrente aliquo ſpiritu lapidifico, vel acido, fuerint producti; qui cùm panniculum carnoſum & muſculos abdominis tùm rectos tùm obliquè aſcendentes & deſcendentes intraverint, hunc dolorem, tumorem & abſceſſum effecerunt. Recordor quidem quòd noſtri Curioſi in ſuis Miſellaneis in locis diverſis miræ lapidum generationis cauſas & hiſtorias recenſeant, & doctrinis ſuis chymicis, anatomicis, phyſicis ac medicis illuſtrent, quia tamen & hiſtoria hæc rara eſt, eam ad Collectanea quoque transmittere volui, ut curioſa ingenia materiam habeant de ea meditandi & diſſerendi.

## OBSERVATIO XVII.
## D. FERDIN. FRIDERICI ILLMER.
*De*
# Febre quartanâ feliciter curatâ per Chinam Chinam.

VIr quidam 55. annorum, complexionis nativæ melancholicæ, gracilis, aliàs optimorum morum, haud dubiè ob graves belli tempeſtates à Turcis nobis illatas, propter damna plurima ſibi in temporalibus illata, concepit mœrores, & ex iis incidit in febrim quartanam legitimam. Cùm ego ad medelam hujus vocarer, tractavi hujus ægri corpus methodicè, nempe: primò expurgando primam regionem per clyſteres, & aquam laxativam Viennenſem; poſt extractum ſanguinem ex mediana ſiniſtri brachii, dedi

Juſcula

Juſcula alterantia, & præparantia ex decocto florum & fructuum, vel ex 4. florum cordialium ac ſpecier. aperitivi, refrigerant: Quercetani, decoctis, cum ſyr. borraginis, pomorum curtipendulorum, Regis Saporis: Item ſubinde ſerum lactis, cum dictis Syrupis, ac iterum per Epicraſim expurgavi per aquam laxativam cum Elect. de Tamarindis Horſtii, cum extract. Melampodii, vel etiam potionem ex Manna, cum aqua laxativa. Rurſus exhibui ſalem fraxini, capparum cum acido Tartari, Spir. Sal. coagulati Mynſichtii: Item Tincturam lapidis lazuli. Iterum expurgavi pilulis ex Extract. melanagogo Quercetan. cum maſſa pil. Tartarearum Schrœderi, ſuperaddendo juſcula decoct. florum violar. & borraginis. Cùm itaque hæc egeram, & ipſi inciperem (nam obſtructiones erant jam apertæ, materiâ præparatâ, & coctâ) exhibere antifebrilia, v. g. oculos cancr. margaritas præparatas, corallia præparata, arcanum duplicatum, & quater diaſcordium Frakaſtorii ad ℈ij, cum Cornu Cervi, Pulvere rubro pannonico, 3. horis ante paroxyſmum, ad hoc ut excitaretur ſudor, qui tamen nullo modo ſequebatur, licet omnia applicarem ad eum promovendum: Item applicando Emplaſtrum Strobelbergeri ad 4. pulſus, & multa alia ſimilia, attamen nihil obtinui hiſce. Æger enim jam duobus menſibus hoc Hercule conflictatus, incipiebat deficere, debilitari, in Hecticam inclinare & etiam Cachexia paulatim progerminare; deſcendi ad uſum Pulveris Chinæ Chinæ, quem in pondere ʒij. in vini boni Hiſpanici Canarienſis ℥iiij. per noctem infudi, ac ſic 4. horis ante paroxyſmum exhibui, jubendo ut æger ſe in lecto calidè teneat. Primâ vice febris acceſſit, ſed debiliter; ſecundâ & tertiâ vice planè emanſit. Deinde in duabus libris vini dicti adhuc infudi ʒij, ac dedi ipſi per 6. dies quotidie ℥iiij. ebibendas, quibus factis febris ceſſavit, & æger fuit refocillatus, ſenſim robur corporis crevit, ut nunc ſanus degat ſine ulla recidiva, quam tamen plurimi Magnates noſtri, qui hoc pulvere uſi, ſed intempeſtivè, paſſi ſunt. Fuit hæc quartana Autumnalis, quia

Dz. A. IV. p. 101.

 cœpit

cœpit in principio ſtatim Septembris, & finivit in fine Octobris, cùm tamen debuiſſet eſſe longior ex 2. Aphoriſm. Hippocrat. 25. & Galen. in commento; dicitque Avicennas, quòd per annum duret, ſi non committatur error; ſi verò fiat error, quòd per plures annos. Apparet ergo nunc, artem Medicam auxilio bonorum medicamentorum poſſe morbos plurimùm abbreviare: Egeram priùs per Indicationes Galenicas noſtras conſuetas, corpus, & cauſam morbificam diſponendo, maturando, evacuando, minorando, ſymptomatibus in paroxyſmo debitè occurrendo, & in fine paroxyſmi, ne ſuccederet hectica, per julapium ex aqua fontana & ſyr. de ſucco berberum, de rubo Idæo, violar. moderatè potando. Tandem volens etiam recentiorum indicationibus ſatisfacere, juxta ſtilum Medici Angli Talbot, qui Delphinum Galliæ in hac febri curavit; & mentem Medici Regii, qui notas & Illuſtrationes ac monita fecit, ſupra D. Blegny Chirurgi Regii typo editas empiricas curationes in lingua Gall. (quem non ita pridem ſuggeſſit Clementiſſimus noſter Dominus Romanorum Imperator LEOPOLDUS) eos benè ponderavi, & reperi in 4. intentionibus conſiſtere, nempe, ſiſtere fermentationem, corrigere particulas acidas, aperire obſtructiones & reſtituere particulas ſulphureas; nam acidæ in hac febri prævaluerunt. China China igitur ſuo ſulphure vegetabili anodyno ſiſtit fermentationem, eodem corrigit acidas, eodem fit reſtitutio ſulphureorum deficientium & amaro ſuo ſale aperit obſtructiones, & pellit urinam, quam in copia in hoc caſu eduxit, cùm in medio decurſu hujus febris hæc ſuppreſſa fuerit & dyſuriam cum ardore induxerit. Hæc Apollo & Muſa noſtra nobis in Therapiâ hujus morbi ſuggeſſit.

OBSER-

## OBSERVATIO XVIII.
## D. LUCÆ SCHRÖCKII, SEN.
*De*
# Incerto calculorum renum & veſicæ judicio.

RArum admodum eſt, calculorum præſentiam, tantorum aliàs dolorum ac miſeriarum in tot hominibus crudeliſſimum autorem, in veſica, renibusvè nullo modo per totam vitam animadverti. *Cum pituitoſo humore veſtiuntur*, ſcribit in Conſiliis medicinalibus à *Laur. Scholtzio* collectis, conſ. 315. *Johannes Crato* de calculis veſicæ, *ſæpè ante vitæ exitum vix deprehenduntur*; in quodam, ſine ullis fermè doloribus, & urinæ ſuppreſſione, ubi febre perierat, renem ſiniſtrum luto refertum, dextrum verò calculo ſeptem unciarum & figuræ valdè irregularis, gravidum fuiſſe inventum, autor eſt *Petrus Borellus* cent. 2. hiſt. rar. 62. atque in Decad 1. *Ephemerid. Nat. Curioſor.* Ann. 4. Obſerv. 29. calculum renis inſignem, cùm tamen ægrotus nunquam toto vitæ tempore conqueſtus fuerit de doloribus nephriticis &c. aliosque duos magnitudine ſpectabiles in utroque rene, nullo ſigno ſe prodentes in Obſerv. 32. memorat Ill. D. *Antonius de Pozzis*; ipſe etiam mole & eminentiis conſpicuos calculos, ante aliquot annos vidi, è renibus Illuſtriſſimi cujusdam Domini, repentinâ morte defuncti, erutos, qui tamen nullam Ei, dum viveret, moleſtiam creaverant; quod de veſicæ calculo pariter confirmatum dedit Frideric. Loſſius lib. 3. Obſerv. medic. 53.

Quàm fallacia è contra ſint ſigna, calculos hos præſentes innuentia, prolixè inprimis præ aliis oſtendere conatus eſt *Joh. Baptiſta Sylvaticus* Controverſ. medic. 32. Quod etſi fateri neceſſum habeamus, plurium tamen ſymptomatum concurſum, à ſagaci Practico conſideratum, minùs utplurimum fallere

lere

lere haud negari poteſt; ut ita rariores inter caſus, ſi id contingat, meritò referre liceat; quibus itaque adnumerandus tumor glanduloſus veſicæ, calculum mentitus, atque à *Ludovico Hammenio* tract. de Herniis pag. 109. deſcriptus, feliciterque ab eo ſectione exſtirpatus. Quare licebit & mihi, quem nuperrimè demum obſervare datum fuit, recenſere caſum honeſtæ Matronæ, annum ætatis ſeptuageſimum quintum agentis, quæ à prima mox juventute moleſtis capitis doloribus ſubinde infeſtata, aliquot abhinc annis lumborum etiam dolore laborare cœpit; interea tamen, quod domeſtici ejus nunc demum poſt obitum edixerunt, crebris ſudoribus ab ineunte juventute fuit divexata; cui jam tandem, per annuum temporis ſpatium cephalalgiâ illâ, & ſudoribus non ampliùs urgentibus, urinæ cruentæ ferè continuò ſuccedentes haud levem timorem incuſſerunt, præcipuè cùm non arenularum tantùm excretio interdũ obſervaretur, ſed & materiæ craſſæ ac viſcidæ, quandoque cum urina alba ſatis copioſa emiſſio, pudendorum pruritus, mictionis difficultas, dolor & frequentia, teneſmus ponderisque alicujus in pectine ſenſus negotium facerent, quorum truculentiâ tandem dies noctesque fatigata, 20. d. Novembr. Anno 1684. viribus exhauſta animam Creatori ſuo reddidit. Hisce indiciis, quæ nunquam aliàs, in mea 42. annorum praxi, me feſelliſſe, plurimæ poſt obitum inſtitutæ per ſectionem explorationes certiorem fecerunt, inductus, veſicæ calculum adeſſe, cùm ei medicinam facerem, pronunciare haud dubitavi; quod etiam poſtmodum dilectus ac honorandus Dn. Collega, mihi morbo ad finem properante, adjunctus, Exc. D. *Vitus Riedlin*, certiſſimum eſſe, conſenſu ſuo confirmaverat. Aſt prout Artem noſtram eſſe conjecturalem, & ita, quamvis cæteroquin magna cum prudentia conſtructam, artificem fallere poſſe, nemo diffitebitur: ita & hîc idem nobis contigiſſe, poſtero die celebrata cadaveris luſtratio, nos unà cum filio meo percharo præſentes edocuit; ubi in emaciato hoc corpore, ſupra os pubis, & in pectine tumorem

morem durum tactu deprehendimus, quo de neque ægra, neque adstantes ullam in vita coràm me fecerant querelam, qui merè glandulosus, & cuti arctè cohærens adparuit, qualis etiam internè, infra dictum os observabatur. Ipsa autem viscera thoracis & abdominis omnia, præter intestina flatibus distenta, satis laudabilia vidimus, ita ut nec renes, circa tubulos urinarios pinguedine, quæ aliàs, præter cor, quod sufficienter eâ investiabatur, erat parcissima & pænè nulla, stipati, ullam labem ostenderent, neque etiam vesica exteriùs de ullo vitio suspicionem faceret; aperta tamen illa copiosam, viscidam & crassam, atque ferè purulentam visam materiam mox in cavitate sua exhibuit; quâ detersâ, non solùm hinc inde lenticulares aliquas, duriusculas & albidas glandulas ei adnatas, sed insigniorem etiam aliam, ex tribus, fabæ magnitudinem singulâ æquante, conglomeratam, lividioris coloris, & sic satis duram offendimus, in qua dissecta etiam arenulæ aliquot minutiores digitis explorantibus occurrebant; cæterùm aliud vitium nec ibi comparuit. Unde omnia hæc symptomata sanguini multis serosis & acribus particulis turgido adscribere libet, quòd non tantùm diuturnos istos capitis dolores, nervosas ac membranosas cerebri partes rodendo & vellicando, minutissimaque vascula & porulos distendendo, excitare, sed & in sudores illos frequentes resolvi potuit. Quod cùm tandem ad renes copiosiùs ferri inciperet, tristem iis sensationem induxerat, ac ita ex debilitatis ibi vasculis unà cum cruoris parte excretum fuerat. Cùm verò serum hoc, præcipuè sanguine ob ætatem provectiorem jam quasi vappescere incipiente, in coagulationem pronum evasisset, tum glandulosas illas in vesica excrescentias stagnatione suâ generare, tum viscosum illud & crassum urinarum sedimentum graveolens suppeditare potuit; quod acredine suâ molestum in pudendis pruritum inducendo, atque urinæ frequentiori ejectioni sollicitandæ, ut & vicino intestino recto per consensum adficiendo, atque inanibus illis & dolorosis egerendi conatibus pro-

ducendis par fuerat; ponderis autem in pectine ſenſum glandulosſus in loco hoc tumor, ex eodem ſero ibi coacervato generatus, ſimulaverat, arenularum verò generatio aliarum hujusmodi calculoſarum concretionum cauſam, ſeri nempe à ſale aliquo lapidifico coagulationem, agnoſcit.

## OBSERVATIO XIX.
## D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. FIL.
*De*
# Oſsiculis ex Sarcocele ſuppurata prodeuntibus.

QUàm varia ſæpe & inſolita reperiantur in corpore humano, & ſubortis inprimis in eo abſceſſibus, corpuſcula, ſive aliunde eò translata, ſive in ipſis etiam genita, plurimis obſervationibus paſſim exſtantibus docemur. Inprimis verò calculos in omnibus ferè partibus generatos quis neſciat? qui etiam nec partes generationi dicatas immunes abire permittunt; velut in proſtatis lapidem infixum fuiſſe deprehenſum, refert *Marcell. Donatus lib. 4. hiſtor. med. mirab. cap. 30.* calculum magnitudine piſum ferè ſuperantem in teſticulo deſcribit *Joh. Rudolph. Saltsmannus in obſerv. anatom. ult.* ex teſticulo quoque exulceratos lapides exemtas habet *Pachequus in obſervat. 44. Riverio communicata;* ipſum ſemen in vaſis ejaculantibus petrificatum legitur in *Zodiac. med. Gall. Ann. 2. menſ. Mart. obſerv. 4.* Aſt oſſa etiam in abſceſſibus quòd reperta fuerint, id revera inter rariſſima eſt connumerandum; cujus tamen fidem faciet ſequens, quam communicare libet, obſervatio, D. P. G. Aurifaber, per plurimos annos teſticuli dextri tumore ad capitis infantilis magnitudinem tandem adaucto, & ipſum inguen, ut hinc brachii craſſitiem æquaret, ſimul occupante laboraverat, à variis in conſilium adhibitis Chirurgis primò hydrocelen, poſtea cùm




An. II. Dec. II.
p. 6.

Annus III.

testiculum equo insidens duriùs ephippio impegisset, sarcocelen pati creditus; tandem frustrà in usum ductis plurimis remediis, ante septennium à Natura ipsa, optima morborum medicatrice, auxilium invenerat; siquidem in eodem latere spontè aperto scroto, serum primò aliquandiu, tandem plurima, & vel ad quinque uncias quandoque, purulenta materia egressa fuerat, sicque usu mundificantium & traumaticorum per siphonem injectorum, tumore paulatim decrescente, durum quid in orificio ulceris Chirurgis, *Joh. David. Freitagiis*, patri & filio, quorum dexteritate tum curabatur, sese obtulerat; quod volsellâ extractum, esse officulum plurimis eminentiis asperum, & Figurâ XI. delineatum, comparuerat; cui dein successivè plura alia diversæ figuræ & magnitudinis insecuta fuerant; usque dum tandem alterum illud Figurâ XII. designatum, non sine magno labore exemtum fuerit, consolidatione vulneris mox spontè succedente, & integrâ curâ intra novem septimanarum spatium ad finem perductâ; ita ut nunc salvus adhuc, & senio licet pressus, sat tamen vegetus vivat, testiculumque morbosum benè jam constitutum circumferat.

## *SCHOLIUM.*

ADfectum hunc ad nullum alium commodiùs quàm ad hydrocelen cum sarcocele conjunctam referi posse, mihi equidem haud est dubium. Quamvis enim (ut de hydrocele, à seroso stillicidio ex vulnere primò observato satis demonstratâ, nihil dicam,) sarcocele testium & vasorum adnexorum in molem insignem à sanguine in eis subsistente & concrescente, factam extensionem ac in massam quasi carnosam indurationem utplurimum denotet, quam ideò discutientibus posse curari negat *Excell. D. Ol. Borrichius Vol. 1. Act. Med. Hafn. observ. 97.* & si quæ hoc modo sanata perhibeatur, hydrocelen potiùs fuisse, statuit; sicque etiam per suppurationem, salvo remanente testiculo, tolli haud posse, adserere liceat:

 ceat:

ceat: hîc non tam testiculum auctum, quàm potiùs carnosam tantùm quandam substantiam fuisse eidem adnatam, statui posset. Licet fortasse, sanguine extra vasa effuso & in eorum interstitiis subsistente, aut alio quocunque modo incrassato & indurato, per succedentem autem suppurationem evacuato, vascula illa & membranas sensim sic denuo contrahi, & naturalem, quam antea habebant, conformationem adipisci, dici posset. Unde verò ossicula illa in locum istum planè exossem pervenerint, magis intricatum esse videtur. Non enim ab osse aliquo per corruptionem abscendente & in hunc locum depositas fuisse particulas, sanitas cæteroquin sat integra, juxta cum ossiculorum istorum multitudine, persuadet; nec per fascinationem, cujus nulla hîc suspicio, injecta fuerunt; nec etiam externâ saltem formâ osseam substantiam referunt, cùm solida admodum sint, rasurâ in osseam scobem abeant, & igni subjecta, præter odorem, ab ossibus crematis aut etiam congenere cervino cornu exhalanti similem, remanens corpus, ustis talismodi ossibus omnino respondens suppeditaverint. Unde à sero extra vasa effuso eorundem ortum deducere opus erit; quod uti in statu naturali consistens, membranæ, cartilaginis, ossisvè naturam adsumere aptum esse, sive particulas in ejusmodi corpora coagulari prona continere, nutritio istarum partium nos edocet: ita & hîc gelatinosæ ejus particulæ, discussis aquosioribus, in ossea abire corpuscula potuerunt.

**Fig. XI. & XII.** p. 56.

OBSER-

OBSERVATIO XX.

D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. FIL.

*De*

# Hydrocele à Catarrho orta.

INveteratam hydrocelen medicamentis externè impositis uti rarò & vix curari, celebriores Practici observant: ita recenter exortam iisdem aliquando cedere, notum est. Sic *Laz. Riverius cent. 2. Observ. 4.* in puerulo herniam aquosam per cataplasma ex farina fabarum cum vino generoso coctum, admixto etiam oxymelite simplici, intra octiduum fuisse discussam, memorat; ingentem quoque testiculi sinistri tumorem aquosum, adhibito ex convenientibus cataplasmate, sanatum refert *Henr. Salmuth. cent. 3. Observ. 93.* Idem & mihi anno præterito observare contigit in Juvene 17. annos nato, qui dolore capitis insigni & tumore genæ sinistræ, ut & colli, circa mensis Augusti principium correptus, cùm ab adhibitis, 5. & 6. die dicti mensis, medicamentis serum blandè per sudorem evacuantibus, externè verò adpositis discutientibus, levamen habuisset, remittente nempe dolore, & subsidente paulatim tumore, eodem tamen tempore per latus sinistrum juxta dorsum descendere aliquid persensit, testiculumque sinistrum non sine dolore in molem ingentem attollere; quod cùm vesperi d. 6. mihi anxius indicâsset, hydrocelen esse deprehendens, Cataplasma ex mastiche, floribus chamæmeli, sambuci, salviæ, & rosarum rubrarum cum lacte paratum imponere jussi, quod non tantùm sopiendo dolorem, sed tumorem etiam notabiliter imminuendo, optimè conduxit, ut, cùm insuper 7. die Aug. potiunculâ ex resina jalappæ paratâ purgatus fuisset, paulò post planè convaluerit. Mira hæc serosi humoris, copiâ & stagnatione peccantis, & hinc tristem capiti sensationem inferentis, nec non tumorem genæ & collo inducentis, μετάστασις majorem admirationem

parit, quòd serum, discutientibus internè & externè in usum ductis ob copiam non promtè cedere valens, non in vasa sanguinea readsumtum, sicque ad scrotum, sed rectiori viâ per latus sinistrum sensim eò derivatum fuerit. Quod si consideretur, catarrhosas defluxiones non simpliciter deliramenta in posterum esse dicenda, evidenter satis adstruitur. Vias tamen, per quas fluxio hæc processerit, satis obscuras nobis reliquit Natura; nisi fortè nervorum, & quidem, si ordinem â Cl. *Willisio* nervis adsignatum sequamur, quinti paris, buccarum musculis surculos mittentis, & postea unà cum sexti paris ramulis, nervum intercostalem, ad testes etiam abeuntem, producentis, id beneficio accidisse dicere liceat, intra quorum membranulas insinuans se lympha illa extravasata, per latera eorum sensim usque ad testiculum descenderit.

## OBSERVATIO XXI.
## D. CHRISTIANI MENTZELII.

*De*

# Coralliis in genere, Androsace, Fucis marinis, unguibus odoratis, lignis olentibus, pyritibus, silicum generibus &c. præmissa ad Cl. Dn. G. Everhardi Rumphii observationes sequentes, de rebus variis & raris ex Indiis ad me transmissis.

CLar. Dn. Georgius Everhardus Rumphius, Senator & mercator in Insula Amboina emeritus, Nomine & Omine, Plinius noster secundus & Collega dignissimus; bis ad me literas, non per Angarias, sed triennium ob longinquum iter responsorias, cum rebus exoticis & curiosis subindè adjunctis, dedit, quarum secundâ vice transmissarum arcula nobis adhuc invisa latet: quæ verò primâ vice

vice transmisit, ne erudito Orbi invidere videar, ea per observationes aliquot ex literis ejus & primis & secundis (cùm secundæ aliquot res, in prioribus contentas, uberiùs explicent) in honorem Autoris, cum imaginibus rerum earum placet proponere, si priùs in genere aliquid de iis brevissimè mentem meam cum quibusdam observatis aperuero. Primò igitur novem coralliorum genera, præter vulgare rubrum, transmisit, uti sunt: corallium nigrum ramosum, & monoclonon, cinereum ramosum, & monoclonon, album pelagium, album littoreum sive Hippuris saxea, Amaranthus saxeus, pseudocorallium rubrum fistulosum, & Acarbarium anguinum. Hæc ego, salvô eruditiorum judiciô, omnia, & quotquot ulteriùs in mari reperiuntur, existimo, non ut plantas internô principiô enasci; sed plantas marinas juxta loci limosæque terræ varietatem diversimodè incrustari, sicuti res condienda sacchárô obducitur absumptis paulatim putredine plantis marinis, relictisque indumentis suis jam induratis & formam rerum amissarum servantibus. Quemadmodum enim, juxta Ath. Kircherum & alios cordatiores viros, in Hungaria & alibi ferrum aquæ vitriolatæ ibi mananti injectum statim particulis cupri, in aqua vitriolata latitantibus præcipitanter obducitur, simulquè eô momentô ferrum paulatim corrodendo absumitur, cuprumque subinde per appositionem in locum ferri succedit, & induratum ferri formam, quam habebat, servat: ita cum his plantis marinis & limo corallino super- & circumfusô eôdem modô Natura procedit. Qnamvis non negaverim, dari quoq; in Natura succos lapidificos, qui ligna & alias res adeò penetrent, ut ligna iis jam penitùs petrifacta, nihilominus formam, quam habuerunt & internam & externam servent: Plerumque tamen transformatio priori modo accidit. Ita fuci marini, species musci marini, si præfatô more incrustentur, cùm substantia eorum sit tenera, & putredine facilè absumatur, in corallia nunc ramosa, nunc monoclona mutari

tari possunt; consideret B. Lector fucum nigrum lapillo albo innatum, & Tabula V. præsentatum, quem ex Balteo mari cum aliis ejus generis speciebus extraxi, si ille natus fuisset in tali Oceani loco, ubi limus corallinus aliquis eum amplexus & super eum inductus induratusque esset, annon ex eo corallium aliquod ramosum formaretur? Quod si filum marinum *C. Bauhini n. 2. Prodr.* ejusmodi in locum fortè incidisset, facilè Anocarbarium Ambonicum (ut arbitror) inde resultaret. Accedit, quòd eruditi annotarint fucos coralloides, ut habet *Index meus Plantarum universalis.* Sicuti etiam est muscus Coralloides varius, & Androsace (quæ potiùs ἀνδροσάκος dici meretur, quòd τὸ σάκος ἀνδρός, scutum viri præsentat) Hæc plantula marina nihil aliud est, quàm congeries fungulorum cum suis pileolis vel scutulis humore corallinô in mari super petram, concham & alias res, induratorum. Vid. Tab. V. ubi elegans exemplar Androsaces Chamæconchæ inhærens, quod ex liberali donatione Rolfincii p.m. Professoris quondam Jenensis, possideo, delineavi. * Ita quoq; Amaranthus ille saxeus, quem Autor misit, & Tab. II. exhibetur, mihi ex fungorum majorum genere, quorum alter alteri imbricatim, & lichenum more, innascitur, esse, & in petram corallinam ita abiisse, videtur. Nam & aliàs mihi oblatos novi fungos petrosos & corallinos, latis pileis & orbicularibus, ex Oceano extractos. Hæc de Coralliis in genere. Jam Onyches odoratos quod concernit, illi ex eorum sunt genere, quos Dioscorides l. 2. c. 20. opercula conchyliorum appellat. Sicuti enim cochleæ nostræ terrestres & aliæ hujus generis per hyemem operculis quibusdam sese contra frigus muniunt: ita hoc accidit quoque conchyliis marinis, unde pro varia conchyliorum forma, varii etiam ungues sive opercula fiunt. Ita præter elegantissimos Muricum & pseudopurpurarum ungves, quos Autor misit, etiam tenues illos Officinarum vulgò Blattas Byzantinas & Umbilicos marinos dictos

* *vid. praeced. Anni, Dec. II. fol. 119.* (*) *Quam herbam &c.*

ctos in Tab. V. exhibui. Præter corticem Culilavean caryophylli ſapore & odore præditum, qui deſcriptus eſt & figurâ præſentatus in Ephemeridum noſtrarum Anno primo, Decuriæ ſecundæ p. 55. miſit Autor etiam particulam cujusdam ligni mirùm fœtentis, cujus forma colore & ſubſtantiâ fermè ad fagi materiam accedit. Hoc ita deſcribit: Lignum fœtidum " vulgò Malavê *Caju-taÿ*, i. e. lignum ſtercoris, vocatum, fœ- " tore ſive potiùs pedore inſigne, præter opinionem tamen " in medicina nobile, ex aqua tritum, vel ſolùm, vel cum ligno " Colubrino datur febricitantibus; leviorem enim febrim ſu- " dore diſſipat, gravioremque mitigat. Hæc Autor. Præ- " terire hîc nolo corticem quendam, caſſiæ ligneæ non abſimilem, quem cum cortice Lauri Americani ex donatione Clar. Wilhelmi Piſonis p. m. poſſideo. Cortex ille, quem ex Braſilia olim attulit, fragrantiſſimè allium olet & ſapit: Lauri autem cortex aromaticus eſt; odor & ſapor mixtum quid Lauri & Cinnamomi refert. Miſit inſuper Autor lapidum quorundam ſpecies, uti ſunt Androdamas, Argyrodamas Plinii, quorum ille ex pyritarum cenſu à me habitus fuit; hic verò ex ſilicum genere. Pyrites verò lapis varius eſt, omnis autem ſulphure particeps & inprimis aliquid cupri, ob ſulphur, continet. In tractu Bononienſi Pyritas formâ Androdamantis, ſed penitùs cupreâ collegi; alibi aliter inveniuntur, variis terris mixti. Si mineralibus adjuncti & inſperſi ſunt, Germanis Kieß/ vocantur, & cuprum, ſulphurque habent. Argyrodamas verò quem Autor miſit, ex genere Silicum eſt, qui etiam valdè inter ſe differunt, & quò pellucidiores, tenuiores & puriores cum metallis & mineralibus mixti reperiuntur, eò puriora & nobiliora etiam metalla continent. Nam & Adamantes ex eorum genere ſunt. Sic Alabaſtrites, ad quem noſter Argyrodamas ferè accedit, ſilex quidam eſt. Ita differunt Silices iſti, qui Germanis Quartſch/ Spath 2c. vocantur, de quibus alio tempore, alibi. Demum conſideratione dignum æſtimo, quòd in Indiis & Orientalibus Inſulis Zonæ torridæ

ſubjectis convolvuli fruteſcant & arboreſcant. Sanè Funes ſylvatici Rumphii, ex quorum medulla ſive corde Lignum Laccæ eximitur, quid aliud juxta ejus deſcriptionem ſunt, quàm convolvuli fruteſcentes? vid. deſcript. Ligni Laccæ in Tab. I. Jam enumerandæ ſunt Obſervationes Rumphianæ, rerum exoticarum à ſe transmiſſarum, juxta contenta in ejus literis.

## OBSERVATIO XXII.

## Dn. GEORGII EVERHARDI RUMPHII.

*De*

# Agallochi generibus & Arbore excœcante.

AGallochum, Xyloaloë, lignum Aloês, duplex eſt, ſpurium & verum. Spurium, quod, ut audio, in Europa pro ligno Aloês vero venditur, hîc in arbore excœcante natum, ad ſuffiendum adhibetur Prunis inſperſum, primùm Benjoinum olet, ſed mox in nidoroſum odorem deſinit: mixturâ Ungvis odorati corrigitur. Naſcitur hîc circa Amboinam in Inſulis, & vili emitur. Vid. Fig. in Tab. I.

[*Ex literis ejus in Inſula Amboina d. 20. Sept. 1680. datis.*]

Arbor verò excœcans, in cujus ſtipite habetur Agallochum ſpurium, ita in his Inſulis vocatum, nihil habet commune cum Agallochi veri arbore. Eſt enim arbor excœcans deformis arbor, non niſi in littoribus ſolitariis creſcens & malè audiens, tàm apud nautas noſtros, quàm apud Incolas, quia lacte quodam albô turget, quod caſu oculis immiſſum, magnos excitat cruciatus, inflammat, & niſi citiſſimè ſuccurratur, ſumma cum mordacitate excœcat, unde ad imitationem Incolarum ei nomen Arboris excœcantis impoſui. Videtur

Videtur Lathyris quædam arboreſcens eſſe : ubique fructus fert triquetros, Lathyridis baccis valdè ſimiles, quæ vulgò Cataputia audit. Folia cum Pyri foliis conveniunt, ſed in marginibus obſcurè dentata ſunt. Fruſtulum è cortice, aut quinq; lactis guttulæ, validam dant purgationem, ſed in gutture urunt; quare illud medicamentum Indis relinquendum. Hæc tamen periculoſa arbor hanc habet dotem, quod in caudicis, radicumque terræ exſtantium cavernis odoratum hoc lignum reperiatur, quod gignitur ex pinguioribus ejus partibus, Solis fervore, & crebra aſperſione aquæ marinæ probè excoctis, quas fraudulenti Sinenſes aquâ roſaceâ & ſcobe Agallochi veri maceratas ita præparare nôrunt, ut imperitis mercatoribus pro legitimo obtrudant. Ex ejus ſchidiis minutim conſciſſis rudi modô per deſcenſum oleum, picis liquidæ inſtar, deſtillavi, quod pro ſcabie, & aliis cutis vitiis conducit.

[*Ex literis ſecundis ad D. Chriſt. Mentzelium in Amboina 24. Sept. 1683. datis.*]

Agallochum autem legitimum & verum ſapore & odore in prunis dijudicandum. Naſcitur in regno *Coinam*, & rarò ad Europæos defertur, quia in India majoris eſt pretii, quàm in Europa. Duplô & triplô argenti pondere redimitur. Eſt etiam cereæ mollitiei dimidio auri pondere æſtimatum, ſed id rariſſimum. vid. Fig. in Tab. I.

[*Ex literis primis d. 20. Septembr. 1680. datis.*]

Agallochum cereum, quale Sinenſes mihi deſcripſerunt, hactenus videre non licuit, fortaſſis illi pro more ſuo hyperbolicè loquuntur; ſcio tamen fruſtulum illud, cujus dimidiam partem tibi miſi, ab amico Sinenſi mihi donatum eſſe ſub nomine Agallochi legitimi & melioris notæ.

[*Ex literis ſecundis d. 24. Sept. 1683. datis.*]

# OBSERVATIO XXIII.

## Dn. GEORGII EVERHARDI RUMPHII.

*De*

## Ligno Lacca dicto, Funibus Sylvaticis, Resina Dammar Selan, & Dammar Battu.

LIgnum Lacca dictum, de corde ſylvatici funis eximitur, hoc prunis injectum ſuaviter olet, & tritum intra corpus ſumitur contra cordis palpitationes & epilepticos infantum paroxyſmos.

*[Ex literis primis d. 20. Sept. 1680. datis.]*

Lignum Laccæ autem, non eſt ex illa arbore, in cujus ramis certæ quædam formicæ, gummi, Lacca dictum, elaborant, quæ in his Inſulis ignota eſt, ſed ut ſcripſi, cor funis ſylvatici, quod tantùm ad ſuffimenta adhibetur. Per funem ſylvaticum intelligo talem fruticem, qui non erectus creſcit, ſed longo & flexuoſo ſtipite aut per humum ſerpit, aut per arbores ſcandit. Hos frutices funes appellamus, qui magna copia è diverſa ſpecie in harum Inſularum nemoribus luxuriant, quos complectitur liber 7. mei Herbarii. Eis parem in Europa indicare non poſſum, quamproximè tamen cum vite pergulana modô creſcendi conveniunt, multo tamen longiores, craſſiores, & maxima parte absque ramis.

Lignum hoc Laccæ nomen obtinuit propter rubrum ſive ex atro ſanguineum colorem, & ut Nautæ quidam mihi retulerunt, magnam ſimilitudinem habet, ſi non idem eſt, cum illo ligno, quod ex Americanis Inſulis advehitur in Hollandiam ſub nomine *Stockviſch-hout*, in uſum tinctorum qui ſerica fila carmeſino colore tingunt. vid. Fig. in Tab. I.

*[Ex literis ſecundis d. 24. Sept. 1683. datis.]*

Reſina

Resinâ in his Insulis celeberrimâ, *Dammar Selan* vocatâ, Malæi & Javani ad picandas naves & construendas faces, nec non aliis odoramentis permixtâ, loco olibani, utuntur. Odorata enim est, & succinum colore & pelluciditate refert.

Resina alia huic Insulæ Amboinæ familiares, *Dammar Battu* vocatur, i. e. Resina lapidea, quia reliquis durior est. Hæc nobis vulgares dat faces, & apud Scribas in usu est, ad oblinendas erasas literas. In Medicina paucum habet usum. Vid. Fig. in Tab. I.

*[Ex Catalogo cum literis primis transmisso.]*

## OBSERVATIO XXIV.

## Dn. GEORGII EVERHARDI RUMPHII.

*De*

# Coralliorum quibusdam speciebus & lithodendris.

CORallium nigrum ramosum, quod transmitto, olim Antipathes dictum, in magna æstimatione hîc apud Indos est, quia ex eo armillas faciunt, quas gestant contra fascinationes, sicuti & olim fecerunt. Intra corpus quoque sumitur contra noxios pisces, & fungos. Nostri Malæi Semi-Arabicâ voce appellant *Ackarbahar & Kalbahar-itam*, quod sonat radicem vel lignum maris. Vid. Fig. in Dec. I. in Tab. III.

Corallium nigrum monoclonon instar longissimi & tortuosi baculi in mari nascitur absque ramis, magis lapideæ est substantiæ, quàm prius, unde nobiliores bacillos & virgas faciunt in manibus gestandas. Vid. Fig. ibidem.

Corallium cinereum ramosum & monoclonon unico longo caule nascens. Utrumque rarum est inventu: sub aquis rubrâ crustâ tegitur, & à Papuanis latronibus, circa

 quorum

quorum Insulas nascitur, reliquis Coralliis præfertur, & contra prædictos morbos adhibetur. Vid. Fig. ibid.

Corallium album pelagium in fundo maris nascitur & in littus ejicitur. Vid. Fig. ibid.

Corallium album littoreum, quatuor aut quinque orgiis sub aqua nascitur, & à Carolo Clusio olim sub nomine Hippuris saxeæ in l. 6. Exotic. descriptum, Utrumque apud Indos in pretio est, valet enim contra Choleræ fluxum, venenatos cibos, ardorem febris &c. si ex aqua super lapidem asperum teratur & bibatur. Vid. Fig. ibid.

Pseudocorallium rubrum fistulosum, substantiâ Adarces, multis fragilibus ramis luxurians. Vetustiores & duriores ejus rami, qualis hic est, qui mittitur, pro *Medicina* asservantur; diureticæ enim sunt facultatis. Vid. Fig. in Tab. II.

Amaranthus saxeus cum suo annato saxo, in quo sub aquis marinis crevit, Corallii est species. V. Fig. ibid.

Acarbarium anguinum, hâc formâ in mari natum è Corallii nigri generibus, anguinis gyris & flexibus hîc mittitur. Hoc in arcula situ curvo positum, ad vos perveniens talem forsan figuram retinebit: ideò poterit aquæ ferventi immergi, & ad bacillum intrusum leniter erigi, ut sursum spectet, ita tamen ut gyri ejus deleantur: quâ formâ enim refrigerescit, eandem servabit. Malthâ aliquâ poterit super lapidem firmari, ut erectum stet. Rarum est inventu & vulgaribus saxis innascitur. Vid. Fig. in Tab. IV.

Acarbarium nigrum monoclonon anguinum, cujus basis silex est, Malaicè *Tali-aras* i. e. funis æstûs dicitur, quia in æstuosis locis crescit, & secundum æstûs fluxum nunc hùc, nunc illùc longissimô sarmentô fluctuat.

*[Ex literis secundis Autoris.]*

Ramus de lithodendro calcario, Malaicè *Carana* dicitur. Id magnis placentis in rupibus marinis nascitur, ex quo vulgaris calx crematur, Clusio olim l. 6. exotic. sub nomine plantæ saxeæ Abrotanoidis depictum. Vid Fig. in Tab. III.

Octo







Pseudo Corallium rubrum fistulosum.




Amaranthus saxeus cum suo annato saxo.

TAB: II.

I. et III.

Octo lapidei digiti, qui ſunt pedes Echini cujusdam marini, qualem Ariſtoteles Echinometram appellat. In iis admirandum, quòd in aquam conjecti, quidam erecti fluctuent, quidam inclinati, quidam iique minimi fundum petant, priſtinum nempe ſitum in vivo animali repetentes: curioſo, rimanti ipſorum venas interiores, cauſa patebit. Vid. Fig. ibid.

*[Ex literis primis d. 20. Sept. 1680. datis.]*

## OBSERVATIO XXV.

## Dn. GEORGII EVERHARDI RUMPHII.

*De*

# Unguibus odoratis ex Murice & Pſeudopurpura, Argyrodamante, Androdamante, Schœnanthò Ambonico, Piſi Americani ſpecie Ambonica; Herba ſentiente Ambonica.

MItto tres ungues odoratos majores ſive Blattas Byzantinas, totidemque minores, qui ſunt opercula Muricum & pſeudopurpurarum, harum figuras v. in Tab. II. & Tab. V.

Reperiuntur in noſtro mari Ambonico. Indi iis unguibus minutim confractis utuntur ad ſuffimenta. Unguis enim odoratus baſis loco eſt inter omnia eorum thymiamata, ſicuti aloë inter pilulas; unde & Thymiamati ſacro admiſcebatur Exodi 30. v. 34. ubi in Hebræo Schecheleth; in Latinis Onyx vocatur. Vid. Figuras in Tab. V.

Gleba lapidea, cum aliquot fruſtulis, cryſtallo ſimilis. Hunc lapidem pro Argyrodamante habeo, donec certius quid didicerim. Eſt ex multis fruſtulis compactus, quadrangulis teſſellis ſimilibus, pellucidis, argenteô quodam nitore relu-

relucentibus. Lapilli inde exempti, cum cryſtallo aut ſilice nihil commune habent. Vid. Fig. in Tab. V.

Tria fruſta Androdamantis, quorum unum politum & annulo æreo incluſum fuit. Sunt pyritæ, habent undique quinque angulos, ita ut una ſuperficies alteri videatur immerſa. Naſcitur in corde alicujus ſaxi, Androdamanta Plinii eſſe puto. Javani eum expoliunt & annulo æreo incluſum geſtant ad victoriam in lite. Vid. Fig. politi & non politi Androdamantis in Tab. V.

*[Ex literis primis Autoris.]*

Tres illos lapides Pyritas eſſe fateor, nam & fabri noſtri eas appellant pyritas Italicas, eosque ſclopetis imponunt ad ignem excutiendum. Verùm quod Androdamandas cognominaverim perſuaſerunt mihi Plinii verba, qui libro 37. c. 10. illos quadratos eſſe ait, teſſellis ſimiles, & ex magorum opinione vires illis tribuit, impetus hominum & iracundiam domandi: in quem finem etiamnum Javani illos hodie geſtant politos & annulis incluſos. Idem adſtipulatur Bellonius l. 2. obſer. c. 6. 7. Qui graves & quadrangulos illos pyritas, quos in Tauro oppido viderat, veterum lapidem Arabicum & Androdamantem eſſe judicat. Nihil exindè elicitur præter excrementum quoddam ſulphureum. Indi vocant hos lapides *Maas urong*. i. e. aurum ſpurium ſive aurum aſperſum.

*[Ex literis ſecundis Autoris]*

Schœnanthi noſtratis Ambonici radices ab Arabico nonnihil diſcrepant. Noſtrum ſterile eſt: Arabicum floret. Radices hæ odoratæ ſunt & acres. Erroneè ut puto, à quibusdam eruditis pro calamo aromatico & Coſto habentur, cùm ſint junci odorati. Vid. Tab. III.

Abrus Alpini, Vicia vel Piſum Americanum, frutex eſt ſarmentoſus, foliis Tamarindi tenerrimis, Soliſequis: ſingularis ſpecies hæc eſt, ab aliis in hoc differens, quòd plures, plerum-

que

Pseudopurpura, ferens unguem odoratum rotundum mediocrem.

Onyx sive unguis odoratus rotundus med: nat: magn:

inter: pars concava.

a

pars exterior gibba.

TAB. V.

pars exterior gibba tortuosa.

Onyx sive Unguis odoratus rotundus major muricis majoris. natur: magn:

pars inter: concava.

Fucus s. muscus marinus niger, lapillo albo insidens.

Unguis odorat: Officinarum minor tenuis.

pars int: cava.

pars gib.

Umbilicus marin. Onychis species.

p: interna gibba.

pars ext: plana.

Androsace.

Argyrodamas.

Androdamas.



Lithodendrum calcarium sive Carana Calx Ambonica.
fol. 78.
Pedes lapidei Echinometræ.
fol. 79.
Schoenanthus Ambonicus.
fol. 80.
Corallium nigrum ramosum et monoclonum
fol. 77.
Corall: cinereum ramos: et monoclon:
Corall: album littoreum sive Hippuris saxea
Corall: album pelagium.
fol. 78.


TAB: III.




fol. 81.
Fig. 12.
Herba sentiens, vivens sive Æschynomene fol. et florib. longis
pedialis unico thyrso insidentibus, Amboinica. Rumphij.
Acarbarium anguinum: fol. 78.
Abrus Alpini, sive Vicia, Pisum Americanum, vel ejus
species Amboinica septem siliquis
uno
petiolo adnatis.
fol. 80.

TAB: IV.

que septem siliquas uno petiolo adnatas ferat, cùm reliquæ species tot siliquis destituantur. In Tab. IV.

Herba sentiens Ambonica descripta est in Anno primo Decuriæ secundæ Ephemeridum nostrarum. Vid. Figur. in Tab. IV.

## OBSERVATIO XXVI.

### D. JOH. MAURIT. HOFFMANNI.

*De*

# Synovia Venæ sectionem infaustam subsequente.

Vietori nostri oppidi Barbarossæ venam medianam Balneator scalpello vehementiori cum talitro adacto pertuderat, tendine musculi bicipitis subjacente simul læso, quod ipsum sicuti ab imperitis Chirurgis sæpius magno cum ægrorum periculo fieri jamdudum notavit Adrian. Spigelius lib. IV. de humani corporis fabricâ cap. 15. ita eventus in dicto Vietore comprobavit; is namque primò derepente brachii stuporem perpessus est, quem, paulò post redeunte sensatione, dolor insignis & inflammatio exceperunt, post elapsum autem triduum ichor flavescens, sive meliceria aut synovia Paracelsi, ex labiis vulnusculi intumefactis atque ex pallido livescentibus emanare cœpit, cujus fluxione ultra octiduum in notabili copiâ perennante, miser vietor in febriculam continuam ac totius corporis atrophiam manifestam cum inappetentiâ & vigiliis continuis incidit, frustrà intereà à balneatore, quem cum Terentio imprudentem harum rerum ignarumque omnium meritò dixero, unguentis emollientibus pinguibus divexatus. Vocatus igitur tandem ego in consilium, exhibitis priùs ægro medicamentis internis convenientibus, pulverem stypticum ex sanguine draconis, bolo armenâ, mastiche, rad. bistortæ & flor. Rosarum rubrarum concinnatum cum albumine ovi

exceptum Venæ sectæ admovi, quo facto mox Synovia imminui visa est, ast cùm labia vulnusculi unionem admittere adhucdum renuerent, iis ad propiorem contactum adductis Emplastrum sequens admovi, quod ubi per 24. horarum spatium affixum permansisset, desiit emanare Synovia, atque consolidatio ex voto successit. Emplastrum tale erat præscriptum.

℞. Empl. de plumbo ℥j.
diapalm. ʒij.
Pulv. bol. armen. ℈iiij.
M. F. Magdal. dr. ad chart. incerat.
sgr.

**Pflaster zum bewusten Gebrauch.**

## *SCHOLIUM.*

SCalpellum, quo sinistrè usus est Balneator, nostratibus communiter dicitur **eine Flitte** / frequentissimè olim in universâ Germaniâ, & hodie in quibusdam locis, propter vanam securitatis melioris persuasionem, usitatum, idemque depingitur à Botallo in Tr. de modo incidendæ Venæ p. 94. ac verbis describitur sequentibus pag. 87. Autoris ἐπίκεισιν simul continentibus. Scalpellum aciem habet ad imum spectantem & manubrium, quod inter indicem & pollicem ministræ manus, dum pulsanda vena est prehenditur, & accommodata acie obliquo modo super locum venæ eminentiorem, dorsum ejus vel pollice illiditur, vel adverso medio vel indice digito talitro introrsò pulsatur. Quod instrumenti genus & utendi ratio non admodum approbanda sunt: eò quòd in ejus usu fallacia multa sit, & periculum non exiguum feriendi nervi, aut tendinis aut arteriæ, si venis tundendis hæreant; propterea quòd ad unguem nulla repentina impulsio moderari possit.

OBSER-

## OBSERVATIO XXVII.
## D. JOH. MAURIT. HOFFMANNI.
*De*
# Sudore sub axillis miniato.

NObilissimus Vir Juvenis paucis abhinc annis in nostrâ Palæcome strenuus Themidis Cultor, floridâ facie & succi pleno corpore gavisus, quotiescunque exercitio corporis paulo vehementiori indulserat, sudorem sub axillis profluentem habuit indusium colore, minium exactissimè æmulante, tingentem; Cujus ratio ex particulis sulphureis sive oleosis chylosi sanguinis exaltatis à calore excitatiori colliquatis ac cum salinis in latice confusis fortean peti poterit.

*Confer. Observ. 34. Anni præcedentis.*

## OBSERVATIO XXVIII.
## D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.
*De*
# Liquoribus per Alembicum coloratis destillandis.

CUriosa certè est, quam de hoc negotio ante aliquot annos conscripsit *Nobiliss. D. D. Elsholzius*, dissertatio. Materiam enim si spectes, planè singularis est, atque à superioris ævi Scriptoribus in transitu velut notata. Experimenta, quæ partim ex proprio penu, partim ex aliorum scriniis petita congessit, pariter sunt egregia. Habemus, verbo, hîc, in quo unicè possemus acquiescere. Lubet tamen, id quod cum venia *Cl. Autoris* fiet, spero, velut additamenti loco pauca quædam, quæ vel propria suggessit experientia, vel autorum mihi contulit lectio, annectere.

Notandum hîc existimamus, liquores quosdam per se sine additione coloratos alemb. transcendere; alios verò tantùm per additionem alcalium, unde Sulph. illorum magis solvitur, atque alas quasi acquirendo sursum tendere gestit.

An *nova* hæc sit doctrina, novaque inter inventa numerari debeat, hîc non otiosè quæri posset? Antiquis etiam fuisse cognitam, licet minùs curatam, sequentia possent evincere. Ut cum liquoris destillandi odore & sapore simul etiam prodeat *color*, *Müllerus Miracul. Chim. c. 2. p. m. 80. l. 2.* geminam docet methodum. *Prior* est, ℞. herb. q. v. contusæ affunde menstrui proprii, vel alterius triplum, pone in cucurbita cum cœco alemb. bulliant in cineribus ad consumtionem mediæ, materiam exime, exprime, expressam inde Cucurbitæ angusti colli cum alemb. habente fundum vitro assurgentem. Clausis juncturis, & impletâ cucurbitâ ad dimidium pone in cinere, vel arena per gradus caloris, donec bulliant. Tunc apparebit materia per halitus adscendere, & rursùs roris modo descendere. Intereà murmura & strepitus audiuntur, quando scil. datur halitibus per juncturas egressus. Descensus ille & ascensus vaporum durabit, donec in apice assurgentis fundi videris *guttas* decidere *coloratas* &c. *Posterior* ita habet, ℞. herbam vel florem, q. v. contusum, inde cucurbitæ in MB positæ cum alemb. rostrato, inter recipientem sit intermedia fistula ventricosâ, cujus venter flore istius herbæ sit repletus, per quem transiens aqua secum *colorem* floris assumat. *Hactenus ille*.

Sic *aqua mellis*, (quam veteri cuidam MSS. debeo) *aurea* impetrari potest ita: ℞. silicum calcin. ℔ß. mellis opt. ℔vj. indantur cucurbitæ satis amplæ; ita ut in illa tantum vacui relinquatur, quô quintâ solùm parte impleatur. Cucurbita optimè lutô incrustetur, & in arena exiguo inferius igni admotô, eô paulatim vehementiore factô instituatur destillatio. Prima aqua quæ exit, erit *alba*, auctiore mox igni *flava*, & tandem

dem *rubra.* Omnes aquæ destillatæ unico vase recipiantur, & ubi pars crassior ad fundum vasis, in quo servantur, descenderit, perspicuaque aqua evaserit, iterùm fiat destillatio, eaq; quinquies repetatur; ita liquor acquiret *colorem aureum*, amissô rubicundô. *Vid. quoque Elsholz. dest. cur. c. 5. p. m. 22.* de hac aqua differentem.

Fioravanta **Cron der Artzeney** *lib. 3. c. 88.* liquoris meminit ex aloes epaticæ & nitri æqualibus partibus quas benè jubet terere, & commiscere ad separationis impossibilitatem. Hinc per Alembic. destillat liquorem, quô cuncta possunt deaurari.

Legitur etiam modus Quint. Essentias vegetabilium *colore*, odore saporeque proprio per destillationem impetrandi in *thes. Chim. Gerhardi 1595.* Tubingæ conscriptis *p. m. 23.* scilicet, herba contusa in cucurbita benè clausa sub fimo equino putrescere permittitur, posteà per Alemb. destillatur, iterum in fimo per octo dies & noctes ponitur, ulterius destillatur, & hoc repetitur aliquoties; postmodùm aqua per Mariæ Balneum abstrahitur, & Quint. Essentia in fundo remanens per torcular exprimitur, per quinque dies in fimo digeritur, quô factô prodit Essentia *colore*, odore & sapore plantæ perfecta.

Judicium de hisce liquoribus coloratis *D. Weidneri, P. P. Francofurti ad Viadrum* olim clarissimi, *disput. d. Spagyr. med. præp. 1617.* ibidem habitâ, est; præstantiores quidem esse aliis hasce aquas, sed minimè durabiliores.

Nostra si desideretur hanc in rem experientia, en! observare licuit in *cerefolio*, factâ scilicet ejusdem cum spiritu vini per aliquot dies maceratione, post destillationem liquorem primò *lacteum*, gratissimi odoris saporisque proprii; posteà verò factâ ejusdem in *viridiusculum* mutatione.

Affudi aliquando *serpyllo* contuso spiritum vini, & destillavi per cucurbitam humilem, sic spiritus surrexit *viridiusculus*,

gratique odoris. Alium ex cucurbita altiori cùm destillarem, liquor non ampliùs viridis, sed *albicans* prodiit.

Pariter *flor. centaurii minoris* in putrefactionem aliquandiu positi exhibuerunt *spiritum aurei coloris ad rubedinem aliquam vergentis*, saporis acerrimi, & odoris urinosi ob sal. vol. copiosi præsentiam.

Sed hæc de *vegetabilium liquoribus* sunto hactenus dicta, quæ ob sulphur. non ita fixum, magisque solubile, præviâ putrefactione facilius colorata adscendunt; secus ac in mineralibus fieri assolet, quippè quæ opus habent additione salium suscitativorum, aliisque prætereà indigent adminiculis.

Sic *Tinctura Auro* preciosissima, quam veteri cuidam MSS. debemus, per Alembic. duci potest, si Auro singulariter calcinato affundas spiritum quendam Mercurialem, eundem rursus abstrahas, crocum exsicces, spiritum denuò affundas, hocque septies repetas, hinc crocum hunc instar butyri factum per cucurbitam cum Alembico peculiariter fabrefacto destilles; unde *guttæ sanguineæ Alembici transcendent aurataque*, in substantiam pristinam minimè reducendæ.

Consimiliter *crocus Martis ex Vitriolo Martis paratus* beneficii hujus menstrui in *tincturam rubicundissimam* per Alembic. quoque evehendam separari sustinet.

De *Tinctura Antimonii* per Alembic. ducenda *Hartmannus in not. MSS. ad Beguini Tyrocin. Chim. c. 12. B. D. Hagendornio* ab amico quodam 1619. Lipsiæ communicatis, profitetur, Tincturam Antimonii cum aceto radicato paratam, & cum spiritu vini postmodum extractam, singulari encheiresi posse per Alembic. quoque vehi.

Circa *liquorem Boylæi* ex Sulphure, Sale Armon. & calce vivâ, à *Dygbæo experim. med. germ. p. m. 160.* itemque à *D. D. Elsholzio destill. cur. p. m. 21.* quoque descriptum, nec *Beguino sub nomine Olei Sulph. p. m. 92.* incognitum, sequentia annotavi. Sumsi Sulphur & Sal Armon. aa. ℥v. Calc. viv. ℥vj. pulverata mistaque destillavi per Alembicum, unde surrexit spiritus urino-

urinosus, flavescens &c. Remanentiæ posteà affudi lixivium ex cap. mort. spiritûs salis Armoniaci factum, & fortiori igne pellendo prodibat liquor iterum urinosus, primò cæruleus, sulphureique odoris, & postquam per aliquot dies stetisset, mutabatur *cæruleus in lactiformem* liquorem, qui tamen ex mente Autorum modò allegatorum rubicundus esse debuisset. *Obiter* nota; hic spiritus non multum quoque differre videtur ab illo, quem *Glauberus furn. phil. part. 2. p. m. 145.* ex sulphur. communi, vel Antimonio crudo, cum affusione lixivii salis tartari, & spir. sal. armon. describit, inque affectibus pectoris commendat.

## OBSERVATIO XXIX.
## D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.
### *De*
# Variis colorum phænomenis.

PErcolabam superioribus annis *acetum caryophyllorum hortensium* per linteum, huic exsiccato linteo & tincturâ purpurascente adhuc prægnanti casu quodam affudi lixivium ex cineribus centaurii min. factum, unde in momento, colore lintei rubicundo evanescente, mutabatur in viridiusculum. Huic linteo viridi tincturâ imprægnato iterùm affudi acetum caryophyllorum & color purpureus redibat pristinus.

Essentiam nitri paraturus olim sequens animadverti phænomenon. Nitro probè contuso & subtilissimè pulverato affudi Spirit. Vini alcolisatum, factâ solutione colaturam filtravi, quam per aliquot hebdomadas super fornace digessi, unde apparuit *liquor cæruleus* amabilissimi saporis odorisque, *polychrestum in febribus* non contemnendum.

Si cum decocto calcis vivæ (pro impuritatibus cutaneis amoliendis) misceas Mercur. dulcem, saccharum Saturni, & aquam

aquam rosarum, licet omnia ritè fuerint præparata, videbis *sedimentum* deponi *nigricans.*

*Liquor lacteus* prodibit, si oleum Salis optimum misceas cum floribus Sulphuris, ut fiat quasi pulticula, eandemque posteà per Retortam destilles; in *hydrope* euporiston.

Affunde limaturæ Mart. spirit. Nitri p. ij. Vitriol. p. j. & experieris *liquorem* futurum esse *viridiusculum*, circa vitri latera viscosum, & in circulo folia instar Auri lamellati splendentia passim præsentantem.

Tincturæ bezoarticæ cum flor. papav. errat. paratæ, si spiritum Salis Armoniaci admisceas, illicò liquor consurget *niger & atramentosus.*

## OBSERVATIO XXX.


## D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.

### *De*

# Admirandis Salium figuris.

NOn mens est jam dicere de *formis salium naturalium* quippè quæ totâ die variæ mirandæque faciei apparent investigantibus. Videas enim alibi in cellis, pariter & puteis, quod novi, ex interstitiis saxorum luxuriantes protuberare conos; alibi alia observare licet salium phænomena. *Artificialium* si spectes salium figuras, certè & illæ sunt elegantissimæ. Argumento esse posset *Salis absinthii* figurâ crucis Patavii olim sibi monstratum, cujus meminit Excellentissimus *D. D. Major*, Fautor & Collega noster pl. honorandus *in Ephem. Cur. Germ. Ann. 3. Observ. 240.* Non multum ab hac abludit, quæ sequitur historia: Seposui post destillationem spiritus salis armoniaci ex sale Sulphuris & armoniaci ut artis est, parati, caput mortuum pro decantatissimo illo sale hypochondriaco inde eliciendo. Cui, ut elegantius evaderet, affudi aquam calidam, facta-

factaque solutione idipsum filtravi, liquorem particulis salinis turgidum in frigido per aliquot dies detinui, hinc in mediis undis apparuêrunt figuræ satis mirandæ: Nempe in fundo vitri, quod erat **ein Zuckerglas** / posita cernebantur grana satis multa salina variorum angulorum, ex quibus adscendebant columnæ, seu trabeculæ numero etiam plures ad dimidium vitri partim lineis rectis, partim obliquis, assurgentes, super his operculum instar pavimenti vidisses salinum, omnia tantæ firmitatis, ut concussô licet vitrô, non frangerentur, diu, decantatâ licet ab iis aquâ, jucundô spectaculô sic perseverantia. Ex quibus columnis per quadriennium & ultra quasdam adhuc integras asservo. Plura ex subdita Fig. habebis.




A. Vitrum latioris orificii.
B. Operculum Salinum.
C. Trabeculæ lineis rectis & obliquis assurgentes.
D. Grana salina variæ figuræ.

## OBSERVATIO XXXI
## D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.
*De*
# Palingenesia.

ANimus olim erat Spirit. Vini præparare, omnibus quoque ad negotium hocce, ut decet, ritè adornatis, præterquam quòd liquor Vulcano committeretur. Avocatus autem præter spem ab ægrotante quodam iter peregrè faciendi causâ cucurbitam vinô repletam in arena quiescere sivi sine igne subdito. Priusquam verò domum redirem, frigus atrocissimum inopinatò ingruens vinum in destillatorio congelascere fecit. Hinc domum redux factus, & Spirit. vini destillaturus vidi vinum congelatum per totum simul *dispersis ramusculis cum foliis albicantibus vitem præsentantibus*, quod phænomenon & mecum domestici tunc viderunt, per ignem tamen subditum iterùm evanescere.

## SCHOLIUM.

SAl juxta Chimicos est volatile & fixum. Utrumque est habitaculum materiæ & formæ tanquam principiorum essentialium in corporis cujusvis compositione & resolutione præsentium. Volatile primum formæ characterem imprimit materiæ, fixum materiam charactere donatam formæ, ulteriùs elaborat & perficit, ultimam materiæ præbendo formam. Doctrina hæc salium clarissima nobis inter omnia regna naturalia redditur in regno vegetabili, utpote nostris sensibus cùm ubique eisdem occurrat in campo proximiore, & in quo magis versamur ob alimentorum victus gratia nobis suppeditandorum inde copiam. Hîc enim apertè conspicitur, quanta sit per hæc salia spagyricè præparata,

rata, Naturæ, & Chimiæ ejus simiæ potentia, quam per experientiam seq. nobis usualem & probatam asseveramus:

Recipe semen Herbæ cujuscunque vis, illud in mortario contunde, in cucurbitam suppositis eidem cineribus impone, per se fermenta, exprime, filtra, cohoba, putrefac tamdiu, donec color appareat Herbæ ipsius; filtra, digere per se in cucurbita, donec omnes feces subsideant, & succus clarissimus colore Herbæ in conspectum prodeat. Phlegma per cucurbitam in Mariæ Balneo positam abstrahe, manet in fundo Herbæ sulphur proprium, quod seorsim serva. Separa phlegma & igneum spiritum, serva quodvis seorsim. Feces omnes residuas calcina igne lentô, sal volatile cum suo phlegmate extrahe, separa iterum phlegma. Residuas feces calcina usque dum colore cinericio appareant, sal fixum cum suo phlegmate extrahe, illud aliquoties filtratum & coagulatum fit candidum & purum. Conjunge spiritum & sulphur, dissolve ea cum spiritu igneo. Si deinde addatur phlegma, vel quodvis sal in aqua solvatur, solvatur quoque sulphur, postea lentè coaguletur, omnia 3. principia hypostatica sive essentialia Chimica Herbæ conjuncta erunt. Hæc impone in commoda cucurbitula, adde peculiarem aq. ex rore marino vel aq. ejus herbæ propriam cum spiritu vini affuso acquisitam, luta sigillo hermetico, super lentum calorem digestionis tene, ascendet Herba cum suo flore penitùs, ut cognoscatur qualis sit à natura producta. Non est dubium quin hic processus possit in compendium redigi melioris cognitionis & minoris laboris gratiâ, cui quoque studebo, dum adhuc de resuscitatione in genere & specie vegetabil. animal mineralium meteorologicorum dissèrere mihi & Collegio Curiosorum inserenda mittere alio tempore commodiori constitutum est, ubi tum unâ (ut dicere amant) fideliâ duos parietes dealbabo. Qui verò desiderio capitur Auctores legendi scribentes de resuscitatione Vegetabilium ex sale Chimico, consulat inter alios (auctoritates enim & suffragia pondera-

ri non numerari debent, cùm ſpectent ad ultimum Dialecticorum probandi locum, indeque tantùm Opinio intellectui legentis non Scientia conciliatur) ſequentes: Roſenbergium in Rhodologia p. m. 395. Spontanum Tract. de pulvere viperino; Libavium in ſyntagmate. lib. 1. c. 22. Kircherum de Magnete p. m. 628. Schröderum in pharmacop. medico-Chim. l. 5. p. 1. & ſeq. Joſephum Quercetanum in Tetrade cap. 39. Robertum Fludd ſ. de fluctibus in ſuis ſcriptis, Kenelmum Digby, Baronem Anglicum in diſſertatione de rerum vegetatione, Joan. Chryſoſtomum Magneum in Tr. edito, cui Tit. Democritus reviviſcens ſ. de Atomis, Papiæ Anno 1646. 4. p. m. 110. 111. ubi ex hiſtoria ſalium reſuſcitationis, probat Atomos eſſe univerſalia omnium rerum naturalium principia, Jacobum Gafarellum in curioſitatibus inauditis, Paracelſum lib. de natura rerum 6. cui Titulus; de reſuſcitatione rerum naturalium, Beguinum tyrocinio Chimic. lib. 2. c. 1. Borellum in centuria 4. c. 64. hiſtor. & obſerv. rariar. medico-phyſicarum, Billichium in Theſſalo redivivo c. 7. Helmontium in ſcripto libro; diſpenſatorium modernum Text. 13. &c. [*D. Joh. Blumig. Med. Thorunenſis.*]

Curioſa hæc plantarum reſuſcitatio apud multos exiguam meretur fidem, quin imò præfractè negantem ipſam Quercetano viſam experientiam Freitagium caſtigat Tackius, *myſterio reſurr. rerum p. m. 43.* & Sennert. *de conſenſu & diſſenſu Chimicorum c. 10. in fine p. m. 263.* inquiens: *Si Chimiæ oſores, & ἐκ βίβλυ κυβερνῆται manum ipſi operibus chimicis admoverent, viderent procul dubio multa, quæ jam non credunt.*

Obſtabit quis: Rem dici, non probari, juxta illud:

*Dico ego; tu dicis; ſed denique dicit & ille;*
*Dictaq; poſt toties nil niſi dicta vides.*

Reſpondet, *Excellentiſſimus Dominus Georgius Francus, Procancellarius & Profeſſor Heidelbergenſis in ſuâ Florâ Francicâ elegantiſſimo typo Argentorati Anno 1685. editâ,* non eſſe verba nuda, ſed hiſtorias veras, verbis quidem traditas: Scire ſe cum

cum Hippocrate l. *π. τέχνης* f. m. 3. *ἄλογον τῶν ἐόντων τὶ ἡγεῖσθαι μὴ ἐόν*: *Absurdum esse, quod non sit, esse putare.* Sed æquè *ἄλογον* est, quod est, non esse putare. Inferat quis, pauca esse exempla & rara: Sed hæc tamen rem non planè denegant, utut plura hactenus fuerint producta. Regeritur: hæc legi, non videri!

*Quia Tu, aut ego non vidimus, idcircò rem negari non posse,* scribit, *Ebnsina apud Deusing. in vindiciis fœtûs extra uterum geniti, sect. 7. p. m. 150.* Dicis: sed ego tentavi, & frustra semper. En *πολυθρύλλητον*, Duo cum faciunt idem, non est idem. Reponis: nil solidi ejusmodi resuscitatæ subesse plantæ. Sed nec illud sibi postulant semper omnes. Ita Dygbi vocat semper idem plantæ suæ æmulam. Tackius p. 42. esse umbraticam. Gregor. Michel p. 252. seq. esse saltem speciem aut formam accidentariam, Higmorus f. 105. spirituales plantas, Otto Tachenius in Hippocr. Chimic. c. 20. p. m. 158. spiritualem repræsentationem vel regenerationem, & p. 165. umbratilem. Adeò saltem quæritant *τὸ σωματὸν* aliquale; ut è mortuis quasi plantis subtiliorem quandam earum resurrectionem futuræ nostræ perfectissimæ per DEI Omnipotentiam prodromum repræsentare valeant. Quod in tantâ quoque exemplorum copiâ, Auctorumque non levium testimonio, sine impudentiæ maculâ vix negari poterit.

Eat nunc, *pergit idem Nobilissimus Author*, meque errare dicat. (*Errare me, sed cum illis sinas.*) Isti respondebo cum Plinio *l. V. H. N. c. 3. quorum non seria modò, verùm etiam lusus exprimere laudabile est.* Nim. nondum veritatis puteus adeò exhaustus est, quin semper invenies, quo tuam restinguas sitim, Natura gazas suas non simul & semel aperit: nec ulli post mille secula occludetur occasio aliquid adjiciendi. Senec. *epist. 64 seq.* Scil. juxta eundem, *Natural. quæstion. l. 7. c. 25. Veniet tempus, quo ista, quæ nunc latent in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia.* Dicto igitur simus audientes, quod Summus noster Hippocr. l. *π. ἀρχαίης ἰητρικῆς.* f. 9. *At verò in Medici-*

*nâ jam pridem omnia subsistunt, in eaq; principium & via inventa. Et reliqua deinceps invenientur, si quis probè comparatus fuerit, ut ex inventorum cognitione ad ipsorum investigationem feratur.* Hanc non ad umbratilem plantarum emortuarum resurrectionem saltem oculis usurpandam, sed ad veram, solidam, corpoream atque integerrimam: ideò in speculo ejus imaginem hoc discursu contemplandam obtulit supralaudatus, D. Author, apud quem multò plura curiosa, dicto in loco invenire cuivis licebit.

## *Additamentum.*

*Et levis est cespes, qui probat esse DEUM,*

Testante Poëtâ; nec minùs homo, qui ad imaginem creatus est divinam, qui quoque plantam æmulatur, sui ortûs ratione & interitûs. Ex quâvis siquidem herba norunt pharmacopœi elicere plurima artis suæ specimina; sufficientem cujuslibet, licet notissimæ earundem quantitatem, sive sit Rorismarini, Majoranæ, vel alius cujusdam seligunt, conscindunt, contundunt, leni calore digerunt, in balneo blando calore ab eâ cum spiritu aquam separant; reiterando cum recenti massâ contusâ, cui superaffundunt extractum liquorem, reddere illam destillatam conantur magis virtuosam. Remanentiam Retortæ committunt, oleum vi flammæ vehementioris inde elicituri; relictum sic caput mortuum à cineribus fatuis cum suâ aquâ à sale inibi contento liberant & impetrant.

Ex quinque quis constare quamlibet plantam crediderit elementis, qui aquam ex dictâ plantâ destillatione extractam cum spiritu, oleum & salem cum futili terrâ sive cinere seorsim considerare cœperit. Mundatæ si reddideris terræ dephlegmatum spiritum suum, cum oleo suâ impuritate immuni, secundùm eam, quæ convenit, artem, *Quinta* inde herbæ illius emerget *Essentia*, ab omnibus secreta feculentiis, odoris hybleam reddens suavitatem, saporemque penetrantissimum, & virtutem explicans immensam, cujus paucæ prævalebunt

lebunt guttulæ plusquam aliquot virescentis herbæ manipuli. Hæc *Essentia* quasi inviolabilis, ritè si fuerit custodita, perpetuò in formâ durabit liquoris, non nisi vel naribus, vel linguâ perceptibilis.

Physica hæc herbæ cujusdam præparatio intereuntis tandem, rursusque ingenti cùm gloriâ resurgentis corporis humani egregia videtur esse idea; terrenam illius glebam elementarem in cineres prorsus versam, tandemque ab omnibus sordibus mirè depuratam, plusquam cristallino splendenti nitore animæ, suoque spiritui vitali corusco redditam, indicibili fulgore radiantem considerando. Clarificatum hoc corpus, & ab omni deinceps corruptione liberum quasi *Quinta* quædam *Essentia* tunc omnem fugiet intuitum, nec amplius intrabit in sensus, oculis sese auribusque penitùs subducens, vix mente concipi potest; limites quippe naturæ supergressâ, cœlestibus deinde fruitur gaudiis.

[*Helianthus.*]

## OBSERVATIO XXXII.

## D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.

*De*

# Oleo conulorum Pini destillato.

QUibus in Medicina virtutibus se commendet *Pinus* arbor scorbutica Belgis jam olim dicta, puto esse notissimum. Nec prolixiori opus erit catalogo recensere, quæ inde parari assolent pharmaca. Præstitit id ante annos non ita multos notissimus ille *Crügnerus* **im Chymischen Tannenbaum.** Ita ex eodem aliisque obvius quoque erit modus destillandi oleum, quod optimæ censetur notæ, si colore aureo alembicum transcendat, si odore gratioso nares feriat, si sapore oleoso-acri linguam afficiat.

ciat. Licet & illud, colore viridiusculo quod se spectandum præbet, non minorum sit virium.

Quantas in *arthritide vaga* inter exhibitionem quoque internorum exserat vires, non semel summâ cum admiratione observavi. Miscui idipsum quandoque cum spiritu lumbricorum terrest. & formicarum, mandavique, ut jam dolore sæviente (ubi anti-arthritica externè citius & certius operantur) id crebrius illinerent, cessante verò dolore ab eodem quoque cessarent. In *stupore, paralysi*, &c. misceo cum vino adusto, membrisque affectis calidè frequenterque affricare jubeo, magno sanè cum emolumento. In *dolore ischiatico*, itemque *nephritico* externè utramque fecit paginam. In *ascite cum quartana* præmissis universalibus internè ad guttulas aliquot quotidiè ex cerevisia calida exhibitum juvenem pro desperato habitum restituit. Sic in *dolore colico* præmisso clystere cum aliis remistum multum tulit levaminis. Hinc persuasus omninò sum, & in aliis affectibus, ubi salia vol. oleosa locum habent, non sine egregii spe successus idem posse propinari. Tantâ enim ut *hæc obiter addam*, si rectè fuerit præparatum, pollet acredine, ut cuticulæ præprimis colli illitum molestissimum inferat pruritum, quod cuidam ante triennium ex improviso accidit, juranti se geminum inde pruritum sensisse illi, qualis vel ex alumine plumoso, vel arillis cynosbati, joci causâ collo interdum adspergi solitis, subnasci solet.

## OBSERVATIO XXXIII.

## D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.

## *De*

# Singulari odontalgico ex Magmate Olei Pini.

INter sexcenta illa, quæ odontalgiæ dicuntur esse sopiendæ, experimenta, & sequens apponi gestit. Assumito vilissimum

lissimum illud caput mortuum, neglectioni aliàs destinatum, post olei pini destillationem restitans, nigricans, & austeriusculum. Hoc per chartam bibulam, vel linteum subtile colabis, colaturam in arena leniter evaporabis, atque ad consistentiam extracti inspissabis. Exinde sive pilulas, sive trochiscos, prout lubido est, poteris efformare, easque sive solummodò, sive cum pauca farina mistas denti imponere doloroso. Finitô vel quantillô temporis multum lymphæ viscosæ per os rejicies, quasi salivationem administrasses, dolorque sensim sensimque remissior tibi erit. Dissolutâ primâ pilulâ, vel trochiscô, applica alteram tertiamque, & levamentum inde experieris non leve. Loco *superpondii* addo; si quando magma modò dictum, purè colatum cum s.q. aquæ fontanæ miscueris, idque gargarismi loco *in faucium inflammationibus* tepidè usurpaveris, majori debebis ipsi encomia, ac commendatissimo aliàs hoc in affectu nitro.

## OBSERVATIO XXXIV.
## D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.
## *De*
# Araneis.

INclusi ante aliquot annos scatulæ curiositatis ergò araneas duas, albicante in tergo cruce signatas (vulgò Creutz-Spinnen) experientiam facturus, an lapillum istum à multis quidem quæsitum, à paucis tamen, quantum mihi constat, repertum, possem acquirere; an verò peculiarem quandam inde nancisci observationem? Prius fortuna quærenti hac vice denegavit; posterius tamen facilè communicavit. Scilicet, dùm inclusas forte fortuna inspicerem apertâ scatulâ, en! unam ex illis totam vidi consumtam, præter pedes macie exsiccatos hinc inde in scatula jacentes: alteram verò adhuc vitalem, moleque ultra modum tumefactam

observavi. Quam posteriorem iterùm scatulæ mandavi, eventum & hujus imposterùm expectaturus. Post aliquot menses, quæ anteà insigniter, atque ad rupturam fermè tumefacta erat, nunc macie penitùs consumtam, nunc emortuam, totâ compage adhuc sibi constante, sceleton imò præsentantem, vidisses. Quibus à me ita visis, miratus sum, quid causæ subesset, cur una, vivente adhuc alterâ, tota fuerit consumta; itemque cur altera priùs tumefacta post obitum alterius & ipsa tabe morteque fuerit confecta? In mentem autem mox venit, me aliquando legisse, viperas, araneas &c. licet vitro arctissimè fuerint inclusæ, aëris suctu tamen vitam trahere. Verùm cùm scatulæ undique aëre repletæ eædem fuerint commissæ, in hoc rei causam invenire non potui. Igitur opinari placuit, solum aëris suctum ad ipsarum vitam & nutritionem non suffecisse; sed unam ex illis sui nutritionem vitamque affectando alterius succum attraxisse, crebro ejusmodi suctu se ita sustentasse, molemque sic ampliorem inde contraxisse; alteram posteà pabulô nutritionis destitutam periisse. Cur autem altera, priori emortuâ consumtaque, per aliquod tempus supervixerit, macieque tamen & ipsa postmodùm perierit, in causa erit, quia pro ulteriori sui sustentatione aliunde ulterius pabulum acquirere nequivit; sed succo nutritio proprio evanescente, sensim tabe consumta emori necesse habuit.

## OBSERVATIO XXXV.

## D. EHRENFRIDI HAGENDORNII.

*De*

# Esu Cancrorum noxio.

SUnt, qui non levi tenentur fastidio eorum quoque, quæ alioquin aliis in optima cedunt fercula, sive id fiat ex quadam idiosyncrasia; sive ex nauseâ ob frequentiam, & multitudinem quorundam ciborum enatâ.

Novi

Novi ego virum quendam quadragenario majorem, qui ſuperioribus temporibus eſum cancrorum tanto haberet in pretio, tantisque in deliciis; ut ſepoſitis aliis ferculis, licet lautioribus, iisdem vel ſolis delectaretur. Aliquot jam ſunt anni quòd poſt comeſtionem cancrorum ex improviſo ſenſit nauſeam primò, ſequente mox inflatione pectoris, colli capitisque, cum anxietate quadam conjunctâ, efflorescentibus unà maculis rubicundis ſeroſisque per pectus & caput, quæ verò ſymptomata tandem ſudore ſive ſpontaneo, ſive arte factô, ſenſim ceſsârunt. Ab eo tempore, quamvis ne nauſeam quidem inde viſus ſit habere, tamen comedens ſaltim unum vel alterum cancrum, mox in priſtina relabitur ſymptomata, quæ per annos præcedentes aliquoties ipſum mirè exercuêrunt, ut hinc cancrorum eſui penitùs valedicere coactus fuerit.

## OBSERVATIO XXXVI.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

*De*

# Piſcatura Margaritarum apud Inſulam Manaar, non procul à Ceylon ſitam.

INſula hæc Manaar, appendix nobiliſſimæ Ceyloniæ, celebritatem obtinuit ob largum Margaritarum proventum ibi occurrentem, quam ob cauſam Prorex Luſitanus, Conſtantinus Breganca, poſtquam A. 1560. Jafnapatnam nomine Regis Portugalliæ occupaſſet, in dicta Inſula egregium fortalitium extruxit, utque incolæ in Punicale, ſive, uti noſtris audit, Pondekajo, illuc ſe conferrent, juſſit, quò ita Nationes diverſas pro exercenda piſcatura præſtò haberet. Quo verò tempore, & qua ratione margaritarum ibi proventus innotuerit, ignoratur, nec in Luſitanorum Manuſcriptis de eo quidquam notatum reperitur; neque etiam in-

colis loci aliquid conſtat, niſi quòd dudum ante Luſitanorum adventum piſcatura iſta, non ſine magno emolumento nota fuerit. De ortu margaritarum diverſæ ſunt opiniones. Plinius generari eas arbitratur ex rore matutino, qui inſtar ſeminis fœcundi ab Oſtreis illis hiantibus hauriatur, diversâ ejus puritate margaritas etiam puriores impurioresvè efficiente; quæ opinio veriſimilis foret, ſi generatio iſta in litore maris, vel locis, ubi fluctuum marinorum fluxus & refluxus, tantùm fieret, ſed cùm experientia teſtetur, optimas margaritas ex profunditate decem duodecemvè orgyarum depromi, vix comprehendi poteſt, quomodo rorem ibi concipiant; niſi cum Rabbi Benjamin in ſuo Itinerario, de Catipha in Sinu Perſico ſita, dicatur, oſtreas illas certo anni tempore emergere, & aquâ pluviali imprægnatas denuo ad fundum ſe demittere, cui tamen incolæ iſtius loci unanimiter contradicunt, nihil tale, licet continuò in mari verſentur, unquam obſervâſſe ſe teſtantes. Hoc equidem certum eſt, guttas roridas vel pluviales interdum margaritarum inſtar in plano maris natare, usque dum cum ſalſa marina aqua permiſceantur, ſed has ad generationem perlarum quidquam tribuere, aut ad fundum deſcendere, atque ita coagulari, contra naturam eſt & incredibile. Ab incolis verò, quod veritati magis eſt conſentaneum, refertur, pluvioſo tempore cum aquis ibi è terra in mare profuſis multum limoſi muſci effundi, quod inſtar retis in ſuperficie maris extenſum ſuſcipiat rorem, & Solis influxu plurimis oſtreis fœcundetur, quæ ſenſim majores & ponderoſiores redditæ, hoc pondere ſuo totum illud rete in fundum præcipitent, ubi quinque vel ſex annorum ſpatio margaritas largiantur. Conferre autem aliquid generationi perlarum aquoſas iſtas inundationes, inter antiquos Arabs *Alkarinnius* aliique teſtantur. Imò certum eſt, oſtreas, puriſſimi hujus fœtus marini matres, utplurimum in fundo arenoſo, fibrillis quibusdam viridibus & viſcido muſco invicem colligari, atque ſeparatas ab eo citò emori, non levi docu-

documento, muſcum illum nutritioni & propagationi earum haud parum contribuere. Quod licet ita ſe habeat, dici tamen propterea nequit, rorem cum rete demiſſum ad generationem iſtarum aliquid conferre; Unde arbitror, adſentiendum eſſe illis, qui margaritarum ortum cum aliorum calculorum in homine vel brutis generatione coincidere ſtatuunt, qui variis in locis ex terreſtri, limoſa & ſalſa materia orti tandem coagulantur; margaritis quippe in magnitudine ſenſim creſcentibus, non ſecus ac lapis bezoar ex cruſtis paulatim coagulatur. Interdum ipſis ſuis conchis adcreſcunt tantâ mole, ut claudi hæ ampliùs nequeant, ſicque emoriantur; qualem in Promontorio Bonæ Spei inveni, margaritâ in pondere unciam unam æquante, ſed cùm eam ſeparâſſem, inſtar dentis eroſi, excavatâ deprehensâ. Variis caſibus ſunt obnoxiæ, ut ita quandoque per plurimos annos piſcaturam intermittere neceſſe ſit; quod fit aut morbo eas invadente, quo ante plenarium augmentum emoriuntur, aut algâ copioſiore ſimilibusvè, quibus certæ conchæ, iis nocivæ, adnaſcuntur, easdem obtegente, aut graviori tempeſtate arenam ſuper eas cumulante ac ſuffocante, quale quid Anno 1678, factum eſt; prout viciſſim bonum ſignum putatur, ſi quædam ſpecies acutorum cornuum, in magna copia litora Manaarenſia occupantium, iisdem ſupercreſcat, quæ oſtreis firmiter adnata erinacei figuram repræſentant, unde prædictæ conchæ nocere iis ampliùs nequeunt. Modus easdem ex fundo depromendi ſatis notus eſt; quare tangam ſaltem, quomodo jam adquiſitæ ulteriùs tractentur; quæ nempe in terram defodiuntur, ut ibi putreſcant, non ſine ingenti fœtore; quo tempore magna & moleſta admodum muſcarum copia ipſis adeſt; tum aquæ injectæ lavantur & ſiccantur, inque pelvim foraminibus diverſæ magnitudinis pertuſam conjectæ, parvæ à majoribus ſegregantur. Non tantùm mole, & claritate, ſed atque figurâ & colore differunt; præter albas enim, flavæ quoque, nigræ, lividæ, virides & rubræ inveniuntur, quæ utplurimum Mauris

& Ethnicis, à quibus magis æſtimantur, relinquuntur. Piſcatura hæc potiſſimùm 21. dierum ſpatio ab aliquot centum hominibus peragitur, qui, finito labore, diſperſi ad ſua domicilia revertuntur.

## SCHOLIUM.

NOn abs re fore arbitror, ſi modo huic in India Orientali circa Margaritarum piſcaturam uſitato quædam ex *Gualt. Schulzii Harlemenſis Itinerar. lib. 2. c. 8.* ſubjunxero: Indos nempe, poſtquam tempus piſcationis hujus ipſis innotuit, undique ad deſtinatum locum cum uxoribus & liberis, naviculisque in maxima copia convenire, ita ut tota illa regio hominibus & tentoriis tegatur; hos itaque, ſpongiâ oleo imbutâ & brachio alligatâ inſtructos, quam nempe reſpiraturi ſub aqua ori naribusque admoveant, dato ſigno, mari ſe committere, & arreptâ ſportâ, cui lapis triginta librarum pondere adnexus, in fune ſe demergere in profundum mare, ferroque commodo oſtreas in fundo tenaciter hærentes auferre, quibus ubi ſportam impleverint, dato per funem ſigno, mox ex mari extrahi: Oſtreas dein arenæ imponi, usque dum Sole irradiatæ putreſcere incipiant, ſeque pandant: Pluribus hominibus piſcaturam hanc eſſe exitialem, quosdam canibus marinis, qui Hayarum nomine noti ſunt, deglutientibus, aliis in aqua ſuffocatis, aut etiam putreſcentium oſtrearum à fœtore mortem ſubeuntibus. Diutiſſimum tempus, quo piſcatores hi ſub aqua durare poſſunt, eſſe circiter horæ quadrantem, ex *Actis Erudit. Anglic. Num. 43. Obſ. 2.* conſtat. Quamvis autem nobiles hi Indiæ orientalis fœtus ſint præſtantiſſimi, Perſicæ tamen margaritæ, quæ apud Inſulam Baharam, & oppoſita ei ora maritima Arabiæ felicis obtinentur, omnibus præferuntur. Ipſas oſtreas earum matres eſſe duras & eſui ingratas, *Phil. Baldæus*, in *deſcript. Malabar. & Coromand, c. 22.* nec non laudata *Acta Anglica Num. 23. Obſ. 8.* referunt. Quod etiam de Sileſiacarum concharum

rum margaritigenarum carne, quam nempe habeant mucilaginosam, lubricam, mollem, odoremque ferinum & ingratum, *Casp. Schvvenckfeld* in *theriotroph. Siles.* notat; quamvis de Mytulis Balthici maris referat *Steph. à Schönefelde* in *ichthyolog.* saporis non esse ingrati, ut crudas etiam aliqui devorent. Non equidem nescio, ratione loci & naturæ ipsorum testaceorum animalium, haud exiguam hic dari differentiam; judicium tamen hoc à palati diversitate, & degustantium imaginatione non parùm dependere quandoque posse, unà vix negandum erit; cùm alioquin omnia hæc testacea *carnem*, ut cum *Seneca*, de ostreis *epist. 95.* sic judicante, loquar, *inertissimam* contineant, quæ revera, si conditura desit, tam gratum edulium, quale luxuriosa gula esse arbitratur, viscosâ suâ & durâ substantiâ haudquaquam suppeditant. Cæterùm in Sinica provincia Quantung piscem quatuor oculis & sex pedibus instructum dari scribit *Joh. Neuhofius cap. 16. descript. regni Sinic.* ex quibus itidem margaritæ habeantur, quas tamen rectiùs unà cum ipsis ostreis fuisse deglutitas arbitratur; quem etiam piscem in Insula Ainan margaritas evomere, in *Historia secundæ Legationis Batavorum in Sinam* memoratur. Alia tamen non minùs testaceorum genera quòd nobilia hæc corpuscula suppeditent, certum est; quod de Balthici maris, & Silesiacis mytulis modò dictum fuit. De Norvegicis & Scanicis *Ol. Wormius lib. 1. cap. 19.* testatur, præter ostreas in mytulis etiam ibidem reperiri. De Vinariensibus *noster Exc. Helianthus* agit *Dec. I. Ephem. nostrar. Ann. 2. obs. 228.* De Augustanis *Georg. Hier. Welschius d. l. Ann. 3. obs. 36.* De Lunæburgensibus Ristius in Colloq. menstr. M. Junio. De Bohemicis *Anshelmus Boëtius de lapid. & gemm. lib. 2. cap. 37.* De Bavaricis *D. Casp. Bierlingius Advers. med. cur. cap. 100.* & inprimis in singulari libello *Malachias Geigerus*; De Voigtlandicis *Guern. Rolfincius diss. de margarit.* De Anglicis *Guil. Cambdeus in hist. Britann.* ac de Lapponicis *Joh. Schefferus tr. de Lappon. cap. 33.*

Quæ

Quæ diversarum regionum margaritæ licet utplurimum orientalibus cedere cogantur, interdum tamen candore, nitore & rotunditate palmam iis dubiam reddere valent. De generatione earum nondum inter Eruditos res omninò decisa est; naturale verò quid haud esse, sive id partem aliquam animalis testacei, sive excrementum juxta consuetum naturæ ordinem generatum dicere velimus, ex hoc satis constare puto, quòd non omnibus sive ostreis sive mytulis, licet ejusdem generis & in eodem aquæ tractu degentibus, insint; unde præternaturale quid in eis exsistere, atque ex abundantia aut stagnatione in aliqua corporis parte humoris nutritii, tum ipsius animalis sustentationi tum testæ generationi & augmento aliàs dicati, hîc verò in ipso animalis corpusculo (non secus ac, quod alii jamdudum notarunt, lapis bezoar concrescere solet; prout etiam in eis, ad modum dicti lapidis, pro lamellarum, ex quibus successivè concrescunt, fundamento aliud aliquod corpus inservire, notatum est; quale nigrum & grano piperis simile deprehendit *Nicol. Steno*, ceu in *prodromo dissertationis de Solido intra solidum* testatur; & egomet quoque Passavicarum una itidem nigricans irregulare corpus, in alia verò arenulam inveni,) coagulati provenire verisimile est. Neque id quidquam nobilitati & summæ, quæ eis tribuitur, utilitati, quod nonnullis visum fuit, derogare valet, cùm Zibethum, Moschum excrementa esse, equinum, bezoardicum & Malacensem porcinum lapidem &c. præter naturæ intentionem generari, & tamen omnia hæc magnis pollere virtutibus, sit certissimum. Quamvis non immeritò dubitetur, utrùm deprædicata illa cor confortandi virtus perlis adscribi singulariter mereatur, & non potiùs illâ tantùm ratione conveniant, quâ alia ejusmodi corpora, ex gelatinoso succo conflata, qualem & cornu cervinum suppeditat; unde etiam à plurimis hucusque ipsam concham margaritiferam haud inferioribus pollere virtutibus, non sine ratione fuit creditum.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

*Videantur cap. 20. 21. lib. 2. Joh. Bapt. Tavernieri, itinerarii Indici.*

Non

Non prætereunda hîc ſunt, quæ olim Joh. Aurel. Augurellus de ortu & captura Margaritarum, in ſuo de Chryſopœiâ libro tertio verſ. 209. ex mente veterum eleganter ſcripſit:

*Quod ſi quando ſequens rerum pulcherrima, quoddam*
*Egregium meditari opus & componere velles;*
*Pulchrum æquè haud quisquam, nec tàm mirabile poſſis*
*Deligere, humanam quod tunc imitêre per artem:*
*Hos adeò circum ludit natura creandas.*
*Seu cum ſe ſummo pandunt in marmore conchæ,*
*Ut genitalis eas anni ſtimulaverit hora,*
*Implenturq; levi conceptu roris hiantes,*
*Et gravidæ certo mox edunt tempore fœtus,*
*Ætheriusq; illis fit condens unio partus:*
*Sive animadvertas, cur non ſe roſcidus unam*
*Inducat in ſpeciem ſimili conceptus ab ortu.*
*Namq; ubi ros purus cupidis influxerit illis,*
*Conſpicitur toto diffuſus corpore candor:*
*Turbidus at fœtum prorſus ſordeſcere cogit:*
*Quem rurſus videas cœlo pallere minante.*
*Quippe illo conſtant, cœliq; his major ineſt vis,*
*Quam maris: hinc variant, & pro lurore viciſſim*
*Nubilus eſt illis color, aut pro luce ſerenus,*
*Dum fovet alba ſenis Tithoni Aurora cubile.*
*Hinc etenim paſci tunc illas cernimus, & cum*
*Se tempeſtivè ſaturent grandeſcere fœtus.*
*Comprimitur verò, ſi fulgurat ipſa repentè*
*Concha pavens, reſtatq; minor jejuna timendo.*
*Verùm, ſi intonuit, pariter compreſſa pavensq;*
*Inflatam vento ſpeciem & ſine corpore gignit:*
*Atque hi concharum verè perhibentur abortus.*
*Nam cute multiplici ſani conſtare feruntur*
*Et penitus ſolido compleri corpore partus*
*Atque ita, quo callum reputes id corporis eſſe*
*Quod ſale permulto ſoleant purgare periti.*

*Id mirum est, cœlo tantùm gaudere sereno:*
*Sole rubere illas, candorem & perdere: & ipsum*
*Custodire, ideò mersas pelago altius atque*
*Se radii valeant usquam contingere Phœbi.*
*Flavescunt tamen, & rugas traxére senecta:*
*Nec constat vigor ille nisi durante juventâ,*
*Quem petimus: sic his etiam longa officit ætas.*
*Hæret & interdum duris vetus unio conchis.*
*Quem neque ab his valeas nisi forti avellere limâ:*
*Quanquam omnis pariter proprio sit in æquore mollis.*
*Exemptus verò durescat protinus idem.*
*At si fortè manum capientis prævidet ipsa*
*Concha, statim oppressa operit sese suasq;*
*Intus opes, se gnara peti violenter ob illas:*
*Atque ita præveniens acie proscindit acutâ*
*Sæpè manum, & pœnas decepto sumit ab hoste.*
*Denique, quod solers summi prudentia vatis*
*Esse apibus circa regem miratur, id ipsum*
*Observare ferunt conchas: ut grandior ævo*
*Imperet, atque alias pastum præcallida ducat.*
*Quæ si fortè capi, namq; hæc urinantibus una*
*Cura est, contingat, palantes protinus omnes*
*Includi reliquas facilè est tùm retibus: atque*
*Incolumi quò major est fiducia rege;*
*Hoc illis capto subit inconstantia major,*
Usque adeò in cunctis ductorem amittere magnum est!
*Præcipua his verò dos est æquissimus orbis*
*Candor item æthereus, tunc limpidus undique lævor*
*Et magno pariter justum sub corpore pondus &c.*

## ADDITIO.

De insigni Margaritarum virtute Cordiali ab antiquis æstimata plurimùm subdubitare licebit. Effectus illos docuisse videtur, si in lipothymia à dolore stomachico suborta præ-

præparatas margaritas ægrotantibus exhibuêre, & illicò dolores remisêre ac sanati sunt. Affectum verò esse ventriculum, & ad animi deliquium usque pati posse experientia testatur, superiore præcipuè illius dolente orificio, quod Veteres Græci, teste Galeno καρδίαν nuncupare ob exquisitum, quo pollet, sensum, fuêre soliti: unde Cardialgia & Cardiogmos hæc passio dicta fuit. Etenim ob vicinos, quibus dotatum est superius orificium, nervos nil adversi tolerare potest, ab acrioribus præcipuè humoribus, tentatum. Hinc Veteres si pulvere quodam, sic dicto præcipitante, vel Margaritarum, aut Coralliorum, ocul. Cancri, Matris perlarum, Corall. præparatorum, & cum qualicunque destill. aquâ exhibitorum acorem illum retudére, subitò opem patienti tulére & sanum effecére. Cor ipsum in sinistro latitare latere antiquitùs censuére, propter pulsationis & motûs frequentiam, ab arteriis ejus regionis ortam, cum dextram venæ, sine qualicunque motu inhabitent: sublato proinde per exiguum pulvisculum immani tali illicò dolore, latas cordi suppetias credidêre, & vim talem cordialem perlis inesse pronunciarunt, quam tamen, citra solutionem philosophicam, exiguam in se virtutem continere magistra rerum experientia docet. *[Helianthus.]*

## OBSERVATIO XXXVII.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM,

*De*

# Angsava.

ARbor hæc est Javæ, quin ipsius Bataviæ urbis incola, succum sanguinis draconis instar elegantem pellucidum destillat. Est proceræ magnitudinis, ligni durioris, foliorum oblongiorum, florum parvorum flavi coloris, amariusculi saporis. Conserva ex iis præparata stomacho apprimè favet; Cortex rubicundus per decoctionem extra-

-ctum largitur adstringens, in Dysenteria valdè proficuum. Utrum hæc vera sit sanguinis, sic dictæ, draconis arbor, in medio relinquo.

## *SCHOLIUM.*

ARbor hæc diversa omninò est ab illa Canariensi, quam *Clusius lib. 1. Rarior. plant. cap. 1.* describit, proceram nempe, Pinum procul intuentibus referentem, in ramis æqualiter nascentibus & nudis folia cubitalia, unciam lata & sensim in mucronem desinentia habentem, ipso trunco crasso & firmo difficulter ferrum admittente; nec etiam convenit cum illa, in *Nard. Ant. Recchi lib. 3. rer. med. novæ Hispan. cap. 22.* exposita, folia ferente Verbasci, ampla & angulosa; non minùs incertum, an cum *Nicol. Monardi* arbore Peruviana, in *historia de simpl. med. cap. 37.* adductâ, coincidat. Cùm tamen omnes succum sanguineum vel rubentem, nòmine sanguinis Draconis ab ipsis Autoribus venditatum, largiantur. Dolendum, aliquot nobis adhuc superesse simplicia, quorum frequens licet Medicis usus esse soleat, ortus tamen genuinus ac certus adhuc ignoratur; quamvis non incerta nos spes alat, tot Physiophilorum, qui remotas illas regiones frequentant, curiosâ industriâ magis magisque in posterum Naturæ thesauros nobis patefactum iri.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO XXXVIII.
## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.
*De*
# Arteriis in bove osseis.

PRæterito anno bovem mactari curavi, cujus Arteriæ in pulmonibus, earumque rami penitus fuêre osseæ; intrinsecus â coagulato sanguine tanquam musco nigro repletæ.

SCHO-

## SCHOLIUM.

ARterias osseam sæpius naturam induere, ut illa notiora Cervorum annosiorum, Equorum, & cervinis quæ sæpè substitui solent, Boum ossicula, quæ arteriarum in cordis basi concursum esse constat, taceamus, in homine etiam non semel observatum fuit. Arteriæ magnæ truncum propè cor tam durum osseumque aliquando inventum à se fuisse, ut etiam mallei ictum eluderet, *Nobil. D. Antonium de Marchettis, Anatomicum Patavinum*, publicè retulisse memini; sic quoque truncum aortæ descendentem osseum *Exc. noster Phil. Jac. Sachsius lib. 2. Gammarol. sect. 2. cap. 7.* & *Joh. Scultetus pag. 83. tr. de trichiasi admir.* descripserunt. Plurima ossis rudimenta in aorta sigmoideisque cordis valvulis delineat *Cl. Thom. Bartholinus cent. 2. epist. med. 97.* eandem arteriam adnatis internè ossibus asperam vidit *noster Pythagoras*, ut habet in *mutuis cum Pæone Exerc. anatom. num. 38.* qui etiam in *Methodo histor. anatom. med. cap. 6.* valvulas mitrales osseas memorat. In arteriæ venosæ principio ossicula invenit *Joh. Veslingius* apud *Joh. Rhodium cent. 3. obs. 63.* Valvulas semilunares osseas *Decas. I. Ephem. nostr. Ann. 3 obs. 282.* Arteriam magnam ad palmi ferè longitudinem osseam, ossicula etiam in eadem & cœliacis, nec non vena arteriosa *Decas II. Ann. I. obs. 90.* Os in corde, præter *Fel. Platerum*, laudatus *Bartholinus cent. 2. hist. anat. 45.* Os cruciforme in liene *Petrus Borellus cent. 1. hist. 4.* exhibet. Arteriam carotidem & vertebralem dextram osseam ac imperviam factam *Thom. Willis part. 2. cap. 8. de anim. brut.* carotidem etiam dextram planè osseam seu potiùs lapideam *cap. 7. de cerebr. anat.* profert; utramque internam carotidem laminâ osseâ & tenerâ incrustatam demonstrat *celeb. D. Joh. Jac. Wepferus obs. anat. de apoplex.* ut alios plures taceam. Quemadmodum verò os de corde cervi, quod de eo *Joh. Renodæus lib. 3. de mater. med. cap. 19.* notat, in ju-

niore cervo tantùm cartilagineum eſt, in annoſo tandem in oſſeum corpus demum degenerans, ſic & in homine idem contingere, dicendum; ita ut membranoſum illud & denſum arteriarum corpus primò in cartilagineum quid, quale *Cl. Carol. Offredus* recenſet apud *Rhodium l. c.* & *Thom. Bartholinus cent. 1. hiſt. anat. 50.* dein paulatim in oſſeum abeat; quod eò faciliùs contingere poteſt, cùm & in ipſo fœtu ſimile quid accidat, & rudimenta oſſium primò inſtar membranarum ſe habeant, ſucceſſivè dein in cartilagines, ac tandem in oſſa immutandum, ceu id præclarè in *oſteogen. fœt. Theod. Kerckringius* edocuit. Hinc cùm in ſenibus præcipuè oſſea illa ſubſtantia reperiatur, à nutritii humoris gelatinoſi majore, quàm aliàs requiritur, ſiccitate ac coagulatione, ſive humidi nativi imminutione cum tempore ſuccedente, eandem provenire, eſt credibile.

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO XXXIX.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

*De*

# Marcaſita Veneris inſtar arboris enata.

CUm Promontorium Bonæ Spei tranſirem, elegantem inveni Marcaſitam, extus rubram & flavam, intus verò pulchrè virideſcentibus cæruleiſque floribus conſitam, ortam in loco limoſo, pingui & humido, ulnæ unius cum dimidia longitudinem æquantem. Vide Figuram XIII. p. 139.

## *SCHOLIUM.*

MEtallorum nobiliorum inſtar vegetabilium extra terræ gremium erumpentium vel germinantium exempla plura proſtant; qualia inprimis *Annus I. Dec. I. Ephem. noſtr. obſerv.*

*observ. 131. & Ann. II. observ. 28.* atque *113.* exhibent; mihi itidem minera est Lunæ Hungarica, fila argentea ostendens, quarum unum ex silice enatum iterum in silicem inseritur. Id quod licet in tam solidis ac duris corporibus mirum videatur, si tamen metalla & mineralia intra terræ viscera delitescentia quandoque mollia comparere consideretur, res poterit aliquantulùm esse expeditior: sic Aurum butyri instar molliusculum recensetur in *cit. observ. 113.* quod etiam de minera Ferri refert *Petr. Giurius in Arcano acidular. c. 3.* Unde fortè contigit, ut ejusmodi succus metallicus in minera silicea mollis adhuc, ex eadem tanquam ex tubulo sensim à novo succedente succo protrudatur, extra uterum verò hunc suum ita delatus indurescat, & figuram illam fili æmulam repræsentet.

*[Luc. Schröck L. F.]*

## OBSERVATIO XL.

### Dn. ROSINI LENTILII.

*De*

# Muto à Tertiana facto periodicè loquente.

*[Cujus etiam mentio facta in Ephem. Ann. 9. & 10. superioris Decuriæ, Obs. 183. f. 425.]*

NOn amplius miramur Naturam statutis temporibus alligari v. gr. in menstrua femellarum purgatione, scarificationi & venæsectioni adsuetis, morborum crisibus &c. tametsi genuinas harum periodorum caussas eruere, non sit ingenii usque proletarii. Miramur impensius, & rimamur scrupulosius statos & accuratos paroxysmorum febrilium reditus, quorum caussas in Inaugurali nostra de Tertiana intermittente Altdorffii Anno 1680. habita evolvere cona-

conati ſumus. Nec minus notari merentur affectus complures alii certas hasque ſtricte, invaſionum periodas obſervantes. Sic cephalalgiam ſtato tempore & hora recurrentem exhibent Ann. II. Ephem. Cur. obſ. 247. Ann. VI. & VII. obſ. 73. Qualem etiam in Illuſtriſſima Comite Rhenana, ſingulis noctibus præcisè hora undecima ad duodecimam usque intolerabiliter & adeò excruciantem, ut vix mente conſtaret, actorumque recordari poſſet, ſolis diaphoreticis cum cephalicis mixtis addito laudani opiati tantillo, intus & extus ſpiritibus diſcutientibus, nec non veſicatorio poſt ambas aures applicato feliciſſimè compeſcuit B. Anteceſſor meus D. Joh. Mich. Hornung / Hemicraniam cottidie ſeptima matutina paullatim increſcendo & decreſcendo ad horam duodecimam affligentem Ann. I. Ephem. Cur. obſerv. 51. quam ſimilem mane ſexta hora circa tempora lateris dextri, ad maxillam inferiorem & dentes citiſſimè decurrentem, linimento Zechiano, quod ex eo allegavit Illuſtris noſter Dominus Præſes tr. de hier. picr. p. 81. & Epithemate carminativo Joëlis idem B. Hornungus ſuſtulit, & ego in Curlandiæ Superintendente, quamvis non adeo exquiſito tempore recurrentem, vidi, qui ſæpè appropinquante paroxyſmo humorem ſalſiſſimum cum levamine evomuit, & epota frigida paroxyſmum mitigavit. Epilepſiam ſingulis diebus circa horam ſeptimam matutinam, primam & ſextam pomeridianam redeuntem Ann. II. obſerv. 95. aliam Williſ. de morb. convulſiv. c. 9. Singultum periodicum, tametſi quotannis tantùm ſtato tempore ad XIV. dies continuos excruciantem Act. Med. Hafn. Vol. I. obſerv. 73. Fluxum menſtruum hæmorrhoidum in femina quinquagenaria ibid. obſerv. 81. Aſthma Scorbuticum ibid. obſerv. 32. Hæmoptyſin ſemeſtralem ibid. obſerv. 105. dolores hypochondriacos horrendos eodem die ſingulis menſibus recurrentes Ann IV. & V. Eph. Cur. obſerv. 141. Partium externarum, aurium, narium, digitorum in puella per ſingulos menſes admirandam mortificationem eorund. annor. obſerv. 178. Diabeten

ſpuriam

ſpuriam periodicam ad 24. libras inſtante plenilunio redeuntem Act. Med. Hafn. vol. 1. obſerv. 5. Maculas in extima cute ſingulis æſtatibus efflorefcentes cum lunæ augmento, Ann. II. Eph. Cur. obſerv. 249.

Quibus addo, me noſſe Generoſiſſimum quendam Franconiæ Nobilem & Chiliarcham quotidie circa horam tertiam pomeridianam colica acerbiſſima excruciatum; à plus quam 20. Medicis fruſtra curatum, alioqui valentiſſimum. Hæc omnia periodorum exempla, uti mereantur omninò notari, & eruditiorum ingenia exerceant, longe tamen poſt ſe relinquit, à Generoſiſſima quadam Barone narrata primum, poſt ab honoratiſſimo meo Affine D. L. Martino Maskosky, Acidulis Gôppingenſibus & Balneis Bollanis in Ducatu Würtembergico præfecto Medico confirmata, proinde credenda hiſtoria, quæ ſic ſe habet: Caupo Iſingenſis, qui pagus eſt propè Kirchhemium ſubter Teckam in eodem Ducatu Würtembergico ſitus, Pater eſt filii Johannis Michaëlis 27. nunc annos ætatis ſuæ numerantis, Juvenis pii, prudentis, & in labore ſeduli, legere & ſcribere ſcientis, & qui ante annum & quod excurrit uxorem duxit. Hic juvenis ante annos nunc tredecim ex febre tertiana obmutuit, & ab illo tempore non niſi à hora duodecima usque ad primam meridianas, loqui poteſt. Elapſa hora prima ne verbum quidem profert, immo ne ſonum, utcumque primis annis de pertinaci dolo ſuſpectus, ſæpè vapularit. Neque verò horam meridiei duodecimam ad horologia metitur, ſed ubicumque ſit loco, ſive ruri, ſive in ſylvis, exactè horam illam novit, loqui incipit, auditâ primâ rurſum obmuteſcit. Imperante Sereniſſimo Duce Würtembergico variis eum technis & ſtratagematis aliqui ſunt adorti, cumprimis horologiorum motus nunc promotus, nunc retardatus, ſed fruſtra; poteſt enim eſſe vice horologii, & cum ille loqui incipit certum eſt, adeſſe duodecimam, ſive campana eam ſonet, ſive non. Qui eum medicamentis tentarunt, laterem lavarunt. Supra me monuiſſe oportuit, infantulos

colica flatulenta laborantes certissimis periodis perditissimè vociferari ad aliquot horas; ubi clamare cessant, edunt, bibunt, rident, quasi non fuerint illi stentores; præter exempla alia, sunt dicto Affini meo mihiq; domestica, quibus id probatam dare queamus. Hoc an ab ente pagogeo derivandum sit, disquirendũ aliis relinquo; ita suspicatur dictus Affinis meus, ego penuria temporis, quam hæc scriptum comitatur, nil in re intricatissima judicii evomere audeo, alii otio hanc investigationem relinquens. Solùm hoc ob materiæ affinitatem addo:

Judæa mulier juvencula æstate præterita delirio, uti suspicor, ex utero corripitur; hæc semper est hactenus, ubi ad se rediit, conquesta, horis imparibus e. gr. prima, tertia, quinta, septima, secum pejus actum, circa pares autem horas se meliùs habuisse, quod & adstantes affirmarunt.

## OBSERVATIO XLI.

### Dn. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

*De*

# Muto quavis hora prima pomeridiana loquente.

[*Ejusdem cum superiore notæ, cum causæ ejus pervestigatione.*]

ADmirabilis MUTI hora quavis 1. Pomeridiana loquentis Historia naturæ ferè limites superare videri posset, nil tamen impedit, quò minus & naturaliter ejusmodi quid evenire possit. Sicut enim galli gallinacei statis qs. periodis horas emetiri cantuque suo prædicere solent, adeò ut vix horologium cursum suum exactius absolvat; ita non video, cur & homines ejusmodi muti elapso silentii horologio, in verba quædam erumpere possint. Pro ulteriori E. casûs hujus resolutione duo paucis excutienda sunt. 1. Ipsius ἀφωνίας causa in genere, quam vel in ipsis linguæ musculis, vel nervis, vel utrisque p. n. dispositis consistere, expeditum quidem, certum verò ex his seligere

ſeligere difficile eſt; mediam tamen ire viam, nervisque recurrentibus id adſcribere, hîc quidem tutius eſſe judico, ita ut quovis modo ſive contorti, ſive quoad fibrarum ſuarum ductum & texturam dislocati ſpiritibus huc tendentibus obicem figere, viamque & commeatum intercludere potuerunt, donec (in hoc ſcilicet caſu) ſtatis quaſi periodis vi ſibi exitum parare, linguæ muſculos debitô modô inundare ac aliquot vocum expreſſioni materiam ſuppeditare ſoleant: Hæc experimentis Anatomicis concordare in aprico eſt. Conf. ſi placet Cel. Dn. DRELINCURTIUS in Exp. Anat. canicidio 4. §. 1, Et Collega noſter Honoratiſs. Dn. D. SCHELHAMMER in Diſp. Inaug. de Voce. Cur verò id horâ præciſè prima pomeridiama fiat, illud eſt quod 2. profundiorem exigit inquiſitionem. Abundet hîc quilibet ſuo ſenſu: Mihi probabiliſſimum eſt, rem totam in automatico ſpirituum anim. motu & undulatione, vel ſi mavis elatere & continui ad motum inclinatione fundatum eſſe, id quod Nob. Dn. CARTHESIUS Princ. Phil. §. 63. per preſſionem ſeu primam ad motum præparationem explicare ſolet: Motum potentialem fortè diceres, ſi q. Scholas potiùs Veteranorum imitari placuerit. Ita enim comparata eſt ſubtiliſſima prorſus & continuæ Sp. animalium ſeries, ut pro varietate functionum obeundarum quoad texturam ſui variè diſponi & flammæ inſtar in quasdam ſive plicas ſive gradus frangi poſſit, pro quorum ſitu, numero magnitud. & motu hoc vel illo tempore & modô ſeſe explicare, & vi quadam elaſtica determinatas ſibi actiones obire ſolent: Sicut enim chartæ folia variè complicata & in gradus acta, non uno prorſus impetu, ſed paulatim & ſucceſſivè ſeſe explicando in priſtinum redeunt, ita ſimili ferè modo ſp. anim. texturam in quasdam quaſi plicas formatam concipere licet, quæ cum preſſione ſua continuò ſe explicare nitantur, ſpiritus illos in motum continuò proclives reddunt, donec acquiſito tendentiæ ſuæ termino è potentia in actum erumpant & munera ſibi deſti-

destinata obire possint. Hypothesis hæc, etsi paradoxa multis videri posset, cum Philosophia tamen Experimentali & ipsa spirituum natura facilè conciliari poterit, eaque admissa plurima œconomiæ animalis φαινόμενα, quæ aliàs vel obsoletis animæ facultatibus à Veteribus aut vix intelligibilibus ideis ab HELMONTIO, GREMBSIO, MARCO MARCI & aliis tribuuntur, clarè & distinctè expediri poterunt, sicut D. B. fusiùs id & ex condicto quasi demonstraturus sum, ubi occasio se truserit, in Tr. quem dudum meditatus sum de Motu Spirituum Automatico.

Hisce præmissis jam facilis erit problematis nostri decisio, cur nimirum horâ tantùm prima pomeridianâ & non aliis quoque temporibus loquelam exercere possit ille mutus? Quia nimirum Spirituum vocalium plica & elater nixum suum & tendentiam nychthemero tantùm spatio absolvere & impetratô motus sui complemento, victisque omnibus obstaculis musculos linguæ rursus inflare & pro vocum articulatione movere solent: Interea tamen cùm nihil violentum sit diuturnum, impetu hoc delassati sp. animales paulò post receptui canunt, pristinam stationem repetunt, novumque motus sui horologium inchoant & absolvunt, inde mirabilis hæc loquendi vicissitudo: cui quoque symbolum suum addit non tantùm consuetudo, quæ altera est natura, sed & insigne illud loquendi desiderium, quo persona hæcce miserabilis eâ potissimùm hora dubio procul teneri solet, qua primùm rediisse sibi loquelam senserat. Quantam enim vim habeat ardentissimum ejuscemodi desiderium observare licuit, in Muliere quadam Giessensi, quæ per aliquot annos incertam ob causam sponte obmutuerat, adeò ut ne quidem verbulum proferre valuerit: Cùm verò aliquando ad SS. Cœnæ usum aspiraret, & ob loquelæ defectum in æde sacra Confessionario suo confessionem typis expressam ostendere, hâcque ratione seriam peccatorum suorum pœnitentiam aperire vellet, en! eô prorsus momento DEI quasi digito delu-

per

per tacta lingua sueto sibi munere adeò fungi cepit, ut confessionem oretenus & ad verbum articulatim recitare & aliquo temporis spatio perfectè rursus loqui potuerit, paulò pòst tamen rursus obmutescens. De veritate historiæ nullus dubitet, quæ vel centenis testibus facilè confirmari poterit, ipsaque Mulier, Civis Nostratis, BALTHAS. STOHRII conjux adhuc in vivis est, usquedum tamen ferè muta. Divini quid subesse credidêre plures, quòd si tamen naturaliter id evenerit, desiderio ejusmodi devoto & ferventi tribuere mallem, quod spiritus animales vi quadam eò determinare valet, ut diffractis silentii repagulis qua data porta ruant, partesque loquelæ destinatas ad tempus movere possint.

## OBSERVATIO XLII.

## D. CHRISTIANI MENTZELII.

*De*

# Perlis præstantissimo Muscarum genere.

COelestis Iridis, ingentis arcûs colores, si pensiculatiùs considerantur, maximam sui admirationem & oculis & menti sistunt: Sed minima rerum, si exactiùs speculemur, non minorem sui laudem cum stupore merentur, cùm, juxta Plinium, rerum Natura nusquam magis, quàm in minimis tota sit. Id equidem in Perlis Germanis quibusdam Schillebolßen / quòd instar sagittæ elisæ celerrimè volitent, relucet, de quibus licet omnis antiquitas, tanquam abjectissimis insectis, nihil prorsus retulerit, Aldrovandus autem eas primùm descripsisse, & juxta Italorum idioma Perlas appellasse videatur, placet tamen ea, quæ de iis apud alios nondum invenio, atque experientiâ meâ olim habitâ indubitatè constant, observatione digna referre, si priùs de admiranda in Perlis oculorum structura aliquid differuero.

Stupet equidem Plinius, nec verba satis congrua invenire videtur, quibus omnes in culice sensus extollat, atque insti-

tuit comparationem maximarum beſtiarum cum minimis his, quæ à plurimis faſtidiô damnantur, proponendo turrigeros elephantorum humeros, taurorum colla, eorumque truces in ſublime jactus, leonum jubas, & ſimilia. Verùm ſi Perlam conſidero, & miſſis cæteris partibus, ejus tantùm oculorum ſtructuram perluſtro, inextricabilem quendam Iridem & labyrintheos receſſus in iis invenio, ſtupendumque videndi ſenſum colligo. Nam cùm reliquorum inſectorum oculi rotundi proſtent, ſuosque limites in eorum capitulis habeant; in Perlis tamen totum caput ambiunt, quod tanquam unicâ corneâ tunicâ circumfuſum apparet, inſtar rotundi unionis, à quo ipſis nomen Perlarum accidit. Poſitô itaque hôc, ſicuti verum deprehenditur, quòd totius capitis ambitus, non niſi ex duabus tunicis corneis, pellucidisvè conſtet, per quas omnis videndi actus perficitur, atque in oculum tranſit, quidquid ſe viſui offert, ſequitur inde, quod ob figuram rotundam & gibbam harum tunicarum omne viſibile per totum, ubi perla degit, horizontem, niſi quid obſtet, ſe ſiſtere poſſit hiſce perlæ margaritiferis ocellis. Non enim Perlarum latet oculos, vel immotô capite, quid inſidiarum ipſi à lateribus ſtruatur, quidve à tergo quis machinetur nullâ opus habet circumſpectione Perla exquiſitiſſimô viſu undiquaque prædita. Admirandum, atque ab Artifice quovis excellentiſſimo Optico explicandum, quomodo ejus pupilla (punctulum illud nigrum in oculis, ex profundo ſpectabile, infinitis aliis punctulis ex reticulari quadam textura elucentibus circumſtipatum, mihi pupilla dictum) in ſubſtantia oculi medium locum occupans, quaquaverſum Perlæ caput moveas, te intuentem ſemper intueatur ſeque pupillæ tuæ obvertat, quocunque loco te moveris, intactis quidem punctulis circumſiſtentibus, quæ ad omnem motum pupillæ cedunt *ſicuti Tab. VI. in principio adumbratum.* Quis igitur artifex tam exquiſitos pupillarum magnetes, absque ulla declinatione ſemper in ſe invicem amoris quodam nexu converſos fabricare novit, niſi rerum omnium Fabricator,

p. 120


tor, summusque Artifex? Quis in tam inextricabili oculorum Perlæ reti, eorumque labyrinth o Iridis fulgore speculavit (liceat mihi de perlarum speculis speculare, quod Plinio de culicis spiculo spiculare licuit) umbræ quandam abyssum, omnium oculorum acies cum omnibus obstantibus speciebus visibilibus recipientem? In tam exiguo & tam nihilo vortice ætherisne infinitas locanda? quod magnitudine capi nequit, id exiguitate tanquam ab atomo concipi & in cryptam quandam rerum visibilium abscondi posse, quis comprehendere incomprehensibile istud potest? Puncta rerum immensa in tam minimo rerum punctulo profundè absorberi posse, quæ arcanorum divinorum profunditas! Nemo vel excellentium Opticorum ad Catopticam anaclasticam excolendam sectione conicâ vitra optica adeò affabrè conficere & tersè lævigare valet, ut horum ope per cœli & terræ horizontes objecta visibilia uno quasi intuitu apprehendere possit, quod ex oculorum perlæ structura apparenter patet. Non negandum erit, divinam Majestatem hisce bestiolis tantam visûs excellentiam largitam esse, ut pro corporis sui sustentatione muscas, & quidquid in nutrimentum sui in aêre sese offert, caperet; Interim quoque sobriè adstruendum, innocentiæ hujus animalculi insuper forsan à DEO concessum, ut fixis in cœlum ocellis, Solem cæterosque cœlestes globos, fixos & mobiles exactiùs perlustrando, Perla omnis vocis expers, ne magnalia DEI in profanum effutirentur vulgus, æternùm sileat.

Hæc de Perlæ oculis: reliquas ejus partes exquisitissimō cultrô anatomicô proposuit nobis Clariss. Dominus de Muralto, præcedente Ephemeridum nostrarum Anno II. Differentias Perlarum quasdam Aldrovandus de insectis habet; sed non omnes percurrit: dantur namque plures. Differunt præcipuè juxta magnitudinem, quòd aliæ sint Majores, aliæ mediocres, aliæ minores & minimæ. Deinde varietate colorum totius vel partium variè inter se distinguuntur.

Primam Aldrovandi speciem *in Tab. VI. n. 1. propono.* Hæc è me-

è mediocrium genere ex viriditate lutea toto corpore palleſcit, cauda vero, ſive abdomen ſuperiùs intensè rufeſcit, inferiùs quoque pallet. Menſe Auguſto apud nos cernuntur in locis aridis cremiisque inſident. Appetunt valdè muſcas illas, quæ loco proboſcidis aculeum habent, quibus pecorum tergora, hominum verò crura, & ſæpiùs ſcribentis manum ad radicem pollicis & Indicis, qui calamum ſcriptorium tenent, miſerè pungunt, ſanguinemque exſugunt. Sic militat pro homine hoc Perlæ genus contra infeſtas illas muſcas. Perlas autem Majores omnes formâ & corporis elegantiâ illa videtur ſuperare, quæ per totum corpus ex ſumma viriditate aurum reſplendet: caudam habet exilem; ejus tamen extremitas paulò latiùs extenditur: *hæc delineata eſt Tab. VI. num. 2.* Porrò ex Majorum Perlarum cenſu ſunt, quæ latioribus caudis ſunt prǽditæ, harum tamen quædam ſexu differunt, ſic ut mas exili, fæmina verò admodum lato eôque cæruleo ſit, *uti in Tab. VI. num. 3. uterque ſexus hujus Perlæ ære exſculptus eſt.* Deniq; ex minimis Perlis inquiſivi in eas, quæ virides pallent cum lineis, præſertim in dorſo & pectore, fuſcis: vel obſervantur intensè cæruleæ cum circulis & lineis candidis, *vide Tab. VI. num. 5. lit. f. & g.*

Harum omnium jam prædictarum Geneſin expertus ita propono & adumbro. Omnes Perlæ, cujuscunque differentiæ, paucis exceptis, ex aquis oriuntur, menſibus Junio, Julio & Auguſto aliæ poſt alias. Eô enim anni tempore, ſcilicet æſtate circumvolitant in aëre, ut ſibi quærant eſcam, pro nutritione ſui, & ut coëant pro conſervatione ſexûs ſui. Connubium earum ita fit: congrediuntur in aperto aêre, poſtquam mas, fæmellam perſecutus, caudam ejus apprehendit, extremitatem caudæ ſuæ, in qua duo hamuli locô genitalium extant, in femellæ organum; quod ſub abdomine in fine thoracis eſt, inſerit. Hôc modô Perlæ conjugatæ ambæ in aêre tam diu circumvolant, donec feſſæ ad proximum ſcirpum, cremium vel aliud ſuſtentaculum conſiſtant & quieſcant, fæmellâ ſuperiùs, mare autem inferiùs exiſten-
te,


anticum, posticum, pronum, Perlæ caput supinum.
TAB. VI.
Perla medio=
cris caudâ ruffâ
muscam comedens.
N.º 1.
Perla
major to-
ta aureo-
viridis.
N.º 2
Perlæ caudâ
cær: latâ mas.
N.º 3.
Perla ma-
jor caudâ la-
tâ cærul:
fœmina.
Perla
minima.
N.º 5.
Ut Perla major latâ
caudâ cærulea ex
indalmate suo
prodit:
N.º 4.
g
Coitus Perlarum
minimarum.
Ut Perla
ex indal-
mate pro-
dit.
Spolium
Indalma-
tis.
c
d
e
N.º 5.
Indalma supinum.
lit: b.
lit: a
Indalma
pronum

Annus III.

te, *uti Tab. VI. num. 5. lit. g.* id præsentat. Postquam itaque femellarum uteri satis à maribus sunt inprægnati, & Mensibus Augusto & Septembri noctes parvo frigore autumnescere incipiunt, fatali lege jubentur sese ad aquas littorales conferre, ut superficies illarum aquarum sæpius volatu attingendo paullatim & successivè semina sua aquis illis concredant, quæ Solis calore mox in vermiculos excluduntur primò anguiformes, ubi limô aut spumâ littorali enutriti, exuviis aliquoties depositis in aliud genus insecti aquatici transformantur sex constans pedibus, rotundisque ocellis & vaginulis quibusdam in tergo præditum. Id per hyemem sub aquis currendo escam quærit ex sibi cognatis & homogeniis insectis. Hoc genus vermium primam subiit metamorphosin tanquam simulacrum futuræ formæ perfectioris. Chrysalida vocaverant Veteres ab aureo splendore, qui in papilionis albi simulacro observatur. Verùm, cùm non omnes sic transmutati vermes aurum resplendeant, & plurimi vel immoti instar trunci aut Isidis statuæ vel idoli speciem & formam animalis regenerandi & futuri adumbrent, vel moti & pedibus præditi id præstent, placet in genere appellare hoc genus vermium transformatorum ἴνδαλμα, nempe speciem, sive imaginem futuri animalis perfectioris. Itaque Perlarum nostrarum Indalmata per hyemem, ut supra notatum, sub aquis hospitantes sæpius à piscatoribus hyeme cum piscibus reti extrahuntur, & pro vespis aquaticis (quod tamen aliud genus est) habentur. Indalmata nostra per hyemem sic enutrita sub aquis ad sui usque maturitatem, vere jam existente, & Sole per signa æstiva ad cancrum properante, mensibus nempe Junio & Julio, accingunt sese ad aliud iter sublimius, & limo aquarum pertæsa subtiliorem aërem & cœlum eligunt. Prorepunt igitur ad novam sui regenerationem foràs extra aquam, & consistunt ad scaphos plantarum aquaticarum arundines, scirpos, hyppurides nudas, & quidquid radice in fundo firmatâ extra aquas eminet. Cùm itaque indal-

dalmata sese extra aquam in sicco constituta sentiunt, subsistunt pedibus ad scaphos & caules plantarum firmatis, tunc operante calore Solis finditur Indalmatis tergum per medium, caputq; ejus in fronte & circa oculos in tres dissilit partes, quibus tanquam osculô matricis ruptis, exerit Perla ex fissura illa primò caput (*ut videre licet in Tab. VI. n. 5. lit. c. in Perla minima*) instar novæ prolis, postea priores pedes, (*uti in Perla majore latâ caudâ cæruleâ in Tab. VI. num. 4. actum hunc delineavi, quem in Perla majore num. 2. & Perla mediocri num. 1. eodem modo comperi*) quô factô reliquæ corporis partes cum alis, theculis suis extractis facilè sequuntur. Sic prodit perla spatio unius horæ, indalmate suô tanquam spoliô & inani simulacrô relictô (*ut Tab. VI. num. 5. lit. d, e. monstrat, ubi e. fissuram indicat*) à quo non longè recedit, sed per unam atque alteram horam in calore Solis moratur, quo humidæ adhuc alæ exsiccentur & reliquæ corporis partes firmiores reddantur. Corpore jam roborato avolat Perla ad capturam muscarum vel idoneum alimentum quærendum & conjugium cum aliis ineundum, uti superiùs indicatum est. His ita peractis, cùm Perlæ jam mensibus Augusto & Septembri spermata sua in aquas iterum deposuerunt in futuri anni proventum, tamdiu superficies aquarum circumvolitant munere naturæ jam functæ, donec hirundinibus in aëre & piscibus in aquis esca fiant & sic intereant. Notandum denique, quod Perlæ quædam, ut sunt illæ, quarum unam in *Tab. VI. n. 1.* delineavi, ex terra humida oriantur, uti alia insecta, quod etiam in Cicada Bononiensi observavi, quam ex suo indalmate mediam extra terram eminente egredientem acu per medium corpus transfixi (quod cum Perlis eodem modo peregi.) Hanc cum aliis spoliis indalmatũ & cicadis egressis in scatula per multos annos adhuc mecum servo, forsan si occasio tulerit, earum metamorphosin similiter editurus. Clar. Pictor Gœdardus part. 3. metamorphos. de insectis, experim. 17. indalmata Perlarum minorum, earum nempe, quæ & alis & toto corpore

pore ex atro-cæruleo vel Indigo colore ſplendent, in foſſis reperit. Exiſtimo autem foſſas illas fuiſſe exſiccatas, in quibus antea aqua ſtagnaverit, cùm ego quoque in foſſis, ſed aqua repletis, geneſin Perlarum mearum minimarum Clivis Anno 1661. menſe Junio, majorum verò Anno 1636. & ſubſequentibus annis obſervaverim. Pictor autem præfatus, ut conſtat ex libris ſuis, Geneſin hanc ignoravit. Tantum de Perlis &c. *Vid. Tab. VI.*

## OBSERVATIO XLIII.
## D. CHRISTIANI MENTZELII.
### *De*
# Luna apparenter caudata inſtar Cometæ.

CUm me ad obſervationem meam de Perlis rurſum accingerem die 16. Decembr. ſtyli veteris horâ nonâ noctis hujus anni 1684. vocor à quibusdam foràs ex ædibus meis, ut conſpicerem Lunæ aliquod phænomenon. Apparebat autem Luna cùm oriretur quinto die poſt plenilunium, tanquam caudata inſtar Cometæ majoris, multis radiis rectà ſursùm, nec à latere aut deorſum, emiſſis. Erant autem in aëre nebulæ & effluvia ſive vapores valdè tenues, à quibus forſan radii provenêre, ſic ut ab his & non à Lunæ corpore profecti fuerint. Verùm cùm in ejusmodi vaporibus Luna non radiorum caudam ſed radiorum circulum i. e. Halonem efficere poſſit, dubius hæreo, annon à corpore Lunæ radii dicti provenerint, præſertim cùm Sol tunc è diametro ſub Lunæ corpore eſſet, quod ex lumine Lunæ facilè colligi poteſt, atque omnes Cometæ caudas ſuas ex corporibus ſuis nec ab effluviis quibusdam emittant. Cauſam itaque horum radiorum Lunæ Cl. Dn. Dn. Mathematicis ulteriùs perquirendam relinquo, num Sol cauſa horum radiorum ſolus fuerit, an corpus quoddam interveniens, ſcilicet Cometa aliquis retrò Lunam exiſtens, vel ex Lunæ corpore deceſſerit pars

quædam motu suo radios instar caudæ efficiens vel alia fortè causa inveniri possit. Phænomenon tale erat:

Fig. XIV.

## OBSERVATIO XLIV.
## D. FRANCISCI LÖWENWALD.
### De
# Fœminâ sine ventriculo vitali.

ANno 1676. 1. Decembris: Pragæ in Hospitali Italico, scidi unam fæminam quadraginta aliquot annorum senem. Hæc â pluribus annis, de cruciatibus, puncturis hypochondriorum, & abscessu, seu gravi tumore scirrhoso cranij, circa os syncipitis sinistrum, conquesta, convulsionibus tandem obiit; in cujus corpore sequentia rarissima ac stupenda sanè invenimus. Et sumentes sectionis principium à capite, ubi nimirum abscessus ille ac tumor residebat, ut exercendæ Praxeos majora nobis imprimeremus specimina, operationem quasi in viva instituimus. Factâ igitur incisione transversâ per tegumenta communia, ecce totum os syncipitis carie confectum & putridum, eique subtus meninges ac vicinum cerebrum partim quoque putrefactum, partim scirrhosum, ad ductum usque falcatum, ventriculum verò ipsius sinistrum posteriorem, aquâ repletum, deprehendimus. Mirandum sanè hic erat, in tam gravi partis principis affectu, hanc fœminam, de nullo unquam speciali capitis dolore, stupore, paralysi, apoplexia, convulsione aut epilepsia, fuisse conquestam. Persolutâ diligenti reliqui cerebri sublatione, tanquam naturaliter se habentis anatome, ad pectus aperiendum descendi; ubi mox, aperto osse sterno, utrumque pulmonum lobum, pleuræ connatum, & agglutinatum, parenchymataque eorum, phlogosi exundantia, intuebamur: apertô pericardiô

ricardiô Cor ſubjacebat maximum, ejusque vaſa & partes omnes, præcipuè tamen vena cava, & arteria, aorta, tantæ erant magnitudinis, ut inteſtina ipſa aut brachium infantis ſuperarent.

Perrupto diaphragmate, ſolutóque peritonæo ventrem imum adivimus: ubi hepar pariter ac lienem magnitudinem naturalem excedentia, & in ſubſtantia nimium friabilia; imò, quod rarum, lienem non in hypochondrio ſiniſtro, tanquam conſveta illi ſede, ſed retrò in medio ſpinæ dorſi, firmiter annexum, & quod tandem rariſſimum, neque unquam hactenus auditum, ventriculum ſeu ſtomachum plane abfuiſſe, nihilque niſi inteſtini duodeni, aliqualem extenſionem conſpiciebamus: & hæc erat ratio, quòd bona mulier in vivis exiſtens, famem etiam pauciſſimis intervallis difficillimè ſufferebat, locus enim pro colligendo alimento, qui eſt ventriculus, in illa non aderat, inteſtina verò tanquam corpora nimiùm lubrica, breviter ſuam perſolvebant coctionem, & crudiorem proinde, copioſioremque cordi transmittebant ſanguinem, quo natura freta, vaſa quoque ſolitò majora progeneraret. Inteſtina, uti & renes præternaturali ſitu continebantur, priora enim quaſi filo ſuſpenſa, omnia propemodum ſuper ventriculum contenta, pauciſſima in parte hypogaſtrica reſidebant: Renes quoque non circa lumborum vertebras, ſed longè altiùs potiori hepatis parte tectos, intuebamur; relictâ autem ulteriori abdominis ſcrutandi ſentina, ad artus acceſſimus, non immemores, defunctam Patientem, multis abhinc annis, enormibus iſchiatici doloris cruciatibus fuiſſe divexatam adeò quidem, ut ob doloris (cujus formalis ratio Medicis eſt ſoluta unitas) vehementiam ac ſævitiem, os femoris dextrum ſuo acetabulo dislocatum (unde pes dexter ſiniſtro erat brevior) & luxatum, ad medium uſque totum carioſum ac flaccidum, ita & ambæ Apophyſes, ſeu appendices, vulgò Trochanteres ſeu Relatores dictæ, conſumptæ erant: Apophyſis verò major,

jor, seu caput femoris internè, partes scilicet qua femur spectat, totum erat exesum & excavatum instar nucis; extra, id est, parte cartilaginosa, qua acetabulo inseritur (licet multò subtilior & ad corrodendum pars aptior sit) absque ulla noxa integrum, pariter illius ligamentum commune latum, crassum seu orbiculatum, articulum ambiens totaliter absumptum: ligamentum verò internum seu teres, caput & acetabulum colligans, nihil prorsus corrosum cernebamus. Quibus visis meritò mirari licuit, minùs tamen concipere, cur natura durissimis etiam partibus consumptis, molliores relinquat superstites, si non, quod providentiæ sibi notæ, nobis ignotæ adscribendum, ne nimirum partibus illis mollioribus, quatenus exquisitissimo sensu præditis, consumendis, ob excessivos ipsique Naturæ insuetos dolores, vitæ filum prius tempore ac maturius succidere, quos durioribus (coactâ quamvis peccantium Humorum præsentiâ) id est, ossibus, partibus, communi sensu aut saltem exquisitiore spoliatis, committendo, vivendi terminum, licet miserandum posset procrastinare. De Coxendicis doloris luxatione loquitur etiam Hipp. 6. aph. 59. & 60. Hæc ille.

Ex qua observatione tam admiranda evidenter patet, hanc Fœminam sine ventriculo tanto tempore vixisse, adeoque in hac persona, ventriculum ad vitam absolutè necessarium non fuisse: & licet una hirundo non faciat ver, & hanc observationem quis dicat esse magis portentum quàm naturæ actum: historia tamen est verissima, & tales quoque insinuare videtur fundatissimus Bonetus in sua Anatomia Practica de morbis ventriculi. Sunt præterea plura exempla eorum, qui sine ulla functione ventriculi, hoc est; sine cibo & potu, atque ex his elaborato chylo, quin etiam sine ullis clysteribus nutrientibus, multis mensibus vixerunt. Ita quoque sine pulmonum usu & actione, nec non etiam sine aëre per pulmones tracto vivunt aliquando mulieres hystericæ, solâ perspiratione. Ergò hæc ad vitam individui con-

conſervandam abſolutè non ſunt neceſſaria, ſed ſecundùm quid.

*[Ex communicatione Perill. Dn. Jacobi Joannis Wenceslai Dobrzensky, de Nigroponte, Phil. & Med. Doct. Prof. Pragenſis.*

## OBSERVATIO XLV.

## Dn. CORNELII SPIELMAN.

Præluſtris & Bellicoſi Ducis Generalis Belgarum in Ind. Or.

*De*

# Telis deleteriô venenô infectis in Macaſſar & aliis Regnis Inſulæ Celebes, ex ejus Diario extracta.

*Huic præmittitur brevis relatio de hac materia Dn. Andreæ Cleyeri.*

[Ex literis ad Dominum Mentzelium datis.]

NOn poſſum hîc non exhibere hiſtoriam de venenatis telis in Regno *Macaſſar*, quibus adverſus noſtrum militem Incolæ Regni uſi, ſubitaneâ morte eum peremerunt. Extracta hæc eſt ex Diario Illuſtris & fortiſſimi Admiralis Dn. Cornelii Spielman, jam deſignati Generalis omnium Indiæ Orientalis locorum, quæ Belgis parent. Hoc Diarium confecit præfatus Dux, cùm victor ſubegerat Reges in *Macaſſar*. Incolæ Regni hujus ſingulari arte norunt hoſtibus ſuis in ſufflatu per arundines tela corporibus infigere, adeò ut cùm eis cutim ſaltem leviter ſauciaverint, dictum factum moriantur vulnerati.

Contra hoc venenum, ſi recens eſt, nihil quidquam valet, cùm autem id inveteraſcit aut aëri diu exponitur, vires ſuas amittit, unde ab aëris injuria cuſtodiendum. Optimum remedium

medium est excrementum humanum alvinum, quod internè sumptum vomitu hominem liberat: licet etiam hoc alexipharmacum contra validissima venena non pugnet, cùm id sanguini immixtum circuitu ejus velocissimè cor petat & sic interimat. Gestant Incolæ pugiones hôc venenô infectos, quos *Krissen* vocant, quibus vulnera inflicta subitò sphacelum concipiunt, nulla arte exstirpandum.

*Sequitur ex Diario excerpta historia.*

De Regulis in *Macassar* victis notatu dignum est, quod referunt de ligno, ex quibus eorum fiunt tela, & de veneno deleterio, quibus tela inficiunt; illud venit ipsis ex *Passir*; hoc verò ex *Koete*, remotiore à littore maris terrâ. Reguli in *Macassar* ob avitam consanguinitatem sese vel juramento obstrinxerant, nemini de telis aut venenis aliquid exhibituros, nisi solis in *Macassar* primatibus. Venenum istud inter se multùm differt ratione virium vel remissiorum, vel intensiorum, vel maximarum. Selectissimum venenum multò præsentius est, quàm id, quod Macassarii in Insula *Celebes* à monticolis *Loradiæ* accipiunt; non ideò quòd apud Macassarios id tantarum virium non reperiatur; sed quod, juxta multorum opinionem, Loradienses selectissimum secum retineant. Præterea pauci inter *Macassarios* & *Bugios* sunt, qui veram seligendi veneni cognitionem habent, ut vilius à præstantiore distinguere possint. Ex nostris Regulis in hac cognitione excellentiores percepi esse Regulum ex *Soping*, Regulum ex *Lometa* inter Macassarios, *Cruron*, *Crain*, *Posso* & *Dayenriolo*, duos Regulos ex *Goa*, qui id administrant.

Conservatur venenum plurimùm calore mediocri, cùm nimius calor noceat, nimium verò frigus multò damnosius sit, propterea ut conservetur, decies velamine circumligatur, ac die quolibet septimô rursum linteamina auferuntur, capsulæ mundificantur, renovantur, & venenum ut priùs velaminibus circumdatis optimè custoditur. Ex Regulis intellexi, quòd terra, in qua arbores crescunt, ex quibus

quibus venenum extrahitur, magnô circumcirca spaciô, nec gramen necquodvis vegetabile ferat, & quod venenum propriè sit aqua sive liquor, qui promanat ex læsione vel sectione, quæ fit in cortice illarum arborum, quemadmodum lac emanans & collectum ex vegetabilibus vel arboribus lactescentibus: verùm liquor hic est brunni sive obscurè rubri coloris. Liquor cùm subsidet, obrigescit in lapideam quandam duritiem, servatô eodem colore. Cùm liquor cortice arboris sauciatô excipitur, neminem facilè appropinquare oportet ad arborem, quò manibus liquorem attingat, quoniam tactu liquoris omnes artus rigidi redduntur & contrahuntur: propterea adhibent collectores longiores arundines ex *Bambus*, quibus præfigunt ex ferro cuspides acutissimos, his summâ vi cortices vulnerant, dissolvunt, & ita liquorem in arundines emanare permittunt, in quibus is collectus simul indurescit. Collectum ita ab incolis venenum, defertur ad Regulos formâ granorum vel globulorum nunc minorum, nunc majorum. In *Macassar* cùm particulæ istæ separantur, & eliguntur, omnes unius valoris vel earundem virium colliguntur & in unam massam contunduntur. In hac massa solô visu excellentiam veneni non possunt distinguere, sed cùm massas induratas radunt & rasuras aquâ subigunt, possunt id secernere. Experientiores hujus rei mittunt saltem massas istas in aquam & ex aquæ ebullitione vel altiore vel remissiore vires veneni statim videre & distinguere possunt. Cùm id ad usum præparatur, & cuspidibus telorum, quæ plurimùm parantur, ex dentibus Lamiarum piscium, illinitur, tunc abradunt aliquid ex massis, quod aquâ subactum in glutinosam abit consistentiam, ut telis illini possit; verùm isti aquæ priùs admiscetur herba quædam *Malais* dicta *Lampogang*, *Macassariis* verò *Layapaya*, quod idem sonat ac Zingiber amarum, eò quod planta formam externam Zingiberis, sed locô acrimoniæ Zingiberinæ amaritiem obtineat. Aqua igitur ista, cùm ab hac planta fuit reddita amara, atque aliquam glutinositatem ac-

quisivit, per linteum colatur & hâc mixturâ telum quodvis illinitur, & in pharetris suis & arundinibus ex *Bambus* exactè clausis, ab injuria aëris custoditur. Tela ita toxicô præparata per biennium durare possunt viribus suis integris. Sunt, quæ saltem per unum aut alterum mensem vires servant. Aliquando tota massa venenosa, nisi optimè servetur, corrumpi & viribus orbari potest.

Cùm venenum subigitur, aqua validissimè commovetur, præsertim cum venenum est præstans. Etsi autem hæc operatio manibus fieri possit tanquam res innoxia; nihilominus cùm toxicum summum sic tractatur, sentitur calor aliquis in corpore. Malum quod ex his venenis homini accidit, ex sanguine, cum quo miscetur in corpore humano, æstimandum. Nam licet à *Macassariis & Bougiis* multa Alexipharmaca contra hoc venenum adhibeantur, sicuti pluries vidimus, etiam vulgatum remedium ab excrementis humanis sumptum; tamen ea omnia nihil efficiunt contra validissimum veneni genus, quod sine mora operatur mortem, simul ac corpus humanum pertingit; & (ut multi referunt) licet aliquis quôdam Alexipharmacô toxicam veneni vim subitaneam mortem effugerit; tamen post unum, duos aut tres annos, eum, qui telô istô sauciatus fuit, ex eo mori oportet. Insuper periculum maximum subeunt, qui cum mulieribus sese miscent ac conversantur, fungosque & tubera terræ comedunt, anteà læsi hôc venenô: his enim certa inde mors. Tantùm de his venenis & venenatis telis.

## *SCHOLIUM.*

IDem enarrat Dominus Johann Jacob Saar Noribergensis, in suo hodæporico militari Anno 46. p. m. 38.

[*Argonauta.*]

OBSER-

## OBSERVATIO XLVI.
## Dn. ROSINI LENTILII.
# Arsenicum Antipyreton.

D.II.A.V. p.474.

HAut ita pridem fuit nonnemo, qui asserere fuit ausus, *cuilibet corpori naturli, quin, cuilibet animali, atque adeo homini, inesse suum venenum specificum, calidi innati & humidi radicalis intergerinum amicissimumq; hospitem, naturæ quasi balsamum, hujusque conservativum: Hoc veneno, quovis modo excentrico facto, aut ab indole sua declinante, oriri morbos varii generis, hos autem indicare veneni conservativi restitutionem in integrum, & inde pendere sanitatis cardinem.* Paradoxa est sanè hæc opinio, & naturæ veneni quam minimè competens, imo contradictorium, *esse venenum, & esse naturæ conservativum.* Qua enim catachresi venenum vocatur, sanitatis architectus, cum omnium effato venenum tota sua essentia dicatur corpori, naturæ, vitæ infestum? Siccine cadet ab omni seculo irroborata inter *alimenta, medicamenta & venena*, specifica differentia? Certè tale venenum est σιδηρόξυλον! Nil probat, animalia. venenata nutriri suo veneno; morsus hominis irati esse venenatos, & quæ sunt alia: Nam, uti illud est in controversia; ita hoc non est perpetuum; potest tamen ira effervescente degenerare in venenum, qui ante non fuit humor; adjuvant in morsibus continui solutio, ipsius vulnerati ira, affluxus humorum, inflammatio! nec enim solo contactu, ad instar torpedinis, vel halitu irati venenant: Est sanè opus vulnere. Alium virum celebrem memini olim statuisse: *aut omnia esse venena, aut nullum esse venenum, cum omnia, etiam saluberrima, vinum puta, excessu adhibita possint esse veneni loco; jubet itaq; venenorum dosin vestigare, & tunc futura innocua.* Scilicet, arduum Vir eruditus censet statuere, quod quidquam Deus crearit, hominis, *propter quem omnia creata*

*censentur* (quanquam & hic aliqui controversiam faciant) tota sua natura & essentia destructivum. Sed quis exactam venenorum dosin mensurabitur? Quidni detur substantia, cujus sit talis à primordio elementorum textura, quæ intro sumta turbet, fermentet, congelet, convellat, enecet? nec enim inde sapientissimo Creatori dica scribitur! Namque, utut propter hominem esse omnia creata forte censeamus, non sunt tamen in eum omnia finem creata, ut iis vescamur; sunt aliis destinata usibus; sic neque ligno, neque lapide, neque ferro ordinarie vescimur. Occasionem ista proferendi sequens historia suppeditavit: Cùm nuper *Göppingæ* morarer, narravit Affinis meus *Maskoskyus Med. Lic.* se miram oppido febrium intermittentium, at infallibilem in pluribus curam vidisse sequenti medicamine perfectam: ℞. Arsenici albi crystallini gr. iij. vel iiij. pro ratione subjecti: injice pulverisatum in vitrum parvum lati orificii (Zuckerglas) adfunde fluvialis frigidæ s. q. apertum vas colloca super prunas; agitendo, dum cesset strepitus: hæc mixtura probè confusa febrienti, per 12. plus minus horas ante jejuno, una vice propinatur; Ubi per horæ quadrantem aut paullò ampliùs hanc stomachus retinuit, capiatur aquæ calidæ simplicis præterpropter quartarius, in hac solvatur butyri notabile pondus cum ovi luteo, duabusque vicibus calidè sorbeatur, imperata rursum aliquot horarum abstinentia. Insequitur anxietas magna largo sudore profluente; Tollit omnes intermittentes, ipsamque adeò quartanam: Auctor perhibetur Monspeliensis Medicus Anonymus, cujus filius Raugraviæ Palatinæ à pedibus in Würtembergico Ducatu plures hoc medicamine persanavit. Dictus Dn. *Maskoskyus* periculum se facturum pollicitus est, effectum ubi edoctus fuero, nil restabit, quam ut ocyus transscribam.

Paradoxa mehercule cura, *arsenicum tantum non crudum intra corpus, idque jejunum sumere!* quis enim hanc præparationem sufficientem facilè credat? Quantum conjicio, partes arsenici deleteriæ volatiliores, per effervescentiam cum aqua fluviali,

fluviali, calcis vivæ æmulam, in auras avolant, relictis fixioribus, eoque mage fatuis: Effervescentiam autem & solutionem calor promovet: Ipsum verò arsenicum potestate Salina lactearum obstructiones, quæ sunt perpetuæ fere intermittentium productrices (quod in mea *Inaugural. de febr. tert. interm. epidem.* latius probavi) haut dubiè promtius atque alia quævis, expedire aptum natum est. Mixtura pinguis butyracea videtur hac fini exhiberi, ut veneni spicula, si quæ ab operatione forte supersunt in visceribus, obtundat; velut alias iis, qui venena sumsere, pinguia imperare solemus. Haustus autem pinguis non statim propinatur, ne vomitu reddatur sine fructu, quod modo fuit absorptum. Ego alia methodo intermittentes feliciter abigere didici, tardiori licet, atqui tutiori: nolim hanc imitari: ausim profecto adseverare, quantumlibet hac febris tollatur, remanere tamen in corpore veneni characterem; nec ægros hac via curatos adeò prospera valetudine per vitæ reliquias gavisuros. Alioqui novi *Amberga in Palatinatu superiore* adolescentem lorarium à Magistro quotidiè vapulantem, vitæ tædio, *araneum prægrandem contritum cum calcis vivæ notabili quantitate deglutisse citra noxam.* An hæc duo salia aranei puta & calcis vivæ se mutuo destruxerunt; an araneus, quorum aliqui dantur, fuit ἀνιώδης?

## SCHOLIUM.

ARsenicum dulcificatum & fixatum quamvis sint qui ad sudores pellendos usurpent, & ita febribus etiam opitulari posset, qui tamen iisdem curandis adhibuisset, aut (præter *Paracelsum*, spiritu ejus quartanam curari, *lib. 2. de morb. metall. cap. 5.* scribentem) commendasset, nemo jam mihi occurrit, imò omnes ferè illos, qui cæteroquin usum ejus internum tradunt, nonnisi meticulosè, ob innatam ejus malignam & vix coërcibilem acrimoniam, processisse deprehendimus. Ut ita mirari subeat, Veterum nonnullos, in mineralium usu aliàs sat parcos, usum ejus internum,

etiam minùs correcti, non abhorruisse. Quamvis enim excusari à nonnullis soleant, erroremque in Sandaracæ vocabulo latere, adstruant, quo nempe tum Arsenicum apud Arabes, tum Juniperinum gummi à Græcis innuatur, ipsa tamen res aliud loquitur, cum v. g. *Dioscorides lib. 5. de mat. med. cap. 81.* de Sandaraca, corpore minerali, agens, illam internè purulenta extussientibus dari, suffitu quoque cum resina adversus veterem tussim adhiberi &c. clarè satis eloquatur; quem aliosque ei consimiles pariter excusare licet quam maximè exoptet noster *Raim. Mindererus cap. de chalcanth.* magnâ tamen difficultate haud inscius premitur; etenim Sandaracam hanc suam Græcos priscos præviâ præparatione repurgâsse, ac à veneni labe immunem reddidisse, mera est conjectura, nec ullo fundamento innititur; præsertim verò *Dioscorides*, in aliorum simplicium præparatione vel correctione notanda haud deses, mutus omnino hîc comparet, dubio procul, si aliquis corrigendi eam modus ipsi innotuisset, eundem haud silentio præteriturus; nec quod *Paracelsus lib. 9. de naturalib.* scribit, Veteres cum spiritu vini qualitatem venenatam ei ademisse, huc quidquam facit, quia stillatitium hunc ex vino liquorem ipsis planè fuisse ignotum, certum est; ut ita *Paracelsum* de veteribus Chimicis potius hoc in loco scripsisse, dicendum sit; ut taceam, quàm maximè dubitari posse, an spiritus ille in coërcendo veneno isto tam potenter operetur. Favet tamen Antiquis observatio *Anonymi* cujusdam, cujus observationes *centuriæ 4. Riverianarum* accesserunt, ubi *observ. 2.* cura phthiseos diuturnæ per fumum auripigmenti feliciter peracta describitur; quæ si revera ita peracta fuerit, symptomata tamen insequentia satis periculosa à veneni periculo eandem non adeò immunem fuisse ostendunt; ut ita tutioribus qui utitur, & saluti ægrotorum & propriæ conscientiæ rectiùs consulere meritò sit dicendus.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO XLVII.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
*De*
# Tumore gulæ ſingulari.

FRidrichſtadii in hac noſtra Cherſoneſo Cymbrica (quam urbem Batavi, cùm inter Armenianos & Gomariſtas diſſidium gliſceret, condiderunt) fœmina quædam ſingulari exſtincta affectu; huic enim in gula oriebatur abſceſſus, non ille, quem anginam nominamus, ſed longè ab eo diverſus. Et quidem rectiùs caruncula dicitur, qualis meatum urinarium obſtruere vel obſidere ſolet. Hæc caruncula non ſolùm gulam occludebat, ut omnis aditus cibo & potui in ventriculum denegaretur, verùm & muſculos, quales cephalopharyngæus, ſphænopharyngæus & ſtylopharyngæus, in ſuo motu impediebat. Hoc morbo, reliquis viſceribus benè conſtitutis, & quaſi ſana exſtincta eſt. Bis inſtrumento chirurgico via reſerata, tertiâ vice crudelem curam admittere renuit. Quæritur nunc, anne hoc in loco Bronchotomia commodè adminiſtrari potuiſſet? In Excell. D. D. Blancardi *Collectaneis medico-phyſic. cent. 3. obſ 54.* ferè ſimilis hiſtoria commemoratur. Ille hunc abſceſſum ſteatoma vocat, quam inſigniſſimi Viri ſententiam in dubium non vocabo.

## *SCHOLIUM.*

NOnnunquam tumorem in œſophago ſuccreſcere, qui cibos deglutiri non permittat, ægrumque inediâ debilitet, *Anonymus in append. cent. 4. obſ Riverian. 14.* ſcribit, curationis ejusdem, licet difficilis, modum ſubjungens. Inter œſophagum ac aſperam arteriam inſinuare ſe nonnunquam durum tumorem, gulam tam ſtrictè occludentem, ut denegato

gato omni alimentis tranſitu, certò peſſundet hominem; quem tamen, ſi pituitoſus fuerit, interdum curari, ab atra verò bile ortum nunquam domari, *Nic. Tulpius lib. 1. obſ. cap. 44. notat*, & utriusque exemplis confirmat. Abſceſſuum, qui omnem deglutitionem impediebant, meminit *Joach. Camerarius epiſt. 110. Ciſtæ méd. Hornung.* unum eorum longo quidem temporis tractu, medicamentorum ope curatum referens. Funeſtam œſophagi obturationem à cartilagine annuliformi, exiguo foramine præditâ, & ab ipſo œſophago enatâ memorat Nob. *D. Beckers in Dec. I. Eph. Nat. Cur. Ann. IV. obſ. 67.* Difficilem deglutitionem à caruncula gulæ, ex ulcere veneneo ſubortam, cum ægii interitu *cent. 2. obſ. med. 46.* eundemque à tumoribus ſcirrhoſis *ſeq. obſ. 47.* deſcribit *Joh. Rhodius.* Quomodo verò in præſenti D. Autoris noſtri caſu, aliisve ſimilibus Bronchotomia commodè adminiſtrari potuiſſet, equidem non video, præcipuè ſi tumor profundiori loco ſitus viſum operantis ſubterfugerit.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO XLVIII.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

*De*

# Paralyſi gulæ lethali.

PIſtor quidam & civis Buxtehudanus in morbum febrilem incidit, quem actutùm muſculorum pharyngis & ſphincteris vel œſophagi tam vehemens paralyſis comitabatur, ut nihil quicquam, ſive ſolidum ſive liquidum eſſet, deglutire poſſet; & hoc morbo fuit exſtinctus. Triſte ſanè ſpectaculum præbet talis paralyſis; cui aliàs cataplaſmata ex aromatibus & herbis aromaticis, quas cephalicas vocamus, atque inunctiones ex oleis aromatum cum caſtorei pinguedine proſunt; ut & emplaſtra, quæ recipiunt oleum ſuccini & caſtorei axungiam vel oleum.

SCHO-

## *SCHOLIUM.*

COnferatur Scholium ad obſerv. med. Hellvvigianam 49. ubi ſimilium paralyſeos gulæ exemplorum ex *Nic. Tulpio*, *Petro Salio Diverſo*, & *Thoma Willis* fit mentio.

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO XLIX.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

*De*

# Aphonia curatâ.

DIe 30. Junii Anno 1681. ad quandam pediſſequam, accerſitus ſum, quæ Zelo correpta (fuerant enim illi rixæ cum ſui ſimilibus) incidebat in contumacem aphoniam, ut ne mutire quidem vel hiſcere poſſet, cum tam arcta oris clauſura, ut nullo modo os aperire vel quidquam aſſumere valeret, niſi inſtrumento chirurgico maxillæ à ſe invicem divellerentur. Juſſi, ut chirurgus emplaſtrum de betonica applicaret, & ſuperimponeret cataplaſma ex herbis aromaticis, addito ligno guajaco, ſingulis diebus renovandum. Dedi etiam ſequentem mixturam, de qua chirurgus ſæpiùs cochlear infunderet: ℞. Aq. ceraſorum ℥ij. Spir. ceraſor. ℥iß. Tinct. caſtor. ʒj. Elæoſacch. ſuccin. ʒiß. Miſc. In nucha veſicatoria admota. Quarto die Julii ſcribebat chirurgus, quod jam os pro lubitu dilatare & comedere poſſet. Dedi ergo Mixturam ad ſudorem eliciendum, ex ſpiritu ligni guajaci, & Theriaca Andròm. ad linguam verò inungendam Balſamum, factum ex Theriacæ Andr. ʒij. olei caſtor. gt. v. pulv. caſtor. ℈j. Tum dato purgante, DEI gratiâ, convaluit.

## *SCHOLIUM.*

MAndibularum ejusmodi coarctatio uti non ſpernendum vitæ periculum, aut ſaltem tædium, vel ob ſolam nutrimenti debiti impeditam aſſumtionem, infert: ita occluſionem iſtam quantocyus reſerare, ſimulque de immittendo alimento ſollicitum eſſe Medicum decet. Prout verò clyſteribus nutrientibus non omnis alibilium particularum in venas lacteas infuſio denegari poſſe videtur: ita tamen latrantem ſtomachum compeſcere haud valent. Crudele merito & violentum nimis auxilium, juxta cum *Hieronymo Fabricio ab Aquapendente*, dicitur *Joh. Sculteto Armament. chirurg. Tab. X. fig. 11.* quo nonnulli taliter laborantibus dentes anteriores violenter infringunt, cui rectiùs fiſtula ab eodem *Fabricio* excogitata ſubſtituitur, per quam cibus infundi queat. Quamvis autem ejusmodi convulſæ partes, ſi debitè tractentur, quandoque ad ſtatum naturalem reduci queant, utplurimum tamen non niſi cum morte terminantur; qualem exitum habuit contractio muſculorum maxillæ ab inconſulto inunctionis mercurialis uſu, apud *Nicol. Binningerum cent. 5. obſerv. 76.* nec non quam in arthritica obſervavit *Felix Platerus lib. 1. obſerv. med.* ut & ex catarrho *Laz. Riverius cent. 2. obſ. med. 77.* Videatur etiam *Phil. Höchſtetterus dec. 5. obſerv. caſ. 6.* ubi pariter exemplum feliciter peractæ curæ, in Scholii principio ponit, ægroti nuchæ oleo, & cerebro cephalicis proſpiciens; imperitè ſcilicet agere dicuntur, qui ſimili in caſu, ubi nervorum adeſt læſio, maxillam oleis inungunt, cùm rectiùs occipitio topica eſſe admovenda, *Sanctorius* in *methodo vitandor. error. lib. 2. cap. 14.* oſtenderit; cæteroquin quò minùs ipſi maxillæ adplicentur, nihil obſtat; quales aliquot contractis à catarrho maxillis graviter adflictos, uſu convenientium Cataplaſmatum perſanaſſe meum Parentem chariſſimum, recordor.

[*L. Schröck, L. F.*]

OBSER-

A. Locus, in quo tuberculum hoc tumidum deprehenditur inter fricandum, et hoc ipsum ex B loco descendit ad A. quando uvula est prolongata, et hic fricando reducendum est ad suum locum B. in quo vix sentiri potest, quando uvula in suo loco quiescit: Si in brachio utroq; peragitur, tunc citius succedit medicatio. Medicus inter fricandum unum vel duos digitos 1.2. apprehendat. Vid: anni prioris fol. 93.

Fig: 15. f. 139.




Fig: 13. f. 110.




Fig: 16.




f. 149.

Fig: 22. f. 297.




magni tudo. spis situdo.

## OBSERVATIO L.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
*De*
# Uvulæ relaxatæ cura.

CUrationi uvulæ per brachii fricationem confirmandæ cujus etiam in priore anno obſerv. 56. facta fuit mentio, adhuc inſiſto. Hoc ipſo vere Anno 1684. conjux mea uvulæ prolongatione periculosâ, ut reſpiratio quam maximè difficilis eſſet, laborans, hoc modo iſtud vocis plectrum ſuo feliciter reſtituit loco, brachium utrumque ſæpius fricando. Inter fricandum tuberculum aliquod animadvertitur, (vide Figuram XV.) quod licet ſemper aliàs etiam adſit, prolongatâ tamen uvulâ magis ſentitur tumidum, & magis deſcendit verſus manum. Cura illa nunquam fallit. Jam appello ad univerſum Anatomicorum Theatrum, ut mihi oſtendant in brachio hoc ipſum, quod ita uvulæ continuum, ut ejus attactus hanc afficiat. Unguem ex equorum oculis quidam Studioſus detrahere novit, ſi filum duplicatum per quandam auris venam trahat; hoc facto pellicula oculo obducta marceſcit, ut ſponte ſuâ decidat: forſan & hoc ipſum ſuccederet in homine.

## OBSERVATIO LI.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
*De*
# Epilepſiæ cura.

QUædam paupercula fœmina ad me accedens pro filia epilepticis inſultibus tentata conſilium petiit; ad quam ingreſſus præſcripſi quædam in officina paranda, quæ tamen ſine notabili ſucceſſu fuerunt data;

jussi ergo, quoniam insuper alvus adstricta, clysma injicerent ex decocto foliorum nicotianæ, facto cum cerevisia secundaria; quod tanta efficaciâ alvum & vomitum movit, ut animam agere videretur; verùm optimè cura successit, epilepsiæ paroxysmus discussus, & illa cum valetudine rediit in gratiam.

## OBSERVATIO LII.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

*De*

# Ictu capitis periculoso sanato.

DIe 2. Octobr. A. 1673. ad quendam equitem Lunæburgensem vocabar, qui à rustico ingenti baculo ictum in capite juxta tempora dextri lateris acceperat. Tertius erat dies post acceptam plagam, quo vocabar; hic per vomitum statim ab ictu multum materiæ ejecerat, jacebat mutus absque omni omnino sensatione instar trunci; chirurgus ante meum adventum venam secuerat, & in nares pulverem pharmacum inspiraverat, sine omni levamine & successu; quoties illi quid dandum, os vi erat diducendum. Ego accedens suppositorium indere jussi, cui additum sulphur antimonii, quod bis cum fructu repetitum; in nares verò, meo jussu, chirurgus inspiravit sulphur antim. & euphorbium; caput inunctum oleis aromaticis, & emplastrum de betonica capiti admotum, cui superimpositi sacculi herbis cephalicis impleti & vino incocti. Cùm 3. Oct. manè accederem, submissè loqui cœpit, & constabat ipsi ratio; jussi dare confortantia, ac iterum secare venam, clysma acerrimum injicere, & spinam dorsi cum nucha unguento quodam antispasmodico inungere. Horum usu, Dei gratiâ, restitutus, nisi quòd duo digiti in manu manserint immobiles.

OBSER-

## OBSERVATIO LIII.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

# Fœtus vivi ex lepore mortuo exempti.

IN hac noſtra Holſatia ex lepore aliquot horas mortuo, cujusdam Generoſi Domini venator duos exemit fœtus adhuc vivos, quos etiam educavit iſtius nobilis familia. Hanc hiſtoriam in eum adduco finem, ut exinde ſumatur ratio ad quæſitum: an fœtus animâ matris vel propriâ vivat?

## *SCHOLIUM.*

FOetum in utero matris fato defunctæ nihilominus poſſe aliquandiu ſupervivere, nec rationi repugnat, nec experientiæ. Hæc ſiquidem plures partus cæſareos, è defunctis nempe matribus exſectos fœtus vivos oſtendit, ut dubitationi nullus ampliùs ſupereſſe queat locus; quos inter inprimis adcuratè deſcriptus eſt, quem ex *Carolo Stephano* adducit *Dan. Sennertus lib. 4. medic. pract. part. 2. ſect. 6. cap. 8.* Nec ignota eſt obſervatio à *Joh. Veslingio obſerv. anat. 7.* memorata, de infante vivo poſt matris obitum ſponte ex clauſtro uterino prodeunte; quales etiam notantur à *Th. Bartholino cent. 2. obſerv. anat. 99.* Imò, verba refero *Cornelii Conſentini progymn. 5. ſæpè à matribus in feretro jacentibus vitales partus prodiêre.* Conf. *Ann. III. Decad. I. Eph. noſtr. Curioſ. obſ. 318.* & *Volum. 2. Act. med. Hafn. obſ. 35.* Quin ſi vitam fœtûs in utero conſideremus, quamvis magnam hæc cum materna habeat cognationem, poſſe tamen ſine ea conſiſtere, vel ex eo clarum fiet, ſi propriam fœtui eſſe animam, ac ſanguinis, in cujus motu vita non parùm conſiſtit, circulationem fœtui propriam & à materna diverſam intueamur; qua de conferatur curioſa trium in prægnante femina circulationum inda-

 gatio,

dagatio, à Nobil. noſtro *Helíantho* in *Dec. II. Ann. I. obſ. 185.* demonſtrata.

*[Luc. Schröck L. F.]*

## OBSERVATIO LIV.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
*De*
## Hæmorrhagia narium curatâ.

QUidam ſtudioſus Tondera-Holſatus, meorum filiorum præceptor, in tam contumacem hæmorrhagiam narium incidit, quam nullis medicamentis ſedare licuit, euporiſta varia (excepto decocto Excell. D. D. Volckameri, cujus efficaciam in enormi fluxu ſanguinis ex intempeſtiva venarum ſub lingua ſectione expertus) adhibita, ſed omnia carebant optato ſucceſſu. Tandem propinavi ſucci ex urticis recens expreſſi cochlearia tria, & urticis contuſis involvi membrum virile, ſic miraculi inſtar illicò ſubſtitit contumaciſſimus nectaris vitalis fluor, qui procul dubio hominem è mortalium ſocietate exemiſſet.

## OBSERVATIO LV.
## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.
*De*
## Fæcibus alvinis ex abſceſſu inguinis prodeuntibus.

ANn. 1670. Fœmina quædam Buxtehudana herniâ laborabat, quam cùm chirurgus in arte ſua experientiſſimus, Nicolaus Groot, curaret, ac manè emplaſtrum impoſitum tolleret, alvinæ fæces adhæſerunt, ita ut chirurgus, quid pridiè comediſſet illa, judicare potuerit.

rit. Inteſtina fuiſſe perforata, certum. Vulnus ab eo per emplaſtra & potiones vulnerarias conſolidatum. A. 1673. alius chirurgus ejusdem oppidi M. Paul dictus me ad quendam virum pauperem, ſubulcum deduxit, ad videndum ejus affectum, laborabat enim is quoque abſceſſu in inguine ex quo aperto etiam profluebant alvinæ fæces, & emplaſtro, me præſente, adhærebat crambe nondum ſatis concocta; & hic pariter, auxiliante Deo, per medicamenta methodicè adhibita convaluit. Alterius quoque ita affecti & à ſe curati mentionem fecit chirurgus, cui tamen permanſerat foramen apertum, per quod alvinæ fæces quotidiè in ſacculum ei loco hac fini appenſum exierunt. A. 1672. alia fœmina, civis Buxtehudani conjux, abſceſſu in inguine laborans, quem, meo arbitratu, ex vehementiori vomendi niſu contraxerat, per datas à Chirurgo potiones vulnerarias & emplaſtra convenientia reſtituta fuit. Hiſce jungo aliam oppidò raram hiſtoriam: A. 1684. 12. April. ex pago huic oppido vicino quidam ruſticus ſuæ uxoris lotium exhibuit ſpectandum, more ſeculi, in quo cùm animadverterem ſigna, lumbricos ſignificantia, ventrem talium inſectorum copiâ plenum eſſe dixi; annuit ruſticus, addens, uxorem ante annum in inguine dextro vulnus habuiſſe apertum, ex quo abſceſſu 7. lumbrici fuerint egreſſi, & quidquid edendo vel bibendo aſſumeret, citra ullum coctionis indicium ex iſto vulnere profluxiſſe, gravidæ autem factæ & ſextum imprægnationis menſem attingenti vulnus ſponte factum, & ſponte coaluiſſe; quod idem vulnus jam ſponte ſua recluſum, atque ex eo quinque magnos lumbricos exiviſſe, & quidquid ederet vel biberet, per foramen eâ ſubſtantiâ, qua aſſumtum, effluere. In hac ægra lumbricos ventrem perforaſſe, certum eſt. Meum imploranti auxilium præſcripſi hunc pulverem: ℞. aloês opt. myrrhæ opt. ſulphur. el. aa. ℥ß. ocul. cancr. præp. ʒij. Miſc. & potionem vulnerariam, quam habet in ſua officina pharmaceutica Exc. Blancardus, Medicus Batavus, cujus

hæc

hæc est formula: ℞. Virg. aur. sanicul. pyrol. salv. plantag. aa. Mj. coque ex aqua ad ℥xx. colaturæ add. syrup. betonic. symphyt. aa. ℥iß. pulv. cancr. ʒij. Misc. præterea dedi Balsamum mihi aliàs qui est in usu. Hisce, DEI auxilio, curata.

## OBSERVATIO LVI.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.



## Eboris analysis chemica.

ANno 1683. ex Ebore elicui spiritum, sal volatile, oleum, quæ omnia odore, colore, nisi quòd penetrantiora & subtiliora sint, ea æmulantur, quæ cornu cervi dat. De Ebore controvertitur, an corneæ vel osseæ sit substantiæ? Analysis illa chemica probavit, magis ad corneam accedere substantiam. Spiritum eboris in epilepsia curanda admirandam habere virtutem, eâdem æstate in quadam fœmina Batava hîc obambulante expertus sum, naribus spiritu admoto illicò desiit paroxysmus, quo pacto etiam avertere eum potuit.

### *SCHOLIUM.*

EBur destillationi subjectum, cum spiritu sal volatile & oleum eructare, præter *D. Mos. Charas. Pharm. chim. lib. 2. cap. 6.* aliosque Exc. *D. Ol. Borrichius Vol. 2. Act. med. Hafn. obs. 67.* quoque testatur. Cujus spiritûs salini insignem usum in syncope, palpitatione cordis, catarrho suffocativo, uteri dicta suffocatione, mensium obstructione, & pleuritide prædicat; quem etiam omnia illa, quæ spiritus cornu cervini medendo confert, præstare, & epilepticis inprimis insultibus, tàm internè quàm externè opitulari, non est dubium. Ubi verò tàm aprugnos dentes, quàm unicornu Grönlandicum (quæ destillando itidem sal volatile præbere, prælaudatus *Borrichius* refert,) Cornuum familiæ haud esse adscribenda, sed revera dentes inter connumerari debere, constat:

conſtat: ita de Ebore idem eſſe dicendum, negari nequit; ſcilicet quod dentem elephantinum eſſe, eſt certiſſimum; hunc autem meliùs dentem, quàm cornu adpellari, *Plinius lib. 8. hiſt. nat. cap. 3. Herodotum* ſecutus, jam quondam arbitrabatur; & prout oſſa deſtillando itidem ſpiritum cum ſale volatili ac oleo largiuntur, ſic ex dentibus hiſce impetrari eadem non eſt mirum; cùm dentes oſſium numero comprehendi, inprimis Exc. *D. Chriſt. Frid. Garmannus de mirac. mort. lib.* 1. *tit. 6. §. 1. & 2.* evicerit.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO LVII.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

*De*

# Manibus ſphacelatis ab earum in frigidam immiſſione.

Quidam juvenis febre ardente laborans manus ſuas in aquam frigidam immerſit, & diu ibidem eas retinens, poſtea nigras extraxit & penè mortuas.

### *SCHOLIUM.*

Cum omnes ſpiritus calidi, notante *D. Sebaſt. Wirdigio lib. 1. medic. ſpirit. cap. 9.* frigidorum ſpirituum fugiant injurias, illis ſic retroeuntibus, ſanguinem in parte extrema ſtagnare, ipſumque membrum emori haud mirum eſt. Similis cæteroquin recenſito Caſus legitur apud *Gregor. Horſtium part. 2. lib. 4. obſ. 24.* dum juvenis febre ardentiſſimâ correptus, refrigerationis causâ manus aquæ gelidæ immiſerat, extractas autem nigredine lividâ defœdatas ſenſuque privatas deprehenderat, in caſſum fruſtrà omni curandi labore eis adhibito. Id quod eò faciliùs contingere poteſt, cùm vel ſponte ſuâ, adventante febre malignâ, integros artus cor-

rumpi, in aliquibus observaverit *Dominic. Panarolus lib. 5. pentecost. obs. 48.*

[ *L. Schröck, L. F.*

## OBSERVATIO LVIII.
## D. JOH. BLUMIG.
# Ovum in vitrum succineum à natura conversum.

ANn. 1672. Curiositate ductus, festo paschatis ovum cum carne suilla coctum ad duritiem (ut fieri hîc vulgò solet) à cortice liberavi, & extremitates ejus rotundas, supra & infra abscidi, & ovum chartæ involutum ad parietem alligavi. Subsequente festo paschatis, adverti materiam colore & substantiâ vitream, cui inerat vitellus in formam pulveris conversus, quo exemto, vitrum egregium fragile, colore succini naturalis flavo apparuit. Quo viso stupefactus, ne tanti naturæ miraculi solus essem testis, misi frustulum ad celebres hujus civitatis Physicos ordinarios, D. D. Schulzium, & D. D. Segerum. Non contentus verò hoc experimento aliquatenus artificiali, & ab influxu Planetarum profecto, veritus ne à salsedine carnis suillæ, cum qua ovum coctum fuerat, illud ortum habuerit, iterare hoc experimentum constitui, & quidem per se coquendo in aqua simplici fontana, nihil salis adjiciendo, & per septem septimanas de pariete suspendendo; quo temporis intervallo præterlapso, egregius viror succineus splendore suo oculos meos perstrinxit. Hisce jam animus meus acquieverat experimentis; sed me non cogitantem, Natura plus docere voluit, ut scirem, ipsam quoque sine ulla artificis manu interveniente ovum tale producere posse, monstrans mihi ovum in ædibus Excell. D. D. Schulzii, quod erat pondere levissimum, ferè ut pluma; tactum à me relinquebat vestigium digiti tangentis

tis cum sono; putabam primâ vice esse aliquod factitium, ex pergameno confectum, & joci gratiâ ab uxore nunc mea, tum temporis sponsa, calce vivâ coloratum; illa verò sanctè testabatur, verum esse ovum naturale, & à se repertum in cista ad culinam situata, in qua per 5. septimanas fuerit; fracto itaque eo, egregium succineum viride vitrum apparuit. De hoc Paracelsus lib. de Tartaro p. m. 378. scribit: Sol coagulat vitellum ovi in caraben, albumen in translucidum, hæcque coagulatio fit à spiritu coagulationis salso. Idem docet lib. de nat. rer. 7. p. m. 168. quomodo omnes gemmæ & metalla omnia, non tantùm succinum, ex albumine ovi fieri artificialiter possint: si per Solem intelligat astrum è cœlo illustrans hæc inferiora, falsus est; si verò impropriè (qui modus scribendi ipsi maximè usitatus) formam generalem materiæ primæ adnatam, sc. per hanc similitudinem, quòd sicut sol omnia subterranea & in terra nascentia suo calore externo excitativo illustrat, ita quoque forma materiam ad actum generationis suâ vi formatrice disponat & perficiat, vera dicit. Nam coagulatio nostri ovi in vitrum facta est in loco opaco, solis radiis planè non materiam illam illustrantibus. Si tamen & per solem, astrum illud cœleste, experimentum velimus instituere, à calore ejus, ovo radiis opposito, posse inde formari vitrum tale succineum, non est absurdum.

## OBSERVATIO LIX.
## D. JOH. DANIEL DORSTENII.
*De*
# Aciculâ deglutita.

Conticere hîc nequeo, quòd puella hic Marpurgi sutoris filia aciculam æneam majorem longitudinis dimidii digiti non ita pridem deglutierit, nullo percepto ferè dolore, præter quod deglutire vix potuerit, quæ

acicula externè infra cartilaginem scutiformem iterum extracta est, modoque puella sana vivit.

## SCHOLIUM.

Aciculæ deglutitæ quamvis interdum absque molestia, aut saltem sine majori incommodo rursus per alvum egerantur, quòd alias tamen interdum inveniant exeundi vias, è plurimis constat exemplis, prout cum urina excretas *Alex. Benedictus hist. corp. hum. Joh. Langius lib. 2. epist. med. 40.* & *Jul. Cæs. Claudinus resp. med. 40.* ex ventriculo perforato *Ant. Benivenius cap. 20. de abdit. morbor. caus.* per cervicis latus circa aurem dextram *Casp. à Reies camp. elys. jucund. quæst. 92.* ex crure erumpentes *Rodericus à Castro lib. 4. de morb. mul. cap. 26.* & *Henricus à Moinichen obs. 21.* notarunt. Cui improvidè factæ deglutioni lubricantibus & laxantibus esse medendum, communiter statuitur, ut scilicet ventriculus & intestina laxiora indè facta, irruenti duriori corpori cedere, seséque magis extendere, & simul lentore illo munita ac lubrica reddita faciliorem acutis spiculis transitum præbere valeant; qua ratione *Hieron. Reusnerus in observ. med. 56. Wierum* secutus, curam feliciter absolvit, & *Georg. Segerus Dec. I. Ephem. nostr. Ann. 4. obs. 86.* Notari meretur cura à *Theod. Kerckringio* memorata *obs. anat. 44.* in ancilla, cui acus deglutita, quæ partibus gutturis internis infixa hærebat, levi factâ incisione, adpositoque vulneri magnetis frusto, fuit extracta; quale quid etiam in cultrivoro illo fuisse cum successu tentatum, in historia ejus *Osv. Crollius præfat. Basil. Chim.* recenset, adplicito nempè emplastro ex magnetis pulvere parato; quamvis dubitare maximè liceat, an magnetico huic pulveri, & non potiùs ipsius naturæ impulsui, exitum in eum locum molientis, adscribi debeat, cùm magnetem in pulverem redactum, & multò magis unà oleosis inviscatum, vi attrahendi ferrum destitui, ab aliis jam observatum fuerit: Licet enim rationibus nonnullis, pulverisati & emplastro immixti magnetis virtutem illam

*Dan.*

*Dan. Beckerus tr. de cultrivor. Boruss. quæst. 7.* defendere laboraverit, omnes tamen ab experimento instituto facilè enervantur, quo constat, nec etiam minimum pulvisculum martialem à tali parato emplastro, multò minùs integrum cultrum attrahi.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO LX.

## D. JOH. DANIEL DORSTENII.

*De*

# Lumbrico tereti.

VIr quadragenarius ferè summè tabidus, postquam per quinque hebdomadas decubuisset ac denique, morti succubuisset, suspicio inter ejus amicos orta, veneno illum à muliere quadam dato, exstinctum esse; quare jussus à Superioribus cadaver illud secarem, accuratè inspicerem, quidque indicii hac de re obveniret, diligenter adverterem: Quamprimum itaque abdomen aperuissem, statim in ejus cavitate supra ventriculum, ubi cartilago est ensiformis ac connexio hepatis, per membranam latam cum peritoneo, annexum lumbricum teretem peritoneum perforantem, indeque per duo peritonei foramina instar nodi ligati pendentem, omnes mecum cum admiratione adspiciebant: Es war ein rechter Knode mit dem Wurm geknüpffet/ anzusehen/ als ob ein Stücklein Schnur dahin geknüpffet wäre. Figura XVI. p. 139.

Præterea omentum tumefactum ad duorum digitorum latitudinem, instar materiæ viscidæ, pituitosæ atque pellucidæ, in situ tamen naturali, apparebat, simulque in medio ejus, sub umbilici regione, exulceratio rotunda, magnitudine Imperialis, non adeò profunda, pure tamen albicante repleta, conspiciebatur. Hoc remoto; intestina in pelvi ma-

teriæ albicanti, purulentæ, putridæ ac fœtenti, ſphacelata & valdè corrupta innatantia, cernebantur. Aperto ventriculo nullibi veneni veſtigium adverti poterat, ſed morte naturali ob maximam illam viſcerum & partium corruptionem, hominem iſtum mortuum eſſe judicabam. Cumque de lumbrico tali maximè curioſus eſſem, anne ventriculum: aut inteſtina perterebrando perreptaſſet, ſedulus inquirerem, in ventriculo quidem ſimilem lumbricum inveni, ſed neque in illo, neque in inteſtinis viæ aut foraminuli veſtigium invenire poteram; ita ut hærerem, an in cavitate abdominis, in materia illa purulenta ac corrupta, tanquam nido aptiſſimo genitus; an verò foraminulum iſtud coëundo iterum evanuerit. Interim, quis doloris acerbiſſimi circa ventriculi regionem, cauſam, lumbricum talem in peritoneo perforato ligatum ac pendentem cogitaſſet; quamvis calor & ardor continuus & torrens inteſtinorum ſphacelationem prodidiſſent.

## OBSERVATIO LXI.

## D. JOH. DANIEL DORSTENII.

*De*

# Duobus Epilepticis.

BInos Ego Epilepticos, unum civem juvenem, alterum ruſticum, & quidem hunc vix ante aliquot ſeptimanas aperui; ubi in utroque cadavere ſpumam circa os ichoroſam ſeu ſanguine nonnihil tinctam, nec non cerebri in ventriculis ſimilem talem ichoroſum humorem inveni. An autem humor talis ichoroſus in cerebri ventriculis cauſa Epilepticorum motuum ſit dicendus, dubitarem, quin potius cauſæ morboſæ productum fuiſſe crederem.

## *SCHOLIUM.*

EPilepſiæ ortum uti materiæ alicui qualitate pravâ & ſpirituum animalium organis infeſtâ præditæ, eaſque pungenti

genti ac irritanti deberi, vix negari poteſt: ita quòd in apertis quibusdam cadaveribus, morbo illo extinctis, nulla ejus veſtigia adpareant, mirum non eſſe poteſt, ſi mole perexiguam & ſpirituoſam, & vel ex inferioribus partibus communicatam eſſe poſſe conſideretur. Cæterùm in cadavere Senis epileptici, A. 1670. in Theatro anatomico Patavino publicæ ſectioni expoſito non aliud, quàm proceſſus mammillares ſero turgidos fuiſſe deprehenſos recordor; quale quid etiam nuperrimè demum in capite Matronæ cujusdam, præter perpeſſam ex colica pareſin, capitisque in anteriore parte ſævos cruciatus, crebrioribus inſultibus epilepticis, & inprimis ipſo mortis die infeſtatæ deprehendi, ventriculis, ſcilicet ſero copioſo repletis; ubi ſanè ſimplicem ſeri ſtagnantis præſentiam & qualitatem humidam morbo huic dediſſe anſam vix perſuadere mihi poſſum; ejusdem verò particulas acres à quacunque cauſa, irâ &c. excitatas, convulſivas illas vellicationes induxiſſe, non improbabile videtur. In puerulis itidem poſt mortem, ab epilepticis motibus acceleratam, apertis, flatus ventriculum & inteſtina diſtendentes unicè pluries offendi; qui flatus fermentationem præternaturalem cùm præſupponant, hæc autem nonniſi à ſalibus heterogeneis proſurgat, ſpicula inimica nervoſis partibus fuiſſe infixa, ſatis veriſimiliter oſtendunt.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO LXII.

## D. JOH. DANIEL DORSTENII,

*De*

# Puero ſurdo.

CIvis quidam Marburgenſis Sartor, præcedente æſtate conſilium pro filio ſuo 7. annorum, per biennium planè ſurdo, anxiè à me efflagitabat, cauſamque, hujus

jus mali talem esse narrabat: Ante biennium nempe, puerum hunc suum, alios pueros pisa auribus intrudere ac per os reddere vidisse, hincque, deceptum, utrique auri pisum quoque indidisse; Verum his ibidem remanentibus, successivè, magis magisque sordibus pisis adhærentibus, hisque intumescentibus, surdum planè factum esse, neque ab ullo Chirurgo auxilium aut remedium habere potuisse, sed omnes malum hoc immedicabile pronunciasse. Hoc audito; jussi, puerum adduceret; quod protinus fiebat; inspiciebam ejus aures, ac instrumento ex acu crinali (Haarnadel) adaptato statim, patre præsente, pisa ex utraque aure, unà cum sordibus adhærentibus extrahebam, sicque brevissimè puerum istum, Dei auxilio, integrè restituebam.

## SCHOLIUM.

De hac Surditatis causa libet Clar. Anton. Molinettum adducere, sic *libr. 4. Dissert. anat. pathol. cap. 10.* scribentem: *Intrusum corpus extraneum meatum obstruit, cum auditus jactura, nec sine doloris & inflammationis periculo; præsertim si tale corpus fuerit, quod imbibitâ humiditate, facile turgere possit, & putrefieri, vel etiam germinare intus, & radices jacere, quod non semel factum scimus, præcipuè in pueris, malo aliquando eventu, vel etiam pernicioso; ichor enim qui ex putredine manat, corpus musculi & tendinem, imò & tympanum exedit; quæ omnia quamvis arte vincantur, imperfectum nihilominus organum efficiunt; quod si sanari nequeunt, interficiunt quin etiam.*

Adde quæ Nob. Dn. Du Verney part. 3. de organo auditus, ubi de meatûs auditorii obstructione à corporibus extraneis tractat, nuper disseruit, & chirurgiam jocularem Exc. Valent. *Anno II. D. II. obs. 164. p. 374.*

*[Luc. Schröck, L. F.]*

OBSER-

## OBSERVATIO LXIII.
## D. JOH. DANIEL DORSTENII.
*De*
# Calculis per tussim & exscreationem rejectis.

NObilis quidam equitum turmæ præfectus, consilii gratiâ me accedens, de tussi continua sicca, interdum anhelitu difficili conquerebatur; ita, ut asthmate nonnihil durante, tandem calculos rejiceret, quo facto asthma remittere, tussi tamen siccâ, nec adeò vehementi remanente: simulque calculos diversæ tamen magnitudinis, alios pisi magnitudine, alios lentis, alios milii seminis, duræ & minimè friabilis substantiæ jam rejectos mihi ostendebat. Prout autem omnibus aliis in partibus, ut abundè testantur virorum magnorum observ. calculos generatos fuisse; ita etiam in pulmonibus id fieri posse & hoc exemplum confirmabat. Interim præscripsi isti Nobili inter alia medicamenta resolvens ac concretionem præcavens aliquod medicamen.

## SCHOLIUM.

HUc quadrant, quæ in Observatione med. 65. D. Joh. Hellvvigii, ut & Scholio ei adjuncto fuerunt prolata.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

Vidit Argonauta fœminam elegantissimam florentis ætatis, quæ tumore p. n. sub axilla oborto, eoque inter choreas nuptiales rupto & dissimulato, negligentiusque habito, in respirandi difficultatem primò, paulo verò post in tussim ferinam incidit, de pondere quodam in pectore latitante continenter conquerens, tophaceam tandem materiam calci tectoriæ seu intritæ similem, (quâ in pavimentum cretæ instar scribere potuit) validissima tussi rejecit, sed atrophia funesta sensim invalescente brevi expiravit.

## OBSERVATIO LXIV.

## D. JOH. LUDOVICI HANNEMANNI.

*De*

# Dysenteriâ feliciter curatâ.

HAnc nostram Chersonesum Cymbricam plurimis in locis infestat dysenteria: adversus hunc morbum contumacissimum & contagiosissimum quidam Pastor in parochia suâ decumbentibus summo cum fructu & successu propinavit vinum, cui infusæ sunt baccæ Solani, non solùm enormem fluxum sistunt, dolorem demulcent, verùm malignitatem in sudorem resolvunt. Præterea bufonum Sole exiccatorum & jam combustorum cineres in eodem affectu cum vehiculo exhibet, quorum cinerum usu & multi curati sunt felicissimè, operantur per sudorem cineres. Ex relatione cujusdam Generosissimæ matronæ ex Perill. Stemmate de Brochdorff, in cujus toparchia hic Pastor degit.

## *SCHOLIUM.*

SI per baccas Solani, sylvestris illius furiosi, quod puto, intelligantur, quadrabit huc, quod *Conr. Gesnerus*, Sirupum ex eis paratum pro magno arcano commendans, ad *Achill. Gasserum* præscripsit: *Succum ex ejus fructibus (acinis qui cerasa referunt) expressum, & ad Syrupi consistentiam cum pauco saccharo decoctum, ita efficacem esse, ut vel ligulæ aut cochleariј parvi mensurâ somnum inferat, fluxiones sistat, dolores tollat, dysenteriam curet; gratus est planè, sed cavendum, ne ampliùs detur, ego cum laude usus sum. Gasserum* tamën nostrum ab hujus usu, eâ quâ erat prudentiâ semper meritò abstinuisse, autor est noster *Georg. Hier. Welschius cap. 10. de vena Medin.* De quo etiam videri poterit itidem Augustanus, Exc. *D. Joh. Matth. Faber*, in singulari *tractatu de Solano hoc*, sub nomine *Strychnomaniæ* conscripto. Quilibet, quod placet,

cet, statuat; ego in competente dosi datum hoc medicamentum, si aliorum penuria me premeret, haud abhorrerem. Quod Bufones attinet, eosdem (ut usum in aliis adfectibus taceam,) cæteris quoque quibusdam in fluxionibus laudari invenio; & quidem in pulverem ustos sacculoque collo adpensos ad urinæ incontinentiam gestatos commendat *Henr. ab Heer. obs. 14.* Ossa verò in fluxu mensium nimio eodem modo adplicata *Guern. Rolfincius lib. 9. ord. & meth. med. spec. comment. sect. 6. cap. 9.*

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO LXV.
## Dn. ROSINI LENTILII.
*De*
# Hydropis desperati cura Empiricâ.

PAupercula Fabri lignarii uxor 36. circiter annorum ascitico-tympanitica graviter anno superiore per totum semestre decubuit; precibus adeò publicis per 3. menses & ulterius Deo commendata. Medicinæ nil quidquam hausit; quidam enim vicinus meus ab initio consultus, maritum dimisit cum prognostico certissimi interitus, & ordinare pharmaca non sustinuit. Tandem me miser accedit; Caussatur se non habere domi, unde vel murem pascat, & Medicum se quærere gratiosum. (Talem ferè quilibet desiderat, cùm tamen, ubi æger moritur, nihil obstante πενία, merces à Pastore ad vespillonem usque strenuè exigatur.) Consideratis probè circumstantiis omnibus, cum & ipse pro desperata haberem, è *Rulandi curationibus empiricis*, haut equidem temerè sic dictis, *extractum esulæ in sero lactis caprini solutum pro evacuatione; hinc decoctum baccarum juniperi, ex eodem sero pro potu ordinario impero.* Annuit maritus cum domi haberet capram, alioqui & hos sumtus fortè declinaturus: Vix binæ

 præter-

præterfluunt septimanæ, cum in templo preces pro hac fundi desinunt; Mortuam arbitrabar, sed cum contrarium experirer, hominem accerso, &, nunquid aliud, præter meum præscriptum, usurpasset, studiosè vestigo; ille nehilum se meis addidisse pejerat. Ergo tunc ventris promontorium detumuit, ægrâ hodienum incolumi. Videatur *Dec. I. Annus IX. & X. observ. 18. f. 63.*

## OBSERVATIO LXVI.

## D. BENEDICTI HERMANNI.

## Μόνορχις Liberorum utriusque sexûs Parens.

EST Amicus mihi intimus, qui ab Herniotomo in suâ infantiâ sinistro orbatus testiculo, nunc cum uxore (quam ex secundo Conjugio duxit viduam) vivit honestâ, piâ, & domui suæ instar cochleæ affixâ, adeoque tàm ob has quàm ob alias causas nec Marito, nec ulli hominum alii de vel minimâ castitatis labe suspectâ, ex quâ jam duos successivè suscepit diversi sexûs liberos, masculini sc. unum, & feminini alterum: Quo suo quoque exemplo redarguere sibi videtur Hippocratis & sequacium doctrinam, sinistrum testiculum θηλυγόνον, ἀῤῥενογόνον verò dextrum duntaxat reputantium; stabilire contrà Recentiorum Anatomicorum dogma de feminis Masculini contagio, è testibus Mulieribus indiscriminatim jam hujus, jam illius sexûs ovulum in uterum proliciente.

OBSER-

# OBSERVATIO LXVII.
## D. BENEDICTI HERMANNI.
*De*
# Tartari Emetici Virtute.

JUvenis 22. annos natus, nonnihil hypochondriacus, præterito menſe Junio febri quotidianâ in itinere corripitur, cujus cùm aliquot ſuperâſſet paroxyſmos, præter conſueta aliàs ſymptomata, etiam cum moleſtâ inprimis circa ventriculi regionem compreſſione atque ſuccuſſione ingruentes; meo conſilio primùm ſumit purgantem pulverem, quem ſuo munere ritè defunctum excepit; poſterâ die pulvis febrifugus, bihorio, circiter ante paroxyſmum ad ſudorem eliciendum, quamvis fruſtrà, exhibitus, cùm æger hic ſiccioris naturæ aliàs ad ſudorem ſit minùs proclivis. Recurrente itaque ſub paroxyſmi ſequentis initium illâ circa ventriculum conſtrictione atque concuſſione nauſeabundâ, offero Tartari Emetici ritè parati, & largos in aliis vomitus ſedesque moventis grana iij. quæ unicum in hoc ægro vomitum cum aliquo tamen levamine, movent. Poſt biduum pulveris febrifugi continuationi dicatum, Tartari Emetici iterùm gr. iiij. exhibeo, ſed en! nulla nec per ſuperius nec per inferius guttur dejectio, ſed turbulentus duntaxat in ventriculo motus, & mox leviſſimus ſubſequitur paroxyſmus, quem à trimeſtri hactenus ſpatio nullus excepit alius, ægro interim pancraticè vivente. Videtur hinc concludi poſſe 1. Febres intermittentes non malè acido cuidam p. n. fixiori, auſtero & obſtructiones cauſanti adſcribi, cùm ejusmodi acida, juxta Celeberr. Wedelium, Ettmüllerum, & alios, obtundant purgantia, inprimis vomitoria, quatenus acrimoniam illorum Salino Sulphuream volatilem hoc pacto infringunt; hinc Gummi gamandræ vitriolatum, minùs vomitum ciet

 quàm

quàm simplex; antimoniata Vitrioli & Nitri spiritu mitescunt, hinc sine dubio & Tartarus Emeticus in ægro nostro ab acido figente infractus, & in tertium quiddam deobstruens mutatus, vires nunc antifebriles potiùs quàm Emeticas exeruit, Patet hinc 2. Hypochondriaco-Melancholicos, à quorum temperamento non multum Noster recedit, ob illud ipsum acidum concentrans fixius à purgantibus, in specie Vomitoriis, minùs moveri, adeó ut desideratissimus D. D. Ettmüllerus Id. *præscr. form. c. 1. §. 10.* benè notet, Tartarum Emeticum qui alios fortiter exagitet, hypochondriaco-melancholicos vix tantillum, etiam sub triplâ dosi movere. Patet hinc 3. minùs verò consentire, quod Galenus 3. simpl. c. 24. & Ejus Assèclæ docent, purgantia, adeoque & Vomitoria, in substantiam veneno finitimam mutari, si nihil purgent.

## OBSERVATIO LXVIII.
## D. ADAMI à LEBENWALD.
*De*
# Admiranda calculi curatione.

LEpus animalculum est timidissimum, unde per lepôrem homines meticulosi lepores dicuntur.

Luxuriosa bestiola est juxta Poëtam:

*Prolis amans gignit fœtus, lactatq; tenellos*
*Dumq; superfœtat, dum parit, usque coit.*

An verum sit illud Martialis:

*Inter quadrupedes, gloria prima Lepus,*

Disputent Apitii, ego usum ejus in Medicina refero.

Vix pars est hujus animalis, quæ non labenti valetudini opem fert, imò & excrementa inserviunt.

Caput ustum juxta Galenum *lib. 11 d. simpl. med. facult.* cum adipe ursino vel aceto alopeciæ medetur.

Cerebrum dentitionem infantium promovet gingivis illitum, in potu datum urinæ incontinentiam cohibet.

Cor

Cor quartanariis alligatur, ejusdem pulvis cum tertia mannæ thuris in Vino albo per 7. dierum ſpatium à Sexto propinatur Epilepticis.

Fel cum ſaccharo exceptum gemmas & oculorum nubeculas delet.

Coagulum, ſi animalculum nil aliud quam lac deguſtavit, in Sole vel fumo exiccatum, præſtans cenſetur à Dioſcoride in fluxu Dyſenterico.

Si cum thuris polline & viſco q. miſcetur, ſpinas partibus infixas extrahit, & ad punctiones ſerpentum adhibentur.

Viri potentiam & fæminæ conceptionem juvare perhibetur.

Renes coctos Matthiolus in lithiaſi exhibet, eos Olaus Magnus ad podagræ levamen pedibus alligat.

Quercetanus ex matrice ad fæcunditatem medicamentum parat, eamque in veſicæ vitiis commendat.

Carnem in oleo frixam Albertus in Dyſenteria & inteſtinorum ulceribus per clyſterem infundit, ſimili modo ſanguinem aſſatum Dioſcorides propinat, quidam cum farina hordeacea miſcent.

Si tempore Martio ſanguis ab animalculo mactato linteis illotis excipitur, deinde exiccata partibus inflammatis aut Eryſipelate affectis applicantur, mirum in modum calorem extinguunt & dolorem mitigant, ut ego in me & aliis ſæpè ſæpiùs obſervavi.

Lac mulieres fœcundas reddit.

Adeps extrahendis ſpiculis cum floribus fabarum inſervit, retrò aures vel etiam infra palpebras inferiores inunctus ſuffuſiones oculorum incipientes tollit.

Dens appenſus dolorem dentis mitigat.

Marcellus in Colica paſſione Talum ſeu oſſiculum illud in poſteriori ſuffragine leporis funiculo ex pilis leporinis confecto alligat, ejus pulvis etiam feliciter in hoc affectu bibitur. Fœtus mortui expulſionem ab his oſſiculis ſumptis ipſe ego obſer-

observavi, ſicut etiam à Trago ad partum facilitandum in aqua Pulegii proponitur; in Epilepſia datur cum viſco q. corall. margarit. & ſem. pæoniæ, Urinam in lithiaſi valdè provocat.

Pellis ceratum ad hernias ingreditur, quidnam valeat in attractione, retentione, revulſione humorum etiam Tonſoribus & vetulis notum eſt.

Pili coërcendo ſanguini undecunque mananti imprimis ex naribus conferunt.

Pedes à vivo abſciſſi in dolore podagrico applicantur.

Urina hydropicis cum ſpica nardi utiliter propinatur.

Stercus ſubtus immiſſum nimios menſium fluxus cohibet, & humentem uterum exiccat.

Totius cremati pulvis ex Vino tepido calculoſis levamen præſtat; ad hunc finem Montagnana Electuarium componit, cui lapid. Spong. & Judaic. addit.

Coronidis loco addo miram obſervationem.

Baro quidam Illuſtriſſimus, Fautor meus ſingularis, per multos annos renum calculo divexatus, quos tamen ex renibus per ureteres, veſicam & urethram feliciter expulit; tandem grandior & durior in ipſa urethra ad præputium ſubſiſtens 4. ſeptimanarum ſpatio Urinam remoratus, quæ tamen guttatim per rimulam (quia totum meatum angularis lapilli figura obſtruere non poterat) effluxit. Adhibentur varia calculum comminuentia, inſtrumenta chirurgica ad frangendum, extrahendumque calculum in uſum trahuntur, laxantur viæ fomentis & oleorum injectionibus, ſed fruſtra omnia. Recurritur ad me 6. milliaribus diſtantem pro conſilio, præſcribo experta lithontriptica, quibus non juvantibus, ſectionem ſubtus poſt præputium inter duo corpora nervoſa & ſpongioſa ſuadeo, quid fit? interea Chirurgus libros ſuos pervolvens in antiquo (ut ita loquar) Pacuvio reperit hoc remedium: Veſica leporina unà cum Urina in fictili clauſo & lutato, incinerata omnem calculum frangit. Lectum factum: imbuitur

turunda oleo amygd. dulc. aspergitur prædictus cinis, calculus obstruens attingitur, mox in sabulum dissolvitur cum urina foras expulsum. Sic Illustrissimus Baro pristinæ sanitati restitutus, huc usque tales scopulos in mari Microcosmico non expertus est. An hæc vis lithontriptica ab acrimonia & corrosiva qualitate, vel à specifica proprietate, & an idem pulvis tutò intro sumi possit, demum an urina in calcinatione vesicæ vel potiùs incineratione aliquid addiderit, aliis judicandum relinquo. Hoc assero

*Sæpè bona eruitur libris medicina vetustis.*

## OBSERVATIO LXIX.

## D. ADAMI à LEBENWALD.

# Serpentis morsu pes intumescens mirabiliter curatus.

ANcilla rusticana, non procul à prædio meo in quodam pago serviens, ab alpibus ad Lares domesticos defert lac, butyrum &c. quæ jumenta ibidem ex pascua in tributum Villico suo cesserunt, hem in via repentè assilit serpens, ejusque pedi ad malleolum dextrum morsum infligit, pes totus ad genu usque horribiliter intumescit, mittitur ad me pro auxilio, præscribo Theriac. spinas serpentum pulverisatas in aqua Ulmariæ, præcaventur sic symptomata interna, tumor pedis tamen non remittit: accedit Empiricus, suadet ut oleum Petræ fundatur super ferrum ignitum, ejusque fumus ad locum affectum excipiatur, dictum factum, sensim remittit tumor, & serva in integrum restituitur.

*Non oleum ac operam perdidit ista suam.*

## OBSERVATIO LXX.

## D. ADAMI à LEBENWALD.

# Claudicatio ex Calculo curata.

HAbitabat in vicinia mea Vir optimus, nomine Josephus Neumahn, hospitium præbens advenis Magnatibus, is frequentibus doloribus nephriticis & renum calculis subjectus, tandem patitur obstructionem in rene dextro à lapillo duriori & grandiori, qua de causa urinæ defluxus ad vesicam impeditur, nec ren sinister socii sui officium supplere voluit aut valuit. Natura itaque lymphæ salsæ & lixiviosæ remoram passa, amandat eum ad pedem ejusdem lateris, excitatur ulcus circa malleolum externum valdè dolorificum, subsistit materia crassior & tartarea circa tendines & ligamenta pedemque contrahit, ut miserculus per integrum annum ambulandi potentiâ privatus, sella portari opus habuerit. Implorat meum auxilium, præscribo Magist. ocul. cancr. gr. XV. Magist. gialapp. ℈ß. diagr. sulphur. gr. IX. tartari vitriolati gr. VIII. dantur in jusculo carnis cui rad. petrosel. incoctæ fuerunt, movetur alvus, dolores circa renes oriuntur vehementissimi, & tandem calculus per ureteres ad vesicam, inde per urethram foras ad matulam propellitur cum sonitu & periculo fracturæ; erat autem lapillus formâ & magnitudine fabæ similis siliceæ duritiei. Quo facto urina cœpit liberè & copiosè profluere, cessavit affluxus ad pedem, ulcus facilè sanatum, tendines & ligamenta robur suum recuperarunt, pes ad ambulandum optimè dispositus fuit, relictâ tantùm modicâ debilitate

*Nodus si durus, duro opus est cuneo.*

OBSER-

## OBSERVATIO LXXI.
## D. ADAMI à LEBENWALD.
*De*
# Catarrho suffocativo ex constrictione colli.

DOmicella quædam Illustrissima collum sibi pinguescere & incrassescere advertens, timuit se strumosam futuram, adeoque suam Venustatem non parum periclitari.

Ad præcavendum tale horologium carneum, ipsa sibi consulens, constringit validè fasciâ collum, credens se tali modo posse impedire incrementum; sed reverâ circulationem sanguinis per venas jugulares ad fontem suum recurrentis remorata est, qui in cerebro subsistens in putrilaginosam viscositatem conversus, ad pectus præcipitatus catarrhum suffocativum vix non lethalem produxit. Curavi illam & suasi ut imposterum hoc medicamenti genus intermittat, quia constrictiones colli sunt periculosæ,

*Nilq; novi, strumas cernere in hac Patria.*

## OBSERVATIO LXXII.
## D. GABR. CLAUDERI.
# Fœtum pariens fœtus recenter exclusus.

RArum & curiosum est, quod adnotârunt seduli Naturæ Ministri, *Joh. Bapt. Ferrarius in Hesperidibus, lib. 3. cap. 19. Olaus Wormius, Musei sui lib. 2. cap. 28. f. m. 206.* Summè meritus noster *Phil. Jacob. Sachsius in Gammarologia Lib. I. cap. 8. p. m. 144. Joh. Dan. Major. Ephem. Germanicar. Dec. I. Anni. III. Observat. 241.* ac alii. Pomum citri à Naturâ opifice perfectè absolutum in aliô malô citriô fuisse natum & repertum.

tum. Rarius & curiosius est, quod memorat Magnus Thom. Bartholinus, *Tract. de insolitis Partûs viis, cap. 16. p.m. 133.* mures aliquoties peperisse fœtûs prægnantes; Equam item in Hispaniâ exclusisse partu, mulam aliâ mulâ gravidam; Nec-non ovum oviparum, vel aliô ovô prægnans servari in Technicothecâ Regiâ Haffniensi.

Rarissimum tamen & curiosissimum est, dictam gravidationem insolitam quoque sexui accidisse humano, veluti tale exemplum videre est apud modò laudatum *Thom. Bartholinum in citatô Tractatu. de insolitis Partûs viis, cap. 11. p. m. 124. seqq.* ut & *Centur. 6. Histor. anatom. observat. 100.*

Similis planè casus contigit Anno 1672. in vicinâ nostrâ Thuringiâ propè Naumburgum, in ditione nobilissimi à Breitenbauch; veluti hæc quidem accepi ex ore ipsius Socrûs, generosi Aulæ nostræ Marechalli à Timpling relictæ viduæ; Dum scilicet in pagô Bezgendorff uxor molitoris debitô tempore parit filiolam cætera sanam, nisi quòd abdomine præter solitum tumidô fuerit dotata. Exclusa hæc Filiola, exclusus hic fœtus, elapsô primô vitæ suæ octiduô corripitur improvisò torminibus magnis, (quod continui fletûs, continua inquietudo & jectigationes testatum ibant) postea Pudendo exit aqua cruenta, mox succedit filiola vivens; hanc insequitur secundina imò lochia fluunt, & omnia fiunt, quæ legitimô in partu fieri solent ac debent.

Filiolæ istius recens-natæ hæc adhuc recentiùs-nata filiola digitum medium erat longa; & quia vivebat, perfectumque præ se ferebat homuncionem, sacrô imbuebatur Baptismate. Alterô verò statim die mundo valedicebant tenerrima hæc filiola cum tenerrimâ suâ matre quasi superfœtante; Aviâ verò earum, hoc est, genuinâ & primariâ puerperâ (molitoris nimirum Uxore) manente superstite. Gemellas in hisce casibus molitam esse Naturam locô citatô statuit Clariss. Bartholinus; sed errore aut lusu quodam alteram in alterius uterum inductâ cuticulâ, esse detrusam. Cui

Cui ſententiæ, utpote veritatem olenti noſtrum meritò adponimus calculum.

## OBSERVATIO LXXIII.
## D. GABR. CLAUDERI.
*De*
# Hippomane.

HIppomanes quid propriè ſit, & quis legitimus illius uſus, multis ſeculis exercuit ingenia Medicorum Phyſicorum, Philologorum; & adhuc ſub judice litem eſſe, literatos non latet. Controverſiam hancce heic propriè ventilare extra meum eſt propoſitum; in Ephemeridibus noſtris Medicis ſaltem medica tractaturus. Anilis iſta, indocta ac fundamentis anatomicis manifeſtè contraria opinio, quaſi hæc ſubſtantia ſit fruſtum carnis in fronte hærens, vel Lien ſuper linguam equi recentiſſimè nati repoſitus, qui ſi ſtatim à Partu removeretur, equum illum exhibiturum eſſe curſorem velocem, meritò exploditur, ſibilô digna. Curioſam ſatis hac de re exhibet hiſtoriam Nobiliſſ. Dn. Raygerus, *Decur. I. Anni 8. Ephemeridum Germanicar. obſervat. 57. p. 94. ſeqq.* Ferè ſimilem lubet heic proponere: Nobiliſſ. Rudolphus à Berbisdorff, Starkenbergæ Toparcha, τῶν ἐν ἁγίοις, curioſitate phyſico-œconomicâ impulſus, ac rei hujus veritatem indagaturus, (à me quidem ſtimulatus) jubet famulum equeſtrem, ut obſervet equas duas parturientes, earum partui adſtet, eripiatque putatitium iſtum lienem, (ceu vulgariter & falsò crederetur, aut vocaretur;) vel corpus carnoſum linguæ incumbens; antequam pullus jamjam utero excluſus primô ſuô ac pleniore aëris hauſtu, ſive reſpiratione factâ illud more ſolitô deglutiat. Servus iſte alteri equo non obſtetricat, ob partum celeriùs abſolutum; in alterâ verò (ob munus promiſſum fervidior,) feliciter per-

ficit mandatum Domini ſui, ac ſubitò extrahit ori apertè ſtanti ſubſtantiam carnoſam quaſi lieniformem.

Hoc corpus exſiccatum mihi fuit exhibitum, & tunc præ ſe tulit figuram glutinis ſcriniariorum ſicci; Illud autem vel valdè poroſum, vel valdè cavum fuiſſe, ſuſpicari inde licet, quòd pars ejus fracta interiùs albicantem, ac tunicis ſimilem exhibuerit colorem.

Ejus uſum quod attinet, cum ſuprà citatô Nobiliſſ. Dn. Raygerô ad τὸ ἐπέχειν confugimus, veluti quidem in multis rerum phyſico-medicarum cauſis enodandis hucusque dolor! facere fuimus coacti, & adhuc cogimur, (cùm non immeritò crudas occultas qualitates, utpote notum illud aſylum, nauſeemus) hujusque pleniorem cognitionem ſagacioribus, aut poſteritati eruminandam tradimus. Quantum quidem hariolari nobis jam licet, videtur illud quodammodo inſervire nutritioni Fœtûs in Utero per os factæ, juxta plurium Neotericorum ſententiam, licèt adcuratiores circumſtantiæ ſeculum noſtrum hunc in diem lateant. Non poſſum non tamen producere, quòd Nobiliſſ. Dn. D. Matthæus Pauli, Practicus apud Dreſdenſes celeberr. mihi aſſeveraverit, Amici experientiâ ipſi certò conſtare, ſi puero ſemeſtri exhiberentur 10. grana ſiccatæ hujus carnis, illum totô vitæ tranſitu ab epilepticis inſultibus fore immunem.

## OBSERVATIO LXXIV.
## D. GABR. CLAUDERI.

*De*

# Lare illô, vel Beſtiolâ domeſticâ, den Haus-Uncken vocant noſtrates.

NEminem facilè, præcipuè inter Plebejos reperire eſt, qui non noverit loqui nonnulla de Beſtiâ illâ ſingulis ædibus, quaſi Lar aliquis domeſticus, inquilinâ, den Haus-Uncken/ vocitare quem conſueverunt; dum

dum nimirum quoddam Bruti genus aliquando elevat unum alterumve terræ vel arenæ acervum, præprimis quidem in inferiore domus contignatione, aliquando item sonum edat gallinæ glocitatione pullos pascentis similem. Nemo autem ferè verè adfirmare potest, sese rarum illud Laris genus oculis conspexisse; aliique illud habent pro serpente aut viperâ, alii pro mustelâ vel talpâ, pro bufone sive lacertâ alii, alii pro aliô, nescio quô animali habent, nihilominùs superstitiosâ ignorantiâ occœcati molliusculè semper illud tractant ac venerantur; piaculumque ingens judicant id turbare, vel elevatos cumulos lædere; cùm certè instantia familiæ incommoda inde ominentur, sibique ipsis falsò minentur. Verùm, audias, sis, curiose Lector, quæ mihi hâc de re constent: Accidit nuper elapsô Annô 1679. mense Juniô heic loci in plateâ à latitudine denominatâ (die Breite Gassen) in domô Christiani Gemeiners, Ministri vectigalium equestris, (Gleits-Reuters/) ut talis sonus glocitans, submissior tamen, per integrum diei tempus pomeridianum & vesperinum ab omnibus fuerit perceptus. Chirurgus noster aulicus, curiosus talium scrutator, Dn. Joh. Hilscherus, sequenti manè ob negotia quædam chirurgica accedens, percipit, quid rerum heri obtigerit, & quòd jam denuò, postquam lectos deseruerint domestici, per horas aliquot similis sonus sentiatur in corbe vitia ad columbarum pabulum destinata continente, per noctem improvisò in mensâ relictâ; tegumento autem munita erat dicta corbis, priùs non adeò adcuratè claudente; postea verò ob bestiolam suo ingressu id tangentem delabente, & sic corbem penitùs operiente. Chirurgus curiosus urget corbis apertionem; sed omnibus è devotione intempestivâ (superstitiosâ volebam dicere) contradicentibus, timidè aufugientibus, ille ipse solus relictus, modestè & lentè elevat dictum corbis operimentum, videtque latitare, ac super vitia transcurrere murem, & quidem minorem. Hinc domesticis revocatis persuadet, ut

per-

permittant, quin corbem muriferam intrudere liceat vasi aquâ repleto, pro suffocandô, qualequale sit, animali glocitante. Quô ab inuitis tandem impetratô, exp ctant consternati omnes adstantes, quale quantumque Monstrum horrendum ingens parturiet hic mons; sed nihil nascitur, nisi ridiculus mus, mus sanè minimæ illius sortis, quos die Spitz-Mäuse vocitant, nisi quòd aures ipsi fuerint longiores solitô, ut & duplô ampliores. Ego istum murem balsamatione meâ aclalicâ sum dignatus, & cuilibet ostendere valeo; credens, illum esse de illo genere murium sub terrâ repentium, die Reitmäuse. Nostratibus audiunt, veluti etiam dantur, præter Talpam, tales bufones, aliaque bruta.

Cùm parum hâc de re publicè constet, non displicebit Lectori in majorem rei fidem sequentia adnectere: Simile planè mihi retulit Dn. M. Joh. Sternius, Ecclesiastes noster fidelissimus, dictum illud animal, quod singulis domibus inquilinum creditur, non ita pridem in Pagô Saræ (dum adhuc Parochus ibidem degeret,) cumulos arenæ suô in Hypocaustô protrudisse, ac sonum glocitantem aliquoties edidisse. A liberis & domesticis perterritis vocatus ipse, accedens audit quidem glotire; dum autem adhuc adstans de indagandâ causâ meditatur, ecce! mus quidam minor è cumulô prodiens per hypocaustum transcurrit, dictumque sonum glotientem publicè & manifestè edendo, tanquam sorex, seipsum prodit.

Inde licet hariolari, quòd certis temporibus aliqua murium species, veluti alia etiam nonnulla animalia, peculiarem talem sonum proferat, præcipuè quidem, dum veneri inhiant, qualia sunt aurogallus, gallina, &c. Quòd autem singulis domibus sit inquilinum tale animal, superstitionem omninò & anilem olet fabulam, ac fortuitò evenire credo, ut illa in hypocaustis, cameris, &c. terræ acervos elevent, cùm tale nescium sit, an hæreat in hortô, vel areâ domûs, vel camerâ, aut alibi. Illi præprimis, qui brutum hocce serpentem viperam, vel bufonem esse contendunt, pro superstitionis suæ

funda-

fundamentô ponunt, aliquando equas, vaccas, &c. punctione vel morsu lædi ab Idolô istô, vel incognitâ bestiâ; & hoc quidem præcipuè; postquam fortes percussiones sonum motumque penetrantem causantes in stabuli fundô vel areâ fuerint peractæ, quibus in incandescentiam rapi & invitari Larem illum sibi imaginantur.

Verùm hujus in cruribus brutorum factæ læsionis causam manifestam statim dictitat ratio physica, dum scilicet dictis sonis fortiter percutientibus viperæ, serpentes, & si quæ alia talium sunt, sub stabulis, vel his vicinis fimetis, similibusque latibulis hæsitantes acquiescentes turbantur; Et quia vitæ propriæ periculum metuunt, irâ perciti bruta vicina, ob ortas turbationes ipsis falsò suspecta vulnerant.

## OBSERVATIO LXXV.
## D. GABR. CLAUDERI.
*De*
# Hermaphrodito.

Ludere in humanis rebus Divinam potentiam, ac inter creaturas non rarò monstrosa, & contra solitas Naturæ vias accidere, singulis, qui æquâ rationis lance Physica ventilant, non est incognitum. Similibus extraordinariis contingentibus non immeritò adnumerantur homines illi, Hermaphroditorum nomine quos insignimus, dum scilicet & virile & muliebre genitalia, bonam tamen partem utplurimùm imperfecta, à Naturâ ludente vel errante talibus insimul impertiuntur.

Cùm horum historiæ in observationibus Medicorum non sint adeò passim obviæ; junioribus autem Medicis, aliisque interest noscere circumstantias hujus erroris naturalis, ob divortium sæpè ideò quæsitum, & alia diversa, lubet heic aliquam proponere; præprimis cùm nonnulla ab aliis similibus

diversa contineat, atque rariora: Civis quidam in vicinô aliquô oppidô honestè natus, & honestè educatus, nec inhonestè vivens, simili, id est honestô propositô matrimonium ingressurus, eligit sibi virginem, parentum honestorum filiam, famæ itidem non inhonestæ. Dum conjugii debitum sponsæ suæ persolvere aggreditur, dapes hasce venereas neutiquam experitur ita dulces, veluti quidem easdem sibi promiserat; (primâ autem vice, dum vixerat, coitum tunc exercebat.) Rem enim suam in novellæ uxoris rem immissurus, (ignoscant mihi casti oculi, castæ aures; Egomet castus Medicus hæc castis scribo; si quis Genius protervus scandalum inde accipiat, sibi ipsi habeat;) invenit portam hancce nimis angustam, & vix duos digitos transversos amplam; Et quod majus adhuc fortunæ adversæ obtigit tragicum symptoma, mentula conatu violentiore intrusa sentit aliquid interiùs contrà audentiùs ire audens, atque ita huic introitum summè dubium reddens.

Misellus iste cœci Cupidinis miles duellum hocce amatorium, præter opinionem ingratum, satis ægrè ferens, ex amicis clanculùm sciscitatur aphrodisiorum castrorum exercitia, consuetásque circumstantias; atque ita de hisce certior factus, de desideratâ castelli hujus mirabilis atque miserabilis expugnatione desperat; propterea rem gestam Magistratui Ecclesiastico denuntians, divortium petit, &, quod petit, obtinet.

Ocularis enim inspectio, Magistratûs jussu à peritô Chirurgô instituta, docuit, hominis hujus pudendum muliebre duos saltem digitos transversos esse amplum, atque intra hoc superiore in parte membrum apparere virile, primô intuitu duas ad tres digiti articulationes longum, inter leves autem contactûs in æqualem magnitudinem adhuc excrescere, durius insimul redditum; Contrectatione adcuratiore itidem edocente, sub carne adhuc latitare ejus portionem digitum longam; Penem istum glande esse præditum non perforatâ, ac sine præputiô; Labiisque pudendi muliebris diductis foli-

tas

tas non apparere nymphas; Collô item uteri anteriore existente quasi cartilaginosè durô.

Cæterùm ſanguineæ illa erat complexionis, ac ſatis vegetæ, corpus obtinebat forte, vocem virilem, mammis carens, barbæ rudimentis & viſum & tactum eludentibus; & quamvis tunc 26. ætatis ſuæ annum abſolverat, menſtruum tamen fluxum nunquam fuit experta. Modò dictis tamen non obſtantibus, illa ipſa ſeſe credebat fœminam, pluribus jam annis maſculorum inhians amori ac contubernio; imò è congreſſu mariti matrimoniali delectationes & deſiderans & ſentiens, modò monſtroſa conformatio, & confuſa partium genitalium ſtructura haſce ipſi non invidiſſet.

## OBSERVATIO LXXVI.
## D. GABR. CLAUDERI.

# Subſtantia Renum nondum corrupta fruſtulatim excreta, cum mictione ſanguinis lucidi, lethalis.

Quinquagenarius poſt ſæpiùs peractas meditationes ſerias, labores vehementes, commiſſosque diætæ errores varios auget pedetentim in maſsâ ſanguineâ cruditates acido-ſalſas, ſuccedente cachectico-ſcorbuticâ viſcerum debilitate, & imprimis, ob tartarum in renibus coagulatum, calculô, ad quem hæreditariè ab utrôque parentum proclivis.

Quibus tamen ſymptomatibus per commoda remedia, atque adcuratiorem diætam aliquot annis ivit obviam, ipſe enim erat Medicus, ut negotiis ſuis obeundis bonam partem fuerit ſufficiens; causâ mali quidem non penitùs ſublatâ; hinc ingraveſcente denuò ſucceſſivè ſtatu morboſô cachecticô, non omiſſis novis in diætam peccatis, augetur laſſitudo, aſthma, vomitus, nauſea, ac imprimis calculus, ut remedia probatæ in

aliis experientiæ incassum exhiberentur. Propterea sibi persuadere ab aliô patitur impatiens patiens, me licèt ingenuè dissuadente, & summè contradicente, ut unâ & alterâ vice assumat spiritûs salis armoniaci volatilis drachmam unam, sperans fore, ut ita acidum viscosum ac p. n. sanguinis impuri infringeretur, calculique è renibus πὺξ καὶ λὰξ exturbarentur.

Verum enim verò tantum aberat, ut massa sanguinea cum visceribus chyli- & sanguificantibus solamen senserit à violentô medicamenti hujus nimiùm penetrabilis auxiliô, ut potiùs eorum Archæus balsamica spirituum virtute jamdum depauperatus succubuerit; dum scilicet cruditatum scorbuticarum p. n. fermentationes mirum- quantùm auctæ, ac vi diureticâ medicamentum ad renes antea debiles præcipitatæ & subitò raptæ causabantur dolorem nephriticum vehementissimum; insequente non modò largâ mictione cruentâ, sed & corrosione substantiæ renalis; unde successivè, spatiô 2. ad 3. septimanarum, Ren primò sinister, dein dexter (quod dolor Renis adfecti indicabat) frustulatim, particulis aliquando nucem juglandem æquantibus, imò superantibus, & quidem maximam partem integris & incorruptis, quasi jamjam cultrô fuissent dissecti, spectaculô mirandô ac miserandô ob summè dolorosum per angustas & tenues ureterum transitus, excernebatur.

Ulterius aliquot diebus sanguis lucidus ac tenuis, qualis in venæsectione solet, exibat, ad libram unam pro dosi, admixtis insimul vasorum & ureterum particulis non parvis. Quorum symptomatum non poterat non esse pedissequa virium prostratio summa, febris symptomatica, & tandem mors. Truculentæ ac rarissimæ huic fermentationi opponebantur quidem diversorum generum remedia, v. g. Ebur ustum C. C. ustum, balsamus è saccharô Saturni oleô amygdal. dulc. factus, balsamus sulphuris amygdalinus, Essentia terræ Catechu, extractum agrimoniæ, cerefolii, hyperici, bellidis albæ, mucilaginosa item è radice symphyti, altheæ, ut & alia confortantia;

mixtis

mixtis cautè insimul anodynis, imò narcoticis; varia non minus externa adplicabantur, v. g. inunctiones adstringentes, alternantes è Saturnô, &c. sed omnia incassum. Proindè cautiùs mercari discant Medici juniores, imò alii, sibi ipsi medicamenta inconsideratè propinantes alienis exemplis, caveantque, ne remedia generosa abusivè adhibita evadant gladii in manibus furientium.

## OBSERVATIO LXXVII.
## D. GABR. CLAUDERI.
# Convúlsiones epilepticæ violentæ á clystere acriori in doloribus Ventris scorbuticis incautè adplicitô excitatæ, sanatæ.

MOrbos Nostratum modernos, ob scorbuticum sanguinis miasma utplurimùm iis, dolor! admixtum ab antecedentium temporum adfectibus longiùs differre, ac ideò mutatâ diversimodè medendi methodô olim usuali ac frequenti cautissimum exposcere cerebrum, cautissimamque manum medicam, præter alias innumeras sequens itidem declarat Observatio: Quadragenarius ob vitam sedentariam lucubrationes ac meditationes serias scorbuticæ diu obnoxius cachexiæ, atque diversa ejusdem passus symptomata, corripitur subitò sibi insolitis, iisque vehementibus ventris torminibus. Deficiente in oppidô Medico, pharmacopœi consilium expetitur; hic suspicans adesse dolores colicos frequentiores, muco viscido pituitoso natalem debentes, inhæret antiquis remediorum formulis & applicat pro pituitâ suâ evacuandâ clysterem acrem additâ particulâ trochiscorum alhandal, aliisque purgantibus. Verùm serum biliosum scorbuticè corruptum acre & lanci-

nans à rodente colocynthidis penetrabilitate valdè irritatum, ſtatim ab applicatione nimioperè auget dolores, quos inſequuntur, ob conſenſum partium nervoſarum, violentæ convulſiones epilepticæ, cum ſpumâ circa os, & ſimilibus accidentibus.

Manè ſequente Ego accerſitus applicare jubeo clyſma è lacte, additis mucilaginoſis è radice altheæ, ſymphyti, item lenientibus ac anodynis flor. chamomillæ, oleo amygdalarum, &c. Internè inſuper propino Eſſentiam caſtorei volatilem, (veluti deſcripta reperitur in Tractatûs mei de Tincturâ univerſali præfatione) item Liquorem C. C. ſuccinatum, ut & Eſſentiam meam è ſale fuliginis, item mumiæ in Tractatu de Balſamatione deſcriptam, additâ Eſſentiæ opii, ut & theriacæ portione non minùs pulveres è Cinnabari nativâ Hungaricâ, Unic. foſſili, ebore, coralliis, mixtis martialibus, pro bile dulcificandâ; abdomen illini curabam ſpiritu compoſitô juniperi, ſalviæ, chamomillæ, ſalis armoniaci camphoratô; E quorum uſu æger, Divina Benedictione manifeſtum ſentiebat levamen.

## OBSERVATIO LXXVIII.

### D. GABR. CLAUDERI.

# Lapis quaſi bezoardicus in Cervæ ſtomachô repertus, veſicæ incluſus.

CAlculos in pluribus animalium partibus, à tartarô ſanguinis coagulatô generari, tam copioſæ teſtatum eunt hiſtoriæ medicæ, ut noctuas portent Athenas illi, qui vel dubii hæreant, vel exemplorum productionem inſtituere audeant.

Digna tamen eſt notatu ſequens obſervatio: Lapidem vel tartarum lapidoſum, ovum gallinaceum figurâ & magnitudine

tudine æquantem & drachmas ſex ponderantem, in Cervæ globulô ferreô transfoſſæ ventriculô repertum, poſſideo è manu liberali Nobiliſſimi ſylvarum Ducal. Præfecti, D. Stephani à Frieſen. Rarum atque miratu dignum eſt illud præprimis, quòd fuerit ſacculo membranoſo vel veſicæ coriaceæ à Natura incluſus; adeò quidem, ut primô intuitu huncce juraſſes ſacculum caſtoreum officinale continentem. Lapidis bezoardici virtute eundem pollere, facilè credet is, qui conſiderat analogiam cervæ cum caprâ bezoardicâ, earumque cibi ac nutrimenti ex herbis medicamentoſis æqualitatem; Præprimis, ſi meæ quoque experientiæ teſtimonium addiderim, quòd ſcilicet pauxilla hujus grana ægroto propinata egregiè ſudorem moverint.

Celeberr. Athanaſius Kircherus *in Chinæ ſuæ illuſtratæ parte 4. cap. 11. f. m. 206.* refert, calculum huic quoad figuram & qualitatem bezoardicam verè ſimilem in Chinæ Provinciâ Xanting aliquando in vaccarum ſtomachô reperiri. Crediderim Ego, (quod Pace viri magni dixerim) non modò in dictæ Chinæ Provinciâ Xantingi, ſed & in reliquis ejus Provinciis, imò pluribus aliis regnis, & ſimilia & majora repertum iri, modò laborioſa manus, mensque curiosè indefeſſa in ſimilia inquireret; ut rudem proferam inſtantiam, videmus quot diebus tantum-non Laniones noſtros Capſulæ bilariæ bovinæ extrahere, & nobis lucelli causâ offerre calculos utplurimùm triangulos à bile coagulatâ ac incraſſatâ, ut & umbilico ſuillo lapides aliquando ſatis grandes educere, quòd olim, ſanè rariſſimè peragebant. O quantusquantus rerum occultarum ac adprimè utilium numerus dubio procul omni latet, non quidem in ſolis animalium ventriculis; ſed in diverſis planè aliis Macro-&Microcoſmi locis; modò non dentur tam multi vacunæ ac ignaviæ, antiquum illud ſemper obtinere deſiderantes, ſacrificuli.

OBSER-

# OBSERVATIO LXXIX.
## D. GABR. CLAUDERI.
*De*
## Calculo in naſo genito.

IN pluribus animalium partibus generari calculos, in præcedente innuimus Obſervatione; tales in naſi parte interiore quoque fuiſſe natos ac repertos teſtantur ſeduli Naturæ Myſtæ Hein. ab Heer, Thom. Bartholinus, Joh. Victor Schneiderus, alii; Curioſam hujus hiſtoriam heic lubet ſubjungere: Fœmina 60. annorum, catarrhoſæ, quam vocant, diſpoſitioni obnoxia, per aliquot annos, autumnali præprimis tempore, ſenſit per nares effluere copioſum mucum tenuem, cum doloroſâ obſtructione vel impedimentô in nare dextrô, propè os cribriforme, non ſine loquelâ obtusâ atque indecorâ, quali utuntur pueri nasô mucô repletô. Cùm Chirurgus ſtilô remiſſô aliqualem perſentiſceret excreſcentiam, Polypi metuebamus principium; dubii tamen hærebamus, cùm tantum abfuerit, ut hæc inſtrumento ceſſerit, ceu aliàs ſolet carnoſa Polypi ſubſtantia; ut potiùs tacta ſonum ediderit, & reniti fuerit auſa. In caſſum tentatis variis remediis internis-externis, v. g. laxantibus, ſudoriferis, ſternutatoriis, purificantibus item è ſalibus alcalibus, lignis, caſtoreô, &c. tandem motus ſternutationis violentior movet ac ſolvit huncce calculum dicto oſſi quodammodò adnatum; Chirurgicô extractus inſtrumentô magnitudine æquabat avellanam nucem, formæ tamen magis rotundæ. In utrôque latere alatus quaſi erat, vel latâ præditus excreſcentiâ, quæ tantam præ ſe ferebant duritiem, ut penetrabili mallei confringentis efficaciæ vix obediret.

OBSER-

## OBSERVATIO LXXX.
## D. GABR. CLAUDERI.
# Mucus cadaveri exſtillans innoxiè potus ab inſciâ.

QUanta-quanta imaginationis ſit efficacia, quantæque ejusdem vires in ſensûs noſtros, quotidiana quidem exemplis confirmat experientia; Raram tamen heic proponere libet hiſtoriam: Nobilis corpulentus mortuus aliquot ſeptimanis ante ſepulturam ſervatur in camerâ aliquâ; (uti aliquando diverſas ob cauſas fieri apud Magnates ſolet) Ut autem metuendus, isque noxius cadaveris putrefacti præcaveatur fœtor, liquori fermentativè corrupto inde exſtillanti per aliquod loculi foramen in fundô factum effluxus monſtratur atque conceditur. Serum hocce putridum in vaſe ſuppoſitô collectum aliquando effundere in locum ſecretum ſervus in mandatis habet; dum autem unâ vice hoc expedire occupatus eſt, ab alio ad alia negotia ſubitò peragenda avocatur; proinde vaſculum illud mucum continens intereà reponit in domûs atriô. Accidit autem, ut improvisò advenerit paupercula, ſtomacho famelico ac ſitienti oſtiatim ſolatium quæritans; & cùm crediderit ac ſibi perſuaſerit, illud eſſe ſerum lactis ab Oeconomâ caſeifice illuc repoſitum, ſiti æſtivum ob calorem intensâ fiduciam in hunc potum ſibi incognitum extorquente, plenis avidisque buccis, & quidem copiosè bibit dictum ſerum putridum inſcia; nullô planè ſuccedente ſanitatis diſpendiô. Si verò ipſi conſtiterit, quale hauſerit nectar, nectar ſanè vel ſolô auditu abominabile, ſi non mortem ipſam, morbum tamen violentum ſibi eandem conciliaviſſe, nemo negabit, niſi qui cucurbitam pro cerebrô habet.

## OBSERVATIO LXXXI.
## D. GABR. CLAUDERI.
# Ex falſa imaginatione mortuus.

SEntentiam modò propoſitam, licet abundè claram, manifeſtè è ſuperfluô it confirmatum ſequens hiſtoria: Viro Nobili moritur Uxor; Die hunc obitum inſequente famulæ infidæ ac vinolentæ cellâ exportant vinum in urceô ſatis capaci. Hac de re improvisò certior factus nobilis, ac vinum modicè guſtans, rigoroſis punit verbis improbas iſtas Oeconomas. Hæ autem tales videri nolentes, ipſi perſuadent, vinum hocce neutiquam fuiſſe clanculùm cellâ exportatum, ſed heri adhibitum pro abluendô Uxoris ipſius demortuæ cadavere. Inopinâ hac relatione, licet falsâ, Nobilis mirum quantùm perterritus, tantam nauſeam, tantamq́ue ſpirituum diſſipationem ac ſuffocationem veluti turdus, ſibi excitat, ut paucis pòſt diebus mundo valedicens, idem, quod Uxor, ingredi fuerit coactus ſepulchrum; veluti non ita pridem eundem lectum.

## OBSERVATIO LXXXII.
## D. GABR. CLAUDERI.
# Vini Malvatici, Hiſpanici, & ſimilium generoſorum æmulatio, aut reſuſcitatio artificialis, in quacunque Terræ regione, ſingulisq́ue anni temporibus citò, tutò ac jucundè abſolvenda.

POtus ac bibendi modus in binis antecedentibus hiſtoriis productus nauſeam ſanè adhuc movet; & quidem non immeritò, veluti quidem non minùs univerſæ da-

pes

pes medicæ pluribus sunt suspectæ ac malè audiunt. Propterea in benevoli Lectoris gratiam gratius heic subjungam potûs genus; Intelligo autem nectar illud incomparabile pro corde exhilarandô, juxta verba Sacræ Scripturæ, & pro stomachô roborandô, juxta divi Pauli Timotheo suo exhibitum monitum, cœlitùs concessum hominibus, *Vinum*. Vina generosa dulcia (veluti à Nostratibus ad differentiam inquilinorum, Rhenanorum, Mosellanorum, Francicorum, &c. vocitantur,) è Græciâ, Hispaniâ, aliisque locis, in plures provincias, præprimis quoque in Septentrionale nostrum territorium labore magnô magnis sumtibus transvehi, notissimum est; Ut proinde habeamus, cur operosas reponamus gratias beneficentissimo Creatori pro gratiosô ac gratô hôc donô & prodesse & delectari valente, modò modicè ac secundùm sanæ rationis modium hauriatur.

Non solùm autem gratos offeramus Divinæ Munificentiæ animos pro concessis utilissimis hisce muneribus potulentis; sed præprimis quoque ideò, quòd Eadem Divina Majestas in mandatis dederit dictarum Provinciarum incolis, præter ipsa vina confecta, materiam ex quâ horum vinorum nobis, aliisque, quasi inscios, etiam transmittere; (Passulas scilicet majores intelligo, quas nihil aliud esse, ac uvas exsiccatas, succum vini quasi inspissatum continentes, nemo negabit;) Ut ita non modò vina hæc aliunde communicata & transportata bibere; sed etiam pro sumtibus compendifaciendis, pro pauperum solatiô, & in casu necessitatis, aut in defectu vini generosi nativi huic valdè analogum quôlibet anni die, quâcunque in mundi plagâ pro lubitu nos ipsi conficere valeamus.

Quemadmodum autem currens seculum jure meritò hancce sibi vendicare potest gloriam, in eôdem plura utilia atq; curiosa esse inventa, ac in variis antecedentibus: ita non minùs artificium hocce vinosum, utile miscens dulci, in eôdem pleniùs atque perfectiùs innotuit curiosis indagatoribus rerum naturalium; adeò quidem, ut ultimis hisce ætatis nostræ an-

nis illud non modo curiosi in usum actumque traducere, & cujuslibet faucibus ac oculis offerre; sed ipsi etiam Oenopolæ illud publicè venum exponere pro nativis valuerint ac voluerint.

Modus autem extrahendi dictam vini Essentiam consistit in hôc, ut succus vinosus in passulis (quippè quæ nihil aliud sunt, quàm uvæ exsiccatæ, ceu superiùs dictum,) inspissatus & concentratus additione materiæ tam aquosæ, quàm fermentabilis in actum reducantur, & sic procedit: Sumantur passularum majorum (præprimis illarum, quæ cibebæ audiunt, utpote magis succolentarum,) quantum libet, v. g. libra una, contundantur parum, ita tamen, ne simul acini conterantur; aliàs enim ingratam operi conciliares amaritiem, indantur vasculo quercino; superfunde 4. ad 6. libras (2. vel 3. cantharos,) vini nostri nativi, vel nostrô in solô nati; relinquantur ita per 2 3. dies in leni calore, v. g. propè fornacem; tunc in modicâ similis vini portione dissolvatur libra una saccari illius subrubri, vel impurioris, quod pro leviori condimentô dulcificante frequentiùs adhibent coquæ nostrates; incalescat itidem parum, & ita successivè infundatur modò dictæ mixturæ, usque dum omne fuerit infusum; agitetur moderatè pro meliore commixtione & solutione; reponatur ita in hypocaustô calefactô per dies octo vase apertô; in clausô enim difficiliùs oritur necessaria fermentatio ac atomorum fervor; & pedetentim videbis eandem succedere.

Quem si expetis celeriorem, addatur modicum fecum vini aut cerevisiæ recentium; Vel locô vini adhibeatur operi mustum, aut succus quidam vegetabilis pomorum, pyrorum, &c. recens-expressus; in hôc solvatur dictum saccarum, reponatur propè fornacem pro accelerandâ particularum ebullitione, tunc misce passulas contusas, & subitò tuô potieris fine.

Cùm ita per octiduum steterit, decanta, vel per vasculi foramen elice liquorem; passulas residuas itidem evocatas exprime;

prime; minimè tamen contuſis acinis; expreſſum hocce miſce decantato liquori, repone pro ulteriore fermentatione; & huic fermentato pro lubitu poteris addere plus ſaccari, atque ita illud magis magisque exaltare. Per hocce fermentatum poteris recentes paſſulas vinô humectatas fermentabiles reddere, & brevi temporis ſpatiô hujus fermenti integrum dolium conficere.

Poſtquam ita ab ultimâ ſaccari immiſſione per ſeptimanam ſteterit Mixtura hæcce, denuò decantatur, alteri vaſi inditur, in cellâ ſervatur, ac veluti muſtum, aut vinum recens tractatur.

Dictis hiſce nonnulla alia monita veniunt adnectenda.

1. Hæc eſſentia vini reſuſcitata poterit vel per ſe ita bibi, tanquam vino generoſo nativo æmula; vel ejusdem quantitas miſcetur vino noſtrati Saxonico, vel tenuiori Francico; Et illa metienda eſt pro eô, quò generoſius reddere velis vinum tuum, eò plus minusvè eſſentiæ exaltantis eſt addendum.

2. Dum vinum meliorandum nimis eſt tenue & ὀλιγοφόρον, eſſentiæ illud exaltaturæ in fermentatione adhuc exiſtentis libris centum miſceantur libræ duæ ſpiritûs vini, tertiô quôque die modicum inſtillando, & quidem non in medium ſed ad latera vaſis.

3. Ne autem ſpiritus vini inſtillatus odore nauſeam creet, vinoſum odorem ſuffocans, deſtilletur ille priùs levi igne ſuper cineres clavellatos aut calcem vivam, quibus imbibitur acidum, aut olens phlegma; vel pars una ſpiritûs vini deſtilletur leni igne, mixta tribus aquæ partibus.

4. Benè quidem ſuæ crumenæ, malè verò conſcientiæ conſulit ille, qui tincturam hancce miſcet vinis valdè acidis, cùm abundent aciditate nimiâ ſanguineæ maſſæ nocivâ; Proinde autor ſum, ut adhibeantur vina ad minimum unius anni, ut ſic tartarus crudior ſit bonam partem depoſitus ac præcipitatus; vel eligatur muſtum, vinumvè recens nobilioris proſapiæ.

 5. Aci-

5. Aciditas quoque hujus tartari poterit corrigi, si in duabus vini libris dissolvatur cinerum clavellatorum vel salis tartari drachma semis; vel totidem misceatur Tincturæ, filtretur, & acor præcipitabitur.

6. Necesse est, ut Tincturæ exaltantis fermentatio benè sit absoluta, & à fæcibus depurata, antequam misceatur vino meliorando.

7. Non minùs vinum post Tincturæ mistionem per aliquod tempus debet quiescere, & reponi pro firmiore unione; aliàs enim diu non durat; sed turbatur.

8. Tempore necessitatis, vel pro hujus rei possibilitate faciliùs & celeriùs demonstrandâ, passulis conquassatis nonnulli saltem superfundunt aquam ferventem, relinquunt etiam uti alia, in locô calidô, per 3. 4. dies, postea addunt modicum tartari pulverisati, seminis sinapi, vel fæcum cerevisiæ.

9. Passulis hisce per 3. 4. vices ita poterit aqua superfundi, & priori mixturæ addi.

10. Modô dictâ methodô paratum vinum passulatum sanitati magis conducit ac naturale, vel mediante vini additione confectum; cùm hoc non adeò abundet tartarô acidô sanguinis circulum facilè lædente. Hæc tamen tam diu non durant, ac illa, quæ per vinum, viniqúe spiritum fiunt; Cùm talia sine alteratione per aliquot annorum seriem decenter durent; posteà demum successivè incipiant quodammodò turbari, ac perspicuitatem solitam amittere.

11. Dum ita mediante fermentatione præparantur dictô modô vina illa artificialia, curiosus Lector ex hactenus propositis facilè intelliget, mustum ita quôlibet anni tempore acquiri non difficulter posse, pro satis faciendo delicatorum appetitui.

12. Autumnali tempore succo expresso pomorum dulcium, vel pyrorum addi poterit quarta pars saccari superiùs notati, mixta etiam imponantur leni calore, & subitò tibi succedet simile fermentatum vinosum, non diu tamen durabile.

13. Quam-

13. Quamvis quidem negari non possit, quòd tutiùs ex ipsô fonte bibantur uti aquæ, ita quoque vel potiùs vina generosa; nihilominus hæc artificialia, si prudenti manûs dexteritate tractentur, ab illis parum sanè differunt.

Propterea cedrô digna est laboriosa res physicas scrutantium sedulitas; optandumque esset, ut fervor aliorum, ac in aliis rebus indies augeretur; cùm certò constet, aut constare nobis debeat, Deum O. M. sua bona semper vendidisse, & adhuc vendere labore; suâque in vineâ industrios exposcere operarios.

## OBSERVATIO LXXXIII.
## D. GABR. CLAUDERI.
# Remedium contra Deliria laude dignum.

ORandum est, ut sit mens sana in corpore sano! Suspirium hocce juremeritò unusquisque quot-horis ad cœlum transmittit, si non linguâ, tamen gemitu, tàm suo corpori, quàm præprimis suæ Divinæ Auræ particulæ decenter consulturus œconomus microcosmicus. Si enim tantis molestiis, periculisque tantis scateant morbi corporis partes invadentes, facilimè subsumere licebit calamitosæ miseriæ augmentum, si simul animus laboret. Mirabiles ac miserabiles phantasiæ depravatæ operationes ac modos enarrare supervacaneum duco, partim quòd diversorum librorum Observationes, partim frequenter obvia similes, dolor! edoceat experientia, quas Phrenetici, Maniaci, Melancholici, atque his cognati offerunt. Proinde extra dubium gratius erit, & conducibilius, de sanandi methodô nonnulla proferre. Scopus quidem meus eò non inclinat, ut per ambages & prolixiùs heic proponam integram similium ægrotorum medicam tractationem atq; curam; cùm hactenus uno plures Neotericorũ eleganter ac perspicuè publicis scriptis id edocuerint, sed in genere saltem præmitto, me pro diver-

sitate

ſitate complexionis ætatis, ſexûs, & inde orientium ſymptomatum varietate optatô effectu exhibuiſſe poſt laxantia, ſudorifera, venæſectionem, aperientia, impuram ſanguinis maſſam corrigentia, ventilantia, atque alterantia, acidum edulcorantia, circulum in ſtatum naturalem reducentia, qualia ſunt martialia, ſaturnina, nitrata, ac volatilia non omiſſis aliquando opiatis, v. g. inter alia Tinctura è vitriolo Martis & ſaccaro Saturni, Tinct. è Vitr. Martis & Sale tartari, Eſſentia Martis ſuccô pomor. Borsdorff. arcanum duplic. Mynſ. Eſſentia caſtorei volatilis, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, &c. &c. Horum autem, aliorumque propinatorum remediorum efficaciam valdoperè exaltavit, vel palmam iis præripuit ſanguis aſininus, veluti ejus parandi modum deſcribit *Joh. Hartmannus, in Praxi chymiaticâ, p. m. 30.* Dum ſcilicet ſanguis aſini vel aſinæ menſe Martio vel Aprili Lunâ decreſcente circa aures evacuatur linteolis mundis excipitur, & ita ſiccatus uſui ſervatur. De hôc linteô capitur fruſtulum duos pollices longum, & 2. vel. 3. digitos transverſos latum, infunditur, in aquæ anagallidis, fumariæ, vel ſimilis hauſtu ad coloris rubei extractionem; hauſtus hicce propinatur manè ægrotanti, tribus diebus ita repetendo, expectatô ſemper in lectô ſudore. In adfectibus melancholicis, ac ubi tardior ſanguinis, craſſioris circulus per ſalia volatilia promovendus, plus vice ſimplici peculiarem mihi oſtendit ſuam virtutem eſſentia è Sale fuliginis liquore alcalicô parata, alexipharmaca aliàs mihi à potiori denominata; veluti quidem ejus deſcriptionem jamdum literato communicavi Orbi in capite ultimô tractatûs mei de Balſamatione ſive eviſceratione peragendâ.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIV.
D. GABR. CLAUDERI.

# Diabolicum delirii remedium.

VIrgo generosæ Prosapiæ ob mœrorem, aliosque animi adfectus commotos, errores item diætæ commissos, corripitur deliriô vehementi, non sine insigni consensu hypochondriorum, vel vitiosâ chyli-atque sanguificatione. Hæc in consilium accersit Medicorum unum, alterum, imò plures, morbô contumaci nihilominùs, pro genii sui more antiquum obtinente. Hinc, cùm superos tam subitò juxta votum suum illa flectere nequeat, Acheronta vult movere; Proinde jubet consuli vetulam in similibus famosam; Hæc sub primam diei sequentis auroram auxilium sese allaturam certò promittit; severè tamen insimul monens, ne domesticorum aliquis ipsi tunc obviam occurrat. Quid fit? Famulantes ejusdem omnes hoc probè observant; sed alia Fœmina rei œconomicæ præfecta, horum planè inscia, more suô primis diei horis surgens, improvisò isti venit obviam; & statim à visâ istâ vetulâ, anteà sana, corripitur anxietate cordis, tremore artuum, donec accedentibus convulsionibus, viribusque consumtis, finiente die nonô, innocentem efflaverit animam. Durante morbô hæc constanter & seriò affirmavit, sese optimè vegetam, à visâ istâ vetulâ incognitâ morbosam subitò fuisse redditam, licet causam hujus nesciverit. Hâc ita mortuâ, quasi subitò valetudinem desideratam recuperat virgo delirans, postquam ipsi à dicta Medicastra pauca remedia naturalia fuére exhibita, extra dubium ne suspectam sese aliis redderet.

Ex hâc Fœminæ internecione conjicio, veneficam istam post discessum à virgine ægrâ malum hocce cautè & tectè voluisse transplantare vel transferre in personam aliam peregrinã, extra illud domicilium degentem, nisi ipsi altera fœmina

fortuitò obviam venerit. Inde patet sæva ac dolosa Diaboli in genus humanum, Deô aliquando connivente, potestas; ideoque unusquisque lectum ingrediens - egrediens valorosis precum armis sese munire, neutiquam obliviscatur.

## OBSERVATIO LXXXV.

### Dn. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

*De*

# Ophthalmiâ Epidemicâ ridiculè curatâ.

NOn raræ sunt Ophthalmiæ epidemicè quasi grassantes, quas æstate frequenter fieri, non tantùm experientia hujus anni, sed & Hippocrates attestatur *Aphor. 11. Sect. 2.* idque ob siccitatem *aph. 16. sect. 2.* quatenus ob continuum Solis ardorem ipsius terræ pulveres, in tenuissimos atomos divulsi oculos facilè incidere, vellicare & ad inflammationem disponere solent. Quid enim frequentius hôc affectu per æstatem nunc effluxam accidit? sub cujus fervore nullibi non de oculorum rubore, dolore & inflammatione auditum fuit, queis infusa antimonialia optimè q. convenire novi. Non possum tamen, quin hac occasione singularis illius remedii mentionem faciam, quòd in simili casu jam ab aliquot annis in Palatinatu inferiori à Pastoris cujusdam conjuge introductum est: Hæc enim ophthalmiâ ejusmodi intensissima excœcata ferè variisque sine fructu usurpatis, ex mera tandem impatientia & desperatione *Cataplasma ex Sterc. Vaccino* recenti, linteis duplicatis involuto, oculis pro refrigeratione ( ut dicebat ) & caloris extractione imponens, præsentaneum statim levamen sentiit & repetito arcani hujus usu perfectè convaluit. Ex hujus deinde consilio & plures ejusdem viciniæ incolæ medicamentum hoc domesticum felicissimè in usum vocârunt & in honorem Inventricis der Frau Pfarrerin Pflaster appellare consueve-

ſueverunt. Hinc fortè non fruſtrà *Serenus* Medicus ille Metricus elegantiſſimus ita canit:

*Nec pudeat tractare fimum, quem bucula fudit.*

Neque mirum videri debet, quòd, ut fabula fert, cum *pomis* aliquando *natare* ſuſtinuerit hoſpes ille animalis, cùm & eorum pulpa ſimili prorſus effectu gaudeat & procurandis oculorum inflammationibus ſæpiusculè extus applicetur.

## OBSERVATIO LXXXVI.

## Dn. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

*De*

# Puellâ picâ laborante.

PUellam vidi Carolſtadii in Comitatu Leiningenſi, 4. ferè annorum, quæ ex parentum relatione quotidiè multum calcis atque luti de parietibus deglubere & deglutire ſolebat, ut fæminarum picantium more faciem admodùm pallidam inde contraxerit. Quandoquidem verò nullâ increpatione inhiberi poſſet, ſuaſi parentibus ut particulam ſemper *mechoacannæ albæ* admiſcendo puellam fallerent, quæ Saburram illam corroſivam in ſtomachi cavo reſidentem ſucceſſive educendo egregiè conferre ſolet. Vid. *Illuſtr. D. D. Febrius Ann. I. Obſ. 83.* Conſtat verò exinde picam non virginibus tantum atque mulieribus, ſed & puellis ſæpe familiarem eſſe, iis præprimis, qui ex matre chloroſi laborante nati ſunt, ſicut id Riverius *in Praxi ſua* benè monet, & in proprio ſuo filio 3. annorum obſervavit Faber. Neque viros ſpeciatim melancholicos ab hoc affectu immunes eſſe, Riverius, Schenckius & alii teſtantur; quin imò bruta quoque pica laborare certum eſt, quàm in felibus idem Riverius *Cent. 4. Obſ. 43.* in canibus verò & porcis *Acta Anglorum Vol. I. pag. 742.* obſervârunt.

## OBSERVATIO LXXXVII.

### Dn. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

*De*

# Diuturna alvi suppressione.

BEatus Dn. Kriegsmannus Senior, Chymicus insignis (qui Tr. Germanicum *de liquore Alkahest.* evulgavit) herniâ intestinali laborans, tantam sæpè alvi contumaciam experiebatur, ut per integram septimanam & ultra ne unicam quidem sedem habuerit, cum intensissimo cruciatu & clamore; neque ulla ratione inde liberari poterat, quàm deglutito per aliquot dies oleo oliv. quo sensim emollitis recrementorum scybalis & delinito intestinorum spasmo in integrum restituebatur. Plura contumacioris ejusmodi alvi obstructionis exempla tam Veterum quàm Recentiorum collegit Gasparus Bravo, Hispanus, Author gravissimus multæque lectionis Vir, qui multa elegantia habet. *Consult. 18.*

## OBSERVATIO LXXXVIII.

### Dn. MICH. BERNHARDI VALENTINI.

# Resolutio intestinorum dysenteriá affectorum ab intempestivô opii usu.

DYsenteria hoc tempore communis, in memoriam revocat funestissimum illum casum, qui Giessæ olim in Prænobili cæterùm & Celebri familiâ sese tulit, Quæstoris nempè Principalis Domini Andreæ Hoffmann Conjux honestissima, & duo insimul filii magnæ spei dysenteriâ corripiuntur, ubi adhibitis, primò Medicis ordinariis convenientia medicamenta sunt præscripta. Cùm verò malum contumacius se gereret, ex vulgi consilio carnificis nostratis, opem

opem clanculum implorant, qui officiosâ promptitudine pilulas iis majusculas obtulit, quarum pars ægris propinata, pars verò in cucullo relicta Doctoribus postmodum ordinariis ex opio constare videbantur, id quod eventus quoque comprobavit.

Ab illarum enim usu paulò post dolores quidem remisére, sed accedente forte gangrænâ, ita prorsus resoluta sunt intestina, ut præscriptos insimul clysteres ne momentum quidem temporis sustinere potuerint, cùm ob certam sphincteris paralysin anus immane quantum hiaverit, sicut id ex oculari inspectione mihi retulit sinceræ & germanæ fidei Vir Dominus Köppel, Pharmacopœus Giessensis ad Insigne Pelicani. Adeò sanè verum est, quòd Magnif. Dn. Wedelius habet *Opiolog. lib. 2. sect. 3. cap. 3. pag. 141.* Sacra vitæ anchora est opium " benè & circumspectè agentibus. Cymba verò Charontis, " in manu imperiti. "

## SCHOLIUM.

Quàm præclarè in curandis dysenteriis, dolorum sævitiam imminuendo, & immoderatas excretiones cohibendo, ritè exhibitum Opium se gerat, præter curiosissimum nostrum *D. Wedelium lib. 2. Opiolog. sect. 2. cap. 5.* celeberrimus etiam *D. Dan. Ludovici Dec. I. Ephem. Nat. Curios. Ann. IV. observ. 207.* edocuit, ipse quoque, cùm nuper dysenteria epidemica nos infestaret, pluries expertus fui. Modum operandi adcuratè in *Dissert. de Opii virtute diaphor.* exposuit *Clar. D. Mich. Ettmüllerus.* Prout vicissim noxium ejusdem usum vel abusum *Nob. D. Olaus Borrichius* imprimis monstravit *tract. de somno & somnifer. §. 35.* tum demum laudatissimam operam præstare scribens, si opportunè ministretur, præsertim ante profundas exulcerationes, aut exesa vasa majuscula, & ante pereuntem doloris sensum; cùm è contra plerumque deficiat, affectis intestinis tenuioribus, aut morbo profecto, aut ab atra bile incipiente; malum etiam augeat, debilitatis jam visceribus,

 ægro

ægro de nullis ampliùs doloribus conquerente, cùm ulceribus jam propè conclamatis gangrænam vi suâ refrigerante accelerat. Noxis verò à sinistro ejus usu pertimescendis etiam resolutio hæc intestinorum meritò accensetur; quam & olim *D. Georg. Palma in Cista med. Hornung. epist. 114.* notavit, nimio opiatorum usu sphincterem ani relaxari testatus.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO LXXXIX.
## Dn. MICH. BERNHARDI VALENTINI,
*De*
# Calculis in digito progenitis.

CEleberrimus Practicus Dn. D. Hertius, Archiater Principalis & Medicus Crucenacensis literis d. 26. Maji Anno 1684. ad me datis sequentia mihi retulit: Heri (*inquit*) Chirurgus noster Aulicus rustico puero indicem exstirpavit spinâ ventosâ affectum, in quo 3. lapillos durissimos, colore cinereo, fabæ minoris magnitudinem habentes, invenit. Adeoque verissimum est, in omnibus C. H. partibus calculos generari posse, sicut id in præcedentis Anni Observationibus fusiùs enarravi.

p. 267

## OBSERVATIO XC.
## Dn. MICH. BERNHARDI VALENTINI.
*De*
# Monstris Hassiacis recens natis.

UTut prolixa monstrorum historia rebus fortè Medicis haud multum incrementi adferant, cum non sint curæ Arti, ut jure quidem meritò S. R. I. Acad. Nat. Cur. *Monita pro Anno 1684.* annotârunt; Non possum tamen

# Monstrum Marpurgense.

a. Caput sinistrum minus dextro.
b.c. Locus concretionis.
d. Funis umbilicalis.
e. Pedes justo graciliores.




‡. Hepar unicum ostendit.
p.p. sunt duæ vesiculæ felleæ.
q.q. binæ venæ cavæ.
r.r. duæ venæ umbilicales.
s. ductus cisticus.




Fig: 18.

f.f. duplex ventriculus.
g.g. bini lienes.
h. æsophagus abscißus.
i.i. membranæ lienis c. ventric: connectentes.
l. sacculus magnus in medio intestini ortus.
m.n. divisio intestini in duas partes.
o. intestina cæca meconio plena.

men non, tanquam πάρεργον quoddam bina, quæ *Hassia* nostra hoc qq. annô vidit *Monstra* breviter enarrare, unum quidem in agro *Marpurgensi*, alterum verò *Giessensi*. Illud ex Gemellis monstrosis constans, Februario mense Anni 1684. in pago Marbach / à Parentibus honestis sine vitâ in lucem editum & ex indultu Principali Theatro Acad. Marpurgensi Anatomico Clementissimè concessum, sicut figuram ejus & uberiorem descriptionem exprimunt binæ de eo Disputationes, Physica una à Dn. D. Waldschmidio, altera verò Anatomica à Dn. D. Dorstenio Marpurgi habitæ, quò Lectorem curiosum remitto. Vide Figuras. XVII. XVIII. XIX.

Hæc ab Excellentissimo Domino Dolæo, Cons. & Arch. Hannov. breviter descripta sunt ad nos missa.

Die 2. Februarii Anni hujus 1684. Marpurgi Gemelli monstrosi ceu figura hæc exprimit nati sunt, quos Celeberrimus Dominus Waldschmidius Archiater & Professor Primarius cultro anatomico suo subjecit, & nihil monstrosi in iis observavit, nisi quòd unicum saltem sed valdè magnum Hepar cum duabus vesiculis felleis habuerit, reliqua viscera omnia adfuére in duplo. Intestinis tenuibus circa finem ilei adhærebat sacculus atro-viridi liquore repletus, utrique communis.

Hoc verò Giessense in pago nobis vicino Collar / die 26. Martii currentis anni 84. in lucem editum; Patre quidem Hermanno Hoffmann / molitore illius loci, matre Anna Maria: Gemelli pariter erant monstrosè invicem concreti, vitâ aliquamdiu gaudentes, ob metuendam tamen mortis necessitatem paulò post SS. baptismo donati à Pastore illius loci Domino Trygophoro, cui descriptionem ejus & figuram rudi heîc Minervâ delineatam, acceptam fero. Longè verò alius Gemellorum nostrorum situs erat ac priorum Marpurgensium: Heîc enim omnia ferè membra parallalela quasi erant. Illic verò contrariô, prorsus modô locata, cùm Anna Catharina lit. A. caput fratris sui Johannis lit. B. ad pedes situm habuerit,

buerit, & vice verſa Johannes pedes ſuos ad ſororis collum, porrexerit. Neque unâ eademque membrorum proportione gaudebant. Puella enim lit. A. benè & perfectè conformata erat, niſi quòd dexter ejus pes circa talum introrſum verſum actus fuerit. Puerulus verò lit. B. ad ſororis abdomen concretus multò minoris fuit magnitudinis & quoad nates mirabili monſtroſitate contortus.

Notatu interim digniſſimum arbitratus ſum, quòd eodem ferè tempore hæc utrobique acciderint, unde, quæ de cauſis horum monſtrorum in Epiſtola mea ad Dn. D. Dorſtenium, Collegam noſtrum Honoratiſſimum, meditatus ſum, in appendice haud gravatim lege & benevolè dijudicari poterunt. Vide Fig. XX. p. 303.

## SCHOLIUM.

GIeſſenſe monſtrum haut abſimile erat illi Lazaro Coleredo Genuenſi, quem affabrè depingit Bartholinus in Centur. anat. 1. & deſcribit Hellvvigius in obſervat. 16. niſi quod hîc frater pectori fratris connatus uterque vivus & alter alterum transverſum quaſi in ſinu geſtaret, quem etiam hîc Svinfurti vidimus.

[*Argonauta.*]

## OBSERVATIO XCI.

## Dn. JACOBI AUGUSTINI HÜNERWOLFFII.

*De*

# Sordibus aurium dulcibus, inſtantis mortis præſagio.

DIxit Hippocrates *lib. 6. Epidem. ſect. 5.* Sordes hominibus in auribus dulces mortales, amaræ verò non. Veritatem hujus ante aliquot annos Arnſtadii nobis exhibuit Juvenis quidam Chirurgus, phthiſicus, materiam

materiam lentam purulentam fœtidam excussiens, & per intervalla serosum auris fluxum cum dolore & surditate patiens. Accersitus, deprehendi ipsum in lecto valdè languidum, difficulter spirantem, emaciatum. Exposuit erectus mente rectâ miseriam. Dolui, ac jussi benè sperare ægrotum; at surdis auribus cecini. Interim medicamenta dum ordinavi, ille in aurem sinistram immisso digito sordes exemit, gustavit has ipse, unaque curatrix, & non obscura dulcedo in illis percepta fuit. Alterô die ægrotus, vix cute & ossibus hærens, fato concessit.

## *SCHOLIUM.*

IN Cerumine naturaliter se habente, cum amaritie aliquîd dulcedinis deprehendi, noster *D. Guinth. Christ. Schelhammerus* in curioso *de auditu libro part. 1. cap. 2.* adstruit, sive, uti illud noster *D. Georg. Wolffg. Wedelius* in sua *Physiologia* describit, est sapore amaricans; illud verò ex massa sanguinea in auribus secerni, nemo facilè ambiget; dum illa particulas has biliosas in glandulis istis minimis, quas in pelle meatûs auditorii exhibet *Dn. du Verney* in *tract. de organ. audit.* deposuit, & hæ per tubulos adnatos in cavitatem meatûs dicti exonerant. Has sordes, præeunte *Hippocrate 6. epidem. sect. 5. §. 18.* in morituris dulces fieri & ita lethale præbere prognosticum, à plurimis adstruitur. Quod ita se habere si ponamus, (quamvis fortè, si à curiosiore aliquo experimenta, quæ tamen in nauseosa hac exploratione tam promtè institui nequeunt, ab *Hippocrate* ideò, ceu benè suspicatur *D. Franc. Ignat. Thiermairius lib. 1. cons. med. cap. 9.* servis demandatâ, fierent, contrarium observari posset, cùm & alios humores in corpore à naturali suo sapore aliquando, cum sanitatis quidem detrimento, non tamen cum vitæ simul inevitabili excidio, deflectere certum sit,) quâ tamen ratione id contingat, diversimodè explicant; prolixè inprimis materiam hanc tractante *Hieron. Mercuriali lib. 3. variar. lection.*

*cap. 10.* quæ cùm minùs ſatisfaciant, prælaudati *D. Thiermairii* expoſitio præ cæteris arridet, qui eâ ratione letale id eſſe ſtatuit, quâ urinæ albicantes in febribus acutis inflammationem cerebri phrenitidemque vel præſentem, vel mox futuram ſignificant, cùm naturæ archæus ita comparatus ſit, ut, quamdiu robore nativo pollet, excrementa omnia ad loca convenientia & emunctoria nativa per vias ſibi naturales deponat, unde bilioſum ad interna principalia viſcera, quale cerebrum eſt, remeans & ſubſiſtens, ſuccumbentis naturæ certum argumentum præbeat. Fortaſſe ſicut in aliis glandularum excretionibus ritè perficiendis non tantùm ſpirituum animalium, aut etiam, qui nonnullis probatur, ſucci nervoſi vigor & præſentia requiritur: ita non minùs ad hanc auricularium glandularum ſecretionem ſpiritus iſti ut ritè ſe habeant, opus eſt; quibus itaque ſenſim deficientibus & quaſi vappeſcentibus, ſecretio illa debitè ſuccedere ampliùs haud poteſt; tum porulis glandularum concidentibus & nonniſi tenuiorem ac ſeroſiorem partem, relictis craſſioribus bilioſis transſudare permittentibus, tum fermentatione ſive motu, quem in adventante maſſa ſanguinea concitari, atque ita bilioſarum particularum ſegregationem ſpiritus iſti peragere debebant, ceſſante; idque eò magis, ſi unà ſanguis ipſe, itidem ad interitum inclinans, evanidus, atque ita ad ſubeundum orgaſmum illum invalidus evaſerit, aut etiam deficientibus ſpiritibus, ſtagnare in minutiſſimis vaſculis inceperit, ſolo laxiùs cohærente ſero per tubulos excretorios in meatum auditorium penetrante, quod ibidem extra vaſa depoſitum concreſcens, nec bilioſis ſpiculis imbutum, ſolam ſuam naturalem dulcedinem, vel ſaporem inſipidum deguſtandum exhibet.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

OBSER-

## OBSERVATIO XCII.

## Dn. JACOBI AUGUSTINI HÜNERWOLFFII.

*De*

# Vulnere oculi humanâ salivâ curato.

SAlivam hominis jejuni morsibus venenatis serpentum, canum rabidorum, similibusque mederi communiter dicunt. Saliva ad partem arthridite affectam contra novos insultus muniendam infricata manè commendatur, quia temperat utrumque acre, & roborat partes, teste Sylvio *lib. 1. prax. med. c. 30. §. 177.* Ganglia seu nodos in carpo existentes frequenti cum saliva frictione, absque aliorum medicamentorum usu sæpè curavit Chalmeteus, quo de videatur *Enchirid. chir. lib. 1. c. 13.* Salivæ illitus lichenes & tubercula hæmorrhoidalia curare affirmat incomparabilis D. D. Wedelius *Decur. 2. Anni 1. Ephemer. Germ. Observ. 11.* Memini cùm uterinus frater meus annô ætatis suæ duodecimô corium dissecare vellet, cultri sursum abscedentis cuspide petiit oculum sinistrum scæva, & tunicam corneam, uveæque partem ita vulneravit, ut notabilis quantitas humoris aquei effluxerit. Curabatur autem vulnus nullô aliô remediô, quàm salivâ matris. Ea enim diductis palpebris linguam salivâ madidam vulneri admovebat, idque lambendo jejunè, & deligando molliter curabat, remanente in bulbo isto parvô vulneris inflicti vestigiô, cum pupilla angustiore, & visu acutiore.

# OBSERVATIO XCIII.
## Dn. JACOBI AUGUSTINI HÜNERWOLFFII.
### *De*
## Curatione febris tertianæ per terrorem.

BEatus Rolfincius ſcripſit *Ordin. & Method. med. ſpec. comm. pag. 1024.* Non rarò medici vice fungitur terror, & quod illius ſuperat captum, hujus ſequitur raptum. Finem impoſuiſſe quartanæ refractariæ experientia docuit de improviſo ſubortum. Febris tertiana immerſione aquæ fluentis curata notatur *Anno 3. Ephem. Germ. Obſ. 211.* Retulit mihi nuper quidam Magiſter Equitum, ſe tertianarium ſervum in paroxyſmo perterritum, exploſô in ipſum inopinatum ſclopetô, pulvere pyrio & papyro refertô, à febre contumaciſſimâ liberaviſſe.

## *SCHOLIUM.*

TErrorem non ſolùm in febribus curandis, ſed aliis etiam in morbis magnam habere efficaciam, ſcimus. Sic tertianam ex bombardæ improviſa exploſione *Ephemer. noſtr. Dec. I. Ann. II. obſ. 150.* ex immerſione in aquam frigidam *Ann. III. Obſ. 211.* quartanam ex cymbæ in aqua ſubmerſione *cit. Obſ. 150.* ablatam recenſet; quale per terrorem ſanatæ quartanæ exemplum etiam in *Ambroſ. Paræo lib. 1. cap. 23. Anno 2. Zod. med. Gall. menſ. Jan.* & *decad. 4. obſ. 1. Schraderiana* refertur. Paralyſin inveteratam & ſingultum graviſſimum eodem remedio ablata deſcribit *Franc. Valleriola lib. 2. obſ. 4.* paralyſin & contracturam *Dan. Beckerus de cultriv. Boruſſ. quæſt. 9.* epilepſiam *D. Caſp. Theoph. Bierlingius adverſ. curioſ. 13. D. Thom. Bartholinus cent. 3. hiſt. anat. 41.* arthriditem *Phil. Salmuth cent. 1. obſ. 48.* Sanguinis ex utero fluxum ut & oris inflammationem *Guern. Rolfincius ord. & meth. med. ſpec. comm.*

*lib. 14. sect. 3. cap. 12.* Scilicet cùm ſpiritibus ab improviſo aliquo caſu magnus terror incutitur, violenta eorundem commotio cotingit, ut ita, qui antea ſanguineam aliosve humores, craſſitie, quiete aut torpore peccantes ſufficienter agitare atque attenuare haud valebant, nunc potentiori niſu ſubigendæ & alterandæ eidem pares evadant; quin & iidem viſcoſis præter naturam genitis particulis incarcerati quaſi, ſopiti, aut etiam ab aliis hoſtili acredine infeſtis laceſſiti, jam veluti recollectis copiis ab eorum imperio ſeſe exſolvant, easque disjiciant; aut regreſſi ad centrum ſuum, ſanguinem in motu aberrantem, in ordinem ſic redire cogant. Sed hæc ſunt fortuita, nec facilè à Medico imitanda, curam utpote ſatis incertam, & periculoſam involventia; cùm nec ſemper ea ſit cauſæ morbificæ conditio, quæ illi extraordinario ſpirituum cedat inſultui, aut eum patienter perferat; vel etiam ſpirituum non idem vigor, qui perturbationi illi ſuſtinendæ ſufficiat; quin potiùs hos diſſipari, omninò ſuffocari, morbumque augeri, aut novum induci, contingere queat; unde non pauciora, ſed facilè plura exempla recenſere liceret, quibus terror incuſſus varios morbos, aut ipſam etiam mortem inferendo, pernicioſus, exitioſusve exſtitit.

[ *L. Schröck, L. F.* ]

## OBSERVATIO XCIV.

## D. EMANUEL KÖNIG.

# Alimentorum aſſumptorum cita per Vomitum ejectio.

DUm Monſpelii Galliæ Narbonenſis urbe verè Medicâ pauliſper morarer, in viciniâ hoſpitii Virginem ſummè macilentam, gracilem, pallidam, rei domeſticæ curam validè nihilominus gerentem notavi. De valetudine ejus inquirens, ſequentia mihi relata ſunt, quòd

ſcilicet elapſis aliquot annis dolorem gravativum circa præcordia ſenſerit, ad quem ſublevandum in prædium ſe contulerit, ubi forte fortuna iræ frenum contra ruſticos laxans, animadverterit aliquid circa ſcrobiculum cordis velut rumpi, ſubſequente plurimorum purulentorum ac bilioſorum vomitu; Quieti ſe tradens ac parùm comedens aliquamdiu meliùs ſe habuit, verùm poſt aliquot menſes ex novâ ſyſtrophe ſimilem purulentorum per os ejectionem paſſa eſt, quam ſequuta ciborum aſſumendorum nauſea, maximè quia quævis tandem deglutita in ventriculo ritè retineri haud potuére; Præſcripta ſtomachica plurima, verùm omnia in caſſum, continuante in præſens poſt ſingulos paſtus vomitu, ita ut ipſi ſimile ferè contingat quod Animalibus ruminantibus, id quod ipſi & adſtantibus reliquis magnum parit tædium.

## SCHOLIA.

VEntriculum, qui Catonis effato jam Rex jam Tyrannus eſt, variis affici modis, dum is primùm aſſumpta cruda corpori ejusque humoribus adhuc ſatis heterogenea in ſe ſuſcipit, notum: Cruditate acidâ muco glutinoſo, viſcido, compactiſſimo quandoque inhabitante eum præprimis infeſtari quotidiana docet experientia; hanc verò cruditatem acidam ita exaltari poſſe, ſpirituum animalium immixtione inde impeditâ, ut vim ſummè corroſivam, aquæ forti multùm æmulam, ſpiritibus acidis tantùm non majorem acquirat, obſervationibus Authorum (*v. g. Kerckringii*, Ventriculum papyri madidi inſtar ab humore acidiſſimo corroſum obſervantis) haud difficulter demonſtrari poſſet, imò morborum quorundam natura id ſufficienter comprobat. Quid mirum igitur ſi ventriculus ex tunicis compactus ex ſummè activâ & inſinuante ejusmodi humoris acidi p. n. vi, ex ſpiritusætherei illum pervadentis motu, tunicas ejus ita infeſtare valeat, ut textura earum maximoperè ſolvatur, maximè interioris tunicæ quæ ſummè tenera ac inde bombycinum velamentum dicta, quâ

erosâ,

erosâ, glandulisque in confusione adactis (cujus signa aliàs in urina ex divulsâ nubeculâ haberi posse observavi) facilè vasa sanguifera, quorum ingens inibi numerus, etiam aggredi potest, ut sanguine extravasato vel lymphâ nutritiâ exudante aliterque transpositâ pus & paulatim abscessus formetur. Taliter in hac Virgine contigisse probabile est, & ad quod fortè Vinum Monspeliense Tartarô copiosissimè imprægnatum non parùm juvit; assumptum enim præ alio vino in acidissimum in ventriculo abit liquorem, quod facilè experiuntur acido hypochondriaco aliàs molestati. Verùm missis iis, de quibus certiores adeo reddi haud possumus, inquirendum jam, quopacto vomitus continuus post pastum evenerit; ex hypersarcosi symptoma id ortum videtur, quatenus scilicet maximè circa pylorum crusta velut quæpiam exorta est & cicatrix, ut alimenta assumpta ad illam allidentia, mox fibras ventriculi de superiori orificio versus inferius se contrahentes in motum contrariũ disposuerit, sic,ut ciborum per superiora ejectio necessariò subsequatur: confirmant hoc sectiones cadaverum eorum, qui tali vomitu diu infestati fuére: reperta enim sunt plurima tubercula per ventriculum hinc inde intra ejus plicas & in plicis ipsis,maximè circa pylorum, dispersa, quæ, utut musculosa tunica & partes vicinæ ritè, dum adhuc in vivis essent, officium suum obierint, exitum alimentorum per pylorum inhibuére. Exulceratio etiam persistens absque perfectâ consolidatione, quæ in tali cavitate humidâ, ex continuâ liquoris fermentalis è glandulis earumque tubulis exudatione, ægrè aliàs succedit, vomitum hunc inducere potest, uti venena exhibita docent, eorumque agendi modus satis notus declarat; Sic & fertur de *Varandæo* celebri *Riverii* Præceptore, quòd per multos annos ejusmodi molesto vomitu fuerit excruciatus, in cujus post mortem ventriculo ulcera quam plurima hinc inde fuére observata. Citavi alibi ex *Thom. Bartholini Centur. observat.* exempla duo hominum ruminantium, ceu voluntariè vomentium,

tium, id quod dubio procul ipsis ex analogâ nonnihil fibrarum muscularium ventriculi & œsophagi, qualem bruta ejusmodi ruminantia obtinent, constitutione contigit, quam materiam sufficientissimè exhausit Celeberr. & Honoratiss. Collega noster, *Dn. Peyerus.* Verùm hæc virgo talem ventriculi dispositionem, ex defectu signorum &c. minimè videtur habere, quia enim summè macilenta est & vix cutis ossibus hæret, majorem adesse læsionem colligere est, imò ex corporis ipsius sustentatione & aliquali, subtiliori tamen nutritione, in eâ sententiâ, cui aliàs plurimi contrariantur, confirmor, partes nempe alimentorum & massæ chylosæ, in ventriculo ceu matracio digestæ & in partes minutas divisæ, subtiliores ac spirituosiores, vasa ingredi capillaria inibi copiosissima, ita ut etiam absque transitu venarum lactearum sanguini, ad vigorem ipsi inspirandum, communicentur, maximè quia tales partes alimentorum minimæ jam dispositæ sunt ad corporis refectionem; & earum correctio per tubos intestinales & alias vias minimè necessaria est, imò hæc virgo vitam tam diu protrahere non posset, nisi sanguis taliter in vitali robore conservaretur.

## OBSERVATIO XCV.

### D. EMANUEL KÖNIG.

# Ileosus in agone mortis Celotomiâ restitutus.

LUgduni Gallorum, ubi Chirurgi aliàs summè rigorosum sustinere coguntur examen, dum versaret, viro ex hernia diutinâ ileo correpto plurima exhibita & adhibita fuére medicamenta, verùm iis nihil juvantibus, omnibusque mortem intentantibus, Sacerdoti fuit commissus, qui extremam unctionem aliasque ceremonias, ex Ecclesiæ Romanæ ritu, ipsi administravit, ægerque jam de bonis

bonis suis disposuit & amicis legavit, ut adstantes quivis de ejus salute desperârint; Contigit autem ut chirurgus quidam experientiss. de misero ipsius statu certior redderetur, qui ægrum visitans extremum remedium adhuc tentari posse ipsi significavit, Celotomiam scilicet, seu apertionem inguinis, quâ intestina reponi, sicque fecibus alvi exitus procurari possit, id quod hactenus frustrà aliis remediis tentatum; Æger moribundus sustinere hanc operationem in tali statu animum recolligit, parùmque fecit difficultatis; Chirurgus igitur ipsum dextrè locans incisionem facit ex arte tutam, circa foramen ovale peritonæi ( circa cujus in homine erecto summa patet Creatoris sapientia ) per quod intestina stercoribus repleta in scrotum prolapsa sunt, hæcque sursum dextrè reponit, rupturam ritè claudit, sic ut posteà injecto clystere è lubricantibus & carminativis, feces duræ subsistentes per alvum ceu locum ordinarium ejecta fuerint, ægerque è faucibus orci ereptus.

## *SCHOLIA.*

OPerationum chirurgicarum insignem esse usum, maximum quoque abusum, dum absque illis natura sæpius lenioribus adjuta remediis affectum sanat, Nosodochiorum Ægrorumque alibi dispersorum exempla docent; Quàm nobilis verò sit manus Chirurgi & tantùm non divina, prædicta monstrat observatio, sine tali enim operatione absque dubio æger iter ingressus fuisset, unde dicunt redire neminem. De tali ergò operatione à celebri Chirurgo Parisiensi Dn. *Bienaise* præ reliquis Chirurgis administratâ lubeat quædam adhuc apponere; Administratur ea, ægro prius, ut decet, tabulæ ligneæ commodè adaptato, incisione in inguine cautè factâ, quæ non lædat intestinum, super cannulam scilicet ex unâ parte rotundam ex altera v. cavam, quæ in processum inseritur, ut impediatur omnis intestinorum instrumento attactus & læsio; dum verò incisio satis magna est, reducitur in-

testinum, acuque cum filo bis perforato & ligato processus tandem gastroraphiâ cura absolvitur.

## OBSERVATIO XCVI.
## D. EMANUEL KÖNIG.
# Insomnium de Apris, ex rasuræ dentis Apri præscriptione.

MAtrona quæpiam torminibus hypochondriorum, ab humoribus acido-acribus viscidis intestinorum fibras in contractiones spasmodicas disponentibus, detenta antispasmodicis, invertentibus unà diureticis & incidentibus tractata fuit, quo tormina ventris quidem remisére, verùm è humorum ejusmodi particulâ inde in sanguinis penum compulsâ pleuritis spuria oborta, & dolor scilicet pectoris punctorius, divellens, ad attactum exacerbari solitus cum tussi: Huic ad dissolutionem coaguli pituitosi, intra musculos intercostales exteriores & panniculum carnosum subsistentis fibrasque nerveas aculeis suis & distensione ferientis, ordinatus pulvis diaphoreticus, cujus primarium ingrediens erat *Rasura dentis apri*, quem in *aq. cerefol. carduibened.* cum *syr. papav. rhœad.* noctu horâ nonâ assumpsit; largus inde emanavit sudor, manè verò dum inviseretur, deque doloris remissione referret, conquesta est se insomniis de apris grunnientibus, quasi eorum grege circumcirca investiretur, fuisse infestatam, cùm tamen de die nemo de apris aut porcis ipsi verba fecerit: causam hujus insomnii ex me scire avida, in memoriam incidit hesterna pulveris è rasurâ dentis aprini ordinatio, quam ejusmodi idearum causam esse posse, liberè pronunciavi.

372. pip. pip.

SCHO-

## SCHOLIA.

SPiritus noſtros ita diſpoſitos eſſe, ut levi occaſione in motus omninò ſimiles motibus extra corpus contingentibus cieri poſſint, oſcitationes, affectus animi, aliaque nos docere exiſtimo, maximè ſi conſideretur ſpirituum ex aëre ceu nectare vivifico progenitorum, inſtarque aëris mollium, ſicque impreſſionum ſimilium facilè capacium, natura, vel etiam extra corpus radiatio. Quid mirum igitur ſi ſpirituum alienorum certæ materiæ involutorum portio intra corpus noſtrum aſſumpta, ſpiritus noſtros ita afficere queat, ut eos ſuperet, inque ſimiles ſibi motus abripere valeat; Taliter hîc contigiſſe, ſummè probabile eſt, eô quod dens ejusmodi apris à natura ad ſui defenſionem ceu arma conceſſus, ſpiritu & ſale volatili ſummè ſcateat, qui à ſpiritu & fermento ventriculi elicitus, & cum vehiculo ulterius in phantaſiæ arcem evectus, ſpiritus in tales excurſus excitârit, ut aprorum idea menti oblata ſit. Occaſione hujus loqui poſſem de callidis quorundam amore inordinato æſtuantium artibus, qui ad amorem ſibi conciliandum varia è corpore ſuo deſumunt, ac clanculum alteri parti exhibent, ut reciproca emergat ſpirituum colligatio: prout contigiſſe novi quandam Virginem amore Juvenis cujusdam correptam ipſi panem ſudore ſub axillis infectum, quo aliàs canes retinentur, comedendum dediſſe, quo factum, ut ille tantam inclinationem & raptum quaſi verſus illam habuerit ut illam primitus parùm curans ſufficienter amore amplecti haud potuerit, ſcilicet ſpiritus juvenis ex illâ ſpiritûs virginis communicata portione (cum ſudore enim ſpiritus unà egredi & diſſipari docet poſt eum ſubſequens laſſitudo & debilitas) in ſimilem modificationem quoad motum, figuram, ſtationes tantùm non transmutatus fuit, quod quia nihilominus quandoque cum niſu ac & certâ luctâ fit, eventus triſtis inde ſubſequitur ex ſpirituum ſcilicet in cerebro maximè perturbatione, immu-

tatâ radiosâ texturâ vel etiam confusione, varii melancholici affectus vel etiam mania oboriri solent, prout experientia sæpius tristia ejusmodi exempla ob oculos posuit.

## OBSERVATIO XCVII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Morbilli matris exerunt se in fœtu.

BAronissa de K. ultimo impraegnationis mense corripiebatur morbillis & quidem periculosissimè. Adhibebam quæ secundùm artem adhibenda erant, & restituebatur ope Dei: attamen fœtus qui statim prodibat, maculas rubras itidem ostendebat. *Adi Observ. 347. Ann. 3. Dec. 1.* Scabiosi scabiosos, lue Venerea infecti purpuratos edunt fœtus, id quod vidi; ergò utique manet hoc verum: in natos transit patrum & matrum cum semine virtus & vitium. Adde *Observ. 53. Ann. I. Decur. I. Ephemeridum.* Item *Obs. 155. Ann. X. Dec. I.* Nec tamen hoc sequitur: gibbosus generat gibbosum, claudus claudum, cœcus cœcum; cùm experientia repugnet. Habemus hîc gibbosum Chirurgum, qui geminum procreavit puerum sat elegantem absque ullo naturæ vitio.

## OBSERVATIO XCVIII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Lac prodest Empyicis.

PIstor 38. annorum corripitur hac æstate A. 1684. dysenteriâ hîc loci tùm non infrequente, curatur à Pharmacopola in mea absentia, ast malè. Materia quippe morbifica relicta per μετάςασιν à natura protruditur ad pleuram, ibique excitat pleuritidem sinistri lateris sat periculosam. Exhibeo quæ proficua judico, cum aliquali symptomatum remissione

missione, tussis tamen durat ad plures septimanas, materiaque excernitur purulenta copiosè, cum sapore ut æger dicebat, sulphureo ingratissimo. Præscribo expectorantia & detergentia, verùm absque notabili allevamento. Tandem devenio ad lac caprillum, in quo dissolvi ℥ij. Conserv. rosar. antiqu. & colaturæ calidè indies propino manè jejuno stomacho, & post meridiem geminâ horâ ante cœnam, adhibitâ simul accuratâ diætâ. Continuavi spatio aliquot septimanarum usque ad reconvalescentiam. Vide *Observat. 19. Anni I. Decur. I.* Non obstitit *Aphorismus 15. sect. 5. Hippocratis.*

## OBSERVATIO XCIX.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Sanguis humanus curat fluxum sanguinis humani.

A*Nno 2. Decur. 2. Ephemerid.* exhibui *Observationem 38.* quæ habet, quod ossa humana profuerint dysentericis. Dum perlegi, inveni additamentum Ingeniosissimi & Excellentissimi Domini Schröckii F. Amici olim Jenæ non vulgaris, vidique quòd malit abstinere, certo respectu talia dare medicamenta, ne læsæ humanitatis, non dicam crudelitatis notam incurrat. Ingenuè ut fatear, mihi ipsi non sapiunt, ast ægrotis interdum exhibeo, præprimis iis qui sunt durioris commatis. Interim tamen cranium humanum multoties à Practicis præscribitur, ut notum, & res in idem recidit punctum. Quid non facimus dum ægrotamus, quid non, dum curamus? Esset hic amplissima discurrendi materies. Quod subnecto, videtur magis nauseabundum remedium. In districtu nostro Grunbergensi erat Nobilis ab U. cui post partum difficilem sanguis copiosissimè fluebat per uterum cum periculo vitæ. Matronæ astantes exsiccabant aliquid sanguinis profluentis, & insciæ sub forma pulveris exhibebant cum juvamine.

Dum accedebam, clanculùm exponebant quid dedissent, ego dicebam: est abominabile. Interim regerebant; oh! multoties profuit. Habet equidem rationes ob sal fixum, sed si resciviſſet puerpera, vix dubito quin non præsentaneum vitæ periculum incurriſſet ob nauseam inde conceptam. Novimus sanguinem leporis Martio enecti, linteo exceptum recommendari in dysenteria & profluvio cœliacorum, si potui indatur aliquid, item si aſſetur, ut vult *Schröderus Pharmacopœiæ l. 5. p. m. 300.* Quomodo conciliabimus hoc cum Excellentiſſimi D. Ludovici relatione contrarium effectum habente, *Anno 9. & 10. Ephemerid. Decur. I. sub finem Observationis 35.* Annon sit æquiparandus noster sanguis aſſatus & exſiccatus Croco Martis adstringenti: Excellentiſſ. D. Ludovici verò linteo exceptus & in aëre lentè exſiccatus Croco Martis aperitivo, hæreo. Diversitas etiam quærenda veniret inter sanguinem humanum & leporinum, præprimis leporis tenerioris. Sed quid nodum in scirpo quærimus.

## SCHOLIUM.

Sanguinem in sistendis hæmorrhagiis utilem præstare operam, si in pulverem redactus parti fluxum sanguinis patienti inspergatur, plurimorum constat experimentis. Id quod glutinositati ejus, qua erumpenti alteri occurrens eundem demulceat & vasa conglutinet, adscribit Nobil. noster *Wedelius tract. de medicam. facult. lib. 2. sect. 2. cap. 15.* Idem etiam præstare in hæmorrhagia narium vaporem sanguinis, in ferrum candens elabentis, naribus haustum; quod odore tetro, sanguinem effluxurum repellente, ceu Cl. *Thom. Willis Pharm. ration. part. 2. sect. 3. cap. 2.* de stercore porcino diſſerit, num efficiat, prudentiores judicent. Ut plura alia quæ adduci hîc poſſent, taceam. De ipso sanguine menstruo siccato & propinato in alium sanguinem menstruum agente tractat *Joh. Baptist. Sitonus Jatrosoph. miscellan.*

*tract.* 28. ſiſtere ſcilicet fluxum ejus qualitatibus manifeſtis, terreſtribus, exſiccantibus & obſtruentibus, ad modum boli Armen. terræ ſigill. & ſimilium. Quomodo tamen in aliis idem ſanguis moras nectentem alium expellere queat, ceu in citata Ludoviciana obſervatione habetur, ſalvo doctiorum judicio, imò præſuppoſito, experimenta hæc non fallere, videndum. Si in utero peculiare fermentum hærere, quod certo tempore in ſanguinem agat, illum agitet, inque fluorem iſtum menſtruum adigat, dicere mihi liceat, cauſam hujus fortè invenire dabitur. Colligi autem tales in utero fermentantes particulas, *Franciſc. Bayle in diſſ. de cauſ. flux. menſtr. mul.* rationibus non prorſus contemnendis evincere videtur; nec ipſa ſtructura uteri, glandularũ haud expers, de quibus conjecturas in *Dec. II. Ann. I. obſ. 41.* ſcholio dedi, repugnat; imò ſicut fermentum in partibus genitalibus, præſertim teſticulis, virilibus admittere debemus, quod vel ſeminis ibi elaborati ſingularis odor demonſtrat: ita cur mulierum organis genitalibus ſimile quid denegari queat, haud video; præcipuè ſi, quod in *appendice cent. 3. obſerv. Riverianar. pag. m.* 271. habetur, ſanguis menſtruus calendulæ odorem ſpiret; quinimò principium aliquod in ſanguine neceſſariò ſtatuendum erit, à quo menſtrua illa ejus agitatio ſuſcitatur; quod cùm nec à Lunæ ſit influxu, quibusdam hîc adſerto, neque in ſanguinea maſſa per totum corpus circumflua, neque alia aliqua corporis parte hactenus deprehenſum fuerit, ipſo utero commodius quid effingere haud licet. Hujus itaque fermenti particulæ, dum unà cum ſanguine prodeunte unà evacuantur, & in linteo exſiccantur, ſi in ventriculum femellæ menſium obſtructione, quam ſanguis v. g. minùs temperatus, & viſcidis multis particulis refertus & hinc vel ad ſubeundam illam fermentationem, vel per arteriolas uterinas minimas tranſitum non ita aptus, aut ipſa etiam uteri diſpoſitio morboſa ac fermenti in eo vitiati torpor induxerit, in-

ingerantur, ac postea cum sanguine permisceantur, solitam illam in eo turgescentiam concitare, crudiores sanguinis partes attenuare, & uterinam unà labem emendare, ac consequenter sanguinem expellere poterunt. Quam sanguinis agitationem noxa illa, à menstrui istius humoris, loco philtri, propinatione inducta, mania & amentia, pariter quodammodo ostendit. Quod si tamen cruor hic longo tempore adservetur, & fermentans illa potentia in eo evanescat, tunc adsumtus non tam menstruum sanguinis fluxum promovere, quàm potiùs alterius alicujus cruoris ad modum cohibere valebit. Illud quoque fermentum cùm graviditatis tempore, immutatà tunc multùm uteri constitutione, utplurimum aliter se habere videatur, sanguis etiam ex utero puerperæ profluens fermentantibus istis particulis minùs erit imbutus, ut ita reliqui sanguinis in corpore circumflui naturam magis æmuletur, sicque etiam glutinosis suis particulis sanguinem demulcere, inviscare, atque ab excretione hoc pacto, si propinetur, vindicare queat. Quidquid tamen fuerit, sordidum hoc remedii genus, ut à laudato *D. Ludovici* vocatur, Medicus non facilè suadebit, qui delicias has mulierculis dispensandas meritò relinquit. Cæteroquin remediis è Microcosmi partibus, aut ipsis etiam excrementis pro usu interno petitis frui per me cuilibet sit integrum; quamvis, si carere Medicinam eis commodè posse, nec ægris meis aut ista aut illa à me præscribi solere dixero, nemo vicissim culpare id jure valeat.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

OBSER-

## OBSERVATIO C.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Colica periculosa.

HOnoratioris sortis civis Grünebergæ 40. annorum, scorbuto obnoxius, hoc ipso Augusto 1684. sensit per aliquot dies, ut dicebat, ardorem circa umbilicum, sumit è pharmacopolio purgans cum effectu, secatur mediana, & dolor hæret fixus. Commovet se in vinea, & quia solaris æstus ejus corpus etiam exæstuarat, domum redux ebibit cyathum lactis acidi & dolores statim sumunt incrementum. Convocat Pharmacopolam, qui ipsi iterùm dat purgans absque operatione. Alvus jam erat constipatá post prius purgans, ideoque abdomen extendebatur cum acutissimis intestinorum doloribus. Accurrunt periculo expositi, meque consulunt, nec quid prægressum indicant. Examino omnia, statimque proficuum indico enema, quod & applicatur, sed sine operatione, nisi quod flatus exibant, dolores durabant; jubeo aliud sat forte, & dimidium cochlear pituitæ viscidæ deponebat cum flatibus. Interim dolor ardens (instar flammæ ardentis ut loquebatur ægrotus) fixus erat circa regionem umbilici, itero clysteres ad octo, sed absque fructu, etiam Mynsichtianum cum aqua salita, quod nunquam dicit fallere, jubeo applicare; attamen irrita omnia. Exhibebam spiritum Anticolicum D. Michaëlis, qui multis profuit, dabam alia, assumebam etiam externa, linimenta nempe, sacculos, balnea, in vanum. Quid consilii? Occurrebat mihi etiam quid habet D. M. Lic. Grassius sub finem *Observationis 166. Anni X. Dec. I. Ephemeridum.* Omnia acutè perpendens propino hocce purgans, & equidem tria cochlearia pro dosi, hora elapsa iterum tria cochlearia, nulla autem se exerebat operatio, interim summa aderat anxietas & tandem prodibat aliquid materiæ viscidæ. Convocatus exhi-

beo adhuc tria cochlearia & jam jam videbatur res desperata. Inter sacrum & saxum dum sic hæret & æger & Medicus, en 4. vomitus levant anxietatem, succedente alvi solutione 6. vicibus cum remissione dolorum & symptomatum ægrique plenaria restitutione. Enimverò debilitati succurrebam cardiacis, stomachicis in & externis. Sic qui morti erat proximus, (intercurrebant quippe crebriora animi deliquia cum prostratione omnium virium) præter astantium spem erat restitutus.

## *SCHOLION.*

ALvum sæpè ita constipari ut mors succedat, est in propatulo. Beati Dn. Fratris socer Gorlicii laborabat obstructione alvi per 9. dies, corpus erat irreserabile, & tandem fatis cedebat. Dedi *Anno 2. Decur. 2. obs. 44.* singulare suppsitorium ferreum quod profuit: vidi ligneum *Anno I. obs. 98. annotatum,* quod etiam proficuum fuit. Recordor obstinatam alvi stipticitatem Wittebergæ fuisse sublatam usu butyri recentis è patria Lusatia missi & avidè in copia assumpti, qui assumpsit vivit adhuc ut decrepitus in Comitatu Sorano. Circa Paresin post Colicam è vino obortam singulares habet cogitationes Excellentissimus D. D. Wepferus *Observ. 39. Ann. 2. Dec. 1.* De pertinaci alvi constipatione loquitur *Observ. 53. Ann. 9. Dec. 1. Ephemerid.* Item *Observ. 96. Ann. 3. Dec. 1.* Purgans cujus facta mentio quod ægro meo dederam hoc erat :

℞. Aqua fœniculi ℥iiij.
cinam. optim. ʒij.
Sirup. d. cichor. c. rhabarb. ℥iß.
tart. vitriolat. ʒj.
trochiscor. alhandal. ʒß.
elæosach. anis. ℈ß. M. D. S. Löffelsweis.

Quia amara ipsi erant grata, ideò eò lubentiùs bibebat. Henrich à Mönichen *Observ. 5.* ad D. Bartholinum missa habet, quòd Donadonus stipticitatem alvi ad tertiam septimanam durantem solo seri caprini copiosiùs assumpti usu curaverit.

OBSER-

## OBSERVATIO CI.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# A terrore Epilepsia.

TRitum & vulgare est in scholis Medicorum, à terrore excitari epilepsiam, tàm in prægnantibus quàm tenera ætate constitutis, item huic malo obnoxiis, ideò paucis attingo. Decollabatur ante aliquot annos hîc maleficus. Puella 10. fortè annorum adstat & perterrita incidit in epilepsiam. Alia hanc videns puella 12. annorum statim etiam concidit terrefacta ob aspectum hujus epilepticæ puellæ. Ambæ restituebantur, mediante Dei benedictione, antepilepticis & evacuantibus. Habebat enim utraque corpus cachecticum. Dum hæc scribo, grassantur apud nos variolæ. Puer novennis agnatæ filiolam dum visitat, decumbentem, sed variolis ægrè egredientibus, hæc corripitur epilepsiâ gravi: puer consternatus domum repetit statimque ei caput dolet, calorque summus adest, subrepit epilepsia & post hanc variolæ sese exerunt copiosissimè, quas expellebam antimoniatis, ut vult Sylvius, & bezoardicis. Lanio loci, vir quadratus, 40. fortè annorum tres aut quatuor cogitur per annum sustinere paroxysmos epilepticos. Uxor juvencula hos nondum in eo observaverat; dum erat sexto mense prægnans, invadit desubitò maritum morbus Herculeus, quo ipso insigniter consternatur absque tamen abortu. Exacto 9. mensium spatio parit puellum, qui crebrioribus corripiebatur insultibus epilepticis, nec adhuc immunis est, intercurrente interdum paroxysmo, licet leviore. Vide *Observ. 43. Anni 4. Dec. 1.*

## OBSERVATIO CII.
## D. SAMUELIS LEDELII.
# Natura sui Conservatrix, præprimis in impraegnatione.

Nobilissima fœmina in districtu Zullichiensi Marchiæ erat phthisica & impraegnabatur; Uterus cum abdomine crescebat dum reliqui artus decrescebant. Justo tempore excludebat fœtum sanum, attamen tenerum satis ob alimenti penuriam, materque phthisi desperata laborans obibat octavo post partum die. Exposcebant meum consilium, quia lochia fluebant nulla è corpore exsiccato instar sceleti, ut solet in phthisi consummata. Datis cardiacis cum addito malo prognostico dimittebam. Dum erat prægnans, sumebat antiphthisica summa cum cautela, & fœtui confortantibus prospiciebam.

Huic Observationi ut ulterius satisfaciam addo hæcce: In mea praxi, quali quali, hoc semper observavi, quòd puellæ impraegnatæ, dum me inscio petierunt purgationes, sæpiùs fuerunt delusæ, & justo tempore publicæ luci coactæ exponere, quod in abscondito conceperant. Purgantia medicamenta licet majore dosi data, aut vomitu rejecerunt, aut operatio substitit. Sabina nil fecit, nil Crocus, nil alia emmenagoga.

*[Roboris hujus Naturæ in prægnantibus sequentes Observationes poterunt esse testes.]*

OBSER-

## OBSERVATIO CIII.
## D. JOH. GEORG. SOMMERI.
# Robur prægnantium in retinendo & conservando fœtu, & in ſpecie, purgantia in prægnante innoxia notans.

CHirurgus quidam militaris, mulieri raræ texturæ ex impuro ſanguine affectum externum patienti, præter multa interna alia, brevi temporis intervallo dabat duo prægnantia draſtica, mulierem prægnantem eſſe neſciens. Hæc dein contra Hipp. *Aphoriſm. 29. lib. 5.* poſt ſex menſes juſto tempore pariebat geminos vivos & ſanos.

## OBSERVATIO CIV.
## D. JOH. GEORG. SOMMERI.
# Venæ ſectiones in prægnante innoxiæ.

MUlier crebris anguſtiis cordis afflicta & à medio Aprili prægnans, deſiderabat venæ ſectionem in brachio d. 30. Maji. Item die 6 Auguſti in talo, & propter jam memoratam & urgentem cauſam etiam die 12. Novembris eadem ſanguinis uncias 6. miſit itidem in talo, cum euphoria, adhibitis ſimul internis & externis roborantibus. Hæc mulier d. 26. Januarii ſeq. anni peperit filium ſanum & probè nutritum contra Hippocr. *aph. 31. l. 5.*

## OBSERVATIO CV.

## D. JOH. GEORG. SOMMERI.

# Menses & fœtum mortuum expellentia in prægnante innoxia.

MUlier sanitatis avida contra mensium obstructionem protractam venæsectionem in talo instituebat, purgans & balnea emollientia adhibebat, præterea non imi gradus diuretica & emmenagoga, imò fœtum mortuum alias expellentia ex sabina sumebat, donec fœtus motu se proderet, quibus omnibus tamen nec menses, nec fœtum movebat, sed ordinario tempore filium sanissimum edebat adhuc incolumem.

## OBSERVATIO CVI.

## D. JOH. GEORG. SOMMERI.

# Priorum argumenti.

OLei bacc. juniperi guttas decem paucæ tincturæ succini junctas prima dosi retentas secundinas cum desiderato effectu expellere aliquoties expertus sum. Contrà accidit, ut mulier quædam spiritus vini destillationi pro pane lucrando operam navans, nescia se prægnantem esse, ad movendos menses per viginti dies omni manè olei juniperini destillati guttas centum sumeret, quibus tamen fœtui non nocuit, sed tempore consueto desideratam filiam sanam enixa est.

### *SCHOLION.*

NAturæ providentiæ adscribendum est, quod prægnantium uteri vis retentrix singulari se commendet robore: causam autem dicti roboris in uteri ejusque partium vigore

gore potissimum consistere ex sequentibus clarescit, quo vigore mediante uterus sibi congenitum contractionis motum, maximè post factam conceptionem, operosè exercet, & ita seminis partem prolificam aut fœtum eo modo, sed arctiori, amplectitur, quo ventriculus cibum. Quare etiam Hippocrates signum fœtus concepti, item prognosin benè se habentis & ab abortione tuti fœtus locat in naturali & molli orificii uteri interioris constrictione, siquidem *aphorismo 51. lib. 5.* scribit: *quæ utero gerunt, iis os uteri connivet*, seu clausum est. Hanc conniventiam *Galenus in commento* maximum concepti fœtus signum æstimat, nam ait: *ubi primum uterus in se semen concepit, universam suam capacitatem contrahit & os claudit.* Imò *Hollerius in commentario* scribit: *quibus hiat uterus à conceptu, hæ abortiunt, quibus non exactè clauditur, hæ superfœtare solent: at si naturaliter habeat mulier, ita clauditur, ut ne specilli vel acus mucro subire possit.* Clauditur autem orificium hoc, ne spiritus prolificus ab aëre subeunte dissipetur, aut alio modo violetur, aut fœtus ipse lædatur, aut utero elabatur.

Quanquam autem hoc uteri robur in prægnantibus non est universale, in multis enim individuis à causis particularibus id infringitur, partim à disparitate naturarum, partim ab accidentibus morbosis. Ratione disparitatis naturarum multa pati potest lacertosa præ tenera, tendinosi præ imbelli, spirituosis alimentis nutrita præ tenui victu victitante, quieta præ iis, quas graves labores sufferre res angusta jubet, assueta laboribus præ insuetis, sanguinea præ pituitosa, item quarum natura alimentum ingestum magis in proprii corporis, quàm in fœtûs sustentationem impendit, item sana habens viscera præ valetudinaria, aut, ratione accidentium morbosorum, fœtui noxia symptomata patiente, nempe fluxum alvi nimium, menses ordinario motu fluentes, mammarum subitam extenuationem, aut lac copiosum ex mammis effluens, qualia Hippocr. *aphorismis 34. 37. 52. & 60. lib. 5.*

nigro

nigro lapillo notavit: nihilominus in plurimis ſupra laudatus uteri vigor viget, & in quibusdam ad miraculum usque ceu ſupra annotatæ obſervationes loquuntur.

Ubi autem ſupra memorata auxilia contrarium inveniunt corporis ſtatum, nempe vel totius, vel partium uteri infirmitatem, contrarium etiam effectum præſtare poſſunt. Nam ſi qua prægnans ſingulari retentricis robore non munita ejusmodi expellentia periclitetur, ſanè aut periculum non effugiet, aut quarundam impurarum luparum fortunam experietur, ceu quæ aut ad conceptionem evitandam, aut fœtum exturbandum interdum tam multa & vehementia remedia adhibent, ut deinde vel per vitam non concipiant, aut, ſi primus fœtus hos inſultus ſuſtinuerit, uteri vis retentrix ab expellentibus ita proſtrata ſit, ut poſtea nullo amplius conjugii fructu beari queant, quàm maximè etiam illum exoptent.

## OBSERVATIO CVII.

## D. JOH. GEORG. SOMMERI.

*De*

# Tetrace rabioſo.

HOminem, equum, camelum, leopardum, aſinum, ſimulum, urſum, lupum, vulpem, canem, felem, ſimiam, cercopithecum, muſtelam &c. rabie nonnunquam affici experientia & authorum teſtimonia loquuntur, qua de re videre licet Schenkium *lib.7. Obſerv.13.* De avium autem genere nullum exemplum legere mihi licuit, præterquam quod loco cit. poſt alia egregia de hac materia annotata additum eſt de veteri gallo gallinaceo olitorem, herum ſuum, ex improviſo inſultante & roſtro manum ſiniſtram ſauciante, ex qua cauſa olitor eodem, quo hoc factum, die, os ringebat, & irritis omnibus adhibitis remediis,

mediis, cum aſtantium & de hoc admirando exemplo audientium horrore, tertio die venenoſo galli morſu vitam cum morte commutabat.

Caſus huic non adeò abſimilis æſtuante hac æſtate media in Sylva Semana accidit, ubi tetrax quidam virorum in ſylva negotia ſua tractantium capitibus aut humeris inſedit, eosque unguibus & roſtro impetivit, (nullum autem ſauciavit,) quod poſtquam crebrius factitavit, demum ab Illuſtriſſimo Comite, Domino Anthonio Günthero, è quatuor Sacri Rom. Imp. Comitibus, Comite de Schvvarzburg & Honſtein &c. Domino meo gratioſiſſimo, avis hæc cædi impuni vulgo expoſita eſt. Et poſtquam vertici arboris (citra ſolitum hujus avis) non altæ inſideret, vir quidam ejusdem arboris caudicem ſecuri ſua irritationis cauſa pulſabat, ad quod tetrax ira excandeſcens in viri caput & humeros citò involabat, qui alios duos viros in ſubſidium vocabat, qui ſub tam furioſa violentia tetragem manibus prehendebant & Illuſtriſſimo Comiti vivum extradebant, cui alas ligato in viridario deambulare permittebatur, ſed brevi poſt moriebatur. Ex quibus apparet, hanc avem ad dictos conatus inſolitos itidem rabie fuiſſe adactam, æque ac, inprimis circa urentem Syrium, in hominibus & ſupra nominatis brutis fieri asſolet.

## OBSERVATIO CVIII.

### D. JOH. GEORG. SOMMERI.

## Hæmorrhoides in viro jam per quadraginta annos periodo menſtruá redeuntes.

VIr Ampliſſimus, Dn. Felix Hannibal Rauſchart, Dominus in Heyna, nuper Præfectus Duc. Saxonicus, Amicus meus Honoratiſſimus, temperamento ſan-

guineo-melancholico, anno ætatis suæ vigesimo, quo Ratisbonæ studiis incumbebat, primùm passus est fluxum hæmorrhoidum, quem natura ex eo tempore usque in præsens quolibet mense, stato tempore repetiit, quamvis hoc naturæ beneficio, (uti illud ab *Hippocr. aphor. 25. lib. 4. & aph. 11. & 21. lib. 6. cum Galeno commentante* meritò extollitur,) nunc sexagenarius paulò parciùs fruatur. Ubi notandum, quòd, quoties hæmorrhoides tributum suum ratione quantitatis aut temporis moræ non ritè persolvunt, toties actiones naturæ principes huic inde turbatæ labascunt, nimirum sub hoc sanguinis ὀργασμῷ calor quidam præter naturam alvi obstructio, cordis angustia, hypochondriorum inflatio cum totius corporis & animi languore oritur: quoties autem hic fluxus restituitur, toties etiam disparent omnia symptomata.

Cæteroquin hos 40. annos Vir supra laudatus per DEI gratiam in tolerabili sanitatis statu transegit. Nominat etiam alium Virum maximi nominis, qui eandem cum ipso fortunam hoc in passu fuerit expertus, vegeta senectute felicem. Quibus confirmatur, quod talismodi à natura ipsa institutæ evacutiones sanguinis aliorumque humorum quantitate aut qualitate peccantium zizaniam in prima, quod dicitur, herba evertere, adeoque per Dei gratiam vitæ salubritatem & diuturnitatem promovere valeant.

## OBSERVATIO CIX.
## D. GEORGII FRANCI.
## Ascites cum Ictero & comate lethalis.

VIr 54. annorum minoris staturæ, temperamenti phlegmatico-sanguinei aliquot liberorum pater 1674. febre malignâ epidemicâ corripiebatur; & post plurimi potus largissimam ingurgitationem incidit in asciten cum

cum tabe enormi, per DEI gratiam & apta remedia tamen reconvaluit, & jam à X. annis benè ſe habuit; niſi quòd ab aliquot menſibus manè, jejunus etiam, ſiti inſolitâ vexaretur. Quare poſt leviſſimam panis buccellam, pro ſiti ſedandâ aliquot vini hauſtus aſſumpſit; cùm interim appetitus ad cibos ſenſim ſenſimq́ue minueretur, ipſæq́ue vires. Quare vocavit Medicum, qui & probata præſcribſit remedia. Sed cùm hic aliorſum vocaretur, ægriq́ue res fierent in dies deteriores, ipſe ego advocabar. Alvus minus reſpondebat, & ſolito erat tardior; propino vinum medicatum in nodulo ex aperientibus & purgantibus; inde quotidiè quinquies, ſexies imò ſepties ſordidas & liquidiores dejecit feces flatusq́ue copioſiſſimos cum εὐφορείᾳ. Urina bilioſiſſima obſcurè rubra & inſtar amurcæ craſſiſſima, admodumq́ue pauca, ſitis non excedens. Moles abdominis ampliſſima, aquis & flatibus turgentiſſima. Præterea per totum corpus & maximè per calvitiem icterus flaviſſimus. A principio autem morbi Coma vigil mirè ipſum exercuit; quod ubi adveniebam, quotidiè majus ſumſit incrementum, quicquid etiam optimarum medicinarum propinaretur, donec ſexto ab adventu meo die placidè, ſed apoplecticus obiret.

## OBSERVATIO CX.
## D. GEORGII FRANCI.
# Quartana cum hydrope feliciter curata.

Πολυθρύλλητον eſt:

*Hydrops, Quartana, Medicorum ſcandala plana.*

Et revera per nuperum Autumnum & præſentem hyememita ſe habere, fateri fermè cogimur. Hoc certè in multis Quartanariis obſervari licuit, ubi urente æſtu febrili nimium ingurgitârunt potum, corpusq́ue non ſatis fuerat expurgatum, in fine plerumque in œdema pedum, alioſq́ue tumores; imò etiam in hydropem aſciten abierunt. Nullos

tamen; aut saltim longè paucissimos, qui morerentur, vidimus. Ad instantiam nuper Generosi Dn. de Barsch; Sereniss. Dnæ. Electric. Palat. Viduæ aulæ Magistri, visitavi unum è veredariis Ejusdem; qui ab aliquot septimanis atrociter cum Quartana conflictabatur; homo ann. 33. temperamenti phlegmatici; tandem in hydropem asciten totius corporis desinebat, ita ut non solum pedes & abdomen, sed pectus manusque; immò & facies ipsa tantum intumuerint, ut vix oculos conspicere potuerimus; instar hermathenæ pallentis, paroxysmis quartanæ nihilominus constanter suo tempore redeuntibus. Fateor me ferè desperâsse de recuperanda valetudine, maximè cùm accederet symptomatum & copia & gravitas, anorexia ciborum, sitis, agrypnia, dyspnœa, alvi constipatio, ischuria interdum, interdum dysuria; ob urinam salinam crassam, atroque rubentem. Dedi ergo nodulum purgantem in vino ex fol. senn. rhab. mechoac. agar. & irid. nostr. addidi aperientia alia; una cum sale tartari. Manè bibit haustum ad ℔ß; per diem tamen nihil dejecit, nocte autem tota septies & pluries interdum; ita ut horrenda excerneretur humorum vitiosorum sentina cum levamine molis aquosæ in manibus primò & facie; dein in pectore, ubi tumor œdematosus instar scuti majoris; inde sensim & dyspnœa minuebatur: Continuavit hunc nodulum ad 18. dies. Dein singulo manè in jusculo Spirit. Terebinth. ℈j. assumsit, noctu autem Tinct. Bezoard. & corall. r. ver. cum spirit. sal. comm. ad gtt. 40. vel 50. inde tanta urinæ prodiit copia, ut duplo imò quandoque triplo superaret potum assumptum, etiam cum ægri & adstantium stupore, atque ita postremo abdominis & pedum tumor in totum decessit, rediit appetitus & reliqua valetudo. Quartanam autem quod spectat; illa, ubi jam à X. diebus nodulo usus erat, cessabat, ubi prius per quatuor dies continuos circa vesperam pulv. chin. chin. ℈iv. ex vino albo generoso assumeret. Nec negleximus confortantia aliaque generosa adhibere

bere remedia pro virium restauratione, atque ita DEO propitio, cum multorum applausu ex orci faucibus ereptus, jam ab aliquot septimanis munere suo defungitur. Aliam in suburbio feminam 26. annorum eodem modo quartana cum hydrope totius laborantem, jam iisdem remediis (ceteris paribus) tracto, nec de bono despero eventu; cùm in dies malum minuatur.

## OBSERVATIO CXI.

## Dn. GEORGII CHRISTOPH. EIMMARTI.

*De*

# Eclipsi Solis.

### *Quæ contigit Norimbergæ 1684. d. 2. Julii st. v. hor. pom.*

INter Observationes rerum Naturæ Curiosarum, phænomena Cœlestia non postrema esse, Corporum illorum, Summi Opificis Majestatem ante omnia præferentium suadet nobilitas, ipsa Cœlorum, unde coruscant, postulat sublimitas.

*Luminarium*, quæ corpora in mundo maxima sensus judicat, *Eclipses*, quantum intersit, ritè observare, illarumque vias, quas tramite quidem obscuro, motibus tamen manifestis in tantâ ætheris fluxibilitate ordinatissimè perpetuò decurrunt, digito quasi ad unguem monstrare, quàm arduum, nedum hactenus omnibus numeris absolutum & exploratum sit negotium, ab Astronomis abundè passim inculcatur; hinc illorum tot seriæ adhortationes, quibus, ut exactior pleniorque talium notitia imposterum habeatur, ad hujusmodi Observationum pragmatias junctis ubique locorum, certatim velut viribus, summâ operâ contendere jubent: Et licet in cœlo frequenter Eclipses Luminarium contingant, non tamen in quovis horizonte, quocunque etiam tem-

 pore


pore idoneo eæ ſemper omnibus obviæ, taceo, non paucas ob aërem tenebricoſum, ſive cœli variantis lubricam faciem, facilè adimi ſolere, ut ideò, ſi faventior quandoque cœli ſerenitas tunc arriſerit, inter rara contingentia phœnomena hæc haud immeritò numerare liceat. Tale certè fuit, quod obſervandæ præſenti huic Eclipſi Solis annuit, & quod ad ſolertem ejus curam animum intendere invitavit.

Optandum utique eſſet, aliarum de hâc Eclipſi egregiâ Obſervationum in Europâ peractarum notitiam ad manus noſtras perveniſſe; (dubio procul adeptæ erunt quamplurimæ.) Verùm, cùm pauciſſimæ adhuc, quod ego ſciam, publici juris factæ, haud ingratum fore Philo-Mathematicis, ſi non neceſſe, arbitror, hanc qualemcunque Obſervationem, quæ quidem antea gemino, ſed in unum conflato ſchemate, à binis Obſervatoribus, ſejunctim eandem operam navantibus, typis mandata erat, publicæ utilitatis cauſâ, (ſi digna videbitur) heîc loci repetere & quod præcipuum in eâ paucis referre. Collata hæc cum aliorum locorum Obſervationibus, etſi in aliquibus phaſibus determinatis vel temporis pauculis minutis à verô defecerit, non tamen in totum certitudinis eliciendæ fructu deſtituetur; *Nec enim poteſtas unquam fuit*, (ſunt verba Petri Petit) *exactiſſimo cuicunque Obſervatori ſuas omnes horas ex altitudinibus ſyderum, ſibi, horologiis & veritati ad amuſſim congruas invenire*, ob cauſas & remoras quamplurimas, quas omnes recenſere hûc non pertinet.

Series

Obs. III.

Schema
SOLARIS ECLIPSIS
Anno 1684. Die 2. Iulii st. v. h. pom:
NORIBERGÆ
observatæ.
â
I. P. W. et G. C. E.



## *Series Observationum*

Locus Sol. ad Merid. Diei 2. Julii, st. v. ex Tabb. Philolaicis supputatus ♋ 20°.41′.21″. sub Elevat. Poli 49°.30′.

| | *Ordo Phas.* | *Phases Eclips.* ☉ *Digiti & part.* | | *Tempora ad Sciateric. horizont.* *H.* | *M.* | *S.* | *Altitudines centri* ☉ *o.* | *′.* | *Tempora ex altitudinibus correcta.* *H.* | *M.* | *S.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Initium inter nubes elapsum. | I | 1 | | 3 | 19 | 30 | 42 | 30 | 3 | 17 | 30 |
| | II | 1 | 10/12 | 3 | 28 | 20 | 41 | 8 | 3 | 26 | 24 |
| | III | 3 | | 3 | 35 | 30 | 39 | 54 | 3 | 34 | 20 |
| | IV | 4 | 2/12 | 3 | 44 | 10 | 38 | 30 | 3 | 43 | 2 |
| | V | 5 | | 3 | 49 | 10 | 37 | 36 | 3 | 48 | 40 |
| | VI | 5 | 10/12 | 3 | 57 | 0 | 36 | 14 | 3 | 59 | 50 |
| medium, sive max. obscur. | VII | 7 | | 4 | 9 | 30 | 34 | 10 | 4 | 9 | 0 |
| | VIII | 7 | | 4 | 17 | 20 | 33 | 4 | 4 | 16 | 58 |
| | IX | 6 | 9/12 | 4 | 31 | 50 | 30 | 54 | 4 | 30 | 30 |
| | X | 6 | | 4 | 37 | 0 | 29 | 54 | 4 | 36 | 40 |
| | XI | 5 | | 4 | 46 | 50 | 28 | 24 | 4 | 45 | 38 |
| | XII | 4 | | 4 | 54 | 50 | 27 | 12 | 4 | 53 | 6 |
| | XIII | 3 | | 5 | 4 | 10 | 25 | 44 | 5 | 3 | 50 |
| | XIV | 1 | 11/12 | 5 | 9 | 0 | 24 | 47 | 5 | 7 | 55 |
| | XV | 1 | | 5 | 13 | 30 | 24 | 3 | 5 | 12 | 45 |
| Finis. | XVI | 0 | | 5 | 18 | 30 | 23 | 20 | 5 | 16 | 58 |

Maxima

Maxima obscuratio inter utrosque Observatores exactè convenit, ut & finis Eclipſ. ferè, nam alter Observator ex altitudine centri Solis 23°. 16/. collegit tempus emersionis hor. 5. m. 17. sec. 14. ut tota differentia temporis 0/. 16//.

Proportio Diametri Solaris ad Lunarem inventa fuit, ut 100. ad 95. $\frac{1}{3}$. alter Observator Diametrum Lunarem part. 240. deprehendit, qualium Solaris 252. egregius etiam hîc consensus, certitudinem haud contemnendam indicat.

## Observationes Eclipsis ejusdem Parisinæ, ex communicatione Amici.

### *Clariss. Bullialdi Observ.*

Alto Sole 50°. initium elapsum erat, Sole nubibus tecto, & digitus circiter deficiebat.

Alto Sole 41. paulò amplius quam digiti 7. attigit digitos 8.

Alto Sole 29. 30/. finis.

Puncta initii & finis satis benè convenire Tabb. calculo observata sunt.

### *Clariss. Cassini in Observatorio Regio.*

Initium H. 2/. 25/. 30//. deductum ex Phasib. seqq.
Finis 4. 43. 23. maximus defectus digitor. 8.

### *Clariss. Julii Reichelti, P. P. Argentorati.*

Tempore initii & finis Eclipsis, obstitêre nubes.
Maxima obscuratio deprehensa fuit 7$\frac{1}{2}$. digitor.

*Vide Schema eclipticum.*

OBSER-

## OBSERVATIO CXII.
## D. ZACHARIAS FÜRST.
# Puella ſine ano.

NAtivitatis culpâ quandoque fieri, ut clauſo ano alvi fæces per Vulvam excernantur, teſtante id ex aliis *Thom. Bartholino Centur. 2. Hiſtor. 63.* adeò diligenter unius rei defectum alio compendio compenſat natura, nunquam magis æqua, quam cum maximè eſt iniqua. In feſtis Natalitiis evocatus ad Sereniſſimum Landtgravium Haſſiæ Erneſtum in Rheinfels, in certo affectu conſilium meum expoſtulantem; Ubi à loci illius Sancti Goaris ordinario Medico Dn. Doctore Huxolt ad aliquam octo circiter ſeptimanarum puellam ductus, inveni illam excrementa per Vulvam emittere, cum natura in ani loco maculam tantum in carne durâ tanquam vulneris ſanati veſtigium delineaſſet; Quid Conſilii, an anus perforanda? Voluit hoc ibidem Medicus, & felices ſæpè ani perforationes, de quibus & authores, & Ephemerides miſcell. naturæ curioſorum ſuadebant; At cum diductâ nonnihil vulvâ, abſterſiſque excrementis, naturæ iſtuc aberrantis compendium accuratius perluſtrarer, adverto incurvato flexu inteſtinũ rectum, ſuum in vulvæ parte inferiore ſortitum eſſe exitum, per quam moleſtam ſemper fæcum ſarcinam expellendo deponeret; Ani itaq; perforationem diſuaſi, jam facilè idem fatenti Medico hac accuratiore examinatione inducti ambo. Viderint ergò attendantque ad ſimilia naturæ aberrantis compendia omnes ii, quibus hujusmodi obtingunt, ne immaturo nimis conſilio, perniciosas ſæpè auſpicentur ſectiones. Si verò quis putet ano perforatâ, inteſtinoque recto eò deducto vulnus remanente libera alvi excretione conſolidari commodè potuiſſe, ab eo libenter adhuc inſtrui cupio.

## OBSERVATIO CXIII.
## D. ZACHARIAS FÜRST.
# Cor vulneratum in quartum diem vivens.

PAradoxum fuit seculis prioribus, Cor ullis morbis affici, multò minus vulneribus scindi, nisi subitò Cor ruat, & exspiret; sanior & accuratior hæc posterorum ætas, ut in omni ferè studio, sic potissimum in Anatomico; Deliciæ hodiedum sunt cruentæ secantium manus, nec occasiones, nec cadavera sufficiunt, quibus felicissimæ hujus ætatis satietur curiosa voluptas, quasi mortuorum cadavera nunc essent dulcissima edulia: pleni sunt recentiorum libri, qui abundantem suggerunt observationum farraginem, vel variorum cordis affectuum, vel lapidum in corde concretorum, vel abscessuum etiam, polyporum, vermium & serpentum in corde repertorum historias, quarum omnium & Authores & loca citare, illis relinquo, quibus Deus longiora concessit otia; noster interim casus hic est.

Ferali sed innocenti casu à furentis vel insanientis militis editiori in loco stantis oblongo gladio transfossus supremi vigiliarum Magistri servus, retrò suum non minus periclitantem Dominum face ardente noctem illuminans, ultimo prioris anni octuagesimi quarti Decembre hic Confluentiæ; commissus eadem statim nocte & campi chirurgorum & Judæi Medicastri curæ. At quarto post velitationem die ultimum obiit diem, sibi tamen semper sub curâ præsens, jusculа etiam comedens, sine singulari Hæmorrhagia, omnibus quoque Romano Catholico more Sacramentis ritè munitus. Concessa mihi ab Eminentissimo Clementissimoque Domino meo vulneris istius post mortem investigatio. Remoto itaque osse sterno cum costis appendicibus per medium sectis,

ctis, totam statim concavitatem pectoris coagulato sanguine repletam vidimus, immixtâ tamen liquidiore sanguinis parte, sive sero, ut commodè spongiâ exsugi poterat; remotis sanguineis hisce obstaculis, in venam illam vel arteriam, quæ læsa istiusmodi sanguinis copiam evomuisset, studio inquisivimus, At cum transfossum inveniremus pulmonem, ubi cordi superjacet, curiosiores inde facti pulmones removimus, & ubi ipsum Pericardium transverberatum seposuissemus, ecce stupor! Cor ipsum omnibus nunc suis integumentis denudatum, crudelissimi gladii ictum excepisse vidimus; Unde stupore attoniti Cor à corpore revulsum & manibus omnium exceptum, oculis nostris perspeximus fatalem ensis cuspidem cordis ventriculum totum penetrasse; Ita tamen ut introitus vulneris transverso penè digito fuerit altior, quam exitus, ut in adjuncto Schemate ruditer tantum à me delineato videre licet in litera E. & litera F.

Cultro ergo aperui utrumque ventriculum, in iisque satis magnam adhuc sanguinis coagulati copiam (majorem tamen in sinistro quam dextro) invenimus; Quantum tunc assignatæ nobis tum temporis, tum loci angustiæ permittebant, in gratiam insignis alicujus mihique dilectissimi Medicinæ Candidati Theodori Mœren Philosophi aliàs præstantissimi, qui jam mensibus aliquot Praxeos exercendæ causa mihi cohabitat, modum illum, quo & cordis motus & sanguinis conquassatio peragitur, ut à Nobilissimo Doctissimoque D. Stenonio Anatomico excellentissimo, Fautore ac Patrono meo æviternum colendissimo quondam mihi monstratus est, & à Clarissimo Domino Wedelio in Anni sexti & septimi Observatione secunda, clarissimè describitur, brevissimè demonstrare conatus sum. Stupebant præ admiratione omnes præsentes & civitatis, & aulæ campique Chirurgi, quorum unus novitate rei perculsus dubitabat, utrum quod haberemus in manibus cor esset; quam insulsam & ignorantem dubitationem ad confusionem ipsius solenni risu excepimus.

Quomodo nunc poterit ſalvari cordis motus læſo aliquo ejus ventriculo? Thomas Bartholinus in Hiſtor. Anatomic. Centuria 1. Hiſtor. 77. ſimilem refert caſum, ubi addit, *quantum conjecturâ aſſequor propter anguſtum obliquumq́ cordis vulnus concidentibus labiis circulatio per tot dies perſtitit interrupta;* Hæc conjectura in caſu noſtro propter vulneris magnitudinem vix locum habebit; meo autem judicio, ex innato ſervi illius virium robore tantus permanſit in fibris cordis, in cono coëuntibus vigor, ut ſeſe contrahentes, & baſin verſus coarctantes per ſyſtolen vulneris labia conſtrinxerint, liberamque ſanguini conquaſſato evomitionem per arteriam pulmonalem (quæ malè à quibusdam vena arterioſa, nuncupatur, nam arteriarum more pulſat, & ſanguinem ex corde ad pulmones defert, ſimilique ac arteria aorta gaudet valvulâ ex corde foras prominente, ut ſanguinis evibrati retrogreſſus impediatur) in pulmones conceſſerint, ubi fibris relabentibus cordeque in priſtinum locum redeunte hiantes ventriculos venæ ſufficienter adimpleverant, donec doloris ex vulnere ſenſus fibris magis communicatus paulatim collabeſcente motu quarto poſt vulnus acceptum die ſteterit immota hæc Microcoſmica machina, vel potius perennanter ſaliens fons, ex quo univerſa corporis machina irrorata, ſuas functiones exercet. Salvo tamen meliori judicio.

Fig. XXI.


## OBSERVATIO CXIV.

### D. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.


### Iterum de vulnere cordis non ſtatim lethali.

Ruſticus quidam ætatis conſiſtentis, Andreas Roſcher, inter pocula cultro oblongo & acuto Anno 1682. d. 15. Octobr. hora ſexta veſpertinâ punctim in thoracis latere dextro vulneratur. Culter per ſterni cartilaginem, ubi

Cordis anterior facies.




Cordis posterior facies.




A. Conus seu Mucro cordis.
B. Basis cordis.
C. Auricula dextra cordis.
D. Auricula sinistra cordis.
E. Introitus vulneris per dextr: cordis Ventric:
F. Exitus vulneris.
G. Venæ cavæ truncus descendens.
H. Venæ cavæ truncus ascendens.
I. Arteria pulmonalis.
K. Arteriæ äortæ truncus ascendens.
L. Arteriæ äortæ truncus descendens.
M. Vena pulmonalis.
N. Vasa coronaria.

Fig: 21. f. 228.

ubi costæ quintæ venæ junguntur mediastinum, pericardium ad dextri ventriculi cordis cavitatem usq; penetraret, & cordi, attestante id post mortem sectione, tres digitos transversos supra mucronem vulnusculum hujus —— longitudinis inflixerat. Accersitus ad vulneratum temulentum, eundem vomitibus crebris, lipothymiis, cum sudore frigido correptum invenio, & vulnus multum sanguinis & humoris lymphathici, qualis in pericardio fluctuat, eructasse conspicio. Vulnere decenter deligato, & adhibitis medicamentis, vomitus, lipothymiæ & sudor frigidus cessabant, noctem tamen agebat insomnem. Sequentibus diebus melius habere videbatur, cibum appetebat, spiritum liberè ducebat, & pulsu adhuc parùm immutato, aliquoties in hypocausto deambulabat. Dolor externus sterni maximè ipsum affligebat, in cavitate verò thoracis nullum se sentire dolorem toties rogatus asseverabat. Anxietatibus cordis intermittentibus, & vigiliis continuis tentabatur, & sicubi forsan se somno dare constituerat, variis imaginibus, & phantasiis miris somnum increpantibus exercebatur. Per vulnus nil puris, multum verò fluidi sanguinis quotidie egerebat, ut & per alvum & vesicam. Die 21. d. m. circa noctem mediam doloribus capitis, anxietatibusque cordis, respiratione difficili, & insigni virium languore, & pulsu inæquali, subsequente v. die delirio miti absque febre corripiebatur, & circa 10. vespertinam placidè expirabat.

Aperto thorace in ejus cavitate dextrâ magna sanguinis fluidi, non congrumati aut purulenti, cum humore pericardii mixti copia; in cordis verò thalamis, & vasis eorundem majoribus ne gutta quidem sanguinis in conspectum veniebat: cadaver rigebat, purpureis vibicibus ubique notatum.

Similes historiæ, quibus post acceptum vulnus cordis etiam ad quartum decimum diem adhuc inter vivos extitisse vulnerati notantur, apud observationum medicarum Scriptores passim prostant. In quibus hæc desidero, quod post inflicta vulnera, symptomatibus neglectis in solo computo dierum & horarum

horarum occupati fuerint. Hi si in symptomatis recensendis majorem curiositatem exercuissent, historiam cordis, me judice, multùm illustrare potuissent.

## OBSERVATIO CXV.

## D. JOH. JACOBI HARDERI

*De*

# Noxis Cicutæ terrestris.

Ad

*Virum Celebratissimum*

JOH. JACOBUM WEPFERUM, Archiatrum Scafusanum.

QUotiescunque Tua in me merita rumino, rumino autem sæpiùs, nihil cordi solet esse æquè, ac grati animi tessera, quà favorem tuum porrò mihi promittere ausim: hujus vices si sustinere jubebis præsentem de Cicutæ terrestris noxâ historiam, hem quantum non menti meæ gaudii accedet & solatii, cùm nôrim tibi probatam, nec aliis valdoperè displicituram: Ansam autem Meditationi isti Tua suggessit Cicuta, eruditorum ore jam decantatissima, cui levicula, quæ tum ex succo terrestris, vulpeculis & porcellis Indicis exhibito notâram, addi voluisti: his proin ulterius illustrandis, cùm experimenta deinceps necessaria viderem, elapsâ hac æstate, ad herbæ vires noviter explorandas me accinxi: De effectibus ipsis, ubi singula enarravero, Excell. T. judicium feret facilè, subjungam & ego ratiocinia aliquot, quæ autem prodromi loco tantisper haberi velim, dum iteratis, ubi Deus vitam anno imminente concesserit, experimentis plenius delinitæ hujus, forsan & aliorum genio disserere possim:

D. 15 Octobr. Cani vetulæ mediocris magnitudinis horâ 11.

râ 11. antimeridianâ, ſucci Cicutæ ℥ß. præter propter infudimus, à quo mox ſalivare, toto corpore contremiſcere, tandemque vomere cepit: Horâ primâ pomerid. langueſcenti denuò ℥j circiter infudimus, unde mox ejulabat, & circa præcordia vehementer opprimebatur. Diaphragmatis iteratâ ſuccuſſione ad attactum evidenti, cum reſpiratione rarâ & anhelâ, ſalivavit inſuper & tremuit vehementius: ſeſquihorâ pòſt evomuit mucum viridem, ſpiſſiuſculum ſatis copiosè, iſthinc tamen melius non habuit, oppreſſione graviter perſiſtente, minxit inde & ſub veſperam languidus omninò, pedibus inſiſtere nequiit, caput, quum erigeretur, inſtar temulenti jactitavit, moxque concidit, inſultibus ſpaſmodicis in utroque pede anteriore & poſteriore ut & aure ſiniſtris, conſpicuis, tandem noctu interiit.

Inſtitutâ ſectione in abdomine inflati nihil comparuit, præter veſicam urinariam & felleam, quarum ſuo humore utraque turſit, veſicula inteſtinorum tenuium ſeriem, duodenum præprimis perreptantia, rutilo ſuo colore intensè oculos refecerunt: Ventriculus parvulus, fibrarum validè corrugatarum faciem exterius jam oſtendit, quæ fundi parte ſuperiore incisâ rubicundæ inſuper videbantur, muco viſcido heic illic hærente, cum ſucci viridis coagulati reliquiis, inter ipſarum interſtitia detentis: Inteſtini duodeni facies interna, ſpithamæ longitudine tota inflammata & cruore ferè perfuſa, jejuni verò & ilei externa liveſcens, intus mucum ſanguinolentum copioſiſſimè exhibuit, in quo vermiculi exigui numerosè ſtabulabantur, ceu in nido ipſis deſtinato, craſſis ab iſta labe liberis magis exiſtentibus: Pulmonum lobus dexter maculis ex rubro liveſcentibus variè inquinatus fuit, diſciſſus verò veſiculas à ſanguine tenui effuſo rubentes exhibuit, ſiniſtro incolumi, cordis thalamus dexter cum auriculâ, ad attactum molleculus, ſanguinem fluidum, ſubatrum, cujusmodi ex aliis etiam vaſis effluxit, continuit: Cerebri facies elegans, glandulæ præprimis pinea-

lis

lis subrubentis, quam vasa sanguifera artificiosè amplectebantur: In ventriculis anterioribus seri copia idonea deprehensa fuit, sanguinis verò extravasati nihil.

D. 25. ejusd. D. Licent. Schorkopf Hildesiens. & D. Näbel Heidelbergens. alii Cani succi ejusdem recenter expressi ℥iij. præter propter exhibuerunt, post horæ quadrantẽ murmura & rugitus vehementiores audiverunt, certos fermentescentiæ indices: Hinc abdomen inflari & distendi cepit, perque intervalla spasmodici insultus leviores suboriri: ejulavit juxta & frequenter minxit, ex uno loco, in alium migrando, succedente motu cordis palpitante & diaphragmatis forti succussione: Sub vesperam quum accederem eidem languenti ℥ij. circiter propinavi, à quibus contremiscere, angi & vehementer succuti incepit, cum insigni cordis palpitatione & abdominis rugitibus, inde copiosè minxit, non tamen vomuit nec dejecit: Die insequenti adhuc sed languidus, nec qui diebus ante vehementer, latravit amplius: Hor. 1. pomeridianâ, ejusdem succi ad ℥iij. ferè infudimus, à quibus eadem symptomata passus est, nisi quos vomituriit juxta: Die alterâ abhinc succi ejusd. ℥jß. præter propter, venæ jugulari siphone blandè immiscuimus, unde cor palpitare vehementissimè, canis totum corpus convelli, maxillas retrotrahere, totusque obrigescere cepit, horæ autem circiter quadrante paulatim se recollegit, & qui ante crebrò & anhelè, jam liberius respiravit, sibique redditus tantisper obambulavit: cùm deinceps ℥j. circiter blandè injiceremus, machina confestim corruit ac obriguit.

Cultro injecto cura præcipua fuit medii ac imi ventris: in hoc ventriculi & intestinorum vasa egregiè rubebant, ipseque tantisper distentus, quum orificium superius incideretur, spumam fæculentam fermentescentem copiosè exhibuit, qualem cum muco sanguinolento & succi particulis, fundum etiam continuit, plicis ejus corrugatis & aliquantum rubentibus: In duodeni ductu pariter aliqualis inflammatis

matio, at non tanta uti in priore: Veſicula fellis bile diſtenta, & uterque ductus cùm cyſticus tùm pancreaticus patuli: Tubuli bilarii ad veſicæ collum pergentes evidentes erant: Cordis auriculam dextram, aëre per cavam aſcendentem infra hepar injecto, pulſum ſæpius ingeminare vidimus, ipſummet verò, quamvis inde tumuerat, ſanguine prorſus vacuum fuit, nonniſi ſucci concreti in auricula & thalamo dextris reliquiis conſpicuis: In pulmonum lobis maculæ rubræ heic illic conſpiciebantur, præprimis verò lobi dextri majoris ſuperficies inferior ℥. decas in longum latumque inflammata fuit, reliquis ferè ſingulis, ubi incidebantur, vireſcentibus, imò ſuas in particulas oſtendentibus.

Die 28. ejusd. Cani moloſſo ℥jß. circiter in venam jugularem injecimus, à quo ejulare, cor palpitare & convelli cepit, inde aliquandiu defatigatus, ſemimortuus jacuit, reſpiratione nunc rarâ, nunc crebrâ & anhelâ exiſtente: inde ad ſe paulùm rediit, caputque erectum huc illuc jactitavit: ſemihorâ pòſt lateris ſiniſtri venæ pariter ſucci aliquid immiſcuimus, & cor palpitavit vehementiſſimè, miſereque ejulavit & abdomen ſuccuſſus fuit, motibus ſpaſmodicis in faucibus & colli muſculis conſpicuis: tandem verò ℥ß. circiter adhuc injectâ, cum ſtertore & anhelatione reſpiravit, & ad mortis impetum, ſpumam ſanguinolentam per os copioſè reddidit, cordis pulſu longis intervallis recurrente.

Abdomen inciſum, ventriculum cum inteſtinis inflatum exhibuit, inprimis verò ſub finem cœci & initium inteſtini craſſi, portio ℥iij. circiter longitudine diſtenta fuit, ut & vaſa tranſparerent maximè, & ob tenuitatem glandulæ ſolitariæ elegantiſſimè conſpici poſſent: In utroque thoracis latere ſerum ſubcruentum fluctuavit: Pulmones flaccidi erant, eorumque facies exterior, præſertim in lobis majoribus ſatis inflammata: Ex aſperâ arteriâ ſpuma priori ſimilis multa adhuc effluxit, cujusmodi etiam ex ipſis pulmonum veſiculis, quùm inciderentur idoneâ copiâ ſtillavit: Ven-

Ventriculus ſanguinis dexter, cum auricula ſua admodum turſit : ex utrisque ſanguis fluidus proſiliit: Remoto cranio & dura meninge, prope cerebellum ad ſinuum latera, ſanguis ſimilis copioſiſſimè quâ datâ portâ prorupit.

Die eod. horâ 5. pomeridianâ caniculæ ſucci recentis ℥iij. præter propter exhibuimus, à quibus abdomen ſuccuti crebroque vomiturire incepit, donec horâ pôſt materiam ſatis copiosè excerneret: hinc tamen melius non habuit, quin urgentibus oppreſſionibus tremula incederet, tandemque pedibus inſiſtere nequiret, vomuit inde iterum, minxit, tandemque temulenta corruit.

In hujus interaneis, ventriculo & inteſtino ſuccum cicutæ pariter ſpumantem & utrobique inflammationis, mucique cruenti hinc inde adhærentis certiſſima veſtigia vidimus : Pulmones quoque in diverſis locis inflammationibus & ſanguine extravaſato fœdabantur, cordis verò ventriculus uterque omni ſanguine erat deſtitutus.

Die 29. ejusd. Porcello Indico femellæ ſucci ejusdem ℥j. circiter intruſimus, à qua præcedentibus tantiſper motibus convulſivis, ilicò ſpirare deſiit: In cauſam repentini interitus cùm inquireremus, reperimus in aſpera arteriâ ſucci reliquias cum ſanguine extravaſato in pulmonibus hic illic comparente: In abdomine mali nihil : gravida hæc erat binis fœtibus , & partui quantum colligere licuit ſatis propinqua.

Sub veſperam Porcello mari ℥j. præter propter propinavimus, à quibus primùm malè non habuit, horâ autem circiter poſt corrugabatur, & tremulus pedibus ampliùs inſiſtere non valuit: vomuit quoq; ſed minus copiosè: die inſequente rigidum deprehendimus cum abdomine inflato; veſiculâ fellis & urinariâ admodum diſtentis : Ventriculus diſſectus ſpumam fermenteſcentem, cum muco ſanguinolento ubere exhibuit, conſpicuâ circa pylorum & duodeni initium inflammatione , cujusmodi ſanguinis extravaſationes in tenuibus

hic

hic illic quoque animadvertimus: pariter etiam pulmonum lobi his infestabantur: Intestinum circum amplissimum, cellulatum: Atque his experiundi finem fecimus, herbâ recenti nos deficiente: ne verò nostræ fidei unicè subscribere teneantur Artis Curiosi, singulorum testes, qui nobis tùm adfuerunt appello Viros Nobiliss. & Præstantissimos D. Schorkopf Hildesiens. D. Lehenheer, Augustan. Medic. Licent. D. Näbel, Heidelberg. D. Facio, Viviacens. D. Kartscher, Brigâ Siles. D. Astorinum Italum, φιλιάτρους.

## *SCHOLIUM.*

DE nocivâ Cicutæ vi pleni sunt Medicorum veterum libri, nec opus esse arbitror ea prolixius heic repetere, quorum Tu ipse in Cicuta aquatica historiâ eruditam mentionem injecisti: Apud nos frequenter illa crescit in pago Mönchenstein & Michelfeldæ: odoris acris & præprimis ubi conteritur nauseabundi, succi particulæ linguam potenter feriunt, cùm nec digitorum apicibus pepercerint: herbæ & radicis in bolos coactæ efficaciam non exploravimus, ob tempestatem anni declinantem, & materiæ, si ita loqui fas sit, Solaris decrescentiam, unde forsan ipsius etiam succi in enecando torpiditas in canibus derivanda venit; dubium enim non est, quin vigente Solis influxu, planta decerpta, non succulenta magis sit, particulisque activis copiosioribus & magis evectis instructa, ceu istud opera iterata docebit: Suum tamen genium nobis probavit abundè, ei quadantenus similem quem in lupâ p. 157. animadvertisti, in canibus etenim binis temulentia manifesta fuit, & frequens mingendi necessitas, certo caliditatis quâ sanguinem fundebat & attenuabat, sicque parti aquosa faciliùs & copiosiùs abscedendi ansam suppeditabat indicio; possem quoque de narcosi massæ humoralis attenuationi sæpe numero succedente verba facere, nî pleniùs de illâ agere alibi consultum foret; Nec verò heic substitit Cicuta, quin salinæ suæ acrimoniæ, aculeorumque igneorum quibus non parùm sti-

pata eſt, evidentiora edidit ac reliquit veſtigia, ſibi ferè ubique conſona: In cane vetulô & caniculâ, totius tremor cum vomitu & oppreſſione circa præcordia, diaphragmatiſque ſuccuſſione, fibrarum nervearum cùm ſtomachicarum tùm phrenicarum, intimam cùm iis confinitatem habentium, irritationem ſatis arguunt, quæ ceu prodromus. Salivatio præceſſit, non tam ex continuatâ ſuccuſſione vel conſtrictione muſculorum oris, vomitu imminente aliàs conſpicuâ, quàm apicularum linguæ nervearum ut & partium vicinarum à particulis ſucci exhibui reſiduâ agitatione: In ventriculo verò ſuam ἐνέργειαν adeò vehementer non exercuit, usque dum muco obmuniente ſoluto, ſpicula ſua infigere potuit fortiùs, quibus ſemel impactis, etiamſi evomuerint materiam idoneam, motus ſpaſmodici nihilominus ſubſtiterunt, ſpirituumque ulteriorem diſſipationem, quam corporis languescentia neceſſariò excepit, promoverunt. Adjumento his acceſſit vaſorum ab hoſte rodente denudatio & eroſio aliqua, quam ſanguinis extravaſatio non potuit non ſubſequi, cujus utique cùm in tenuibus inteſtinis, duodeno maximè, tùm in ventriculo inflammatio & mucus ſanguinolentus certiſſima ſunt ſigna: Et fortè ſuffeciſſent hæ pro machinæ deſtructione illatæ noxæ, ſi intra iſta pomaria delituiſſet; aſt ulterius perrexit, particuliſque ſubtilioribus ſanguinis oceano immiſtus, eum inſigniter rarefecit & fudit, unde cordis thalami, non modò ſanguine vel nullo vel fluido admodum gaudebant, ſed in pulmonibus etiam à ſanguine tenui heic illic extra vaſa proſiliente & ſtagnante veſiculæ rubore & maculis inſolitis decoloratæ fuerunt, quibus faciliorem anſam pertinaces diaphragmatis ſuccuſſiones & oppreſſiones haud dubiè ſuppeditârunt, donec hinc labe aliquâ ipſi cerebro (ſi non potiùs ſpiritibus) illatâ, elanguescente fluidi utriusque influxu præcedaneâ temulentiâ corruerunt, de quibus in ſecundis curis plenius, nec enim de

de cerebri cortice, in quo ſpirituum expanſionis in affe-ctibus ſoporoſis impeditæ cauſam quærunt Eruditi, jam dicere vacat: de ovis verminoſis addenda pauca, quæ ex pituitâ vel ſeminio certo modo putreſcente deducunt Galeni filii, fortè quòd purgante exhibito vel talem nudam, vel cum illâ lumbricos excerni animadverterunt, pariter uti ex fimo equino aliovè fœtus iſtiusmodi derivârunt alii, de ovulis inibi depoſitis parùm cogitantes: Eſt ſanè mucus cùm ventriculi tùm inteſtinorum, commodus vermiculorum utriculus, cui dum adhærentes & involuti, accedente etiam huc materiâ motum vitalem ſuſcitante (calorem dicunt aliqui, ego verò ſubtilis præſentiam inſuper arguo) exigui valdè prodierunt, nutrimenti ſui partem aliquam deinceps debere videntur, indeque eſt, quod ſoluto & exeſo muco, temporis tractu ipſam inteſtinorum ſubſtantiam eroſiſſe ac perforâſſe quandoque deprehenſi ſunt, ceu in Obſervationibus edendis exempla ſuggeram: ſæpiùs tamen hoſpites iſti in uno alterovè corpore non ſtabulantur, præter Practicorum opinionem & ſuſpicionem, unde vulgus pro ſuâ imperitiâ, labem ipſis affricare conſuevit, quòd exhibito purgante anthelmintico effectus non reſpondit: verùm enim verò materia graveolens ad inſtar ſpermatis ranarum, vel ovi putrilaginoſi, quis fœtus ſubfuerit ſatis edocet; quis enim neſcit, vermes ſive enectos, ſive ſeminium collectum, nec tamen eductum, ita corrumpi ac putreſcere poſſe? pariter uti pituitam in dictis locis ad ſaturationem aggeſtam, putredinem concipere, communicatisque vitioſis maſſæ humorali miaſmatibus, motum hujus variè pervertere; aliaque ſymptomata inducere, experientiâ comprobatum eſt.

Spuma fermenteſcens, cujus vehementes rugitus, cum abdominis diſtenſione in cane altero præſagium erant, cum muco ſanguinolento, ſatis oſtenderunt, quam in iſto ſucci ex-

exhibiti particulæ luctam inſtituerint, à quâ agitato tantiſper Helmontii Archéo, angi & ſuccuti accepit: cani tamen exitiales iſtæ æquè non fuerunt, ac Porcello Indico mari, cujus animantis ventriculus tenerior videtur utique, nec muco oblinente caninorum inſtar inſtructus, oſſa aliaque citra noxam diffringentium ac concoquentium, unde etiam dictæ ſucci particulæ pariter infringi non poterant, quin labe ventriculo & inteſtinis tenuibus gravi ſemel illatâ, qualis etiam in pulmonibus vitali organo conſpiciebatur, vitæ animalis diſpendio afficerent: Mucus certè viſcidior & copioſior à particularum enormitate aliquâ ipſum præmunivit, cui, ceu ſupra meminimus, plantæ utpote dicto demum menſe collectæ, virtus fatiſcere incipiens jungenda eſt, prorſus tamen ſoſpitem non præſtitit, quin ſymptomatum vehementi iteratione langueſceret, concurrente internâ aliquâ ventriculi & inteſtini labe: Interitum verò intulit ſucci ejusdem ſanguini propior facta immiſtio, unde ipſius compage ſolutâ, præcedaneis convulſivis motibus, cordis thalami liquore vitali penitus exhauſti fuerunt, motum infuſo pabulo nitro-aëreo per intervalla ingeminante auriculâ dextrâ, de quibus videſis erudita Pythagoræ noſtri Parerga. Neque funeſtam hujus vim effugit canis moloſſus, viatoribus aliàs formidabilis, quin à ſucci immiſtione ſanguis ſupra modum rarefactus, vehementiſſimis in corde arteriisvè motibus occaſionem daret, effractaque ab impetu veſicularum pulmonalium ſtructurâ, non modò iſtæ collabaſcerent, ſed factâ inſuper ſanguinis ſeroſi tenuis, extra vaſa proſilientis, cum aëre agitato & rarefacto confusâ συμμίξει, ſpuma ſanguinolenta per os copiosè effluerет, qualis etiam poſtquam ſpirare deſiit, frequenter erupit, reliquiis aliquibus in ipſo thoracis cavo ſtagnantibus, pulmonumque flacciditate, quæ aërem injicere tentantibus magis patuit, & inflammatione ſatis evidentibus: Utrum verò ſanguis fluidus acris, ad ſinuum latera viſibilis, (cui, ſi ve-

næ

næ jugularis utriusque lateris ligatio ortum suggessit, pulsus arteriarum impetuosus augmentum non exiguum subministravit) motuum convulsivorum, in faucibus præcipuè & colli musculis mater extiterit, cùm potius apoplectici quid inducere valuisset, principii nervorum compressione, an verò fibræ motricis à sanguine vehementer irruente, aut cardiacarum ab eodem impetuoso insultu facta irritatio, humoris ipsius acrimoniâ non rejectâ, in causâ fuerit, decidere jam nec vacat nec opus est. Sufficit ab ejusmodi motibus in machinæ animalis destructionem sæpiusculè tendentibus, & partium musculosarum, præcipuè verò spiritus vitalis, cui animalis, utpote à cruore saltem liberatus, affinissimus est, succussione validâ, spasmodicas ὁρμὰς libenter subsequi, ceu istud etiam animi pathemata inopina, terror aliavè testantur: Olim verò cani molosso venam jugularem externam pariter utrinque ligavimus, soporem cum ictu epileptico præstolantes, ex sanguinis liberâ remeatione inhibitâ, ast fefellit spem eventus, inque dissecti cerebro sanguinis extravasati parum omninò reperimus, nec in sinibus grumosi vestigia firmissimo argumento, viâ hâc præclusâ, aliam per venas maximè jugulares internas naturam sibi parâsse: In porcelli femellæ mortem subitam inquirere supervacaneum est, succo irritante labem deleteriam ipsis vitalibus organis proximè inferente: de istius autem animalis utero & fœtibus, quæ memoranda sunt, in Scholiis observationum expediam. Vale his Artis Asclepiadeæ columen, mihique, ut soles, favere perge.

Dabam è Muséo Basil, d. 17. Decembris 1684.

TRIGÆ-

# TRIGÆ ASCLEPIADEÆ,

## Celso, Pœoni, & Pythagoræ, consecrata.

Collegæ plurimùm honorandi!

*Haud unquam in arte me lassari testabuntur Observationes Chirurgicæ, quas Vobis in signum amicitiæ sacras facio: Equidem, quæ de morbis Puerpurarum, & Comparatis Anatomiis in Ephemerides consignavi, nuper inchoata, brevi, quantum licebit, augebuntur. Triplex hocce studium animum meum valdè recreat, juvare proximum in internis & externis afflictionibus, MANU, & INGENIO, atque huic intentioni viam feliciter sternere ANATOMIA. Judices actionum mearum vos nunc constitui, cum sitis in Arte perdocti, & Fautores mei amantissimi, Observationes autem, juxtà doctissimorum Chirurgorum, Gayantis Parisini, & Artheaudii Lausannensis operandi modum conscriptas & reperietis, quem Curiosis neutiquam displicere autumo. Valete*

à

Vestro

*Aretæo.*

## OBSERVATIO CXVI.
## D. JOH. de MURALTO.
## Trepani administratio in fissurá Cranii.

INfans quinque annorum ex lapsu in terram cranium vulneravit, vomuit, hæmorrhagiam passus est, tumor manifestus, subsequente dolore, & pulsatione in parte affecta, cum febre observabatur. Denudatô per incisionem craniô, reperiebatur fissura per transversum facta, juxtà suturam coronalem in frontis parte dextra. Primùm ergò applicatum fuit

fuit Trepanum masculum locô fissuræ, pòst alterum sine apice, quod eò usque circumductum fuit, quò ad alterum Cranii tabulatum, ultra diploen perventum erat, ut commodè satis ossiculum rotundum eximi potuerit; hôc elevatô, tria circiter sanguinis cochlearia, duram matrem prementia, cum levamine secreta sunt: Ossis extremitates in cranio lævigatæ, & duræ matri plumaceola melle rosato imbuta applicata, superadditum suppurativum unguentum, & Betonicæ emplastrum: Vicesimô morbi die ἀπύρετος factus, rejectô pure laudabili, in statum bonum rediit; in plenilunio pejus quàm novilunio se habuit.

## *SCHOLIUM.*

LUnam plenam omnia terreni globi corpora, quæ ex humore prædominante constant, implere, agitare & dilatare, uti communior fert opinio, ita cancros præsertim atque conchyliorum genera implere, animalium ossa ut medullâ abundent efficere, epilepticos paroxysmos concitare, hydropicos etiam magis adficere, quos ideò tum temporis mori utplurimum contingat, & cerebrum humanum majorem in molem elevare, perhibetur. Verùm quod cancros, ossa, epilepticos, & hydropicos attinet, non usque adeo certâ niti relatione, arbitror; qui ipse gammaros quavis Lunæ facie succo turgidos, prout vicissim in plenilunio quandoque extenuatos observavi; quod idem etiam de ossium medulla certum est; epilepsiam præterea in novilunio aut alio quovis tempore, quo Luna falcata adparet, sæpè non minùs adficere, & hydropicorum haud exiguum numerum extra plenilunii tempus mori, quilibet, curiosiorem harum rerum observationem instituere qui voluerit, mecùm fatebitur. Utrùm itaque de cerebri humani augmento quod dicitur, idem sit statuendum, equidem hæreo, & quibus occasio per experimenta ritè id explorandi datur, decidendum relinquo. *Theodorus Moretus* sanè *tract. de æstu maris cap.* 4.

in quodam, (idem tamen in tribus aliis etiam exploratum habuerat,) cui pars cranii ademta fuerat, incrementa cerebri tanta animadvertit, ut laminâ amotâ, qua descendebatur, protuberaret; id verò non tantùm Lunâ novâ, sed & plenâ accidisse memorat. *Henricus Salmuth* verò *cent. 1. obs. med. 72.* in quodam vulnerato observavit, crescente Lunâ & cerebrum crescere, callo nempe qui vulneratæ parti supercreverat, altiùs se tum elevante, ut dimidii transversi digiti spatio reliquam superficiem excederet, decrescente verò Lunâ & ipso quoque rursus subsidente; quem itaque satis mollem, nec eâ duritie, qua aliàs calli præditi esse solent, fuisse necesse est. Unde etiam *Guido Cauliacensis tract. 3. art. chirurg. doctr. 3. cap. 1.* in plenilunio non esse terebrandum statuit, quia videlicet eo tempore cerebrum augeatur, atque ad cranium adpropinquet. Incertum itaque cùm reddant similes observationes lunare hoc cerebri augmentum, lunarium quoque radiorum operatio hac in parte dubio non caret. Si tanta tamen Lunæ efficacia in cerebrum foret, haud aliter hæc operaretur, quàm quatenus tum spiritus animales, tum sanguinem commovendo, inque majorem expansionem deducendo, consequenter etiam cerebro ipsi, & quæ illud perreptant ac incingunt, membranis, hisque implantatis vasis sanguiferis augmentum largitur. Unde in præsenti casu caput, præcipuè infantile, humidiore constitutione, præ ætate provectiori, præditum, & gravi insuper læsione debilitatem, ideoque Lunæ influxui suscipiendo magis expositum, à plenilunio in pejorem statum fuisse conjectum, videri posset; quod nempe radiis suis confestim emissis majorem humorum adfluxum concitando, vulneris consolidationem retardare, & spiritus ac sanguinem impetuosiùs commovendo varia symptomata producere potuit.

*[L. Schröck, L. F.]*

OBSER-

## OBSERVATIO CXVII.
## D. JOH. de MURALTO.
# Fractura tibiæ, & fibulæ cum vulnere.

Filius Domini N. N. quatuordecim annorum, cum sociis ludens, tibiam & fibulam dextram confregit, ita ut prostantia hæc ossa musculum Gastrocnemium & suralem cum venis quibusdam pertuderint: pes extensus per ministros fortes & in æquilibrio detentus erat, usquedum utraque manu Chirurgus membrum comprehensum ad pristinam figuram reduxit, & impellendo hinc inde, ante, retrò, ad latera extantes partes, in suas concavitates, & pristinas sedes reduxit; quò dolor magnâ ex parte cessavit, osque fractum in superficie æqualitatem adeptum, & sano membro simile redditum est: Vulneri tum imposuit Cerotum Galeni, & desuper Emplastrum adstringens, deligavit pedem fasciâ tres fermè ulnas nostrates longâ, ter fracturæ circumvolvendo, & versus genu finiendo: aliam dein fasciam affecto pedi bis circumduxit, versùs malleolum finiendo; Hisce fasciis imposuit compressàs per transversum & juxta membri longitudinem, ut inæqualitas omnis caveatur, & deligatio super fracturam firmetur: præterea compressas has Epidesmo, & Syndesmo retinuit, & thecâ chartaceâ munivit; Tandem pedem directum, ut calcaneus ab omni compressione liber fuerit, capsulæ ligneæ imposuit. Modus hic deligationis per duas hebdomadas continuatus fuit; post instituta ascialis fasciatio octodecim capitum dicta, ob copiam puris, & crebram partis inspectionem: post tertiam hebdomadam in melius profectus est æger, calloque fractura conglutinata, & persanata.

## *SCHOLIUM.*

IN fracturis ritè sanandis Chirurgus officio suo neutiquam satisfecisse dicendus est, si ossa ab invicem disjuncta ritè iterum coaptaverit, cùm & eadem debitè ligando ac reponendo, ut concrescere denuo queant, apta reddere teneatur, non solùm coalescentiam aliàs impediturus, sed pluribus etiam aliis incommodis ægrum expositurus; quæ inter sphacelus crudelissimè eundem è vita tollere valet; cujus exemplum, præter *Ephemeridum nostr. Curios. Dec. I. Ann. II. obs. 248. Phil. Höchstetterus decad. 5. observ. med. cas. 7.* exhibuit, ubi cruris fracti ab imprudenter facta arctiori ligatura sphacelum descripsit; qualem etiam in alio calcaneus non ritè collocatus concitaverat, quem sistit *Joh. Hellvvigius observ. med. 154.* Prout vicissim à laxa nimis ligatura coalescentiam ossium impediri, *Job. Mekeranus cap. 68. observ. chirurg.* non immeritò admonet. Scilicet fasciæ membri partes diffractas iterumque in naturalem situm locatas, conservare in eodem debent, quò ita particulæ glutinosæ exsudantes, ossium alimento aliàs inservituræ, se invicem contingere atque coagulatæ callum constituere queant; unde laxiori à ligatura extremitates ossium fractorum è loco suo moveri facilè cùm possint, unio sperata impeditur; & è contra si strictiori ligaturâ aut inconcinnâ repositione spiritibus animalibus ac sanguini aditus reditusque, compressis scilicet nervis & arteriis, denegetur, partem tandem emori necesse est. Gluten verò illud nutritium è sanguine deponi, particulæ illæ viscosæ, in ejus sero abundantes probabile reddunt, ut ita à nervis illud sperare, cum aliis, haud opus habeamus.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CXVIII.

## D. JOH. de MURALTO.

# Vulnus pectoris à globo plumbeo.

Milles XXXIV. annorum globulo plumbeo ſub clavicula dextra vulneratus eſt: vulnus ad dorſum, verſus ſcapulam, digiti longitudine penetravit, vulnus dilatavi cultello, ſed inſtrumento forcipato globulum apprehendere nequivi, hâc operatione majora fuerunt excitata ſymptomata, quàm trajectu globi ipſo: Cùm verò animadvertiſſem accidentia ſenſim mitigari, globulum reliqui, vulnus ſimpliciter deligavi, immiſsâ turundâ mundificativo imbutâ, atque Emplaſtrô, quod Diapalma vocant, inductô, usque dum clauſum, & probè percuratum fuerit.

## *SCHOLIUM.*

Globuli in vulnere altiùs hærentes, ſi commodè eximi nequeant, vulnus eſſe conſolidandum, prudentiores Chirurgi ſtatuunt; ſiquidem eos vel ſponte cum tempore ad cutem accedere, ſicque eximi poſſe, obſervatur, vel ſi remaneant, ſaltem absque periculo in corpore, per plurimos aliquando annos, rotunditate inprimis eorum & lævitate partes carnoſas ac minùs ſenſiles, ſi his incumbant, non pungere aut admodum lædere aptâ, circumferri poſſunt; quod licet mirum videri poſſet iis, qui noxia à plumbo inſpirari corpori humano effluvia autumant, eosdem tamen crebrior experientia, & plumbi compacti longè diverſa à reſoluto, (quamvis neque hoc ſemper adeò periculoſum eſſe, ejusdem in ſaccharinum illud ſaliforme corpus ſolutio, & internè exhibiti ſalutaris operatio demonſtret,) aut per fa-

ctam violento igne liquationem, fumosas particulas exhalante, natura aliud edocere possit. Licet propterea nemo facilè *Alphonso Ferrio* accedere queat, plumbum cum carne nostra quandam habere similitudinem, cum *Averrhöe* statuenti, refutato idcircò à *Gregorio Horstio lib. 3. epist. medic. sect. 12.* ut ita *Petro Borello* eadem censura obtingat, qui *cent. 2. hist. 9.* quandam plumbo cum natura humana sympathiam itidem adstruit, eò quòd globuli plumbei corpori immissi proprio tandem pondere descendant & ad cutem deveniant, unde tumore oborto & maturato extrahantur; cum è contra reliqua metalla natura nostra non adeò facili ferat negotio: Ast præterquam quòd illa è corpore per excitatum abscessum expulsio perexiguum sympathiæ argumentum præbeat; qua nempe stante, intra corpus remanere potiùs deberent; imò alia etiam metalla in corpore diu sine periculo latitare posse, exemplis docemur, quod v. g. de aureo nummo ultra biennium in faucium isthmo, sine omni noxa hærente *Ephemerides nostræ Curios. Dec. II. Ann. II. obs. 134.* de ferro præfatus *Horstius lib. 2. sect. 19.* aliique memorant. Utrùm verò medicamenta dentur globulos ejusmodi extrahentia, quæ passim, ubi nec manus, nec instrumenta chirurgica id perficere valent, commendantur, non immeritò dubitatur; cùm vel planè invalida esse deprehendantur, vel saltem fluxiles magis reddendo humores, prorsus dilatando, eadem agere, cum Exc. nostro D. *Wedelio lib. 1. de medicam. facult. sect. 2. cap. 6.* sit dicendum.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CXIX.
## D. JOH. de MURALTO.
## Aneurismatis sectio.

FOeminæ infortunatâ nimiùm sanguinis missione locô venæ arteria fuit pertusâ: derepentè vi quadam sanguis ex arteria prosiliit, & copiosiùs ejectus est. Occlusô vulnere, Ecchymosis totum occupabat brachium magno cum dolore, & inflammatione, pulsu existente diminuto, & magna partis ad motum imbecillitate: Cataplasma ex hordei farina & melle imposuimus, sed irritô conatu: aperiendus erat tumor lancettâ & forfice, extrahendaque concreti sanguinis massà: cùm hæmorrhagia non nimiùm urgeret, pulveres adstringentes cavitati inspersi sunt, vulnusque emplastro è bolo & Galeni Cerato parato firmatum, & simpliciter deligatum est. Tandem ægra hæc Chirurgo ignaro commissa est, qui escharam adstringentibus in arteria perforata factam, immaturam adhuc avulsit, tantam sanguinis quantitatem perdidit denuò, ut vix ac ne vix sisti & ægra servari potuerit: Animi deliquia supervenerunt, & præsentem Medico-Chirurgum requisiverunt, equidem tunc omnibus ex Arte administratis, duos post menses restituta fuit.

### *SCHOLIUM.*

QUàm facilè improvida vel imperita Chirurgi manus venam, sanguinis emittendi causâ, aperire si jubeatur, arteriæ, vel venæ loco tactæ, vel pertusâ venâ unà vulneratæ, læsio accidere queat, tot lugubria, quæ passim prostant, exempla testantur. Quod sanè periculum tantum *Apæmanti Stratoniq;* (à *Galeno lib. de V. S. adv. Erasistr. cap. 2.* memoratis) incussisse metum videmus, ut vel propter illud venæsectionem omninò damnaverint: Hæc autem & similia quamvis *Galeno.* ridicula meritò fuerint visa, ut ne quidem refutare

tare illa voluerit, quo tamen majori cum cautela hujusmodi vulnus venæ infligatur, eò magis incitare possunt. Ab ista verò arteriæ læsione adfectum, quem Aneurisma dicunt, induci, notum est; quod licet curationem aliquando admisisse, sæpius tamen mortem intulisse, non minùs constat. Lugubris ejusmodi casus est, quem Exc. D. *Thom. Bartholinus cent. 2. hist. anat. 9.* recensuit, ac erudito discursu in singulari libello Panormi A. 1644. edito, illustravit. Felicis autem curationis exempla recenset apud prælaudatum *Bartholinum* Ill. noster *D. Præses in cent. 3. epist. med. 53.* & *Ephemer. Nat. Curios. Dec. I. Ann. VI. obs. 26.* Vid. etiam *Dec. II. Ann. I. obs. 108.*, *Henr. à Moinichen. obs. 14.*, *Mart. Bogdanus obs. 7.*, *Gregor. Horstius part. 2. lib. 4. obs. 1.*, *Henric. Roonhusius lib. 1. obs. chir. 4.*, *Laz. Riverius cent. 3. obs. med. 43.* & *Dionys. Pomaret. in append. p. m. 355.* Ut ita arterias vulneratas coalescere posse, hinc certi fiamus; secus ac jam olim Medicorum nonnulli crediderunt, quos ratione & experimentis instructus *Galenus* refutaverat *lib. 5. meth. med. cap. 7.* Prout verò strictioribus ligaturis & adstringentium medicamentorum impositione aneurismata minora, inque minoribus arteriis, & iisdem non admodum profundè delitescentibus contingentia, inprimis si à dilatatione tantùm arteriarum, non verò ruptura, orta, quin & recentia fuerint, curari non adeò difficulter possunt: ita contrario modo quæ se habent maximo cum periculo sunt conjuncta, ut hoc respectu *Bartholinus cent. 3. epist. med. 54.* meritò scripserit: *Deum soleo precari ut hujusmodi casus vel avertat, vel meæ curæ subtrahat.* In quo autem aneurismatis natura consistat, licet in disceptationem non unam hactenus venerit, rupturam tamen interioris tunicæ, ex triplici substantia, juxta Cl. *Thom. Willis part. 1. Pharm. ration. sect. 6. cap. 3.* glandulosâ, musculari, & membranosâ constantis, exterioris autem nerveæ extensionem, ceu nonnullis fuit visum, admitti vix posse, sagaciores quidam jam observarunt, cùm vix credibile sit, inter-

nam

nam ut crassam satis rumpi posse, externâ tenuissimâ salvâ manente; nisi fortè internam duriusculam à sanguinis stagnantis acrimonia erodi, externâ interim crassiore redditâ, & sanguini irruenti extensione suâ, utpote molliori, amplius spatium concedente, dicere liceat; imò utramque hanc tunicam, imbibendo serosi humoris plures, quàm naturaliter aliàs solent, particulas, extendi, sicque aneurisma quasi aliquod produci posse, satis est credibile; non secus ac venarum nimiam extensionem aneurismata, impropriè sic dicta, venarum, sive varices constituere, notum est, præcipuè evidenter satis id docentibus amplissimis illis arteriæ magnæ aneurismatibus, quale, præter alios, celeb. *D. Guil. Riva*, exhibuit, in *Ephem. nostr. Dec. I. Ann. I. obs. 18.* delineatum, & ab eodem mihi etiam A. 1670. cum aliis visu dignis Romæ monstratum; nec dissimile postea Patavii quoque in solenni anatomia, pugni magnitudine & quinque circiter unciarum pondere A. 1671. conspexeram, in viri quinquagenarii, repentinâ morte exstincti, arteria magna adscendente (quale etiam anno præcedente in Nosocomio ad D. Franciscum se vidisse, Prosector, qui Exc. *D. D. Antonio de Marchettis* manus commodabat, attestatus fuerat) quod mole suâ ipsius sterni supremæ parti foveam aliquam impresserat. Quod tamen, licet ab omnibus Aneurisma adpellaretur, ad Polypum referre mallem; qualem nempe celeberr. D. *Marcell. Malpighius in diss. de polypo cord.* descripsit; ita ut sanguinem in fibrosas ejusmodi & membranosas tunicas, sibi invicem superimpositas, & hìc illic inter duplicaturas aliquid sanguinis atrorubentis concreti ostendentes, immutatum, fibris suis arteriæ magnæ parti concavæ adcrescentem, sensimque novo accedente augmento, ipsius arteriæ expansionem ex omni parte unà promoventem existimem. Cæterùm aneurisma utplurimum, si non semper, omnium tunicarum arterialium disruptionem, vel quomodocunque factam præternaturalem apertionem insequi, non ibo infi-

cias, ita ut ſanguis extra illius cavitatem erumpens, in loca vicina feratur; id quod apertio ejusmodi læſarum partium & cauſa, quam infelix venæſectio ſuppeditat, nos evidenter edocent; nec ſugillationis in externa parte abſentia, ut plurimum obſervata, hîc quidquam opponit; cùm & livorem cutis aneuriſmata nonnunquam comitari, conſtet, cutisque nativa in quibusdam denſitas, & abſconditus magis loci adfecti ſitus, illum colorem lividum comparere haud permittat.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXX.
## D. JOH. de MURALTO.
## Punctura in Manu.

CEnturio N. inter luſum & compotationes pollicis dextræ manûs interiore carnosâ parte cultro vulneratus eſt, hinc ingentem ſanguinis jacturam fecit, ejusque loci Chirurgi eundem ſiſtere nequiverunt: auxilium ergò noſtrum quoque imploratum fuit: applicuimus Vitriolum Cyprium goſſipiô obvolutum, unà cum aliis adſtringentibus admixtis: Eſchara tribus pòſt hebdomadibus ſpontè ſeparata fuit, ægerque unguento ſuppurativo & Diapalmæ emplaſtro ad perfectam ſanitatem usque deligatus.

### *SCHOLIUM.*

VItrioli vim adſtringentem, & ita vulnerum hæmorrhagiis utilem, antiquis jam Medicis celebratam fuiſſe novimus; quam uti recentioribus quibusdam anſam dediſſe veriſimile eſt; ut pulverem dictum ſympatheticum ex eo conficerent: ita tamen de exiguo ejus in juvando ſucceſſu, quem crudi vitrioli in ipſam vulneratam partem impoſitio felicius exſerit, multi fuêre conqueſti. Et licet minus adcuratè tractato,

ctato, aut debitè haud præparato pulveri experimenti infelicioris observatio adscribi posse videatur, nimis tamen extensa & deprædicata ejusdem virtus suspecta admodum redditur, per tantum nempe terrarum spatium, & per plurima milliaria agere dicta; quam in distans actionem, si per effluvia fieri debeat, tot dubia premunt, ut veritatis speciem omnino adimere videantur; neque enim, ut alia taceam facilè animo quis concipere poterit, qua ratione tam subtilissima & mobilissima corpuscula, aliarum, etiam potentiorum, atomorum, quarum aër nunquam non plenus exsistit, ab occursu tam diu & per tam longum aêris tractum tuta esse queant, & non potiùs ab intercurrentibus alterius indolis salinis corpusculis enervari, aut alio modo dissipari, vel aliorsum impelli debeant. Ut illa *Paulus Barbette in Chirurg. part. 2. lib. 2. cap. 7.* brevem, sed nervosam satis de vulnerum, absente ægro, curatione ἐπίκρισιν dederit: *alii non nisi vitriolo ad Solem calcinato utuntur, quod laudibus summopere extollunt: sed hoc utere absque superstitione, & tum credo, te mecum expertum, viam vulgarem tutissimam esse: nam sine dubio medicamentis quædam adscribuntur, quæ naturæ debentur.*

## OBSERVATIO CXXI.
## D. JOH. de MURALTO.
# Tendines manûs abscissi.

JUvenis XXIV. annorum, noctu in manu sinistra vulneratus fuit, ejusque tendines digitos moventes abscissi, vocatus Parisinus ille Chirurgus Bienaise, manum læsam asseri plano adligavit, cutemque cultello separavit, tendinesque discissos & retractos inquisivit, & iis filum circumduxit, opeque suturæ hujus sibi invicem strictô solubili vinculô connexuit, & conjunctim singulos tèndines subligamento annulari colligavit, idque dolore ineffabili: fila hæc extra vul-

nus relicta sunt satis longa, nervisque impositum fuit oleum terebinthinæ cum spiritu vini & ol. hyperici mixtum, usquedum factâ suppuratione fila leviter attracta, fuerint exempta, & vulnus simpliciter persanatum ægerque perfectè restitutus fuit.

## SCHOLIUM.

TEndinum discissorum in hac Observatione facta per suturam connexio plurimorum Chirurgorum calculo damnari videtur; qua in causa inprimis *D. Petrus de Marchettis Observ. Chir. 63.* contra *Severinum* disputat, & tum autoritati *Galeni*, cujus id methodo sit contrarium, qui nunquam ausus eosdem consuere, tùm experientiæ contrariari ostendit, quæ convulsionum letalium metum incutiat; quamvis in hac parte *Galenum* sibimet parùm constare, *D. Joh. Veslingius obs. anat. 15.* notaverit. Licet autem quædam in *Galeni* defensionem hîc fortè dici possent, notari tamen merentur, quæ *Veslingius* subnectit exempla, tendinum nempè discissorum ope suturæ feliciter peractam unionem; ubi etiam addit: *detestabar hominum audaciam, sed felix successus & notabile à peracta curatione detrimentum, timoris mei vanitatem arguebant.* Unde etiam *Clar. D. Autoris* in hoc Casu descripta cura defensionem invenire posset; verùm cùm ex prolatis verbis, suturam proponentibus, tendines non acu perfossos, sicque consutos, sed tantùm filo circumducto ligatos, & sic invicem artificiosè conjunctos fuisse constet, suturam hanc damnari vel hac ratione haud posse, satis elucescit.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

# OBSERVATIO CXXII.
## D. JOH. de MURALTO.
## Amputatio tibiæ.

VIr XXXVIII. annorum, ſordido pedis ulcere laborabat longo tempore, quod ſenſim ulteriùs cuniculos egit, ut tandem ſalutis causâ amputandum eſſe pedem conſultum fuerit. Exhibitum ægroto ovum ſorbile, & vini hauſtus, ad lipothymiam arcendam, quæ huic operationi familiaris. Ante omnia (imploratô Numinis ſupremi auxilio) à famulo Chirurgi robuſto cutis & caro ſana ſurſum ſuper genu fortiter attracta eſt, & Popliti compreſſà albumine ovorum madefacta impoſita: tum ſupra genu facta eſt ligatura vinculo non ita lato, ſed forti, ut æger minùs dolorem perciperet, & ob vaſorum conſtrictionem ſanguinis fluxus meliùs compeſci poſſet: Infra genu identidem injectum fuit vinculum, ut non tantùm cutis & caro altiùs attollerentur, ſed etiam inciſione jam factâ, magis ab oſſe removerentur, quò ſerra commodiùs tranſire poſſet: Chirurgus falcato cultro omnem carnem muſculoſam ſub vinculo reſecavit, & alio cultello, qui ad manus erat, perioſtium ab oſſe utroque abraſit, ne illud à ſerra dilaceraretur, quam poſtmodum feſtinanter fibulæ tibiæque adegit, & ſerravit, pedemq; affectum à reliquo amputavit; copioſiùs ſanguis ex arteriis promanavit, quarum oſculis vitrioli tantillum goſſipio obducti cum pulveribus ſanguinem ſiſtentibus, ovorũ albumine madefactis ſpleniis ſcutellatis, applicatum eſt; hæc medicamenta ſtegnotica ſupra partem detinebantur ope emplaſtri defenſivi, & glutinantis cruciatim partem ambientis, quibus veſica bubula madida ſuperinducta fuit, & cruciata faſciatio inſtituta, circumpoſitum emplaſtrum defenſivum atque Oxycratum, membrumque ritè collocatum, & more ſolito deligatum eſt.

## SCHOLIUM.

MEmbrorum ſphaceloſorum feliciter tentatam amputationem tum plures alii, tum inprimis *Thom. Bartholinus cent. 3. hiſt. anat. 85. Petr. de Marchettis obſ. chir. 15. Nic. Binningerus cent. 2. obſerv. 19. P. M. Roſſius conſult. chir. 13. Henr. Roonhuſen lib. 1. obſerv. chir. 25.* tradiderunt; & ipſe, præter alia exempla, vidi in Noſocomio publico Patavino, puero ruſtico omnes utriusque pedis digitos, â frigore hyberno ſphacelatos, diverſo tempore ſucceſſivè felici cum eventu amputatos; licet & non pauciores infeliciter tentatæ ejusmodi curæ caſus recenſere poſſem. Unde non immeritò quæritur: Utrùm membrorum amputatio fieri tutâ conſcientiâ poſſit, cum ſit operatio minùs tuta? Ubi *Paulus Zacchias Quæſt. med. legal. lib. 8. tit. 2. quæſt. 4.* Medicum in extrema anguſtia poſſe tale remedium conſulere, reſpondet. Et cùm charitatis potiùs, quàm crudelitatis opus ſit, membrum corruptum, quod, niſi auferatur, univerſo corpori internecionem minatur, auferre, ſicque homini vitam conſervare, non tantùm operationis hujus innocentia, ſed & neceſſitas facilè inde colligitur; quin & natura ipſa remedium hoc aliquo modo nobis oſtendit, dum membra ſphacelata ſponte â corpore ſeparat, ægris interdum ſanitati poſtea reſtitutis; quorum exempla occurrunt in *Th. Bartholini cent. 1. hiſt. anat. 69. & cent. 5. hiſt. 63. Cattierii obſerv. 14.* ut & *Nicol. Tulpio lib. 4. obſ. med. cap. 50.* In negotio tamen hoc, magno cum periculo conjuncto, non minori cum circumſpectione procedendum erit; unde ſemper monendos eſſe Chirurgos arbitratur Exc. *D. Paul. Ammannus in paraneſ. ad Inſtit. med. pag. 331.* ne fingant neceſſitatem; & Medicos ad tales operationes vocatos, non ſine ſingulari circumſpectione membro abſcindendo vel conſervando judicare debere, *Wolffg. Hoferus lib. 4. Herc. med. cap. 2.* adnotat, cùm haud adeò ex-

excusabilem errorem hîc committi à fraudulentis vel imperitis hominibus posse, adducta ab eis exempla comprobent.
*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXXIII.
## D. JOH. de MURALTO.
## Sectio Calculi vesicæ.

VEsicæ calculo laborantes in Nosocomio Charitatis Parisiensi sequentem operationem subire coguntur: æger mensæ obliquè sursum spectanti imponitur, retracta versùs nates crura cum manibus benè colligantur, duobus in locis, carpus nempe cum malleolis, & cubitus cum genu, coxæ verò à famulis robustis duobus utrinque diducuntur, diductæ ligantur, vinculum hoc sex ulnas nostrates longum, forte, & palmam latum est. Lithotomus sinistræ manûs digitos priores, oleo Olivarum imbutos in anum pueri demittit, dextrâ abdomen leviter premendo, ut Calculum sub osse pubis detrudat, & ad Perinæum adducat: In Viris verò quia digitis suis ad fundum vesicæ non potest pertingere, Chirurgus catheterem sulcatum adhibet, ejusque extremitatem versùs Perinæum retorquet, sectionisque locum indicat, etenim novaculâ fit incisio super catheterem (ut acies cultri: sulco directè opponatur,) usque in cavitatem vesicæ, ut catheteris extremitas extra vulnus promineat, deinde in sinum ejus aliud immittitur instrumentum instar parvæ terebræ, quod conductorem nominant, extrahitur dein catheter, iterumque hujus conductoris cavitati immittitur dilatorium, conductor aufertur, vulnus cochleæ beneficio dilatatur, donec forcipe extractorio apprehendi, forasque educi possit calculus, vel integer, vel in partes divisus: simpliciter deligatur æger, stratoque imponitur.

SCHO-

## SCHOLIUM.

CAlculum vesicæ per sectionem educendi labor cùm exercitatas requirat manus, non cuivis facilè credendum erit, artem hanc, solius lucri causâ, qui profitetur. Quamvis itaque Medicus, jurijurando Hippocratico religiosè inhærere qui vult, ipsemet ab operatione ista obeunda prohibeatur, ut tamen modum lithotomiæ calleat, necesse est, quò ægrum lithiasi laborantem à tormentis istis vel calculi doloribus liberaturus, eò feliciùs sanitati restituere possit, præsentiâ suâ & consilio non tantùm supervenientia symptomata emendando, sed & operatorem hærentem instruendo, vel imperitè agentem corrigendo. Licet non videam, cur Medicus hodie juramento Hippocratico, quod equidem, cæteris paribus, minimè culpandum, tam strictè alligari debeat, ut non interdum ipsi, si artis hujus probè gnarus & peritus exsistat, liceat imò proximi amore impellente, incumbat, calculoso manus admovere, & mediante sectione medelam adferre, præsertim si Lithotomi absentia, aut imperitia id suadeat. Antiquitus vilior equidem creditus fuit labor hic, quem exercere ministros tantùm deceat, non veros Medicos; qualis etiamnum vulgò habetur: ast si belli Ducem non imperare solùm, & ordines militum disponere, inque aciem ducere competit, sed manus interdum etiam cum hoste conserere, haud indecorum putatur; idem Medico turpe aut indignum haud erit censendum, si non operariis tantùm hisce, muneri huic destinatis, imperare & consilio suo adesse, sed etiam quandoque, ubi necessitas postulat, manus ipsas operi admovere audeat; cæteroquin videri hîc meretur explanatio, quam *cap. 17. Commentarii sui in jusjur. Hippocr.* exhibet *Exc. Meibomius.*

[*Luc. Schröck, L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CXXIV.
## D. JOH. de MURALTO.
# Punctura Hepatis lethalis.

DEcurio quidam Legionis prætoriæ Parisinæ, annos XXXV. agens, dum in diversorio moraretur, duello cum milite novo ejusdem cohortis conflixit ebrius, & ense intra costas lateris sinistri spurias profundiùs vulneratus est, vulnus lienem superans parvum hepatis lobum attigit: momentô æger concidit humi, magnam sanguinis vim perdidit, integræ horæ spatiô deliravit, sudore frigido toto corpore permaduit. Chirurgus sanguinis profluvium adstringente emplastro è bolo parato inhibuit: die insequente phlegmata evomuit; hypochondria tendebantur, appetitus dejiciebatur, sitis ingens sequebatur, cum difficultate & ardore mingebat, respiratio tamen libera fuit, neque febricitavit: tertiô die maxima oppressio circa partem affectam oborta fuit; calor præter naturalis totum corpus pervasit: Vulnus stylo examinatum maximam sanguinis coagulati quantitatem emisit, compertumque erat lobum profundiùs compunctum esse: quare studiô ampliatum erat vulnus, turunda digestivo imbuta filo alligata vulneri immissa, plumaceolæ & splenia cum diapalma desuper imposita sunt: insequente die sequutæ sunt convulsiones, exscreavit sanguinem & sudore frigido perfusus vitam cum morte commutavit.

## *SCHOLIUM.*

VIx ad sanitatem pervenire, quibus jecinoris crassum vulneratum est; sanari autem non posse, cui jecinoris portæ percussæ sunt, *C. Celsi lib. 5. cap. 26.* est judicium; quod cùm de magnis & profundis vulneribus verissimum esse, ne-

mo dubitet, ita si minores rami venarum tantùm vulnerati fuerint: nec vulnus altè penetraverit, evadere ægrum posse, nec principis Medicorum authoritati, nec experientiæ refragatur; ille enim, licet *sect. 6. aphor. 18.* inter vulnera lethalia, hepati quæ infliguntur, etiam recenseat, atque *lib. 2. prædiction.* nec non *coac. prænot. 199.* utplurimum quidem ea mortem vel magnam perniciem adferre statuat, *non eam tamen, ut nemo ex his servari possit*, sibimetipsi haud contrariatur, hîc de vulneribus hepatis in genere, ibi verò in Aphorismis, de magnis & gravibus, ceu verba ipsa id edocent, locutus. Experientia autem tristem & lethalem in hepate vulneratorum statum, ob magnam sanguinis profusionem, â majore vasorum læsione erumpentem, atque ob profundum situm non compescendam multoties confirmavit; qualem ex. gr. ille jaculo in jecur percussus apud *Hippocratem lib. 5. epidem. §. 61.* subiit, ut & ille, cujus *Bald. Timæus resp. med. 20.* mentionem facit. Prout vicissim feliciorem sortem experti fuerunt, quorum historias, præter alios, recensent Nob. *Dn. Joh. Dan. Horstius manuduct. ad medic. pag. m. 86. Barthol. Cabrolius. observ. 18. Guilelmus Fabritius Hildanus cent. 2. observ. chir. 34. Georg. Bertinus lib. 13. medic. cap. 7.* Ut ita metum, quem nonnemo hîc fovet, quævis vulnera hepatis lethalia esse, & minora quidem tardiùs, occidere tamen hominem, statuens, frustraneum esse hinc discatur; id quod ex *Galeno* hausisse potuit, qui *comment. in 6. aphor. 18.* (si quorundam lectionem, cùm alii contrariam amplectantur, sequi velimus,) minùs veritati consentanea dicere pronunciat, qui profunda jecoris vulnera se curâsse, aut fibras i. e. lobos abstulisse dicunt.

*[L. Schröck; L. F.]*

OBSER-

## OBSERVATIO CXXV.
## D. JOH. de MURALTO.
# Cancer Penis.

NObilissimæ familiæ filius, XXII. annorum, Parisiis cum meretrice rem habuit, postquam bis lue Venereâ infectus, & salivatione liberatus erat, nunc conqueritur de maximo virgæ dolore dum semen emittit, hunc dolorem insequutus est urinæ ardor & difficultas, circa glandem supervenere pustulæ lividæ parvæ, penis tumor & tensio molesta aderat; pustulæ vicinas quoque partes perreptabant, metuitque nunc ægrotus denuò luem Gallicam: Chirurgus pustulas madefecit spiritu vitrioli, butyro antimonii & Aquâ Fioraventi, desuperque imposuit emplastrum Vigonis cum Mercurio: salivatio dein sequenti modo in usum tracta fuit:

℞. Mercur. dulc. ℈j. Conserv. Rosar. ʒj. Turbith Mineral. gr. ij. fiant doses tres, & repetantur usquedum gingivæ ulcerentur; & ptyalismus sequatur, post decoctum Guajaci exhibitum & juscula, usque ad finem salivationis, gargarismis & melle rosato dentes firmati & æger per sanatus erat.

## *SCHOLIUM.*

QUamvis cancrosa penis adfectio ab immundo utplurimum concubitu ortum trahere videatur, quandoque tamen ab alia etiam causa induci eandem, vel illud, quod Exc. *D. Eberh. Gockelius consil. med. 52.* adducit exemplum, ostendere posset, cancrum penis letiferum à pustula in pene fortiùs fricata ortum recensens. Quin & præputii cancrum à concubitu uxoris, dum ei menses fluerent, memorat *Joh. Rhodius cent. 3. obs. 39.* Ut enim in utroque exemplo nihil miasmatis à venereo morbo latuisse, supponamus, hîc sanguinem menstruum, qui quidem naturâ suâ vividus

& innocuus omninò exiſtit, facilè tamen à vitioſis in corpore collectis humoribus, acribus & corroſivis imbui poteſt, illic ſanguinem itidem particulis pungentibus & cauſticis prægnantem, à fricatione fortiore in motum concitatiorem impelli potuiſſe dicemus. Cæterùm èjusmodi cancroſi in pene adfectûs curationem quomodo, bubonem in inguine excitando, tentare liceat, *Zodiacus medico-Gallicus Ann. 2. menſ. Septembr. obſerv. 4.* exhibet.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO CXXVI.

## D. JOH. de MURALTO.

# Oculi procidentia.

Filia Moldenſis per quadriennium procidentiâ oculi dextri monſtroſâ laborabat, nam oculus extra orbitam protuberabat magnitudine ovi, excreſcentiâ carnoſâ propemodum ſtipatus, durus; palpebra inferior inverſa erat, cum ineffabili dolore ob extenſionem muſculorum & nervi optici. Cauſa hujus procidentiæ catarrhus erat inſenſibiliter muſculos oculi relaxans, quippe ægra ſub initio mali, ſenſum depreſſionis oculi percepit, ſenſimque viſum amiſit, inflammatio magna cum extremis doloribus ſupervenit, ut Chirurgos adire cogeretur; Vena ægræ ſecta collyriaque oculo applicata, purgata, tumefactus oculus cultello pertuſus, ſed nulli humores evacuati ſunt, dolores remanſerunt, tumorque neutiquam diminutus eſt; Hinc mox ſuppurativa, mox cathairetica, mox anodyna, mox detergentia medicamenta, ut & ea quæ carnes abundantes conſumunt applicata ſunt, at in vanum omnia; Ad corroſiva tandem deventum eſt, ſed rivuli lachrymarum vim horum infregerunt, majorem humiditatem à capite ad glandulam lacrimalem adduxerunt, periculumque ob viciniam cerebri non leve prædixerunt. Poſt plu-

res

res concelebratas venæ ſectiones, hirudinum, cucurbitularum, cauſticorumque applicationes, purgationes, derivatâ fluxione, oculus maximam partem conſumptus fuit & caro excreſcens ſub palpebra ſuperiore cum inferiore inverſa, coaluit, maſſaque carnea, dura, ſani adinſtar oculi remanſit, dolor cum accidentibus reliquis ceſſavit, tandemque convaluit.

Similem excreſcentiam carneam, ſupra bulbum oculi dextri, ad iridem usque ſub palpebra penetrantem, pupillam deprimentem nuperrimè in infante obſervavi, trajectâque acu, præviis laxativis & defenſivis ocularibus, filo conſtrinxi, triduô poſt operationem filum ſolutum ſpontè abſceſſit, caroque imminuta fuit, hanc carnem penitùs avellere ſtudens Chirurgus, Myrtifolium Inſtrumentum ſubtùs adigens, abſceſſum adinvenit, Atheromatis materiâ turgidum, quô evacuatô, oculus antea depreſſus, ſenſim ſurſum reductus, & in priſtinam formam, ſed absque viſu, quamvis translucidus, reſtitutus eſt.

## *SCHOLIUM.*

DUo alia prolapſi oculi exempla adnectere huic libet, unum ex *Petri Pavvii obſervationibus*, quæ *cent. 4. hiſtor. anatom. Bartholin.* acceſſerunt, *num. 23.* deſumtum, in puerulo, qui aliquot menſibus tumore oculi ſiniſtri tanto laboraverat, ut integer bulbus ocularis cum muſculis foras protuberaret, in tantumque excreverat molem, ut duos pugnos æquaret; in quo poſt mortem diſſecto ſubſtantia cerebro planè ſimilis, permixto ſanguine concreto, reperta fuerat: alterum verò ex *Fel. Plateri lib. 3. obſerv med.* itidem in infante, cui oculus horrendo adſpectu propendebat, & veluti extra orbitam penitùs exſertus adparebat, ovi gallinæ majoris magnitudine, quem tamen unicum cataplaſma, per menſem uſurpatum, ſine ulla viſûs noxa, feliciter curaverat.

*[L. Schröck; L. F.]*

# OBSERVATIO CXXVII.

## D. JOH. de MURALTO.

## Ulcera fluida genu tumefacti, & abſciſſi, mortem inducunt.

JUvenis XIX. annorum, ſceleti inſtar macie conſumptus, prægrandem in genu tumorem habuit, ulceribus ſerpentibus & fraudulentis hinc inde conſpicuum; ulcera hæc inſignem acris humoris quantitatem fundebant, cum ingenti, imprimis nocturnô dolore: durus hic tumor erat, inæqualis, lividus, ulcerumque labia nodoſa, inverſa, ut ad ſcirrhum cancroſum commodè referri potuerit; operâ circumforanei uſus eſt per annum, qui relinquens ægrum, eò miſellum adegit, ut anxiè amputationi inhiaret, id quod ignito cultro juxta Hildanum peractum eſt, nullis obortis ſymptomatibus, quintô ab operatione die eſchara feliciter ſecreta fuit, ſed tunc os aperire & alimentum capere nequivit, vi quoque aperiendi os coactus maximum in muſculis temporalibus dolorem ſuſtinuit, ſymptoma hoc ſubſequutum eſt ventris renumque dolorem, qui ægrum diu noctuque variè torſit, neque venæſectiones, nec fomentationes maxillæ impoſitæ, neque clyſteres, quicquam huic malo profuerunt, nihil quoque ægrotus à quinto die ad decimum quintum per os aſſumens placidè defunctus eſt: Apertô cadavere omnia imi ventris viſcera naturaliter conſtituta fuerunt, exceptâ ſolâ conſumptione partium, imprimis omenti & pancreatis, hepar erat magnum, ſed obſtructum, lien parvus, niger & durus, ut novaculâ vix diſcindi potuerit. In medio ventre tumefacti pulmones erant diverſo & atrovirente colore conſpicui, nervi maxillarum, renum & inteſtinorum exſucci, ſpiritibus liberum tranſitum non conceſſerunt, ſed dolorem ſpaſticum causârunt.

SCHO-

## SCHOLIUM.

GEnua tumoribus admodum eſſe obnoxia, vel frequentiores illi, quos Germani Gliedſchwåmme vocare ſolemus, oſtendunt; qui licet interdum meros contineant flatus, qualem in aperto per cauſticum potentiale *Laz. Riverius cent. 3. obſerv. 13. Nicol. Fontanus lib. 1. reſponſ. & curat. medicin. pag. m. 147.* aliique obſervarunt, ſæpius tamen ſeri ſtagnantis ſunt ſoboles; quo itaque diſcuſſo, etiam ipſi recedunt. Quamvis difficilis eſſe curationis, ubi muſculorum in eo loco inopiam, ligamentorum verò, tendinum, & oſſium, frigidæ ſiccæque naturæ partium, humiditatem ſufficienter diſſipare haud valentium, magnam copiam, rectè moneat *Paul. Barbette anat. pract. lib. 5. cap. 2.* Laudat tamen hîc radicem Sigilli beatæ Mariæ probè contuſam, ſi admoveatur, *Petrus Borellus cent. 2. hiſt. 10.* Sic & ſalutarem uſum expertus eſt decocti pro fomentatione in maximo taliſmodi tumore pueri, juxta cum cerato diaſinapi *Aquapendentis* adhibiti, *Joh. Scultetus armamentar. chir. part. 2. obſ. 79. & obſ. 87.* Cataplaſmate quoque tumorem in puero inſignem ac durum intra paucos dies abegit *Auguſt. Thonerus*, ut habet *lib. 4. obſerv. med. 4. de tumor. duris;* Videatur etiam Ill. D. *Paulus de Sorbait in medic. pract. tract. 6. cap. 12.* ubi de tumore prolixiùs diſſerit, & præter fomentationem, emplaſtri cujusdam egregii uſum commendat; quo non admodum diſſimili à *Char. Parente meo* tumores illos aliquoties fuiſſe ſanatos ſcio, & ipſe etiam unâ alterâque vice feliciter adplicari curavi. Ea tamen interdum eſt tumoris hujus natura, quod de inveterato inprimis erit intelligendum, ut cartilagineus evadat, quem idcircò incurabilem pronunciat in *Dec. I. Ephem. noſtr. Ann. IX. obſ. 63.* Exc. *D. Garmannus*, talemque fuiſſe arbitrari fas eſt, quem in Sene decrepito Pariſiis deprehendiſſe ſe memorat in *diſſ. de herniis D. Ludov. Von Hammen*, tam renitentem, ut ſcalpellum ferè ac ſectionem eluſerit.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

OBSER-

## OBSERVATIO CXXVIII.
## D. JOH. de MURALTO.
### *De*
# Herniâ umbilicali.

RUstici filia laborabat herniâ ſeu tumore in umbilico juglandis magnitudine, medicamentis adſtringentibus & ligaturis curari non poterat, operationem ſequentem feliciter ſubibat: repulſis in locum ſuum inteſtinis, per elevatam cutem acus duæ cruciatim trajectæ ſunt, cavendo funiculum ſ. ligamentum hepatis ſuſpenſorium, tum fortiter admodum quadruplicatum filum ſericum ſub acuum foramine conſtrictum eſt, emplaſtrumque Diapalmæ impoſitum, probèque deligatum; Octava die particula ligata cecidit, adhibitum emplaſtrum contra rupturas, & cicatrix inducta, tribusque ſeptimanis feliciter percurata eſt. Eadem hæc operatio in filia quadam nobili celebrata exoptatum ſortita quoque eſt effectum, adeoque tam periculoſa non eſt, ſicut eam deſcribit Aquapendens de Chirurgicis operationibus p.m. 249.

## *SCHOLIUM.*

HErniam umbilicalem non eſſe negligendam, iliacus adfectus, qui eam facillimè inſequi ſolet, & utplurimum lethalis evadit, ſatis oſtendit; quam ſanè, ligaturis & adſtringentibus ſi cedere renuat, modo hîc propoſito adgredi ſumma depoſcit neceſſitas; quamvis neque is ſemper commodus eſſe queat, præſertim ſi hernia jam inveterata exſtiterit; quo intuitu umbilicali herniæ maximæ, quam aliquot abhinc annis conſpexiſſe me recordor in viro (ut & non ita dudum in matrona,) fruſtrà cura hæc fuiſſet deſtinata, quæ utraque poſt mortem illorum, cultello inveſtigata, exhibuit inteſtina mirè implicata, firmiſſimisque fibris ac membranis cuti extenſæ ac ſibimetipſis invicem tenaciter adglutinata

tinata, ut tum quoque poſt mortem eadem in dicto viro ſeparare vix licuerit; atque idcirco repoſitionis labor omnis fuiſſet fruſtraneus; quam itaque artificioſâ ligaturâ ab ulteriori incremento cohibere, unica in caſu illo, nec irrita cura fuerat.

## OBSERVATIO CXXIX.
## D. JOH. de MURALTO.
# Ulcera fiſtuloſa in oſſe humeri.

Puella XII. annorum, à variolis contraxit utriusque cubiti Ancyloſin cum ulceribus ſinuoſis, articuli motum ginglymum impedientibus; fiſtulæ in parte anteriore & media humeri oſſis reſederunt, os verò carioſum erat usque ad meditullium ad ſpithamæ longitudinem: Inſignis verò quantitas materiæ purulentæ fœtentis, quotiescunque ægra deligabatur, effluebat: celeberrimi Chirurgi ægram reliquerunt: Tandem Dominus Arthenaud Lauſanenſis unam è fiſtulis cultro aperuit, alteram verò dilatavit cum ſpongia præparata, immiſitque carioſo oſſi Euphorbium, Myrrham, Olibanum, Aloën & ſpongiæ combuſtæ lotæque tantillum in forma pulveris, ſubinde unguento digeſtivo commiſcuit; & ſpiritui vini addidit eosdem, adjungendo ſalis ſpiritum, & Mercur. præcipitata: Tandem cauterio actuali uſus eſt, circumplicatis parti defenſivis & inflammationi reſiſtentibus emplaſtris, venæ ſectiones celebratæ ſunt, fonticuli excitati, tandem menſe octavo os integrum longitudine ſex digitorum transverſorum, digitum craſſum, mediô cavum exemptum eſt, ulcusque ſecundùm artem feliciter percuratum, & cicatrix inducta.

## OBSERVATIO CXXX.

## D. JOH. de MURALTO.

# Apostema à variolis inter Claviculam & Scapulam.

PUellæ variolis non satis erumpentibus laboranti supervenerunt duo tumores insignes inter claviculam & scapulæ costam, sine dolore, phlegmatici, neutiquam ad suppurationem tendentes; hi lancettâ pertusi miserunt materiam pituitosam magnâ copiâ, simulque virulentam; dextræ enim claviculæ periostium jam jam erosum fuerat, vulnus turundis è spongia paratis dilatatum erat, & injectiones cum spiritu vini factæ, in quo dissolutum Ægyptiacum, Aloë, Myrrha, ovi vitellum cum terebinthina, hôc modô exfoliatio nulla affectæ claviculæ exspectanda fuit, sed unico hoc medicamento malum sublatum.

Observatio hæc testatur Apostemata variolas aut morbillos insequentia, utpote maligna & virulenta, in principio aperienda esse.

## OBSERVATIO CXXXI.

## D. JOH. de MURALTO.

# Caries ossis frontis & Claviculæ.

ADolescens XIV. annorum post variolas juxta supercilium dextrum & humerum sinistrum earundem stigmata diu satis retinuit, magno superveniente dolore atque tumore, quô tandem ad maturitatem deductô, utrobique caries ossium manifestata fuerat, sequente autem remedio eadem percurata: ℞. Oleï Myrrhæ, Caryophyllorum aa. ℥j. Olei Guajaci ℥ß. Misce & plumaceolâ madefactâ pars affecta tegatur; Exfoliatio intra paucas hebdomadas facta, & æger percuratus.

*SCHO-*

## SCHOLIUM.

ADfectus hi commodissimè ad Pædarthrocacen, sive spinam ventosam referri possunt, quibus de cùm *Josephi Pandolphini* libellus, unà cum eruditis Collegæ nostri Exc. D. *Georg. Abrah. Merclini jun. Poliatri Norimbergensis*, adnotationibus, prolixiùs egerit, ad eundem Lectorem remittere sufficiat.

D. II. A. IV. p. 158.

[*Luc. Schröck, L. F.*] p. 120

## OBSERVATIO CXXXII.

### D. JOH. de MURALTO.

*De*

# Fistulâ lachrymali.

FOemina XXXV. annorum, conqueritur à longo tempore de fistula in angulo oculi majore, quæ ipsi accidit à defluxionibus acribus carunculam inflammantibus: inde pus ichorosum collectum ossiculum subjectum alteravit, latera callosa reddidit, & vix sponte suâ ad cicatricem pervenit, quod antea sæpiùs factum fuerat post expressum pus, ut natura foramen occluderet: Carie ergò ossiculum affectum esse ratus Chirurgus, carneque fungosâ tectum: Ulcus dilatavit cum spongia præparata, immisitque pulverem aluminis usti, spongiæ combustæ & lotæ, atque Mercurii præcipitati rubri; tum detecto ossi admovit cauterium actuale per caniculam manè & vesperi per aliquot hebdomadas, muniendo partes vicinas per custodiam ocularem depictam apud Dur. Scacchi *Subsid. med. lib. 3. c. 2.* cùm autem hujus ossis exfoliatio ob lachrymas & defluxiones fieri nequiret, instrumento rasorio ossiculi caries tota abrasa fuit: inditi postea pulveres sarcotici cum spiritu vini, & tandem epulotici: interim fonticulus in Nucha ad præservationem excitatus, vena pluries secta, & laus sit DEO, restituta est.

Sic etiam Puella XII. annorum inde à quadriennio fistulâ lachrymali laborabat, cui per vices cicatrix inducta, & increſcente materiâ iterum aperta eſt, à variolis non probè erumpentibus oriunda; Dilatata erat fiſtula cum radice Gentianæ & ſpongiis præparatis, caro flaccida & luxurians calcantho cum calce mixto, abſumpta, os unctuoſum repertum; Deligato oculo ſano, & contecto cochleari argenteo affecto oculo, capite probè firmato, Trepanum perforativum oſſiculo canthi majoris appoſui, juxta carunculam lachrymalem, intraq́ue cavitatem naſi adegi, usque dum ſanguis cum pure per naſum ſtillârint: plumaceolas ſiccas oſſi perforato adplicui & carnes mundificavi, Myrrhæq́ue Tincturâ cum Balſamo Peruviano ægrum reſtitui.

## SCHOLIUM.

FIſtularum lachrymalium ortum edocturus *Anton. Molinettus in diſſ. anatom. patholog. cap. 6.* à canaliculorum lachrymalium obſtructione, obturatione vel conniventia fieri illas ſtatuit, unde humor regurgitans in glandulam, poſtea in angulum palpebrarum tranſſudet, & acrior redditus ex mora, locum ſibi patefaciat inter primum elevatorem pinnarum naſi & os, aut inter muſculum & integumenta; & hanc compreſſione anguli factâ exteriùs, fruſtrà curari, nî fluxus lachrymæ reſtituatur per conſuetos canaliculos, aut oſſe perforato derivetur in nares. Quàm difficilis autem ſint curationis hæ fiſtulæ, inprimis *Franciſc. Peccetius Chirurg. lib. 3. cap. 16.* oſtendit; methodum verò, quâ in pluribus ſanandis uſus fuerit, delineat D. *Petrus de Marchettis obſerv. ſuar. chirurg. 22.*

[*Luc. Schröck, L. F.*]

OBSER-

## OBSERVATIO CXXXIII.
## D. JOH. de MURALTO.
*De*
## Pano Oculi.

RUſticus quidam per biennium viſu privatus, oblatum quendam tumorem ſeu Phygethlon in oculo, à nobis ſpatio aliquot menſium feliciter reſtitutus eſt: Præmiſſis venæſectione & purgationibus, ſingulis manè aquam ſapphyræam more collyrii in oculos imponebam, quâ corrodebatur pellicula, quæ totum occupabat oculum, & quia aqua erat erodens, ſæpè inflammationis ſpeciem inducebat, ad quam depellendam aliud collyrium ex ſief albo ſine opio paratum adhibui, donec rubor disparuerit. Etiam utebatur pulv. alum. uſti adſtringendarum lachrymarum causâ, & ad carnem ſuperfluam adimendam. Intereà venæ ſectio reiterata laxativa per vices propinata; pillulæ aureæ noſtræ in uſum tractæ, item electuarium ad viſum confortandum; & feliciter convaluit.

### *SCHOLIUM.*

OCulum non ferre medicamenta acria qui arbitrantur, quamvis, ſi tunicæ adnatæ magnam ſenſibilitatem ſpectemus, utique verum dicant, ita tamen cum cornea, quæ & duriſſima & inſenſibilis exſiſtit, aliter ſe habere, *Felix Platerus* inprimis *lib. 1. obſerv. med. pag. m. 114.* indicat, & exemplo Chirurgi cujusdam, loco ſacchari candii mercurium ſublimatum ex imprudentia, puellæ oculo laboranti inſpergentis oſtendit, ſubortâ licet inflammatione, ipſo autem oculo priſtinæ ſanitati hinc reſtituto; quin & alia oculis laborantibus inſtillari ſolita, fæniculi ſuccum, vini ſpiritum &c. acribus turgere particulis quis neſciat? & tamen oculis, licet primò nonnihil hinc vellicatis, feliciter adhiberi, crebra nos docet experientia.

## OBSERVATIO CXXXIV.
## D. JOH. de MURALTO.
*De*
# Bronchocele.

PAupercula XXX. annos circiter nata, inde ab incunabulis insignem strumam in collo gessit, ut vix respirare, nedum deglutire potuerit, nam tunc maximos dolores patiebatur, ægra fuit macie consumpta & pulsum habebat parvum, languidum: consultum judicatum est ægræ obstaculum ab organis respirationis & deglutitionis dimovere, struma itaque in parte molli & declivi profundiùs incisa fundebat libram serosæ & glutinosæ materiæ, foramen vulneris spongiâ præparata adimpletum & diapalmâ deligatum est, evacuatâ omni materiâ, massa carnea pugni magnitudine comparuit, tam dura, ut nec cathaireticis, nec causticis potentialibus, nec igni actuali cedere potuerit, cultro quoque resecari ægrè concessum, inventa fuere in massa hac quatuor ossa sibi cohærentia tam putida, ut adstantibus lipothymiam causata sint; Ossicula minora ultra duodecim quoque inde exempta ægraque perfectè restituta est.

## SCHOLIUM.

CUr strumas ad pessimum colli morborum genus referat *Hippocrates lib. de glandul.* incertum est. Non quidem magnum adeò inferunt semper vitæ periculum, sed tamen suffocationis metum, si augeantur, dum laryngem comprimunt, quandoque incutiunt; & longo tempore inveteratæ si fuerint, nec medicamentis cedant, ubi chirurgicum auxilium adhibetur, multitudo vasorum in collo præsentium, & arctiùs sæpè iis adhærentium, minùs tutam reddit excisionem; hujus exemplum *Galeno lib. 1. de locis affect. cap. 6.* recensente, ægrotum utpote chirurgo imperito, ner-

vos

vos recurrentes dum unà evelleret, mutum efficiente; illius verò *Theodor. Kerckringio observ. anat. 74.* à bronchocele subitò increscente & asperam arteriam colli vertebris adprimente dum monialem suffocatam memorat; quod & de puella *Nicol. Tulpius lib. 1. observ. med. cap. 46.* adnotat. Modò bronchocelen cum struma pro eodem morbo habere liceat, quod fecisse inprimis *Joh. Langium lib. 1. epist. med. 43.* videmus, cùm consuetudo dicendi magistra ita inoleverit; quamvis antiquiores, & *Celsus* inprimis, utrumque adfectum distinxerit, dum *lib. 5. cap. 28.* de strumis, quos tumores, cervicis maximè, esse ait, in quo subter concretæ quædam ex pure & sanguine quasi glandulæ oriuntur, & iterum singulari capite in *lib. 7.* de bronchocele agit, cervicis videlicet tumore inter cutem & asperam arteriam increscente, in quo modò caro hebes, modò humor aliquis melli aquæve similis includatur, interdum etiam minutis ossibus pili immisti.

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXXXV.
## D. JOH. de MURALTO.
## Ileos à Bubonocele.

DOminus Artheaudius, celebris ille Chirurgus Lausanensis, hanc operationem in cive Lausanensi die 24. Aprilis Anni 1675. celebravit, posteaque casum his verbis è gallico in latinum translatis ad me perscripsit.

Mr. du Cloux concivis noster 50. annorum, nunc triduò decumbit ægrotus, horrendos patitur dolores in regione umbilicali, assumpta statim revomit insigni quadam violentiâ, plures clysteres ipsi fuerunt exhibiti, quia Medici colicam biliosam esse rati sunt, hi autem clysteres sine emolumento rejecti fuerunt: Quòd verò motus spasticos in magno hocce dolore

dolore animadverterim, judicavi Bubonocelen adesse, & compressionem intestinorum, omnium symptomatum originem: In inguine dextro tumorem tetigi magnum, & durum, & ad tactum immobilem, quem nactus est æger à gestatione & elevatione oneris gravioris; huic imposui Cataplasmata emollientia ex malva, althæa, violaria, butyro & liliorum alborum oleo parata; post clysteres exhibui fortiores, immisi ægrum balneo, & intestini in locum suum reductionem variis artibus tentavi, sed in vanum omnia, adeò ut symptomata aucta singultusque molestus, & metus gangrænæ adfuerit; quare in consilium vocavi Dominum Dapples, Dn. de Bergeires, Medicos doctos, iisque quod à priore Medico Constantio peractum sit recitavi, & nil nisi operationem manualem restare subinnui: Cùm autem hæc operatio hîc loci sit admodùm rara, Dn. Dapples difficulter assensum præbuit, tamen quia in extremis morbis, extrema sunt tentanda remedia, ægerque enixè eum expostularit, hôc modô coram Constantio Medico, Chirurgo Gerband, & Pharmacopola Millot celebrata fuit: Ægrum elevatis, diductisque femoribus à famulis meis sustentatum altiùs in lecto reposui, ego verò integumenta communia supra tumorem digitis prehensa, quantum potis eram, elevavi, cultelloque usque ad peritonæi productionem, seu processum (quem juxta longitudinem aliquantum aperire debui) incidi, tum intestinum naturalem suum colorem mutâsse conspexi, & indice sinistræ manûs processum intrà vaginam dilatandâ ad musculi obliquè ascendentis abdominis annulum perveni; dextrâ verò intestinum in locum naturalem reposui: Insimul femoribus elevatis intestinum felicissimè sedem nativam subingressum est: suturam vulneri postea quatuor in locis, integumentis atque peritonæo adhibui, & mediâ post horâ enema applicui, quod cum copia excrementorum fœtentium brevi rejectum est, ægerque placidè dormire cœpit, antea quatriduô integro vigil existens.

ſtens. Vulnus præterea balſamis adſtringentibus curavi, & tribus ſeptimanis, Deo benedicente, reſtitui.

*Videatur ſupra Obſerv. 95.*

## *SCHOLIUM.*

SImilem herniæ curationem deſcribit *Ozias Aimar in obſerv. 8. Riverio communicata*, qua, multis remediis in caſſum per novem dies adhibitis, inteſtinum in ſcroto incarceratum feliciter fuit repoſitum, inciſione usque ad proceſſum peritonæi inſtitutâ. In quo caſu magnam peritonæi dilatationem fuiſſe neceſſe eſt, quæ inteſtina prolapſa non admodum comprimens, eadem quò minùs inflammationem & gangrænam, ſanguinis utpote motu à vaſis compreſſis haud omninò inhibito, nec flatibus viâ denegatâ, ſubierint, effecerat; cùm aliàs facilè gangræna ſupervenire ſoleat, quam inteſtinis poſtea omninò ſphacelatis, quamvis arte denuò repoſitis, certam mortem accelerare, non unâ vice notavi; ſicut è contra, tempeſtivè adhibita, inprimis cataplaſmata ex emollientibus, ſimulq; flatus diſcutientibus concinnata, ſalutem ægris non adeò incertam pollicentur.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXXXVI.

## D. JOH. de MURALTO.

# Fractura maxillæ inferioris.

CIvis Luſtrienſis ex arbore juglande procera præcipitatus eſt ſuper lapidem, maxillamque inferiorem confregit, & muſculum buccinatorem contuſione vulneravit, labiumque ejusdem maxillæ fidit, ut pars altera maxillæ extra vulnus multùm prominuerit, altera verò pars linguam pertuderit, magnâq; ex parte ad mentum usque prociderit: Ante omnia ne ſuffocaretur Plethoricus ille ægrotus, Chirurgus ſanguinem è vena brachii copioſiùs eduxit, & acu

linguam septem in locis assuit, ossa fracta in bonam formam reduxit; sed convulsiones musculi temporalis supervenerunt, quibus denuò ossa disjuncta fuerunt, donec tandem partes, maxillam tegentes, consutæ, velut vinculum retinuerint, adjuvante emplastro adstringente, & quatuor fœminis successivè ægrotum in tali situ manibus per octiduum diu noctuque tenentibus: Lingua interim inflammata, tumida & nigerrima facta est: continuò saliva ore effluxit, callusque ob deligationem perpetuam impeditus est: indies aliquantisper gargarisavit decocto hordei, spiritu vini & melle rosato; supervenerunt in lingua abscessus aliqui ad suppurationem tendentes; clysteribus alvus eluta, inflammatio laryngis & pharyngis ut & febris repetitis venæ sectionibus impedita est, donec tandem octavâ hebdomadâ ad perfectam sanitatem redierit.

## SCHOLIUM.

MAxillam inferiorem per transversum omninò frangi rarò contingere, *Hippocrates lib. de articulis* testatur; ubi etiam modum curandi fracturam istam describit. Hanc ergò observationem, præter ipsam modò dictam morbi raritatem, læsionis inprimis gravitas & symptomata supervenientia, atque, quod præcipuum est, dextra & prospera curandi ratio commendat. Quam verò *Hippocrates*, post ossis in naturalem situm repositionem, dentium, & quidem, ut *Celsus lib. 8. cap. 7.* habet, fracturæ proximorum, aut si hi labant, ulteriorum, aureo vel lineo filo colligationem, partium fractarum colligationem debitamque fasciationem, ac consequenter ossium læsorum quietem, *Celsi* consilio etiam humidis cibis & silentio conciliandam, pro calli generatione necessariam suadet, illam præsenti in casu, præter suturam, emplastro adstringente, & quatuor feminarum ministerio Chirurgus dextrè conciliaverat.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVII.
D. JOH. de MURALTO.
*De*
# Fractura ossis petrosi.

VIr triginta annorum ex dissilientibus per pulverem pyrium accensis cuniculis bellicis, levatis variis lapidibus, vulneratus est in musculo temporali medio, osque petrosum confractum; Initiô humi prosternebatur æger, & sine motu convulsus jacebat, pro mortuo domum portatus per aures sanguinem misit, & caro indormiens jacuit; statim ad conspectum Chirurgus pellem vitulinam & agninam detrahere jussit, calidamque ægrotantis partibus affectis circumponi, ut contusio tanta, sanguine venas subintrante, nihil mali secum ferret. Integrum corpus & imprimis spinam cum capite, oleo Rosato & Myrtillorum inunxit, atque cephalica cataplasmata loco affecto imposuit, oculus ejusdem lateris clausus, palpebræque ad ovi gallinacei magnitudinem tumefactæ fuerunt, cuticula faciei pulvere pyrio adusta; sacculos propterea ex Rosis rubris, Chamomilla, Meliloto, Myrtillis, & Absynthio compositos, vinoque rubro incoctos & expressos tepidè applicari jussit. Postridie in eodem statu manens, ne verbum quidem proferre potuit, nisi vellicatus & altiore voce compellatus, sed statim in eundem carum & soporem recidit; Clysteres adhibitos sine omni sensu reddidit; febris augebatur, venæ sectio reiterabatur, cephalica & resolventia cataplasmata; sacculi & embrocationes repetebantur, usque ad septimum diem. Contusio inde diminuta fuit & vulnusculum anguli externi oculi copiosissimum pus reddidit, imprimis ad digiti ejusdem ossis compressionem; Perdidit autem tunc omnem motum & cognitionem, supervenerunt convulsiones, ronchus augebatur. In miserrimo hoc statu Chirurgus coactus est per transversum musculum tempora-

lem secare, & arterias temporales findere, insignis inde fractura ossis petrosi & coronalis in conspectum prodiit, duoque tegmenta ossis juxta suturam coronalem avulsa sunt. Dictô factô ægrotus verba quædam protulit, & in eundem soporem recidit. Circa vesperam cùm ægrum deligaret, orbitæ os juxtà canthum minorem, sub osse temporali, depressum esse, cerebrumque hinc multùm arctatum, cognovit, neque possibile fuerat subjacens hoc os à dura matre removisse. Rogatus fuit Chirurgus, manum ab opere removere & ægrum placidæ exspirationi relinquere, sed in discessu amicus quidam ægroti manu me eundem ad patientem reducebat, eumq; in eximendo osse prædicto juvabat. Cerebrum hinc statim pristinam sedem acquisivit, & æger ex arte deligatus est. Insequente die fari poterat, cerebrum movebatur contra prostantia quædam cranii ossicula, quæ instrumento lenticulari remota sunt. Tunc cerebrum læsum lividum factum est, pulsus depressus, & sopor rediit; Clysteres repetiit & sanguinis quatuordecim unciæ eductæ sunt. Affecto cerebro Myrrham Theriacæ & spiritui vini commixtam applicuit, hinc propria substantia, Naturæ auxilio, secreta fuit. Observavit grana carnis rubicunda cerebro increscere & loco membranarum tutamen præstare; hisce subnascebatur fungus, qui rosis rubris & ligaturis reprimebatur, sensim æger vires recuperavit, cutisque cerebro inducta est, neque auditum perdidit.

## *SCHOLIUM.*

CArum à vulnerato musculo temporali suboriri, *Hippocrates lib. de art.* edixit, & *Celsus lib. 8. cap. 4.* de calvariæ læsione agens, protinus, præter alia, requirendum esse, monet: num is homo sine sensu quasi dormiens jacuerit, & stante hoc, scire licere, necessariam, sed difficilem curationem esse. Siquidem cùm vel indicium id præbeat, magnam sanguinis extravasati copiam, vel etiam os fractum ac depressum cerebro incumbere, quæ si tempestivè non tollantur, periculosorum sym-

ſymptomatum metum incutiunt; dum vel ſpiritibus animalibus liber per cerebri porulos commeatus intercluditur, vel compreſſis arteriis novæ iisdem generandis deſtinatæ materiæ acceſſio denegatur; unde etiam à putreſcente illo extra vaſa effuſo ſanguine, eorundem ſpirituum torpor vel obnubilatio, & nervorum vellicatio conſequitur.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXXXVIII.

## D. JOH. de MURALTO,

*De*

# Polypo Naſi.

PUella XIII. annorum cachectica, à longo tempore Ozænâ laboravit, pusq; naribus excrevit, hinc ampliùs per naſum reſpirare non poterat, & ore obturatô ſuffocationis periculum ſubibat: conſpecti ſunt duo polypi interna narium foramina adimplentes, fluctuantes, neque membranis vel cartilaginibus adhærentes, ſed oſſi cribriformi altiùs innexi, albicabant, & duriores erant: tali autem modô extirpati ſunt. Venæ ſectio brachii ante omnia celebrata fuit, & ex adverſo in altero brachio fonticulus excitatus, purgatum verò cum Agarico, Jalappa & Sena diverſis vicibus; dein die & loco claro, ægrâ in ſedili collocata, capite firmato, forcipe extractorio cavo & in ſummitate denticulato prehenſus eſt polypus, parùm circumductus, & radicitus ex utraque nare avulſus: ægra reſpirare liberiùs cœpit, & quantitatem pituitæ coctæ & crudæ emunxit, vix quicquam ſanguinis amiſit; turundæ verò unguento detergente imbutæ naſo inditæ ſunt, omnia accidentia præcauta, aliquanto tempore ita deligata ægra meliùs quidem reſpiravit, ſed & conqueſta eſt de impedita deglutitione, ob dependentem maſſam in palatum è foraminibus narium internis; maſſa hæc erat quoque polypus ad interiora

 vergens,

vergens, qui ægrè quidem ſed fortiter prehenſus forcipe extractus eſt: reliquiæ autem inuſtæ ſunt ferramento per canulam naribus immiſſum, trajecto: Uſa eſt gargariſmo ex hordei decocto vini ſpiritu & melle parato, idemque ſyringa per nares injecit; intùs decoctum Guajaci ad humores ſiccandos, & temperiem pituitoſam corrigendam bibit: ſicque reſtituta eſt.

Hûc pertinet Obſervatio curæ Polypi cancroſi ab Atavo meo, D. Franciſc. Muralto, p. m. feliciter peractæ, his verbis notata: Mihi adducta fuit Ruſtica, quæ aliquamdiu in utraque nare Polypo cancroſo laboravit, nareſque carne obſtructas & repletas, ut reſpirationi via non concederetur, habuit.

Ademi carnem ſuperfluam totam erodentibus medicamentis, ſed iterum pullulabat, meque coëgit, ut candente ferro rotundo per cannulam trajecto aliquot vicibus eandem adimerem & comburerem: Immiſi poſt operationem turundam albumine ovi, cum oleo roſato imbutam; Poſtea aliam impoſui digeſtivo oblitam, per integrum octiduum, hinc unguento albo & de plumbo ægrotans uſa, obſervans exactam victûs rationem, reſtituta eſt.

In narium Polypo uſus quoque eſt inſtrumento plumbeo, longitudine unius digiti, formâ pyxidis excavato, cui imponebatur cauterium potentiale, quod ita excreſcentiam carnoſam inſtrumento ſuſceptam abſumpſit; remotâ hâc cannula, butyrum applicuit, donec eſchara & caro combuſta deciderint; toties autem hoc repetitum erat, quoties neceſſum ad omnem carnem abſumendam.

## *SCHOLIUM.*

PLura curati polypi per pharmaciam vel chirurgiam exempla qui deſiderat, inveniet in *Ephemer. noſtr. Curioſ. Dec. I. Ann. VIII. obſ. 91. Ann. IX. obſ. 26. Joh. Georg. Schenckii obſervationib. Fel. Plateri lib. 3. obſerv. med. Nicol Binningeri cent. 3. obſ. 69. Nic. Tulpii lib. 1. obſerv. cap. 26. Henrici ab Heer obſerv. med.*

*med. 28. Joh. Agricolæ chir. parv. tract. 5. Petr. Poterii cent. 3. curat. 63. Job Mekerani obſ. chir. cap. 10. & 11.* nec non *append. cent. 4. obſ. Riverian.* Quin & ſponte per os emunctum recenſet *Thom. Bartholinus cent. 6. hiſt. anat. 30.*

*[Luc. Schröck, L. F.]*

OBSERVATIO CXXXIX.

D. JOH. de MURALTO.

*De*

# Abſceſſu in renibus.

DOminus Moccan quadragenario major, inde à duodecimo ætatis anno prodromos nephritidis ſenſit, hinc extractionem calculi ex urethra per D. Guerinum Chirurgum expertum ſuſtinuit, magnos quoque dolores obtuſos in ſiniſtra lumborum regione perpeſſus eſt: Nunc à tribus hebdomadibus credidit ſe laboribus (quibus toto hoc tempore nunquam non vacabat) nimiis corpus læſiſſe, atque circumforaneum medicaſtrum in conſilium vocavit, qui coſtas eſſe luxatas & depreſſas audacter aſſeruit, & empiaſtra tribus diebus dolorem mitigantia impoſuit; inde à triduo dolores aucti ſunt indies, & febre lentâ decumbere cœpit ægrotus: vocatus ergò Chirurgus affectam partem examinans in renum regione malum hærere pronunciavit, quippe quòd ad fortiorem attactum dolor auctus ſit, & ad pudenda usque devenerit; materiaque in profundo fluctuans percepta pars verò tumida, urina cum ſedimento viſcoſo, purulento conſpicua fuerit: concluſum erat adeſſe circa lumbos inter muſculos & peritonæum tumorem œdematoſum inſignem, cujus pars cùm maſſà ſanguinea in corpore circumducta & per urinas excreta ſit, ſicque ruborem, calorem & pulſationem impedierit; obtuſus in rene dolor, & partis debilitas à calculoſa diſpoſitione contracta ſententiam hanc confirmârunt: Prognoſis

gnosis nihilominus dubia enunciata fuit, ob quantitatem materiæ, atq; tumoris magnitudinem. Initiô cataplasmata emollientia, & suppurantia è foliis malvæ, altheæ, violariæ, seminibus lini, fœnugræci, lacti incoctis parata, integro triduo, sine magno effectu, applicata sunt; tunc cauterium potentiale additum est tumori, magnô cum successu, nam cultello pertusa parte emortuâ momentô citiùs puris integra libra evacuata fuit, insequentibus diebus tantundem secretum materiæ albicantis, crassæ, haud acris: potiones vulnerariæ in usum bis de die tractæ, purgatus æger per vices infusione senæ in decocto vulnerario, addendô syrup. ros. solut. compos. ℥ij. Vulnerariæ injectiones cum ovi vitello, terebinthina, aloë, myrrha & vini spiritu adhibitæ sunt, turunda digestivo inuncta per septem hebdomadas vulneri imposita & diapalmâ deligata est, usque dum puris quantitas absumpta, & æger perfectè restitutus fuerit.

## SCHOLIUM.

FElix hæc abscessûs in rene curatio, qualem etiam, præter alias, à *Joh. Georg. Schenckio lib. 3. observ. medic.* adductas, *Bartholomæus Cabrolius obs. 28.* recenset, Hippocratica planè est dicenda; quæ *lib. de intern. affect.* renem exulceratum, & ad spinam tumore se manifestantem, esse secandum, ostendit, Quâ fortè permoti nonnulli, calculos renales, itidem sectione in lumbis factâ, posse educi, statuunt. Verùm præterquam, quòd hæc *Hippocratis* mens neutiquam fuerit, qui naturam tantùm, viam monstrantem secutus, non tam calculo, rene cæteroquin salvo exsistente, quàm ipsi purulento & ita corruptionem subeunti reni, sive is à calculo læsus fuerit, sive alia de causa abscessum patiatur, curam illam commendat, ipsa quoque renum substantia secundùm naturam se habens, quin & calculorum quandoque conditio, multis eminentiis vel ramis in tubulos usque urinarios extensis præditorum, nephrotomiam hanc quam maximè dissuadet; quo de *Joh. Riolanus lib. 2.*

*lib. 2. enchirid. anat. cap. 28.* & inprimis *Nic. Tulpius* egit in *lib. 2. obſerv. ſuar. cap. 44.* & *lib. 4. cap. 27.* Ut itaque *Hieron. Cardanus* apud *dictum Schenckium* citatus, ubi varia circa artem curandi amiſſa eſſe conqueritur, quæ tempore *Hippocratis* nota fuerant, fruſtrà extractionem quoque lapidis renalis per ſectionem hùc retulerit.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXL.

## D. JOH. de MURALTO.

*De*

# Abſceſſu in ſterno.

DOminus Macquelin, Regens à Vevey, derepentè maximum coſtarum dolorem perpeſſus eſt, ad muſculum pectoralem, brachia & ſcapulas usque extenſum, ut tredecim diebus continuis, perpetuis clamoribus eundem delinire voluerit, irritis medicamentis cunctis, imò & venæ ſectionibus, ſacculis & cataplaſmatibus anodynis, clyſteribus item, atque ſomniferis; tumor poſtea animadvertebatur in parte ſterni ſuperiore eryſipelatodes, durior; cui applicatum diachylum cum gummis, ut materia ſubtus contenta emolliretur, & ſuppuraretur; biduò poſt apertus fuit abſceſſus, effluxit pus laudabile, & dolores evanuerunt, omniaque in melius abire viſa ſunt; at materia ſingulis deligationibus aucta fuit, tumoresque hinc inde in ſterno proruperunt alii: Majus ergò vulnus tumori inflictum ſtylo ſternum perforatum eſſe, materiamque intùs copioſiſſimam detineri commonſtravit, & plures ſinus detexit; adhibitum fuit digeſtivum è myrrha, ariſtolochia & vini ſpiritu cum melle paratum, pulveres ſiccantes ſterno carioſo impoſiti, potiones vulnerariæ hauſtæ, & omnia ad ſanitatem vergere credita; paucò poſt tempore copioſum pus ore rejecit, denuoque febricitare

cœpit; obſervatum tunc pus ſub dextra papilla versùs ſiniſtram per aliquos cuniculos meare, inciſione factâ in latere dextro æquè ac ſiniſtro, coſtæ omnes carioſæ in conſpectum venerunt, pure copioſo obſeſſæ, quibus malis abſynthio, Ægyptiaco, myrrhâ & aloê obviam itum eſt, ſemper novi tumores oborti, pus ſputo rejectum, tuſſis continua, macies extrema & tandem mors.

Cadaver hoc diſſectum fuit, & ſternum penitus carioſum repertum, ſub muſculo triangulari, intus æquè ac ſub pectorali foris; triangularis autem muſculus pluribus in locis exeſus, proximo pulmonis lobo adhæſit, in ipſo lobo ulcus latitavit palmam latum, & parenchyma propemodum abſumptum; in reliqua pulmonis ſubſtantia pus album liquidum copioſum ſub integris membranis detinebatur, ſcirrhique in ea plures hinc inde reperiebantur.

## *SCHOLIUM.*

STernum cùm ſit os admodum ſpongioſum & medulloſo ſucco plenum, tantam puris quantitatem facilè imbibere, & ab eodem erodi potuit. Qua ratione cæteroquin fiſtulæ thoracis, cum oſſis ſterni corruptione, ſint curandæ, inprimis peritiſſimus *Petrus de Marchettis obſerv. chirurg. 39. edocuit.*

*[ L. Schröck, L. F. ]*

## OBSERVATIO CXLI.

D. JOH. de MURALTO.

## Hernia ab Inteſtino vermibus eroſo.

FOemina N. N. 36. annorum, in ventre circa regionem umbilicalem magnos dolores patiebatur inde à vindemiarum tempore, quô vas uvis refertum, junctis viribus, attollebat & in inguine rupturam cum dolore ſentiebat, ſub-

ubſequente tumore, vomitu, ſiti, febre & magnâ debilitate: tumor ad tactum erat inſtar ligni durus, lividus & contuſus; triduô integrô alvus adſtricta manſit; clyſteres ergò applicati ſunt, & cataplaſmata emollientia lacti incocta tumori impoſita, cordiales potiones exhibitæ; ſeptimô die ruptus fuit tumor foramine juglandis magnitudine factô, atque effluxit ex inteſtinis materia putrida, nigra, fœtidiſſima; cavitatem ulceris Chirurgus adimplevit plumaceolis ſpiritu vini imbutis, fotibus foris applicatis è ſcordio, abſynthio, veronica, myrrha & ſale marino, ſpiritu vini, & vino albo paratis, unguentum quoque digeſtivum vulnerato inteſtino adhibitum è terebinthina, ovi vitello, ſpiritu vini, myrrha, & ung. Ægyptiaco paratum. Poſt plures vermes ex ulcere prodibant vivi & mortui, inteſtinum hoc gangrænâ affectum ritè dictis remediis deligatum, octo dierum ſpatiô, ſeparavit emortuam partem à ſana ad palmæ manûs latitudinem, ſarcoticorum beneficiô vulneri cicatrix inducta, & ægra Dei gratiâ percurata eſt.

Conferatur *obſervat. 126. Decadis hujus Anni I.*

## OBSERVATIO CXLII.

### D. JOH. de MURALTO.

## Tumor in brachio dextro.

JUvenis triginta annorum inde ab anno tumorem habuit in brachio dextro, ſine dolore, & ſine inflammatione, muſculos humerum extendentes occupantem, maximum, ut brachium ad motum penitùs ineptum fuerit: ad tactum durior apparebat hic tumor, nullâ inibi fluctuante materiâ: Itaque cauteria potentialia duo applicata ſunt, locis diverſis, deſuperque inciſio profundiùs adacta, inde ſerum lymphaticum copioſum eductum eſt, poſt viſcidior materia evaſit, integra hæc cutis à ſubjectis carnibus ſeparato ſtylo ad humerum usque tranſitum, & liberam viam conceſſit, muſculi quoque

alicubi distabant ab invicem & materiam purulentam per totum brachium interiùs dispersam continebant, nullâ ossis cariè animadversâ: quartò ab apertura die, cùm priùs digestivis & suppurativis usus essem medicamentis, injectiones quoque traumaticas è bugula, sanicula, virga aurea, agrimonia, scordio f. a. paratas in usum traxi, dissolvendô terebinthinam, ovi vitellum, spiritumque vini; deligationem hujusmodi septimanis tribus integris continuavi, & semper multam viscosam, serosamque materiam evacuavi; dolores interea, febris & magna macies supervenêre summaque debilitas; potiones vulnerariæ in usum adhibitæ sunt, ut & venæ sectiones, purgationesque per epicrasin pro ratione virium institutæ; Hisce symptomatibus probè perpensis ægroti brachium juxtà humeri longitudinem adactô profundiùs cultrô, aperui & musculos materiâ carnosâ pituitosâ flaccidâ obsessos reperi, eamque aquâ phagedænicâ nostrâ abstuli, internisque ægrum ut phthisicum tractavi atque Dei gratiâ restitui.

## *SCHOLIUM.*

QUámvis omnem medicamentorum vim specificam negare rationibus haud contemnendis nonnulli soleant, posse tamen hujus vel illius remedii particulas majorem cum hujus illusvè partis porulis habere convenientiam, & ita promtiùs ibi, quàm alibi, licet & hîc non omnino inertes compareant, recipi atque operari, aut cum partis, si quod insit, fermento majorem convenientiam obtinere, non absonum esse videtur statuere. Qua ratione etiam medicamenta pneumonica specifica posse dari, quæ pulmonum porulis magis quàm aliarum partium quadrent, etiamsi liceat arbitrari, quin eadem tamen aliis etiam partibus succurrere valeant, nil obstat. Hinc antiphthisica ægro huic usurpata salutarem quoque opem præstare potuerunt, quatenus sanguinem, acribus atque ad putredinem concipiendam pronis particulis contaminatum, emendarunt, & balsamicis aliis imbuerunt,

ut ita læsæ partes à tali adfluente sanguine vigoratæ, faciliùs deiñ consolidationem subierint.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO CXLIII.
## D. JOH. de MURALTO.
*De*
# Gangræna in manu à defluxione acri.

FOemina triginta duorum annorum, maximum in manu dextra passa dolorem ardentemque, sine magno tumore crudelissimum; curæ causâ Chirurgum adivit, qui bis venæ sectionem celebravit, & cataplasmata anodyna parti dolenti applicavit, sine emolumento, ut integram hebdomadā præ dolore dies noctesque cum motibus spasticis insomnes traduxerit: tunc digitus medius lividus & carpus sensum amiserunt omnē, ut de amputatione sermo factus fuerit; Alius in consilium ductus Chirurgus digitum emortuum separavit, & carnes sphacelatas cum tendinibus & nervis carpum integentibus abstulit, quousque sensus in parte perceptus fuerat, è qua magna quantitas humoris serosi acris, periostium & tendines alterantis, secreta est: profundas itaque scarificationes & fomentationes cum spiritu vini camphorato factas prodesse vidi; præter medium digitum prima phalanx carpi & metacarpi separata fuit, apostema tunc circa exteriorem carpi partem insurrexit, & ligamenta, tendinesque cum aliis partibus spermaticis vix à gangræna liberari potuerunt, nisi per vini spiritum, myrrham, Ægyptiacum, theriacam, & potiones vulnerarias, item aquam calcis cum præcipitato rubro, spatiô autem duorum mensium percurata est.

Hujusmodi dolor intolerabilis ab acri quadam defluxione in brachio æditui nostro excitatus est, huic malignus humor unguentis calidis & suffumigiis tantoperè exasperabatur,

tur, ut brachium cum manu integra gangrænâ corriperetur; vocatus, ſequenti medicamento uſus ſum externè: ℞. fimi equini q. v. coque lento igne in aceto acerrimo, colaturam recipe & cum mica panis redige in conſiſtentiam cataplaſmatis: Uſurpavi quoque aquam cum qua butyrum antimonii primâ vice edulcoratum eſt, & cum aqua calcis commiſcui, ut colorem flavum acquireret & præcipitaretur. Internè vero bibit ægrotus tincturam roſarum, & decoctum vulnerarium, priùs digitum nullum movere poterat, poſt, ter ad minimum cutes ſphacelatæ inſtar Chirothecarum craſſæ à manu & digitis abſcedebant, & æger ſenſum motumque in manu ad miraculum omnium recuperavit.

## *SCHOLIUM.*

QUomodo Spiritus vini, ut & alia hujusmodi calida medicamenta, in gangræna opem ferant, ſi quis hanc partium aliqualem mortificationem eſſe conſideret, non adeo difficulter cognoſcet; dum enim in hoc adfectu, obſtructis vel compreſſis vaſis ſanguiferis, ſanguis ad partem aliquam liberè pervenire nequit, illam nectare hoc vivifico deſtitutam ſenſim emori neceſſe eſt. Spiritus vini itaque ſale ſuo, quod ita vocant, oleoſo, volatili, penetrantiſſimo poros & vaſa obſtructa permeat, humores in eis ſtagnantes rarefacit, inque fluorem denuo deducit, ut ita ſaguini aditus & parti emorienti calor vitalis reſtituatur. Quin & Spiritus vini, gangrænam ab acido aliquo præternaturali ſi oriri dicamus, idem vi ſuâ, quà acidos minerales ſpiritus mitigare eum & quaſi dulces reddere pharmacia oſtendit, corrigere poterit.

*[L. Schröck, L. F.]*

OBSER-

## OBSERVATIO CXLIV.
## D. JOH. de MURALTO.
*De*
# Fistulâ cum carie ossis tibiæ.

PUer decem annorum inde à pluribus mensibus ulcus fistulosum in media tibia gessit. Hic in prima infantia per nimiam agilitatem ibidem loci congessit tumorem instar nucis, sine dolore, vel coloris mutatione, diuque satis in hoc statu permanentem, tandem rubedinem citrinam acquirentem, erysipelas mentientem, dolorificum: Chirurgus tumori huic cataplasmata imposuit emollientia, lancettâque aperuit, pus verò albidum & sat laudabile inde manavit; ulceri huic digestivum impositum, per septem hebdomadas probè deligatum, sed materia puris semper aucta erat, & membrum increscebat: alius ergò accersitus Chirurgus fistulam cum lateribus callosis serum putidum fundentem & in tibiæ ossis cavitatem tendentem, medullamque inficientem detexit, os totum scabrum, & cariosum fuit: Incisione itaque factâ, auriculari digito tibiæ foramen magnum tangi potuit, & certò sciri, hunc affectum à corruptione medullæ incepisse, curamque diutiùs duraturam esse; triginta circiter diebus sequens tinctura ulceri adhibita fuit: ℞. spiritus vini ℥iij. Euphorbii pulv. ʒij. Calchant. ʒß. Myrrhæ ʒj. Aristoloch. rotund. & long. ʒj. Calcis vivæ ʒß. Misce. singulis diebus bis de hac mixtura cum plumaceolis madefactis ossi corrupto & cavo impositum fuit, adjunctis spongiolis eodem liquore imbutis: singulis quoque hebdomadibus cauteria actualia per cannulam cariei adposuit, ut & calchanti pulverem siccum, ipsumque Euphorbium, ulceris verò duris labiis digestivum applicuit, & desuper compressis decocto vulnerario madidis firmavit; Post illos dies exfoliatio cariei sese manifestavit; sed locô muscu-

muſculorum craſſiorum vix pro voto contingere valuit, niſi pluribus cauteriis actualibus adjuta; ſeparatum ergò fuit integrum fermè hoc os tibiæ carioſum, à ſano, purulentaque materia imminuta & æger percuratus. Tum altera quoque tibia, eodem quo prior locô eodemque malo affecta cauteriis potentialibus impoſitis & inciſione adaperta comparuit: Chirurgus alià uſus eſt methodô, trepanumque oſſi denudato carioſo applicuit, & alteratum quod fuerat abſtulit, callumque promovit, ulcusque deterſit; oſſi impoſuit plumaceolas ſiccas, carnibus autem unguentum apii mundificativum, & toti membro vini ſpiritum, ſicque ægrotans (auxiliô Dei) longè breviori quàm ante tempore, reſtitutus eſt.

## *SCHOLIUM.*

QUa ratione in præcedente obſervatione Spiritus vini gangrænam curare dictus fuit, non planè abſimili hîc quoque ulcus & cariem oſſis, auctà illius virtute inprimis ab Euphorbio, Myrrha &c. imò & vim ſuam exſiccantem ac abſorbentem conferrente ferro ignito, tollere potuit. Cùm enim in ulceribus acidum aliquod hoſtile occurrere, plura nos edoceant, illudque ipſum oſſis etiam ſubſtantiam corrodere ſoleat, ſal volatile huic contrarium infringendo eidem & corrodentia ejus ſpicula obtundendo egregiè proderit.

*[Luc, Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXLV.
## D. JOH. de MURALTO.
*De*
# Fiſtula in pectus penetrante.

RUſticus per integrum annum fiſtulâ in pectus penetrante laboravit; Orificium ulceris ſecundùm longitudinem adapertum fuit, ut ſaniei egrediendæ via commodior fieret, impoſita dein cannula argentea, ne

ne concluderetur; decoctum hordei cum melle rosato & vini tantillo thoraci injectum, spiritûque cohibitô rejectum fuit, ita perrexi per 14. hebdomadas manè & serò, quô tempore restitutus fuit. Administravi foris ad cicatricem firmandam, decoctum aluminis cum vino rubro, in plumaceola applicita, corpus etiam ab humore peccante evacuavi.

## *SCHOLIUM.*

MInùs expeditam vel difficilem esse fistulæ curationem, *Celsus lib. 5. cap. 28.* pronunciat, si ad inania, ut guttur, stomachum, thoracem, penetravit. Difficultatem hanc intuitus *Franc. Peccettius lib. 3. chirurg. cap. 23.* in penetrantibus his thoracis ulceribus, quæ in fistulas degenerarunt, fucatâ potiùs quàm verâ curatione uti nos debere credidit. Unde eò majori cum laude fistulam hanc percurâsse *Dn. Autorem*, dicendum est, qui, quod festinatâ curâ haud obtinuisset, blandiori & continuatâ diligentiâ tandem feliciter præstitit.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXLVI.
## D. JOH. de MURALTO.
### *De*
## Empyemate.

PUella quatuor annos nata è pleuritide Empyema in pectore congessit, nec stare nec ambulare poterat, sed perfectè phthisica evasit, & sub cura DD. N. N. nihil profecit. Ego cum clysteribus, Mercurio dulci sublimato, unguento & balneis tantum obtinui, ut in latere inter 3. & 4tam costam abscessus ruptus fuerit, pus copiosum vacuatum, detersum, vulnus clausum, & infans 24. hebdomadarum spatiô percuratus: remedia præcipua sequentia in usum tracta sunt: Balneum: ℞. Malv. violar. scabios. beton. flor. chamomill.

melilot. hord. integri, aa. mj. ſacculo concluſa decoquantur pro balneo: Emplaſtrum hoc dolenti loco fuit applicatum: ℞. Ol. mucag. ℥iij. litharg. ammoniac. galb. opopan. ſagapen. aa. ʒj. ſtorac. liq. ʒiß. croc. ʒj. Ceræ citrin. ℥xij. ol. roſ. & camph. q. ſ. Miſce cum terebinth. ut fiat juxta artem Cerotum. Pectoris cavo injectum fuit decoct. hord. cum melle roſato colato. Cæterùm lacte caprillo cum ſacch. roſ. tabellato indies hauſto inſtar phthiſicæ probè curata fuit.

## *SCHOLIUM.*

PUris in empyemate exitum uti Medicus omni ſtudio procurare debet, ita ſæpè inutiliter hîc omnis impenditur labor, ſic ut tandem vel ad ferrum ſit deveniendum, & puri per ita dictam thoracis paracentheſin exitus procurandus. Per alvum excerni novum haud eſt, quale quid ipſe in puero, poſt perpeſſam pleuritidem, nuper eveniſſe cum ejus ſalute vidi, cæterùm etiam per alias vias, uti aſperam arteriam, veſicam, umbilicum, uterum fuiſſe evacuatum, hiſtoriæ medicæ teſtantur. Miram morbi hujus ſolutionem Exc. *D. Dominicus de Marchettis*, cùm frequenti Studioſorum Germanorum coronæ operationes chirurgicas in Noſocomio Patavino A. 1679. mens. Novembr. gratioſè demonſtraret, nobis recenſuit, in eodem ægrorum domicilio obſervatam in muliere poſt pleuritidem empyematicâ factâ, quam cùm punctione à pure collecto liberare decreviſſet, altero die operi manum admoturus, cruſtis tres digitos latos in altitudine æquantibus per totum pectus eam obſeſſam, pulſu verò naturaliter ſe habentem, ac febre, quâ antea continuâ adfligebatur, liberatam invenit, integrè etiam poſtea perſanatam; ubi purulenta materia, concepto orgaſmo, ex ſuborto fortè ab inaudita ſectionis inſtituendæ ſententia terrore, in venas recepta, factoque per cor tranſitu in arterias cum ſanguine protruſa, absque dein in glandulis ſubcutaneis ab eo ſeparata, ad cutis ſuperficiem

ciem num propulsa fuerit, an verò per patentiores in vivo corpore poros penetraverit, dijudicatu est perdifficile.

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXXVII.
## D. JOH. de MURALTO.

*De*

# Contusione cum vulnere manus dextræ à globulo plumbeo per sclopetum facta.

TAle vulnus sustinuit D. Jacobus Æ. Senator, dum in itinere sclopetum solvit, integra ejus manus pulvere pyrio combusta erat, læsusque index & medius digitus, adeò, ut è medii digiti internodio tertio ossiculum fuerit avulsum, & frustillum bacilli (quo pulv. pyrius tunditur in bombardam) in vulnere remanserit, index verò ab interiore latere perforatus sit: Initiô cum ovi albumine & aqua rosarum integra manus fovebatur, & linteis sanguis sistebatur, exhibui autem mixturam hepaticam refrigerantem: perendie digestivo deligabatur, superimpositô emplastrô è terebinth. melle, pice, & cera paratô: usus sum unguento fusco F. Würtzii ad impediendam Gangrænam atque synoviam: postea stictico è gummatibus facto ut extraherentur heterogenea, maximum usum præstitit ol. rosatum, & potio vulneraria.

## SCHOLIUM.

CUm observatio hæc luce suâ radiet, lubet tamen paucis inquirere: utrùm detur impenetrabilitas à globulis ex sclopeto emissis, aliove armorum genere? Multos invenio, qui diabolicâ arte quosdam id consequi; alios qui naturalibus etiam mediis, arbitrantur; quosdam verò, qui omnino id

 negant,

negant, partim quòd inquisitione factâ, neminem invenire potuerint, qui suo id exemplo docere potuisset, partim quòd corporis humani mollities repugnet &c. Et sanè si ea, quæ *D. Franciscus Redus in epist. de experimentis circa res diversas natur.* refert, exemplorum nempe defectum, consideremus, fictitium prorsus esse, quod de illa jactitant, satis verisimile videbitur. Mediis naturalibus id posse consequi, non minùs incertum: quod enim v. g. de radice Mandragoræ, aut Victorialis scribitur, meram redolet fabulam, præcipuè si violentia corporis ferientis perpendatur, cui non nisi durissima & ferrea planè cutis, quam â sola similium gestatione nemo sibi spondere debet, resistere potis est: Diabolicâ tamen arte id impetrari posse, non dubito. Si quis enim, divinâ permissione, magna sæpe & mira præstare Satanam, perpendat, neque in avertendis & debilitandis violentis illis ictibus eundem invalidum esse posse, facilè cognoscet. Insignia vitri frusta, quæ â femella ceu in *Scholio observ. 75. Joh. Hellvvigii* pluribus recensui, quondam ore, magno cum impetu, rejici vidi, ex ipso ventriculo, si oculis meis, magnum conatum ventriculi superiora adfectantis adcuratè intuentibus, fidem habere possum, sursum fuêre propulsa; cùm tamen præacuta illa vitri latera nullam æsophago aut palato noxam intulerint; sine qua, si naturaliter se habuisset illa excretio, peragi haud quaquam potuisset; aut si ipso in vomendi actu summâ diaboli agilitate ori injecta ea quis suspicari vellet, eo ipso etiam fateatur necesse est, quòd iste artifex noxam, objiciendo advolanti globulo vel ferituro corpori aliquid, aliove modo enervando, avertere valeat. Italus, quem informatorem in lingua Italica Patavii habuit *Chariss. Parens meus*, à Germano, inimico globulo sclopetario petitus, nullum indè damnum persenserat, globulo tamen ex illa parte, quâ corpori impegerat, plano hinc evadente; quod licet ipse cœlesti auxilio adscripserit, aliis tamen, qui ab atheismi labe eundem haud fuisse immunem sciebant,

bant, (si fraus alia non latuerit,) contrarium sentire, rectiùs placuerat.

[*Luc. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO CXLVIII.

## D. JOH. de MURALTO.

*De*

# Hernia aquosa castratione sublata.

PIstor W. annorum 78. herniam aquosam habebat & â Castratore B. sectus in mea præsentia fuit, quoniam autem sese ingurgitavit ante operationem, post 5. horas vulnus sanguinem copiosiùs misit, quem sistebam adstringentibus pulveribus, is verò sanguis qui in scrotum effluxit non expurgatus est, sed triduô integrô relictus fœtorem, partis nigredinem & gangrænam parti induxit, forfice emortua caro & cutis absumpta est, usus sum ung. fusco F. W. herbis acribus in aceto & sale coctis, & applicatis, usque dum gangræna serpere desierit: ab initio gangrænæ mingere nequibat ægrotus, quare candelam ceream membro imponere jussi oleo scorpionum illitam, alvum servavi liberam & vino interdixi, subsecutus est singultus, tincturâ verò absynthii & vini potû (quem amabat) concessô, restitutus est.

## *SCHOLIUM.*

VInum præter modum ingurgitatum spirituosis suis particulis sanguinem agitare, ac ita ejusdem è vulnere amplo recens inflicto exitum concitare in hoc casu cùm valuerit, quid de vini potu in vulneratis statui debeat, vel ex hoc quodammodo patescit. In vino siquidem, præter partes acidas, volatiliores, etiam & oleosæ sunt conspicuæ, utræque vulneribus minùs conducentes; cùm hæ sanguinem in rapidiorem motum concitando, sicque debilitatam in partem per arterias

 im-

impetuosiùs impellendo, illæ verò discissas partis læsæ fibrillas acore suo pungendo, atque ita à contractis exin vel convulsis hisce motum sanguinis, dum tam promtè in venas redire nequit, eo in loco inhibendo, consequenter inflammationem excitare, putredinemque augere valeant. Unde antiquos simpliciter perstringendos haud esse, nemo non videt, qui vulneratis vino, ob vim ejusdem calefacientem, sanationemque ideo impedientem, interdixerunt. Quamvis enim *Helmontius tract. à sede animæ ad morb. §. 20. & 22.* soli acori noxam illam vini adscribere maluerit, ideoque à cancrinis lapillis alteratum illud & mite redditum, minimè nocere perhibuerit, sulphureas tamen & volatiles, spirituosasvè ejus partes à cancrorum sic dictis oculis minimè mitescere, & ita in vulneribus, præsertim liberaliùs ingestas, non minùs esse metuendas, facilè adparet. Qua ratione verò in vulneribus vini potum admittere liceat, ostendit beatus noster *Sachsius pag. 335. Ampelograph.*

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CXLIX.
## D. JOH. de MURALTO.
*De*
# Ambustione pedis ab aqua fervente.

S. F. Zollicensis mulier 18. annorum, pedem sinistrum aquâ fervidâ combussit, à Chirurgo primis diebus neglecta, dein acribus medicamentis tentata per quinque menses miserrimè doloribus vexata est, & affluxus humorum ad affectam partem causatus, ut me convenire coacti fuerint. Re perpensâ, judicavi, & à curante Chirurgo, & ab ægra peccatum fuisse; ille enim corrosiva supra tendinem pollicis pedis motorem ad exedendam carnem spongiosam medicamenta imposuit; hæc intemperantem sese gessit, convulsivis

vulsivis motibus obnoxia, vinoque dedita: ægræ vomitum concitavi cum tartaro solubili emetico, & infusa vulneraria exhibui, manè vesperique tepidè haurienda: pro potu ordinario propinavi tincturam Rosarum, diætam imperavi, pedem oleo philosophorum excalefeci, blandisque digestivis atque anodynis deligari jussi, quibus intra duas hebdomadas feliciter curata est.

## *SCHOLIUM.*

AQua fervens dum calore suo immodico non tantùm cutem, vel ejus glandulas, meatus ac fibrillas violenter invadit, exagitat & constringit, sed & sanguinem cum sero in concitatiorem motum impellit, & igneis spiculis instruit, eo ipso etiam in meatibus exilibus, cùm tam promtè in venas recipi aut aliàs expelli nequeat, stagnare facit; unde acrior ille humor redditus, & præcipuè diætâ remediisque incongruis efferatus, symptomatum variorum autor evadit; hinc quæ liberum atque naturæ convenientem humori motum restituere, meatus obstructos reserare, & acredinem illius obtundere valent, hìc esse adhibenda, concluditur.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

OBSERVATIO CL.

D. JOH. de MURALTO.

*De*

# Fractura cranii cum vulnere & ablatione portionis cerebri.

HEnricus *Oerthli è pago* Ennethöri 18. annos natus, ensis capulô sincipiti inflictô, circa suturam sagittalem, locô sinistrô, vulneratus est, cum fractura cranii & disruptione meningum in cerebri profunditatem uncialem usque; pars aliqua cerebri è vulnere evacuabatur: initio

tio æger cecidit, bis vomuit, latus dextrum paralyticum factum est, excepto brachio utroque: sensibus vix constabat, & primis diebus mente titubare incœpit, ac internas convulsiones nactus est, pulsus erat febrilis, sitis ingens, alvus adstricta, plura cranii segmenta è Cerebri substantia exemi, cum melle rosato partem deligari jussi, vicinasque oleo rosato defendi, ad spasmum præcavendum ol. ros. spinam innuxi, suppositoriis alvo libertatem conciliavi, capiti empl. de betonica prospexi, vino interdixi, & ptisanam hordeaceam perexi: aquas antispasticas è jacæa, flor. tiliæ, anagallide & pœon. atque valeriana sylvestri paratas cum magno successu exhibui, & ad miraculum benedicente Deo intra 3. menses ægrum restitui.

## *SCHOLIUM.*

DE portione cerebri ex vulnere ablata, mortem haud inferente, præter alios etiam legi meretur *Scholium D Joh. Hellvvigii*, quod ipse *observat. suarum num. 20. subjunxerat.* *[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CLI.
## D. JOH. de MURALTO.
### *De*
# Virgine imperforata.

E. S. 18. annorum, tumorem in vulva sustinuit capitis magnitudine, cum retentione, & ardore urinæ, conatibus pariendi, ventris duritie circa umbilicum, & magnitudine usque ad pubem, ut de imprægnatione quis non frustra dubitare potuisset, nî omni conatu virgo dici voluisset: vocari volui obstetricem & observavimus accuratiùs paulò tumorem cum vulvæ labiis undique cohæsisse neque separari ullomodo potuisse, unico urinæ ductu excepto: manu renitentiam & fluctuationem quandam tetigi, & incertus

incertus fui, num vel mola, vel embryo, vel materia inibi contenta: Lancettà partem tumoris declivem profundè adactâ, aperui, atque sanguinis fœculenti, impuri, crassi, corrupti, non tamen multùm fœtentis, aliquot mensuras cum levamine ægrotantis evacuavi, nullis penitùs obortis symptomatibus: exhibui salis armoniaci spiritum; turundam foramini facto immisi, sicque deligavi, donec omnis materia evacuata fuerit, tunc sectione Hymen crassiùs imperforatum novaculâ divisi, & turundam plumbeam zonâ firmatam immisi; dolores remiserunt, puella obambulavit, & vegeta facta fuit.

Conferatur *Scholium meum ad observat. 139. Hellvvigianam.*

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO CLII.
## D. SEBASTIANI SCHEFFERI.
*De*
# Insigni Vesiculæ fellis & vesicæ Calculis.

NOtarius quidam Cæsareus, nomine Zieglerus 58. circiter annorum laborabat urinæ difficultate, stillicidio, arenosâ interdum dejectione sub finem mictionis, cùm eum ante annum medicamentis tractarem, dolore acerrimo. In hujus demortui vesica inventus fuit calculus durus, cordiformis, tantæ magnitudinis, in præsenti forma (Fig. XXII.) depictus, unciam unam cum drachmis sex pendens. Alter latebat in vesiculâ fellis, totam cystin replens, pondere 3. drachmarum, qui cum extraheretur, fractus est, ut figura præsens (*ibidem*) demonstrat.

# OBSERVATIO CLIII.
## D. JOH. DANIEL DORSTENII.
### De
# Fœtû abortivo hydropico.

STipem nuper famula quædam advena paupercula, quindecim annorum hîc Marburgi cogens, ac hydropisi cum vomitu frequenti ex nigrâ amurcâ correpta, postquam per bimestre fermè spatium miserabiliter valdè decubuisset, præterque omnium, quòd gravida esset, opinionem, partûs doloribus in eam irruentibus, vixque obstetrice propinquante, quatuor, juxta suam ipsius confessionem, mensium fœtum puerulum jam mortuum, ulnam dimidiam, minùs pollicem latum, longum, partu immaturo enitebatur. Fœtus hic abortivus, totus etsi, omnibusque partibus à capite ad calcem mirè intumuerit, sequenti tamen die 17. puta Octobris anni 1684. in theatro cultro ubi subjiceretur Anatomico, in facie, manibus ac pedibus tumor maximam partem iterum evanuerat atque recesserat, excepto illo ingenti, caput æquante ac circa occipitium imprimis hærente, quo priùs aperto humor ichorosus ceu gelatina, nonnihil congelidus eximebatur. Intra cranium cerebrum nullo humore videbatur perfusum, præterquam quòd externâ facie pallidum nimis, vasaque, sanguiduca omnia essent exsanguia; neque, saucio illo, neque in plexu choroideo sanguinis conspici poterat vestigium ullum.

Aperto abdomine ampla humoris ichorosi copia, carnis loturam referentis, quali tota referta erat cavitas, profluebat.

Omentum exiguum valdè nec intestina obtegens comperiebatur. Hepar, cæteraque in abdomine contenta viscera satis commodè habebant, sed sanguine orba. Ventriculus valdè exiguus, corrugatus & vacuus existebat. Thorace aperto

aperto, pulmones æquè ac viſcera abdominis, ingenti ſimilis ichoris ſuffuſione inundabant, ſubſtantiæ & coloris tamen laudabilis, reperiebantur. In corde ne ſtilla cruoris conſpicua erat. Sub cute denique intraque muſculorum ſpatia ichor effuſus gelatinæ adinſtar coagulatus ubique reſidebat. Quo exemplo, fœtu nempe tali, immaturo, abortivo toto hydropico deprehenſo, Infantes non duntaxat jam natos, ſed & in utero adhuc exiſtentes, morbis etiam graviſſimis infici; ut celeberrimus Heſſorum Principis Conſiliarius ac Archiater *Dolæus*, vir prudentiſſimus, in ſua Encyclopæd. pag. 991. docet, experti ſumus.

Viſcera autem hujus fœtûs ſana ac ſine culpa licet haberentur, ſub tenerâ tamen ſuâ conſtitutione, minusque validâ viſcerum ſtructurâ matris ſuæ labem luere nihilominus debuit; quam verò, non tàm à lentâ ac morboſa viſcerum ſuorum contaminatione, cùm antea ſatis benè habuerit, quàm ab aſſumto aliquo vini hauſtu turbido, de quo anxiè ſemper conqueſta, contraxerat mater, quamque mox ſecutus fuit vomitus enormis, hæmorrhagia incoërcibilis, tumor partium œdematoſus ſenſimque hydrops totius, partus immaturus ac tandem obitus miſerabilis. Quare in ſanguine materno, poculi iſtius lethali tabo medicati acore corroſivo imprægnato, in mixtione inde turbato, confuſo ac ichoroſo facto, ſicque vaſa tenera inprimis erodere ac disrumpere valente, ut in pluribus mihi obſervare contigit, dramatis hujus cauſſarias partes latitaſſe, dicerem.

# OBSERVATIO CLIII.

## D. JOH. DANIEL DORSTENII.

*De*

## Polypo cordis & duplici ventriculo in puero.

VEnatoris cujusdam ruricolæ filiolus quinque annorum formosus, alacer, aspectuque vegetus, nullum cùm unquam corporis sui alicujus invaletudinis aut molestiæ præbuisset signum, salvus ac valens à parentibus firmiter habitus, die 28. Novembris 1684. scholam istius loci rusticam, hilari, ut solebat vultu, adibat, in qua, cùm siti tentaretur, inquilina istius domus rustica, parentibus illius infesta, hoc advertens, citò urceum de mensa surripit, præcinctorio suo occulit, ex hypocausto digreditur moxque reversa puero sitienti urceum porrigit, aliis quicquam rogata dare recusans, ablato secum urceo iterùm secessit. Puer vix domum reversus statim lectum petit; enormi vomitu torquetur, totoque corpore lassus, acerbissimos, ventriculi & abdominis cruciatus sentit, maculis lividis, rubris ac nigricantibus in ventriculi regione, epigastrio dictâ, brachiis ac cruribus hinc inde pingitur, doloribus abdominis cum continuo ejulatu manuumque admotione, ipsis octo diebus, videlicet ad sextum Decembris, quo fato concessit, durantibus. Quare de poculo tristi gramine misto haud sine ratione suspicati sunt parentes. Recluso itaque per me abdomine, præsentibus artis nostræ Appollineæ Candidatis eximiis, Domino Hermes, Bremensi & Dn. Lombardio Marburgensi, copiosissimus in eo stagnans ichor effluebat. Omentum erat retractum. Intestina ileon & colon intra suscептiones distinctis intervallis conspiciendas offerebant. Ventriculus, quod magis mirabile, duplex, verus seu interior, luridis

luridis maculis notatus, capsulâ quasi, altero non tenuioris membranæ inclusus, cui lien immediatè in parte concava totus firmissimè adnatus erat, cernebatur. Patefacto thorace, ichor priori haud dissimilis largissimè quoque emanabat. Pulmones maculis lividis, nigrisque versicolores videbantur. Cor cùm investigaremus, externè nihil vitii deprendebatur, eo verò dissecto, in dextro ventriculo corpus ex albo flavens septo medio, præsertim versus conum, ad pollicis ferè crassitudinem, dimidii verò longitudinem, friabile, instar glandulæ corruptæ aut coctæ, adnatum in conspectum prodibat. In sinistro cordis ventriculo quatuor corpora intra columnas carneas pendula ac recondita, ut vix, illæsis illis, eximi possent, quorum maximum magnitudine & figurâ castaneam majorem, duo nucem avellanam, quartum pisum referens, comperiebantur: Salvis ac liberis omnibus utriusque ventriculi valvulis existentibus. Erant àutem corpora talia in sinistro cordis ventriculo reperta, sanguine atro congrumato ac indurato, tenuium membranarum refertæ vesiculæ, quales non adeò rarò in corde imprimis, capite, renibus, uteri vasis &c. observabiles sunt & polypi nominantur. An autem veri cordis dentur polypi, quidque sint, unde & quomodo generentur, evolvas *Miscel. Curios. Dec.I. Anni I. Scholion observ.31. item Dec.II. Anni II. pag. 480. Act. Erud. Anni 1684. mens. Jun. pag. 272. it. Bonetti Sepulchret. Malpigh. &c.*

## OBSERVATIO CLV.

## D. SAMUELIS LEDELII.

# Nimia Aromatum fragrantia extinguit homines.

MOrtem calce recenter incrustata conclavia accelerasse hominibus, notum est. Idem facit effervescentia musti & cerevisiæ recentis, si quis incautus cel-

lam ingreditur. Cujus rei exempla habet *Marcellus Donatus de Histor. Medic. mirab. l. 1. cap. 6.* & *Platerus Observ. l. 1. p. 16. 17.* A fumo fornacis, à carbonibus ignitis non tantùm cephalalgia, sed & mors subrepsit. Ab extincta candela sebacea, abortus, suffocatio uteri, mors post excitatam inde epilepsiam. Vide D. D. Ammanni Medicinam criticam casu 59. A fœtore veteris chartæ commotæ Apoplexiam vidit & mortem Güldenklee cas. 13. Poma recentia in navi tantam spirarunt fragrantiam ut plurimis in alia navi permolesta esset, uti habet *Simon Pauli Quadripart. Botan. p. m. 82.* Notum est etiam de rustico pharmacopolium ingresso, qui ob suavem odorem sibi inconsuetum incidit in deliquium animi, & nonnisi admotione stercoris bubuli ad nasum restitutus. A fontibus quoque & puteis propter exhalationes aliquot suffocatos legimus. In Cypro è venis chalcanthi fumus attollitur qui hominem suffocat, testo *Galeno 9. de Simpl. Medic. fac. tit. de chalcanth.* Si necessitas exigeret & alia possent adduci. Ad rem. Joh. Jacob. Merklein Chirurgus in Itinerario Indiæ Or. p. m. 471. mentionē facit navis Princesse Royale vocatæ, quæ stetit in portu Bataviæ, in puppi hujusdem erat quantitas aromatum, caryophylli nempe aromatici, nuces moschatæ, maces & alia benè olentia. Prope hæcce materialia erat receptaculum seu camera pulveris pyrii, & ad hanc angustus introitus. Connestabilis mittit unum ut aliquid inde afferat, hic descendit jussa capessens & statim à nimia aromatum fragrantia obruitur & suffocatur. Alter moræ impatiens quærit huncce descendendo, idemque habet fatum: vocatur, at non respondet; ideò tertium ablegant obducta reste circa medietatem corporis, ut si quid adversi occurreret, statim extraheretur. Quoniam autem vires extemplo labascebant, nec restim benè constrinxerant, labitur per laxitatem restis, mortuusque concidit; Quartum denique benè munitum demittunt cum candela ardente; sed candela statim extinguitur, ipseque demissus lipothymia

Monstrum Giessense.

A

*Anna.*

*Fig. 20. f. 191.*

*Fig. 24.*
*f. 309.*

*Iohannes.*

B

*fol. 340.*

*Fig. 20. f. 303.*

thymia corripiebatur, ideò celerè retrahebant suffocandum, & vix orci faucibus eripiebant. His commoti, reseratis januis liberum exhalationibus dabant exitum, vento per omnes navis angulos liberè spirante. *Vide Obs. 33. c. Schol. Ann. I. Dec. I. Ephem.*

## OBSERVATIO CLVI.

## D. ERNESTI FRIDEMANNI SCHELHASII.

*De*

# Puella monstrosa.

OBservationem hanc à Perillustri D. J. H. Hornsteinio, Celsissimi Principis Campodunensis Consiliario ac Præfecto in superiori Günzburgio gratiosè mihi communicatam exhibeo, multijugam ejus experientiam ad plura curioso orbi porrigenda, blandè obligatus. Is itaque refert, 16. d. Februar. A. 1684. in Præfectura sua civem quandam peperisse puellam, corpore quidem non informem, in capite verò tres oculos, duplicem nasum, os itidem & aures duplicatas habentem; oculorum præcipuum & majorem, in mediæ frontis parte elatione situm, duas habuisse pupillas, reliquis duobus oculis ad aures declinantibus, planitie autem, quæ duplicatum hunc vultum intercedebat, calvâ exsistente, & in medio punctum aliquod monstrante, quod æqualem ab utroque oculo distantiam obtinebat; ipsam puellam, postquam baptizata fuerat, intra horæ quadrantem mors abstulit.

Fig. XXIII.

OBSER-

## OBSERVATIO CLVII.

## D. ERNESTI FRIDEMANNI SCHELHASII.

*De*

# Molâ aquosâ vesiculari.

FOemina quædam honesta, tempore partûs obstetrice accitâ, loco infantis, massam tres libras Kauffbeyrenses ponderantem, ex hydatidum arctè cohærentium mole conflatam edidit. Obstetrix vivum quid exiisse rata, (vi enim protrusa ex utero massa hæc informis, tremulo suo motu perterruit adstantes,) pallida ac semianimis me adit, obnixè contendens, ut spiritibus à terrore languentibus succurram, massamque dein vivam penitius perlustrem. Dictum factum, puerperam invenio extremè languidam, fœminas reliquas perplexas, universam viciniam contristatam; aperio molam, sed nil quidquam præter massam diu tremulam, ex concatenata hydatidum serie claram ac pellucidam videre potui. Adhibitis adhibendis, tam tremuli partûs mater brevi, DEO benedicente, convaluit; uterinis dehinc adfectibus lethaliter correpta, piè placideque, mundanis hisce molestiis valedicendo, in cœlestem abiit patriam.

## *SCHOLIUM.*

IN memoriam hoc mihi revocat, quod *Clar. Theodor. Kerckringius observ. suar. anat. 38.* de Harpyis sic dictis, unà cum fœtu editis, habet, aniles scilicet fabulas esse reputans, idque binis placentis deformibus, quas æri incisas exhibet, fulciens; quarum alteram & vixisse & cucurrisse narraverant mulierculæ; in altera verò caput, pedes, oculos, os & nasum ostendere conatæ fuerant; qualem etiam fictitiam bestiam, sive placentam informem, figurâ externâ quodammodo cyprinum piscem referentem, intus autem fœtum perfectè effor-

efformatum includentem, *observ. 95.* producit; æqualem fortè illi molæ monstrosæ, quam *Henr. Salmuth cent. 3. observ. 98.* memorat, quæ in terram prolapsa non modò palpitaverat, sed & instar piscis se commoverat; fœtu intus fortassè delitescente involucrum suum sive placentam monstrosam motu suo in palpitationem illam agitante. Et sanè si exempla, quorum plurima passim apud Scriptores medicos occurrunt, perpendamus, auritos tantùm testes, oculatum neminem ex eis inveniemus, quamvis propterea monstrosos fœtus, variè efformatos, & qui sic dictas harpyias referant, dari posse, minimè negem; quod partim ex hausto variorum animalium seminio, partim & quod probabiliùs magis, ex imaginatione gravidarum provenire, beatus noster *Sachsius in Dec. I. Ephem. harum Ann. II. obs. 160.* arbitratus fuerat. Cæterùm molam ejusmodi, qualem *D. Autor* hîc describit, ex plurimis vesiculis aqueis compactam, in *Anno præcedente Ephem. dd.* proposuit noster *Excell. Aretæus, observ. 95.* ut & *Nicol. Tulpius lib. 3. observ. med. cap. 32.*

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CLVIII.

## D. ERNESTI FRIDEMANNI SCHELHASII.

*De*

# Puello monstroso sine cerebro.

ELeganter admodum sapiens quidam dixit: *Judica cunctanter*, eopse innuens, quòd prudentes in judicando sedulò cavere debeant, ne ea, quæ vel captum humanum quadantenus superare videntur, protenus inter fabulas aniles referant, vel promptè nimis sub veritatis habitu adparentia, aliis credenda obtrudant. Hoc neutequam observavit Vir quidam de republica Medica meritissimus, mihique semper colendus, dum *Observationem 37. Anni II. Ephemer. German. Cur.* perlegendo, eandem præproperè, im-

primis ratione cerebri, ceu incredibilem, non modò domi, ſed poſtea in publico Theatro pronunciârit. Anatomicus hicce primicerius 7. d. Decembris A. 1675. in cadavere fœminino artificiosè ſecando occupatus, à quodam noſtratium fœtum monſtroſum maſculum, Nautæ ex India cum uxore reducis, faventis fortunæ inſtinctu, obtinuit, quo in ſequentia videre nobis licuit: (1.) Cranium p. n. oſſeum, ſeu os continuum erat, (2.) nullum veſtigium cerebri in capite reperiebatur, (3.) in medio cranii, quà externam faciem, excreſcentiam quandam carneam, ſpongioſam tamen, ſero multo turgidam, hoc exhauſto ac diffluente, corrugatam vidimus, (4.) faciem à ſimiæ facie haud differentem, (5.) occiput planum ac depreſſum, (6.) cùm per biduum ſuperſtes fuiſſet, unicam pulmonum partem reſpirationi inſerviiſſe, injectio in aquam comprobabat, illa enim ſupernatabat, reliqua verò fundum petebat, (7.) teſtes in ſcroto non conſpiciebantur, (8.) deniqúe duplicem dentium ſeriem miro naturæ artificio conſtructam &c. His viſis, *judica cunctanter*, ipſi incidit. Proinde ſupra dictam Excellentiſſimi Hoffmanni obſervationem non fabulam, ſed veram hiſtoriam eſſe, non modò in Theatro Anatomico publicè confeſſus eſt, ſed & in Nationis noſtræ laudem flumen hoc eloquentiæ egregia multa protulit.

## OBSERVATIO CLIX.

D. ERNESTI FRIDEMANNI SCHELHASII.

*De*

# Auri operatione in corpus humanum.

QUum ante aliquot annos à quinquennali propemodum peregrinatione redux, celeberrimum Hornium, P. P. & Archiatrum Archi-Epiſcopi Magdeburgenſis, Lipſiæ inviſerem, multa de Mercurii ac auri viribus

ribus stupendis mecum locutus est. Inter alia retulit, se quendam novisse, qui quotiescunque digitum pedis primarium Argento vivo immisisset, usque dum digiti calore levissimè incalescat, toties ducatum vel nummum aureum in ore detentum, candidum evasisse. Ipsius recordor fœminæ, quæ sanctè mihi contestata est, ex filii sui cadavere Mercurium vivum largiter emanâsse. Prælaudatus Hornius aurum ceu optimam antidotum Mercurii, in tremore à fumo Mercurii orto, imò in glandularum colli adfectibus, emplastris multa Auri folia commiscendo, utiliter expertus est. In lue denique venerea ex tribus ducatis aureis sex globulos degluttiendos fundendo, faustiter adhibuit, ex quibus sextus in quodam subjecto per tempus subsistens, carnosâ tandem substantiâ quadam involutus, cum euphoria iterum excretus est.

*Vid. Obs. 192. Anni II. Dec. II.* p. 394.

## OBSERVATIO CLX.

## D. ERNESTI FRIDEMANNI SCHELHASII.

*De*

# Hypercatharsi à purgante improvidè sumto.

REctè olim *Ulpianus l. 8. ff. ad L. Aqu.* in hæc erumpit verba: *Affectare nemo debet id, in quo vel intelligit, vel intelligere debet infirmitatem suam.* Aurea hæc, ac ad generis humani conservationem tendentia verba, neutiquam observavit temerarius quidam Carnifex, prout ex subsequa relatione elucescit: Juvenis quidam, habitu athletico præditus, per Herum suum, carnifici notissimum, medicamentum purgans petiit. Prompta ut assolet hæc generis humani pernicies, potionem δραστικὴν porrigit, seriò suadens, ut ad dimidium hauriat, optatum expectando effectum, hoc deficiente, reliquum in subsidium vocet. Quid fit? miser præceptis hujus pseudo-medici facilè obtemperans, tantâ ὑπερκάθαρσι

corripitur, ut anxius herus Reverendi ac Clarissimi Dn. Parochi citissimam operam petierit. Singulari hîc pietatis nomine inclytus, mihique charus, promptissimè accedendo, confessione à balbutiente tot molestiis exagitato, perceptâ, sacrum viaticum porrigere intendit, en! medicamenti violentia, dicto citiùs, infelicem ægrum interfecit. Cadaver intumescens tremulo motu, sponte ita motum, ut adstantes metu perculsi fugâ salutem quærere meditati fuerint, prorumpente tandem insigni copiâ fœtidissimi liquaminis, Alastoris sævities sævissima occultè viciniam depopulans, etiam in hoc intra aliquot horarum decursum feliciter extincto, sævire desiit. O! si lex illa Cypria, qua permittebatur, ut porco alienas segetes depascenti & vastanti, dentes truncaret fundi possessor, adhuc vigeret, tunc sanè rerum Domini salutem subditorum, conatus hujus inhibendo, solicitè magis custodirent, illudque *Lactantii de ira DEI cap. 17. quòd ipse sit nocens, qui nocenti parcit, ut pluribus dehinc noceat*, curiosiùs observarent. Non enim homines exsculpuntur è quercu, nec de publico suppetit, unde lucis usura reparatur.

## OBSERVATIO CLXI.

## D. ERNESTI FRIDEMANNI SCHELHASII.

*De*

# Hypercatharsi lethali.

ILlustris quidam Baro ex erroribus diætæ phthisi corripitur. Vocatus, per aliquot mensium decursum, præsidiis specificis, DEO favente, ipsi opitulatus sum. Accedente tandem abdominis intumescentiâ ac inflatione, nescio cujus pessimo consilio, Carnificem ad se vocat, qui acriter statim Doctoris mollitiem, ut ajebat, accusans, herculeis præsidiis aquam eliminandam suadet. Rogatus promptissimè pilulas Num. V. immò vitrum aquæ cujusdam copiâ repletum, mittit, rogitans, ut primò pilulas, singulis dehinc diebus vitrum

trum aquæ hauriat. Hic ipsus pseudo-medico ex parte morigerus, tres solummodo sumit, subsequâ protenus hypercatharsi sanguinolentâ, ut Gallicam propemodum pintam floridissimi sanguinis, cum summa virium prostratione, per secessum excreverit. Lupum auribus tenens, opem meam anxiè flagitat, quam ultra mensis decursum, hypercarthasin illam funestam compescendo, præstiti, usque dum mundo suisque valedixerit. Quamprimum accessi, Chirurgus, vir robustus, dimidiam saltem supradictæ aquæ dosin, me suasore, absorpsit, inde nescio quot vicibus purgatus, languidus tandem de Carnificis crudelissimi carnificina conquestus est. Quid commodi Illustris Baro ex concatenato horum medicamentorum usu sperare potuerit, genuinis artis Machaonicæ filiis, non spuriis judicandum relinquo?

## OBSERVATIO CLXII.

## D. ERNESTI FRIDEMANNI SCHELHASII.

*De*

# Unguibus pedum monstrosis.

JUvenis quidem, Reverendissimi Abbatis Ursinensis, Domini mei gratiosissimi subditus, intumescentiâ ac aliquali pedum exulceratione laborans, chirurgum ad se vocat; is dum curat hominem, in pedibus observat ungues aquilinos adnexos, quos forcipe rescindendo, curiositati meæ protenus exhibuit; majorem ex illis hîc delineatum sisto. Fig. XXIV. p. 303.

## *SCHOLIUM.*

HIppocrates *lib. de offic. med.* ungues neque longiores, neque breviores digitorum extremis verticibus esse oportere, decernit; ne scilicet, secus se ubi haberent, ad operandum molesti & inepti evadant. Id quod non tantùm de manuum, sed pedum quoque unguibus valet; cùm præ-

cipuè justô longiores si fiant, in ambulando remoram faciant; quod *Lindanus Medic. physiol. cap. 16. §. 51.* de muliere quadam Enchusana memorat, cui ex nimia negligentia ungues in pedibus adeo excreverant, ut ambulare tandem non posset. Singulare non minùs exemplum magnorum unguium in puero mendico observavit *Thom. Bartholinus*, & unà cum figura illius, qui in pollice fuerat, in *Volum. I. Act. medic. Hafn. observ. 16.* descripsit; horrenda etiam unguium longitudo occurrit in *ejusd. cent. 2. epist. med. 99.* & *100.* Confer. *Decad. hujus Ann. I. observ. 160.* Quid Nabucodonosori contigerit, neminem fugit, cui ungues, sicut avium ungues, excrevisse, *Propheta Daniel cap. 4.* recenset. Sinarum tamen Imperatori, ejusque Primatibus ungues manuum in longum excrescentes, decus & insigne nobilitatis haberi, in *append. 3. Legat. Batav. ad. Imper. Sinar.* refertur; quid in Europæorum quorundam morem haud absimilem animadvertat D. *Nicol. Pechlinus*, in *cap. 2. de habitu & colore Æthiop. pag. 38.* videri potest.

[*L. Schröck, L. F.*]

## OBSERVATIO CLXIII.

### D. JOH. CONRADI PEYERI.

## Agnellus Cyclops monstroso capite.

DE monstris variè sentiunt: inepte plurimi, aliqui etiam monstrosè, æquiter paucissimi. Plerumque naturam erroris insimulant, quasi labilis aut inconstans à legibus sibi præfixis aliquando desciscere. Alii spiritum Plasticum seu facultatem, ut vocant, formatricem criminantur, vel materiæ ad embryonem constituendum inertiam accusant, perinde ac si Numen rem negligenter curaret, nec potentiam & sapientiam ubique summam exsereret. Profectò quæ fiunt Deus omnia unus facit, motor & principium rerum immutabile; neque animalium corpora

pora præter eum quisquam creare aut configurare valet, sive pulcra & formosa fuerint, sive fuerint deformia, ut, manifestum sit nec monstra aliunde pendere quàm à quo alia existunt universa. Monstra autem Deus nequaquam studio & data opera facit, quippe ordinis ac concinnitatis amans nunquam delectatur abnormibus; verùm casu aut accidentia quadam inevitabili ut nascantur permittit. Quæ sanè quod rarior esset futura, divino instituto nihil derogare poterat, quin potius iisdem naturæ legibus etiamnum monstra interdum producantur, quibus vel constructus est hic mundus vel hucusque conservatus. Hæ leges & viæ cùm sapientiam divinam maximè patefaciant, utpote simplicissimæ ac ad rem perquam idoneæ, nec monstrorum formidine omittendæ, quid terrebimur sinistris perversè opinantium judiciis? Alioqui notissimum est omnibus, quantum vehementior aliqua matris imaginatio aut inopina ac insueta cerebri commotio potestatis habeat in embryonem: ab hac enim causa & nævorum pendet origo, & fœtuum in utero transfiguratio existit, eaque nunc per omnem corporis superficiem, nunc partem tantùm, & fit denique ut nati perplurimum parentes assimilent. Sed & arctam illam penitissimamque matrum cum embryonibus communicationem indissolubili naturæ nexu fundatam Deus instituit, atque ut necessarios in usus vigeret ac perennaret voluit. Itaque etiam in monstris Deus & naturæ ordo cognoscitur, nec veremur quæ in illis mirabilia & memoratu digna videntur enuntiare, rati nullum animal nasci tam monstrosum, quin conformatione saltem particulari divinum ostendat artificium.

Nuper embryonem partui jam vicinum à lanio accepimus ex ove prægnante in macello exsectum, agno planè similem, sed monstroso & difformi capite. Etenim & naso penitus carebat, & superius labrum ad palatum usque bifidatum ac exos erat, lingua per hiatum eminente. Bini oculi ra-

li rarissimo spectaculo coaluerant in unum, ut Cyclopem aut Polyphemum intueri te crederes, quem Virgilius Æneid. lib. III. cognominat

*Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.*

Is tamen non in media quidem fronte sed latere sinistro spectabilis externè simplex erat, internè ad videndum geminatus. Palpebræ namque illi duæ tantùm, unica sclerotis tunica quæ oculi globum efformat, cornea item & uvea una, pupilla verò duplex, & quod nemini fortassis antea compertum geminus humor crystallinus, singulæ nimirum pupillæ suus. At opticus nervus tantæ crassitiei, ut facilè intelligeretur è duobus compositus, qui etiam in cerebro fuerant conjuncti. In fronte denique à dextris protuberabat ingens processus osseus, fastigiatus cornu similitudine. Minimè dubitandum quin lineamenta in ovo primitus rectè fuerint disposita, postmodum autem violento impetu quodam aut commotione partim deleta, partim etiam turbata & confusa, ut monstrosum caput enasceretur. Quanquam enim sodalis noster perdilectus Avicenna nuperrimè ex Italia redux mihi scripserit peculiares quosdam ductus aut canales, uterinos vocat, celeberrimo M. Malpighio juxta vaginæ latera in vitulo conspectos, ex utraque parte ad ovarium usque pergentes, qui doctrinam de generatione animalium ex ovo videantur infringere; observatio ea tanti non est momenti ut experimentorum consensu firmiter probatæ sententiæ dicam facilè scribamus. Omninò enim in mulierum testiculis ova reperiuntur, ubi conceptus existit, eaque integrè separabilia, sic ut ne minimus quidem relinquatur porus, per quem humor possit excerni, nec aliud illis iter quàm per tubas à Fallopio cognominatas pateat ad uterum. Quid? quod in equæ nondum effœtæ utero & vulva nuper quàm diligentissimè inquirentes spes ductuum illorum nos penitus frustrata est. Aderant equidem in vagina tenues meatus utrinque complures, sed ad vicinas tantùm glandulas producti, neutiquam ad ovarium usque terminantes. Ejusmodi

modi canales gemini viſcidum humorem albuminis inſtar effundentes proſtant etiam in vaccis & mulieribus, aliquoties mihi propter nymphas anterius viſi, quos cum pridem annotavit Plazzonus teſte Joh. Rhodio Mantiſſ. anat. Obſ. LIII, miror eos à Joſepho Duvernio & Caſparo Bartholino tanquam novum aut peculiare quid offerri.

## OBSERVATIO CLXIV.
## D. JOH. CONRADI PEYERI.
## Canis bipes, humano more ambulans.

ANnus eſt ex quo Scaphuſiæ canem proſecuimus, natum bipedem, quippe anterioribus pedibus truncum. Eum clariſſimus Gymnaſii noſtri Rector Stephanus Spleiſſius, magni vir ingenii præcellensque Philoſophus, per biennium aluerat, fidelem domus cuſtodem ac eo inprimis mirabilem, quòd priorum crurum adminiculo deſtitutus agili corporis volubilitate ſurgeret in poſteriores pedes ac erectus per hypocauſtum identidem obambularet. Scapulæ illi quidem utrinque ritè conformatæ, humerus verò nullus; ſed ejus loco os parvum, informe, latens ſub cute, unci inſtar recurvum, nec exſertum. Dubium nullum eſt quin lineamenta pedum anteriorum in ovo concuſſione aliqua vehementi aut infortunio fuerint diſtorta ac obliterata.

## OBSERVATIO CLXV.
## D. JOH. CONRADI PEYERI.
## Pancreatis ductus bile plenus.

CUm ſuperiori æſtate felem diſſecaremus famelicam, luſtratis viſceribus ductum pancreatis ubique bile plenum & viridi colore tinctum invenimus. Cujus rei novi-

novitate capti aperto poro choledocho notavimus hunc cum illo in ipſis inteſtinorum confinibus communicare, ac utrumque junctum unico oſculo penetrare ecphyſin. Itaque accidere potuit, ut bilis fame commota ac incenſa quod per orificium exile atque fibroſum erumpere omnis nequiret, in pancreas conterminum ſecederet ac obice nullo prohibente per omnes ejus ſinus diffunderetur. Ita ſanè quod alias proverbio jactant de naſo, fames & mora bilem feli huic in pancreas concivit. Quod cum ita ſit, non puto deinceps vitio vertendum Regnero de Graaf tr. de Org. Vir. quod ſemen è vaſis deferentibus in veſiculas ſpermaticas virorum commeare ſtatuat. Etenim & via patet, tranſitumque res ipſa commonſtrat. Cæterùm ut in vaſis deferentibus ita etiam in meatu choledocho diverſitas reperitur, non penitus negligenda iis, qui perpendunt naturam in conformandis animalium partibus nihil incaſſum moliri. Quibusdam enim pancreatis ductus ſimplex eſt ac ſeorſim inteſtino duodeno jungitur, ut hominum plerisque; avium autem & canum maximæ parti geminus, quorum alter choledocho ſæpè committitur, alter ſibi relinquitur. Eſt & ubi ſolitarius licet nihilominus in unitatem venit cum meatu fellis, idque nobis non in fele tantùm ſed etiam pecudibus ac nuper admodum in equa obſervatum. Similiter & vaſa deferentia alicubi ſe peculiaribus oſtiis in urethram inſinuant, ut arietibus, hyſtrici, fibro, apris; alibi veſiculis ſpermaticis, maximè hominum, conſociantur.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXVI.
## D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI.
# Veronicæ vis traumatica.

JUvenculam divertenti mihi aliquando ad hoſpitem quendam, cui Centurionis inſuper titulum in urbe quadam minore ad Coburgum ſpectante ſuſtinebat, hoſpes idem ſiſtit, dicens: En Filiam meam, tuo conſiliô brevi curatam. Quonam verò, hæc, repono ego, morbô laboravit: neque enim morbi, neque perſonæ recordor, ſi quid unquam factum, memoriâ id omne excidit. Hæc mea filia, inquit ille, fiſtulâ quadam in confinio thoracis laboravit, quæ Balneatoris curam & induſtriam annuam omniumq́ue medicamentorum vires eluſit. Dn. D. verò domi ſuæ (relicta erat in ædibus meis filia) conſultus, ut *Aquam Veronicæ*, quam mihi præ cæteris commendavit, in uſum filia traheret, ſuaſit. Paruit iſta, & ecce! elapſô paucarum ſeptimanarum ſpatiô, ſolius hujus aquæ uſu, neglecto omni aliorum medicamentorum apparatu, ulcus fiſtuloſum fuit curatum & foramen occluſum, quod mihi & filiæ meæ ſanitati redditæ gaudio, Balneatori verò & nobis omnibus, ob longiorem prioris curationis moram delaſſatis, penè miraculo fuit.

## *SCHOLIA.*

V*Eronica* magnificô, quo apud Germanos ſuperbit, nomine ſeipſam commendat, quibus audit **Ehrenpreiß /** q. d. *Honoris Gloria*, quo an nobilius mereri queat, dubito. Meretur autem propter elegantes & magnas, quibus gaudet, virtutes, inter quas præcipua vis eſt ulcera & vulnera, tàm interna quàm externa ſanandi, quare etiam **Grundheil / Heyl aller Welt / Heyl aller Schaden / Schlangen-Wundkraut** iisdem ſalutatur. Sanè plantas plurimas ſplendidô nomine à Majoribus noſtris mactatas nervoſam virtutem ſinu ſuo con-

dere, experientia ipſa Practicis etiamnum probat & confirmat. Appellationum autem Germanicarum quædam in genere plantæ excellentiam, quædam in ſpecie ejus hunc vel illum morbum curandi facultatem eximiam & prærogativam produnt. *In genere*, v. g. Tauſendgüldenkraut / q. d. *millium florenorum herba*, quæ *Centaurium minus* eſt, quam Veteres etiam magni æſtimaſſe ex his conjicere licet, quòd inter Galeni opera integer liber reperiatur, de virtute Centaureæ inſcriptus, in quo elogio ſatis prolixo autor iſtius libri eam proſequitur, quod compendifecit his verbis, *revera*, inquiens, *incredibilia exiſtimantur ea, quæ de Centaurea narrantur, ita multas & difficiles paſſiones curat*, quas, ut Excell. Dn. D. Simon Paulli Præceptor quondam meus fideliſſimus *Quadripartit. Botanic. claſſ. 3. p. m. 244.* tempori parcens recenſere ibi renuit, ego quoque polychreſtæ hujus herbæ vires eandem ob cauſam prætereo. Sic Wolgemuth / q. d. herba *boni animi*, ſeu, quæ animum ſuſcitat & gaudia parit, eſtque *Origanum*, quod ut Ciconiarum, Palumborum & Perdicum impoſitione hujus herbæ vulnus, quod acceperunt, ſanantium, ſic & hominum ad varios corporis affectus eò utentium, eſt ſolamen. Gottes-Gnad-Kraut / Gnade Gottes / q. d. *Gratia Dei*, eſtque *Gratiola*, quæ amaricante & purgante ſua virtute morbis Chronicis confert, maximumque in Hydrope arcanum Hartmanno *Prax. chym. edit. Cardiluc. p. m. 597.* vocatur. **Beruff-Kraut / weil es wegen ſeiner guten Tugenden wol beruffen / nicht weil es das Beſchreyen und Beruffen / ſo mit Worten geſchicht / vertreibet /** quem errorem in noſtro de *Faſcinatione* Tractatu refutavimus; eſtque *Sideritis vulgaris erecta* Bauhino dicta, Herba excellente abſtergendi virtute pororum obſtructionem, & hinc ortos morbos, vitioſos ex alto humores evocando, tollens. Geſegnete Diſtel / hochgelobte / gebenedeyte Diſtel *Carduus benedictus* eſt, qui eam nominis celebritatem ob vires, quibus ſe commendat, reportavit, quæ cùm ſint multifariæ, *Aſylum languentium* jure eum vocavit

cavit Dn. D. Georg. Christoph. Petri in inscriptione libri singularis, quem de *Carduo bened.* conscripsit. Sophien-Kraut / Sophia Chirurgorum, nach den Griechischen Wort / der Wund-Aertzt Weisheit / quia glutinandis vulneribus & ulceribus eam præsens esse remedium Chirurgis est notissimum. Augentrost / q. d. *solamen oculorum*, *Euphrasia* est, cujus conservæ solius usu continuô puella per decennium visûs obscuritate laborans restituta est, referente Foresto *lib. 11. obs. 32.* Arnoldus de Villa nova *lib. 1. cap. 18.* herbam hanc quocunque modo sumptam in quocunque defectu oculis prodesse notat, quod tamen cum grano salis accipiendum esse Hoffmannus *lib. 2. de medic. officin. cap. 89.* doctè advertit; *Speciales* appellationes morbos, quibus in specie hæc vel illa herba præcipuè conveniat, primâ fronte indicant, à potiori quasi virtute appellationis ratione desumptâ. Præcipuè dico, quod pluribus etiam affectibus eandem herbam non opponi posse, non intelligendum veniat. Sic Grimkraut / q. d. *Herba torminalis*, *Senecio* est, quia torminibus ventris à bile contractis succurrit, teste Dioscoride cap. 97. lib. 4. quæ tamen etiam scabiei, hæmorrhoidibus dolentibus, testibus & mammis inflammatis auxiliatur. Harnkraut / q. d. *Herba urinalis.* Hoc nomine & Linaria & Resta bovis salutatur, quia utraque herba urinam pellit, ita quidem, ut illa κατ' ἐξοχὴν Urinaria dicatur, & propterea Ictericis & Hydrope laborantibus ingenti commodô propinatur. Hujus Schorerus exemplum notatu dignum in *Medicina peregrinantium* tradit. Unde in Vesicæ ac renum calculô non suppar haberi remedium scribit Fried. Hoffmannus *in Clave Schröder. pag. 517.* Fieberkraut / *Febrifuga*, idem est Centaurium minus, cujus mentionem ante fecimus, ejusque virtutem ratio nominis aperit. Gifftwurtzel / *radix est contra venena*, alexipharmaca, bezoardica, quæ etiam Tincturam bezoardicam Dn. D. Michaelis ingreditur. Lungenkraut / *Pulmonaria*, quia pulmonum affectibus, eorundem præprimis vul-

neribus & ulceribus medetur, quo tamen nomine Germanico non una, sed plures herbæ veniunt, nim. Botrys Marrubium album, & Pulmonaria κατ' ἐξοχὴν symphytum maculosum etiam Bauhino, dicta. Gelbsuchtwurtzel / *radix icteritia*, *Curcuma*, specificum in Ictero remedium, *ut vel nomen inde apud Germanos sortita, quòd nempè unicè partibus amaricantibus acribus, detergentibus polleat*, ut loquar verbis Excell. Dn. D. Wedelii quæ fecit in *Amœnitat. Materiæ Medicæ pag. 171* quibus se curcumam cum sale absinthii ana. in Icterô cum successu propinare subjungit, Miltzkraut / q. d. *splenica herba*, quam nominis appellationem plures reportant, singulæ ideò, quia splenis affectibus medentur, & quidem 1. Urtica iners, sive Lamium. 2. Genistella. 3. Lonchitis aspera. 4. Scolopendrium, quarum ultima prærogativam præ cæteris obtinet. Transeant similis conditionis nomina Botanica Germanis usitata, v. g. Bruchkraut / *Herniaria*, Herniis dicata. Apostemkraut / q. d. *Apostematica*, quæ *Scabiosa* est, apostematibus curandis sacra. Leberkraut / *Hepatica*, sine epitheto quidem pronunciari solet, non tamen sine cautela usurpari potest, cum Hepaticæ nomen multis specie & formâ inter se differentibus plantis tam à Medicis quàm à Pharmacopœis imponatur, notante S. Paulli *l. c. p. 344.* Sic & reliquas morbos & corporis partes, quibus conveniunt, signantes appellationes Germanis usitatas mittimus, v. g. Feigwartzenkraut / Mutterkraut / Brustwurtz / Beinwell / Schwindelkraut / &c. Ad *Veronicam* revertimur. Si placeret, uberiorem laudis gloriam in ea venerandi, & à recentioribus meritò, quasi φερονίκη, quòd inter plantas triumphet, dici, demonstrandi campus nobis pateret. Præter consolidandi & sanandi vulnera & ulcera virtutem *Veronicam* calculum exturbandi vim obtinere Crato in Consiliis suis passim tradit, idque Dn. D. Elsnerus eleganti historiâ, quæ habetur *Ann. I. Ephem. German. observ. 107.* confirmat. Obstructionibus hepatis convenire, & si quid seri ibi infarctum est materiæ per Urinam expellere *extractum Veronicæ*, scribit

Hil-

Hildanus *Epiſt. 73.* Tibiarum ulceribus aquam Veronicæ, linteis in eâ madefactis & applicatis; item ſterilitati mulierum pulverem Veronicæ in aquâ ejusdem propinatam mederi S Paulli *l. c.* docet, & utrumque hiſtoriâ ſingulari confirmat. Plura conferre ſuperſedeo, Lectoremque plura ſcire deſiderantem ad Botanicorum monumenta, ut & memorabilia J. Rud. Camerarii denuo recuſa & aucta, *Cent. 5. §. 74.* & *Cent. 18. §. 74.* remitto.

## OBSERVATIO CLXVII.

### D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI.

# Fumi Tabaci vis in ulceribus tibiarum excellens.

VEteramentarius quidam Vir robuſtus & quadratus Schalcoviâ reverſus febris malignæ ibidem graſſantis ſeminia Coburgum reportat. Lecto affixus per uxorem ſuam conſilium à me petit, quæ, ubi in circumſtantias inquiſivi, totum corpus mariti in lecto æſtuantis veſiculis parvis refertum eſſe referebat. Præſcripſi bezoardici ad ſudandum uſum. Sudore cum εὐφορίᾳ finitô diſparuerunt veſicæ. Viſitanti brevi poſt, atque vitæ ante actæ ſanitatisque ſtatum priorem exploranti mihi æger narrabat, ſe ulceribus aliquot in cruribus ſatis diu laboraſſe, tandemque per uxorem ſuam à me remedium rogaſſe, me verò reſpondiſſe: Ohe, phlegmatici temperamenti maritum tuum eſſe intelligo, ideò, reſpiciendo ejus paupertatem, ſaltem, ut *fumo tabaci* per fiſtulam ore trahendo aſſueſcat, ſuadeo. Conſilio dato, inquit Clinicus, obſequor, & tabaci fumum, quem antehac nunquam traxi, in uſum quotidiè traho, & ecce! quatuor hebdomadum ſpatiô elapſo ſenſim ſenſimque fonticuli iſti naturales, ſeu ulcera tibiarum, exaruerunt. An verò idem uſum ejusdem deinceps, profligato in

totum febris impetu, continuarit & crurum aliarumque partium constitutio naturalis salva manserit, me latet.

## SCHOLIA.

TAbacum inter alia Synonyma etiam Germanis Indianisch Wundkraut / Heilig Wundkraut vocatur, quia præter beneficia alia quæ varia sunt, insignem vulnera & ulcera sanandi facultatem, succi, cineris, salis, oleique formâ externè usurpatum obtinere, curiosiores Tabaci cultores observarunt. Nic. Monardus *in simpl. Medic. Histor. cap. 14.* ubi fusiùs celebratæ Indicis Sacerdotibus plantæ hujus virtutes collegit & enarravit, folia recentibus vulneribus imposita, illicò sanguinem sistere eaque glutinare, ulcera vetera detergere, gangrænasque succum instillatum & folia trita imposita detergere, curare & ad cicatricem perducere scribit. Verùm idem solùm fumi formâ in usum dicto modo tractum ulcera sanasse, ego, quantum memini, nondum legi. Cinere Tabaci solo se ulcera circa genu incurabilia sanasse Excell. Dn. D. Wedelius *loc. cit. pag. 95. & 114.* notat, sed fumum insimul haustum fuisse, addit: noster autem æger solo Tabaci fumô ore tractô, neglectis externis, sanitatem recuperavit. Retulit nuper Vir Magnus magnæ autoritatis & dignitatis, sibi Adolescenti Ratisbonæ Scholam ab ædibus, quas inhabitârat, satis longè distantem frequentanti in cruribus, contra frigoris hyberni inclementiam non satis munitis, ulcera aliquot oborta, eaque sæpius jam occlusa, jam reclusa fuisse; Postquam verò in Academia os Tabaci fumo pronum præbuisset, ista cum fumô sensim demum periisse & occlusa ad præsens usque mansisse. Nimirum phlegmagogum est Tabacum in genere spectatum, pituitam enim & aquas subducit & evacuat per mucum, sputa, vomitum, secessum. Si crassa sit pituita, eam sale suo fundit, acrimoniâ incidit & excretioni præparat, ait Jo. Chrysostom. Magnenus *Exercit. de Tabaco 3. §. 4.* Subtractô scilicet sensim revul-

revulſionis & conſecutionis ratione ex toto per ramulos ſalivales in faucibus & ore contentos ſerô & lymphâ abundantiore, quam ex arteriis multis hauſerunt, non poſſunt non ulcera in externis partibus orta exareſcere, finemque continuatâ ſubtractione tandem ſuum habere, niſi pravitas tertiæ coctionis & partis affectæ intemperies, ſaniei ac ſorditiei genetrix, prius removenda, obſtiterit. Aſt ſi externis ſive repellentibus, ſive adſtringentibus & exſiccantibus intempeſtivè & præpoperè neglectis univerſalibus ulcera ſanantur, dyſenteriam, epilepſiam, aſthma &c. oriri poſſe, fidem facit *Ann. 2. Ephem. Germ. obſ. 213. Decur. 1.* Senſim ita fit revulſio & evacuatio ſeroſi ſanguinis excrementi, quod ulceribus vicinum è vaſorum extremitatibus abſcedere ſolebat; jam verò imminutâ ejus quantitate, & ſic minori reddito quanto & quali, cum ſanguinis craſis melior evadat, natura ſui provida ſublatô nonnihil impedimentô conſolidationem molitur. Interea verò, dum illud fit, vitioſas ſanguini nutrienti adhærentes particulas per convenientes & communes vias Natura evacuat. Nolo tamen hiſce uſui Tabacini fumi nimio, ſive abuſui patrocinari, qui tantum abeſt ut ſanitatis flores promoveat, ut potius incommoda ingentia, imò mortem ipſam inferat. *Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.* Abusûs crimen & pœnam graviſſimam incurrerunt duo illi Fratres Hollandi voluptatis gratiâ certantes, quis eorum plures fiſtulas Tabaci exſugeret, ſed dum unus ad ſeptendecim, alter ad octodecim aſſumſiſſet, ambo ſubitò apoplecticorum inſtar deciderunt, quorum unus eo momento demortuus; alter per bihorium vel trihorium miſerè ſpirans tandem animam quoque expiravit, referente D. Hellvvigio *Obſervat. Phyſico-Medicar. 45.* Sed ſi naturam & verum uſum Tabaci ſpectemus, vix datur ulla alia planta, cui plures dotes conceſſerit rerum Parens, quàm huic Nicotianæ, ait Dn. D. Tappius *Orat. de Tabaco.* Aug. Thonerus *Epiſt. Medico-Philoſ. 15.* eandem Panaceæ ac Medicinæ univerſalis no-

mine mactare non dubitavit, quod profliget omnes internos & externos languores: si quis, ait, illam dextrè ponderatis ponderandis adhibere sciat, unico illo simplici cum admiratione plura præstabit, quàm aliorum polychresta & operosâ farragine. Annon verò alia suppetant, quæ, si non majora, paria tamen beneficia conferre queant, ut ad orcum relegatus Tabaci fumus, honoratioribus omnibus fœtore suo infestus (fumi saltem, non alias è Tabaco petitas & acceptas remediorum formulas intelligo) maneat, quærenti dico, me non diffiteri, dari, quæ simili formâ usurpata sine fœtore similem etiam effectum, ad evitanda destillationum pericula, nimir. pituitam & aquam subducunt, edere queant. Quo de tamen disserendi campus alibi aperietur.

## OBSERVATIO CLXVIII.

## D. JOH. CHRISTIANI FROMMANNI.

## Ex omentô putrefactô mors.

NObilis Adolescens Brunsvvicensis Annor. 13. Aulæ Serenissimi Principis nostri superiori annô admotus minùs auspicatò huc appulit: Siquidem non tantum in itinere, sed & hîc loci per 6. Septimanas valetudinariam egit vitam. Lecto his elapsis affixus à Nobilissimo Dn. Parente Coburgum iterum transeunte curæ meæ committitur. Inquirenti mihi in statum morbi æger se doloribus abdominis ingentibus jam corripi, quibus non tantùm domi, sed etiam in nupero itinere quandoque fuerit correptus, respondit; domi verò se sæpiùs vermibus laborasse, neque de iisdem se jam dubitare, addebat: ejus contubernales Nobiles de appetitu prostratô, ventris dolore, ventriculique compressione hactenus eundem fuisse conquestum affirmabant, mali in tenerâ personâ ex victus ratione minùs accuratè hactenus in locô extra patriam alienô observatâ ortum conjicientes. Ego ventriculum à collectâ vitiosorum humorum saburrâ exone-

exonerandi gratia vomitorium primùm porrigo, ſed nullus planè operationis effectus ſequebatur; clyſteres ſuo non deſtituebantur, deturbantes flavam cum pituitâ materiam : abdomini Emplaſtrum admovebatur, in vermium nidum ac vermes ipſos arma dirigebantur; ſed vanus fuit labor omnis, perſeverantibus doloribus, quos incurvati in lectô corporis ſitu quadantenus mitigari, erecto verò leviter corpore exaſperari ajebat, in tantum, ut vel pulvinar ad quietem meliorem componi non ſuſtineret. Quarto morbi ſeu curationis die à meridie calorem in ægrô præternaturalem ex pulſu & aliis indiciis deprehendo, majoremque longè facultatum lapſum ex vultûs, qui jam inſigniter à priori receſſerat, lapſu colligo. Periculum vitæ præſens Gynæcei Præfectæ indico, quæ tamen ob ætatem minorem ſeu adoleſcentiam meliora ſperanda eſſe, me licet repugnante, cenſebat. Verùm poſt decimam iſte præter aulicorum opinionem naturæ debitum placidâ morte inter contubernalium preces noctu die 7. Novembr. 1684. perſolvit; relictis in terrâ corporis exuviis anima ad cœleſtem Aulam fuit translata.

In examine abdominis ad Sereniſſimi Principis mandatum ſequenti die inſtituto primùm abdomen tumore inſigni, quo tamen in vivis carebat, conſpicuum, ac ſi hydropici eſſet, occurrebat, ſed tenui foramine facto flatus cum ſibilo eruperunt, ſubſequente mox abdominis ſubſidentiâ. In ipſo abdomine ejusque cavo extra inteſtina purulentæ aquosæ materiæ, fœtore graviſſimò præſentibus moleſtiſſimo libræ ferè duæ reperiebantur : inter plicaturas ſeu rimas & interſtitia, quæ convolutorum inteſtinorum invicem incumbentium parietes efficiunt, pus craſſius, quaſi à calore inteſtinorum tenuior ejusdem pars fuiſſet abſumpta, latebat, omentum autem erat maximam partem putredine conſumptum, ejusque reliquum colore luridô, lacerumque conſpiciendum. Communis & externa à Peritonæo orta inteſtinorum, epatis & lienis tam putrida erat, ut vel levi digitorum attactui mollis ce-

 deret.

deret. Hepar solitô majus vesicam fellis non in loco genuino sitam fovebat; lien quoque communem magnitudinis sortem superans quidem, à naturali tamen statu, ut & Hepar non recesserant. Stomachus receptaculum erat bilis cum pituitâ mixtæ, in magnâ quantitate inibi collectæ: intestina lumbricos nullos tegebant: pulmones in inferiori parte diaphragmati nonnihil erant accreti, leviaque caloris præternaturalis (sine dubio circa mortis articulum impressi) vestigia ostendebant. Mesenterium cum pancreate salvum erat, neque reliqua viscera insoliti quid offerebant manibus & oculis curiosissimis Dn. Joh. Petri Fischers / Med. Candidati dignissimi Anatomiæ cultoris solertissimi, mecum & Chirurgo Aulico peritissimo, sociam operam strenuè conferentis.

## *SCHOLIA.*

QUæ mali hujus origo & fons fuerit, an 1. ex contusione, lapsu vel concussione continuitatis solutio, & hinc apostema, & exulceratio in Omento fuerit orta; an 2. Variolarum, quibus ante annum laborarat, ea fuerit inclementia, ut quandam exulcerationem ibidem reliquerint, eâque serpente majusque indies & sensim augmentum capiente collectio materiæ purulentæ tanta fuerit enata: an verò 3. ex internô humorum vitiosorum ad Omentum decubitu ista derivanda sint, latet. Itaque quæ ex his locum habeat, an una adfuerit, vel plures causæ concurrerint, certò definiri nequit. Sebastianus Nasius quidem apud Bonetum *Anat. Practic. lib. 3. sect. 11. obs. 6. in Schol.* dicit, sæpe accidere in doloribus, quòd, qui intestinis tribuuntur, in illis non sint, sed in subditis partibus, nim. in Pancreate. Omentô, Mesenteriô, & aliquando etiam in Peritonæô. Quomodo autem à se invicem distinguendi sint, tradit & pluribus docet. Quod omentum spectat, ait, si adsit in regione inferiori ventriculi circa umbilicum, à quo etiam tussis sicca excitetur, Omentum affectum esse, indicatur, qui effectus licet

cet profundus sit, latè tamen diffusus conspicitur, ad differentiam tactus intestinorum, qui in ambitum angusta margine protenditur. Verùm enim verò hæc quidem in Nostrô ægrotô & quidem primis morbi temporibus domi locum invenire potuerunt: at postquam in diluvio privato ad omnia abdominis intestina per varias decubitûs species pus acre devenit & corrosit, dolores demum terminis Omento propriis nec definiri, nec definitè à Medico ullo cognosci potuerunt. Itaque nonnisi conjecturis jam niti licet, quarum fundamenta quidem in se firma, non tamen nisi στοχαστικῶς subjecto huic applicari posse ipsi fatemur.

I. Cùm Omentum sanguifera vasa foveat, idem ut cæteræ partes inflammationi, apostemati, exulcerationi, putredini & corruptioni obnoxium evadere posse, inficias ibit nemo. Omentum inflammari, sed rarò, frequentiùs abscessum pati, quia sordium Hepatis & Lienis conceptaculum ait Riolanus *Enchirid. Anatom. lib. 2. cap. 16. in consid. Medica.* vel secundum Virum Celeberr. Dn. D. Volckamerum seri receptaculum, quatenus potulentam ex stomacho absorbet humiditatem; quo de vid. *Ann. 9. & 10. Ephem. German. obs. 18. in schol.* Hac qualitate tandem, ob moram in alienô locô justô diutiùs tractam peccans & majorem acrimoniam acquirens corruptioni ac putredini ansam administrare potest. Sennertus *lib. 3. P. M. part. 3. cap. 8.* totum ferè Omentum putredine consumptum in Studiosô quodam Scorbutô & Hydrope laborante, & in Nosocomiô Academiæ mortuô vidit. Simile in duobus D. Mollenbroccius Erfurti observavit, quod *Decur. I. Ephem. German. Ann. 1. obs. 87.* insertum legas. In puero 10. annorum dissectô Omentum & Mesenterium putrefactum invenit Raimundus Jo. Fortis, citante Bonetô *l. c. lib. 2. sect. 7. obs. 133.* Omentum semicorruptum in juvene 24. annorum Petr. Poterius *Cent. 3. obs. 59.*

Verùm diætæ, quam ad Nobilissimorum Parentum jussum Adolescens noster Nobilis domi dubio procul servavit,

vit, rationem accuratam fuisse, aut si errores in ea commissi, leviores illos, generandis saltem in intestinis occasionem præbentes, fuisse, cùm existimemus, quò minùs huic rationi assensum largiri queamus, id suadet. Totam autem sanguinis massam in eo tantâ humorum spurcitie laborasse, ut ad Omentum devoluta putredinis characterem imprimere vel generare ibi potuerit, nobis non persuademus, multò minùs brevi illo temporis spatiô, quod in Aulâ sex septimanarum hîc fuit, tantus & talis vitiosorum humorum apparatus omento sic corrumpendo aptus generari potuit. Susanna illa apud Zacutum Lusitanum 11. annos nata à septennio ventris & hypochondriorum doloribus assiduis est vexata: tandem acutâ superveniente febre ventris diris torminibus correpta 5. die obiit. Dissecto cadavere inventa est tota ventris cavitas fœtidissimo & seroso pure referta: omentum totum erat corruptum & penè absumptum, hinc acerbi illi cruciatus. *Hæc ille.* Quandiu equidem Æger noster torminibus ante fuerit correptus, quàm Aulæ fuit admotus, latet; assidua tamen si fuissent, ad oras has non accessisset, ex quo remissiora ista nonnunquam & vermibus, quorum nonnullos domi quandoque excrevit, adscripta fuisse, patet. Febris tamen acuta putrida in Nostrô die fatali superveniens citius, quàm in istâ, vitæ terminum acceleravit, ob vires in tenerô subjectô antea sensim attritas, & tandem insigniter mox humorum putridorum & ebullientium tyrannide suppressas. Isto tamen temporis præcedentis spatiô, quodcunque etiam fuerit, integris vitæ functionibus, parte tam insigniter læsâ Ægrum Nobilem vitam nihilominus egisse, mirum esse nequit, cùm Omentum pars sit ignobilior, primariæ cuidam functioni non destinata.

II. Variolas non in cute tantum & partibus externis, sed & internis omnibus fieri Avicenna *lib. 4. Can. fen. 1. tr. 4. cap. 6.* tradit. Idem Fernelius *lib. 2. de abdit. rer. causis cap. 12.* Pareus *lib. 19. cap. 1.* & alii plures ap. Bonetum *l. c. p. 1509.* confirmant.

firmant. Adde quæ habentur *Ann. 3. Ephem. Germ. p. 563.* Quod si in utrisque contingant partibus, vel æqualiter vel inæqualiter eas infestare scitè notat Argentoratensium Æsculapius Dn. D. Sebizius *Disput. de Variol. & Morbill. 5. quæst. 2.* ubi subjungit: Accidit ut copiosæ sint utrobique. Evenit enim ut copiosiores sint intus, pauciores foris, & contrà, intus paucæ, foris multæ. Externæ ad sui διάγνωσιν nullis egent indiciis. Internæ ex symptomatibus & læsis actionibus innotescunt. Qualis autem in Adolescente nostro Nobili Variolarum status fuerit, an ex signis quibusdam omentum iisdem maximè refertum & postea corruptum tum temporis conjiciendum fuerit, quia domi in Patriâ suâ ante annum iis laboravit, neque nobis hîc loci constare, neque æger nobis referre potuit. Possibilitatem saltem in negotiô hoc obscurô demonstrasse jam sufficiat. Si enim purulenta variolarum materia intestina, quorum tamen substantia longè crassior est & densior Omenti substantiâ, corrodere, dysenteriam & tenesmum producere, fauces & pulmonum substantiam exulcerare potest, quantò magis eadem ad Omentum decumbens similem stragem edet, cùm Omentum per αὐτοψίαν cuique, ut & ex observatione Marcell. Malpighii *Exerc. de Omento p. m. 78.* constet ex duplici membranâ, levi tamen & tenui, in orbicularem figuram ad instar marsupii aucuparii expansâ, per quam reflexam vel duplicatam excurrunt venæ & arteriæ comites &c. Itaque minùs hosti irruenti, purulentæ nim. & acri materiæ resistere, vel, ne corruptionem incurrat, prohibere potest. Experientia etiam in iis, quos variolarum iniquitas è viventium numero rapuit, omentum quandoque vim passum fuisse, per sectionem Anatomicam ad oculum demonstravit. In Illustriss. Principis Regiæ Mariæ Auriacæ Londini Variolis extinctæ, præter viscerum reliquorum à statu naturali recessus, Omentum apparuit semiputridum, & superiori parte aliquantulum consumptum, teste Th. Bartholino *Cent. 3. Epist. 29.* In puero novenni Omentum

Omentum propè consumptum & ad superiora retractum vidit Mich. Doringius *Epist. 18. ad Sennertum.* Non tamen, cùm Nobilis patiens vitæ periculum tum temporis evaserit, ex eo omenti à Variolis immunitatem colligere licet. Ut enim in externis, ita quoque in internis partibus inæqualiter nonnunquam, hanc plures, istam pauciores infestant Variolæ, imò vel unica, si magna sit, insignem affricare potest labem, longiùs deinceps duraturam. Externæ Variolæ unius exemplum notatu dignum Vir πολυμαθέστατος Dn. D. Meibomius *Diss. de Variol. & Morbill. §. 37.* Nobilis nim. pueri, qui, cùm in eâdem domo plures Variolis laborarent, ipse quoque decumbere cœpit, omnibus symptomatibus, quæ Variolas imminentes significare solent, apparentibus, nullibi tamen maculas vel pustulas habuit: tertiô autem die lumbi dolor, quartô inflammatio in dextrâ nate apparere cœpit versus anum, ortumque maximum apostema, quod & extra apertum, & versus rectum intestinum prorupit, puero tamen superstite & nullis variolis ullibi in corpore defœdato. Quod autem in externis fit partibus, in internis quoque (adeoque & in Omento) fieri posse jam diximus: an verò reverâ in ægroto nostro ita evenerit, ignorare cogimur. Hæc autem corporis pars cùm sit ignobilior, contractam ex quacunque causâ labem aliquandiu, si cætera sint salva, fovere potest. Quid si acris saltem sanies in omentum exstillans, primam malo originem dederit? Th. Bartholinus *Cent. 4. Hist. Anat. 43.* in infante Variolis suffocato, nullarum in aliis visceribus à se observatarum pustularum meminit, sed aquæ tantum viridis in thorace repertæ. Tanta autem saniei & puris quandoque est acrimonia, ut illius cursu perenni venæ, sanguis ac caro, imò ipsa ossa vitiet & consumat, quod de efferis illis Variolis in Patriâ sua aliquando observatis Tulpius *lib. 4. cap. 52.* testatur.

III. A

III. A casu, lapsu, contusione, si vis ejusmodi externa præcessit (quod tamen nos itidem ignorare cogimur) affectum istum oriri, & apostemati vel exulcerationi occasionem præbere potuisse, probabiliter saltem statuimus. Siquidem continuitatis solutio vi quadam etiam internis partibus ab extra illata si fiat, partes ab invicem abscedant, & inter abscedendum sanguis in Omenti cavitatem, etiam in mediocri saltem copiâ, effundatur, sanguis collectus spontè mox excandescit, & caloris sensum molestum in parte sensili producit, ac sensim corruptus in pus vel saniem abire solet. Unde prior mutatio vocatur Inflammatio, sicut posterior Abscessus vel Apostema. Sylvius *Prax. Med. lib. 1. cap. 40. §. 14.* Impulsus quidem violentus quatit illam potissimum partem, in quam fit illisio, sed major est impetus sæpè, quàm ut ibi consistat contracta labes, quin producatur ulterius, ut eleganter prælaudatus Candidatus Dn. Foscherus *in Disput. de casu ab alto*, sub Præsidio Dn. D. Wedelii Jenæ superiori anno habitâ, *cap. 2.* disserit. *Videmus*, pergit idem, *per mechanicam casô corpore quovis durô, à durô alio, & sonitum produci per poros omnes, quod in tinnientibus adhuc clariùs visitur. Non aliter appulso corpore ulterius vis illa vibratur ad partes subjacentes internas, ut quassentur fluidæ non minus ac solidæ, variasq; experiantur injurias. Imò non rarò hisce principalis subjecti titulus adscribendus venit, uti præcipiti lapsu in caput, tanquam fornicem, cerebrum concutitur & afficitur primariò. Idem valet & fit etiam in partibus mollioribus aliis, quin & visceribus internis, hepate, corde, pulmonibus, diaphragmate, renibus, vesica, mesenteriô;* addimus nos, & omentô. Sanguis è venarum extremitatibus rejectus grumescit, dulcedine amissâ acrimoniam concipit, tandemque in saniem ac pus abit. Id quomodo fiat, ibidem exponitur. Quò acrius autem fit pus, eò nocentius evadit, atque ab ipso partes vicinæ, etiam vasa ipsa, corroduntur, hinc major ex his erosis non tantum sanguinis sed & seri ac vitiosorum humorum fit effluxus, qui cùm pro variâ conditione ratione

consistentiæ, coloris & odoris varient, inde purulenta materia crassior, serosior vel magis aquea, livida, subcœrulea alba, & ob putredinem fœtida oritur: cùmque affluxus sit continuus, quia nulla parti ipsi læsæ ab extra commodè Medicina dari, neque ab intra data sanandis partibus erosis sufficiens esse potest, non potest non magna puris quantitas temporis progressu colligi. Quare, unde ingens in abdomine Adolescentis Nobilis extra intestina repertæ purulentæ materiæ quantitas potuerit nasci, ex his & supra dictis abundè patet, ut & doloris per totum abdomen diffusi causa, quia non tantum Omentum (in quo, ut & in mesenteriô ejusque nervosis plexibus, in peritonæô, aliisque abdominis membranis tunicisque sæpissimè causam dolorum gravissimorum latere Dolæus *Encycloped. lib. 3. cap. 7. §. 2.* statuit) sed & omnium in abdomine contentorum viscerum membranam à peritonæô tractam sensilem pus acre corrosit & putredini obnoxia fecit.

An verò si cognitus fuisset Ægri nostri affectus, Emplastrum Ehrnsingeri (seu potiùs Galeni, teste Celeberrimo Dn. D. Volckamero, *Ephem. Germ. Decur. I. Ann. IX. & X. observ. 19. in Schol.*) cujus in educendo pus in abdominis cavitate contentum vires Vir jam laudatus insignes expertus est, opem eidem exoptatum, adjunctis intus potionibus traumaticis, conferre potuisset, doctioribus dijudicandum relinquimus.

Ut tandem ad metam properemus, ultimò, unde abdominis ille tumor flatulentus post obitum demum conspicuus suum habuerit ortum? quæritur. Respondebimus nos verbis Eruditissimi Willisii, quæ facit *Pharmacop. Rat. part. 2. sect. 2. cap. 4. p. m. 330.* ubi de Tympanite agit, ejusque causam singularem tradit, quæ occasionem præbuit objectioni isti: *Quod si,* inquit, *objicitur; defunctorum abdomina, post aliquod tempus, à flatu in molem attolli, & quasi tympaniticè intumescere, dico hoc omninò ab humorum putredine & extrema mixtionis dissolutione, in qua particulæ activæ omnes ab invicem discedunt, & avolantes quaquaversus exitum quærunt, & obstacula quæq; ac inprimis*

*cavi-*

*cavitatum parietes immaniter distendunt, (quòd minimè in viventibus contingit) procedere; quapropter uti cadavera non omnia ex æquo putrescunt, ita illorum ventres citiùs aut tardiùs, magis aut minùs extumescunt.* Tantum!

## OBSERVATIO CLXIX.
## D. JOH. DOLÆI.
*De*
# Epilepsiâ Saltatoria.

HAc in Civitate degit filia septimum nondum egressa annum, quæ continuò movebatur, ac si saltaret vel choream duceret S. Viti; Medici à vermib. hoc malum productum suspicati sunt, & plura anthelmintica frustrà exhibuerunt: ego tandem in consilium vocatus, internè liquorem C. C. succinatum præscripsi, externè verò nucchæ *Astrum* meum *Cephalicum* quod ex Camphora & oleo succini componitur, applicui, quâ bigâ medicamentorum intra unius mensis spatium, DEO T. O. M. benedicente, filia convaluit, & nunc optimè vivit. *Hannoviæ.*

## OBSERVATIO CLXX.
## D. GOTTOFREDI SCHULTZII.
*De*
# Hœmorrhagiâ narium in Hydrope salutari.

HYdropem non raro largiorem sanguinis evacuationem sequi, ab omnis ævi Medicis crebrò observatum est, passimque eâ de re historiæ in scriptis eorum consignatæ leguntur. At verò, eundem hæmorrhagiâ largiore sanatum fuisse, à nemine, quantum ego

quidem ſcio, annotatum eſt. Quare cum mihi in praxi meâ paucis ab hinc annis inſigne quoddam exemplum obtigerit, rem non ingratam curioſo lectori me facturum eſſe arbitror, ſi illud hîc recenſuero.

*Chriſtophorus* Glatz Lignicenſis, opificio, quod in tondendis pannis laneis occupatur, addictus, Anno 1678. æſtate febre ardente corripiebatur, à quâ iteratis venæ ſectionibus aliisque remediis, poſt trium ſeptimanarum decubitum tandem liberatus, utcunque valuit, donec autumno adulto Quartana ipſum febris invaderet. Hanc, qui curam ejus geſſit, rurſus venæ ſectione ac ſæpius repetitis purgationibus fugare conatus eſt; ſed ex ſimplice duplicem immò triplicem effecit, paroxyſmis quotidiè ægrum exagitantibus. Hinc primò pedes, mox etiam venter intumuerunt, ita quidem, ut tandem ſpes ſalutis vitæque omnis evaneſceret. Mortis itaque candidatum ſe videns æger, ex Moraviâ, ubi tùm commorabatur, in patriam ſe recipere conſtituit, utut ob morbi magnitudinem ipſe frigori, quod tum temporis experiebamur intenſiſſimum, ferendo vix par videretur. Viæ itaque circa Calendas Januarias Anni 1679. ſe committit, fatisque ſic volentibus die 7. Januarii Uratislaviam, vix animam adhuc trahens, venit, & penes Adamum Heydenreich conſanguineum ſuum divertitur. Ab hoc ego mox in auxilium vocatus, hominem toto quidem corpore tumidum, ſed ventre imprimis, ad ſummum usque pectus, maximè diſtentum invenio, febrili horrore concuſſum, ita, ut qui cæteroquin ægerrimè propter diſtentos muſculos reſpirabat, tunc ſaltim non animam agere videretur. Exhibui ipſi ſtatim Spiritûs Sal. Armon. aromatici cujusdam juſtam doſin; ſequenti verò die, poſtquam in cauſam morbi ſtatumque ægri paullò curatius perquiſiveram, (utut vix aliquam reconvaleſcentiæ ſpem ſupereſſe viderem, nihilominus aliquid potius tentandum, quàm ægrum prognoſtico relinquendum eſſe dixi,) leni quodam purgante primum corpus luſtravi; deinde

deinde manè & vesperi quotidie Tartari Martialis dimidiam drachmam exhibui, paroxysmo vero febrili ingruente spiritum Sal. Armon. aromaticum propinandum dedi; quibus medicamentis alterâ statim septimanâ effectum est, ut multiplex ista quotidiè affligens febris, in simplicem rursus quartanam commutaretur.

Hoc viso, viæ isti porro insistendum esse duxi, & Tartaro Martiali quidem croci martis aperitivi portionem remiscui, Spiritum verò Sal. Armon. cum Elixir Propr. Paracelsi maritavi, singulis septimanis aloës lotæ ℈ß ad alvum laxandam exhibui. Exinde, quamvis febris quarto quovis die non interrupto ordine repeteret, ventris intumescentia remittere, respiratio pedetentim facilior fieri, appetitus hactenus penitus prostratus, utcunque redire, sitis fera sedari, viresque æger paullatim recipere cœpit. Cumque posthæc Antimonium martiale cachecticum, quod tùm recens-paratum marte saturatissimum ad manus erat, aliis medicamentis subinde intercalarem, ut naturæ conanti in sudore ciendo auxiliares manus porrigerem, en! miram ea crisin molita, sanguinis stillicidio per nares à maximâ oneris sibi molesti parte se liberare tentat, optimo cum successu. Siquidem in tertiam usque septimanam quotidiè bis, interdum etiam ter sanguinis serosi, vel potius seri cruenti copiam excrevit, singulis vicibus facilè dimidiam libram pondere æquantem. Hæsitabam primò; deque sistendâ hæmorrhagiâ mecum consilium agitare incipiebam; sed cum videbam ægrum ab eâ non saltim non lædi; sed etiam levamen accipere, atque indies melius habere, naturæ opus minimè turbandum esse statui, quin potius methodo hactenus adhibitâ porro insisti. Cessavit inde febris, venterque magis magisque detumuit: postquam vero hæmorrhagia sponte desiit, decocto sudorifero, diureticisque, quod reliquum erat hydropis ex voto è corpore exterminatum est. Sicque tandem spatio trimestri, DEO sit laus! æger præter omnium spem & ex-

 pecta-

pectationem integræ ſanitati reſtitutus eſt, & adhucdum Olſnæ Sileſiorum, maritus ac Pater factus, ſuperſtes vivit.

## OBSERVATIO CLXXI.

## D. JOH. BURGII.

## Eryſipelas rarum.

Quanquam plurima Eryſipelatis exempla ſingularia non in aliis modò Autoribus, ſed in Ephemeridibus quoque Germanicis hincinde conſignata legantur, binas tamen hujus morbi hiſtorias, quæ à reliquis, quaſcunque deſcriptas ego vidi, in circumſtantiis non paucis differre mihi creduntur, annotare hîc liceat, præſertim, cùm implicitum ſcorbuti cum Roſâ commercium indiciis non obſcuris teſtentur.

Filiola mea primogenita, menſe Martio 1682. nata, præter corpus reliquum, quoad omnia membra, Dei gratiâ, bene formatum, ſiniſtram ſolùm manum tumore gravi, rubro, non ſplendente deformem, ut aſtaci marini chelam potiùs, quàm membrum humanum, referret, exhibuit, quo intra paucos dies diſcuſſo benè habuit, neque ulla reſtitutæ ſibi manûs ab alterâ ſanâ remanſit differentia. Duabus à nativitate exactis ſeptimanis, ipſo Paſchatis feſto, calore præternaturali ex improviſo corripi ſentitur infans, & mox in malâ dextrâ intumeſcente ſubitò macula rubra erumpit eryſipelatodes ſecundùm omnes circumſtantias, quæ non multò poſt naſum tranſcendens iſtumque ſimul obſidens pari quoque modo alteram cum labiis afficiebat. Evanidâ hâc per biduum facie, frons, exceptâ in ejus medio particulâ groſſi argentei magnitudine, & ſinciput eodem tumore & rubore deformabantur, ſtatimque occiput, collum, humeri, dorſum, brachia & manus idem experiebantur fatum, ſalvô manente pectore toto, quod cum frontis parte notatâ, & mento ſolâ immunitate gaudebat. Notatu dignum eſt, morbo

morbo has partes affligente, graviſſimè ægrotaviſſe Puellam, de vita periclitantem, adeò enim omni vigore deſtituta vitali, ſubſidente quoque fontanellâ communi illo moribundorum infantum prognoſtico, vultum præ ſe ferebat Hippocraticum. Verſo tamen rerum ſtatu intra paucas horas vires proſtratas ægra recolligebat & detumeſcentibus membris modo dictis calamitate ſuâ defuncta videbatur. Sperabam etenim Roſam, quam in adultis aliquoties, & nuper demùn in ſene ferè ſeptuagenario à capite incipere, nec ultra colli terminos progredi obſervaveram, in corpore tenello quoque circa iſthæc confinia ſubſtituram. Præter opinionem autem abdomen, lumbi, clunes & inguina brevi eandem ſubibant fortunam, & ex ejulatu quidem infantis maximo conſtitit, graviorem fuiſſe Inguinum, quàm præcedentium partium, dolorem, citiùs tamen hîc tumorem, ac alibi, ceſſiſſe, ob urinæ affluentis, uti conjicio, medelam, notavi. Tandem & hoc climate reſtituto in femoribus & pedibus omnis tragœdia læto cum eventu finita eſt, quæ per tres hebdomadas, & quod excurrit, durans omnes affectas partes in paroxyſmo plùs quàm triplo monſtroſè auctas reddiderat, rejectisque demùm ſquamis renovata cutis emergebat. Medicamenta pauciſſima adhibere potui, bezoardica volatilia & fixa, pulveremque externum myrrhatum & modicè camphoratum. Valuit tamen ab eo tempore infans ex voto, dentitione etiam felici, & gravium ſymptomatum experte gaviſa, dum A. 1684. circa Autumnum caput tineâ parcè infeſtari cœpit, quâ poſt exhibitum laxans ſublatâ collum ſcrofulis & maculis rubris exiguis miliaribus obſidebatur, ſed nec iſtæ fuerunt diuturnæ, donec, qui hactenùs occultis ſub latebris ſuam peregerat fabulam, remoto nunc velo manifeſtiùs ſe proderet ſcorbutus. Nam feſto Michaëlis de laſſitudine, impotentiâ motûs, dolore pedum, & appetitu proſtrato conquerebatur puella, primisque diebus tumor genua albus prehendebat, ſequentibus autem à meridie ſemper pedes à genu

genu ad extremitates digitorum eodem tumore duro, & ad aspectum æquali, nec à colore cutis naturali diverso increscebant, tactu verò sub cute dura hinc inde tubercula, instar glandularum induratarum, variæ magnitudinis deprehendi, in quô exactè tuberculorum loco manè sequenti maculæ rubræ pulicaribus, ut ovum ovo, similes, nisi quod excederent quantitate, & sextam Imperialis partem æquarent nonnullæ, apparebant; degenerabant eæ paucas post horas in colorem fuscum, quem excipiebat lividus, in nonnullis planè ater, posteà evanescebant. Recrudescentibus singulo vespere symptomatis successivè intra tres hebdomadas totum abdomen, lumbi & pedes, cum brachiis, iisdem maculabantur, & versicolori hoc partium statu ad paucos dies in naturalem mutato alio redibant schemate aliæ in cruribus maculæ, quarum circumferentia ampla rubicundissima loco puncti in medio elevatam à seroso pure vesiculam quasi ambustione excitatam, & expressâ vesiculâ ulcusculum profundius ostendebat. His iterum molestiis naturæ potiùs, quàm medicamentorum ope, superatis, hactenùs sanitate fruitur satis commodâ.

Alia Mercatoris Filia, octo annorum puella, Matre Suecâ in Belgio nata, ibidemque per quadriennium educata, serosioris, & teneræ constitutionis, scrophulis primò circà collum affligebatur, quibus ultrò cedentibus erysipelate verò cum horripilatione, dolore capitis, & reliquis ejus signis in fronte corripitur, quod intra paucas horas incrementa capiens instar serti seu zonæ caput exactè cingebat, totam frontem cum palpebris obsidens, hinc ab utroque latere ad aures abiens illas tumore monstroso deformes reddens, & inde iterùm secedens ac sub finem ossis occipitis concurrens integrum circulum latitudine duorum digitorum simul describebat, curatum octidui spatio diaphoreticis internis, & externis in hoc affectu usitatis camphoratis.

## OBSERVATIO CLXXII.
## D. JOH. BURGII.
# Sapor cum nauseâ dulcis.

CUm *Excell. Sylvius l.1. Prax. cap. 51. §. 29.* conqueratur, non obtigisse sibi in Praxi exemplum salivæ cum fastidio dulcis curandæ; Celeberrimus autem *Borrichius Misc. Cur. Dec. I. A. III. O. 237. p. 402.* saccharinæ quidem salivæ cum linguæ ulcusculis, antiscorbuticorum ope feliciter sublatæ paucis meminerit, casus, qui huc facit, sequens notatu mihi visus est dignissimus. Vir quidam litteratus, homo macilentus, hypochondriaco-scorbuticus, arthriticus, cogitabundus, cum Mense Septembri 1684. febrem tertianam exquisitam eluctatus esset, conquestus adhuc est de nocturno sudore, lassitudine, sputatione perpetuâ, dolore occipitis singulo manè post sudorem subsequo, & inprimis de sapore cum nauseâ excessivè dulci, ut, quæcunque assumeret potulenta vel esculenta, etiam acida, amara, intensè salsa, dulci tamen sapore ipsi imbuta viderentur, & stomachi eversionem minarentur. Dato primùm leni vomitorio pro everrendâ superstite febrilium reliquiarum colluvie paulò meliùs habere cœpit, redeuntibus tamen mox iisdem symptomatibus, pluribus obviam ivi remediis, martialibus siccis & liquidis, aromaticis, salibus varii generis volatilibus, & fixis, antiscorbuticis, parùm tamen profeci, nisi quòd cephalalgia & sudor nocturnus cessabant inde, urgentibus adhuc sapore nauseoso, & sputatione continuâ. Pertæso tàm ingrati dulcoris ægro denuò, cùm ipse eôdem inclinaret, propinavi vomitorium cum sale ammoniaco depurato mixtum, quo non ultrà vires evacuatus pedetentim cessare malum, quo per quatuor ferè septimanas fuerat afflictus, & naturalem omnium saporem se percipere affirmavit.

## OBSERVATIO CLXXIII.
## D. JOH. BURGII.
# Scorbutica per ſalivationem mercurialem curata.

MOrbos per criticam ſalivæ copioſæ excretionem nonnunquam ſolvi, rarum non eſt, multorumque eâ in re proſtat experientia. Virum magni nominis litteratum ipſe novi, cui tinnitus aurium, quo ſæpiùs infeſtatur, nonniſi ptyaliſmo ſpontaneo diſcutitur, cumque alias ob cauſas Acidulis Egranis uteretur Idem, non per urinarias modò vias, & inteſtinorum canales, ſed etiam per vaſorum ſalivalium copioſam emunctionem ſuam teſtabantur efficaciam. Motos hoc argumento Medicos eſſe nullus dubito, ut & Ipſi recluſis hiſce, per Mercurium inprimis, ut maſticatoria taceam, foribus hoſtes morboſos ejicere tentarent, cujus curationis in lue venereâ ſucceſſus invidendus etiam tonſoribus notiſſimus ut hic producatur, opus eſſe non exiſtimo; non minorem tamen inde ſperari poſſe opem in aliis quoque morbis pertinacibus, quod quidem alii etiam jam docuerunt, & exemplis probaverunt, ſequenti hiſtoriâ confirmare tentabo.

Puella quædam annorum octodecim cachexiâ jam ad hydropem tendente, reſtituto deficiente menſium fluxu liberata Menſe Februar. 1681. Viro nubit, initoque matrimonio poſt ſeptimanas aliquot febri quartanâ intermittente corripitur, non adeò contumaci, quæ poſt binos menſes remediis convenientibus tractata evanuit. Momentaneum quaſi fuit hoc gaudium, exiguo enim elapſo tempore ad antiquum veluti ingenium relabentibus humoribus, de apepſiâ, appetitu proſtrato, laſſitudine, intenſiſſimis cephalalgiis conqueritur, acceſſitque reliquis novum aliquod ſymptoma, atroces nempe crurum dolores cum motûs impotentiâ & tophosâ in medio

dio tibiarum oſſe excreſcentiâ, menſibus licet in hoc rerum ſtatu ordinem debitum obſervantibus. Curationem affe-ctûs moleſtiſſimi per integram hiemem, quo potui, ſtudiô maximo ſum molitus, eludente conatum morbo contumaciſſimo, donec ab acidulis Egranis ſequenti æſtate potis auxilium ſenſit egregium, abſolutoque eorum uſu Thermis quoque Hirſchbergenſibus cum ſucceſſu inſedit. Reverſa inde magnâ cum lætitiâ ad domeſticas redit curas, vixque menſem in iis tranquilla transegit, cum in priſtinam relaberetur charybdin, meamque iterum ſollicitaret opem. Neſcio quid non medelæ tentaverim, nullo prorſus cum effectu, niſi quòd primarum viarum ſymptomata, ventriculi putà & ei cognatorum viſcerum mitigarentur aliquantùm. Paralyſi ſcorbuticæ doloroſæ cùm ob Autumnum ingruentem acidulis & thermis repetitis mederi non poſſem, præter alia nervina & decocta lignorum recurro, tophisque emplaſtr. de ranis cum Mercurio auctâ hujus doſi, itemque laminas plumbeas &c. applico, ſed nec ita voti damnatus commodè recordor hiſtoriæ à *Williſ. de Scorbut. c. II. p. m. 328.* notatæ, eâque Viri Celeberrimi experientiâ fretus Salivationem mercurio excitandam, tanquam ultimum, licet ambiguum, remedium ægræ propono. Illa vitæ miſerrimæ conditionem faſtidiens ſpem inde concipit firmam, & pro valetudine recuperandâ extrema ſubire non dubitat. Die 2. Novembr. 1683. inunctionis initium feci, pergendo, dùm Mercur. vivi ℥vj. abſumptæ fuere, incipiens ab articulationibus pedum, tandem quoque manuum & brachiorum articulos inungens. Primis diebus, antequàm ſaliva flueret, inſignem percepit nauſeam, ſingultum, vomitum pituitæ dulcis & viſcidæ, & in locis inunctis hydatides exiguas. Placatis hiſce furiis ſtupor dentium, gingivæ intumeſcentia, & linguæ, cum aphoniâ, ſalvo tamen ejus motu, & magnam virium debilitate incipientem ſalivationem comitabantur, quæ pulſis intra biduum ſatellitibus dictis nervinorum uſu ad dies quindecim absque omni tumultu benè ſuccedebat, eva-

cuatis sæpè uno die. Pituitæ Libris tribus. Tandem hâc purgatione defuncta per aliquot adhuc dies decoctum lignorum bibit, sanaque ab eo tempore manens nîl quicquam ampliùs malorum ante infestantium est perpessa.

## OBSERVATIO CLXXIV.
## D. JOH. BURGII.
## Calculus ad radicem Penis exiens.

PUer annorum trium à Matre cacochymicâ & in statum molestissimum detrusâ natus à primâ infantiâ motibus convulsivis artuum sæpiùs infestatus crura & brachia hinc aliquatenùs incurvata ostendit, accesserunt dolores artuum acerrimi eorundemque tanta debilitas, ut, discussis paulò per nervina dictis symptomatibus, hoc demum anno gressus formare tentaret. Ille d. 31. Julii 1684. suppressione urinæ corripitur nondum in ipso observatâ, propinatis eo fine diureticis & commendato balneo ex emollientibus & paregoricis concinnato tota virga intumescit, nec quicquam prodit lotii. Tantus erat tumor, ut partes virgæ ab invicem dignosci non possent, ex rubro niger, instar prunæ resplendens, quem comitabantur sudor maximus, & vigiliæ; pavores enim & convulsiones somnum irruentem statim interrumpebant. Patientiâ veluti heroïcâ sustinuit tantos dolores ad d. 3. August. omnem internorum medicamentorum, quin & cibi, potûsque, exceptâ cerevisiâ secundariâ, exhibitionem respuens, unde totam curationis summam in cataplasmata emollientia, paregorica & gangrænæ adversos liquores contrahere opus mihi fuit. Die dicto, vesperi horâ octavâ subitò detumescit monstrosus penis, partesque vicinas cum substrato lecto madefieri sentit anxia de salute Filii Mater. Vocor illicò ad spectaculum insolitum, & dum partes læsas curiosiùs lustro, invenio

nio in rimulâ quâdam, quam ob conformationem vitiatam nondum exactè poteram dignoſcere, lapillum glabrum, oblongum, dactyliformem, gryſei coloris, grana vj. ponderantem. Apertura illa, ex quâ prodierat, ubi poſt applicita medicamina, antiqua partibus forma aliquatenùs rediret, obſervata fuit in radice penis inferiùs, ubi ſcroto annectitur, eâdemque viâ aliquot diebus poſteà adhuc ingens ſabuli copia colore lacteo inficiens urinam profluxit. Ejecto hoſte nondum tamen evaſerat Infans, abdomen enim cum ſcroto tumidum & inflammatum, ſpaſmi brachiorum inſignes, calor præternaturalis, & ſudor quaſi colliquativus periculum non exiguum portendebant. Perſiſtebat adhæc in contumaci propoſito puer, quo nihil medicamentorum internorum admittebat, ſolâ tantùm cereviſiâ tenui urgentem ſitim ſolabatur, repudiatis etiam juſculis, intereà tamen externis, quæ conveniebant, topicis intra aliquot ſeptimanas eò res redacta eſt, ut non ſolùm partes tumidæ ſubſiderent, inflammatio reprimeretur, gangræna extingueretur, cutis penis læſa decideret & regeneraretur, & urina viam naturalem, relictâ calculi ſemita inſiſteret rursùs. Die ab egreſſu lapilli decimo moriturus videbatur puellus, dum utraque manus ad carpum usque liveſcentibus venis cum pulſu debili, inſtar glaciei, frigebat, &, licet pannis calidis aſſiduè fricarentur, in eo nihilominùs ſtatu per biduum manebant, tùm recolligente ſe calore inſigniter rubeſcebant, & quarto demùm die antiquam reſumebant formam. Conſolidari potuiſſe inflictum à calculo vulnus planè credo, niſi obſtitiſſet infantis moroſitas applicita emplaſtra abripientis, unde jam in fiſtulam abiit, è quâ urina æquè, ac è penis orificio, abunde profluit.

## OBSERVATIO CLXXV.
## D. CAROLI ÖHMB.
*De*
# Metastasi Scorbutica singulari.

SCorbutum Morborum Protheum, Larvas suas diversimodè mutare, & Metastasi materiæ peccantis factâ, ex unâ morbi specie in aliam degenerare, abundè quidem ab Autoribus observatum esse legitur: Attamen cùm mihi quoque Exemplum contigerit, à cæteris in eo differens, quòd præter vices symptomatum intermedias, primus morbi insultus, cum ultimo ejusdem termino similitudinem periodicam habuerit, annotare illud hic libuit. Nempe Vir consistentis ætatis, robustus, vividus, & succiplenus, ad diathesin scorbuticam inclinans tempore vernali Anno 1682. sentit raucedinem, quam aêri inclementiori adscribens, primùm negligit, postmodum autem diuturnius vexantem medicamentis lenire contendit. Assumit varia affectui convenientia pharmaca, & inter hæc lenientia sudorifera, Bechica, Anodyna, & quæ non alia, sine omni tamen effectu, ita ut tandem medicinæ pertæsus, opem omnem respueret. Circa mediam æstatem raucedo hæc sponte sua remittere incipit succedente in locum tussi siccâ, difficili respiratione, & cardialgiâ: pro quorum symptomatum medela Vomitorium haurit, & evacuatâ ex primis viis saburrâ copiosiore paulò melius se habet, mox autem novo morbo, nempè tertianâ intermittente corripitur. Cùm verò Febris hæc mitior esset, & necessaria sedulò adhiberentur remedia, ab eâdem brevi convaluit, nondum tamen sanitati restitutus. Tertio enim post ἀπυρεξίαν die, cephalalgia invadit miserum, quæ circa vesperam sopita perendiè, recurrit, & postmodum aliquoties febrili typo repetit, pul-

su

su sub initium Paroxysmi citato, robustoque, sub finem autem ejusdem raro debili ac tenui existente. Nullum & hanc remedium averruncare valebat, præter unicam venæ sectionem, quâ semel ante Paroxysmum celebratâ, dolor omnis in momento evanuit, ægerque per decendium mediocriter se gessit. Sed brevi hoc temporis spatio emenso succedunt tormina intestinorum adeò atrocia, ut Patiens sibi omnia divelli ac dilacerari exclamaret, & quô se verteret nesciret. Post usum clysmatum carminantium, cinnabarinorum, castoreatorum &c. colica hæc nonnunquam remittebat, sed levi de causa recidivabat; tandem autem arthritide per universum corporis ambitum exortâ terminabatur, ast miserrimo Patientis fato. Hic enim dies noctesque immanissimis doloribus excruciatus viribus omnibus exsolvebatur, & cùm stupor ac formicationis sensus in diversis corporis partibus subsequeretur, ægrè se movere valebat, Paralysi admodum vicinus. Non uno, sed diverso remediorum genere, affectui huic molestissimo obviam ire conatus sum, & cùm tandem, continuato lumbricalium, cæterorumque anti-arthriticorum usui insisterem, insperatò accidit, ut secutâ largâ Hæmorrhagiâ narium, Arthritis hæc solveretur, & partibus omnibus suus iterum rediret motus.

Immò ab hoc tempore, reliqua etiam symptomata remittere incipiebant, ac Patiens ex incommodo valetudinis adversæ emergens quotidiè plus roboris assequebatur; tandem tamen raucedine primâ afficiebatur, quâ post menstruum spatium curatâ, nihil ampliùs mali sentiebat, & sic periodo certâ absolutâ sanitati pristinæ restituebatur.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXVI.

## D. CAROLI ÖHMB.

*De*

# Exanthematibus scorbuticis.

UT morbus ipse scorbutus mutabilis est, sic signa ejus aliàs pathognomonica, maculæ variant, & diverso stigmatum genere, partium corporis cutim fœdare solent. Nam ratione coloris modò citrinæ sunt, modò obfuscæ, modò purpureæ, lividæ aut nigræ; ratione magnitudinis nunc pulicum morsus vix superant, nunc latiores sunt, & in totas tibias, *teste Eugalen. d. scorbut. p. m. 7.* diffunduntur; ratione intumescentiæ, ut plurimum vix ultra peripheriam cutis evehuntur, interdum autem, vel in tumorem ad Elephantiasin accedentem, *annotante eod. Eugal. l. d.* vel in vesiculas lymphâ repletas, vel in excrescentias glandulosas, quòd Hungariæ morbo endemio Tschemer dicto *referente Geiger. in Microcosm. Melanchol. p. 11.* familiare est, attolluntur. Et exemplum simile macularum ejusmodi à vulgaribus discrepantium, ante triennium observavi, quod, unà cum totius morbi historia annotare hîc liceat. Juvenis 22. annorum ex itinere redux, autumnali tempore sentiebat horripilationes pandiculationesque periodicas, quas sequebatur febris tertiana, in principio quidem mitior, postmodum autem tam atrox, ut frigus ad unam alteramvè, calor verò ad plurimas extenderetur horas. Cum quo progressu morbi varia etiam symptomata cumulabantur, in specie vomitus & diarrhœa, quâ utrâque excretionis specie materia copiosa nigra ejiciebatur, tantâ gravitate adstantium nares feriens, ut omnes, præter unicam matrem, ægrum derelinquere cogerentur. Reverso tertio aut quarto paroxysmo in ambitu corporis, maximè verò circa pectus & dorsum maculæ erumpebant purpureæ, quibus jungebatur calor insignis & delirium, vomitu & diarrhœa pauli-

pauliſper remittentibus. Vocatus ex eruptione hac ſubitaneâ, inprimis poſt ſedatum vomitum & diarrhœam, Metaſtaſin materiæ judicans, diaphoreticum præſcribo; quo aſſumpto patiens, ſudore totus diffluebat, & ἀπυρεξία factâ mediocriter ſe habebat; immò, cum ſubſequente novo Paroxyſmo idem repeteret, febrem experiebatur benigniorem, ſine omni delirio aut alio graviore ſymptomate; maculæ autem non ampliùs rubebant, ſed lividæ erant, inſtar groſſi argentei magnæ, & cum augmento caloris adeò extendebantur, ut ſub variolarum formâ, ſero refertæ turgeſcerent, circulo livido circumſcriptæ. Cæterùm exanthemata hæc per integrum Paroxyſmi tempus conſpicienda ſeſe præbebant; finito autem eodem ſenſim diſparere incipiebant, cum alio novo reditura; donec tandem continuato ſudoriferorum & antiſcorbuticorum uſu, una cum febre, penitus evaneſcerent, & correctâ dyſcraſiâ maſſæ ſanguineæ patiens priſtinæ ſanitati reſtitueretur.

## OBSERVATIO CLXXVII.
## D. CAROLI ÖHMB.
*De*
# Paroxyſmis Epilepticis rarioribus.

JUvenis 18. annorum Patre Epileptico natus, circa Feſtum Pentecoſtes 1678. terrore ſubitaneo, ob exortum incendium, conſternatus, deſubitò concidit, vociferatur, & per univerſum corpus convellitur. Interjecto tempore, cùm ad ſe rediiſſet, vicinamque flammam, & quid pro ea extinguenda ageretur, luſtraſſet, domum repetit, matrique viduæ utrumque infortunium, proprium pariter ac commune enarrat. Sed vix ſermone abſoluto iterum prolabitur, & novo Paroxyſmo epileptico correptus pleno ore exclamat, **Feuer / Feuer / Feuer**; immò cum deinceps pluries malum hoc reverteretur, ſemper Phantaſia hæc

cum convulsionibus jungebatur, & Patiens toto paroxysmi tempore prædictas voces clarè & distinctè pronunciabat.

Soror ejus decennis paulò post afficiebatur Epilepsia cursiva simili illi, quam describit *Boot. d. affect. omiss. obs. 5.* quâ correpta recto tramite ad aliquot passus procurrebat; tandem tamen, quo ipso à Bootiano puero differebat instar catalepticæ erecta stabat, & per aliquod tempus omni sensu ac motu privabatur.

## OBSERVATIO CLXXVIII.
## D. JOH. ACOLUTHI.
## Pleuritis suppurata.

CIvis & sartoris Vratislaviensis filia decennis erat, ad quam mihi Anno 1681. primo Novembris vocato, dolor lateris dextri punctorius, tussis continua, sine ullo sputo, febris acuta, pulsus durus & inæqualis difficili in sanum latus decubitui juncta, pleuritidem veram sistebant. Duæ jam effluxerant hebdomades, ex quo res angusta domi, domesticis morbum pertinacem debellare remediis, malo consilio, optimis parentibus persuaserat. Vires, diuturno cruciatu, inediâ, multâque insomni nocte adeò attritæ, ut ægræ vix stando sufficerent pedes, & spumosarum dejectionum copia parum boni ominabantur. Asthma, puellæ à primâ nativitate perpetuum, & tanta præcordialium viarum angustia, ut nihil unquam, vel in sano statu, vel morboso, tussi interdum correpta, screatu efferre potuerit, augebat angustias, & pro obtinendâ felici expectoratione, parum spei relinquebat. His magni Senis nostri accessit præsagium, quòd, pleuritide laborantibus, nisi intra 14. dies supernè per sputum repurgentur, in empyema fiat transmutatio, cujus eventui, tot malis cincta patiens, vix par futura videbatur. Venæsectioni, expositæ circum-

circumſtantiæ, jam nullum ampliùs locum dabant, eo nihilominus animo curam aggrediebamur, ut nil intentatum relicturi, aut collectam, ſi poſſibile adhuc foret, diſcuteremus materiam, aut laudabilia ſputa obtineremus. Dum hæc, infirmâ ſpe noſtrâ præſide, aguntur, parentum, ad thoracis perforationem admittendam præparabatur animus, unicum, quo ex orci faucibus eripi poſſit filia, auxilium, locum ei deſtinandum, tantillo tumore, & dolore fixo; inter quintam & ſextam coſtam demonſtrante. Fluctuaverat ambigua parentum ſollicitudo, nobis interim in caſſum laborantibus, donec ſub finem quartæ, â principio morbi, hebdomadæ; emolliens & maturans, tanto cum effectu, ordinaremus cataplaſma, ut aliquoties per diem & noctem renovatum manè cùm auferremus, non dictum tantùm tumorem ad juglandis magnitudinem auctum deprehenderemus, ſed inſuper novum miraremur, qui prope claviculam exoriens, gallinaceum ovum referebat, utroque tactu explorato, præſentiam puris promittente. Tunc inferiori tumori juſſu meo ſcalpellum adegit chirurgus. Non promtiùs reſerato epiſtomio, aqua proſilit, quàm hic purulenta materia ad libram unam tanquam ex canaliculo protrudebatur, cum lipothymiæ metu, turundâ vulnuſculum obturandum ſuaderem. Mox ſuperior tumor decreſcens, cum inferiore communicationem oſtendit. Sic, per 16. hebdomadas apertum latus, ultra ſexaginta puris libras ploravit. Tum, quoties inſpiraret, admota vulnuſculo flammula, violenter verſus cavitatem pellebatur, repulſa ſæpiùs ad extinctionem usque, cùm ſpiritum emitteret, indicio, quantum pus occupaverit ſpatium, ex quo tantum aëris, tantâ cum violentiâ potuerit extrudi. Id enim ad cavitatem thoracis non penetraſſe, pleuræ, quâ eandem ſpectabat, teſtabatur integritas, quippe, cujus fibræ ſi fuiſſent eroſæ, in cavum pectoris pus admiſiſſent. Interim hectica inſignis, appetitus nullus, dejectiones, ut ſuprâ, ſpumoſæ, tuſſis per vices, ferina, & emortualis

tualis ferè corporis emaciatio. Cunctis, debita obviavére remedia, usque dum paulò post eorundem pertæsa, omnia ægra aversaretur. Tandem simplicis pulveris continuato usu ex Antihectico Poterii, & lap. cancr. præpar. (cùm modò myrrhæ rubræ electæ, modò exigentibus circumstantiis anodyni pulveris aliquid jungebatur, modò pilulæ de Styrace Sylvii interponebantur) inter frequentes vulnerarias injectiones, guttam Balsami sulphuris therebinthinati recipientes, tantum profeci, ut auxiliante Deo, sanam parentibus stiterim filiam, ad hunc usque diem, tantâ calamitate superatâ, viventem, & vegetam.

## OBSERVATIO CLXXIX.
## D. JOH. ACOLUTHI.
## Idiosyncrasia singularis.

IDiosyncrasias esse, quæ inviolabiles medicis actionibus leges præscribunt, ii, suorum experiuntur dispendio, qui eundem omnibus aptare cothurnum contendunt. Hæ, à priori imperscrutabiles, per experientiam detectæ, observantis Medici consilia multùm nobilitare nôrunt. Talem curæ meæ commissa sexagenaria fœmina, Chirurgi vidua, offerebat, quæ hystericâ passione, difficili respirationi, appetitui prostrato, crebrisque vomitibus combinatâ, ultra tres menses, alius sub inspectione torta cum fuisset, ad incitas ferè redacta, nostrum auxilium imploravit. Secundabat cœpta Deus, ut dimidio mense exacto, in integrum restituta videretur, viribus quoque indies magis magisque succrescentibus. Nemo jam ampliùs de ipsius salute incertus erat, cum derepente novum symptoma patientis æque animum ac corpus concuteret. Omnimoda urinæ suppressio aderat, de quâ tamen, consternatam, optimè sperare jussimus. Nullus dolor, nulla circa pubem tensio, nullus ibidem observabilis tumor, vesicam ab omni culpâ absolvebant. Ad renes

renes itaque meditatio nostra reflexa, in spasmos pronas internarum partium fibras intuebatur, quibus factum judicabam, ut seri secretioni dicati renales tubuli, à quocunque hostili nonnihil irritati, ora sua occluserint, viam transcolando lotio negantes. Sic antispasmodico-diureticus Pulvis propinatus, qui Zinnabaris nativæ, Lap. cancror. & salis volatilis succini aa. ℈ß. recipiens, felici adeò operatione sese commendabat, ut non tantùm ischuria soluta copioso jam rivo manaret, sed & alvus hactenus pertinacior octies repetitâ assellatione responderet, ejectâ simul foliorum sennæ integrorum, & corticum Citri grosso modo incisorum farragine, quorum illa, muliebri consilio statim sub initium morbi assumpta, hi, ante duos deglutiti menses, tàm diu indigesti intra corpus delituerant. Hæc foliorum & corticum saburra, num intestinum cœcum, an coli cellulas, aut aliud tàm diuturnum obtinuerit hospitium, disquirere nunc non vacat. Insolitum autem pulveris hujus effectum mirari subit, purganti nulli, energiæ suæ promptitudine cedentis. Neque, subjecto huic purgandi intentione aliquoties oblatus, me posthæc unquam destituit, quin fibrarum sensilissimæ texturæ irritationem à resinosis purgantibus, reveritus, illis eum semper prætulerim, & hodienùm, purgans à me fœminâ dictâ exigente, illum repetito experimento feliciter exhibeam. Qui præter idiosyncrasiam, subjecto nostro singularem, potissimas rari effectûs caussas in sal volatile oleosum rejecerit, fortè non aberraverit à scopo, confirmaverit certè aptum connubium, quod purgantia cum salibus volatilibus quandoque inire jubet Excell. Pechlinus de Purgantibus p. 137.

## OBSERVATIO CLXXX.
## D. JOH. ACOLUTHI.
# Ex Remediorum ſuſpenſione Calculi Remedium.

NOn propinare tantùm, ſed & ſuo quævis deſtinare tempori, loco, ſubjecto, imò nonnunquam removere prudenter remedia, inſigne artis medicæ opus. Prius, triobolari cuivis cinifloni & Empirico, cætera non, niſi conſcientioſo Medico, quem juncta doctrinæ experientia & ratio ſtipat, licet. Verboſus eſſem, ſi eos hîc notare tantùm errores contenderem, qui ab indocta grege, circa Bezoardicorum uſum commiſſi, plurimos jugulant, dum, quæ in acutorum ſtatu cum ſucceſſu ferri poſſent, principio, nimium verò tùm invalida, opponit, præcipitem medendi occaſionem manibus avolare patiens. Quid præcipitantia in febribus intermittentibus, nimio apparatu à nonnullis exhibita, præſtant aliud, quàm ut in continuas eas transmutent, aut ſimplices duplicent, ſaltem ventriculi tonum proſternant, per ſe debile ejusdem fermentum magis obtundant, hinc appetitum reſcindant omnem, cachexiæ ponant fundamenta, &, vel recidivis valvas aperiant, vel tardè ſuperabili virium ſuppreſſione ægros porro fatigent, miſeris, dum vitia vitant, in contraria currentibus. Nobiliſſimorum medicamentorum cenſui ſalia volatilia ſimplicia atque oleoſa meritò adſcribas, quibus contumacia morborum chronicorum colla ſubjugare novimus, quantas vero & illa turbas cieant, ſi hypochondriaco malo, ſcorbuto, menſium reſtagnationi, ſimilibus infenſiſſimis hoſtibus obviam ituro agmini præmittas, quantas humorum ebullitiones, efferationes acutorum ſalium, dependentes inde phlogoſes vagas, arthritides erraticas, vertigines, Epilepſias, Apoplexias

xias ipsas, alia mala suscitent, nôrunt, qui circumspectè Praxin exercentes, alienis ex periculis sapere discunt. Ipse, de quo agimus, calculus, accuratas sibi medendi leges deposcit, nisi præpostero diureticorum usu ipsum impingere quandoque magis magisque ureteribus, eorundem magis stimulare spasmos, sicque duro concreto viam, ægro vitam intercipere velis. Rara tamen curandi illius methodus est, in remotione medicamentorum, medicamentum quærere, à nobis sequenti quoque in casu repertum. Vitrarii filiolus, quartum annum nondum agressus, à multo tempore, linguâ officium suum adhuc non exequente, ubi in dextrum latus devolveretur excitato protinus clamore, doloris aliquid eâ subesse in parte, manifestè ostendit. Locum designare accuratiùs, parentes nesciebant, donec in certos modos flectere linguam edoctus pusio, eo spatio infestum ostenderet, quod sub costis spuriis, lumbarum regionem & umbilicum interjacet. Consultus eâ de re Medicus, nescio quod epati vitium adscripsit, eique removendo, prolixum tempus frustrà insumsit. Operam omnem eludente malo, puer absque medicamento diu relinquitur, interim, si in hypocausto nonnihil pro ætatis hujus more, oberrasset, de dolore pristino, lassitudine dextri pedis, & respirationis difficultate, querulus considebat, Tum fortè ad alium, eâdem in domo decumbentem ægrum, vocor, offertur simul puer, & à me consilium expetitur. Primò ambiguus, mox tamen de calculi præsentiâ decerno. Quamvis enim dolor versus medium abdominis protenderetur, ex consensu partium adjacentium, eodemque ex fonte respirationis difficultatem (ob partes respirationi dicatas, leviter convulsas,) oriri judicavi. Committitur curæ nostræ puer, quam, quo potui remediorum moderamine, ita suscepi, ne calculus, quem grandiorem, ex morâ penè per triennium protractâ, judicabam, præpropere nimis motus, periculum tenellulo inferret. Ubi duæ hebdomades, continuo, exquisitissimorum sub remediorum usu,

usu, nihil adhuc dum levamenti ostenderent, exemplo Epiphanii Ferdinandi Historiarum Medicarum 54. p. m. 168. inductus, ferias naturæ à medicamentis indicere statuimus consilio, felicissimus aderat successus. Quartam enim illarum quæ insequebatur nox, dolorosa puero contingebat. Dolor in regione pubis, urinæ difficultas, & molestissima, parcissimarum guttarum emissio, atque tenesmus, authorem suum non obscurè loquebantur. Mirabar, calculum teneras atque angustas vias tacito adeò perrepsisse sensu, externoque fotu subveniebam. Duabus horis elapsis, circa glandem latens observatus hostis, unde ad imitationem Borelli Cent. 4. observ. 84. digitis blandè mulgendo, ejectus, magnitudine & formâ os dactyli minus, pondere XII. grana æquabat. Lætus, de chronico superato malo, pusio, nunc quaquaversum ambulat, currit, saltat, nullo ampliùs impedimento, vel latus vel respirationem, vel pedem affligente. Salvo, accuratiùs sentientium judicio, non dubito, quin medicamentorum vires, commotum, ad exitum disposuerint calculum, vix tamen absque nervosarum partium aliquali irritatione, ortâque inde stricturâ, cui avertendæ, quamvis mollissima tractatio, & antispasmodica, cæteris juncta remediis, contra fuerint nisa, fieri tamen sub hâc exquisitissimâ, tenerrimarum fibrarum sensibilitate, non potuit, quò minùs subtiliora diureticorum leviter perciperent spicula, donec tandem his cum illâ remotis, imminens, aperto sub hâc naturæ, quiete, uretheri, duelech, proprio pondere versus vesicam pedetentim delaberetur, &, quod adhibita moverant, suspensa remedia promoverent.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXXI.

## D. JOH. ACOLUTHI.

# Affectus rarus & varius.

VIr Theologus, præcipuis Ecclesiasticis muneribus fungens, studiis & meditationibus deditissimus, à multis annis, variis inter concatenatos labores, morbis vexatus, modò phlogoses post pastum vagas, modò calculi dolores, cum nonnullorum excretione, modò catarrhos, modò capitis gravitates, modò vehementem cordis palmum passus est, adeò ut ex hoc ipso ante quindecim & quod excurrit, annos, mortem sibi imminere crediderit. Cesserunt molestissima hæc mala, maximam partem tùm, cùm scaturigini proximus acidulas Egranas biberat, repullularunt quandoque tamen, usu Martialium, salium volatilium oleosorum, & stomachicorum sedata, Enematis simul multùm conferentibus. Tandem Anno 1682. qui patienti nostro ætatis quinquagesimus quintus erat, adeò hydra hæc lernæa suum extulit robur, ut, quò fortius ipsius capita rescinderes, eò majore proventu detestanda nova propullularent. Tum enim catarrhi frequentissimi, dolores, circa regionem renum obtusi magis quàm acuti & phlogoses ibidem adsurgentes, sine calculi (cujus tamen renibus impacti, suspicio, firmiter adeò patientis insederat animo, ut nulla argumenta, persuasiones nullæ, illi exturbandæ essent) excretione cessantes, cordis palpitatio inæqualiter gravis, nocte declinante, certis modò, modò incertis periodis, cum magnâ virium labefactatione, diutiùs, breviùsve molesta. His accedebat salsedo in ore sæpius adeò manifesta, ut linguam tantùm non dolorosè afficeret, tædiosissimi symptomatis author, quod publicè perorantis laryngem (accedente imprimis hiberni aëris inclementiâ) exquisitissimâ sensatione titillabat, unde irritati musculi contracti, vocis inter-

terceptionem minitabantur. Porrò jungebatur illis, aliquot à pastu, horis digestione ferè peractâ, de die pariter atque nocte, præcipuè circa diluculum, nunc nausea, & ad vomitum proclivitas, nunc, paroxysmo vehementiùs urgente, mucaginosæ, insipidæ aquæ vomitus, nunc, idque quotidie, ventriculi convulsio, subitò absque nauseâ invadens, statimque desinens, exprimente id ægro, durch ein Uberwerffen deß Magens. Ructuum quoque semper fœcunda progenies edebatur, alvo, quæ officio suo fungebatur, solâ existente. Sic appetitus prostratus, corpus aliàs eusarcum decrementa capiebat, vires manifestissimè collabebantur. Urina consistentiæ tenuis erat, justo pallidior eoque repleta sedimento, quod puriforme à Dravvitzio Tr. de Scorbuto p. m. 376. descriptum, moto nonnihil urinali, mox dissiliebat, liquorem quasi lactescentem relinquens. Breves quandoque malum dabat inducias, quas tamen, vel sponte suâ rumpebat rursus natura, vel officiorum ratione exacti animi motus, vel prolixior solummodo brevi post prandium aut cœnam sermo, statim tollebant. Ego, quem capiti huic infensos debellare hostes, decebat, nullis peperci laboribus, quibus in adyta intricati mali penetrarem, eidemque eradicando, idonea remedia eruerem. Tandem, quin hypochondriacæ affectionis nomine insigniendus esset hic in tot formas sese transmutans Protheus, non dubitabam, luctuoso dramate, tot ferè larvas sistere solitæ, quot partes humani corporis impetit, quæ in functionibus suis à communi licet causâ, læsæ, diversos tamen morbos mentiuntur. Thorum infaustæ hujus sobolis genialem, ventriculum esse, symptomata edocebant. Hujus quippe fermentativus liquor, à naturali suâ salinâ volatili crasi, ad fixiorem acidam desciscens, acquisito sapore alieno, ingestorum ciborum poros ubi permeare subtiliter, attenuare, fermentare, eosque, pro adaptatione illius, cui præest, individui, reddere idoneos deberet, in liquamen viscidius vitiosè solvit, quod accuratiore fermentatione minùs volatilisatum, massæ sanguineæ infunditur,

funditur, magnâ eandem cruditatum farragine replet, producta exinde vitia ventriculo rursus communicantem,ita,ut perpetuo circulo misera labes mutuas sibi porrigat manus. Nullus igitur admirationi locus, si alimenta in viscidiorem resoluta pastum, liquidiore ejus parte, aliquot ab assumptione horis, per pylorum amandatâ, tenaciorem mucum ventriculi parietibus impingant, qui acrimoniâ suâ superiùs ejusdem si afficiat orificium, nauseam & vomitum, fundi si irritet fibras, convulsivum stomachi motum producat, tædiosâque sui præsentiâ appetitum prosternat. Ventriculus interim nunquam otiosus relictas sordes viscido-acidas fermentando aggressus, laboris prœmium, infinitam ructuum copiam nanciscitur. Saburra hæc crudior & acidior, massæ sanguineæ admista, vitioso eam charactere signat, unde cæteri corporis succi, maximè lympha, acrior reddita, crebriorum catarrhorum mater existit. Sic sanguis, rigidis particulis squalens nutritioni penitùs ineptus, corpus extenuari jubet, ad requisitam verò spirituascentiam hâc ratione non evectus, quid, nisi torpidiores, & pauciores evibrat spiritus, quarum inopia, & ad motum inhabilitas, virium post se defectûs trahit? Adhæc, ubi crudiore chylo referta sanguinea massa est, eundem subigere nescia, ad excretoria renum vasa rursus depositum, cum urinâ simul ejicit, eidemque puriforme tribuit sedimentum. Illa, libero si elabatur cursu, nulla lumbarem regionem manet molestia, transcolandæ verò per renales tubulos particulæ si sint asperiores, dolorem, & à crispaturâ adjacentium nervosarum membranosarumque partium, per consensum irritatarum, phlogosis speciem constituunt. Ipsum verò liquorem Tinctura quod destituerit, oleosis massæ sanguineæ particulis à volatili ejusdem sale (præpediente viscidorum humorum misturâ) ritè non penetratis, adscribendum. Palpitationem autem cordis quod attinet, familiare hypochondriacis malum, eam à nervis partim cardiacis, per consensum cum hypochondriis, irritatis, partim à vitio M. S. dependere judico, ideò,

 quòd

quod non, nisi corpore per aliquot horas quietè decumbente, appareat. Illa enim viscidior, adeoque per se ad motum ineptior, tantò magis promovetur in eo, quantò totius corporis motus ipsi est adminiculo, motu locali, intestinum motum, adeoque rarefactionem adjuvante. Nunc, ubi corpus ad quietem compositum est, primis somni horis diurnorum motuum beneficio sanguis fruitur, quo sensim cessante, ipse rursus compactior, circa cordis vasa appulsus, quâ decebat celeritate illud non transit, hinc probabiliter illius irritatio, & in motu ataxiæ.

Exagitabant autem calamitates hæ Ægrum nostrum, dum meditatio quotidiana, variæque curæ ex officio ipsi contingentes, spiritus consumebant, unde necessarius eorum radius digestioni primæ, ritè peragendæ, subtrahebatur, quod, quò fiebat magis, eò mendosa magis digestio, majorque imminebat molestia, dum quævis simul animi pathemata, spiritus dissipantia paroxysmos exacerbabant, imò prolixa post pastum loquutio, spiritûs ad cerebrum revocans, notabilem statim post se relinquebat noxam. Sociabatur illis debita studiis sedentaria vita, obstans, quò minùs M. S. ventilaretur debitè, & congesta inquinamenta vel per insensibilem difflarentur transpirationem, vel alias à naturâ destinatas vias citiùs transirent, capientia eò majus vitium, quò diutiùs latebant. His tandem suam adjiciebant Symbolam ingruentes anni, quibus cum juvenilis sensim decederet vigor, ob anteactos, præsentesque labores labefactatis omnium digestionum officinis, succos crassos, viscido-acidos, id est melancholicos, copiosiùs coacervabant.

Causarum nexu cum effectibus suis hâc ratione optimè pensitato, quamvis inveterati morbi diuturnitas, declinantes à pristino robore anni, & inevitabile vivendi genus, sanitati ab omni parte perfectè recuperandæ, nullam spem relinquerent, mitigare saltem, cum eradicare non liceret, malum,

malum, omni nisu allaboravi. Tandem, cum nostra consilia adeò proficerent parum, ut sufflamen quidem, nullâ tamen constantiâ munitum, affectui imponerent, ad gratiosissimam Lipsiensium Facultatem Medicam (insignes alios ut medicos taceam) nostra sese fiducia convertit, firmius fundamentum huic substernendum valetudini, exorans. Hæc, assensu suo latum de morbo judicium meum cum confirmasset, eundemque jussisset porrò calcare, cui hactenus institeram, tramitem, evacuatâ autem jam tùm, naturâ duce, blandum per vomitorium, ventriculi saburrâ, contendere perrexi, ut fixior digestivi fermenti, & dependentium inde humorum omnium acor, contemperaretur, in primis viis stabulantes viscidæ sordes, & ad M. S. transmissæ cruditates, inciderentur, atque per Epicrasin, per convenientia loca, alvum, urinam, sudorem, evacuarentur, instauraretur sic sanguinis deficiens intestinus motus, tandemque stomachus corroboraretur. Mite namque cum Hœchstetero observationum medicarum Decadis Quintæ, casu (huic ex parte analogo) secundo p. m. 544. hunc morbum tractandum statuimus. Hoc vero, quâ fieri accuratissimâ potuit curâ, per efficacia præcipitantia, aperitiva, stomachica actum est.

Selectissima martialia, coralliata, animalium partes duræ, salia volatilia oleosa, & enixa fixiora, aromatica, balsamica internè & externè adhibita, vix tamen ultra Ephemera malo armistitia injunxére. Hoc interim notari meretur, quod inter omnia, gravissimæ symptomatum trigæ cohibendæ, maximè contulerit. Illi enim, quæ Perorantis vocem interceptura erat, titillationi, omnibus anticatarrhalibus internè frustra adhibitis, frænum injecit Essentia anodyna cum sale volatili oleoso succinato extracta, atque externis laryngis partibus illita; vehementissimos palpitantis cordis paroxysmos spiritus carminativus de Tribus, essentiæ Castorei tartarisatæ mistus, manifestè alleviavit; Vomitu-

rientem verò, seseque convellentem ventriculum, arcanum duplicatum, lapidibus cancrorum, coralliis, aut concharum pulvere sociis, ante omnia consolatum est.

Quota, quantaque autem fuerint, quæ ars præsidia excogitabat, minora tamen cuncta erant, quàm ut constans rebelli morbo obsequium imperare possent, donec de acidularum Egranarum potu (quas experimento hîc Vratislaviæ facto, debilissimus quamvis, commodissimè tamen ventriculus ferebat) ad fontes hauriendo, omnibus indicationibus satisfacturo, Anno 1683. consilium iniretur. Non obstabat executioni illius prolixa locorum intercapedo, quin magno emenso itinere, salutifera lympha debito cum regimine, variisque stomachicis interjectis, sorberetur. Domum reversus Patiens noster, multum quidem levaminis, magnas tamen adhuc pertinacis affectus reliquias sensit, usque dum tribus vel quatuor â reditu mensibus exactis, easdem, suis expulsum finibus, natura insurgeret, sedaliumque venarum ostenderet tumorem, quâ portâ, molestam sibi humorum sarcinam, ulterius ejectam vellet, indicatura. Molientis conatum, tanto cum successu provexére hirudines, ut ab eo tempore renovatis gaudens viribus, mitigatum triumphet hostem afflictissimus olim æger, ipsiusque maturè succidat brachia, dum continua studia illi novum quandoque suggerere robur satagunt, laboriosissimis de cætero integerrimè fungatur officiis, Deoque beneficentissimo immortales rependat grates, quem, ut sub virium integritate, vitam hanc ad seros explicare annos dignetur, ardentibus votis fatigo.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXXII.
## D. JOH. PAULI WURFFBAINII.
*De*
# Ossiculo Coralliformi ex tumore Steatomatico exemto.

CUm Excellent. Celsus noster in præsentis hujus Anni Obs. XIX. Ossicula in abscessibus nata reverà inter rarissima connumeranda esse, rectissimè censeat, non minùs quoq; rara erunt & ea Ossicula, quæ in tumoribus sebaceis planè & Steatomaticis reperiuntur, quale jam ante per plures annos Excell. Dn. D. Michaël Röttenbekcius Phys. quondam Reip. Norimb. Clariss. vidit, ipsumque ossiculum addita brevi annotatione inter alia curiosa, quæ penes me nunc servantur, post se reliquit: hanc itaque Observationem non quidem quoad annorum seriem novam, verissimam tamen & oppidò raram, ut Ephemeridibus nostris inseram, nemo mihi ut spero, vitio vertet, non enim Observationes novitas semper, sed cum veritate, raritas, commendat. Ante perplures annos Civi cuidam Norimbergensi Georgio Kellero, nescio quô casu, in dorso enatus fuit tumor Steatomaticus, nihil ab initio, vel parum molestiæ causans, hinc parvi habitus & triginta ferè annorum spatio circumlatus, donec indies & notabiliter excreverit ac insignis in eo titillatio & pruritus excitatus fuerit, unde doloris molestiarumque impatiens, Patiens, Medicorum & Chirurgorum consiliis persuasus, tumoris hujus sectionem instituendam, comprobavit: factâ incisione, materia *folliculæ tenui inclusa fuit subpinguis, sebacea, in cujus medio ossiculum quoddam Coralliforme latitabat*, magnum unde ortum traxerit apud adstantes admirationem causans: respondit verò ad hæc Excell. Celsus noster in Observ. jam citata sufficientissimè, ad quam Lectorem B. ablego.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXXIII.

## D. JOH. PAULI WURFFBAINII.

*De*

# Lapide Spongioso ex abdomine exciso.

NOn incongruè antecedenti huic observationi & aliam jungo ex ejusdem Excell. Dn. D. Röttenbeckii schedis manuscript. relictis, mutuatam, huc optimè quadrantem, de fœmina quadam Pauli Tanneri conjuge, quæ Zingiberis crudi esu nimium delectata, in intensissimos abdominis incidit dolores, nullis in contrarium adhibitis remediis placandos, quin indies acerbiores factos, adeò, ut malum in abscessum tandem degeneraverit, nil nisi apertionem & puris subjecti evacuationem indicantem; incisione itaque facta, sanie satis copiosè effluente, duriuscula quædam materia vulnusculum infliccum occludere paululum cœpit, quæ volsellæ ope extracta, *lapis* fuit *trium unciarum pondere*, vertebræ dorsi non dissimilis, inæqualis & angulosus, quoad internam verò faciem diffractus, spongiosus & porosus, cujus particulam penes me adhuc asservo: Zingiberis tamen crudi esum, unicam insolitæ lapilli hujus generationis fuisse causam, ut credam, sufficientes rationes nondum video, nisi melioribus adductis, aliter persuasus fuero.

Confer hujus Anni & Decuriæ Observat. XVI. pag. 59.

OBSER-

## OBSERVATIO CLXXXIV.
## D. JOH. PAULI WURFFBAINII.
*De*
# Visco Quercino in trunco arboris Buxi enato.

NAturæ lusum varium esse & mentem nostram in summam persæpè rapere admirationem, nemo negabit; etsi enim ordinis amantissima sit Natura, nullis tamen adeò strictè regulis adstricta est, ut aberrare nonnunquam aut deflectere planè nequeat, hinc separata inter se & ordinariè distincta, mirè interdum conjungit, & ea vicissim, quæ conjuncta sunt, sæpissimè disjungit: uti prius in Visco Quercino factum asseverare possum; singulari enim Amici cujusdam ex liberalitate *Viscum* possideo *Quercinum*, omnibus notis absolutissimum, pollicis crassitie, *trunco arboris buxi* arctissimè associatum & reverà *innatum;* cùm tamen nomen suum hoc visci genus exinde traxerit, quòd quercubus innascatur; rarum itaque puto & admiratione meritò dignum, quod viscum hoc quercubus proprium buxo innatum fuerit, & quòd buxus quantum scio, viscûs aliàs expers, viscum hoc peregrinum progerminaverit: Insolitæ tamen productionis hujus causam meliorem hac vice proferre non possum, quàm eam, *à Cl. Hartmanno Prax. Chymiatr. cap. de epilepsia*, de frutice sambuci in salicis trunco invento, traditam: Aves nempe matura seminis grana legere, & super buxum, salicem, aliamque arborem unà cum excrementis deponere, indeque hoc ipsum viscum primordia sua capere & indies enasci; id quod Excell. Jonston. Dendrograph lib. IV. cap. I. Art. I. Punct. III. ex Plin. tacitè approbat, dum omninò hoc viscum satum ullo modo nasci dicit, nisi per alvum avium redditum, imò hanc

esse visci hujus naturam, ut nisi maturatum in ventris avium fuerit, non proveniat: addo ego, pororum buxi hujusque visci conformitatem, sine quâ licet millies deposita ab avibus semina aliquo etiam jam modo radices acta, denegato alimento necessario emortua planè perirent atque marcescerent.

## SCHOLIUM.

VIscum Diosc. l. 3. c. 103. ἰξὸς è fructu quodam rotundo, fruticis in quercu nascentis, foliis buxô similibus conficitur. Recentiores id observarunt in abiete, acere, betulâ, castaneâ, cerro, corylo, cotoneo, cynosbato, ilice, larice, mespilo, nuce, oleâ, oxycanthâ, oxycedro, pomo, populo nigra, pruno sylvestri, pyro domestica & sylv. quercu, robore, rosis, salice, subere, sorbo, terebintho & tilia &c. Bauh. in pinace. Videatur Fort. Licetus *in de spontaneo viventium ortu, lib. 3. cap. 26.* [*Helianthus.*]

Malo psico,

## OBSERVATIO CLXXXV.
## D. VITI RIEDLINI.
# Convulsiones periodicæ cum Ischuriâ.

PRoœmii loco, quæ aliàs observationibus præmittere soleo, hîc noto, observationem illam, quæ ante annum & quod excurrit, à me communicata & Ephemeridibus inserta fuit, de Viro nempe, cujus gutturi ultra biennium cruciatus inhæsit, post hæc demum à Phil. Hechstettero in Obs. Dec. VI. Cas. 10. accuratè descriptam me invenisse, quippe qui ipse forsan de hoc casu consultus fuit; simulque moneo, ut alii meo exemplo docti prius diligenter inquirant, an non id, quod describunt, jam pridem luci expositum fuerit? ne actum agant, & cramben bis coctam apponant, quod, mihi inscio quidem, tum contigisse ingenuè fateor; subjungo autem nunc aliam historiam, cujus ipsemet nuper admodum oculatus testis fui. Textoris cujusdam Ulmensis filius 22. præter propter annorum, sanguinis

nis eam constitutionem nactus, quam Veteres sanguineam nominassent, sub exitum Anni 1684. Ratisbonâ huc Augustam proficiscens malè vestitus pedesque solùm incedens, eam frigoris vim perpessus est, ut fermè de se actum esse crederet; ab amicis autem humaniter hîc exceptus & refocillatus, per integrum mensem in statu sanitatis, quem commodè neutrum vocares, vixit: per hoc siquidem tempus morbo quidem nullo notando decubuit, laboribus etiam suis vacare potuit; tam benè tamen ut antea non valuit: somnolentior quippe & ad omnes actiones minùs promptus erat, donec tandem torminibus atrocibus correptus amicorum consilium & opem denuò implorare coactus fuerit; qui medicamentis, quæ domestica vocare solent, dolorem hunc quidem mitigarunt: quia tamen dolores ad pectus & brachium in dictorum locum succedebant, alvus etiam pertinaciter obstructa erat, amici meum consilium desiderarunt, & id quidem urinâ solùm, ut apud istiusmodi homines fieri solet, oblatâ, ac iis quæ acta fuerant, enumeratis: cùmque per integrum diem hominem extra lectum degere commodè posse addidissent, tùm purgans quoddam statim sumendum præscripsi, simulque eum in sequentem diem post usum Tinct. Bezoart. sudori vacare jussi. Purgans bis terve alvum moverat, sudor etiam dolores ita leniverat, ut jam sanitati pristinæ restitutus sibi ipsi videretur, sed Ecce! circa vesperæ illius quo sudaverat diei horam quintam primò oscitationes crebriores adeò molestæ esse cœperunt, ut & adstantes notaverint, quibus supervenientes subitò convulsiones illos adeò perterruerunt, ut statim me vocaverint: inveni illum omnibus membris convulsum, spumamque ante os habentem, cum pulsu tamen tantùm non naturali; qua de causa malo aliquantum mitigato antepileptica medicamenta exhibui, post quorum usum noctem haud inquietam duxit, lassus tamen erat, & de cordis anxietate conquerebatur: quin & urinæ ne guttam quidem per integram noctem emiserat,

nec tùm quidem emittere poterat. Sal. igitur succin. volat. cæteris cephalicis & cardiacis immiscui, exterius verò cepas cum lacte decoctas regioni pubis applicare jussi, post quæ dies quidem à convulsionibus immunis erat, urina verò, cùm circa vesperam eum iterum visitarem, nondum fluxerat, jamque dolorem quendam circa vesicam gravativum sentiebat: ast Clyster conveniens applicatus id quod optabamus, præstitit; urinæ siquidem eam copiam quæ tùm fortè adesse poterat paulatim eduxit, noctem etiam post hæc sat quietam habuit. Sequenti die nihilominus antepilepticorum & cephalicorum medicamentorum usum continuandum suasi: quo licet ritè observato, circa vesperam illius diei tamen eâ exactè qua nudius tertius horâ primò oscitatio & hinc convulsiones redierunt, non verò cum tanto impetu, nec tam diu durarunt, urina etiam iterum diutius quam par erat retinebatur. Malum ergò intermittentium febrium naturam induere velle videns, urinâ spontè iterum fluente, die intermissionis cephalicis medicamentis institi: die verò quo paroxysmus metuebatur, febrifuga, licet febrilem calorem nunquam notaverim, iisdem addidi, pulveremque, cujus una dosis summo mane, altera verò bihorio ante paroxysmum sumenda, simulque tùm sudor provocandus esset, in pharmacopolio parari curavi, quæ quidem quàm diligentissimè ita in usum duxit, eoque successu, ut licet consueta hora oscitatio redierit, nil quicquam tamen convulsivi eodem die persenserit: hincque, ut malum eo certius profligeretur, pulveris usum die illo, quo post hæc malum redire posse videbatur, repetiit, idque Deo omnibus hisce benedicente, tam feliciter, ut nunc omnino sanus vegetusque pannis texendis operam navare possit. Pulvis fuit seq.

℞. Specif. Cephal. D. Mich.
Febrif Strob.
Cachect. Lud. aa. ℈j.

Ol. dest. Caryoph. gtt. ij.
Misc. f. Pulv. div. in 2. part. æq.
Sign. Pulver auf 2. mal.

## OBSERVATIO CLXXXVI.
## D. JOH. JACOB. WAGNERI.
## Lolii perniciosi effectus.

Tiguri domestici præclari cujusdam viri, pro jentaculo *pultem avenaceam*, (aliàs ipsis insolitam) comedentes, quam Plinius *H. N. L. XVIII. c. 17.* Germanorum cibum esse, ait, variis symptomatibus mox afflicti fuêre; omnes enim ex iis cardialgiâ, vertigine & capitis dolore correpti, quidam insuper temulenti & somnolenti redditi, convulsiones etiam passi sunt, imprimis ancilla, quæ se nimiùm eadem ingurgitârat; aliis denique vomitus supervenit, qui hinc à prædictis symptomatibus statim liberati sunt. Postquam autem suspicio inter ipsos oborta fuisset, pultem eam intoxicatam fuisse, me ad se accersi jubent; cùm verò ex eis percepissem quid pro jentaculo assumserint, facilè ex visis symptomatibus colligere licuit, farinam seminis lolii, sive Æræ, Germ. Trümmel/ pulti huic admixtam fuisse, quandoquidem rustici nostri semen lolii haud pari studio ab avena separent, atque circa frumentum facere solent, cùm tamen & juxta Ovidium *Fastorum L. 1.* summâ diligentiâ eradicandum esset,

*Ut careant loliis oculos vitiantibus, agri,*
*Nec sterilis culta surgat avena solo:*

& eodem tempore Textoris cujusdam nostratis familia, ex esu talis pultis, in similia symptomata incurrisse, notum mihi fuerit: proin vomitu apud illos moto, qui nondum vomuerant, adhibitisque mixturis alexipharmacis, brevi tem-

pore sibi redditi, & in integrum restituti sunt. In mentem hoc mihi tunc revocârat lepidam historiam, quam prope Tigurum A. 1342. contigisse, apud *F. Joannem Vitoduranum, Minoritam*, σύγχρονον, legi, cujus αὐτόγραφον MSC. in Bibliotheca Tigurinorum Civica asservatur, quam hunc in modum in sua *Historia* recenset: *In villa quadam apud Thuregum, equus quidam tantum de lolio comedit, quòd à Domino suo putatus mortuus, extra villam vectus fuit, & excoriatus, qui tandem post somnii consummationem evigilans, domum rediit, & domino & aliis hominibus eum cernentibus stuporem incussit.*

Vulpes J. Bongardi

## SCHOLIUM.

IN Lolio vim inebriandi, somnum movendi & mentem tentandi cùm habeant cognitam, ab avaris Zythopœis cervisiis illud aliaque similia incoqui solent, observante id etiam *Martino Schoockio cap. 19. de cervis.* qui à Græcis quòd αἶρα vocetur, παρὰ τὸ αἴρεσθαι, *sursum extolli, cap. 9.* adnotat, cùm noxia lolii aura cerebrum petat, non temulentiam modò, sed & vertigines inducens. Hinc pistores cùm in publica annonæ penuria lolium tritico commiscuissent, multos qui eo vescebantur, statim capite dolere incepisse &c. *Galenus lib. 1. de aliment. facult. cap. 37.* refert; & panem ex eo confectum villico suo, unà cum ipsius familia, talem temulentiam ac veluti amentiam, qualem in vita nunquam sensisset, concitâsse, testatur *Camerarius* in *Hor. succis. cent. 3. cap. 93.* indè etiam Zizaniam hanc in Italia Imbriacam i. e. *herbam inebriantem* vocari. Jenæ ex loliacei panis esu in nyctalopiam homines incidisse, qui solo hepatis bubuli esu restituti, monet in *histor. humor. gener. cap. 2. Joh. Theod. Schenckius;* quam nyctolopiæ curam etiam *Dec. I. Ephem. nostr. Ann. III. obs. 133.* confirmatam dedit, jamque olim *Hippocrates lib. de visu*, morbum hunc patienti jecinoris bubuli crudi, melle imbuti, frustum quam maximum poterit, unum aut duo devoranda exhibere præcipit. Qua ratione id præstare

re queat, ſagacioribus diſpiciendum relinquo. In lolio verò ſulphur aliquod narcoticum, ſpiritibus animalibus infeſtum latere, tum ſymptomata ejus uſum inſequentia, tum & remedium, quod præſentaneum eſſe Acetum, in *J. C. Baricelli hortul. genial.* legitur, oſtendunt.

*[L. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CLXXXVII.
## D. JOH. JACOB. WAGNERI.
# Glandulæ inteſtinales carnoſæ per alvum magnis cum torminibus excretæ.

FIliolam civis noſtratis haud infimæ notæ, 24. hebdomadam ætatis agentem, febrilis horror, cum indiciis ſubſequentium variolarum, invaſit; ſexto autem die facies ejus ita intumuit, ut etiam oculos aperire, quatuor integris diebus, potis non fuerit; cùm autem facies detumuiſſet, decimo die magna tormina cum levi diarrhœa ſubſequebantur; die verò decimo quarto manè eam diarrhœa ſanguinea ſatis larga excipiebat, & unà cum ſanguine glandulæ quoque carnoſæ excernebantur: inter quas quædam fuit unciæ unius longitudine, ac dimidiæ unciæ latitudine: cùm hanc, eò vocatus aperuiſſem, ſubſtantia ejus interior carnoſa, mollis & coloris ſub-atri fuit; circa meridiem autem ejusmodi glandulas decem magnis cum torminibus κάτω rejecit, inter quas nonnullæ ſub-rotundæ, inſtar ovorum minorum avium fuerunt, poſt quarum excretionem mox quoque miſeræ vitæ ſuæ filum abruptum fuit.

D. II. A. II. p. 394.

## *SCHOLIUM.*

DE Glandulis alvo excretis eleganter diſſerit noſter curioſ. *Pythagoras* in ſua *de glandul. inteſt. exercit. 1. part. 2. cap. 12.*

*cap. 12.* ut & *in fine exercit. 2.* Similem mihi liceat recenſere caſum A. 1678. in Urbe quadam Imperiali vicina, in viro quodam, parùm diætæ ſtudioſo, obſervatum; qui poſtquam exeunte menſe Julio diarrhœâ bilioſâ correptus fuiſſet, variis adhibitis medicamentis meliùs quidem ſe habere viſus, 15. d. Auguſt. tamen virium proſtrationem paſſus, 18. d. hæmorrhoidum fluxum (judicio adſtantium, quamvis à diſruptione vaſorum ſanguiferorum, ad glandulas inteſtinales abeuntium, promanâſſe cruorem illum, ſuſpicari liceat,) incurrit, ſanguine multo, & primò quidem ſincero, poſteà verò coagulato ac ſummè fœtido prodeunte; quem 21. d. ſcirrhoſa & partim carnoſa ſubſtantia, trium circiter unciarum pondere, minoresq; poſtea alii hujusmodi tumores, ſine magna difficultate inſequebantur; quales etiam 28. d. iterum, longitudine dimidii vel integri digiti, excernebat; ut ita corporum conſimilium, quantum adſtantes obſervarunt, numero viginti quinque, & pondere uncias quatuordecim æquantia, fuerint ejecta. Hinc rediens adpetitus, pulſus æqualis micatio, ceſſatio caloris præternaturalis, & excrementa alvi naturaliter ſe habentia, de reconvaleſcentia non exiguam ſpem fecerunt; quam licet, elapſo octiduo, diarrhœa bilioſa reverſa, vires denuo proſtratæ, ceſſansque adpetitus, omnem ferè rurſus adimerent, æger tamen tum reſtitutus, ante annum demum & quod excurrit, mortuus eſt.

*[Luc. Schröck, L. F.]*

## OBSERVATIO CLXXXVIII.
## D. JOH. JACOB. WAGNERI.
*De*
# Generatione Culicum.

NAturæ miracula in minimis rebus quodammodo ſeſe abſcondunt, ſed diligenter atque accuratè quæſita, evidentiſſimè prodeunt; inter ea Culicum quoque gene-

generatio recensenda, quam nunc in apricum proferre lubet.

Culex, Græc. κώνωψ, Germ. ein Schnacke / ex muscarum est genere, corporis longiusculi, substantiæ teneris, senum *crurum* prælongorum, quæ simul & valga & vara, postrema etiam longissima sunt; *alvus* novem incisuras habet; *caput* ei perexiguum est, ad cujus extremitatem duas antennas plumosas habet; *oculi* ei nigri sunt; pro *ore* promuscidem acutam, sive rostellum tubulatum ac durum habet, quo pungit simulque sanguinem, potissimùm humanum, perfodiendo tergus, tanquam per siphunculum sorbet ac attrahit, eoque alvi ductum replet, donec corpusculum utriculi ad instar distentum ac sanguinolentum evadat; *pectus* pro corpusculo crassum & elatum, sub-viridis coloris est.

Genesin hujus insecti multiscius *Athanasius Kircherus* ex pulvere vario rerum seminio referto, deducit; semina autem hæc vel ex cadaveribus animalium, felium, canum, volatiliumque, vel etiam equorum, asinorum, boum, similiumque excrementis provenire, statuit. Doctissimus verò *Swammerdamius* scribit, sibi à quodam Verbi Divini Ministro Salmuriensi relatum fuisse, insecta hæc ex aquis originem trahere; plura non addit: quidnam autem circa hujus insecti generationem observârim, hîc attexam.

Insectum hoc tempore autumnali sperma suum, sive ovula minuta & flava, herbis palustribus & aquaticis, uti Potamogeto, Nymphææ &c. ordinata serie affigit: ea circa mensem Junii sequentis anni, à calore Solis excluduntur, indeque *vermiculi lutei*, tenues ac teretes prodeunt, tredecim sectionibus seu incisuris & rubicundulis *capitibus* constantes; hi duobus saltem minutis *cruribus* sub prima incisura sunt instructi, quæ ad extremitatem aspera sunt, uti semen Aparines, *podex* denique illorum tribus exiguis apophysibus terminatur. Porrò vermiculi hi theculas quasdam molles atque viscosas ad herbas illas prænominatas sibi conficiunt, quas ibi affigunt, at-

que in iis tanquam in tuguriis aliquandiu degunt; ad justam verò magnitudinem ubi pervenerunt, ob alimentum, viridem ac mox fuscum colorem asciscunt, alis instruuntur, & in liberum aërem provolant, aculeoque suo homines infestant.

Bestiola hæc sonum valdè acutum atque tenuem edit; hujus rei ratio non in eo est, quòd in hoc insecto spiritus quidam, sive aër, in membrana septo transverso subjecta, contineatur, qui ex alarum confricatione moveatur, atque hinc sonus excitetur; vel etiam quòd trachæis sive spiraculis sit præditum, vibrationeque alarum aër ibi detentus percutiatur, uti nonnulla alia insecta hoc modo sonum edunt, cùm his omnibus destituatur; sed sicuti à scandula funiculo appensa & circumacta, aut membrana etiam ventillata, sonus editur, ita aër à membraneis muscarum alis sectus & allisus, sonum profert: sic à crabronum alis grandior producitur sonus, duræ etenim sunt; à crustaceis scarabæorum alis, vastus, à culicibus tenuis atque acutus, angustæ enim sunt; papilionum autem alæ nullum sonum producunt, cùm farinaceæ & admodum molles sint.

## OBSERVATIO CLXXXIX.

## D. JOH. JACOB. WAGNERI.

# Lapilli albi Caryophyllos aromaticos referentes.

NUlla naturæ pars est, vel in elementis, vel in animantibus, vel in plantis, quam illa non in lapidibus exprimat, & in his potissimùm omnium rerum imitatione ludat.

*Caryophyllum aromaticum officinarum vulgarem*, rudimentum saltem esse fructus cujusdam arboris, veros autem fructus baccas, triplo & quadruplo majores esse, quas vulgò *Antophyllos* vocant, ramusculi quibus fructus hi adhæserunt, & ex Insula Banda ad nos allati sunt, jam aliquoties me docuerunt.

Quis

Quis autem non miretur in monte *Legerio*, ditionis Tigurinæ, lapillos albos perelegantes, insigniter duros, qui *Caryophyllos aromaticos vulgares Officinarum* prorsus referunt, à me repertos esse, adeoque Helvetiam quoque fructum hunc exoticum, ast lapideum saltem, proferre? Quam autem quæso sententiam de generatione horum lapillorum illi ferent, qui putant *Glossopetras* (quales etiam in Helvetia intra durissima saxa, diversarum specierum, reperiuntur) *Canum Carchariarum* dentes esse petrificatos, inde à Diluvio Noëtico superstites? Numquid & fructus Caryophyllorum ab eo tempore ex remotissimis regionibus ad nos delatos, in lapides conversos, & à calore Solis non infuscatos, sed dealbatos esse, dicent?

## *SCHOLIUM.*

QUi Naturam spiritum luminis vocant, cuncta hæc inferiora Geometricè tractantem, à vero minimè aberrare videntur; Geometrici ejusmodi processus in animalibus & vegetabilibus speciosiùs quidem se exerunt, ast etiam in mineralibus Artificis summi sapientissima manus nobis admiranda sistitur, unde & figuræ ab eâ iis impressæ multorum torserunt ingenia, ex iisque maximè illorum qui ad gradualem saltem trium Regnorum differentiam, vegetationemque Mineralium utut obscuriorem haud attenderunt. Naturam haud facere saltum, verissimum, unde nec vegetatio adeo plantis solùm addicta est, quin ea Mineralibus eas in ordine corporum naturalium sequentibus in totum deneganda sit, cùm tot vegetationis specimina in iis natura expresserit, uti nôrunt illi qui Archiva Curiosorum in quibus rara mineralium asservantur, lustrarunt; exemplum etiam Excellentiss. Dn. Auctoris de caryophyllis lapideis à se repertis id nobis etiam innuit; horum enim uti aliorum plurimorum figura non nisi ex vegetatione quadam deduci posse videtur, quare & perplacet quòd eos fructus appellet lapideos, fructus scilicet sunt terræ, quæ velut tricorporea arbor, cujus

radix aër, se habet, tres ramos principales de se diffundens. Cæterum quo pacto natura in excludendo vel excudendo ejusmodi fructu procedat, is solùm exactissimè explicare posset qui naturæ in tali opere adstitisset; unde solis ferè conjecturis locus datur. Conjecturare igitur quis posset materiam mundi subtilissimam ac fluidissimam ceu ignem cœlestem terræ quandam purioris portionem ita comminuisse, salibusque impregnasse, ut succus in lapidem, ex austero præsenti à materiæ ruditate & compactione fixandus inde emerserit, qui mox à spiritu illo corporeo sic specificato talem directionem obtinuit, ut eo cuncta pervadente, aptèque disponente ex Creatoris mandato, loci habitudine, ipsiusque spiritûs modificatione (prout diversi generis aranei diversas telas texunt) talis figura rem aliam repræsentans emerserit.

[*D. Emanuel König.*]

## OBSERVATIO CXC.
## D. DANIELIS CRÜGERI.
### *De*
# Cerebris passerum comestis epilepsiam inducentibus.

NObilis quidam convivis suis, pro conditione illius loci epulis quibusdam instruxit mensam, loco alaudarum verò apposuit passeres assatos. Post cœnam verò ancilla quædam inordinato appetitu allecta, capita passerum detruncata aperit, atque cerebrum dictorum passerum sibi attribuit, & avidè devorat. Cupediis his assumtis lectum repetens de noctu epilepsiâ corripitur, sibilum ore pip. pip. emittens, brachia & manus corpori allidens, mirando adstantium aspectu, quoniam exactè passerum congressum & epilepsiam imitabatur.

Ap: 202

Hinc

Hinc apparet, quanta efficacia in cerebro animalium lateat: quemadmodum Authores ex cerebro felis & mustelæ comesto maniam ortam, & contra maniam cerebro canis vel vervecis assumpto curatam fuisse referunt, annotante Sennerto in praxi, cap. de Maniâ. Vid. *Dec. I. Eph. 45. fol. 209.*

## OBSERVATIO CXCI.
## D. GEORG. ABRAH. MERCLINI.
*De*
# Reiterata fœtus ex utero in eadem Muliere feliciter factâ extractione.

LAnificis uxor gravida, appropinquantibus partûs doloribus, obstetricem familiaresque, ut plerunque fit, accersit mulierculas, quæ solicitè faciebant, suarum quod erat partium: præsentibus, mox futuri felicis partus omnibus indiciis: neque Parturiente suo nisu quicquam intermittente: nihilo tamen minus partus nullus sequebatur. Jamque tertius à primis partûs doloribus agebatur dies, quo fœtus in utero extinctus sentiebatur. Hinc de extremo cogitatum est præsidio, quod extractionem vocamus, saltim ut mulier servaretur, jamque imminentis mortis faucibus eriperetur. Advocatus Chirurgus, Dn. Joh. Georg. Brodmannus, his & similibus Operationibus peritissimus, hoc ferè modo atque ordine opus aggrediebatur: implorato ante omnia divino auxilio, & instrumentis, ut: cultello acuto, unco, forfice, aliisque necessariis rebus, spongiâ nempe, linteaminibus, &c. in tabula ordine expositis, & Parturiente, divaricatis cruribus & infimo ventre nonnihil exaltato appositè in lecto locatâ in ipsum ejus uterum totam manum suam dextram complicatis secundum longi-

tudinem digitis, insinuavit, brevique illo, sed acuto scalpello intra digitorum complicaturam occultato fœtum in partes discidit, easque pòst membratim vel manu vel unco extraxit, relicto in utero solo capite, quod non nisi summâ vi, unco oculi cantho adacto evellere, licuit, notatu dignâ animadversione, quâ Chirurgi cavere discant, ne hac in operatione fœtûs caput à trunco separent. Absque enim dubio facilius caput cum trunco, quàm caput sine trunco ex utero extrahere nunquam non licet. Atque sic exemtis fœtûs & secundinarum omnibus particulis, uterum eluimus injecto decocto abstergente, non neglectis cæteris cùm per os assumptis tum extra applicatis atque immissis necessariis remediis, quibus effectum, ut intra sex circiter septimanarum spatium integrè convaluerit Puerpera; præter quam quod subinde de urinæ incontinentia à validiori fortassis extractione, simulque læsâ aliquantò vesicâ ortâ conquereretur; sed quæ etiam temporis successu decentibus adhibitis remediis remisit. Non multò post eadem femina iterum utero concepit, & elapso cum paucis septimanis anno eandem partûs sortem, idemque extractionis fœtus periculum subire necesse habuit, nisi quòd hæc secunda feliciùs priori successerit operatio, capite nempe unà cum trunco extracto, nulloque graviori relicto symptomate, etiam sine ulla urinæ incontinentiâ. Tertiò enixa est prolem sine omni difficultate quidem, sed quæ paulò pòst iterum obiit. Quartùm rectè quidem peperit filium, sed summâ rursus cum difficultate, eumque jam mortuum. Ut hinc non immeritò suspicari subeat, infelices hos partus à non usque adeò bonâ, & fortassis singulari uteri conformatione dependisse.

## SCHOLIUM.

Meminit Ill. Præses Kittingæ in patria sua olim ab importuna obstetrice fœtûs truncum extractum fuisse, remanente

nente in utero capite, quod famigeratiſſ. Medicus & Phyſicus D. Keiſer exhibito fortiori ſternutatorio feliciter excusſit, quo remedii genere Ipſe in delicatioribus parturientibus quoque uſus eſt cum ſucceſſu. Videatur *Obſerv. Henrici ab Heer 14. p. m. 184.*

## OBSERVATIO CXCII.

## D. GEORG. ABRAH. MERCLINI.

# Singularis fœtûs ex utero exſectio.

FEmina erat, tornatoris apud nos uxor, quæ procidentiam uteri à pluribus annis ſæpius paſſa, nunc in partu, ex fortiori procul dubio niſu ex utero prolapſum utrem quaſi, hominis caput magnitudine æquantem, obſtetrici exhibet, quæ incerta, quid factu hîc opus ſit, Medicum ſimul ac Chirurgum accerſit, qui mentis corporisque oculis videntes, in hoc utre ſive ſacco ipſum concluſum eſſe fœtum, huicque non alium niſi ſectione dari egreſſum, in conſilium adſcitis adhuc duobus Medicis Excellentiſſ. D. D. Jacob. Bürlino & Chriſtoph. Theophil. Scheurelio, Collegis meis honoratiſſ. inciſionem neceſſariam nobis adſtantibus per Chirurgum Dn. Joh. Georg. Brodmannum fieri juſſimus: quâ factâ ilicet prorupit fœtus, integer quidem, ſed extinctus. Tuncque verè deprehendimus, uterum cum fœtu cervice inverſâ ex corpore proceſſiſſe, ipſumque uteri orificium, prout vidimus, ita quidem hiaſſe ac conniviſſe, ut digitum nobis intrudere, fœtusque caput eo attingere licuerit, nihilo tamen minus adeo arctum fuiſſe, ut fœtus per id egredi nequaquam potuiſſet, niſi ſectione fuiſſet amplius redditum. Poſthæc Chirurgi diligentiâ factum, ut uteri ex corpore prolapsâ parte priùs prætumidâ, nunc verò crebriorum fomentationum ſalutariumque medicaminum applicatione ad naturalem conſtitutionem redactâ, uterique ori-

orificio sua sponte sine ullis ligaturis iterum coarctato, uterum, non aliter ac in communi uteri procidentia fieri assolet, reponere, & gestato annulo vel globulo in suo situ retinere licuerit.

## OBSERVATIO CXCIII.

## D. GEORG. ABRAH. MERCLINI.

# Anatome Fœminæ Passione Iliacá defunctæ.

FEmina 40. circiter annorum, aliquot liberorum mater, plures annos antè herniâ inguinali detenta, ex manifestâ notâque causa externa in Passionem Iliacam incidit, eâque, frustra adhibitis omnibus remediis, obiit. Post mortem factâ corporis Anatome, ut genuinam morbi causam inveniremus, vidimus, intestina tenuia penè omnia inflammata ac sphacelata, unde dolor ille ventris continuus & intolerabilis cum intemperie calidâ & siti inexplebili ortum duxit: omento non supra intestina expanso, sed planè detracto, & in hypogastrio propè inguen dextrum complicato: Intestini verò Ilei portio digiti articulum longitudine vix superans cum particula omenti in processum peritonei dextrum delapsa externum illum in inguine dextro conspicuum tumorem excitavit, quem jam non, ut quidem aliàs facilè fieri poterat, in corpus, adhibitis licet omnis generis emollientibus ac inflammationem arcere solitis cùm internis, tùm externis remediis, retundere atque reprimere licebat, quia non minùs illam in processum peritonei dextrum delapsam intestini atque omenti portionem inflammatio & sphacelus in tumorem interea attulit, maximè processu illo peritonei antè nimiùm ampliato, interea verò iterum coarctato: quo etiam evenit, ut non solùm excrementa nulla per alvum secederent, sed & redunda-

dundarent & per ſuperius guttur egererentur: quin & per os aſſumpta quæcunque in hac nempe inteſtini portione, quæ proceſſum peritonei ſubiit, ſufflaminata, ultrà transire nequirent. Quo propterea in caſu Mercurii etiam Clyſterumque omnium uſum planè fruſtraneum deputamus.

## OBSERVATIO CXCIV.

## D. GEORG. ABRAH. MERCLINI.

# Cranii fractura & depreſſio in puella ſine elevatione per inſtrumentum curata.

Puella, trium circiter annorum, ſartoris filiola, ex ſuperiori domûs contignatione per feneſtram, neſcio quâ incuriâ, præceps in ſaxeum pavimentum ruit, indeque fracturam cranii, ejusque depreſſionem per medium bregma usque ad os frontis excurrentem patitur, ſine tamen ullis gravibus ſymptomatibus, quæ aliàs ſupervenire ſolent, utut cerebrum ejusque pulſationem per integram & illæſam cutem perque cranii inæqualem fiſſuram percipere liceret. Chirurgi ſine cutis diſſectione craniique depreſſi elevatione curationem perfici poſſe, negabant. Ego autem ſolus eam diſſuadebam, recordatus, me apud Paræum aliosque Scriptores chirurgicos legiſſe, cranium depreſſum in infantibus tenellis ſæpe etiam ſuâ ſponte ſe iterum elevare. Hinc adhibitis per aliquot dies ſolitis fomentationibus emplaſtrisque cephalicis poſtea inductis, tandem illud de ſymphyto cum ſtiptico Crollii permixto, abraſis prius capillis, adaptavimus, & trajecto utrâque extremitate filo forti ſuo tempore violentâ manu removimus; quo effectum, ut intra paucas ſeptimanas fiſſurâ cranii iterum coadunatâ priſtinam mox ſani-

ſanitatem recuperaverit Puella, adhuc benè habens & proſperâ valetudine gaudens.

## SCHOLIUM.

JUre meritoque repreſſit Nobiliſſimus Author Chirurgorum imperitiam, ut enim in adultis plerumque occurrit calvæ depreſſio cum fractura à caſu, per ictum, ubi cranium elevandum vecti ſeu ſpecillo robuſto elevatorio, **mit einem Heberlein** / ſpatula nonnihil incurvata, **gekrümmet und unten blatt** / (Petrus Marchetti Prof. Patav. cultello ſcriptorio utebatur, cranio obliquè ſuppoſito, & emplaſt. alabaſtrino ſuperimpoſito) ita in pueris à caſu vel contuſione ſine fractura calvæ mollities inſtar ſtanneorum vaſorum plures foveolas & depreſſiones admittit, quæ commodiùs attolluntur, vel cucurbitâ magna vel ſpiritus retentione, vel arctâ ligaturâ cum ſpleniis **beuſchen** vel etiam emplaſtro glutinatorio, quale ex Epiphanio deſcribit Strobelbergerus de morb. pueror. p. 53.

[*Argonauta.*]

## OBSERVATIO CXCV.
## D. DANIELIS CRÜGERI.
### De
# Exciſo Liene ex homine, ſine noxâ.

SCultetus pagi **Henickenhagen** / non procul à Colberg. à ruſtico, quem in terram proſtraverat, ſibi ſubjacente in ſiniſtro latere cum cultro graviter fuit ſauciatus: in cultri acie mediâ ſciſſura magnam ſimul partem lienis extraxit, ſubſequentibus ſubinde vomitibus, magis fuit lien expulſus, & per noctem illam in ſuo ſanguine, ob abſentiam talium, absque adjutu ullius, qui potuiſſet opem afferre, decubuit. Manè è Colberga juſſu Magiſtratus Nicolaus Matthiæ, Chirurgus Colbergenſis, adveniens miſerum in cruore immerſum invenit, lienemque è corpore propendentem

dentem tumidum. Omnes, qui tum præsentes cum Sacerdote fuére, vidére splenis parenchyma, & admirati sunt, tàm nobile viscus per vulnus prominere. Chirurgus cum lacte, cæterisque ad idoneam fomentationem facientibus herbis plagam curare aggressus, patientem circa Solis occasum in urbem Colbergam transferri curavit. Postero die Medico ad consilium vocato lienem per vulnus prætumidum monstravit, & utrum præscindere eundem deberet, quæsivit. Ille verò, quia neminem sine liene vixisse unquam docuerint Authores, renuit: nec enim unde postea effluens affatim sanguis ex abdomine, viam vel modum exitus habeat, sibi constare, respondit. Chirurgus è contra, quia lien ampliùs per vulnus intrudi, inq; locum suum convenientem reponi posse non videret, satiùs esse illum auferri judicavit. Huic assensit patiens, in tali mortis versans discrimine omnia pati patienter paratus. Tunc sericeo partem splenis propendentem arctè ligavit vinculo, & integrum viscus extraxit: Hinc eam, quâ adhærebat corpori, partem funiculo constrinxit, & tertio pòst die universum sectione abstulit lienem, sanguinem abundè fluentem pulvere stiptico compescuit, cæterisque convenientibus medicamentis intra trium septimanarum spatium ad sanitatem, vulneratum reduxit, remanente saltem in illo vulneris loco tuberculo avellanam æquante; quia vasa ibidem abscissa carni se agglutinarunt. In hunc usque diem commodè cum uxore, non exors prolis vivit, laboribusque solitis præest.

*Sequitur testimonium.*

Dem Wol-Edlen Herrn Doct. Daniel Crügern, Med. Elect. &c.

Wol-Edler rc. rc.

HOchgeehrter Herr Doctor rc. Daß dem Schultzen von Hennickehagen / Melchior Sassen / einem Manne von 23. Jahren / Mense Julio Anni 1678. die warhafftige Miltz durch eine in der lincken Seite gestochene Wunde fast gantz / so groß sie sonst ist / von allen connexionibus loß / heraus gehangen / habe ich mit Augen gesehen / auch die Miltz mit Händen befühlet und betastet.

Daß sie aber tertio à læsione die vom Stadt-Chirurgo allhier/ Herrn Nicolao Matthiæ an dem Ort/ da sie per vas breve an dem Magen hanget/ nach vorhergegangener gebührenden Bindung abgeschnitten/ weiß ich daher/ weil derselbige Chirurgus, nach der deßwegen mit mir gehaltener Conference solche frisch-abgeschnittene Miltz zu mir gebracht und gezeiget/ die ich auch nach der Länge/ vom vase brevi an/ etwas aufgeschnitten/ und Ihn solche gebührend zu conserviren gebäten.

Hierauf ist er so fort zum Herrn Burgermeister Edw. Kundenreichen sel. und jetzigen Pastorem Herrn Thom. Hoppen gegangen/ und solche ihnen ebenmässig gezeiget.

Es hieng die Miltz vor dem Abschneiden aus der Wund/ nur noch an dem Magen/ von allen connexionibus, wie gemeldet/ auch so gar von der vena & arteria splenicis abgerissen/ gleich einem erstarreten & sphacelato membro.

Læsus aber ward bald curiret an dieser und anderen Wunden/ verrichtete hernach seine gewöhnliche Geschäffte wie zuvor/ und ist bis dato gesund gewesen; wie ich solches von denen Leuten/ dabey er allhier einzukehren pfleget/ etliche mal mit Verwunderung vernommen habe.

Hoc lubens attestari volui &c. Colberg. 6. Novembr. 1684.

Vid. *Eph. Ann. 4. 5. obs. 165.* p.209 Dec. Iæ.

*Joh. Auenius, D.*

## OBSERVATIO CXCVI.
## D. JOH. CHRIST. FROMMANNI.
*De*
# Cephalalgiâ ex utero feliciter curatâ.
*In Formâ Consilii.*

MAtrona quædam in urbe, iter dimidii ferè diei Coburgô distante, degens, per generum suum, virum doctum, jurisque peritum hîc loci spartam honestam ornantem, judicium & consilium de affe-

ctu suo, in sequenti memorali consignatô, à me petit, quod conferre pietas & officii, proximo cuique debiti, ratio jussit. Memorialis autem, è vernacula in latinam linguam hîc translati, tenor hic fuit: Matronam tertium supra quadragesimum annum agentem per aliquot annos hi præcipuè affectus infestarunt:

I. Tantum sæpè in capitis vertice frigus, ac si gelu eidem incumbat, Matrona sentit, eodemque tempore vertigine quadam cum insigni virium imbecillitate, animi deliquio affine, atque oculorum caligine corripitur, visûs insuper & auditûs imminutionem patitur. II. Anxietatem insimul cordis, vacuô præsertim existente ventriculô, pastûsque tempore imminente, item torpedinem omniumque membrorum lassitudinem sentit, tantam quidem, ut vel verbi proferendi eam tædeat. Ubi verò parum cibi vel potûs assumpsit, statim in meliorem se transferri statum experitur. Istud autem matutinô præcipuè tempore ipsi jejunæ evenit, horâ 10. antemeridianâ, & quintâ pomeridianâ, imò nonnunquam circa noctis meridiem summoque manè, ita ut somnus inde excutiatur: quorum affectuum, inprimis deliquii animi avertendi gratiâ ad aquæ apoplecticæ externè applicandæ, & caryophyllorum aromaticorum in ore detinendorum usum confugere cogitur. III. In calcibus quoque pedum, medio etiam æstatis calidissimæ tempore, frigoris quasi à gelu vel nive orti sensu, æquè ibi ac in capite, infestatur, concurrentibus prædictis symptomatibus, languore membrorum solito majore, cordis anxietate, vertigine cum deliquii metu. Malis autem hisce medelam nullam venæsectiones, scarificationes, purgantia, sudorifera, fonticuli, pedilavia ex optimis herbis parata, tulerunt; benè autem imprægnatio subvenit: siquidem quò propior ipsa partui fuit, eò magis, imò tandem in totum remiserunt ista omnia, & post partum mensis spatium duravit remissio. Inde verò sensim recruduerunt mala. Hactenus Memoriale,

 cui

cui Dn. Gener ſubjunxit, perquàm malè Medicos in hoc morbô inter ſe convenire, aliis aliud, compluribus verò uterum principalem affectum opinantibus, & reliquas corporis partes inde per conſenſum affici ſtatuentibus. In tantâ autem opinionum varietate, & proinde in earundem in fundamentô diſcrepantiâ, curationem vix expectandam eſſe, cùm dubium maneat, ſedem ſuam an in capite, vel in ventriculo, vel in utero, vel in venis meſaraicis, vel in renibus obſtructis malum habeat?

Conſultationi & deliberationi meæ ubi affectus *iſte* fuit concreditus, ſequens reſponſum & conſilium dedi: Ponderatis omnibus in Memoriali enarratis circumſtantiis exiſtimo, ægrotæ *dolorem capitis ex utero per conſenſum* oriri, atque ex eodem fonte reliqua, cum dolore iſto, ſymptomata manare, proindeque radicem mali in utero, vel circa hunc hærere. Quamvis autem præcipuæ inibi affectiones fuerint expoſitæ, dubium tamen nullum eſt, pluribus eandem, ſi non omnibus, ut calore fugitivô, quadam nonnunquam reſpirandi difficultate, melancholiâ ſine cauſa prægnante ſubortâ, palpitatione cordis, dolore lumborum & dorſi quandoque corripi.

*Mali* autem *radicem* non in capite, ſed *in uterô* vel *circa eum* latere ſequentes confirmant rationes. I. *Doloris ſitus & qualitas*, quia tantum nonnunquam frigus verticem cruciat, ac ſi gelu ſit obrutus. Jam verò experientia ipſa, ut & in tali caſu medicamentorum ad uterum ſpecificè directorum & cum emolumentô adhibitorum effectus, uterum in cauſâ fuiſſe, prodidit. Dubium licet nullum ſit, nec contradictionem implicet, in parte tàm anticâ quàm poſticâ, tàm laterali, quàm verticali dolores capitis ſuboriri poſſe, eundem tamen in vertice cum frigoris ſenſu moleſtô in ſexu ſequiori natum ex uterô ſua habuiſſe natalia, ſagaciores obſervarunt. Sic Langius *lib. 1. epiſt. medic. 49.* & *lib. 2. ep. 55.* ſcribit, ſe plus quàm centies in hyſtericis paſſionibus ſolùm

verticem

verticem capitis propè ſuturam coronalem, ubi mulieres etiam perſentiunt glaciei frigus, dolere. II. *Mali reciprocatio, ſeu interpolata invaſio.* Si radicem mali caput foveret, adeoque per eſſentiam, non per ſympathiam ſive uteri conſenſum laboraret, doloris continuatio foret præſens. Nonnunquam equidem capite per eſſentiam laborante dolorum fit remiſſio, ea tamen rarior eſt; atque hæc ipſa ratio ex primâ & ſeq. tertiâ robur acquirit. III. *Doloris tempore prægnationis, partui potiſſimum vicino, remiſſio.* Eo enim tempore tantus fit ad uterum humorum affluxus, ut majoris digiti craſſitiem latitudine ſuperantem, vaſisque plurimis ſanguine plenis refertum deprehenderit Harvejus *de generat. animal.* quantâ & nos aliquando Hilperhuſæ in quadam invenimus fœmina, quæ fœtum enixa auram frigidiorem imprudentiùs poſt partum admiſerat, ex qua inteſtina omnia flatibus ſuffocationis cauſam inferentibus repleta erant pridie, quàm ejus cadaver aperuimus. Humores ergò copioſiùs ad uterum confluentes pravitatis characterem materiæ, in locis uterum attinentibus, ſtabulantis obliterant. At ſi doloris cauſa in ipſo capite degeret, nullum doloris ſilentium imprægnationis tempore fuiſſet præſens. IV. *Cephalalgiæ circa ordinarium Menſium tempus etiam in puerperiô reditus.* Elapsô ſiquidem poſt partum menſtruô ſpatiô ſanguis circa uterum movetur, etiamſi non dimoveatur; ſi verò mater lactationem negligit & reſpuit, menſes recurrunt; at ſi infantem lactat, licet menſes non recurrant, quædam nihilominus alteratio uterum afficit: quare factâ priùs lochiorum ſubtractione uberiore, character antea ſubmerſus denuò emergit, malumq; recrudeſcit. Colligere jam licet, ſi mali cauſa caput, non uterina loca, occuparet, ſilentibus etiam menſibus caput dolore laboraſſet. *Quod per conſenſum uteri hi fiant dolores capitis, cognoſcitur ex eo, quòd menſes fœminis non ritè fluant, & quia dolor præcipuè infeſtat aut augetur, dum menſium fluxus inſtat, vel alio modo uterus ſe non rectè habet*, ait Sennertus *lib 4. Prax.*

Idem

Idem Rodericus à Castro *de morb. mulier. lib. 2. cap. 7.* adstruit sequentibus: *Affectus* (capitis dolor) *ab utero venire deprehenditur, quia dolor crescit circa menstruorum tempus, magis adhuc, si suppressa sint aut imminuta.*

Jam quæritur: *An Menses vel Semen vel aliud quid incommoda ista inferat?* Item: *An ipsa Matrix sive Uterus, an verò vicina utero loca*, ut testes, uteri tuba, vasa deferentia & vesicæ seminales, *radicem malorum foveant? Mensibus* ipsis culpam adscribere non ausim, quos cursum suum debitô tempore more solitô hactenùs absolvisse, ex istorum in Memoriali silentiô colligo, cùm prompta alioquin & parata veniat statûs mensium proditio, eaque à fœminis conjugibus facilè expectanda, quas mensium vitia mala innumera inferre non latet. *Semini* vel testibus & reliquis semini dicatis partibus nihil ut tribuam, conceptio & imprægnatio persuadent, cùm vitia ejusdem, si inibi latuissent, in efficaci & operosô isto Naturæ negotiô fuissent immutata. Itaque ad aliud Rationis solertia tendat. Ipsam *Uteri cavitatem* radicem non fovisse fidem facere potest menstrua purgatio, item imprægnatio, & qui eam sequuntur conditionum status, quibus exturbari posse vitiosam inibi contentam materiam nemo non concedit. Itaque causam *in venis Utero vicinis*, seu ad Uterum tendentibus, latitare infero. *Quod dolor capitis ab uterô veniat, demonstrant suppressi menses, semen aut aliquod aliud in illo putrescens, vel circa illam partem humorum perturbatio*, inquit Forestus *lib. 9. obs. 51. in Schol.* Sic D. Managetta in cadavere fœmininô Hystericâ passione extinctô invenit non tantum Uterum & testes, sed & vasa deferentia materia seminali corrupta, quæ caseo conglobato haud absimilis fuit, turgida reperit, quo de vid. *Ephem. German. Decur. I. Ann. I. Obs. 32.* Materiam autem illam pravam, corruptam, malignitatis non expertem fuisse statuo. Sanguinem enim, semen & humores corruptos veneni adeòque malignitatis characterem suscipere posse Medicorum Senatus dudum promulgavit. Quin imò cùm satis diu affectus

hic

hic duravit, licet materialis ſeu humoralis ſubſtantia non ampliùs adſit, talem internæ & latenti cuidam parti impreſſionem factam fuiſſe, ſuſpicor, ut ſubſiſtentibus ibidem humoribus ſimilem malignitatis characterem illa de facili imprimat: pari ratione, ſicut dolium cereviſiarium ſitu ſemel infectum, etſi deinceps ſæpius aquâ etiam fervente eluatur, & pice intus obducatur, cereviſiæ tamen inditæ ſitûs odorem communicare pergit. Idem & in corpore humanô fieri poſſe, ſi nim. in principiô morbi & curationis medicamenta in cauſæ ejusdemque ſubjectum genuinum non dirigantur, malum ita magis magisque radicari probabile eſt.

*Malignitatem* autem hîc adfuiſſe teſtatur 1. *Frigus ingens in vertice & pedibus* notatum, quod à pituitâ frigidâ vel elementari qualitate in ſubjectô cætera ſanô, floridæ ætatis, ſanas bonæ diætæ leges non aſpernante, ſuique in vitâ rationem habente deducere nolim. Iſtud autem, ubi malignitas quædam eſt, nonnunquam ſuboriri experientiæ fide conſtat. 2. *Praxis Medica* ſimile frigus medicamentis non elementari caliditate, ſed alexipharmacâ virtute præditis & ſpecificis (quæ ſpecifica vis iſtis nonnihil reſpondet) profligans.

Ex dictis cephalalgiæ illius, deliquiis animi, vertiginis, oculorum caliginis & torporis in artubus notati cauſam jam licet derivare; malignitas ſcilicet ſpiritibus vitalibus & inde animalibus, illis vitam, his ſenſum & motum inſtaurantibus infeſta, factâ ad cor & cerebrum evaporatione, ſpirituumque indebita alteratione & agitatione, mala iſta oriuntur. *Audito nomine vaporum non intelligendi illi præciſi & ſeparati ab humoribus, ſed conjuncti, ita ut potius ſint vapidæ & tenuiſſimæ ſanguinis exhalationes membranoſis partibus communicatæ,* ait, D. D. Rolfinck locô mox citandô. Convulſionum cùm nulla facta fuerit in Memoriali mentio, impetum ſpirituum animalium exploſivum à Williſio decantatum, hîc exulare cenſemus. Anxietas cordi adſcripta, jejunô præſertim

existente ventriculô, ventriculi ipsius est, cujus partes in orificiô sinistrô sensiliores, nervi scil. & spiritus animales per consensum ex eadem causâ afficiuntur, quia nim. eo tempore vapor malignus alimentis non castigatur, sed quasi sui juris factus liberè vagatur. Aquæ autem apoplecticæ, caryophyllorum aromaticorum, & alimentorum esu ac usu spiritus vigorantur, inde robur ventriculo ad discutiendum vaporem malignum redditur. Repugnantes nos non habent, qui cum Doctiss. Willisio *Tract. de anim. brutor. part. 2. cap. 7.* statuunt, quibus cùm jejunaverint, aut prandii horam diutiùs protelarint, oculi obfuscari & caput rotari solent, & deinde mox à levi comestione nebulæ istæ evanescunt, id contingere, quoniam ventriculi fibræ & filamenta nervosa succô nutritiô, quo irrigari amant, destituta corrugari & spasmos leviores inire solent, cujusmodi spasmi & spirituum inordinationes, siquidem per ductus nervosos in cerebrum continuantur, affectionem vertiginosam producunt, quæ quamprimùm stomachi fibræ corrugationes suas remittunt, sponte cessat. Frigoris in partibus exterioribus inclementiam per spirituum vitalium à fonte caloris, qui cor est, distantiam explicamus; ab hoc quo remotiores isti malignitate vel leviter imbuti sunt, eò debiliores & ad resistendum minùs apti evadunt.

*Prognosin* quod concernit, dolorem hunc capitis curatu difficilem esse prodit 1. *Mali curatio.* Septennium enim est & quod excurrit, ex quo Matrona hæc Cephalalgiâ laboravit. 2. *habitualis quasi impressio* tantô temporis spatiô in locis dictis facta, quæ sui eradicationem haud facilè admittit. 3. *Lactatûs continuatio*, qua curâ & negotio Uterus inter quem & mammas consensum non exiguum vigere, vel ipsæ mulieres norunt, non potest non quadantenus turbari. Durum D. D. Rolfinck *Tr. de dolore capitis p. 129.* format prognosticum: *Ab uterô*, inquit, *qui oritur frequentissimus in delicatô & commiseratione dignô sexu* δυσθεράπευτος *medelam ferè*

*ferè respuit omnem. Non deserit stationem suam, nec de die nec nocte, quantumvis nulli parcat operæ sacra medicinæ anchora. Aperienda illis est hæc desperatio & admonitio jungenda, opus esse, omnes afflictiones quæ lenit, patientiâ.* Verùm salutem nos in Matronâ hac nondum desperabimus, erecti aliarum exemplis, quarum spem promptamque in assumendis remediis obedientiam felix coronavit eventus.

In *Curatione* ad sequentes scopos, me judice, ingenii acies erit flectenda. 1. *Aperientia* præmittantur, ut obstructiones vasorum ad uterum tendentium reserantur, & materia crassior corrupta in locis utero vicinis latitans resolvatur, ne moram ista ulteriorem trahens uberiorem malignitatis ferociam acquirat. 2. *Laxantia* sequantur materiam digestam & resolutam leniter educentia: fortiora enim & thrastica vim naturæ, eam debilitando, inferentia fugiantur. 3. *Alexipharmaca* malignitati resistentia in usum trahantur. 4. *Sudorifera* iisdem mixta aliquoties exhibeantur, ut impressio sive malignitatis character tandem expungatur & deleatur. 5. *Roborantia & specificè agentia* uteri præprimis, capitis & cordis gratiâ tàm externa quàm interna assumantur. 6. *Diæta* bona observetur, qua de nihil hîc monendum, cùm Matrona ipsa ad praxin id, quod Cicero *lib. 2. offic.* tradit, accommodare, quantum potest, soleat: *Sustentatur*, inquit ille, *valetudo notitiâ sui corporis & observatione earum rerum, quæ aut prodesse aut obesse soleant, & continentiâ in victu atque cultu corporis tuendi causa, & prætermittendis voluptatibus.* Si & medicamentorum jam præscriptorum usu adspirante divino Numine levamen Matrona sentiet, lactandi officium conductitiæ cuidam concredatur, ut utero sua concedatur quies, ac curationis curriculum feliciùs absolvatur; siquidem, ut dictum, per suctionem & attractionem lactis non potest non uterus aliquam turbationem vel alterationem, etsi vix sensibilis credatur, pati. Ne dicam præsens anni tempus ipsum quoque curationi minùs favens quandam

inter curandum difficultatem parere: attamen cùm Solis ultimo stationis punctô occupato recursus, ejusdemque in Macrocosmô fæcundus in inferiora influxus brevi sit sperandus, benignior etiam cordis in Microcosmo ad partes sibi subjectas influxus pro curationis negotiô feliciùs peragendô erit expectandus. Non nisi hoc unum hactenus in votis habui, ut ægrotam ipsam oculis meis cernendi honor mihi præsenti decerneretur, & copia in illius temperamentum, qualitatem & quantitatem menstruorum priorum, morbosque, quibus olim subjecta, diætæ item rationem communem superioribus temporibus observatam inquirendi daretur.

Medicamenta præscripta hac methodô in usum sunt trahenda. *Mixturæ uterinæ* sub Lit. A. gutt. 30. aliquot diebus in brodiô quodam calidô, vel, si libet, in aquâ destillatâ conveniente, ut aq. florum acaciæ, pulegii, majoranæ, &c. sumat ægra. Horâ 10. matutinâ vacuô existente ventriculô haustum quendam decocti ex speciebus sub lit. B. in brodiô carnis macro ad tertiæ partis consumptionem parati, à meridie verò *Elixiris uterini* sub lit. C. gutt. 21. in potiuncula vini vel cerevisiæ vel in aqua quadam destillata calida (frigidus enim haustus Utero inimicus est) accipiat. His per aliquot dies in usum tractis *Pilularum uterinarum laxantium* sub lit. D. non habitâ ratione faciei Lunæ, primùm Num. IX. deinceps plus minus, pro ratione earundem operatione mitiori vel fortiori (binæ vel ternæ sedes sufficiunt) in pomô assô, vel rob. sambuci, vel cum cerevisiâ vel isto ex speciebus decoctô, deglutiat. Capiti pedumque soleis frigore correptis lintea *aquâ* imbuta sub lit. E. prius leviter calefactâ imponantur. Quando mixtura prima manè usurpanda, postquam cubitum reliquit, vel cum noctu cubitum ire animus ipsi est, *suffitum ex succino* ad inferiores abdominis partes suscipiat. Quantum momenti suffitus hic habeat in corrigendâ pravâ uteri vicinarumque partium constitutione, mihi probè constat. Si *sudor* manè in lectô sponte oboriatur, id quod

id quod ex usu antecedentium medicamentorum quandoque eventurum non dubito, eidem ægra decenter indulgeat. Quem verò hæc aliquantisper in usum tracta per DEI gratiam & benedictionem successum sint habitura, ad me deinceps perscribatur; item & hoc: An clysteres ægra admittat, & fœmina applicandi rationem callens adsit. Cùm enim uterus inter intestinum ultimum & vesicam situm suum habeat, egregiè clysteres conferre possunt. His jam à me ordinatis ut Archiater cœlestis benedicat, gratissimos exoptatæ sanitatis fructus, viriumque tàm animi quàm corporis constantiam Dn. Matronæ largiatur, animitùs precor. Datum Coburgi d. 7. Decembr. 1680.

A. ℞. Tinctur. tartari ℥iij.
Essent. castor. ʒß. M.
S. Zertheilende und eröffnende Mutter-mixtur, davon 30. Tropffen zu nehmen.

B. ℞. rad. angelic.
zedoar.
levistici an. Mj.
Incisa dentur ad chartam.
S. Sachen in magerer Fleischbrüh zu kochen.

C. ℞. Elix. Uterini Croll. ʒjß.
S. Mutter Elixir, davon 21. Tropffen zu brauchen.

D. ℞. Extr. aloes ʒjß.
mercur. dulc. gr. XXV.
bezoard. jovial. ℈ß.
myrrh. gr. V.
resin. scammon. gr. iiij.
F. cum Elix. Uterin. Croll. Pilulæ ex ℈j. Num. XI. involv. pulvere radic. ireos. D. ad scatulam.
S. Mutter und Laxir Pillen auf etlich mal.

Dn. Matrona d. 29. Decembr. per Generum suum medicamenta præscripta omnia voto respondisse, deque bono curationis successu me certiorem fecit, unicum saltem ad-

 dens,

dens, affectum crura ſaltem jam occupare, ut horum ad ambulandum officio ferè deſtituatur. Qua ratione verò crura laborent, ſpecialiùs non fuit relatum. Ego crura doloribus lancinantibus corripi ſuſpicatus hanc cochleatim, præſertim cum cubitum itur, uſurpandam Aquam ordinavi: ℞. Aq. è ſuccô menthæ deſtill. ℥ij. - theriacal. - cinam. bugloſſ. an. ℥j. ſpir. cochl. ʒj. Tinct. ſantal. ℈ijß. ſyr. menth. ʒvj. laud. op. gr. iij. M. S. alterirend Waſſer.

Dn. Maritus d. 10. Januar. 1681. præmiſsâ ſalutis officioſæ nuncupatione DEO præcipuè, hinc mihi gratias agens uxorem ſuam ſat bonâ valetudine jam frui renunciari fecit, &, ſi conſultum ſtatuam, ut Miſturæ primæ & Elixiris uterini uſus continuetur, ut è pharmacopolio noſtrate iterum mittantur, petiit. Nolui autem, ad animum omnia curioſiùs revocando ab uſu horum, iſtam avocare, ſed conceſſi, ſub latiori tamen temporis excurſu. Ubi vernale tempus poſtea acceſſit, præſcripta denuò præſervationis gratiâ medicamenta tenerum ſanitatis ſtatum confirmarunt. Ita eventus docuit & confirmavit id, quod Galenus *ad Glauconem cap. 1.* poſteritati reliquit: ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει, *melius agnoſcens melius curat.* Tantum.

## OBSERVATIO CXCVII
## D. JOH. CHRIST. FROMMANNI.
# In nive pulices.

VOcatus ad Nobiliſſimam quandam Virginem in arce quadam febre continuâ cum intermittente tertianâ laborantem Menſe hujus Anni LXXXV. Januario, itineri me accinxi. In ipſo itinere nix, qua terra eo tempore copioſè erat obruta, puncta nigra eaque minima & copioſa, quaſi particulæ fuliginis multæ eſſent diſſeminatæ, non tantum in nemoribus, ſed & extra ea, mihi equo inſidenti paſſim repræſentabat.

Comes meus pedes, vir paganus, pulices eſſe refert, & ut

ut fidem adhiberem, nivem pulicibus refertam, manibus meis offert. Et ſanè deprehendi non in eâ tantum, ſed & ubi ex equô deſcendi, in pluribus nivibus pulicum copiam, eorumque nonnullos, ubi digiti mei propè admoti præſentiam viderunt, ſaltando aufugiſſe, quosdam poris nivis profundius ſubiiſſe, alios autem in liquatâ nive ſuffocatos periiſſe, ipſus vidi. Vitriolo quosdam cum nive concluſi, ut domum reverſus microſcopio eosdem ſubmitterem. Verùm aquarum inundatio ex nivium inſperatâ diſſolutione ſubitò orta, mihique ob hanc cauſam tutum Seslachii tranſitum negans, præter biduum per aliud biduum, & ſic ultra quatriduum manere & reditum differre coëgit, interea captivorum meorum compages in aqua diſſoluta omnem oculorum, etiam microſcopiô armatorum, aciem deinceps domi eluſit. Idem jam olim nonnunquam à ſe fuiſſe obſervatum, ruſticus quidam Mederanus domi meæ recitavit. Comes autem meus hybernô ſuperioris anni tempore vermes in nive fuiſſe repertos narravit, quorum tamen formam externam non ſatis deſcribere novit. Videantur vermes nivales præced. anni, in obſerv. 110. f. 264.

## *SCHOLIA.*

ET generatio & formatio viliorum animalculorum in admirationem curioſos iſtorum ſcrutatores meritò rapit, ut & hîc juſſu Philoſophi ſummi, Ariſtotelis *lib. 1. de part. anim. cap. 5.* dicere liceat, Naturæ numen, & honeſtum pulchrumque ineſſe iſtis ingenium. Non jam corpuſculorum formationem, eorumque texturam ſubtiliſſimam, ſed generationem pulicum tempore hyberno elapſo fertiliſſimam miror. In nive quidem vetuſtiore vermes generari idem Philoſophus *lib. 5. H. A. cap. 19.* Olaus Magnus *lib. 2. cap. 8.* culices candidos Plinius *lib. 11. cap. 35.* teſtantur. Plures videantur, quos citat Celeberrimus Th. Bartholinus *in de Nivis uſu medico cap. 9.* ubi ab internô nivis calore, accedente

externô

externô ad putredinem diſponi materiam, & exinde vermium dependere generationem nonnullos, quos citat, autores docere tradit, aliorumque in hoc negotio diſcrepantium ſententias adducit. Gaſp. Schottus *Phyſic. curioſ. lib. 7. cap. 9.* nives ob aëris & ſpirituum copiam minimè ineptas eſſe ad animalcula producenda ac conſervanda ſtatuit. Quorum Autorum opiniones aliis dijudicandos relinquo. Unicum, quod admirantium ingenia ad ſe trahat, adduco, accommodatò petitum à D. D. Carolo Reygero, qui in Ungariâ Ann. 1672. in prato quodam cum nive decidiſſe ultra decem genera diverſorum vermium, qui catervatim ſuper nivem repentes ultra quadriduum vixerint, ſcripſit, atque obſervationem hanc Collegio Nat. Curioſ. cum iconibus communicavit, quæ habetur *Decur. 1. Ann. 4. & 5. obſ. 89.* Ad pulices ego revertor, quos ſub nivium calore è terrâ, quodcunque etiam illorum ſeminium fuerit, generatos fuiſſe exiſtimo, prout etiam eorundem tempore æſtivô magna nonnunquam in hortis datur fertilitas, oleribus magnam ſæpè noxam inferentium. Iſtos ergò blandô Solis calore evocatos (ſerenitate Solis dies ille itineris mei erat gratiſſimus) per nivium poros adſcendiſſe, ſuperficiem earundem ſupremam occupaſſe, & poſt Solis occaſum per poros inferiora iterum legiſſe, probabiliter ſaltem (neque enim an prius & poſterius revera ita ſe habuerit, mihi obſervare licuit) aſſero, nivibusque demum ſolutis, ſive in aquâ demum omnes periiſſe cenſeo. Cum nivibus pulices, qui caloris ſunt amantiſſimi, in mediâ & frigidâ aëris regione generatos decidiſſe, vel ex nive ipsâ, utut mixta ſtatuatur & calida, eorum natalia ducenda eſſe, non exiſtimo, cùm aëris nivi incumbentis, ejusque poros ſubeuntis frigiditas generationi, calorem quendam poſtulanti obſit. Nolo tamen hanc meam ſententiam cuiquam obtrudere, meliora docenti cuique aſſurgere paratus. Tantum.

OBSER-

## OBSERVATIO CXCVIII.
## Dn. ROSINI LENTILII.
*De*
# Coavâ, seu Coffi potu, inveteratæ Cephaleæ victore.

MEmini me nuper in historia *muti periodicè loquentis*, morborum aliquot periodicorum, & in his *Cephaleæ periodicæ* Virum maximè Reverendum, Dominum *Henricum Adolphi*, *Generalem Ducatuum Curlandiæ & Semgalliæ Superintendentem*, jam ab aliquot triginta annis miserrimè excruciantis, meminisse. Cephalea hæc pertinacissima, & in medicamenta quævis selectiora hactenus refractaria, victas haud ita pridem manus potui *Coffi* famoso tradidit. Ita enim ad me Vir integerrimus per litteras haut ita pridem, quas, ut exteri quoque intelligere
„ queant, ita latinè reddo: Gratiæ Divinæ à me immortales
„ debentur gratiæ, quæ per nobile *Coffi* Cephaleam meam
„ adeo mihi consopivit, ut verè mihi renatus videar: Nil
„ æquè me rapit in admirationem, quàm Medicos tàm ve-
„ teranos, & latè terra marique versatos, ne uno quidem
„ verbo hujus apud me ullam mentionem injecisse, cùm in
„ *Pharmacopœa Schröderiana* ult. edit. ejus tàm clara descri-
„ ptio exstet. Cùm Aulicorum plures capiti temulento
„ hoc potu mederi vidissem, ejus & ipse in capite sobrio fe-
„ ci periculum, & quidem felicissimè, utinam ad finem us-
que. Quod & ego votis animoque viro de Ecclesia Christi & omnibus bonis optimè merito in capularem usque senectam precor, ut nunc demum vivere incipiat, cum vita tantis dolorum atrocissimorum cruciatibus, quos eum ipse cum stupore, nec sine cordolio, plus vicibus centenis exantlantem vidi, temerata, vereor, ut vita dici mereatur.

## SCHOLIUM.

QUid sit *Coffi*, quam ejus varia nomenclatura, quis parandi modus, qui usus, supervacuum foret heic latius recensere, quin Lectorem ablegamus potius ad *Schröderi* supra allegati *Appendicem*, cum polychrestus liber omnium ferè manibus teratur. Plerique in eo consentiunt, esse *Fabæ Arabicæ* quoddam genus *Bon* vel *Ban* dictum, quod enucleatum in 2. partes finditur: Ex his nucleis torefactis & assatis pulverem struunt, (sunt verba *Appendicis* dictæ) & ex illo nigram tincturam per aquam ferventissimam extractam pauxillo sacchari edulcatam, calidam sorbillando bibunt. Virtutes ejus potissimum celebrantur in stomachi debilitate, obstructione mensium, & pervigiliis. Non autem sunt ejus tanta apud Scrőderum encomia in doloribus capitis, quæ calcar alicui possent addere, in tantum non desperata, & per longam annorum seriem irroborata cephalea, quæ hactenus omni, generosissimorum etiam medicamentorum, apparatui illuserat, præscribendi. Sic enim §. 13. Excell. Strauf-
„ sius l. c. ap. Schröd. Amstelodami *Joh. Ainsvvort* multis elo-
„ giis hunc potum vendit, quod humidum radicale conser-
„ vet, ventriculum roboret, oculorum morbos tollat, *dolo-*
„ *ribus capitis medeatur*, catarrhos solvat, paralysi, poda-
„ græ, hydropisi & scorbuto resistat, calculum frangat, præ-
„ gnantibus prosit. &c. Ubi non nisi tribus verbis, doloris capitis fit mentio. Præterea, quis non videt, medicamina, utcumq; in se non contemnenda, illicò reddi suspecta, dum circulatorio more, ad omnes ferè corporis humani affectus, utut nonnunquam, caussarum respectu, diversissimos, hyperbolicè deprædicantur? Sanè, ita sum ego comparatus, ut, quò plures ad morbos una medicina commendatur, eò minus apud me fidei promereatur. Peccant autem in ejuscemodi panegyricorum genere Medici benè multi, multisque nubem pro Junone offundunt, quod profectò dolendum! Alioqui

qui Veslingius obſ. 55. p.m. 181. de *Coffi* potu in hunc mo- „ dum: Ceſſit idem in emolumentum quoque capitis, quum „ non rarò, per δευτεροπάθειαν affici ſolet. Et Williſius l. 2. a- „ nim. brut. cap. 2. pauperioribus in Cephalalgia commendat decoctum foliorum ſalviæ, betonicæ, roriſmarini, verbenæ in aqua fontana factum, & deinde Tincturâ pulveris baccarum *Coffee* imprægnatum bis in die ad ℥vj. vel ℥viij. calidè ſumendum. Alibi non lego *Coffi* ad dolores capitis laudatum, ſive quòd mihi non ſint Auctores, ſive quòd nuſquam præterea legatur. Hæc autem omnia tanti non ſunt, ut inde quis anſam capiat *Coavam* Cephalalgicis propinandi, niſi fortè loco vehiculi. Jam, ſi quis audiat, *Sim. Paulli* in *Coffi, Thée, Tabacum, Chocoladano &c.* tum peculiari tractatu, tum in Quadrip. botan. paſſim ferventiùs declamantem, nonne Viri autoritate dubius ad minimum hærebit, præſtetne notis & probatis, quam ignotis & exoticis uti? Denique haud rarò Medicorum prudentiſſimis uſu venire ſolet, ut è medicamentorum farragine haud optimum ſeligant, atque, ut maximè στοχασμὸς noſter ſit eruditus, nonnunquam tamen cum ratione decipimur. Ut adeò mirum non ſit, *Coffi potum* tanto Viro à nemine homine unquam fuiſſe ad evertendam bullientis cerebri ſævitiam propinatum. Cùm autem ſæpiſſimè viderim laudatiſſimum Virum durante paroxyſmo, vel poſt eum, evomuiſſe materiam ſalſiſſimam ad inſtar muriæ acerrimam, & fuiſſe quaſi ſomnolentum adque actiones torpidiorem, eo tempore, quo doleret, facilè eſt intellectu, quo pacto ſulphureæ & volatiles *Coffi* partes ſalſuginem iſtam meninges rodentem attemperarint, & ſpiritus animales agiliores & ſubtiliores reddiderint; quod tribus verbis de modo operandi, de quo alioqui *Williſius pharm. rat. lib. 1. cap. ult.* legi meretur, dictum eſto. Magis proinde Practici noſtrates ſibi commendatum habebunt in contumaciſſimis capitis doloribus *Coffi* uſum. Quin & Bibulis hunc commendaremus, ut crapulam ſibi fugarent, aut ad minimum cere-

bella à potatione turbulenta nova ſerenitate irradiarent, ſin æquum foret remedia præſcribere, ut ingluviei commodiùs litare queas; Sed ſatius, ita me Muſæ, fuerit, helluonibus illis *ova nocturna* propinare, ut cum pulviſculo, quod ajunt, tollantur ejusmodi vini pernicies. *Thée* uſum me in *Saxonia* alicubi bono cum ſucceſſu ad ebrietatem tardandam ſuaſiſſe, teſtari poſſum.

## OBSERVATIO CXCIX.

## Dn. ROSINI LENTILII.

*De*

# Anatome Juvenis tabe confecti.

ADoleſcens anorum decem & octo, quem è *Curlandia* redux mecum adduxeram, ante biennium autem, & quod excurrit, ephippiario noſtrati, ut artem doceretur, locaram, robuſtus quoad externam faciem, turgidisque lacertis ſpecioſus, dum apud me & opificem vixit, eſt de immoderata ſiti conqueſtus, idque habuit in ſe vitii, ut plenis buccis magnam cujuslibet potulenti humoris vim una vice deglutiret, quod eſt perquam pulmonibus moleſtum juxta atque noxium. Solitus etiam fuit, ubi peregrè ad nundinas commearet, æſtu defatigatus Acheloios hauſtus largiſſimo præbio infundere, quo in genere vehementer peccant noſtri homines, ac inde factum, ut nuſquam plures hecticos, quam in hac noſtra regione, repererim. Circa Feſtum *Michaëlis Archangeli* 1684. de tuſſi & reſpirationis ab adſcenſu ſcalarum difficultate conqueri cœpit, quam tuſſim epidemiam, tunc equidem noſtrûm præcordia lancinantem, arbitrati, cereviſia calida butyrata oleo amygdalino, trochiſcis becchicis officinalibus, aliisque euporiſtis abigere domeſtici ſuſtinuerunt. His autem cùm nil quidquam proficerent, ſed tuſſis, cum pituitæ viſcidæ copioſa

pioſa exſcreatione intenderetur, quin totius corporis laſſitudo & macies, cum intenſa ſiti, ſe reliquis ſymptomatibus aſſociarent, ſuſpicione phthiſeos perterriti, ad me hominem ablegant; præſcripta huic rei idonea medicamenta, emulſiones, decocta, electuaria, pulveres, quæ aliis proficua toties expertus eram, at fruſtra. Acceſſit denique maligna febris cum delirio, quæ miſerum, procul dubio vitam, tametſi miſerrimè, protracturum, jugulavit. Apertum poſt obitum cadaver in abdomine veſicam oſtendit nimium grandem & urina turgentiſſimam, inteſtina præter communem, rubicundiora, hepar prægrande, pulcerrimum, niſi quòd ejus ſubſtantia compactior, quam pro ſolito, videretur. Ventriculum vix poteramus ab inteſtinis diſcernere, tanta & ejus erat anguſtia, & papyracea tenuitas. Dum ad lienis ſedem ventum, illa hoſpite ſuo vacua reperta, niſi quòd è quibusdam indiciis ab internis coſtarum ſpuriarum ejus lateris parietibus deſumtis hariolari poſſem, & hunc præſentem, & illis coſtis adnatum fuiſſe. Abſumtus certè fuit, non defecit à nativitate. Renes nil oſtendebant vitii. Thorax apertus aquæ ſubcitrinæ ſcaturiginem fovit. Cor ſalvum & grandiuſculum. Pulmones præturgidi, ab utroque, magis tamen dextro latere coſtis firmiſſimè adnexi, ut abſque læſione ſeparari non poſſent; Maculis lividis & nigris penetrantibus diſtinctæ magnitudinis fœdati. Subſtantia horum ſcirrhoſa, arena & lapillis, plurimum cannabis ſemen magnitudine æquantibus, friabilibus tamen refertiſſimi. Ulceris nil adfuit. Caput non apertum.

## *SCHOLIUM.*

LIen, mirabile viſcus, ſemper præbuit indagatoribus naturæ ſedulis meditandi anſam. Non jam de hujus uſu latiùs diſquiram, quem aliqui omninò nullum cenſent, alii, parùm abeſt, quin omnem œconomiam animalem ab hujus nutu dependere adſerant; alii humori atrabilario ſecernendo; alii

alii sanguinis plusquamperfectioni; alii seri dispensationi, & quidem hi ultimi, me interprete, (sua enim cuique sponsa pulcerrima) quàm maximè ad scopum collimantes præficiunt. Placet autem aliqua circa hoc viscus, & ejus cumprimis defectum, porismata proponere, quorum primum esto:

I. Fidem exsuperat, quod de Myconiis, quamquam obscurissimè, Plin. hist. *nat. l.11. c. 37.* tradit, eos nempe ασπλήνυς gentilitia proprietate nasci.

II. Hinc impii, & in Creatorem, nil frustra facientem, injurii censendi, *Erasistratus*, *Democritus*, *Ruffus Ephesius* & adseclæ, qui lienem viscus otiosum judicant & ανενέργητον, quod de minima etiam fibrilla adserere religioni sibi quisque Christianus ducat.

III. Defecisse tamen in certis Individuis absque vitæ jactura lienem, contra *Lindenum*, non negandum, id quod jam *Aristoteli*, & post hunc *Hollerio*, *Laurentio*, *Schenkio*, *Kerkringio* aliisque visum, & *Ephemerides Nostræ* testantur passim, cumprimis nobile exemplum *Ann. II. Dec. II. obs. 143.* abortus humani hepate & liene carentis exhibent.

IV. Eundem posse eximi salvo animali & satis commodè vivente, ridiculum fuerit negare, cùm id in canibus, ipsoque homine vel sexcenties factum, observationes toto die loquantur; quas nusquam ferè non collectas vide in *Ephemeridibus Nostris* hinc inde, cùmprimis *Dec I. Ann. I. obs. 29. Ann. IV. & V. obs. 164.* in cane, & *obs. 165. & Dec. II. Eph. Ann. III. obs. 195.* in homine: item à famigeratissimo *Bartholino*, Nobilissimo *Tillingio* nostro & aliis.

V. Hanc verò lienis castrationem lusum vocare, quod alicubi legimus, non parùm mihi temerarius sermo videtur.

VI. Nec proinde cum aliquibus facio, qui arbitrantur, eximendum in affectibus spleneticis lienem. Videtur enim mihi operatio valdè periculosa, cùm dubium sit, num hi affectus alia ratione sint incurabiles; Et si istæ passiones non summè dolorosæ, & cum certissimo subjecti interitu conjun-

ctæ

ctæ ſunt, ferendas potius, quàm crudeli medio tollendas exiſtimo.

VII. Lienem poſſe certis herbis comeſtis aut medicamentis adhibitis, abſumi, vix credo; à ſeri acrimonia vero, & διαθέσει morboſa, id aliquando fieri, ſupra recenſita aperti cadaveris hiſtoria confirmare videtur; Eſt enim ejus ſubſtantia pultacea, propriiſſimè loquendo parenchymatica, ſeu quaſi ſanguinis quædam effuſio, ideoque minimo negotio ſolubilis.

VIII. Hinc oritur quæſtio, an in præſenti cadavere cauſſa mortis ſit in defectu lienis inveſtiganda, cùm ſupra ſit notatum, hunc poſſe ſalvo ſubjecto eximi? Et reſpondetur, quòd ſic. Non quidem ſolitariè, ſiquidem & pulmo fuit affectus, ſed conjunctim. Aliud enim eſt lienem poſſe exſcindi ſalvo ſubjecto, aliud lienem à pravis humoribus abſumi, unde diſtinctio latè pateſcit.

IX. Quid tenendum de antiquiſſima opinione, cujus & Plinius & Macrobius mentionem injiciunt, *remorari nempe curſum ſplenem; atque ideò curſoribus eſſe* adurendum? Hunc nodum felicius ego non ſolvero, quam Excellentiſſimus *Hercules Noſter in Phyſiologia Medica ſect. 3. cap. 20. de uſu lienis,* cum brevibus, ſed accuratiſſimè ſolvit. Ut tamen & de meo adjiciam, unde hæc controverſia illuſtrari queat, noto, heic *Crailshemii* vixiſſe virum, olim mihi puero notiſſimum, ſed ante aliquot jam annos grandi ſenio confectum, ſutorem, qui vel ipſos *hemerodromos Lacones*, quos *Cornelius Nepos* laudat, aut *Ladam Macrobianum famoſiſſimum* curſu æquârit. Huic autem puero ab ulcere ſiniſtri lateris adroſum ſplenem exciſum fuiſſe, tota civitas hactenus pro rato habet. Notandum autem, dictum virum, ubi peregrè abiret, ſcipionis loco, utrâque in vola geſtaſſe aut lapidem, aut ceſpitem, aut aliud quidpiam, quocum pondere brachia quaſi librarentur, totique corpori alarum aut remorum ad inſtar inſervirent. Hoc in memoriam revocavit illuſtrem *Verulamii* locum *Silv. Silvar.*

*Cent. 7.*

*Cent. 7. Experim. 699.* quem heic integrum exſcribere fas eſto:
„ Currentis augetur celeritas à pondere manibus comprehen-
„ ſo. Cauſſa eſt, quia pondus, (proportionatum nempe)
„ nervos contrahendo, illos corroborat. Qua contractione,
„ ubi opus non eſt, impedimento erit pondus, quod in curſûs
„ certamine per equos inſtituto patet. Accuratè enim præ-
„ cavent, ne vel minimo pondere alter præ altero equus gra-
„ vetur. In curſu cum pondere brachia priùs retrorſum pel-
„ luntur, deinde antrorſum cum impetu ſenſibiliter creſcen-
„ te; manus enim retromittuntur antequam promoventur.
Hæc *Verulamius.* Denique, ut de liene finiamus

X. Poſſit aliquis ſuſpicari, unde veniat, teſtimonio quorundam Auctorum, canes exſecto liene longe alacriores factos, & optima ſanitate gaviſos, *vid. Dec. I. Ann. IV. & V. obſerv. 164. Ephemer. Cur.* Si tantus eſt, uti eſt, hujus viſceris uſus, & unde hîc ſuppleatur? Neſcio ſanè, qua ratione quis heic ſe poſſit extricare, niſi ſtatuat, aliud quoddam certe lieni analogum viſcus, ab affluentibus humoribus & operatrice natura regenerari, quod de abſumtis aliqua ſui parte viſceribus aliis pulmonibus, hepate &c. verum eſſe, aliquorum obſervationes perſuadere volunt; utrum de viſcere planè abſumto, vel arte ſublato idem poſſit ſtatui, judicandum aliis relinquo, nec tamen poſſum, quin fatear, me in hanc ſententiam inclinare. Poſſet rei veritatem explorare, qui canes, olim ſplenotomiam expertos poſt aliquot annorum decurſum aperirent. Id in Cane *Clarkii ſuperior. obſerv. alleg.* quidem factum, ſed nil de liene aut analogo viſcere regenerato dicitur.

OBSER-

## OBSERVATIO CC.
## Dn. ROSINI LENTILII.
# Vehementia ictus bombardarii solo papyro perfecti.

IPsis Januarii Calendis Anni hujus 1685. milites nostri, more per omnem Germaniam solemni, sub noctis meridiem, felix Novi Anni auspicium, ictibus bombardariis Nobis sunt apprecati. Dum re feliciter peractâ in suum quisque diverticulum regreditur, bini adhuc semel suas explodere bombardas, sed intra domus januam & in tenebris satagunt. Primus ictum promovet; alter hunc sibi à latere stare existimans, idem tentat, sed infelici, heu! ictu sodalem ad musculum glutæum majorem dextri lateris transverberat, ut illicò humi sterneretur, largissima mox insequente hæmorrhagia. Cheirurgus rerum suarum pro posse satagit & vulnus deligat, me quid rerum ageretur ignaro. Intra 24. horas æger moritur, advolat Cheirurgus, & petit cadaveris aperturam, ut sibi, cognitâ mortis tam improvisæ caussa, consuleret. Accedo noctu post horam primam, & sectionem administro: Video ictum circa ventrem seu medium *musculi glutæi majoris* ad *os ilium dextri lateris* penetrasse, ubi non tantum *ramum iliacum*, sed & *arteriam iliacam externas* disjecerat, ut extremitatum nulla vestigia reperire possemus; *os* autem *ilium* ipsum rima transversa, sese tamen identidem obliquante, satis patente fissum erat; interanea omnia salva reperta. Judicavi duorum insignium ramorum disruptorum vix compescibilem hæmorrhagiam, subsequam, potissimum ob sanguinis arteriosi copiosam inter integumentorum communium & musculorum interstitia suffusionem, gangrænam (os enim jam nigrum erat) mortis inopinatæ caussam fuisse; & impensè miror, ab

ictu ſolius papyri (nil enim plumbi repertum;) potuiſſe tantum os findi: nec quidquam ferè invenio, quàm, ubi reſcivi militem bombardam ſuam inſtruxiſſe non pulvere nudo, ſed chartæ in tubuli formam impacto, (einer Patronen) pulveris partem in ipſo vulnere ſeu corpore occiſi, adquiſito elatere, adhuc ſemel incenſam ictum iſtum notabilem & impetuoſum effeciſſe, magna enim ibi cavitas erat, quod ſupra monitum, & particulæ chartæ non uno loco contentæ, ſed hinc inde ſparſim latitantes idem arguebant; quo poſito facilis fuit oſſis fiſſura, dum & cautes marpeſiæ hoc impetu diſſipari queant.

## OBSERVATIO CCI.
## D. GEORGII FRANCI.
## Quatuor fetus uno partu excluſi.

IN noſtris terris tres ſimul naſci infantes non adeò rarum eſt. Novi exemplum in uxoris meæ avia Chemnitia, quæ duas filias & filium uno partu edidit, qui omnes adoleverunt: & heic Heidelbergæ in ſerici tinctoris uxore, aliisque. Rarius autem eſt, ubi quatuor eduntur, cujus rei duo dabimus recentia exempla. In præfecturæ inferioris Archipalatinatus Alzeianæ pago Weinheim / Bernhardi Ammonis, Helvetii, & mercenarii ibidem uxor, Weinhemii nata, parvæ ſtaturæ & juvenis adhuc (quippe cujus parentes & avia ſuperſunt) durante matrimonio hactenus quinque vicibus totidem filios adhuc ſuperſtites ex ordine feliciter enixa eſt. Cùm autem ſextâ utero gereret vice, utut difficilius prioribus, paucis retrò diebus ex improviſo domi ſuæ cecidit, unde partûs tormina ſentiebat, quæ tamen iterùm remiſerunt, donec circa veſperam filiolum ederet admodum imbecillum, quare, ut baptizaretur ſtatim, Paſtorem loci parens accerſivit. Cùm autem Dn. Paſtor peractis ſacris audiret, adhuc plurium fetuum eſſe ſpem, commoratus eſt aliquantiſper, ſed

ſed fruſtrà. Cùm ergò puerpera quieti ſe daret, abiit, donec revocaretur. Sequentis diei ſummo manè Paſtorem revocat parens, enarratque poſt noctis meridiem uxorem iterum edidiſſe filiolum ſecundum vivum, & mox filiolam mortuam; quartaque vice filiolum mortuum. Ubi advenerat Paſtor, & ſecundo loco natus jam jam baptizandus è vivis exceſſerat, primogenitus autem admodum erat debilis. Una omnes hi infantes parvi quidem, ſed perfecti & rectè formati erant, ceu laudatus Paſtor ibid. Dn. F. Hends ad Dn. Floretum, Inſpect. Alzeian. perſcribſit, mihique dein Experientiſſ. D. D. Joh. Dan. Beier / Phyſicus Alzeianus doctiſſimus, Auditor olim nunc Amicus ſuaviſſimus communicavit 18. Decembr. 1684.

Alterum exemplum ſubpeditavit mihi Experientiſſ. D. D. Joh. Frider: Graff, Phyſicus Spirenſis Ord. clariſſimus, itidem olim Auditor nunc Amicus egregius, quod nupera æſtate 1684. in vicinia prope Spiram accidit, ubi minoris ſtaturæ femina intra biduum duas puellas, duosque puellos feliciter peperit, qui & ad ſeptimanam usque quartam vixerunt, ſed dein unus poſt alterum iterùm emoriebatur.

## OBSERVATIO CCII.
## D. GEORGII FRANCI.
# Amblyopia ex febre maligna.

DN. F. Adjuncti Cameræ Sacrorum redituum filiola 4. annos nata, Manhemii febre maligna cum inſolito calore corripitur; qua licet percurata hactenus tamen à quatuor annis tanta visûs hebetudine laborat, oculis cetera clariſſimis & puris (ceu in amauroſi fieri amat) interim nihil poſſit videre diſtinctè, & parùm admodum proſpicit, ſi proximè oculis rem videndam adhibet. Poſt purgantia dedi morſulos meos cephalicos, & balſamum apoplecticum vertici & nuchæ & temporibus illinendum,

dum, aquamque spirituosam compositam quam & naribus adtraheret, & oculis instillaret. Inde per DEI clementiam visum clariorem recepit, sed hactenus in collo struma est exorta, cui curandæ nunc operam damus.

## OBSERVATIO CCIII.
## D. GEORGII FRANCI.
# Fractura costæ & cruris in gravida.

ANno Christi ∞Ioc xxcI. die 29. Decembr. honesta matrona, Dn. Nauraths / t. t. Præfecti in Dirmstein trans Rhenum Uxor in glacie cecidit adeò periculosè, ut in dextro latere frangeret costam, in sinistro utrumque focile cruris paullo supra malleolum; nihilominus (utut jam â semestri esset gravida) ritè curabatur utraque fractura intra tres menses; donec tandem feliciter enixa esset fetum, qui adhuc tùm ultra triennium superstes est.

## OBSERVATIO CCIV.
## D. JOH. BARTHOLOMÆI SCHLEIRMACHERS.
### *Inspectio anatomica Generosi Dn. de Walbron.*

1.

OMentum putridum & corruptum.

2. Intestina in naturali situ, portio verò ilei in dextra regione livida, succô quodam glutinosô fuscô in cavitate obducta. In principio coli, loco intestini cœci tuberculum quoddam pure crasso & cinereo repletum.

3. Pancreas extenuatum membranas tantùm referens.

4. Mesenterium tuberculis carnosis, succum quendam crassum puris æmulum foventibus, repertum.

5. Ventriculus sat amplus, justo tenuior amurcam

furvam

furvam (schwartzbraun) continens, parietesque ejus muco ejusdem coloris viscati.

6. Hepar coloris & substantiæ laudabilis, excepta inferiore dextræ partis extremitate, quæ colore nigricante, sed superficietenus tantùm tincta erat, 4½ ℔. pendens.

7. Cystis fellea vitio carens, ac mediocrem bilis portionem continens.

8. Lien quoad parenchyma, colorem & magnitudinem inculpabilis.

9. Ex renibus sinister dextro minor erat, octo calculis minoribus & uno majore rostrato, caput columbinum figurâ & magnitudine exprimente, rostroque ad ureterem pertingente ac ℥ß. minus octo gran. pendente in pelvi repletus; dexter vitio carens.

10. Diaphragma in sinistra regione coloris subflavi, non adeò firmum, qua in parte pulmones ei adnati erant.

11. Pulmones magni, in parte convexa anteriori sternum versus cinerei coloris, maculisque nigris interspersi, innumeris steatomatibus & hinc inde vomicis amurcam putridam & congelatam quasi recondentibus, infarcti, & non solùm diaphragmati, ut modò dictum, sed & pleuræ sinistræ & tergo adnati, quo in latere sinistro cochleæ instar in inferiore extremitate sinistræ partis contorsi apparebant, haud secus ac si cavitas thoracis liberæ ejus expansioni illic loci non suffecisset.

12. Pericardium mediocrem lymphæ quantitatem continens.

13. Cor decentis magnitudinis colorisque naturalis dextra vero ejus auricula & ventriculus sanguine atro & concreto (qualis etiam in vasis majoribus continebatur) infarcti & turgentes, sinistra verò regio inanis & exsanguis.

14. Cranio resecto cerebrum grande coloris naturalis, meningesque decenter constitutæ; vasa verò sanguine turgida se conspectui dabant: in fundo duplicaturæ duræ matris

ſeu falcis, paulò infra principium ſuturæ lambdoidis durities quædam ſolida digito mea inveſtiganti ſe offerebat, quam novitate rei accenſus, moræque æquo impatientior, non ea qua par erat ſedulitate perluſtrabam, ſed nimium properans, ut particulæ illius duræ ac ſolidæ potirer, oſſiculum aliforme, aliquali vi ac ſi à membrana divelleretur, eduxi, cujus longitudo digitum transverſum, latitudo vero dimidium, & craſſities dorſum cultri mediocris circiter æquant, una ſuperficies nonnihil convexa, rimis profundioribus nuclei juglandis inſtar, altera verò planior protuberantiis nonnullis minutiſſimis inſignitæ apparent: in extremitate alterâ particulam filamenti membranoſi, nunc poſt exſiccationem vix conſpicuam, qua meningi adnatum exiſtimo, oſtendens.

## OBSERVATIO CCV.
## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.
*De*
# Turbith Officinarum.

TUrbith Cingalenſibus *Tiraſtavvala* dictum, creſcit in Ceylon; & quidem in terra Maturenſi craſſitie brachii, ac gummi copioſo præditum; in Columbo verò tenera eſt & cum gummi pauco; nihilominus tamen drachmæ unius pondere egregiè & ſine moleſtia purgat.

## *SCHOLIUM.*

HÆc Turbethi figura quadrare videtur deſcriptioni, *quam Garcias ab Horto lib. 1. hiſt. arom. cap. 36.* dedit; ubi Turpetho in India orientali provenienti caulem tribuit hederæ modo per terram extenſum, folia althææ, flores eidem fermè ſimiles, è candido rubentes, nonnunquam omninò candidos, quales in hac etiam figura (prout ad nos miſſa fuit depicta) cernuntur. Quamvis autem hoc noſtrum cum Arabum

Ill^mi: D. Caßiani à Puteo fungea ſuper lapide concrementa. fol. 415.




fig: 32. f. 415.



Fungi alii eſculenti lapidum ſubſtratorum.



Convolvulus ſylvaticus flore albo. fig: 26. f. 407.



rabum Turpetho idem eſſe nonnulli arbitrentur, eosdem tamen falli dicendum eſt, cùm *Meſue*, folia ferulæ ſimilia ferre, ſcripſerit. Confer. *Laborat. Ceylon. Grimmianum pag. 122.*

*[Luc. Schröck, L. F.]*

Fig. XXV.

## OBSERVATIO CCVI.
## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.
*De*
# Convolv. ſylvatico, fl. albo.

CONvolvuli Sylvatici, folio malvæ cordato, fl. albo effigiem hîc damus, cujus radices pro Salſaparilla in uſu habent Indi, effectu virtutem ejus comprobante.

### *SCHOLIUM.*

NOn dicitur, quòd Convolvulus hic ipſam Officinis ſic dictam Sarſaparillam ſuppeditet, ſed quòd tantùm radix ejus in India orientali pro dicta Sarſaparilla in uſum veniat. Illa enim, qua nos hoc ſub nomine utimur, ex America adportatur, cujus planta non inter Convolvulos propriè ſic dictos, ſed ad Smilacem aſperam commodiùs refertur, aliquot ejus ſpecies deſcribente *Nard. Ant. Reccho* in *hiſt. nat. Mexic. Hernand. lib. 8. cap. 41. 42. & 43.* ultimæque hujus radices in noſtrum Orbem deferri, ſcribente; quæ, prout etiam addita figura oſtendit, folia habeat magna, cordis figura, caules volubiles & ſpinoſas, radicem ſurculoſam, capreolos hinc inde exorientes, fructum nullum. Unde congenerem eſſe Smilaci aſperæ, non tamen planè eandem, colligit in *notis ad d. l. Joh. Terrentius.* Differre etiam eam à Smilace aſpera, quam in Zacyntho inſula à ſe inventam notat *Proſp. Alpinus cap. 34. de plant. Ægypt.* veramque eſſe Sarſaparillam ſtatuit, figura addita facilè oſtendit. Licet & reliquas

quas Smilacis asperæ species in curanda lue venerea, quibus illa Americana destinatur, efficacem esse, tum ex citato *Alpino*, tum aliis notum sit.

[*L. Schröck, L. F.*]

Fig. XXVI.

## OBSERVATIO CCVII.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

*De*

# Aristolochiâ Clematite.

S*Aksenda*, est Aristolochia Clematitis Theophrasti: Hujus folia specificè resistunt tussi & asthmati: Radix alexipharmaca est & aromatica; nec satis deprædicanda in morbis diuturnis, malignis & venenatis. Hanc & in Ægypto nasci accepimus à Monacho quodam Lusitano, qui frustulum ex Ægypto allatum nobis transmisit. Unde cùm Theophrastus multas plantas Ægyptiacas descripsit, ac omnes notæ Aristolochiæ Theoph. cùm hâc nostrâ Zeylonicâ conveniunt; puto hanc esse veram ac legitimam Aristolochiam longam, meritò Aristolochiæ officinarum anteponendam. Oleum ejusdem stillatitium in facilitando partu maximoperè laudandum.

Fig. XXVII.

## OBSERVATIO CCVIII.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

*De*

# Zedoar Zeylanico.

H*Arankaha*, Zedoar Zeylanicum. Nulla radix magis æstimatur in Zeylona, quàm hæc ipsa: nec vix ulla medicina ad morbos majoris valoris præparatur à Cinghalis, quam hæc radix pro basi non ingreditur.

Alexi-


...gus cocci neum.
f. 411.


Convolvulus
albus sylvati cus.
fig. 26.
f. 408.


Fungus edulis ex lapide lyncurio.
fig. 30.
f. 415.
radix edulis.
radix lignosa.
bini fungor. ordines.
fung. erumpens.
Bolga
seu matrix.

quas Smilacis asperæ species in curanda lue venerea, quibus illa Americana destinatur, efficacem esse, tum ex citato *Alpino*, tum aliis notum sit.

*[L. Schröck, L. F.]*

Fig. XXVI.


Pisum Indicum majus coccineum.
fig: 29. f.411.
Sakſarda.
fig.27. fol.408.

Alexipharmaca eſt, ſudorem promovet, præſervat à putredine, & corrigit morbos malignos, ne degenerent in deterius. Quidam cùm oryzâ comedunt recentem ad ventriculi imbecillitatem; nonnulli ejus farinam cùm juſculo bibunt; alii inſtar amuleti collo ſuſpendunt; alii ſaltem manu tenent. Habetur pro certo, quod afflati halitus ex maſticatâ radice abigant culices, aliaque inſecta alata noctu hominibus infeſta, experientiâ id approbante. Crocodilum, conſtat, inſignem habere antipathiam cùm hac radice, adeò, ut crocodilus ceu peſtem fugiat ea cadavera, quibus appenſum eſt pauxillum hujus radicis: Unde ab inſultibus crocodili immunes eſſe confidunt Cinghali geſtantem eam in collo. Paravi ex his radicibus ſal volatile oleoſum fragrantiſſimi odoris & ſaporis, cujus facultates mihi nondum ſatis ſunt perſpectæ. *Vid. etiam Laboratorium Ceylonicum pag. 116.*

## OBSERVATIO CCIX.
## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.
### *De*
# Cinamomo Veterum.

N*Ikadavvula, Davvulkurundu Walkurundu.* An Cinamomum Veterum? Tobias Aldinus in ſuo horto Farneſiano cap. 4. de Lauru Indica, caſſiam ligneam antiquorum canellam vulgarem noſtram reputat, verumque inibi oſtendit, quod fuit, Cinamomum veterum; quò Lectorem benevolum remitto. Hi noſtri cortices æquipollent Chinæ Chinæ; Attenuant, diſcutiunt, putredini reſiſtunt, fermentum febrile præcipitant, & per ſudores expellunt. Ex his deſtillatur ſal volatile, oleoſum, myrrhæ odore, ac ſapore aquæ, cum quâ per deſtillationem prodit, inſtar nivis ſupernatans. Hoc ſal debili ac depravato ventriculo inſignis ac ſpecialis medicina eſt, ſi loco myrrhæ admiſcetur Elixieri pro-

prietatis; aut, ſi ſolum ſaltem ad ſcrupulum dimidium in juſculo ſumitur.

*Kurunda*, Folia Cinamomi. Hæc apprimè ſupplent vices Caryophyllorum. Oleum eorum ſtillatitium cum aqua appropriata aut pulvere quodam convenienti exhibitum ſæpè inſtar miraculi ſuſtulit dolores abdominis à frigore ortos; eſt & purgantium vehementiorum egregium corrigens.

Cortices radicis Cinamomi, facultatis ſunt alexipharmacæ ac ſudoriferæ, ſpecificè ſanantes febres malignas, aliosque morbos venenatos. Ex his deſtillatur oleum cum Camphorâ, à multis olim deprædicatum.

Oleum ſebaceum ex fructibus Cinamomi coctum, tàm intra ſumtum, quàm extra applicatum eſt inſtar narcotici ac anodyni mitiſſimi, ægrotos placidæ reddens quieti, ad affectus paralyticos *Beriberi* vocatos. In uſu noſtro eſt Unguentum, quod paratur ex oleo ſebaceo cocto, fructuque Cinamomi, ol. ſtillat: rad. Cinam. Camph. rad. Cinam. ol. deſtill. cort. Cinam. ol. ſtillat. fol. Cinam. & ol. ſtill. fruct. Cinam. Hoc unguento bis in die inungimus partes affectas, non ſine inſigni effectu.

## OBSERVATIO CCX.
## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.
*De*
## Plantâ ſtercorina.

M*Allakola*, Folia ſtercorina Zeylanica. Horum decoctum iń morbis chronicis proficit, incidendo lentam ac contumacem pituitam per totam maſſam diffuſam. In morbis uteri prærıpit palmam caſtoreo, croco, aliiſque. Ex his foliis fiunt ſemicupia, quæ articulorum dolores à lue venerea ortos citò tollunt.

OBSER-

## OBSERVATIO CCXI.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

K*Atuvvala.* Arachidna indica, ſupra & infra terram glandes proferens edules, gratos & dulces. Fig. XXVIII.

## OBSERVATIO CCXII.

## D. HERMANNI NICOLAI GRIMM.

A*Bruz* arborea ſemine rotundo, coccineo. Piſum Indicum majus coccineum. Fig. XXIX. Aliam arborem ab hâc diverſam, ſub phaſeoli rubri, Abrus vocati nomine in Ægypto naſcentem deſcribit & delineat *Proſp. Alpinus cap. 21. de plantis Ægypt.* ut & in Commentario *Johannes Veslingius.* *Vid. ſupra fol. 80.*

## OBSERVATIO CCXIII.

## D. GEORGII HANNÆI.


# Ex eſu Squillarum minorum, pruritus.

QUot modis corpus noſtrum alterent τὰ προσφερόμενα; aliis atque aliis diſcimus experimentis, & quis non miretur eorum luſum, ſuis heic beneficiis, illic injuriis cognitiſſimum? Non enim ſemper delectant, nedum nutriunt ſemper, quæ aſſumuntur, alimenta. Sæpè ea, quæ huic placent, diſplicent illi; imò, quæ unius ventriculus cupidè arripit, alterius rejicit nauſeabundus. Hinc fit, quòd alii fugiant, quæ nobis ſunt in deliciis. Quid, quod & alii appetant vel ſibi damnoſa, ipſo tandem Archeo nimis feſtinantem, & quaſi malacia ineſcatam, incuſante gulam. Elegans in hac ſcena documentum dedit mihi Chirurgus quidam Othinienſis, qui quoties Squillas minores, ſed cruſtis non planè nudatas, edit; toties, ſemihorulæ à paſtu ſpatio, ita corripitur immani & intolerabili totius cor-

poris ſui pruritu, ut ad laſſitudinem usque, ſuam cutim unguibus proſcindere atque ſulcare cogatur. Nec ceſſat prius tædioſus pruritus, quàm ipſa univerſitas corporis quaſi maculis variet, unguibus, ceu rubis, obnoxia, inſequente tadem vomitu, quô exoſum hoſpitem (licet palato ſatis arridentem) excutit ventriculus. Horum cauſâ ſymptomatum quærenda videtur in ſalibus Squillarum, diverſis ab iis, quibus gaudet hujus Chirurgi œconomia naturalis. Hæc, ſpiculis volatilioribus, ſanguinis actutum acuminantia globulos, pruritum; & fixioribus particulis, rugas vellicantia ventriculi, vomitum, concitant, utrumque moleſtum.

## OBSERVATIO CCXIV.
## D. GEORGII HANNÆI.
# Ex Anguillarum aſſatarum odore, lipothymia.

NOn multa loquar de diverſo Anguillæ fato, laudatæ ab his, culpatæ ab illis. Romæ olim nullo in pretio fuiſſe Anguillam, novimus, utpote quæ pullatorum modò apponebatur menſis, Nonio teſte, Ichthyophag. cap. 29. p. m. 105. Græcis verò in tantis fuit deliciis, ut ſui præcones habuerit inſignes, Eraſiſtratum, Archeſtratum, Athenæum, Ariſtophanem. quid, quod nec aſſerere dubitaverit Antiphanes, Anguillam ipſis Diis honorandam eſſe. Taceo illa, quæ in laudem Anguillæ (quam cum Athenæo, Cœnæ Helenam dixit,) facundè diſſeruit Lipſienſium, dum vixit, decus eximium, Celeberrimus Langius, Miſcellan. Curioſ. Medic. p. 41. repugnantibus licet Medicorum quamplurimis. Meum nec erit, hac vice, lites ex litibus ſerere; nec diſſentientes conciliare ſententias, quas in diverſorum hominum ingeniis peperit Anguilla, quod neutiquam miror; cùm Virum noverim, cui & placet, & diſpli-




Katuwala Zeil. fig. 28. f. 413.
Arachidna.
Arachidna alia Indica.

diſplicet Anguilla, gratiſſima palato, naribus ingratiſſima. Hic, quovis modo coctam libentius comedit Anguillam; verùm, ſolus odor, quem ſpirat Anguilla ſalſa, (exuviis adhucdum induta) cùm in craticula torretur, adeò ipſum exagitat, ut animo linqui neceſſe habeat. Ita ſenſuum alter contra alterum ſubinde inſurgit; ut, quod approbat Guſtus, improbet Olfactus. Quod etiam obſervavi in viro Clariſſimo, qui pomis veſcitur ſatis cupidè; ſed ſcriniis incluſa, (quod ſolo odoratu prædicit,) ceu ipſam Mephitim faſtidioſus averſatur.

## OBSERVATIO CCXV.

## D. GEORGII HANNÆI.

# Hæmorrhagia penis ſpontanea.

LOngius foret diſſerere de multiplici uſu, quem corpori noſtro fœnerat nectar illud vitale, ſanguis, qui motu indefeſſo machinæ noſtræ circulat mæandros. Nec levius nobis faceſſeret negotium, ſi eundum eſſet per omnes vias, quibus diffluere poteſt tam pretioſus latex. Non tamen æquè tritæ ſunt hæ ſemitæ; cùm hac eatur frequentiùs, illac rarenter. Triſtius, hercle, omen habetur, ſi profluentem viderimus, ubi ne rivum exſpectaſſemus. Quamvis interdum, qui ſponte reſerantur fontes, obſerentur gratuitò, ipſa ſe corrigente natura, ne videatur erraſſe. Cùm non ita pridem, per me, poſt Deum, in gratiam cum ſanitate rediiſſet aliquis cruenta mictione quàm graviſſimè laborans; accidit, ut alius è vicinia meam contra Ophthalmiam efflagitaret operam medicam. Dum autem varios invicem ſermones cædimus, narrat ſibi, ante aliquot annos, ex inſperato largum profluxiſſe ſanguinis imbrem, per membrum illud, quo viri ſumus. Neſciebat planiſſimè quid de Thyrſo fieret, alia omnia exſpectans potiùs, quàm ſanguinem; qui obſervatus maximum incuſſit terro-

rem. Ubi verò per sesquihoram durasset hic æstus sanguinans, inarescens commodùm, eâdem, quâ proruperat, sistebatur indolentiâ, nullô, ne quidem levissimo, tristioris cujusdam relicto symptomatis vestigiô. Ego varia quæsivi huc spectantia; interrogans, numne causas quasdam scire potuisset hujus hæmorrhagiæ? annon, vel calculus ipse, vel equitatio succussans, vel gestatio gravioris oneris, aut aliquis in diæta error præcessisset; vel usus Aloëticorum quorundam medicamentorum, quæ oscula reserassent venarum, hanc rupissent cataractam? Verùm omnia hæc negavit constanter. Hinc patet ipsam naturam, quasi providô consilio, imminens amoliri gestientem periculum, per hanc sentinam, superfluum tantummodò eructasse sanguinem. Atque ita hæc fidem celeberrimo conciliant Kozakio, dicenti, Tract. de Hæmorrhagia, *l. 1. c. 11. p. m. 302.* Simplex sanguinis mictio non omnis est æquè vel molesta, vel noxia; sed interdum & quædam utilis, patientes à multis gravioribus tum liberans, tum præservans affectibus.

## OBSERVATIO CCXVI.
## D. JOH. GEORG. VOLCKAMERI.
*De*
# Fungis edulibus ex lapide Lyncurio.

FUngum Lyncurium de informi montis cujusdam segmento ortum & in pilei modum conformatum prodire novimus: Unde verò & quibus venarum ductibus, quo motore, vel quo conformatore proveniant in dies nobis talia fœtabula, citra non nullam admirationem fieri notarive non possunt. Unde etiam nomen Fungi merentur Lyncurii.

Hujus ob oculos ponere figuram non tædebit, qualem Vir quondam botanicorum jubar, amicus non è multis Carolus

rolus Auantius Rhodiginus in elegantiſſimo ſuo, de Cœnâ Fieræ Mautuani Medici ſuâ ætate clariſſimi tractatu oſtendit. f. 51. Dono verò ille accepit à clariſſimo Viro, Tobiâ Aldino, B. Pontif. Urbani Octavi Botanico: *Magnitudinem bubuli ille refert capitis ſuperficie aſperâ, rugoſâ, rimis nonnullis hiulcâ; colore partim intensè nigro, partim dilutiore, & ad cinereum vergente ſubſtantiâ poroſâ, pumici non abſimili, longè verò ponderoſiore, quæ & ſilicis fruſtulum ita inſertum habet, ut connatum eſſe videatur; argumento quidem non levi, Lapides iſtos & lento, & glutinoſo terræ ſucco & adjacens quodlibet inviſcante coaleſcere. Hic pingui terrâ modicè tectus, & tepidâ ſubinde conſperſus fungos fert ſuaviſſimos, figuræ modò rotundæ, modò ovatæ, ſæpè etiam inæquali labro variiſq; ac ſinuoſis anfractibus humanas auriculas æmulantes: colore interdum flavo, interdum dilutè purpureo; ſemper verò crebris ſpadiceis vel atro-rubentibus maculis aſperſos: quæ priusquam obſoleſcant, non parvam ipſis elegantiam conciliant. Illud porrò* (pergit Auantius) *admiratione non vacat: quod ſcapus, qui ab evulſo fungo lapidi inhæret, ſenſim induratur, ac eandem cum lapide ſoliditatem & ſubſtantiam acquirit; ita, ut fungus lapidem & matricem ſuam alere, & alimentum, quod accepit, ipſi quodammodo rependere videatur.*

Dum apud Illuſtrem Marcum Aurelium Severinum, Anno 1641. per hyemale tempus, Chirurgicæ artis addiſcendæ & practicandæ gratiâ commorarer, obtulit ille mihi dono iconem Fig. XXX. lapidis fungiferi Caſſianæi, id eſt, Illuſtriſſimi Caſſ. à Puteo, atque alius tertii, à Marco Schipano, Regni Neapolitani Archiatro impetrati, quorum ideas cæteris adjungere volui. Fig. XXXI. XXXII. De talibus lapidibus Andreas Matthiolus *in Com. 78. l. 4. Dioſc.* ſcripſit hæc. *Neapoli inventi ſunt Lapides, qui defoſſis, & in cellas vinarias tranſlati, terrâ aliquantulum operti, & ſubinde aquâ tepidâ inſperſi, intra quatriduum fungos non ingratos procreant. Nos Romæ & Neapoli vidimus.* Julius Cæſar Scaliger *in libro exotericarum Exercitationum de ſubtilitate ad Cardanum, ex. 87.* lemmate in-

p 408.
- 406.

inſcripto *de Lapide fungifero* ſcripſit hæc: *privata lapidis natura inter admirabiles referenda. Is apud Romanos magno in pretio eſt. Unum vidimus Neapoli, quo in regno tradunt inveniri. Cruſtâ eſt craſſâ: ea terra dodrante opertâ, aſperſáq; tepidâ irroratione quarto poſt die fungos edit.*

Joh. Bapt. Porta varietatem lapidis illius adducens non ſolum ex monte Veſuvio tales Neapolim, ſed & ex Parthenico monte Abellinum, in Apulia ex Gargano & altioribus montium partibus, adferri refert. Addit porrò, *fungos tales in ſaxis naſcentes dictos Lyncurios miro experimento frangendis calculis eſſe proficuos; quippe umbrâ ſiccati, contriti, potiq; jejuno cum urina veteri ita renes expurgant, ut nunquam in eis calculi regenerentur*; quod frequenter ſibi uſque admirationem expertum aſſerit. *lib. 6. Phytognomic. c. 20.*

Formam quod attinet horum fungorum, ex radice lapidoſa quæ & ſciſſilis, & geniculata, cujus extimæ fibræ ſunt veluti capillus tenuiſſimæ ac variæ implicatæ, patet. Ex ea fungus primùm erumpens veſiculam præſentat majorem aliquantùm gemmæ vitis magnitudine, aut paulò majore; quæ digitis compreſſa addit humorem aquæ ſpecie, ſaporis aciduli guſtu. Fungi hujus germen ſi adoleverit, digitali uſque longitudine attollitur, infimo pediculo nixus, quò magis terræ appropinquat, gradatim tenuiore. Fungi verò ſuperior, quâ cœlum ſpectat, facies umbilicata eſt & levis; inferiore ſeriatim qſ. ſtriata apparet, in morem cæterorum fungorum, alveolisque denſo nexu minutiſſimis, & creberrimis punctulis conſperſus; ſuavitatem comeſtus in ore prodit fungus ille, & ideò etiam ægrotis exhibetur ad manducandum, ritè à coquo præparatus.

Curioſus Marci Aurelii Severini animus non minus de ulteriore fungi hujus uſu therapevtico ſolicitus cum Joſepho Donzello, Doctore Medico Neapolitano mecumque Chymica tales aggredi manu voluit! id quod teſtatum, voluit in ſua de lapide fungifero epiſtola. *Præſtat*, ait, *multò graviſ-*

*ſimas*

*ſimas & extremas aggredi obſervationes, quæ per Analyſes Hermeticas compertæ fuére & mihi, & Joſepho Donzello Neapolitano, ingenioſo & ingenuo Spagyricorum primo, meo & egregii Viri Johannis Georgii Volckameri amiciſſimo; qui ſuapte manu rei voluit totius allaborator eſſe.* Exinde extracta aqua fatua, ſpiritu, oleum, ad Guajacini per retortam pulſi ſaporem & odorem maximè accedens, linis, è quo ſal valdè acris prodiit: quæ omnia in literis ad Excell. Dn. Mich. Rupertum Beslerum de Lapide fungifero anno 1642. perſcriptis uberiùs legenda Lect. benevolo relinquo, in Tractatu Caroli Avantii, Cœnam Bapt. Fieræ Mantuani Commentario elegante exornantis, Patavii Anno 1649. in lucem edito.

# ADDENDA
ad
Obſervat. XXXVI. ſuperiorem.
*De*
## Piſcaturá Margaritarum, communicata
*à*
Rev. D. SERVATIO CLAVIO, Miniſtro Verbi divini Bataviæ novæ, in Javâ majore.

URinatores veterum athletharum ritu oleô per aliquot dies corpora frequenter inungunt, ciboſque confortantes ſumunt, ne aqua corporibus nudis damnum exterius inferat, viresque eorum perdurent: deinde muniunt etiam ſeſe tribus Oltiis (i. e. foliis arboris meſpili ſylveſtris, in quibus ſtylo ferreo ſolent ſcribere & charactere exarare) contra piſces infeſtos, qui Lamiæ vocantur. Hæc folia ipſis Ole dicta, peculiaribus characteribus inſignita, ibi locorum publicè venduntur à vetula quadam & ejus filio, qui à Lutecoryn eò ſe lucri causâ conferunt, & foliis

his à mercatoribus urinatoribus & piſcatoribus non exiguam pecuniam acquirunt. Hæc cùm ita ſint parata, urinatorum nomina, patriæ, loca, ubi habitant, & contractus initi, regiſtro inſcribuntur, quò jura ſolvant Domino loci. Hæc olim erant æqualia cunctis urinatoribus, ſive eſſent ethnici, æthiopes ſive chriſtiani & pendebantur Luthecoryni, ubi ſæpiùs ethnici & æthiopes cum Portugallis ad jurgia & lites venêre adeò, ut tempore quodam duo mercatores Portugalli cum Presbytero ab æthiopibus fuerint occiſi. His de cauſis ethnici cum æthiopibus diu ad hanc piſcaturam non admiſſi fuerunt, donec Portugalli videntes abſentiam ethnicorum & æthiopum nullum adferre lucrum, denuò illos invitarent, ut conſueta hæc munia cum ipſis iterum obirent, hac tamen conditione, ut æthiopes ſupra conſuetum tributum quinque thaleros, ethnici verò ut complices diſſidii duos cum dimidio plùs ſolverent, quàm Chriſtiani, quorum quilibet urinatorum vetus tantùm tributum præſtare debebat: & ita illud quod ab ethnicis & æthiopibus expenditur, pœnarium æs etiamnum hodiè dicitur: Cùm itaque piſcatura inchoatur, urinatores, quorum 8. 10. quandoque 12. una comprehendit navicula, incipiunt ſe ſubmergere exilientes in mare, quibus ſingulis duo inſerviunt viri ad id deſtinati, ut eos obſervent, & cibo potuque reficiant. Summô igitur manè datur ſignum ex tormento bellico, quô factô, naves omnes in altum ventô ſecundô è terra flante navigant. Cùm ventum eſt ad loca conchyliorum, quæ facilè cognoſcuntur vaſis ligneis circa ea poſitis, urinator quilibet pedes ſuos ponit in reſtim, cui inſidet, & cui alligatus eſt ponderoſus lapis, ut eò celeriùs fundum maris pertingat; circa collum pendet verſus abdomen rete quoddam, in quod conchylia colliguntur. Præparatus ita urinator ſpiritum validiſſimum haurit, aêrem, quantùm poteſt, attrahendo: alterâ manu nares arctiſſimè claudit, ne quid ſpiritûs ſub aquis egrediatur, & ita in fundum maris ſe demittit.

Quô

Quô factô lapidem ſtatim ſolvit, ut à ſociis ſuis ſurſum in navim trahatur, deinde rete ſuum laxat, ut expanſum ante abdomen ſuum pendeat, in quod tot oſtreas margaritiferas, quantum poteſt, & ſpiritus præcluſus permittit, legit: demum rete ſuum oſtriis plenum projicit ſuper humeros in tergum, & datô ſignô celeriter à ſociis ſuis eâdem reſte retrahitur ſurſum in aërem, ut reſpirare iterum poſſit. Urinatoribus primâ vice ſubmerſionem hanc expertis, cùm ad aërem redeunt, ob ſpiritum diu præcluſum & aquæ marinæ in fundo pondus, ſanguis ſæpè ex naribus & auribus ſolet erumpere: hoc autem ſymptoma alterâ vice & conſequenter ceſſat. Productæ ex mari oſtreæ (quæ vulgaribus planiores & verſus caput paullo latiores & depreſſiores ſunt, carnesque tenaciores habent) circa veſperam in continens littus devehuntur, ubi in foveam quandam, ad id factam, conjiciuntur, in qua moriuntur, & fœtorem vix tolerabilem de ſe latè ſpargunt. Confluunt ad locum tot muſcarum myriades, ut homines præ illis vix comedere aut aliud quid agere poſſint, ſique una illarum muſcarum hauſtu per œſophagum fortè in ventriculum feratur, evertitur ſtatim ventriculus & vomitu rejicitur, quidquid cum muſca aſſumptum fuit. Vincit tamen hanc moleſtiam omne ex piſcatura hac proveniens lucrum. Uniones carnibus Oſtrearum, quandoque teſtis, diverſimodè quidem, uni magis quàm alteri inhærent.

## Propter Magnetis Declinationem ex India Occidentali

## Dn. JOH. GEORG. GOLLINGIUS, Merc. Norib. *ad* HELIANTHUM talem transmisit Relationem.

*Ignote licet, Honoratissime tamen, Domine & Amice.*

VIdi ex tuis ad Dn. Gollingium hîc locorum in Insula Curakao commorantem datis, magnum & laudabile tuum desiderium cognoscendi, magneticarum acuum declinatio quo pacto in his oris se habeat: ideoque certiorem Te hoc ipso facio, magneticas acûs hîc per totam Indiam occidentalem non nisi 4. gradûs declinare à Septentrione in Orientem, prout ipsemet per annos 28. continuos deprehendi. Etenim Africanas regiones invisi quinquies ac lineam Æquinoctialem decies trajeci, in quibus itineribus eandem ferè declinationem observavi; prout ad oras Africæ sub longitudine 32. grad. eam 4. graduum notavi. Insula Curacao sita est sub $12\frac{1}{2}$ gradu latitudinis Borealis ac 308. gr. longitudinis: Honduras e contrà regio habet 258. gradûs longitudinis & 15. grad. latitudinis; & in hac magna distantia longitudinum parum differentiæ in declinatione notavi. Quod si verò sub uno horum meridianorum rectà Septentrionem versus vela pando, reperio (prout ipso facto reperi) statim auctiorem declinationem, 9. ad 15. usque grad. sub longitudine Insulæ Curacao & lat. 42. ac 43. grad. Ita cum ex Belgio in Boream excurro à 53. gr. lat. usque ad grad. 72. sub eodem meridiano, experior acum magneticam 16. gradûs à Septentrione in occidentem; & plus ultra versus polum Boreum ad Insulam Spitzbergam sub lat. 82. grad.

quæ

quæ loca pariter invisi, deprehendimus acûs declinationem 22. grad. in occasum: ut non videam, qui possit certa haberi regula ex geographicis locorum conditionibus, quasi nempe sub eadem longitudine eandem ubique oporteat esse declinationem. Plura & alia circa hæc indicare Tibi non possum, quandoquidem hoc etiam video, non esse acûs omnes ejusdem notæ ac bonitatis, nec inter se satis ipsas consentire. Commendo igitur hanc rem curiosis omnibus, ut pro virili eam porrò perscrutentur ac certi quidpiam boniq́ue detegant: id quod per DEI Gratiam ipsis toto pectore precor. Ego enim maximam vitæ meæ partem transegi, anno 52. ætatis jam superato. Commendo igitur Te, mi Domine, Divinæ protectioni, eroq́ue qui sum

*T. Dominationis*

Servus

Johannes Richardi.

FINIS
CORONAT OPUS.



# APPENDIX
*AD*
# ANNUM TERTIUM
DECURIÆ II.
# EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM
NATURÆ CURIOSORUM,
In Germania.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M DC LXXXV.



## CONTENTA APPENDICIS P. P.



GRA-

GRATVLATIO ET VOTA,
AVGVSTISS. IMPERATORI,

# LEOPOLDO I.

OB LIBERATVM
CVM VIENNA IMPERIVM,
SVBJECTISSIME NVNCVPATA
AB ACADEMIA NATVRÆ CVRIOS.
IN HOLSATIÆ ACADEMIA KILIENSI,
INTERPRETE VTRIVSQVE
COLLEGA, J.D.M.

PROGRAMMA INVITATORIVM.

# PRORECTOR
ET
# SENATUS
## ACADEMIÆ KILIENSIS
BEN. LECTORI

*S. P. D.*

*IPse nunc annus eſt, & perendinus qui imminet dies inſignis memoriam victoriæ reducit, quam à Chriſtiani nominis hoſte, omnium ſeculorum linguis deprædicandam, Imperator noſter auguſtisſimus, ejusq; Paraſtatæ, Heroes incomparabiles, divinis auſpiciis reportarunt. Nam ſi quis ab omni ævo memorabilis Auſtriacæ genti, ſi quis Germano populo, ſi quis univerſo denique orbi Chriſtiano illuxit dies, ſecundus ille Septembris eſt, quo non de regionibus & agris, non de fortunæ ſpoliis; ſed de libertate, de religione, de ſalute noſtrâ certatum, de hoſte immanisſimo triumphatum eſt. Itaque meritò tum omnium linguæ in jubila ſolvebantur, quorum animi conſternatione dejecti, præſens ſibi exitium ominabantur: unde divinâ manu erepti non annuos ſed quotidianos ducere triumphos debent. Duillii, qui primus è navali adverſus Carthaginenſes victoriâ triumphaverat, tantum fuiſſe gaudium Florus memorat, ut non contentus unius diei triumpho per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, præcinere ſibi tibias juſſerit,*

*quasi quotidiè triumpharet. Quantò verò major in hac tam incredibili, tam admirabili victoriâ quotidiè triumphandi lætandique causa est, quâ omnium salus continetur, cujus fructus ad universum orbem Europæum pertingit. Hujus gaudii & fructus ad se quoque pertinere partem Illustris Naturæ Curiosorum per Germaniam Societas arbitrata est. Quæ cum pulcherrimo instituto, ad naturæ secreta altius rimanda operas jungat, & ad has pacis artes cum autoritate tractandas Augustissimi & Invictissimi Imperatoris* LEOPOLDI *clementissimo præsidio fruatur; facile, quantum etiam hâc victoriâ suis utilitatibus prospectum sit, intellexit. Quæ enim ipsis fortuna, quæ res, quæ spes, non salvo Augustissimo illo suo Capite? Nam hoc se titulo à Societate suâ salutari clementissimè permisit, eique primum Illustrissimum, & tam belli quam pacis artibus Inclutum Heroem ac Dominum: Dn. Raymundum Comitem Montecuculeum, atque ubi ille fatis concesserat, Reverendissimum atque Celsissimum Electorem Moguntinum Protectores constituit. Ne quid nunc de variis in Societatem collatis beneficiis dicamus: nam ut narratum nobis est, & selectorum cimeliorum icones æri incisas, ad illam misit, & torquibus aureis nonnullos è sociis ornavit, & amplissima prætereà privilegia promisit. Quare cum lætandi gratulandique causas non communes tantum, sed & proprias easque gravissimas haberent, pietatem suam ac devotissima testaturi officia, Nobilissimum & Celeberrimum Virum Dn.* JOHANNEM DANIE-

LEM

*LEM MAJOREM, Professorem Facult. Medicæ primarium, Serenissimi nostri Principis Archiatrum, nostrum ab ipsis circiter XX. annis, & Academiæ incunabulis Collegam conjunctissimum, & suæ Societatis nostrumque insigne decus, delegerunt: qui Augustissimo Imperatori Dominoque LEOPOLDO de repressis hostibus, liberatâ Vindobonâ atque Germaniâ, publico societatis nomine gratularetur, ac pro salute ejus, pro triumphis perpetuis vota nuncuparet. Quas cum in se partes lubentissime Collega noster honoratissimus susceperit, eo ipse die, cujus tantum beneficium est, ut nulla unquam ætas non meminisse debeat, die scilicet Martis proximo, horâ X. hujus victoriæ magnitudinem publicâ oratione celebrabit, suum illud Epiphonema, quo annus signatur, ingeminaturus:*

VIVat LeopoLDVS & feLIX sVIs IMperet!

*Quando itaque & eruditione Collegæ Clarissimi dignam, & submissæ venerationis affectu plenam orationem exspectamus omnes, Vos Hospites omnium ordinum honoratissimi, Vos, Cives Academici, ut orantem audire, cumque ipsius votis vestra quoque pro aris & focis nostris, pro armorum nostrorum felicitate, pro omnium denique salute conjungere velitis, peramanter invitamus serioque adhortamur. PP. Kiliæ d. XXXI. Aug. Anno* cIↄ Iↄc LXXXIV.

I. N. J.

*Magnifici & Illustres,*

*Amplissimi, Venerabiles, Nobilissimi, Præclarissimi & Præstantissimi Domini*

DOMINI AUDITORES,

*omnium ordinum honoratissimi lectissimique:*

SI Tempus ullum infaustissimi Ominis, & sub Regimine præsertim *Augustissimæ Domus Austriacæ*, periculosum eidem, totique non dico Imperio Occidentis, sed vel Christiano Orbi reliquo, fatale identidem, & extremis irretitum Difficultatibus exstitit, hodierna Dies Secunda, Mensis Septembris, nuper elapsi Anni, supra Millesimum Sexcentesimum, octoagesimi Tertii fuit: relata ad Tabulas Æternitatis, non Encausto vel Sepiâ, sed Lacrymis, Sanguine, & Martyriis Christianorum. Quorum multa millia, partim cæsa crudeliter, partim in captivitatem ducta, Flagrisque, Carcere, Triremibus damnata, & mœstè etiamnum suspirantia sub Jugo barbaro, Exemplo docuerunt, quanta, quamque Infernalis Tempestas, facilè submersura non *Viennam* modò, sed totam, quanta quanta est, Europam fuisset, nisi DEUS T. O. M. effrænes Mahumedanorum Copias, tanquam Belluam, furoris Oestro actam, injecto in os Capistro, & hoc pacto longè latèque diffusas Thracici Pharaonis iras, tanquam gurgitem, Flammis manantem ac sulfure, in ipso *maximè Regio*, *Augustæ Sedis Limine*, quam potentissimè cohibuisset.

In cujus Rei Memoriam, & Pietas ante omnia postulat, ut Grates devotæ NUMINI tam benefico nuncupentur; & peculiariter Mihi à *Perillustris Societatis Naturæ Curiosorum Magnifico Præside, & Adjunctis Clarissimis*, est per Literas injunctum, ut Gratulatione aliquâ, tanquam Obelisco, in publicum statuendo, *in Borealibus his Oris S. Romano-Germanici Imperii,*

*Imperii*, non minus irrefragabilem *ſubjectiſſimi Cœtûs* Lætitiam, æternas Laurus merito *Sacratiſſimo Capiti* ſuo, LEOPOLDO, teſtatam facerem, quam Aliorum honeſta pectora, ad ſimiles Plauſus, vel proferendos Mecum, vel certè non improbandos, haut ſegniter invitarem.

Quo in negocio equidem nec pertractatu putem inutile, nec auditu inamœnum, ad evolvendas Antecedentium Seculorum Memorias, prolixiùs digredi, principioque facto à Tempore Aboriginum & Regum Latinorum, uſque ad Romulum & Succeſſores ſuos, hinc longiſſimâ Serie ductâ per Dynaſtiam Conſulum, uſque ad Necem Cæſaris & Auguſtos, Exemplis declarare, quot & quantis modo-dictum Latiale Imperium, cum Eccleſiâ DEI, tâm ante, quàm poſt Diviſionem illius, ſubjectum multoties Calamitatibus fuerit, poſtquam nempe nunc Dominantium Ambitio & Faſtus, nunc Avaritia eorundem, Crudelitas, aut Aſtus; vel ex adverſo Puſillanimitas, Socordia, Luxus, & Imperitia: nunc Subditorum Perfidia, aut Suſpicio, & erumpens in ipſam Seditionem, exacerbatæ Plebis Furor: aut utrobique illati ab Exteris hoſtiles Impetus, cum Fame etiam aliquando & Peſte, divinitùs immiſsâ, tanquam Secures totidem & Clavæ, alternis ictibus, ſurgenti in altum *Auguſtiſſimæ Moli*, excidium minantes, per diverſa Temporum Spacia, conſpiraſſe videntur, non forſan ad Læſionem qualemcunque inferendam Romano Nomini, ſed ad Everſionem facilè metuendam omnimodam, Perniciem extremam, ac Exſtirpationem.

Nolim tamen ad Vaſtitates illas Annalium fuſiùs abripi, cumque Auribus veſtris, *O gratiſſima Mihi ac Muſis Pectora*, Tempus ipſum conterere, in operosâ Rerum, utcunque minoris; atque iterum dico, minoris Momenti enarratione: ſi videlicet quotacunque *Romani Status Pericula* priſtina, conferamus cum iis, quæ ante Annum contigerunt, & quod excurrit, in partibus Auſtriæ & Hungariæ.

Nam

Nam quod Dominatrix Resp. usque adeò impunè semper, quasvis alias Gentes sub jugum suum non reddidit, quin ipsam quoque interdum nunc *Hetrusci*, nunc *Galli*, à Camillo mox repressi, nunc *Volsci*, gravique ad Cannas affectam Clade, per fulmineum Belli Ducem, *Hannibalem* in Bello Punico II. victrices hujus Copiæ subigerent; id modò experiemur, rationem ad Tempora nostra habere perexiguam; quandoquidem *Serenissimæ Domui Austriacæ*, & per eam *toti Romano Imperio*, finitimisque, Christum adorantibus Regnis, Res proximè non erat cum unâ Gente aliquâ *Hetruscorum*, *Gallorum*, *Volscorum*, aut *Carthaginensium*: sed cum ipsis trecentis Millibus Hostium, ex omni quasi Orbis habitabilis Angulo, Europâ puta, Asiâ, Africâ conscriptorum, inque auxilium, vocatorum; præcipueque Thracibus, & inter illos, decem Janizarorum millibus; Arabibus item, Mauris, Ægyptiis, legionatim undique confluentibus, & velut per Inferorum Portas emissis: qui omnes vastissimo circa Viennam tractu, usque ad Danubium, Castra sua posuerunt, magnoque Impetu, tanquam Grandine, feracissimam Vini ac Metalli Hungariam, cum Austriæ parte, obruerunt.

Aut quod suo tempore dein, ante Dictaturam Julii Cæsaris, Eversio præsentissima imminebat Romæ, per *Catilinæ* Conatus in Patriam planè impios, quibus ille non Ciceronem modò, totumque Senatum interficere, sed urbem quoque incendere, & cum Sacrilegæ Factionis suæ complicibus Remp. pro libidine invadere decrevit, ideoque noctu in abditam quarundam Ædium partem cum illis congressus est, ut procul amotis arbitris, nefandæ Conjurationis suæ Idolum exstrueret; sed maturè repressus per tempestivam laudati Tullii vigilantiam: istud similiter infra Machinationes Turcarum longiùs positum arbitror: quippe venerunt hi consilio nocendi & rabie, non tantùm *Catilinæ* non impares; sed Eodem Viribus etiam, ac Numero majores. Et venerunt minimè clàm, more latronum, de Nocte surgentium;

tium; ſed *Mahomet IV.* impudenter primùm ruptâ fide, quam de Induciis vicennalibus plenè ſervandis, *Auguſtiſſimo Leopoldo* noſtro dederat, Juramentis ludens, ut Trocho Pueri, Hoſtilitatem palàm *Cæſari* denunciavit, duce *Teckelio* ineſcatus ab Hungaris. Quorum nobilis aliàs, in ſervanda *Imperatori* fide tenax, & bellicoſa Natio, quicquid noviſſimè ſub Rebellionis Larva peccavit (præſtitiſſet enim, ſub Afflictione malle ſuccumbere, quam calcem obvertere ſtimulo:) per inexpugnabilem quendam deſperati Mœroris impetum peccavit, poſt Preces videlicet omnium humillimas, quibus fruſtra identidem, pro Conſcientiæ libertate procumbebant, non æquè benevolè ſemper commendatas Oculis & Auribus *manſuetiſſimi Principis.*

Venerunt itaque Turcæ; & Præcurſores hincinde emiſerunt Tartaros, qui primos Chriſtianis inferrent impetus, & Terrorem ipſis incuterent. Gentem naturâ crudelem & barbaram, Latrociniis, Equitatu, Sagittis claram, nihilque humani, ſi faciem excipias, habentem. Cum quibus proruebant, tanquam rapidus Amnis rupto Aggere: Ferroque ac Flammis truculenter ac fœdè diruebant omnia, nec Templis aut Aris, nec Ætati aut Sexui parcentes.

Dicam verò quid amplius. Quod poſt Catilinam olim *Julius Cæſar*, recens-introductâ à Se Dominatione Monarchicâ abuſus, non modò Honores quoſvis ſummos & Axiomata, ad libidinem cepit ac dedit; ſed ſenſim quædam ampliora etiam humano faſtigio, ſibi decerni paſſus eſt; & Templa videlicet, & Aras, & Simulacra juxta Deos poſita, & Pulvinar, & Flaminem; & effictum ex Ære ſtatui ſe nuper Imaginem Orbis Terrarum, cum Inſcriptione; *Semideus eſt*: & ſic Cultûs Divini portiones in Urbe, Gentium Dominâ, ad ſe rapiens, Summa Imis vertit: nec hoc ipſum genus Ambitionis, tanti momenti eſt, ut multùm intolerabiliori Arrogantiæ Ottomannicæ meritò comparetur. Nam *Julius* ſe parem ſaltem diis ſtatuere, cæterà verò, Honorem ipſis de-

cretum, nequaquam abripere; *Mahomet IV.* verò se multis partibus DEO majorem potentioremque venditare, ejusque *S.Sanctum Numen*, (si fides habenda Relationibus publicis est,) Criminationibus horrendis, Blasphemiis, & Comminationibus, lacessere non dubitavit, in transmisso ad *Imperatorem* Libello Provocatorio, ad cujus Conspectum Sol erubescat, contremiscat Tellus, rumpantur Catenæ Montium; nam scripto non Hominum digitis, sed infernalium unguibus Harpyjarum. Inque opprobrium *Christi* ausus est, maledictum Acinacem evaginare.

Cui Vesaniæ postquam Idem habenas adeò demum laxavit, ut ad *Viennam, Obsidione claudendam*, jam apparasset omnia; ecquid est, quod post Cæsarem porrò *Neroni* nigricans Stygma inuramus, postquam hic planè laudabilis Princeps, sed transacto Quinquennio, totus furor factus & rabies, urbem urbium Romam, quam Comicis Flammis modò destruxerat, effuso mox Christianorum Sanguine, restinguens, in Fumo & Flammis fictitiæ suæ Trojæ, per moram saltem unius aut alterius Horulæ, noctu deliciatus est? Nam Scenica isthæc dictæ urbis Incendia, pariter vix accedunt ad plusquam mille Pagos & Oppida, Hungariæ ac Austriæ, quæ à Turcis ac Tartaris, toto quasi Mense transacti Anni, perdiùs pernox, in cinerem sunt conversa. Atque tum haut minùs, in primo statim Obsidionis Orgasmo, ad ipsa Urbis Viscera, ibique ad Sacro-profanas Ædes pulcerrimas, contra jus & morem honestæ Belligerationis, furtim positi Ignes, perniciosè grassati sunt; quam foris præsertim tota Belli Moles, in unam *Viennam* translata, id effecit, ut obsessos supra modum defatigarent continua Tormentorum & Granatorum fulmina, Muros, Ædes, Aggeres diruentia; *Arcemque Leopoldinam* (quanta Clades!) vi globorum innumerabilium reddentia undique Cribro similem; Taceo suffossum largè in Cuniculis, nitrosum Virus, per vices hinc inde accensum; cumq; mugiente Bombo, ex Mortariis arcuatim projectas

jectas per Aêrem, vaſtiſſimas Globorum, tanquam Montium, ignivomorum moles; & non facilè enumeranda mihi plura alia.

Quorum intuitu, *Vindobonenſes* negocium ſibi intercedere, non cum humano Exercitu, ſed cum Furiis Infernalibus, & tumultuantibus Spectris, rati ſunt, aut Mars creditus, ex igne, à ſuâ Sphærâ, flammiferis Draconum Alis vectus, inter Arſenicales ſulfuris Nimbos, deſcendiſſe in Terram; & Plutus, Cerbero inequitans, cum omni Vulcanorum familiâ, evocatus ex ſubterraneis, in irrefragabile Urbis excidium, cum illo quàm ſeriò conſpiraſſe.

In quo tam fervido, & ab utraque concertantium parte, ſanguinolento Rerum bellicarum Curriculo, quamvis ulteriùs diffiteri non debeam, ſi Calculum forſan ponere, atque ad computandam Chriſtianorum ſtragem, quos tum bimeſtris iſta Obſidio, tum antecedens ipſam, Auſtriæ & Hungariæ deſolatio abripuit, cum Numero illorum, qui per *ſævitiam Neronis* primùm, anteà dicti, hinc *Domitiani, & reliquorum Eccleſiæ Perſequutorum*, occubuerunt, jugulata noſtrorum Hominum millia (multa licet) componere cum Martyrum Veterum centuplo populoſiore excidio velimus; Antiqua iſthæc Tempora, quoad hanc partem, indubiè exſtitiſſe præſentibus funeſtiora, poſtquam unus *Decius*, ob ſævitiam Canis dictus, adeò fuit Chriſtiani Sanguinis ſitientiſſimus, ut numero Martyrum æquaverit Arenam Maris; & *Diocletianus* tam crudelis, ut ab eo univerſum Chriſtianorum Nomen jam crederetur penitùs exſtinctum; nam *Perſequutio ultima*, hoc Autore facta, ipſum perſeverans Decennium, Ferro, Cruce, Igne, ſi ulla alia, planè exſtitit infamis: donec miſerrimam hoc pacto, & per diverſa Suppliciorum genera, ad extremos quaſi Agones redactam Eccleſiam, Conſtantinus M. reſtitutâ Pace, inque Orientem translatâ ſede Imperii, à Perſequutionibus utcunque reſpirare fecit.

Veruntamen, quid Corporales omnium etiam Martyrum priſtinorum occubitus, quotquot ſive in memorabili illo,

illo, *decem grandium Persequutionum* Curriculo, sive sparsim ulterius nobilitatas æternantibus Palmis feliciter Animas Deo reddiderunt; quid isthæc omnia, ad deperditam in æternùm unicam saltem Captivi vel Occisi Hominis Animam, preciosissimo Christi Sanguine frustraneo redemptam, ut damnum tale, quàm irreparabile, tam nullis Lacrymis & Suspiriis ullo in posterum Ævo exspirandum sit? Cujusmodi Captivorum verò, non certè unus aliquis, duo, aut tres, sed aliquot Mille, ante annum, deducti in Thraciam sunt, ibique dein partim vi, partim metu spontaneo Torturæ ac Mortis, in continuâ Verbi Divini desuetudine, ipsi etiam sensim ex Christianis Infideles redditi non Christianos ampliùs, sed Molocho in victimam, Mahumedanos certissimè propagabunt Liberos. Quæ Pestis Animarum, & irreparabilis earundem jactura, censenda venit tantò atrocior, quò in uberiores Nepotum ac Pronepotum Ramos, intra unius saltem Seculi moram, Hominum Generationes se facilè multiplicant.

Ac propterea quis scit, an-non ipsorummet plerique, ante Annum *Viennam Obsidentium*, quos Turcici Nominis odio, Diris omnibus devovemus ac detestamur, si Parentes eorum spectemus & Avos, aut antiquiorem Originem, pariter fuerint Christiani?

Ita, inquam, vel centies mille Hominum Mortes Corporeæ: quibus prisci Martyres, sub *primis decem Persequutionibus* inclaruerunt, propemodum Nihil sunt ad internecionem novitiam Animarum.

Nihil ad eandem Torturæ, Fustigatio, Flagellatio, Suspensio, Cædes, Submersio, Excoriationes, Detruncationes, Vivicomburia, & quævis Sævitiæ genera alia, quibus postmodum, Tempore *Theodosii ac Honorii & sequentium*, longè post Decium ac Diocletianum, aliud insuper, in Italiâ, genus Diabolorum invaluit: Hoc est, *Gothi, Vandali, Alani, Longobardi, ac alii*, agminatim in Imperium irruentes, idem quoque per & extra Italiam, prædam communem Exterarum Gentium

tium penè quarumvis tum redditam, miſerrimè dilaniarunt.

Quâ Occaſione hîc minimè aliàs tacendus foret, poſt *Alaricum*, prædonem Romæ, omnium famoſiſſimus Rex Hunnorum, *Attila*, Incendia quondam gerens in corde, caucaſi rigores in Capite, & Flagellum in Manu, imò ipſe Flagellum Numinis; qui omne id, quod illi forſan intactum liquerunt, exceptis Paludibus Venetis, funditus exſtirpavit ac diruit, quingentis mille ad id ſtipatus Militum Exercitu:

Sed jam ſatis, *Auditores*, vos puto intelligere, ſi DEUS, juſtiſſima Fata ſua Peccatis noſtris æquaturus, tot tantarumque Calamitatum Fluctibus libertatem concedere voluiſſet, eousque ſe diffundendi, quorſum naturaliter poterant, quanta Germaniæ Deſolatio, imò funeſtiſſima Statûs publici per totam Europam Tragœdia, manſura Nos citra dubium fuiſſet.

Idque eò magis, quò tum potentiorem, celeriorem ac vigilantiorem Hoſtem habuimus; tum in plures diſſidentium partes (proh dolor!) infeliciter diſcerptum erat Imperium, ut difficiliores proin ac tardiores, *ſacratiſſimo Imperatori noſtro*, Suppetiæ ferrentur.

Quam in rem liceat mihi, inſuper habitis reliquis Caſibus omnibus, quibus Fortunæ adverſitas, in perſpectam in Somnio memorabilem Statuam Nabuchodonoſoræam, (pro Monarchiâ Romanâ communiter habitam) modò ab hac modò ab aliâ ejus parte, fervidiùs arietavit: liceat, rogo, mihi, unicam demum, eamque brevem, priſtini Statûs Romano-Germanici, cum periclitante ante Annum noſtro, Collationem breviter ſuperaddere, ut non minùs quantum alter ab altero diſſideat, quàm præſertim, quid exſecranda Animorum Disjunctio, ad facilè diſſolvendum Corpus Imperii valeat, tanta liquidius pateſcat.

Ante ſexcentos Annos videlicet, & quod excurrit, ad Clavum Regiminis ſedebat *Henricus IV.* Imperator naturâ quidem aut Moribus non malus; & minùs dextrè ſaltem à Matre

educatus; cæterùm verò accreſcentibus Annis, Amore pro Republicâ, inque adverſis Conſtantiâ ſatis clarus; Id Fati genus veruntamen expertus, ut Germania ſub nullius Principatu Calamitatibus affecta majoribus fuerit, quàm ſub Suo; Imperii Membris diverſam viam euntibus, Nervo Rerum gerendarum internecinis vulneribus disrupto, Autoritateque & Majeſtate Cæſareâ, cum libertate Populi, imminutâ, inſigniter, & penè dixerim conculcatâ; nam ſubmiſſâ *Gregorii VII.* arbitrio. Qui Pontifex, aliàs dictus *Hildebrandus*, ſicut erat homo compoſitæ Mentis, ſinceri pectoris, pacifici Cordis, unoque verbo, Sanctus, & Apoſtolicus, quod bene ſit! imò verò rectiùs dicendus Inſania; nam Terram Cælo, divinis humana miſcens, & hoc fine non minùs Discordiarum Semina, inter Imperatorem ac Ordines, ſpargens continua, quam à juratâ fide, Magiſtratibus debitâ, tanquam Carcere, per plenitudinem potentiæ, Sanctæ Clavis, confidenter nimiùm Subditos liberans; ita his ac aliis modis, univerſi Corporis Germanici Syſtema, non dubitavit retexere, contraque Æquitatem quidvis ſtatuere, ut in ſummâ quadam Rerum omnium confuſione, videretur univerſa Europa contremiſcere, & velut attonita, quorſum ſe inter tot Mala domeſtica & diſcrimina verteret, neſciret.

Enimverò, annon hodie præſertim infinities major undique deprehenditur Magnatum Ambitio, & Fines ſuos extendendi Cupiditas, quàm erat in diebus iſtis? Tanta ſanè, ut quemadmodum inter Privatos rarò accidit; quenquam ſorte ſuâ contentum; ſic certiſſimè mihi perſuadeam, ſi fieri poſſit, ut Pomum hoc Eridis, quod Globum Terr-aqueum appellamus, in vaſta licet jam ſatis Imperia diviſum, in toto ſuo ambitu, ad altitudinem centum Milliarium, circumcirca excreſceret, & hoc pacto Principum Ditiones, juxta peculiares quæque determinationum ſuarum modos, proportionaliter ſibi invicem coëxtenderentur; ex quo longè vaſtiſſimi Regnorum Tractus porrò ſint emerſuri; nedum

tamen,

tamen, Plus Ultra eundi identidem, & vim inferendi aliis, mensuram facilè, Terminum aut modum fore.

Ex quâ Animorum Immoderatione, aut ut molliùs dicam, quadam acquiescendi impotentiâ, tanquam noxiâ Arbore, divisio eorundem omni ævo succrevit; eaque demum Calamitas, in *Leopoldum nostrum*, *Pium*, *Justum*, *Moderatum*, *Magnanimum*, per Conniventiam Fati, expetiit, ut dum simultatibus partim & Dissidiis, partim professo Marte, & damnosis ejus Operationibus, agitari omnia, & hoc pacto non *Rhenum* modò turbatis Fluctibus labi, exoculatamque *Strasburgo* Germaniam; sed totam quasi Europam (Britanniâ forsan exceptâ, & Cantonibus Helvetiis) experiretur, Quiete aureâ exutam, & loco hujus, Discordiarum Furiis vexatam, sævire in propria viscera; suppetiæ tamen *laudato Imperatori* contra grassantem potentissimum, totius Christiani Nominis Hostem, Portis Viennæ jam imminentem, aliquandiu ferrentur aut planè nullæ, aut à paucissimis, ac perquam tardæ; postquam nempè, parato licet Exercitu, nutantem Reip. Molem fulcire aliqui, vel nolebant, nescio quâ causâ; vel morosulè protrahebant sub prætextu Festinationis interdum noxiæ; vel ob difficultatem Trajectûs, aut Fœdus cum Exteris, aut Bella domestica, aut insidias proprio Jugulo imminere traditas, non affatim audebant; exceptis paucis, ut dixi, infra enumerandis, quorum honorificam nunquam patiemur interire Memoriam.

Certè, quod in magnificâ Domo aliquâ, præstant Feramenta & Calx; id in Societate Civili, & conservando Statu publico, est Ordinum Concordia. Relaxatis illis ac fatiscentibus, Rimam Fundamenta facilè contrahunt, inclinant Parietes, titubant Columnæ, Fornices rumpuntur, contremiscunt Fastigia, & dissiliens cum fragore tota Moles, Ruinæ suæ destinatur.

In cujusmodi *Dissensiones Statuum*, & hinc facilè præsumendam *Dissolutionem Imperii*, Turca utique, post introductam

ductam à Muhammede jam ultra mille Annos, doctrinam pestilentissimam, nullo non tempore nimiùm quantùm incubuit, Colubro quovis, Cane, suoque Lunari Sidere vigilantior. Quod Exemplis probari posset, si ad longè vastissimos Historiæ Turcicæ Annales, inque iis ad stupendos sæpè Infidelium contra Christianos Successus, & ad causarum præsertim, Adminiculorum, & occasionum præcipuarum Enumerationem vellem devehi, quarum opportunitate videlicet factum fuerit, aut culpâ, quod Potestas Turcica, isthæc Incrementa sua, Gangrænæ aut Sphaceli in morem, de die in diem sumserit, & haud obiter Hostes sibi de obtentis adeò feliciter *Principum Christianorum Discordiis*, gratulentur. Ex hoc pessimo enim Fonte, atque utinam Fonte Oblivionis possemus dicere, Errores diversi generis alii, tanquam Rivi & Amnes, Ditionem Turcicam mirè fœcundantes, continuo Seculorum tractu, digressi sunt. *Nunc* Regnantium videlicet, Præsidumve Securitas, Ignavia, vel Avaritia, & hinc porrò nata Munimentorum, Terrâ Marique, inque iis, Præsidiariorum Militum, Commeatûs, Tormententorum, aut Pulveris Pyrii insufficientia, cum Viribus, ad resistendum, aliò revulsis; *nunc* nimia eorundem Credulitas, habita Pactis Turcicis, & Transactio; vel deditio intempestiva, Transitusve Turcis concessi, & similia; haud æquè semper per Minas aut vim, sed molliore interdum Auri, tanquam internuncii, multùm convenientioris, brachio extorta, ut mirari subeat, quâ ratione illud, quod solum inter Metalla est incorruptibile, tam insignem tamen ac inexpugnabilem magneticam vim, perque mille Experimenta probatam Animos corrumpendi, potentiam habeat? *nunc* Suspiciones, Indignationes & Perfidiæ Tumultuantis Exercitus, callidè procurati, & Transfugia Militum: ut de eo nil dicam, quod solus sæpè Contemptus, & adversæ Partis vilihabitio, proximus ad interitum gradus exstiterit: *nunc* Judæo-

Judæorum tandem frequentia, quibus Speculatoribus ac Proditoribus, Turcæ hinc inde in Hungariâ usi sunt.

Et per Compendium id saltem dicam, siquidem vel exprimere tale quid sine Lacrymis, vel audire sine rubore sustinemus: *Asiam* universam *Græciamque* pridem amisimus. Perdidimus *Ægyptum*, cum reliquis partibus *Africæ*. Abreptasque dolemus *Lemnum*, *Lesbon*, *Tenedum*, *Cyprum* (proh quanta Nomina!) *Rhodum*, *Zazynthum*, cum Archipelagi & Maris Mediterranei Insulis reliquis. Quarum omnium Reginæ præsertim, *Candiæ*, Coronam quoque à vertice decussam, cum Indignatione quereremur, nisi confirmata *Venetorum Generositas*, gloriosius duxisset, inter insolitæ Resistentiæ Specimina, Terrâ Marique, & ex Cuniculis edita, tricennali Obsidione defatigari, quàm potentiæ Hostilis prætextu, ante concertationum Paroxysmos, Animum turpiter, ut Ægri quidam Lectum, abjicere.

Et jam pridem Hostis, post bene priùs firmatam, Sesto & Abydo Constantinopolin, non dubitavit, in *Europam* quoque pedem inferre intimiùs, longè latèque per eandem digredi, ac præcipuè captâ Urbe *Belgrado vel Albâ Græcâ*, aditum sibi facere in *Hungariam*, Arces ibi, Urbes, ac Munimenta occupare præcipua, eandem cum *Transsylvania*, sæpius infestare Ferro, Igne, Excursionibus, & Ditionem suam *Germaniæ nostræ* viciniorem ponere. Imò Limites ejus transsilire non sine impudentiâ; & nisi in unguibus suis retinere, crebriùs tamen, ac per vices, deprædari ab una parte *Croatiam & Dalmatiam*, ab alterâ *Moraviam & Silesiam*; multaque Christianorum millia, captiva secum abducere: tum in ipsa *Austriæ Viscera, ac Sedem Imperii*, *Viennam*, Vires suas ante sesquiseculum & ampliùs, vertere, gravi ipsam Obsidione, in quinque locis, cum trecentorum millium Exercitu, (æque ut nuper,) cingere, & quinquies eandem oppugnare. Id quod captâ Belgrado & Rhodo, fecit *Solymannus*, omnium

omnium Thraciæ Imperatorum potentiſſimus ac bellicoſiſſimus, qui maximam partem Hungariæ eo tempore occupaverat, tanto cum Faſtu, ut univerſa Europa tremeret; ac imitari velle Proavum ſuum, *Muhamedem II.* videbatur, qui captâ Conſtantinopoli, univerſo Orbi Terrarum, Metum incuſſit pluſquam Panicum. Sed Solymannus hic, per gratiam Numinis, Viennâ iterum fuit, à *Carolo V.* quam potentiſſimè abactus; & abſolvendum tanti ponderis facinus, ſuis Poſteris reliquit.

Interim quicquid aliàs in Europâ, præter mododictam *Metropolin Auſtriæ*, Turcæ nobis eripuerunt, haut facilè poſtmodum è Manibus dimiſerunt: & à jam longiore tempore, continuo quodam Seculorum decurſu, invictiſſimis quondam Aquilis Romanis, præter Tyrannos quosvis extraneos alios, à Turcico præſertim, Pennæ alarum majuſculæ, ſenſim ſunt, Numero haud exiguo, evulſæ.

Nec deſiſtet Hoſtis, Rupe quavis ac Ilice pertinacior, immanitate ſummâ, porrò graſſari in Cœtus Fidelium, quoties ulla ad id Occaſio emerget; noviſſimè profectò adeò in præcipiti poſita, ut ſi unquam anteà, prægreſſo Anno ſanè, *Res Romano-Germanicæ* viderentur, tanquam Navis, ultrò citròque acta, decumanis Adverſitatum Fluctibus, vix ac ne vix quidem ampliùs, Cuneo ſuo ac paucis illis, quæ ipſi ſuper erant, tabulis cohærere. Quin imò deformes ipſius Rimas, Aqua jam paſſim ſubiit, ut merſa jam penitus fuiſſet, ſi quidem Auxilia, extremè tandem deſideratiſſima, unam ſaltem aut alteram Horam longiùs, protracta reſtitiſſent.

Quamvis enim *Obſesſi*, Armis, Munimentis, Annonâ, & quod maximum, indomabili Zelo, fortitudine Animi, & vincendi ſpe inſtructi, res ſuas maſculè ſat peragerent, diverticula quævis in Antemuralibus, maturè hoſtibus ſubtrahendo; atque intus præſertim ita omnia diſponendo, ut Molitionibus quisque ſuis deſtinaretur, tanquam Rotæ in Automato;

ex

ex quibus *Studiosi* etiam in certos ordines distributi; utque ii Homines sunt, alacres Naturâ, pectore vivido, amantes Virtutis, Gloriæ Cupidi, ipsoque proin communi Jure Nobiles; sic cum Præsidiis reliquis ex vallo tam fortiter contra Turcas, quàm ex Subselliis priùs aut Orchestrâ, contra Barbariem, pugnarunt.

Et hoc pacto acriter satis ultrò citròque dimicatum est, supra Terram, sub Terrâ; Hostemque *Nostri* sæpius depulerunt, Victoriæ Idolum obstinatis Animi Oculis identidem intuentes. Et *Exploratorem* plùs simplici vice emiserunt callidum, qui Anguillâ versatior, per Occultas Hostium, tanquam Scopulorum Rimas, tutò huc illuc transiit; Signo reditûs subinde dato ex *Turri Stephani*. Cujus Phœnomeni rationes & eventum Obsidionis præsertim, in sequiores partes cessurum, si Turcæ præscivissent, elegantissimam Molem, vi Tormentorum, pridem solo æquassent. Et ne quid tandem ad declaranda toti Orbi Virtutis Specimina deesset, in ipsa etiam Hostium Castra haut rarò eruperunt, Pectinibus, Corbibus, Machinis firmata; & eductos in altum, Tormentorum Suggestus, tanquam Montes, destruere ausi sunt; Captivosque, & Boves, secum reduxére.

In quo bimestri Martialium Rerum turbine, imò statim sub initia illius, inter alia factum est, ut Saxum quoddam in Vallo, vi Globi Tormentarii excussum, impingensque in Caput *magni Herois*, *Ernesti de Starenberg*, à cujus Prudentiâ, Jussu, Ingeniô, Manuductione, Exemplo, feliciter dependebat, tota quasi Salus afflicti Fortalitii, videretur, *Illustrissimum Comitem*, citò nimis, à nunquam satis laudando Proposito abducere: sed invulnerabilis Ejus Anima, propterea non destitit, instar irritati Leonis, perdius pernox, generosum Pectus, ad Opus defensionis prosequendum, compellere; si cruentâ etiam Lauru, acquirenda ab *Ipso* Immortalitas fuisset.

 Atque

Atque utique quid tandem, imminutæ indies *Nostrorum Copiæ*, Vigiliis Continuis, ac Ærumnis, (partim Fœtore etiam ac Lue, sensim subrepentibus) defatigatæ, ad immanem illam sævientium Monstrorum colluviem, quorum Centum Millia cum Clamore horrendo & Armis, postremos Vesaniæ suæ impetus; in destitutam omni auxilio *Urbem* convertebant? reliquâ haut minore parte, tum Castra sua tuentibus, tum ex editiore eorum Loco, indesinentia Pyrii Pulveris Fulmina, & Tempestates Globorum, majore quàm exprimere possum, Rabie evibrantibus.

Quapropter ad funestam *Augustissimæ Sedis* Eversionem, jam denique inclinabant omnia, & horrore corripior, quando posita in Vallo ipsamet signa duo Hostilia memini: ac siquidem figmento locus, in Re adeò lacrymabili & gravi, videor me vidisse, nutans ac tremens natare, in effuso Christianorum Sanguine, *Pomum Imperiale Aureum*, secundo Danubii Flumine, per Portam Maledictionis, facilè deferendum ad ungues nefandos Canis Thracici, cum irreparabili Orbis Christiani Excidio; & conculcandum indubiè cum exsecrandâ *Imperii*, *Cæsaris*, & *Sacro-Sancti Numinis* ignominiâ.

Sed aliter est visum DEO, qui descendens è Cælo, clementissimè tandem Suorum Lateri adstitit, & Vexillis eorum afflavit Auram Benedictionis, mittendo tutelarium Geniorum longè potentiora, quàm Hostium omnium Agmina, & excitando *Heröes inclytos*, qui tanquam Atlantes totidem, nutanti Imperii Machinæ subvenirent. *Johannem III.* putà, *Regem Poloniæ*, in nullis non Belli Actionibus fulmineum ac felicem, cum *Filio Regio* lubèns provolantem, in partes ferendas Auxilii: *Johannem Georgium III. Electorem Saxoniæ*, Ducem itidem fortem & generosum, imò Achillem haud injuriâ vocandum nostri Temporis; in cujus validissimè proruentis, & primi Sua Signa in Hostium Castra defigentis,

gentis, Paludamentum, quot nascente die depluebant, occisorum suâ manu, Centaurorum Sanguines, tot Præconiorum adoreas, Immortalis Gloria, Capiti Ipsius nectit; *Maximilianum Emanuelem*, *Electorem Bavariæ*, Principem usque adeò quoque magnanimum, ut fervidus Ejus Zelus, pertinaxque in Suppetiis *Cæsari* ferendis constantia, non possit sat laudari; cum Illustrissimo *Carolo V. Lotharingiæ Duce vivacissimo*, cautoque supra quàm dici potest, exercitato, cumque opus est, alacri Occasionum Captatore; ac *Aliis*.

Qui omnes transitum ibi per Montana *Viennæ* aperientes in loco, quem impervium Hostes putaverant, Copias suas, in ipsâ Castrorum & *Urbis* facie, ipsâque hâc quasi, quâ hæc loquor, Horâ, statuerunt in publicum, tanquam Lucernas totidem ac Pharos, certissimam Victoriæ spem *Obsessis* prælucentes. Et nullis defatigati Sudoribus, nullis periculis perterrefacti, venerunt, viderunt, in Castra barbara irruperunt, eademque disjicientes, tanquam Plumas in Aëre, Turcam cum suis vicerunt, ut Motibus illis, quos scelere & Perfidiâ inchoaverat, cum Turpitudine summâ, & Capitali suorum excidio, cogeretur finem imponere; *Obsessi* verò post longam ac difficillimam Tempestatem divinitùs refecti, haud aliter animum jam nutantem erigerent, atque Flores videmus, Æstivo Tempore, pungente Solis Radio affatim torrefactos, per matutini Roris dulcedinem iterum refici.

Nam pugnaverat pro *Leopoldo* DEUS, atque Animas suorum haut decreverat, præcipites dari in rictum Hostium. Qui venerunt cum Camelis, Equis, & Mulis; cumque Tauris & Machinis; iisque conculcarunt Terram Sanctam. Et potiùs Splendorem Liberationis *æternus Justitiæ Sol*, statâ horâ effecit illucescere, quæ ante Diluculum Mundi, in profundissimis æternitatum Abyssis jam longè prævisa erat. Neque enim Oculi caligarunt *Custodis Israëlis*, aut humana isthæc cæcis Casibus volutari, passi sunt; quomodo Providentiam

 olim

olim pingebant Epicuræi, ſedentem compreſſis Manibus, fruentemque Nectare & Ambroſiâ, quaſi quæ nullam prorſus Curam Mortalium haberet. Quin Acriter utique *Dominus* defendit ſuos, & caſtigavit Potentes, per prurientia horum Terga profundè ſulcos ducens. Tonitrua Vindictæ ſuæ exardeſcere fecit, ut Imber Sanguinis ex Ipſorummet Jugulo promanaret. Diſſolvit Caſtra illorum, tanquam Nivem & Glaciem; Diſperſit Turmas Ipſorum, tanquam in Turbine Stipulas; nec *Vento Sanctiſſimi impetûs* reſiſtere ſunt auſi. Quin pars major cæſa: pleroſque verò, qui aufugere rati ſunt, Danubio Amne ſunt abſorpti. Cujus undas tinxerunt Sanguine, ne in Europâ quoque Mare Rubrum deeſſet, quo Pharaonitæ noſtri mergerentur.

Terror mortifer pervaſit eos: Pudor & Deſperatio in fugam pronos egit. Excuſſi ex Caſtris ſuis ſunt, tanquam ex Latibulis ſuis Dracones & Viperæ: Stupidarum Ovium inſtar perterriti ſunt, Machinasque ſuas & Signa, cum nullâ non Supellectili reliquâ, Chriſtianis in Spolium reliquerunt. Reliquerunt in Fugâ Currus, ſuffarctos Pulvere Pyrio; & Funalibus clam poſitis, doloſas iſtas Opes Vulcanias, tanquam Molem, transvectu imparem, Tempori commiſerunt, an illa diſplodi vellet in *Noſtros*, quando Prædæ captandæ forent intenti ardentiùs. Sed & hic labor fuit irritus, incenſusque Theſaurus ſine noxâ exſpiravit in Aërem: nam prudentiſſimè Exercitibus inhibitum fuerat, ne nimiopere ac intempeſtivè in Spolia feſtinarent.

Atque ita Cornua Lunæ Thracicæ fracta ſunt, quæ inſolenter nimiùm exaltaverant ſe ſupra *Solem Auſtriacum, Aurorâ pulcriorem:* inque Chaos deforme ac umbras, virulenti Radii ejus converſi ſunt, adeò, ut fatalis hæc eorundem Eclipſis, non ſit facilè tranſitura.

Confundor magnitudine Superati Periculi; & circumfuſa Stuporibus Lingua ſtat, neſciens exprimere infinitudinem Gratiæ, per quam Tempore tam exiguo, Numerus adeò

adeò vaſtus Hoſtium, Inſtrumentis nocendi, Aſtu, Arteque ſtupendâ militari inſtructus, & Caſtris ſimul, & Armis, & Animis eſt exutus. Ineffabilia ſunt Opera *Domini*, & Bonitatis ſuæ non eſt Finis. Quapropter Dignum & Juſtum, æquum & ſalutare eſt, refundi à Nobis Flumina Gratitudinis, in Oceanos infinitæ ſuæ Clementiæ, poſtquam non tam *Ignes* artificioſi, noctu, durante Obſidione, certam ob cauſam, *ex Turri Stephani*, quàm Suſpiria Piorum in altum emiſſa, Liberationem cœlitùs factam impetrarunt. Quam proinde non Secularibus aut Quinquennalibus, ſed Anniverſariis & quotidianis Votis celebrari, prorſus convenit. Faſcesque ac Verticem, ſoli Rerum harum Memoriæ, priſcæ omnes Hiſtoriæ Triumfales meritò ſubmittant.

De Te verò intereà quid factum eſt, quid fit, aut fiet, *Illuſtriſſime Vir, Veziri Magne?* Etenim euge! quàm pulcrè ſtetiſti, datæ penes Mahometem fidei, tuisque partibus? Vindobonenſium equidem Mœnia triſti Obſidione, tanquam Catenis & Funibus, coarctaſti: ſed Fauces tuas blaſphemas, in precium laboris, obturavit poſita in Pulvinari, mollis Chorda Sericea. Indignum inſuper videbatur, in Terrâ Chriſtianorum recondi Perſequutoris tanti Exuvias: ideòque miſſi Belgradum ſunt, qui, ut *Ziſcæ* olim Bohemico, Huſſitarum duci, ita Pellem Tibi detraherent, infarctamque Xylenio, Conſtantinopolin transferrent, ut ſeditioſæ iſthic Plebis Vertigini, eſſent loco Antidoti, quô ſatiarentur per minimè dubiam famam Tuæ Mortis, qui ſatiari non poteras Cædibus Piorum.

Ita etiam fiat reliquis! Illidantur Saxis Crania Mahumedanorum Superſtitum! quique clam-palam, *contra Chriſtum*, à partibus eorum ſtant, medullitùs exareſcant! Sitiant ſitim inextinguibilem: & Lingua ipſorum Palato firmiter obhæreſcat! donec perdiſcant reverenter habere *Dominum;* quia non ad Ignominiam & Suppreſſionem, ſed ad Gloriam & exaltationem *Sanctiſſimi Nominis ſui*, fecit eos.

Sed

Sed nec *Sacra Invictissimi Leopoldi nostri Majestas* hic à nobis est sine Præconio, sine Votis, & sine peculiari quodam Subjectissimæ Gratitudinis exhibitu, transmittenda. Quem *Principem planè pium*, in selectioribus quibusvis Belli ac Pacis Artibus benè educatum, Justum, Sapientem, Beneficum, moderatissimum Animi, ac proinde ad Bella subeunda tardiusculum quidem, si verò necessitas *Ipsum* ad tale quid compellat, in iisdem planè intrepidum, & Anno proximo absentem quidem Viennâ, ob Causas longè gravissimas, *Majestate* tamen, *Curis*, *Consilio*, *& Providentiâ*, in Animis suorum maximè præsentem, & efficaci Prudentiâ moderantem omnia; unoque verbo dicendum exactam Virtutum omnium Heroicarum Epitomen, Gloriam Seculi, Terrorem Hostium, & Delicium cultioris humani Generis reliqui; Unum tandem atque unicum DEUS, nostro Tempore, quemadmodum Vicarium suum in his Terris, & Custodem Imperii, sic Vindicem Christianæ Libertatis & Statorem constituit, & ad tantum felicitatis fastigium evexit, ad quantum nullus Antecessorum suorum penetravit in totâ *Domo Austriacâ*; redigendo Turcarum Imperatorem, ferocem Animo, potentem Armis, & post Centum jam quinquaginta quinque annos, alterâ vice, cum immanibus exercitatorum Militum Copiis, impudenter *Augustæ Sedis Mœnia* pulsantem, ad eas redegit Angustias, de quarum Successu prospero, & celebrandâ per Orbem Victoriâ, sanctè nobismet, nec obiter gratulamur.

Et DEO quam maximè Grates dicimus, quod tum nasci nobis, tum *Cæsareo Throno* tempestivè reponi, & contingere vivacissimum Ætatis gradum, dignatus est, *tantum Christiani Orbis Præsidium*, *tantam Austriacæ Gentis Gloriam*, concentratis in unum quasi Majorum omnium Dotibus, perspicuè coruscantem, tantumque in illa *tam laudati Cæsaris Filium*.

Qui *Divus* ejus *Pater* proin, *FERDINANDUS III.* glorio-

*gloriosissimæ Memoriæ*, si hodiè reviviſceret, & per arbitrium Fati, vel Naturæ ordinem daretur, exſerere Ipſum è Tumulo, in anniverſariâ hac Tripudii noſtri Oſtentatione, Laureatum Caput, & Gaudiis noſtris intereſſe, expergefactum iteratâ circa Muros, Tormentorum exploſione, vel mollibus Eteſiarum Alis blandè evectum in Reſidentiam priſtinam, mille Palmis ac Oleis vernantem; his circiter verbis: *Salve, Auguſtiſſima Proles, atque iterum ſalve:* ſit Filium " affaturus: *Quid, Leopolde, feſtivi illi Tormentorum, circa " Mœnia undique lætè ſonantium Strepitus ac Bombi? quid " converſæ in Pectus tuum, Urbis noſtræ Ovationes unanimes? " cum erectis hinc inde Arcubus Triumfalibus ac Obeliſcis, uno " latere Tropéa hoſtilia, altero Encarpos & ſerta, affixaque in- " genioſiſſima, diverſi generis, Emblemata gerentibus?* "

*Hæcne aut ſimilia portendebat, incomparabilis Pulchri- " tudinis Phænomenon id, quod pauculis abhinc Annis, per no- " ctes ſerenas efflorescens in Cœlo, ſpecie Sideris Cometici, inno- " xiam Comam albam, tanquam Pallium Salomonis, argenteis " innocentiæ Liliis intertextum, longiſſimè explicans, quemad- " modum cum Majeſtate quadam diſterminare reliquorum Side- " rum metas, ſic Exitium Turcis, Tibi verò indubitabilem Spem " & Facem prælucere, inæſtimabilis Victoriæ videbatur?* "

*Quin imo cenſenda Tibi ac Poſteris eſt hæc memoranda Dies, " quâ quicquid ſudorum, quicquid Anxietudinis, Majores omnes " Tui, in hoc unico poſuerunt, ut ipſorum Induſtriâ, quàm fieri poſ- " ſet, Ævo omni Pax, Imperio Tranquillitas, grataque ſubditis ſe- " curitas, ſine Cæde & Sanguine, inter ſurgentia in altum Stu- " dia, vera illa, poſt Pietatem, Regnorum Fulcra, inconcuſſa con- " ſtaret; ſed ob diverſa Temporum Fata, plenè præſtari non po- " tuit; Tu nobis felicior omnibus, Zelum pro Patriâ juſtisſimum " circumſpecto Conſilio & Artibus Bellicis temperans, ad tale quid " videaris multò propius conſcendiſſe. Ut enim omnis Ævi Hiſto- " riarum maximè gnaro Tibi non altiùs repetam, quâ ratione vel " Carolus M. jam olim Dynaſtiam Germanicam exorſus, cum reli-* "

„ *quis in Imperio, Successoribus, (quantiscunque etiam usi fuerint*
„ *Belli ac Pacis Artibus) vel novissimè Ego, post continuos, eosdemque gravissimos, per triginta Annos, Civilium Exterorumque Bellorum Labores exantlatos, & stabilitam Pacem quam Operosissimè; Formam Regiminis plane distractam veruntamen, non potuerimus, ad plenum rursus Florem antiquæ Potentiæ reducere.*

„ *Id saltem notandum venit peculiariter, quod eodem circiter Tempore, quo Rudolfus Habsburgicus, optimus Imperator, ante ipsa jam quasi quatuor Secula, in publicam à DEO salutem restituendam adhibitus quidem, sed Imperii Statum perturbatissimum inveniens, Imperium Occidentis exorsus est: Otomannus similiter in Oriente, Potentiæ, Regni, & Sedis Turcicæ, fundamenta jecit. Ex cujus Successoribus dein, Caroli IV. Tempore, Amurathes I. perniciosissimum genus Hominum, Janizarorum vel Prætorianorum Militum phalanges, primus instituit: Mahomet verò Secundus, regnante aliquandiu ante Nos Friderico III. alteram Romam, Constantinopolin delevit, postquam hæc ultra XI. Secula, à Constantino M. usque ad Constantinum Palæologum, in Christianorum fuisset Manibus; & finem jam à ducentis Annis imposuit Orientis Imperio.*

„ *Ac præterea nollem de Budâ, antiquâ illâ & delicatâ Hungariæ Regum Sede, ab eodem Tyranno, ante Annos Centum, quadraginta & unum Nobis ereptâ, quicquam addere, nisi ipsamet hâc die secundâ Mensis Septembris, nobile Munimentum id, cum vicinâ trans Danubium Pæsto, culpâ Viduæ Johannis Vaivodæ, redactum in potestatem Turcicam fuisset: situm in loco fertili, & Europæ propemodum maximè amœno. Sed ò quam firmiter hærens in hunc usque diem in Unguibus Thracicis, & novissimè quidem acerrimum Pomum Contentionis factum; ad cujus verò obtinendam Recuperationem, quantum Christiani Sanguinis, quæso, quàmque multiplex præstantissimorum Heroum & Militiæ Flos, quotidie non impenditur?*

„ *Atque utinam istæ Copiæ tuæ, quàm quidem Animo minimè,*

*tam*

*tam itidem Auxiliis, haut fortè ſint deſtituendæ! Quo ſcopo* "
*quidem conſtantem planè & ſanctam non ſat prædicare poſſum* "
*Liberalitatem Romani Pontificis. Et Venetos experimur, ad* "
*expellendum tandem è latibulis Turcam, unà promptiſſimos.* "
*Sed Muſcovitas contra Lentulos, ac tardiores. Et quanta, quàm-* "
*que auguſta Spes aliquandiu lactavit Nos, Perſarum Sophum* "
*fore, qui Babyloniam repetens, Venam quaſi, Revulſionis loco, ſe-* "
*caret Imperatori Turcico; tam miſerè eadem rurſus evanuit.* "
*Poloni verò, ut ipſi quàm maximè nunc finibus ſuis tuendis &* "
*amplificandis inſiſtant, Occaſio & Sors haud adverſæ ſuadent;* "
*Optimæque Hiſpanorum voluntati, domeſticæ Difficultates ob-* "
*ſtant.* "

Et in hæc demum Verba, *Auguſtiſſimum ac divum Patrem Invictiſſimi Leopoldi noſtri, Ferdinandum III.* poſtremò quaſi erumpere obſervo: *Exſurgite tandem, Magni Europæ Prin-* "
*cipes, & junctis Armis, falſum illum Orientis deum ac Cæſarem,* "
*conculcate. Pugnate alacriter pro Cruce Domini; & Conſtan-* "
*tinopolin aut reſtituite Imperio, aut tributariam facite. Perpes* "
*Gloria, cujus Curriculum magnum eſt, æternantibus Nomen Ve-* "
*ſtrum adſcribet Tabulis; & honori ſibi ducet Poſteritas, in ad-* "
*mirationibus Veſtri ac Elogiis defatigari. Idque præſtent Fa-* "
*ta, ut ceſſet aliquando exſecrabilis illa Statuum Æmulatio; &* "
*in locum ejus ſuccedant, poſt vexatum toties ac perturbatum* "
*Imperium, placidiſſima Germaniæ Halcyonia! Aut, niſi Pax* "
*firma adhuc ſperanda, Induciæ minimùm recens-decretæ,* "
*evadant Armiſtitio nupero Turcico conſtantiores!* "

Neque aliam Mentem *Vobis* eſſe, *honoratiſſimi Domini Auditores*, conjicio, ſeriò mecum Optantibus, ut ſub protectricibus ſuis, ac *Leopoldi* Alis, contra omnes Barbarorum inſultus, tueri DEUS Templa ſua & Altaria velit; & publicum Rerum Statum ſecurè faciat acquieſcere!

Quæque mea, tam nomine meo, omnium ſubjectiſſimo, quàm devotiſſimæ *totius Inclytæ Societatis Naturæ Curioſorum*, (Me illius qualicunque interprete) eſt Voti Summa; Diutiſſi-

mè porrò perſtet *Sereniſſima Domus Auſtriaca*; ex quâ nati Heroës fortiſſimi, quemadmodum continuâ quadam ſerie, Statuam Clementiæ, Sapientiæ, & Pietatis ſtatuerunt in Æde Mentis ſuæ, ipſi vocandi, ob Polymathiam quoque, ſpirantes totidem Statuæ panſophæ; ſic ſeveri quoque, cum opus eſt, unguibus Aquilinis Chriſtianorum Hoſtes premant, & Alis felicibus Subditos tueantur! Roboretur divinitùs *Thronus Auguſtiſſimæ Proſapiæ* in Oriente & Occidente, & Sceptri Ejus, priusquam finiantur Mundana reliqua omnia, non ſit Finis! Extendat Terminos ditionis ſuæ longè Plus Ultra Calpen & Abylam, ejusque triumfalibus Lauris, renaſcentes in Orbe Literæ, bono Omine ſe implicent; quarum deſideria, cum ambitiosâ quadam ſpe fauſti Succeſsûs, Sacratiſſimo Vertici tuo, & Victoriæ alatæ, fideliter Tuo Lateri adſtanti, concede, *Leopolde*, ut humillimè adrepant.

Atque una innocui Heliconis Vox ſit: *Carmina mille DEO! Leopoldo mille Triumphi*! Jò Triumfe! Jo Saturnalia! Incolumitas, Vita, Salus circumſtet *Cæſaris* Lateri: & Gloria Ejus, Metam Solis longiſſimè tranſcendat! Iterumque exclamo: Debentur *Carmina mille DEO, Leopoldo mille Triumfi!* Et id unum identidem univerſus Orbis Chriſtianorum, eâ, quâ par eſt, Devotione mecum ingeminet:

*Carmina mille DEO, Leopoldo mille Triumfi!*

VIVat LeopoLDVs, & feLIX sVIs IMperet!

*Dixi.*

Johann-Daniel Major,
Vratislavienſis.

*A. C. 1684. D. 2. Septemb.*

EPISTOLA

# EPISTOLA II.
## JOH. CHRISTOPH. STURMII,
Math. & Phyſ. P. P.

*Ad*

# JOH. GEORGIUM VOLCKAMERUM, M.D.

*De*

## Veritate Propoſitionum in Joh. Alphonſi Borelli Lib. I. de Motu Animalium ſubtiliùs demonſtratarum.

*Oculis ipſis quodammodo ingerenda.*

---

NORIMBERGÆ,
Typis & ſumptibus WOLFFGANGI MAURITII ENDTERI.
*Anno M DC LXXXV.*

## NOBILISSIME ET EXCELLENTISSIME VIR FAUTOR HONORATISSIME.




Antum abest ut ea, quæ circa Ingeniosissimi BORELLI Primam indaginem mechanica facilitate illustrandam anno superiore ad te perscripseram, Tibi displicuerint; ut illa potius Ephemeridibus Vestris adjungenda tum putaveris, & nunc continuari operam illam eodem proposito desideres. Parebo ergo hac etiam vice jussui Tuo, &, quâ ratione secunda tertiaque virium muscularium indago Borelliana per nostram machinulam accessione novâ ditatam oculis ipsis ingeri possit, ostendam.


Cùm igitur in prima indagine cubitum aut tibiam, unà cum annexo pede manuve, consideràsset instar vectis rigidi & continui, musculorumque vim instar funiculorum parte sui posticâ, vel à pondere quodam vel ab alia virtute trahente, non nisi in partem unam (vecti sc. movendo oppositam) protractorum; quibus ita positis ostendebatur rectissimè, v. g. in Casu Prop. XXI. & XXII. musculum brahiæum cum bicipite vim motivam impendere vigecuplam ejus resistentiæ, quâ pondus extenso cubito à manu ferè extima sustentandum illi obnititur, atque adeò 28. ℔. eo modo sustinendis naturam adhibere vires 560. librarum: in secunda tertiaque indagine porrò nunc demonstrat, multum adhuc abesse à præcisione & ἀκριβείᾳ summa illum calculum, viresque à memoratis musculis in sustinendo pondere 28. librarum multò plures quàm 560. insumere ex duplici capite. *Primò* ex eo, quòd cubitus modo dicto extensus non sit unum continuum ac rigidum os, sed pluribus flexuris & articulis distinctus, qui singuli à pondere illo sustinendo flexi ac depressi, singuli quoque vim peculiarem requirant ipsos in rectitudine rigida conservantem, ponderique eos non minus ac cubiti


biti humerique flexuram depressuro resistentem. *Secundò* ex eo, quòd musculorum vis attractiva non habeat se ex omni parte instar funis, qui uno extremo liberè mobili tractus altero trahit annexa sibi & spatio tanto protrahit, quanto illud retrocedit aut emovetur; sed sit potiùs vis quædam contractiva, quâ musculus utroque extremo fixus (quemadmodum e.g. brachieus capite suo ad os humeri tanquam terminum immobilem, caudâ verò ad os cubiti movendi, paulò ultra articulum, alligatus est) ab utroque etiam versus sui medium se validè contrahens & abbrevians, ex una parte quidem articulum mobilem explicato antè modo adducat, ex altera verò ossis immoti, e. g. humeri, resistentiam (adducendi articuli mobilis resistentiæ semper æqualem) pariter habeat superandam, & hoc pacto reverà vires adhibeat earum duplas, quas indago prima eruerat.


Posterius hoc (quod secundam ejus indaginem absolvit) ostendit Borellus cap. X. *P*rop. XXXV. & XXXVI. sed præmissis quatuor aliis propositionibus earumque prolixis demonstrationibus. Ut igitur sine his ipsius primariæ conclusionis veritas immediatè cognosci & oculis ipsis perspici posset, confecimus rem ope machinulæ nostræ, exiguâ quadam accessione nunc porrò ditatæ, de qua paucula dicenda sunt, antè quàm ipsam demonstrationem mechanicam subjiciamus. Quoniam in tertia indagine Borellus totam brachii longitudinem omnesque ejus articulos & flexuras distinctè consideraturus est, ideò loco regulæ continuæ *a b*, quâ usi sumus in præcedente indagine, paravimus nunc aliam quinque articulis promtè flexibilibus distinctam (*Vid. Fig. 1.*) ac totâ longitudine A G. veram brachii humani longitudinem, partibus autem GF. FE. BD. tres articulos, digiti medii, parte D C. longitudinem carpi, parte C B. longitudinem cubiti, parte B A. denique longitudinem humeri, satis exactè exprimentem, infra singulas flexuras autem repagulis sive obicibus, partim osseis, partim orichalceis instructam, quibus adductis articuli singuli rigidi fieri possunt ac si nullam haberent flexuram; abductis autem (ut in E. videre est) liberæ promptæque suæ flexioni relinqui possunt, prout sc. res postulaverit.


*Secunda*














Ad appendicem Dec: II. anni tertii fol. 456.

biti
quòd
funis
sibi &
tur;
extre
meri
vend
sus su
quide
ra ve
li mo
& ho
ma e
P
dit Bo
liis pr
tur si
sci &
nostra
cula d
subjic
longit
raturu
ceden
flexibi
brachi
ticulo
gitudi
exactè
obicib
ductis articuli singuli rigidi fieri possunt ac si nullam haberent flexuram; abductis autem (ut in E. videre est) liberæ promptæque suæ flexioni relinqui possunt, prout sc. res postulaverit.

*Secunda*

## *Secunda BORELLI Indago ad oculum demonſtrata.*

Ad demonſtrandam igitur oculariter ſecundam Indaginem Borellianam, exemptâ regulâ priore continuâ (quamvis hujus ope quoque res eodem modo conficeretur) hanc articulatam indimus machinulæ noſtræ (*Vid. Fig. 2.*) & exporrectis articulis cæteris per ſuos obices, ſolius cubiti flexuram, reducto repagulo infero ad *b*, mobilitati ſuæ relinquimus, ab appenſo anteriùs in *g* ponduſculo ſeſcunciali ſtatim deprimendam: mox applicato filo paulò ſupra flexuram, productoque infra trochleam *l* cum brachio mobili *h k* eò usque depreſſam, ut diſtantia *b i* eſſet pars vigeſima diſtantiæ *b g*, & ſuper aliam trochleam *m* deflexo vaſculum plumbeum appendimus ſatis grande auctariis itidem plumbeis eousque oneratum (regulam *a b* interim alterâ manu ſuſtentantes horizonti circiter parallelam) donec regulam *b g* rigidam directamque ſervans cum ponduſculo *r* in æquilibrio conſiſtat. Quo facto, pondus *n* plusquam 30. unciarum invenimus (propter pondus regulæ *b g* ponderi *r* ſuperadditum & unà ſuſtinendum) atque adeò plusquam vigecuplum ponduſculi *r*, prout in prima indagine ope regulæ prorſus continuæ jam oſtenderamus. Mox autem filum *i m n*, hoc caſu extremitate alterâ *n* liberè mobile, eâ ipsâ extremitate alligamus ad *a* (prout muſculi cubitum moventes ad os humeri defixi ſunt) ejusque ſic utrinque circa *b* & *a* firmati medium arripimus unculo *p* ex alio filo pendente, (*Vid. Fig. 3.*) quod porrò ſupra rotulam *m* extenſum pondere *n* oneramus, cubitum *b g* ponduſculo priore *r* onuſtum in æquilibrio detinere non antè valente, quàm ad uncias plusquam ſexaginta excreviſſet, atque adeò ponderis *n* in caſu priore duplum evaſiſſet; Ut rectè hinc inferatur: Muſculum e. g. brachieum cum bicipite (quos 560. minimùm libras impendere demonſtraveramus in ſupportandum pondus 28. ℔. ſi traherent altero ſuo extremo mobili, ut in caſu 2. Fig.) quia altero quoque ſui extremo affixi ſunt oſſi humeri hoc caſu immoti, contractionemque ſui utrinque verſus medium exercent, reverà plusquam 1120. libras virium adhibere geſtandis illis 28. ex

manu protensâ pendentibus; atque adeò generaliter cujusque musculi vires ex indagine prima inventas, hoc altero intuitu semper esse duplicandas.

*Tertia BORELLI Indago cùm demonstratione suâ oculari.*

Et hoc ipsum Indaginem BORELLI tertiam ope machinulæ nostræ nunc reddet facillimam, suppositis cum ipso sequentibus observationibus: Quòd 1. tendinis articulo extimo F G. (*Vid. Fig.4.*) flectendo destinati distantia ab articuli centro sit quam proximè $\frac{1}{4}$ longitudinis ipsius: 2. distantia tendinis in secundum articulum E F terminati minor quàm $\frac{1}{8}$ longitudinis E G utriusque articuli simul sumptorum: 3. Distantia tendinis omnes tres articulos simul attollentis à centro D ad summum $\frac{1}{10}$ totius longitudinis D G: 4. distantia tendinis carpum flectentis à centro C itidem $\frac{1}{10}$ ad summum longitudinis totius manûs C G: 5. Distantia tendinis cubitum dirigentis à centro B ad totam cubiti manusque extimæ longitudinem, ad extremos usque digitos, sit ut 1. ad 24: Tandemque 6. Distantia tendinis, quo musculus Deltoides humerum flectit, à centro motûs A, ad longitudinem totius brachii A G ut 1. ad 30. ad summum: Denique 7. quòd extenso liberè supinato brachio toto à juvene robusto sustentari possit ab extremis digitis pendens pondus ad summum $9\frac{1}{2}$ ℔.

Singulorum igitur tendinum sive musculorum articulos singulos unà cum appenso pondere directos tenentium vires ut ad oculum ostendamus, regulam nostram articulatam (*Vid. Fig. 5.*) in *a* circa axiculum convertibilem, obicibus suis in *b*, *c*, *d*, & *e* ad rigorem reductam, in extimo verò articulo *f* solo adhuc (remoto illinc obice) flexilem unâ manu prehendimus circa *b*, suspensoque ex *g* ponduscolo sescunciali, filum *h k* (quod binis uncis articulum *f g* in *h* perforatum prehendit, eodemque modò cæteris cis articulos *e*, *d*, *c* &c. factis decenti loco foraminulis applicari potest) infra trochleam *m* articulo sequenti, aut ubicunque lubet, ope cochleæ *n* firmatam (sed priùs eò usque depressam aut allevatam, donec distantia fili *f i* esset pars quarta longitudinis *f g*) supra trochleam aliam K protendimus, & ex altero ejus unculo *l* tantum ponderis plumbei suspendimus, quod articulo *f g* unà cum appen-

so

ſo ponduſculo in directum ſuſtinendo ſufficiat. Quod equidem pondus ubi poſtea deprehendimus plusquam 6. unciarum, evidenter videmus, vires trahentes plusquam quadruplas, in hoc caſu funiculi altero extremo liberi, requiri ad pondus *r* geſtandum, adeoque, ſecundùm ſuperiùs demonſtrata, in portione muſculi articulum F G (*Fig.* 4.) unà cum appenſo pondere 9½ ℔ ſuſtentantis, octuplas hujus ponderis, h. e. 76. librarum impendendas eſſe: quod eſt unum.

Deinde, adducto rurſum obice ad *f*, & articulo *fg* rigetacto; è contrà verò laxato repagulo *e* & hoc ſecundo articulo ad flexibilitatem reducto, cæterisque ut ſuprà factis, demonſtramus iterum ad oculum (*Vid. Fig.* 6.) filum *hk* (quod nunc duos articulos *efg*, ſed hîc inſtar unius rigidi vectis conſideratos, unà cum appenſo ponduſculo *r* dirigere debet) ſupra rotulam *k* protractum, ſed ope trochleæ mobilis *m* (cujus ſtructura ex *Fig.* 7. manifeſta eſt) nunc in tertio articulo firmatæ ſic directum, ut diſtantia *ei* eſſet paulò minor octavâ parte longitudinis *eg*, altero extremo *l* pluſquam 12. unciarum h. e. pluſquam octuplo pondere onerandum eſſe, quò valeat articulum *eg* cum ſeſcunciali ponduſculo directum ſuſtinere; & conſequenter rectè inferimus, vi ſecundæ indaginis, in portione muſculi K N (*Fig.* 4.) duos priores articulos E G unà cum appenſo pondere 9½ ℔ ſuſtentantis vires impendi hujus ponderis pluſquam ſedecuplas, h. e. pluſquam 152. librarum: quod eſt alterum.

Eodem autem penitus modo dum oſtendimus in articulo *dg* ſeu toto digito onuſto dirigendo machinulam noſtram impendere pluſquam decuplas, atque adeò portiones muſculorum in dirigendo toto digito D G onuſto (*Fig.* 4.) pluſquam vigecuplas vires; ſimiliterque in dirigendo vecte *cg* noſtram machinam itidem pluſquam decuplas, muſculumque adeò K L in dirigenda manu onuſta tota pluſquam vigecuplas; porroque in *bg* vecte dirigendo machinam impendere vires quater & vicies majores, muſculum *pk* autem in dirigendo cubito B G octies & quadragies majores, tandemque in dirigendo toto vecte *ag* machinam requirere vires tricies, muſculum autem I P ſexagies majores ipſo pondere movendo ſeu directè ſuſtinendo; computo ubique decenter facto, manifeſtum facimus:

 In

In ſuſtinendo ab extremis digitis pendente pondere 9½ ℔.
portionem muſculi K O adhibere vires librarum pluſquam 76
portionem K N pluſquam - - - - - - - - - - 152
portionem K M cum lumbricalibus pluſquam - - - 190
Muſculos carpum flectentes K L - - - - - - - 240
Muſculos cubitum flectentes P K - - - - - - - - 552
Muſculos humerum flectentes I P - - - - - - - 780

Adeoque ad ſummam in dirigendo brachio toto cum appenſo pondere dicto vires inſumi pluſquam librarum - - - - - - 1990
& ſic ducenties minimùm majores pondere ſuſtentando. Q. E. D.

Hic verò ſi minus alicui videatur ac nimius exceſſus virtutis motivæ muſculorum ſupra pondus ſuſtinendum, is ſciat, nedum quidem ad ſummam ἀκρίβειαν perductum eſſe calculum, ſed majora adhuc incrementa daturas eſſe ſequentes indagines: & ſi quis fortè imprudentiùs hoc factum à natura judicet, quòd humana ſolertia contrà paucis viribus majores elevare movereque moles noverit; is faciemus impoſterum adjuvante DEO agnoſcat, hoc quicquid eſt humanæ ſagacitatis evidentiſſimum eſſe infirmitatis & impotentiæ argumentum, ex illo verò proceſſu Naturæ aut potiùs Opificis Naturæ contrario maximam elucere tum potentiam tum ſapientiam, ſimulque veritatem illius Prophetici hoc etiam caſu palpabilem: *Vias Domini non eſſe noſtras Vias!* Quo equidem Sp. S. effato tanquam gemmulâ obſigno hanc epiſtolam, finientis hujus anni exitum æquè ac imminentis novi introitum, plurimorumque ſequentium plenarium decurſum ex omni parte feliciſſimum Tibi, VIR OBSERVANDE, Tuisque charitatibus omnibus toto pectore apprecatus. Dabam Altorfi Noricorum IV. KAL. JAN. CIƆ IƆC LXXXV.

Nobiliſſimæ Excellentiæ Tuæ

*Perpetim obſervantiſſimus*

Joh. Chriſtoph. Sturmius, P.P.

SIPHO

# SIPHO WÜRTEMBERGICUS,

*Sive*

Sipho inverſus cruribus æquialtis fluens & refluens hactenus inauditus

*ex*

LIBERALITATE ET JUSSU PRINCIPIS *SERENISSIMI DOMINI,* DOMINI FRIDERICI CAROLI, DUCIS WURTEMBERGICI, ADMINISTRATORIS, Publicatus

*à*

SALOMONE REISELIO, D. Conſiliario & Archiatro Würtembergico, S. R. I. Acad. Nat. Curioſ. Collega.

---

ANNO cIɔ Iɔc LXXXIV.



AQuam ut *primam* creaturarum & omnium rerum seminium credidere Veteres, coluere *divinam*, ut maximè *necessariam* & *utilissimam* experti sunt, ita *mirabilem* videmus quotidie.

Est ubi ignem fundit & incendit: est ubi in lapidem vertit & vertitur: est ubi aurum, argentum, cuprum vehit, ferrum in sinu portat, & in ferrum mutat; ubi stannum, plumbum, mercurium, secum adfert; mineralibus scatet, vitriolo nempe, nitro, alumine, sulphure, sale ditescit & in sal mutat; quæ vinum sapit & cerevisiam, simulque inebriat; quæ pro aceto servit; quæ indicat caritatem annonæ; periodicè fluit per horas, dies, menses, annos; à menstruatis aut leprosis aut gallicis turbatur & exsiccatur; picem & bitumem profert, balsamum & oleum fundit, perjurium igne punit & leprâ, furtum cæcitate prodit, lapidis injectum tonitru & surditate verberat, allocutione & voce turbatur aliàs clara: quales effectus *Exc.* Joh. Laurentius Lælius *Onoldinus Archiater collegit in Higia Weihenzellensi.*

Quam efficaces Thermæ, acidulæ, salsæ, sulphureæ, aliæque *minerales* aquæ iisdem viribus per plura sæcula fluentes, aliquando Soterii & miraculosi fontes per breve quoddam tempus scaturientes, *morbis* etiam incurabilibus fuerint *sanandis*, abundè scriptum est; quibus fortasse suffecerint *Würtembergenses* nostræ à Divina benignitate Ducatui huic liberalissimè concessæ: *Ferinæ*, *Cellenses*, *Bollenses*, *Canstadienses*, *Cervinæ*, *Deinacenses*, *Gœppingenses*, *Vbenhausenses*, *Blaubeirenses*, *Röckheimenses*, & cum reliquis *Neostadienses* novissimæ.

Quam *mirandos* & *raros* & *necessarios usus* præstet aqua per

per fontes vivos labentes, salientes atque ludentes in hydraulicis & hydrostaticis machinis, in molendinis, antliis, navigatione, munitione, vita, medicina; Veteres & Recentiores plurimi edidere, quos congessit in unum P. Casp. Schottus *præloquio ad Lect. Mechanicæ Hydraulico-Pneumaticæ;* ex quibus omnibus Kircherum, Portam & Mersennum eligit, eò quod unacum ipso praxin theoriæ conjunxerint.

Quæ *pericula* in diluviis universali & particularibus, inundationibus, pluviis, tempestatibus, sanguineis & lethiferis aliis infectionibus, in siccitate DEUS ex justa ira Orbi immiserit, testantur scripta divina & profana. Quibus tamen coërcendis misericors DEUS iterum in supracœlestium aquarum suspensione, in maris rubri divisione, & Jordanis accumulati elevatione, in fluxu & refluxu maris definito *fines* & *terminos* posuit, ultra quos non licet progredi.

Ego aquæ septennio quovis *inclarescentiam periodicam* circa æstivale solstitium ab astrorum influxu in *Niderbronnensibus salsis*, velut in Bethesda ab Angelo motam lacum, indigitavi in *Tractatulo de illarum viribus & usu*, qui contractus est ex Helisei Röslini *Descriptione montis Vogesi.*

Docui pridem aquam *circulare* ad leges chyli, sanguinis & seri per omnia viscera & vasa majora in *Statua circulatoria humana* publicata *Ephemerid. Nat. Curios. Anni IX. Observ. 1.* & in Musæo monstrata nostro, quæque proximè in Hydrophylacio Ducali Stutgardiano ludet formâ Cupidinis, de qua multi dubitarunt, qui promissam à me audiverant. *Ann. IV. Obs. 191.*

Aquæ *vim balsamicam* conservandi diu flammulam vitalem in submersis interpretatus sum *Ephem. dictarum Anni VI. Obs. 192.*

In aquæ superficie & corona *Theatrum* quoddam *Sympatheticum* & *Antipatheticum* cum Unicornu repræsentatum est *Anni III. Obs. 288.*

Aquæ

Aquæ quaſi *Spontaneus adſcenſus* contra gravitatis naturam per filtrum laciniosum eſt obſervatus *Anni VI. Obſ. 98.*

Per aquam *mobile perpetuum* monſtratum eſt in Motore perpetuo diurno, ſeu *Thermoſcopio Mercuriali librato*, quod *Anni XI. Obſ. 33.* deſcriptum à me eſt.

Pergo nunc aquæ *miracula* numerare, eamque ex horizontali linea *ſuper æquilibrium* & montis altitudinem evehere & revehere, ſola Naturæ inclinatione & bonitate, per *Siphonem Würtembergicum* docebo, quod hactenus nemo oſtendit, & vel unum ungvem latum, ſine impulſu, aut preſſione aut ſuctione ullius machinæ; niſi fortaſſis *Pincerna Stathmicus* Clar. *Erhardi Weigelii* hoc fecerit, citatus in *ſupellectile Artefactorum, qui id miniſterii præſtat, ut vinum è cella ſubterranea per tubum vitreum puriſſimum ad menſam converſo ſaltem epiſtomio ſubminiſtret: inventum quo mucor evacuatis aliquantiſper doliis aliàs incumbens, unacum fraudibus promorum præſertim extraneorum, quos conducere ſæpe neceſſum habemus, evitari poteſt.* Namque P. Caſp. Schotto *Mechan. Hydraul. Pneumat. part. 1. protheor. 4. propoſ. 11. annot. 1. ſine crure ſeu perpendiculo longiore, ſpes nulla eſt ad effectum deſideratum conſequendum.*

Erat autem propoſitio Schotti *Siphone inverſo aquam ex uno montis latere in alterum, per verticem deducere.* Joh. Bapt. Porta *l. 2. ſpirital. cap. 13. & 14. mirabilem quidem modum, antiquis minimè cognitum, imò ab omnibus pro impoſſibili habitum, nempe aquam ultra perpendiculi altitudinem mediante aëre elevandi, laudat.* Sed Schottus *propoſ. 12. annotatione, falſum omninò eſſe* aſſerit, *etiam praxin ejusdem ap.* Merſennum *in Hydraulicis phænomenis propoſ. 34. qui nonnulla de ſuo adjunxerit, non uſquequaq; veritati congruam eſſe ſcribit.* Nec tandem meretur huc referri ex *Theatri Machinarum part. 2. n. 18.* Henrici Zeiſingii machina *Sion* dicta, ſeu ſipho ex metallo, corio vel ligno picato, cujus crus brevius ſed multo amplius, pondus nimirum majus aquæ

capiens, & cum motu perpetuo trahens per longius crus, ex præterfluente rivulo, atque effundens in rivulum, si Diis placet. Siquidem, si sponsionem vellet facere sui eventus, cum illo Architecto, qui citante auctore Anonymo Jocoseriorum *seu Magiæ Naturalis Cent. 3. probl. 3.* cum *Barone Würtzio* Generali Suecico & Gubernatore Pomeraniæ, spondens coram REGINA CHRISTINA, supra montem aquam evehere, jacturam fecit centum aureorum, ob certos fines pressionis aëris ipsi incognitos, perdet quoque suos nummos.

Jactet igitur Urbs Roma, Orbis Domina Aquæductus tam pretiosos, tam amplos, ut vir eques alveum commodè posset ingredi; tot salientes & vivas aquas, vel à quadragesimo milliari per montes & valles ductas, atque fornicibus sustentatas. Laudet tota Italia, Gallia, Germania fontes salientes suos artificiosissimos, pretiosissimos, rarissimos. Certè non cedunt illis arte, utut pretio, quos Domus & Hortus & Grotta Ducalis Stutgardiæ ostentat.

Pares verò non habet Mundus duabus machinis aquariis, si & utilitatem & raritatem & artificium spectes, quarum altera Sipho est aquas in æquilibrio seu horizontaliter positas ex uno castello super jugum montis transportans in aliud & refundens per eandem altitudinem atque viam iterum in prius: (ein Wasser-Uberlauffer) altera rotatilis suctor & pressor est (ein Wasser-Zwinger) ad aquas è profundo alliciendas & in miram altitudinem projiciendas, quas *Serenissimus Princeps* DN. DN. FRIDERICUS CAROLUS, *Dux Würtembergii & Teccii, Comes Montispelicardi, Dominus Heidenhemii, Administrator & Supremus Tutor, Dominus meus Clementissimus*, servat inter Rariora sua, ab hæredibus civis sui Stutgardiani & pellionis & Capitanei urbis Johannis Jordan magno pretio redemtas. Hic, quem cum organedo cœco *Conrado Schott* & *Scriniario* quodam, qui Sanctam Urbem minori forma ad normam S. Scripturæ artificiosissimè construxit, numerare licebit inter encomia Ducatus Würtember-

gici, αὐτοδίδακτος & latinæ linguæ imperitus (quod maximè doluit) multa in Mathesi, Astronomia, Hydrostatica, Cælometria (Wein-Visierung) aliisque Mechanicis & meditatus est, & ad praxin duxit, ita ut & Ephemerides seu Tabb. Prutenicas novo calculo corrigere inceperit. Has verò dictas machinas perfecit & tanti æstimavit, ut cùm emtorem non inveniret satis liberalem, agonizans voluerit destruere, nisi ab uxore fuisset impeditus: obiit autem Anno 1680. & reliquit hoc Cimelium. Descripsit quidem ipse artifex utramque machinam & æri incidit corrosivâ aquâ Anno 1672. atque distinxit Siphonem hunc suum ab inventis Heronis Alexandrini & Joh. Bapt. Portæ, quæ cum C. Schotto transcripsit Dan. Schvventer *Delic. Physico Mathem. part. 13. prop. 2.* ubi simul negat infusâ aquâ per infundibulum in culmine montis, obstructis utrisque orificiis rem procedere: falsiùs per angulum recto minorem fieri credit. Distinxit, inquam, his notis & artificiis. 1. Ut orificia crurum duorum Siphonis sui horizontaliter sita labris inserantur; cùm in Veterum inventis crus longius infra labrum seu æquilibrium descendat semper. 2. Ut orificiis vel partim vel dimidiùm aqua repletis effluat tamen aqua super montem ducta, cûm in reliquis siphonibus totum orificium aquâ adimpleri, seu immergi aquæ debeat. 3. Ut in siccitate diuturna quiescens machina tamen effectum producat, affluente iterum aquâ. 4. Ut lumine seu orificio alterutro aperto, altero verò post horas demum aut diem, seu per epistomium seu conum recluso, effluat tamen aqua, cum in aliis utraque simul lumina aperiri debeant. 5. Ut in horizontali linea positis orificiis & æqualibus quoad altitudinem cruribus exundet liquor, cùm in Portæ aliorumque machinis inæqualia debeant crura esse, & perpendiculum majus. 6. Ut ab utroque labro in utrumque labrum infusa ascendat & effluat aqua, cùm in Veteribus nonnisi per unicum, nempe longius crus effluat, nunquam refluat. Secretum verò occultavit, & in

Nnn 2 angulo

angulo ſupremo myſterium latitare ſcripſit, quod eſt veriſſimum.


Has igitur machinas duas tanti artificii, tanti uſus, tanti miraculi *Sereniſſimus Princeps* in majori forma conſtrui juſſit pro uſu publico, moderante hoc opus ſecretum *Dn. Joh. Schuckardo*, Conſiliario & Secretario intimo, Mathematico ingenioſiſſimo, qui hactenus *Celſiſſimo Duci* à ſtudiis atque exercitationibus fuit mathematicis, per juratum Caſtellarium ſeu Grottarium. Hinc conſtructum eſt opus ex canalibus viginti pedes altis, divaricatis octodecim pedes cruribus, in quibus orificiorum diameter decimam partem pedis Würtembergici continebat.

Aſt ne lateat porrò in obſcuro artificium hoc mirandum, ſed ut audiat & videat Mundus, placuit *Clementiſſimo Domino meo*, ut deſcriberem & publicæ utilitati proponerem harum machinarum unam, quæ alteram & novitate & artificio, fortaſſis & uſu ſuperat, nempe *Siphonem transfuſorium & refuſorium ex horizonte ſeu æquilibrio*, quem ob loci nativitatem ac Poſſeſſoris excellentiam *Würtembergicum* nominabimus.

Hic ergò eſt Sipho ſeu tubus in angulum reflexus & inverſus duorum æqualium altitudine crurum, quæ in labra ſeu caſtella deſcendunt utrinque horizontaliter ſeu in æquilibrio poſita: (ſine quo poſitu inefficax eſt machina) quorum alterutri ſi affundas, etiam dimidiâ vel quartâ orificii parte impletâ, (quod maximè rarum & admirabile eſt ei, qui ſiphonis communis operationes novit) aquam vel liquorem quemcunque, illico ſupra angulum ſeu culmen Siphonis aſcendit, deſcendit & effluit in alterum labrum (ſine tractione, ſuctione, impulſu aut rarefactione alicujus machinæ); cui infuſa denuò aqua alia tranſibit in prius labrum.

Adaptata etiam rotula ſeu tympanum cellulis interſtinctum, quod effluentem excipit aquam, (uti in hoc modulo fit) elevabit per antlias non vulgari ſed ſingulari & artificioſo, eo-
que

# Sipho Würtembergicus.



que modo quo altera machina pollet, fabrefactas, aquam usque ad culmen, unde delapſa iterum variis luſibus oculos delectet.

Imò, ne quid deſit etiam oculis curioſis & avidis, ecce figuram Machinæ tripedalis, ut artifex ipſe manu ſua conſtruxit, & multis ſpectandam dedit, quam alius, ubi artificium noverit, facilè centies variare poterit, canalibus rectis, angularibus, ſphæricis, ſpiralibus, obliquis, ſerpentiformibus, ſcalaribus & neſcio quibus aliis ambagibus.

Ignoſcet tamen Benevolus Lector, quòd *Sereniſſimus* adhuc ſibi ſervet myſterium ſtructuræ & praxeos totius, quâ animari & ad uſum duci poſſit machina. Nec mirabitur, rationes hujus fluxus & refluxus in hoc Secreto Siphone non expreſſas eſſe, cùm vel in Siphone vulgari inverſo hactenus nondum conſtiterit an à vacuo, an preſſione aëris, an circulo corporum, amore contigui, odio diſcontiguitatis, an à determinatâ divinitus Sphærâ proveniat vera cauſa.

*Uſus*, quem inſignem diximus, erit, fontem ſuper juga montis non unius ſolum, ſed inſequentium continuatis vel ruptis orificiis ducere aquam: dein ex lacu ſuper muros, ædificia, turres, rupes, ubi non datur aliàs penetrari, transferre, incendiis delendis, alveiſque & plateis purgandis; etiam minerarum fontibus exhauriendis.

*Tentandum* denique ad majorem utilitatem, an in ſuperiori angulo & montis vertice aqua effluat, cui juvando præter aliorum conatus, fortè erit Portæ *inventum Mag. Nat. l. 19. c. 3. vel l. 2. Spirital. cap. 13. & 14.* Tentandum quoque an aqua ſupra hactenus creditos fines adſcenſura ſit, quos quidem Boylæus *ad 34 vel 35. pedes*, Magnanus *ad 18. cubitos*, Dygbæus & Galilæus *ad 40. pedes*, Magdeburgenſes *ad 20. ulnas*, Carteſius *ad 20. ſexpedes* experimentis ſuis tantum attactos, nec ultra progreſſos eſſe, evicerunt, propter aëris & aquæ tandem emergens æquipondium impotens ad ulteriorem adſcenſum ſeu preſſum. Nec deſperandum, quin ſuperemus hactenus cognitos

cognitos & expertos fines, cum & in æquilibrio superato jam vicerit.

## SIPHO WÜRTEMBERGICUS.

HUic *tertio Germanorum* post *pulverem tormentarium & Typographiam invento* longè quidem inferius, sed curiosum non minus atque jucundum

EXPERIMENTUM STUTGARDIANUM

Coronidis loco apponere liceat, quod à *Florentino* & *Romano* C. Schotti *tertium* est circa aëris elaterem in bullula vitrea natante, & Stutgardiæ, detecto Naturæ peplo, manifestatum.

Quamvis enim Schottus diligentissimus *Mechan. Hydraulico-Pneumat. part. 2. Class. 1. cap. 5. mach. 6. Hydrotechnicum tubum varia ludendis Naturæ spectacula exhibentem*, *tanquam Experimentum novum*, *Florentiâ ex fæcunda Lynceorum Schola transmissum*, *Florentinum inde appellatum*, in medium produxerit *levissimum prima quidem visum fronte, nullaque dignum admiratione; at speculationis tam reconditæ, si penitius examinetur, plenum, ut multorum excitarit ingenia ad latentes effectus exotici causas seriò indagandas*: ad cujus adeo imitationem P. Athan. Kircherus & Raphael Magiottus (qui ex ejus occasione opusculum conscripsit *Renitenza certissima dell' acqua alla compressione*) aliud fere simile Romæ excogitarunt *Romanum* dictum. Tacet tamen de hoc nostro Experimento *Stutgardiano*; quod nec ab alio quodam Autore observatum vel descriptum legimus, parem verò fortasse speculationem & examen meretur.

Ejus fabrica & usus talis est. Bullula vitrea cum brevi collo angusti orificii vel simplex, vel in icunculam formata, & aperto tubo seu globo aquâ pleno immersa sponte subsidet aut submergitur de nocte & in frigore; ut innatat aut elevatur de die & in calore.

Differt à Florentino, quia ibi bullula in clauso tubo à frigore ascendit, in calore descendit: in aperto tubo hîc à frigore descendit,

descendit, à calore elevatur: à Romano; quod illic leviùs per pollicem pressâ aquâ icuncula elevatur vel suspenditur, fortiùs verò, submergitur; hîc in frigidâ ambiente aquâ subsidit, in calidâ innatat: ab utroque; quod istic & illic vi quadam in aquâ conclusâ; hîc sponte in aquâ libertati suæ relictâ & instinctu Naturæ ludat, ut BAROMETRI SPONTE LUDENTIS naturam exprimat, nomenque mereatur.

Equidem apud Illustrem Rob. Boyle *Paradox. Hydrostatico 2.* ubi de submersis bullulis, earumque causis & phænomenis agit, ipsissimam delineationem machinulæ hujus invenio, quæ est, *in tertiâ figurâ tubus primus cum duabus bullulis X. X. una natante, submersa altera.* Adductas etiam video inibi causas veras natationis & submersionis, *gravitatem* nimirum vel *levitatem specificam*, data æqualitate molis aqueæ.

Verum hîc, quando & Florentini & Romani experimenti meminit, eorumque rationes non à Vacuo cum Kirchero & Schotto, sed ab aliis principiis deducit, non videtur attendisse nostrum Stutgardianum, neque usum illius & lusum, sed alium finem habuisse, nempe *pressionem competentem aliquam sive à pondere, sive aliter productam in aquam*, qualis quidem tam in Florentino quàm Romano datur; non verò in Stutgardiano, ubi solo calore vel frigore ambientis aêr internus bullulæ inclusus rarescit vel condensatur, minuitur vel crescit, levior fit vel gravior, deturbatâ vel attractâ seu sequente aquâ. Idem *Paradoxo 7. fig. 14.* bullulas quoque geminas, natantem unam, demersam alteram ostendit, sed ob *immersi corporis lateralem à fluido pressionem.*

Excell. Joh. Christoph. Sturmius, *Prof. Mathem. ac Phys. Altdorffinus in Collegii Experimentalis sive Curiosi Tentam. 5.* hydrostatica quidem Phænomena quinque cum bullulis & sphærulis vitreis colli & orificii angusti natante & submersa unâ, (ipsâ adeò nostrâ machinâ) proponit cum causis genuinis, *pondere* scilicet *majore affusæ aquæ vel olei, vel bacillo premente.* Sed

nec

nec hîc nec in *Auctuario* Spontaneæ noſtræ vel elevationis vel ſubmerſionis veſtigium reperitur.

Utut ergo *presſionem aëris* à Recentioribus omnium phænomenorum, quæ hactenus *à fuga Vacui* proveniſſe putabantur, cauſam creditam, negare nolim, cùm plurimi Eruditorum experimenta ſua laudantium, ipſeque Schottus, qui vacui fugam in poſterioribus *Technicæ Curioſæ* curis retractat, demonſtrent: attamen forſan ſine preſſione ejusmodi, multorum experimentorum à rarefactione & condenſatione profectos effectus fieri, poſſem facilè monſtrare.

In *Thermometri* variis ſpeciebus, *erecti* puta, *inverſi*, *reflexi*, *circulati*, ſolus calor & frigus poſitivum, aut caloris privatio & diminutio eandem rarefactionem & condenſationem ſine preſſione aëris (cui ſoli aliàs adſcribitur illorum variatio) efficit; quod vel manus calida, aliusve quivis ignis admotus, vel frigus quodcunque applicatum evincet.

In *Thermoſcopio* utique *Hermeticè ſigillato*, in quo liquor quidam ſpirituoſus eſt concluſus, quomodo preſſio aëris valeat, qui vitrum penetrare non potuit, non video. Credere interim quid vetat, igneis particulis, vel ſi mavis, ætheri poros vitri transeunti calido tempore attribuendam eſſe rarefactionem non tam liquoris ipſius, quàm aëris & ſuper aquam incumbentis, atque cum aliò non poſſit, aquæ poros ſubintrantis, & in poris aqueis latentis, qui utrinque aquam dilatando in majorem molem adaugeat; dum alia edocear ſaniora & veriora?

Sanè an deſcenſus liquoris in frigore imminuti à condenſatione aquæ, quæ ſecundum Boyle vel nullam patitur compreſſionem vel nonniſi levidenſem, & rarefactione ſeu elatere aëris ſimul vix poſſibili ortum habeat, adhuc me neſcire fateor.

*Tantum!*

MICHAE-

# MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI,

Med. Lic. Pract. Giessen. Sq; R. I. Academiæ Nat. Curiosorum Collegæ

*De*

# MONSTRORUM HASSIACORUM ORTU ATQUE CAUSIS EPISTOLA

Ad

*Excellentissimum VIRUM*

DN. JOH. DANIELEM DORSTENIUM,

Med. Doct. atque Prof. Ordin. Marburgensem, ut & Societatis GERMANORUM curiosæ Collegam meritissimum.

---

ANNO cIↃ IↃc LXXXV.

# EXCELLENTISSIME DOMINE!



Ix duo diffluxêre menſes, ex quo Mercatores noſtri Marpurgo reduces de novô quodam monſtro, haud procul inde nato, mentionem facerent: Cui tamen vulgi relationi an fidem adhiberem dubitabam primò, donec obtentis ab EXCELLENTIA TUA literis amabilibus, ejus non tantùm certior redditus, ſed & partûs hujus tum deſcriptione tum figurâ inſimul Anatomicâ donatus fuerim, quibus neſcio an quid gratius unquam contigiſſe potuerit. Neque enim facilè dixero, quantum aut delectationis aut emolumenti capiam ex reciprocato dudum literarum commercio, quod cum Celebrioribus ævi noſtri Medicis tempeſtivè ineundi omnem, quam potui, hactenus occaſionem ſum venatus: Quos inter & Tuam præprimis Excellentiam ſincero ſemper affectu colui; cujus ut in publicum exſtet argumentum, eſt quod quæſivi diu, usquedum ex improviſo ſe inſolita hujus monſtri tulerit hiſtoria, quâ obſtetricante pauca de *monſtrorum ortu* fortè commentari tuoque Celeberrimo Nomini inſcribere, volupe quidem erat.

Verùm enim verò cùm paulò poſt Magnificum D. D. WALDSCHMIDIUM omnem hujus rei fundum occupaſſe viderim, & de cæterô quoque conſtet, Ampliſſimam Tuam Excellentiam peculiarem jam hoc deſuper argumentum meditari diſſertationem, mutavi rurſus animum, ne vel Iliada poſt HOMERUM cantitaſſe, vel noctuas Athenas tuliſſe videar. Intereà factum, ut alius heîc de parili monſtrô ſpargeretur rumor, quod in vicinâ nobis moletrinâ haud pri-

dem enixa fuerit molitoris uxor; unde novum mihi ſtimulum ſuccreviſſe ſenſi, quò cœptum antè propoſitum refricarem & in φαινομένων ejusmodi præternaturalium hiſtorias atque cauſas inquirerem. Quamvis enim ita felici mihi eſſe non licuerit, ut, hoc quid eſt oſtenti ſive oculis ſive cultro Anatomico ſubjeciſſe datum ſit; id tamen ex oculatorum fideque digniſſimorum teſtium relatione refero, quòd Gemelli quoque fuerint in truncô corporis monſtrosè concreti, vivi tamen ambo in lucem editi, utut paulò pòſt, acceptô priùs SS. Baptiſmatis chriſmate, ſucceſſivè exſpirarint. Quod autem externum membrorum apparatum concernit, id ferè commune tenuêre cum nuperis haud procul à Marpurgo genitis gemellis, quod unô tantùm umbilici fune cohærerent; ſitu verò corpuſculorum immane quantum diſcrepantes, qui contrarius iis & inverſus planè fuit, ita quidem, ut inversè ſibi implicati caput unius ſuperiorem, alterius verò inferiorem regionem occupârit, ſicut id figura *Ann. III. Dec. 2. Ephemerid. GERM. curios.* proximè inſerenda, fortè exprimet. Antipodum ſchemate naturam luſiſſe dixeris & hoc ipſo monſtro eorum demonſtraſſe exiſtentiam. De internâ verò viſcerum ſtructurâ nil habeo quod dicam, cùm ſub ſilentii ferè ceſpite tumulata computreſcant.

Interim cùm notabile fortè ſit, quòd hîc monſtrorum ortus in idem planè tempus ceciderit, non potui, quin Nobiliſſ. Tuam Excellentiam ejus certiorem redderem &, quas ex hoc argumenti fonte nuper hauſi cogitationes, ſubacto Tuo & edecumato jam judicio inſimul committerem. Equidem, ſi ullibi ars Naturam imitari ſolet, id in naturali monſtrorum Hiſtoriâ quam abundè fieri jure fortè dicerem. Sicut enim monſtra nil niſi Naturæ ſunt errores, ita fœcundâ ſui progenie & aliis ſimiliter errandi largam fecêre copiam; poſitô nempe uno abſurdorum, nexu indiviſibili ſequuntur plura. In teſtimonium appello tantùm non omnes Phyſicos & generales & ſpeciatim, qui hoc argumenti genus fusè proſequuti ſunt, tam

Ve-

Veteres, quos ordine recenset Vir summæ eruditionis multæque experientiæ D. D. SCHÆFFER in *Directorio Medico-Practico;* quàm recentiores à LIPENIO *in Bibliotheca Medica Reali* noviter accensitos.

Nisi enim nudas facti species & historias excipere velis, parùm subinde reperire licet, quod animo vivæ veræque doctrinæ cupido satisfacere possit, cùm utrobique multum sæpe eloquentiæ sit, scientiæ verò Physicæ parum. In hujus rei causas si inquiramus, duas imprimis offendere licet: Primam quod Antecessores nostri, in priorum temporum cursu, quoad arduum generationis opus justô fuerint negligentiores, ac unius ultra vel alterius Pagani dogmata sapere noluerint. Itum est per exempla majorum, & quæ vel cunque ARISTOTELI vel GALENO olim placuere, pòst velut oracula quædam è Tripode dicta, supina prorsus superstitione crudelique credulitate ad posteros usque derivata sunt: Quin adhuc hodie sæpe itur, quà itur, non quà eundum. Ab alterâ deinde parte doctrinæ huic obicem quoque posuêre spissæ, quæ abscondi-tam generationis œconomiam administrare solent, difficultates.

Sicut enim rectum semper norma est & regula obliqui, ita fortè tamdiu vera monstrorum ætiologia dari non poterit, quoad ipse sive conceptionis, sive generationis ordo fuerit in dubio. Equidem multum, fateor, lucis huic rei accessisse nuper, cùm ovaria hominis conceptio in foro Medico decisa fuit, quàm felicissimè partim invenêre, partim uberiùs edocuêre Viri æternitate digni COURVEUS, STENO, SWAMMERDAM, HORNIUS, KERKRINGIUS, GRÆFFIUS, GARMANNUS, FRANCUS, PEYERUS, DOLÆUS, BARTHOLINUS uterque, alii: Non tamen etiamnum desunt, quæ negotium hoc curatiùs pensitanti crucem figere possunt. De ipsius quidem rei veritate dubitare qui vellet, propriam aut ignorantiam aut summam mentis contumaciam in apricum proderet: Militat hic tot Anatomico-

tomicorum authoritas, & rem ultrò confirmat quotidiana autopsia. Cùm verò ad modum itur & specialis omnium partium schematismus & conformatio determinanda venit, heîc demum aqua sæpe hæret. Neque enim certò constat, an in ovulis illis genitalibus omnium partium stamina jam efformata delitescant, an verò sub primis conceptionis diebus earundem demum delineatio fiat? Et quamvis hæc quoque in expedito sint, cognitu tamen difficile est, quâ ratione & quô modo vel ordine partes illæ sive conformentur sive explicentur; & quis tandem sit Thaumaturgus ille, qui admirabilem hanc corporum substructionem & inchoare & perficere solet? Qui cum Antiquariis facultatem animæ formatricem sustinere satagunt, elegantioris doctrinæ Viris risum movere solent. Demonstrandum priùs erat an hoc de animæ rationalis sit officio, ut ad actiones illas automaticas concurrat, cui functiones rationales & cogitativæ jam satis negotii facessere poterant.

Et ut non dicam, quòd anima rationalis actionum harum nunquam ferè conscia sit, id saltem urgeo, quòd gravitati Peripateticæ prorsus non conveniat, principiorum olim receptorum oblivisci, quæ nullam planè inter materiale & immateriale proportionem esse categoricè concludebant. Alius ergò prodeat Architectus, qui operi huic manum commodet & operam; Ipsi nempe spiritus automatici, qui vel hôc nomine ab Illustri HELMONTIO non insulsè Archei nomine venire solent: Hi etenim sub genituræ virilis regimine, certô numerô, pondere & mensurâ concentrati, eum in finem arvum muliebre irrigare motusque sui terminum tantisper expectare solent, donec dulci sibi connubiô maternorum spirituum copulam adsciscentes, in omnes se dimensiones explicandi variisque suis excursionibus prima fœtus rudimenta ducendi occasionem nanciscantur.

Unde jam porrò liquet, quâ ratione mirabilis hæc partium formatio fieri possit? cùm enim spiritus illi naturâ sua ad motum

motum proclives, & ut Generosus CARTESIUS sæpe loquitur, in continuâ ad motum propensione constituti sint, non possunt non commodô tempore vel locô sese explicare adque paranda sibi nova domicilia omnem movere lapidem.

Non tamen putandum est, hunc spirituum motum vagum prorsus esse & erroneum, sed omnino singularem & omnium minutissimarum quoque partium ideis determinatum, quas in tali spirituum plica & textura consistere existimarem, quâ certâ proportione, eô in situ, positurâ vel figurâ concentrati sunt, quâ machinæ humanæ fabricam ipsô alias actu informare & dirigere solebant; & in hac elasticâ quasi plicâ idearum non tantùm, sed & virtutis illius plasticæ rationem formalem consistere jamdudum publicè probatum dedi.

Hinc quoque sponte suâ fluit admirabilis illa similitudo, quæ parentes inter atque filios intercedere solet, non ad faciem solùm, sed & omnem ferè membrorum apparatum, ita quidem, ut, quod sæpè stupui, ingressu quoque & pedum alternatione sæpissimè Parentes æmulentur liberi. Nil dico de similitudine morali & affectuum affinitate, quæ integras inter familias sæpe obtinere solet, quò GERMANORUM nostrorum proverbium abit: **Der Apffel fällt nicht weit vom Stamm.** Ideæ ergò genitales in hac spirituum texturâ radicatæ, sunt veluti norma quædam atque regula, quæ vagum spirituum motum dirigere & in formandis membris adjuvare solet.

Ubi tamen non prorsus exclusero mechanicas motuum leges, quæ omninò etiam suas hôc in punctô partes agunt, sicut id Illustris CARTESIUS in nobili *de Formatione Fœtus* libello, & genuinus Ejus Interpres, Dn. D. WALDSCHMIDIUS *in nupera Diss.* eleganter & ad oculum ostendêre. Unde jam porrò elucescit diversitas, quæ oviparorum ova à viviparorum ovulis distinguit, & reliqua superiùs enarrata dubia commodè expedire poterit: In illis enim omnium particularum stamina jam perfectè delineata sunt, haud aliter

ac

ac in plantarum ſeminibus idem ſpecillis ſuis obſervârunt GREWIUS, MALPIGIHUS, BAYLE, BOHNIUS & alii; & hinc eſt, quod non vivô tantùm animalis fotu, ſed quocunque etiam calore fœtus inde atque pulli excludi poſſint, ſive naturalis ſit ſive artificialis: Illud ex communi Phyſicorum traditione conſtat, qui ſtruthionum ova, in arenam locata, ſolis æſtu recludi ferunt, cujus rei veſtigia jam in ſacris exſtant; hujus verò experimentum habet AFRICANORUM ars, qui certô furni tepore magnum ovorum numerum ſimul excludere norunt, id quod in Daniâ quoque tentaſſe olim celebrem BARTHOLINUM ex *Obſervationibus* ejus conſtat, utut primâ vice non bene ceſſerit experimentum.

Longè verò aliter in genitalibus viviparorum ovulis res ſeſe habet, ubi partium ſingularum fabrica ſub primis conceptionis diebus aut efformari aut delineari ſolet, id quod tamen in ipsô jam ovario, antequam in uteri cavum perveniat, contingere, certum eſt, & ſectiones Anatomicæ ad oculum demonſtrare poſſunt; unde & modus eſt petendus atque via, quâ ovula illa, embryonum typum continentia in uteri concamerationem pervenire ſolent, id quod per tubæ Fallopianæ ductum ſucceſſive fieri experimentis ſuis & figuris jam dudum obſervarunt Recentiores Anatomici, RUYSCHIUS, GRÆFFIUS, BARTHOLINUS, DIEMERBROCKIUS, ALIIque. Quin & ipſæ ſæpe mulieres hos ovuli greſſus & progreſſus ſentire ſolent, quæ ut ſub primos imprægnationis dies horrore quodam febrili ſuccutiuntur ita paulò poſt per aliquot dierum ſpatium ad regionem iſchiaticam titillationem quandam perſentiſcunt, **es kitzelt ſo nach dem Schoos zu** / ſicut id ex orali curioſarum matronarum confeſſione quivis haurire poterit. Ut enim mediante titillatione hâc ſenſibiles admodum tubarum uterinarum extremitates ovario applicantur, illudque ſingulari modô exoſculantur, ita ferè ſenſus hic eousque perdurare ſolet, donec ſuperatô tubæ ductu anfractuoſo in uterum protrudatur ovulum, & per affluentem ex arte-

riis

riis pultem nutritivam ulteriora incrementa capiat: Vias atque modum curatiſſimè deſcribit NEEDHAM in *Diſq. Anat. De formato Fœtu*, qui hac in parte Dux omnibus & author eſt; Et hucusque ferè proceſſit curioſa Modernorum ſolertia in perſcrutandô ortûs noſtri labyrinthô. Quod ſi jam naturalis hic generationis ordo ſubvertatur & in formandâ partium ſymmetriâ inſignis idearum confuſio fiat, non poteſt non evenire, ut varii partus inde monſtroſi propullulent, quorum tres ferè cauſas hactenus docuêre Scholæ, Facultatis inquam formatricis aberrationem, ſeminis ſive defectum ſive redundantiam, & uteri tandem conformationem vitioſam.

Sed omnia ex principiis malè fundatis. Omni ferè facultate nunc privatæ ſunt à modernis animæ facultates, ſicut ſupra retuli.

Quid quòd & in brutis & vegetabilibus toto die generentur monſtra, quibus tamen nec ratio ineſt nec intellectus. Utrobique magnum exemplorum numerum ſuppeditare poterunt *Ephemerides GERMANORUM Curioſæ*, & vel unica illa, cujus Excellentia Tua nuper me participem fecit, obſervatio, de monſtroſô valdè & acinacis inſtar ſuccreſcente Violæ matronalis caule hujus rei fidem facere poterit, & parile ferè φαινόμενον in Coronâ Imperiali adhucdum oſtendit Hortus Academicus GIESSENSIS. Sic altera pariter de ſeminis ſive quantitate ſive qualitate ſententia prorſus ſterileſcit, cùm de maris genitura nihil quicquam in uterum penetrare, ſectiones HARVÆANÆ certò demonſtrarint. Neque tandem video, cur ipſius uteri ſtructura tantoperè accuſanda ſit, cum prima monſtrorum rudera jam in ipſis teſtibus dubiô procul ſint formata, antequam in uterum dilabantur. Sicut enim tenerrima partus naturalis lineamenta in ipſo ſive ovariô ſive oviductu adhuc hærente ovulô accuratiſſimè conſpici poſſunt, ſi curioſum Microſcopiorum adminiculum in uſum vocaverimus, de quibus fusè agit primus, quantum ſcitur, eorum Author FRANCISCUS FONTANA & qui eum ſecuti ſunt

BORELLUS, HOECKIUS, WALDSCHMIDIUS, SCHRADERUS, alii: Ita idem quoque in primâ monstrorum figuratione obtinere certum est: Illic enim omnium particularum stamina tenera adhuc sunt & tractabilia, unde facilè confundi varieque irretiri poterunt, quamprimum idealis spirituum motus (qui heîc omne ferè punctum fert) à sueto tramite aberraverit, & in varias eccentricitates distractus fuerit. Hinc enim illæ lachrymæ! Quibus occasionem plerunque subministrare solent affectus externi, terrores inprimis, non vulgares & ex pelvi fulgurantes, sed extraordinarii prorsus, atque tales, quæ sive vitæ sive omnis fortunæ jacturam minitentur. Certum enim est, insolita sensus, tam internos quàm externos, fortiùs ferire, cùm & heîc valeat regula HIPPOCRATIS, quòd insueta suetis sint deteriora: Id quod non hominibus modò, sed & ipsis brutis commune esse eleganter ostendit Celeberr. D. BRANDIUS in Relat. Germanicâ De *ovô Cometicô Marburgi repertô cap. IV. §. II. s.* Notatu sanè dignissimum arbitrarer, VIR EXCELLENTISSIME, quòd eo præcisè tempore, monstrorum ejusmodi prægnans fuerit HASSIA nostra, quo juratus Christianorum Hostis castra movere & omnia susque dèque vertere, diraque minari suevit, idquod non nudius tantùm tertius, sed retroactis longè temporibus contigisse, exemplis aliquot demonstrare liceat. Equidem si superioris seculi annales evolvamus, oppidò apparebit, quàm insignis belli apparatus anno 1577. in Portâ Ottomannicâ conquisitus fuerit, quo audito universa ferè EUROPA subitaneo quodam & immani terrore perculsa nil æquè magis extimuit ac horribilem Turcarum tyrannidem. Utut autem faba illa non tam in Augustissimum ROMANORUM quâm PERSARUM potiùs Imperatorem cusa fuerit (à quo postmodum universus & Tartarorum & Turcarum exercitus memorabili strage profligatus & radicitus eversus fuit, sicut id ex SLEIDANO, MUNSTERO & Historicorum aliis constare poterit): Nihilo tamen minùs eodem adhuc anno, ob

con-

conceptum fortè terrorem quidam Hassiæ pagus, Hohen-Eichen/monstrum tulit prorsus insolitum, cujus iconem quoque Serenissimis Hassiæ Principibus transmisêre subditi. Ast parum hoc videri posset, nisi & recentiora, quæ hoc nostro seculo contigêre, suppeterent exempla: si enim annorum retroactorum memoriam recolamus, neminem credo, latere poterit, quantas ante hos & viginti annos in universâ Germania turbas dederit magnum illud Orientis monstrum, cùm anno 1663. sub prima æstatis initia factâ in HUNGARIAM irruptione toti Christianeitati certum, ut solet, exitium minaretur.

Quid fieret? Anno subsequenti 1664. ad primos veris accessus Wetteravia vicina monstrum parturivit horrendum, quod jussu deinde & indultu Principali Theatro Academiæ Giessenæ Anatomico in victimam cessit, sicut iconem ejus & descriptionem exhibet Disputatio paulò pòst publicè de eo habita; quin & in Theologicam considerationem tunc à B. Dn. MûLLERO tractum & elegantibus rhythmis Germanicis delineatum fuit, im Buß-Spiegel. Et eadem, ni fallor, ratio est novissimorum Hassiæ monstrorum, speciatim istius quod Eruditorum MARPURGENSIUM oculos nuper pavit & curiositatem.

Quis enim tam obtusæ mentis est, cui non amplius constet, quantô mox terrore perculsa fuerit universa Germania, cùm ex inopinatô subitanea illa & præpropera VIENNÆ obsessio nuper increbesceret? Actum videbatur non tantùm de nobilissimis Austriæ, Ungariæ aliisve regionibus, sed omni ferè Germaniâ, nî DEUS T. O M. vicinum POLONORUM Regem atque universos S. R. I. Status in suppetias armasset, quorum Virtus erit in æternum.

Nulla certè posteritas secutura est; cui non summa SAXONUM Fortitudo stabit in exemplum, qui glaciem fregêre & spumantes hostium impetus fortiter sustinuêre. Nec intermorietur unquam adamantina STAREMBERGIORUM constantia & Generositas, quam vel ex oculis olim legere

gere potui, cùm ad devotum manuum oſculum Gratiosè me admitterent. At verò cùm tanta Heroum nomina omni prorſus encomiô ſint majora: jam in viam redeo, & inde porro concludo, terrorem illum & truculentas Turcæ minas veram eſſe monſtrorum Haſſiacorum cauſam. Neque enim accidentarium illud & fortuitum planè crediderim, quòd iis potiſſimùm annis partus ejusmodi præternaturales contigerint, quibus univerſa Chriſtianorum caterva Turcarum furoribus exagitata fuit, id quod jam tribus vel quatuor vicibus accidiſſe conſtat. Et ſi præterea ſupputationem probè fecerimus, conceptio horum partuum præcisè incidet in illud tempus, quô primo impetu & inſultu Germaniam in terrorem egit Tyrannus ille monſtroſus, (propter quod enim unumquodque tale eſt, illud magis tale eſt) quô ipſis natura in efformandis ſtaminibus occupata, facilè turbari & in confuſionem agi potuit. Accedit & hoc, quod ruricolæ præprimis huic monſtrorum infortunio plerunque ſint obnoxiæ, quæ nil æque magis, quàm calamitates bellicas pertimeſcere ſolent, quarum incommoda ferè luere tenentur. Neque enim ignorant, quòd, ſicubi delirent Reges, plectantur Achivi: Ut ut vix quicquam adeò malum eſſe poſſit, quod non & boni quandoque rationem induat, cùm exactiones ejusmodi bellicæ quædam quaſi fræna videantur aliis, queis indomita ruſticorum gens in terminis ſuis coërceri ſolet, ne fortè criſtas erigat, ſi nimia libertatis ſuæ & felicitatis incrementa viderit, de quibus fusè ii, qui *de vita ruſtica* ſcripſêre, HESIODUS nempe, DEMOCRITUS, VIRGILIUS, CATO ſenior, VARRO, COLUMELLA, PALLADIUS, PLINIUS & ipſe AUGUSTINUS. Speciatim verò Mahumetana proſapia quam maximè eſt exoſa hominibus noſtris, imprimis muliercul is, quæ vel ad ſolum Turcæ nomen contremiſcunt, quandoquidem ex DNN. Paſtoribus pro concione publicâ ſæpe furibundam Tyranni hujus crudelitatem per decem prædicamenta prædicari audiunt, quod & embryonibus in uterô matris

parcere

parcere nesciat, parvulos palis infigat & quæ sunt alia: Hæc enim mulierculis, procul licèt à fulmine constitutis, terrorem facilè incutere, & monstrosis hinc conceptibus occasionem dare possunt. Et inde fortè est, quòd calamitates publicas insigniores monstra plerunque aut comitari aut subsequi soleant, id quod ex Historicis fusè probari posset, nisi epistolæ mihi leges observandæ sint, quas prolixitate mea jamdum neglexisse videri potero. Hoc tantùm addo, quòd exinde non planè de nihilô sit commune dicterium: Quòd partus monstrosi ferè semper sint ominosi; quamvis eundem heîc errorem latuisse sentiam, qui Veterum aliàs pathologiæ fere communis est, quando sæpe illud pro causa morborum venditare amant, quod eorundem effectus potiùs erat & productum. Ita monstra pariter non causa sunt vel signa malorum prognostica, sed inde resultantes effectus. Et hæc quidem sunt, VIR EXCELLENTISSIME, quæ hoc desuper argumenti genus nuper meditatus sum. Integrum jam erit & omnino liberum in eorum veritatem ulteriùs indagare, cui si minùs fuerint consona, in fumum abeant & ignem, Vulcano sacra. Haberem quidem & alia, quæ obscuro admodum & difficili tum conceptionis tum generationis negotio majorem fortè lucem affundere poterant; Verùm cùm jam ante constet, quòd quæ hâc de materiâ, à juvene in castô cœlibatus statu adhuc vivente personâ proficisci solent, sinistrè explicare ament religiosiores scilicet, & in speciem ficti Domini

*Qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt,*

aut vixêre dudum: Hinc in aliud ea tempus reservare debui, quô Pronuba fortè Juno pleniorem dicendi licentiam dederit. Varia enim sunt hominum judicia, quæ pro suô ingenii modulô aliis ea facilè imputare solent, à quibus revera sunt alienissimi.

Quæ verò cunque pro studii nostri ratione Medicaque libertate protuli, boni, spero, consulent æqui rerum æstimatores, qui nec invidiæ nec aliarum passionum toxicô bullientes, rectè distinguere nôrunt, quid distent æra lupinis: Et horum

rum quoque partes tenuisse semper Excellentiam Tuam Nobilissimam, multis mihi Bonitatis argumentis hactenus probatum dedit, quæ non grato saltem animo respicio, sed & ubicunque se truserit occasio, meis quibuscunque servitiis pro virili demereri studebo.

Nosti, ni fallor, meam sinceritatem, Vir Excellentissime, & quàm longè absim à fucatis verborum lenociniis, quandoquidem non verbis magis quàm opere ipsô testari amo affectum meum atque animum Honoris Tui cupidissimum.

SCÆVOLA sim, & ardeat hæc dextra mea, nisi pectus semper meum ardeat amore & veneratione Tui! VALE, HASSIÆ nostræ Magnum Decus, VALE & ut soles, benevolè recordare

Scribebam Giessæ Id.
Aprilis, Anno 1684.

*Servi Tui Officiosissimi*


VALENTINI.

SCHE-

# SCHEDIASMA
*De*
# VITRIS ANACLASTICIS,
*Illustri*
Naturæ Curiosorum Collegio
exhibitum
*à*
ROSINO LENTILIO. ORIBASIO.

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M DC LXXXV.


Longitudinis quarta pars.
Latitudinis tertia pars.



S. R. I.

Academiæ Naturæ Curioſorum,

PRÆSIDI
ADJUNCTIS
COLLEGIS

*S. P. P.*

ROSINUS LENTILIUS, ORIBASIUS.

SI quid eſt, *Viri Illuſtres*, in omni Natura, quod aut mira jucunditate humani ingenii vires exerceat, aut ſtupendis uſibus orbi adeo univerſo ſeſe commendet, certe *Vitrum* eſt. Dixerit quis adamante pretioſiorem gemmam, niſi, quod mecum Iſidorus luget, frangeretur. Quos nobis vitrum uſus fœneratur, nec ab auro, nec argento, aut gemma qualibet, quantumvis pretioſiſſima expectaverimus. Non tantum inſervit propinandis poculentorum hauſtibus, atque in eo genere ſuaviore mulcimine ſitim ſolatur, quàm aut aurum, aut argentum aut lapis alius quivis, quippe *Langii* eruditiſſimi elogio, nulla aut Sulphuris aut Lunæ, Saturni aut Ceruſſæ virulentia participans, & ſuo congenito frigore ſaporem vini, quavis nive aut glacie melius conſervans: Ut inde peſſimo jure Galienus Imperator aſpernatus ſit calices vitreos, nihil vitro communius eſſe dicens, allegante Salmutho *in Pancircll. l. 1. rer. deperd. p. m. 240.* Non tantum incomparabili pelluciditate ſua id nobis largitur, ut, ab inclementia cœli tutiores, inter parietes noſtros, lucem diurnam intemeratam, ad actiones noſtras proſequendas, tueri queamus: Non

tantum mira celeritate vultus nostros, at minore cum adulterio, quam vel Parrhasius queat, sine fuco, sine mangonio, si modo ipsi fuco careant, depingit. Quamquam enim hi sint usus eximii, minores tamen sunt, quam ut vitri præstantiam exhaurire valeant. Si desit vitrum, aquam è vola haurire licebit; hoc cum facientem Diogenes vidisset, patellam suam abjecit, cum ipsi natura patellam fabricasset, supervacuam. Fenestris se posse carere, Russi, Lappones, Livoni, Curones, Tartari, sex gentis, docebunt, quibus alicubi foramine tuguria hiant, per quod lucis tantillum intromittatur. Nec indigebit forte speculo, cui placuerit aut cum Narcisso fontes; aut cum Corydone litus adire. Hoc unum dico: Ni vitra forent, quantum esset, quod in Natura nesciremus? Immo, *quantulum est cumq; quod scimus, aut paucis abhinc lustris exploravimus, id vitris fere debemus!* Vitris puta *Chimicis & Opticis*. Ipsius adeò *vitri* naturam ignoraremus, nisi vitri beneficio in ejus intima penetrare daretur. Est adeo hic *usus præcipuus*, ut aliqui integris voluminibus *eum describere dignati sint*, quos inter celebres existunt *Fontanus*, *Hockius*, *Borellus*, *Kircherus*, & è Mathematicis illustris *Hevelius*, *Weigelius* & alii; Adeò non est vitrum inter lapides, quod stultus inter homines, ita perperam opinante *Avicenna*. Hinc mihi temperare vix queo ab *Hyalomania* superioribus annis epidemia, à qua nec hodie sunt aliqui omnino immunes, qui pretio ingenti vitra undique coëmunt, vel centenis Imperialibus, sed talia, quæ non nisi gulæ eluendæ inserviunt. Enimvero & mira jucunditate vitrorum, natura admiranda humani ingenii vires pluribus ab hinc annis exercuit. Penitius *hyalurgias* intrarunt *Merrettus*, *Nerius*, & recentior *Kunkelius*; Alii specialius, sed curiose, inquisiverunt in horum *porositatem*, alii in *malleabilitatem*, alii in *rupturam* à vocis humanæ *sono*, alii *in guttas seu lacrymas vitreas*, digiti levi compressu propemodum in alcohol dissipatas, adeo utrobique datur in vitro, quod & miremur & rimemur. Non ita pridem nobis innotescere cœperunt *Vitra*

*anacla-*

*anaclastica*, quæ nec omnem vitris flexibilitatem posse denegari curiose demonstrarunt: *Horum recensere historiam, cum nullibi de eis quidquam legerim, operæ pretium esse duxi, quod in sequentibus lineis, qua id licebit, & ab ingenio meo expectari potest, perspicuitate, effectum dare constitui. Adduci* vero primum *cœperunt vitra hæc anaclastica* anno superiore *ex hyalurgia Rosenbergica* Præpositurae Elvvangensis, sub nomine *vitrorum vexatoriorum*, vel der Vexier-Gläser / & *quod illa ignari halitu suo insufflantes à fragore vitri insolito in terrorem agerentur*, sic inconcinnè, meo quidem judicio, appellata. Primum videre contigit in arce Goldbacensi, quæ est sedes Generosissimi Domini *Geyeri de Giebelstatt*, litteratorum Patroni, & Matheseos, totiusque naturæ Curiosissimi. Sunt ferè ad modum Phialarum Chimicarum, humiliora tamen, sed ventre depresso, infundibulum inversum æmulantia, nisi quod in ampliore sui parte fundo ex tenuissimo vitro, haut multum crassiore, quam & cepæ pellicula, conflato, sunt prædita. *Figuram* & magnitudinem in icone *vobis, Viri Illustres & Excellentissimi, sisto.* Tale, an sit à Hyalurgis ex composito conflatum, an casu, aut quasi aliud agendo, hactenus non rescivi. *Fundus* non est omnino planus, sed *aliquantillum convexus;* Hinc, ubi gibba fundi pars prominet, adplicatis ad orificium vitri labris, *leni halitu* aërem, quasi inspiraturas, attrahis, fundus vitri cum terrifico *fragore retrosiliet, ut jam non sit convexus, sed concavus.* Iterum, ubi leniter aërem inflaveris, quasi exspiraturus in vitrum, eodem cum fragore fundus rursum prosiliet; *& hoc sæpiuscule reciprocare licebit sine ulla vitri jactura. Tria* autem hic *observanda*: *Unum*, quod ante studiose explorandum, *utrum fundus vitri sit in convexitate sua an concavitate,* quam experimenti periculum feceris: Etenim, si fundus est concavus, & Tu aërem attrahis, levissimo negotio fundus vitri rumpitur, quod idem evenire solet, si, ubi fundus est convexus, aërem intromiseris; *Secundum* est: *blando & leni hic opus esse conatu, ut sit inter hunc & vitri soliditatem proportio.* Si enim tubæ in morem fortius inflare sustinueris, oppido

fundus, ceu, quod ſupra monitum, è tenuiſſimo vitro conflatus, in minutiſſimas particulas disjicietur. *Tertium, quod* inter plura ejusmodi vitra *nullum* adhuc *ſit meo obtutui oblatum, quam ex vitro candido & puris ſimo, minimè viridiori illo & magis rudi conflatum*, ut inde ſuſpicari liceat, vitrum illud virideſcens, eſſe minùs huic negotio aptum, ceu, quod requiſita ſubtilitate deſtituatur. Immo & hoc *notandum in inflatione ſonum eſſe humiliorem ſeu depreſſiorem, in attractione autem altiorem.* Cuilibet hinc facilè liquere poteſt, *cur vitra hæc anaclaſtica vocare libuerit, ſcil. à ſono quem edunt*: Germanicè quis poſſet appellare: Schallgläſer. Non autem alioqui ſunt ullius uſui, ob tenerrimam fundi texturam, dum incautius tractata promptiſſime rumpuntur. Poſſent equidem Phialarum ad inſtar inſervire digeſtionibus Chimicis operoſioribus, eo quod ob colli anguſtiam apta nata ſint hermetice ſigillari, ſed cum tutius id ipſæ phialæ præſtent, commodius iis ad ejusmodi negotia utemur. Nonnunquam vinum infudimus, experturi, num & exinde poſſet commodè bibi. Sed cauto hic opus eſt, & artificio; Sic enim orificium vitri & labiis applicandum, ut hæc non comprimas, alioqui non tantum ne guttam quidem hauries, ſed ex attracto fortiùs Spiritu, rupto vitri fundo, vinum effundetur, non ſine adſtantium cachinno. Ego, cum primum è tali vitro biberem, recordatus ſum lagenarum Pruſſicarum, quas Germanica lingua Kluncker-Flaſchen / è ſono, quem inter bibendum edunt, nominare ſueverunt; has quia, cum ibi locorum morarer, evacuare didiceram, tametſi veſte non ſemel fœde conſpurcata, promte vitra anaclaſtica exhauſi. Leviculum alicui videatur circa hoc argumentum occupari, mihi ſecus eſt viſum. Fragilitatis omnis hactenus Symbolum voluere vitrum, hinc Germanorum diverbium: Glück und Glas / wie bald bricht das? & D. Lutherus D. Juſto Jonæ propinans, humanæ fragilitatis memor, ejusmodi diſtichon fertur protuliſſe:

*Dat Jonæ vitro vitrum vitrum ipſe Lutherus,*
*Ut vitro fragili ſimilem ſe noſſet uterq;.*

*Mi-*

*Mirum* proinde *vitri fundum tenuissimum posse reciprocato halitu loco suo ad minimum ad 2. grana hordeacea, quæ dimidium digitum transversum absolvunt, moveri, sine ipsius vitri jactura, haut secus atque utres inflantur & vesicæ, iterumque deplentur,* nisi quod vitro non data sit adæquata his recentitis dilatatio & constrictio. Videmus nonnunquam in vasis lamina tenuiore cuprea constantibus fundum posse manu pressum intra vas cum aliquali sonitu cogi, ut concavitatem quandam efficiat, & rursus retropelli: scilicet in duriori corpore id procedit, sed tenui: in molliori, qualia sunt utres, vesicæ & alia aut coriacea aut membranacea, levius est negotium, quippe queis particulæ sunt magis flexibiles. Utut sit, *evincunt hæc vitra anaclastica, nec vitris suam deesse flexibilitatem, quæ hactenus in illis vix visa,* & unde forte nova vitri compositio, quam hucusque credita, eruenda. *Ac primum* quidem, antequam è quibus principiis vitri flexilitas dependeat, demonstratum eam, *pro concesso haberi velim, corporum affectiones illas*, quas vocamus mollitiem, duritiem, fragilitatem, flexibilitatem, consistentiam, fluiditatem &c. non arcessendas vel à primarum qualitatum sic dictarum quaternione, vel principiis Chimicis, veluti primum ulla refutatione non indiget, secundum verò *Ill. Boyle in tr. de fluid. & firmit.* fere per totum, cumprimis aut Sect. 56. & 64. exemplo durandi chalybis refellit; Sed *à particularum corporis minimarum varia textura, ordine, situ & figura unice dependere.* Non equidem sum nescius, esse præter hanc ultimam, quæ fere Cartesio debetur, opinionem, adhuc binas illustres has corporum affectiones è suis fundamentis speciosè satis deducentes; quarum prima est *Phyturgi excellentissimi Digbæi de nat. corp.* Qui diversus à *Democrito, Cartesio* & Adseclis flexibilitatem & huic oppositam fragilitatem corporum deducit à majori vel minori ejus siccitate, seu præsentia aut defectu humidi lenti, seu mollis humidæque substantiæ; hinc fragilia corpora illa, quibus parcus inest humor, quamvis impressioni omni pertinacissime resistant, si tamen adhibeatur vis sufficiens, frangi se potius, quam flecti

 per-

permittant, ac proinde vocentur fragilia; corpora vero, quæ humore abundant, maxime esse flexibilia seu lenta. Quæ sententia, quamquam, uti tota *Philosophia Naturalis Digbæana* Peripatetico Elementorum quaternario, & resultanti inde diversimodæ corporum mixtioni inhæret, admitti tamen posset, cum perspicue satis corporum affectiones per ejusmodi hypothesin explicentur, ita, ut etiam eruditissimus *Morhofius* in pereleganti Epistola *de Scypho vitreo* (cui multum debemus) huic quadamtenus addere calculum videatur, dum vitrum, quia liquetur, aliquo humore constare, sed modico, ac tantillum viscoso, æqualiter tamen diviso adserit (tametsi liquationem corporum seu fusionem etiam ex aliis principiis, puta texturæ sola mutatione, deduci posse existimem) nisi infra per exempla aliud ostensuri essemus. Altera sententia est, alius cujusdam viri Excellentissimi, cujus penes me est Collegium Chimicum MSS. qui, uti omnes corporum affectiones unice adscribit, aëris per corporum poros motui vario, it. copiæ aut inopiæ, ita, ut cohæsionem corporum seu firmitatem & stabilitatem, duritiemve oriri statuat, quando particulæ corporis versus se invicem moventur; atque continuata depressione detinentur; idque à valde inæquali interni & externi aëris elastica vi; Sic mollitiem atque ductibilitatem à copioso interno aëre, qui renititur ambienti; frangibilitatem ex irregulari & inæquali insito elatere, dum alia spatiola aêre distenta, alia vacua sunt, hinc, quando per inflexionem densus aër ulterius comprimatur, roborato inde elatere per spatiola vacua erumpat & destruat texturam, &c. deducit: flexibilitatem autem non esse, nisi ex æquabili aëris insiti elatere, inde æqualis ubique renisus oriatur, qui rupturam caveat. Quæ sententia, uti est subtilis & ingenii plenissima, ita haut difficulter per hanc ipsam posset explicari vitrorum anaclasticorum phænomenon, nî *mallem hac vice illis me dare, qui flexibilia dicunt illa corpora, quorum particulæ salva sua cohæsione, situm mutare possunt, quod oriri videatur ex particularum tenuitate & paucitate: fragilia vero, quorum particulæ in-*

*sensibi-*

*ſenſibiles ſunt craſſæ, paucis locis & exiguis punctis ſe mutuo immediate contingentes, inde fiat, ut leviori motu à ſe mutuo ſeparentur & inde frangantur.* Ex iſta fragilitatis & flexibilitatis deſcriptione patet, *vitrum non uſque adeo rigidiſſimis conſtare particulis*, ut nulla arte flecti queant, *prout vitri texturam Carteſius deſcribit.* Taceo enim vel ſola vitri fuſione demonſtrari artem, qua vitri particulæ flecti queant, licet in dicto *elegantiſſimo tractatu Morhofii* plura recenſeantur ſub Auctorum fide exempla, ſ. methodi vitrorum flexibilium reddendorum, de quibus infra fuſius: Taceo, inquam hoc. Solum vitrorum anaclaſticorum exemplum demonſtrat, dari quadamtenus vitra flexibilia, ſine ullo additamento alieno, per ſolum inflati aut exſucti aëris impetum. *Hinc ſtatuendum exiſtimo, conſtare quidem vitrum è particulis rigidiuſculis, ſed talibus, quæ ſint aliquo modo intortæ inſtar anguillularum, aut litteræ (ſ.) ita tamen, ut vix obſervabilis ſit illa contorſio; quæ particulæ non ſolis punctis exiguis ſeſe contingunt, ſed leviſſimis brachiolis ſeu uncinulis, quæ ob exiguam ſuam flexuram facillimo conamine divelli queunt, atque diſſipari, hinc tamdiu violentiæ externæ reſiſtunt, quamdiu flexuris illis, quibus ſeſe particulæ, ſecundum tamen longitudinem ſitæ, amplectuntur, ſemet contingere datum eſt; ubi vero vis externa major exiſtit, ut particulæ iſtæ elongatæ ſecedere cogantur, inſequitur illarum diſſociatio & fractura.* Eſt proinde vitri, qualem quidem mihi heic imaginor, particularum ejusmodi in margine depicta textura, ubi num. 1. notat unam & ſimplicem vitri atomum, cum duabus exiguis curvaturis, altera prorſum, altera retrorſum vergentes, quibus uncinulis ſeu curvaturis reliquæ atomi ſeſe in ſuis extremitatibus ordine 1. 2. 3. 4. 5. amplectuntur tantillum, ita, ut extremitas inferior atomi num. 1. extremitatem ſuperiorem atomi num. 2. hujus inferior extremitas, ſuperiorem atomi num. 3. & ſic porrò amplectantur, & continuata ſerie unum continuum corpus conſtituant, nec proinde punctis tam exiguis ſe contingant, ac ſi eſſent oblongæ & rectiſſimæ, quo ſitu, ſeu contactu omnium facillimè

cillimè diſſiparentur. Hinc ab externa violentia preſſis iſtis particulis datur aliquo modo cedere, inflecti & ſeſe dilatare, usque dum externa vis ſuperat, haut ſecus, atque, ut exemplo craſſo rem explicem, ſi quis duo fila ænea tenuiora ab utraque extremitate tantillum incurvaret, & ſibi jungeret hunc in modum: A B C ubi A. notat unum filum, C. alterum, B. autem utriusque per tantillam curvationem juncturam, ubi, dum utriusque fili ænei extremum A. & C. manibus tuis, quaſi divulſurus, diſtraxeris, tamdiu utræque curvaturæ B. manui trahenti cedunt, & à flexura ſeu curvitate ſua ſe expediunt, quamdiu ipſis licitum eſt, ubi verò vis manus trahentis curvaturas illas adeò diſtrahit, ut jam fila ænea recta exiſtant, deſinit utrorumque filorum cohæſio, & à ſe invicem divelluntur. Sunt equidem particulæ aquoſæ ad hunc quoque modum contortæ & oblongæ, ſine ullis etiam ramis inter ſeſe repentes, atque deſcripſimus in vitro; ſed excepto eo, quod atomos vitreas ſtatuimus minus & tantum leviter contortas, ita hæ, ſcilicet aqueæ particulæ, ſunt magis flexiles, illæ rigidiores, quales in aqua concreta ſeu glacie concipere licebit, & ita *vitrum dixeris, quaſi aquam rigidam*, dum alias omnium rerum principium juxta Thaletem modernis plurimis aqua, nec forte ſine ratione, exiſtimatur, certe in gemmarum origine, à quibus parum, me quidem ſentiente, quoad ſubſtantiam, differt vitrum, Philoſophorum aliqui perpulchre primas aquæ tribuerunt, quos inter vide *Helmontium*, *Boyleum & Schirlæum*, quorum primus, cum *in complex. & miſt. elemental. figm. probavit*, lignum ex aqua fieri, tandem §. 36. concludit, *vitrum*, utpote ex lignorum cinere conflatum, etiam *ex aqua originem ſuam ducere*: *Imò*, uti corpora naturalia omnia, ita & *vitrum ſe callere in Salem vitro æquiponderantem; hunc in aquam denique inſipidam etiam Sali æquiponderantem convertere tr. de Elementis §. 11.* confidentiſſime ſuſtinet. *Poſſet* equidem aliquis in contrarium *adſerere, vitri particulas eſſe oblongas & rectas*, nec quidquam contortas, *eo quod, ubi franguntur ſeu crepant,*

*crepant, fiſſura eorum ſit utplurimum ſecundum longitudinem recta*, quod non ſolum idem ſæpe citatus *D. Morhofius* teſtatur in dicta Epiſtola, ſed & ego, Heidelbergæ ubi commorarer & d. 31. Decembris Anni 1672. in Nobilis cujusdam Livoni muſæo noctu verſarer una cum aliis, more fere per totam Germaniam conſueto, felix novi Anni auſpicium diſploſione bombardarum ominaturus, jucundo ſane ſpectaculo obſervavi, quod, cum Muſæum non equidem ſpatioſo ambitu circumſcriptum, feneſtris admodum pellucidis (**mit Spiegel-Scheiben**) illuſtraretur, noſtrum; quidam bombardam ſuam, ſolo pulvere pyrio & papyro gravidam diſploſurus, ejus orificium non extra feneſtræ marginem porrigeret, ſed ita teneret, ut intra feneſtram, licet apertam, bombardæ extremum exiſteret, facta diſploſione, omnes feneſtrarum orbitæ, non excepta ulla, ab ingenti fragore ſuccuſſæ frangerentur, quarum paucæ quædam totæ divulſæ foras prolapſæ ſunt, plurimæ autem, quod impenſe mirabar, jucundiſſimo ſpectaculo, plus quinquagenis fiſſuris, omnibus ab uno centro orbitæ ad hujus peripheriam recta linea ductis discontinuarentur, haut ſecus, ac ſi quis radios Solares à pictoribus delineatos conſpicaretur, ut quis juraſſet, fiſſuras iſtas à vero orbitæ medio ad ejus ſuperficiem porrectas ſummo ſtudio & cura per adamantem ad regulam & circinum inciſas fuiſſe. Ut inde haut ægre conjicere liceat, particulas vitri, in vitrorum præcipue rotundorum conflatione ab halitu hyalurgi ita juxta ſeriem ſuam componi & conglomerari, quaſi aranearum telas conſpicaretur, ita, ut molleculæ, quantum quidem ipſarum ſtructura permittit à circumferentia verſus centrum linea recta ſeu radiis ducantur, quod ipſum nec à ratione & modo inſufflandi alienum eſt. Qua ratione autem ingens bombardæ fragor feneſtrarum has orbitas peſſundare potuerit, facile eſt colligere ex toties dicto *Morhofii* tractatu, qualia exempla etiam profert *Digbæus de natur. corp. cap. 28.* quem vide, tametſi non ibi expreſſe legas, num orbitæ hoc modo fiſſæ, an perfunctorie fractæ fuerint. *Sed ex*

*hoc ipso, quod hæ lineæ rectæ videantur, non infertur, vitri particulas esse rectas*, siquidem, si vel ipsis digitorum apicibus vitri cujuslibet fracti limbum tentaveris, inæqualitatem aliquam haut gravatim sentias, quam microscopia, ceu undulantem & tortuosam apertius detegunt. Posita proinde hac vitri structura, illico concedendum videtur, *Vitrum habere poros*, quos in hoc *negare cum Domino Morhofio nonnullos miror. Helmontius tr. ignot. hosp. morb. §. 77.* expressis verbis vitrum negat habere poros, ubi ait: Vitrum ignitum, quia poris caret, par auro splendet sub aqua diutius. *Tametsi non videam, hoc argumentum esse satis stringens:* Vitrum ignitum sub aqua splendescit, ergo non habet poros: Nihil enim inde inferri arbitror, quam poros vitri esse longe subtiliores & minores, quam ut particulæ aqueæ eas tam promte subire & ignem exstinguere, seu, ut juxta Helmontium loquar, suffocare queant. Immò, quia dictus Helmontius ibidem ait, aquam ferventem propterea promtius ignem suffocare, quam frigidam, quod citius poros penetret, inde sequetur, ignem vitri igniti non tam promte suffocare, quod aqua, qualis qualis illa sit, tardius aut ægrius poros penetret; alioqui statuendum esset juxta Helmontium, ignem in vitro ignito sub aqua omninò suffocari non posse. Sed, cur vitrum particulas seu atomos igneas intra sinum suum recipit? per quas dico vias? si vitrum poros non habet? fortasse dimensionem vitri penetrat? Ita quidem statuit Helmontius: (licet alibi ignem neque substantiam, neque accidens esse adserat, quo, quid absurdiùs excogitari valeat, non video.) *Sed, euge, videamus alios, de poris vitri & dimensionum penetratione.* Subtilis ingenii *Geber summ. perfect. l. 1. p. 4. c. 44.* (sic allegante *Illustri Borrichio in Act. Med. Hafn. vol. 1. obs. 62.*) ita: Solum vitrum, cum poris careat, sufficiens est, Spiritus tenere, ne fugiant, & exterminentur ab igne: Et *D. Martinus Kergerus*, Helmontii Parastata *S. 1. c. 9. de fermentatione*, ita de vitro: Vitrum, quod cavitatibus aëre refertis non caret, & quandoque superficiales

foveolas

foveolas habet, nullos omninò poros, ſeu meatus exiles agnoſcit, qui in ejus penetralia ducant, multo minus foraminula, quæ transeant, quippe Spiritibus ſubtiliſſimis penetrantiſſimisque, aërique tenuiſſimo transitum tam conſtanter negat, ut malit disrumpi. Sed pace viri doctiſſimi dixerim, craſſiorem ſanè hanc eſſe Philoſophiam, quam ut in naturali ſcientia admitti debeat. Quis enim vel fando dixerit, poros corporum ſenſibus externis adeò patere debere, ut hinc eorum ſit teſtimonium capiendum? non profectò! Eſt ſubtilior natura, quàm ut hujus quæque penetralia oculis arbitrari liceat. At, quale argumentum: Vitrum ſubtiliſſimis Spiritibus transitum negat, ergo non habet poros? numquid non datur aëre ſubtilior ſubſtantia? Opinor ſanè dari, & eſſe experimentorum myriadibus à multis abhinc luſtris ſufficienter comprobatum. Sit itaque, aërem noſtrum vitri poros non penetrare, at penetrat æther, penetrat materia, primi & ſecundi elementi (ſi cùm Carteſio loqui malimus) penetrat lux, penetrat ignis. Immo *nemo homo ullum corpus mixtum poteſt in toto Naturæ gremio, vel ſomniando concipere, quod poros non habeat, aut evertetur tota mixtionis doctrina.* Siccine & veſica ſuilla poris caret, aut alia quæque, eo quod aëri per hanc transitus negetur? Scilicet, non ſunt aëris ſpirulæ poris veſicæ adæquatæ, non ſunt adeò flexiles, ut aqueæ; Hinc aqua nonnunquam tranſit, ubi aër transire non poteſt. Quid autem hic dicetur? Veſica aëre repleta huic non dat transitum, cum tamen, licet illam poris carere adſtruamus, ejus collum non niſi vinculo conſtrictum ſit, cur non per ligaturam preſſus aër transit? an ibi, ſcilicet, veſica coaluit? an forte latera veſicæ per ligaturam ita conſtringuntur, ut interſtitium tunc ſit poris corporum anguſtius? Porro, ſi vitrum in aquam convertitur, qua id ratione fiet, quam per ſeceſſum particularum à ſe invicem? Si funditur vitrum, nonne à ſe invicem ejus particulæ ſecedunt, & circum ſeſe moventur? Sed erat opus hoc paradoxo, ad ſtabiliendum ex Helmontii penu adhuc majus paradoxum & ab omni

 ſeculorum

ſeculorum decurſu pro grandi abſurdo habitum! penetrationem dico dimenſionum, quàm à poſteriori experimentis tam ſane craſſis tueri conatur Auctor iſte, ut ἀρρωςίαν τῆς διανοίας, quam aliis abſurdi hujus abſurdiſſimi deteſtatoribus imputat, ipſe fruſtra effugiat. Talia ſunt, quæ adducit de charta bibula, aut ſpongia, quæ ab atramento vel aqua ſic penetrantur, ut ne atomum poſſis dicere, aut nigrorem atramenti, aut aquæ madorem imbibiſſe: item, vas cinere vel farina repletum, tantum ferè aquæ recipere, quantum cinere vel farina carens: Sic, ignem corpora ſolidiſſima penetrare, ferrum, vitrum, argentum, aurum, ubi nullam horum atomum imaginari nobis queamus, quin ſit ignita, & quæ ſunt alia. Quis non videt, quam hæc minimè quadrent ad pororum in corporibus compactiſſimis everſionem, aut penetrationem dimenſionum roborandam? Non ſanè palpamus in ſpongia, aut charta bibula, hanc vel illam atomum ſit ne ſicca, an humida, ſed ſuperficiem totius corporis, cui aqua, vel atramentum, vel aliud quodvis humidum adhæret, veluti cæmentum parieti, & ob ſui copiam facilè ſentitur. Culinarium farinæ exemplum & cinerem quod attinet, quivis haut difficulter videt, horum particulas in ſe propius conſidere, cum aër per aquam ſubintrantem expellitur, quippe, qui elaſtica vi præditus, alcohol tale, quale farina aut analogon eſt, magna ſui copia ſubire poteſt, & ibi, ob leviſſimam renitentiam liberrimè expandi; ubi autem expulſo aëre, aqua gravior & minus elaſtica ſubintrat, particulæ farinæ cinerumve ſe propius contingunt, & intra ſe conſident, minus in paropſide ſpatium occupant, & magnam humoris vim admittunt. Metalla vero ignita, quis non aperte intumeſcere perſpicit? clavis ferrea ignita, monente *Morhofio*, orificium ſeræ ſuæ non ſubit, & *Magnificus D. D. Major*, Collega noſter honorandus, *in Genio errante*, mentionem injicit coni ferrei, adjecta etiam icone, qui annulum ferreum non tam profunde ſubit candefactus, ac ſibi relictus. Et ſi maximè nec ferrum, nec aurum, nec

argentum

argentum ignita tumeſcerent, particulæ tamen ignis ſunt ſubtiliores & leviores (ob lucem tamen in minima ſui copia, maximè conſpicuæ) quam ut mutationem, tam ſenſibilem, corpori candefacto imprimere valeant, quamvis & has ipſas ignis particulas ſtabiles & ponderabiles elegantiſſimis experimentis *ſagaciſſimus Boyle* peculiari tractatu reddiderit. *Ego profecto malim ſtatuere particulas ignis aut aëris aut ætheris, aut alias quaslibet penetrare poros corporum etiam compactiſſimorum, quam grande illud penetrationis corporum paradoxon adſerere,* quod tam eſt Naturæ ſcrutatoribus incomprehenſibile, quam poſſumus minime concipere ſomnium Pharaonis de bobus & ſpicis ſeſe invicem devorantibus, nec tamen quidquam auctis, ita per Naturam in hiſtoriam veram transmutari poſſe. Et rectiſſime hoc à me allegatur: Nam quod in majori non procedit, id neque in minore, certiſſima eſt Mathematicorum regula. Sic, quemadmodum globi plumbei ſeſe non penetrant, ut inde alter major non evadat, ſic nec plumbeæ atomi; Atomus enim æque corpus eſt, atque ſaxum, & conclamatum certe foret cum ſcientia Phyſica moderna & vera, ſi demonſtrationes Mathematicæ in Phyſicis nil probarent, cum hæ ſint apodicticæ, quarum una pluris facienda, quam centum ratiunculæ ſcholaſticæ. Sed octennium fere nunc eſt, ex quo penetrationis corporum abſurdum & impoſſibilitatem à priori adſerere, & rationes experimentaque in contrarium adducta evertere ſingulari ſchediaſmate ſuſtinui, quæ fuſius repetere, eſſet extra oleas vagari. L. B. adeat *Ill. Boylei vindicias contra Fr Linum*, ubi valide trucidatam hanc de penetratione dimenſionum Chimæram, occaſione male explicatæ expanſionis & compreſſionis, videbit, una cum diſcuſſione mixtionis Ariſtotelicæ, qua, non ſine penetrationis corporum neceſſario præſuppoſito (quam tamen ipſe Stagirita abhorruit) ſtatuitur ejusmodi κρᾶσις, ut nulla particula mixti exiſtat, quæ mixta non ſit, cum tamen alia mixtio non detur in Natura, quam quæ σύνθεσις aut παράθεσις appellatur. Adhuc repeto:

Malim ego quævis effugia quærere, quam admittendo tale paradoxon, quod multo mihi improbabilius videtur, quam Anaxagoræ nix nigra, Naturæ caliginem offundere. Non admissa proinde hac hypothesi, *ulterius experimentis adstruendum, vitrum habere poros:* Aliqua *experimenta* dictus *Excell. Morhofius allegat*, & inter alia, se ipsummet aliquoties vidisse à spiritu acri ita corrosum vitrum, quo continebatur, ut Spiritu effluente vitrum in arenulas manu tactum abiret, quod ipse ego testari possum, cum Jenæ studiis operam darem, Spiritus Salis rectificatissimi tantillum in bulla vitrea me adservasse, & cum aliquando vitrum loco moturus digitis contrectarem, quod super suum repositorium salvum & incolume, quoad externam faciem, apparebat, intra ipsos meos digitos ejus venter in alcohol redactus fuit. Hinc non immerito, quod ὡς ἐν παρόδῳ dictum velim, *Excell. noster Hercules in dissert. de menstruis circa finem cap. de menstruo universali* sciscitatur. In quonam vase adservari possit menstruum universale? (si scil. detur) Si enim vitrum dixeris, id requisitorum robur & numerum minuet, &, hac ipsa exemtione, universalitatem, cum tamen ipsum hoc, nisi firmiore compage confectum, quale est Hassiacum, spirituum acidorum vim sustinere non aptum sit, sed paucis horis in magisterium fatiscat. Dicam, quid mihi videre licuerit, cum adhuc Löbnitii in Misnia (quæ est *Generosissimorum Schönfeldiorum* ad Muldam fluvium sita sedes) versarer: Præfectus enim loci ictericus ubi decumberet, Practicum Delitianum vicinum, *Excell. D. D. Petermann*, Fautorem & Amicum meum singularem, consuluit, qui inter alia medicamenta ordinavit balsamum stomachicum, referente mihi post dicto *D. Petermanno* ex Elixire proprietatis Paracelsi & Spiritu vitrioli Philosophico mistum, quod singulis matutinis in haustu cerevisiæ calidæ ad viginti guttas, ex vitro emblemate inciso (einem geschnittenen Glase) sumere solebat. Ecce autem, ubi guttas tremula manu in vitrum instillat, forte fortuna contigit, ut guttæ binæ per exteriorem vitri superficiem

ciem

ciem dimanarent, quæ in ſuperficie inciſa hærentes adæquatos ſibi ſcrobiculos rodendo efformarunt intra paucas horas. Jam ſi quis conſideret, à tantillis ſpiculis poſſe vitrum terebrari, dum ſpiritus vitrioli philoſophicus alioqui nil eſt, niſi Spiritus Salis dilutior, & parum aut nihil de vitriolo participat, quin hîc elixiri proprietatis admixtus magis adhuc imbellis redditus eſt (non enim arbitror, quemquam ſtatuere velle, tantillum Spiritus vitrioli, quod illius elixiris compoſitionem ingreditur, huc quidquam contuliſſe) quid à Spiritibus acidis acutioribus ſperandum? *Merito* autem *quis hic quærat, quei venerit, quod balſamum illud ſtomachicum vitri duplo craſſioris ſuperficiem roſerit, cum bullam vitream, longe teneriorem, in qua adſervabatur, intactam reliquerit?* Non autem hic dicam, vitra illa craſſa, quæ torno inciſorio ſubjiciuntur, eſſe longe reliquis mollioris texturæ, hinc, ubi præcipuè, pro pelluciditate majore concilianda, alkali major copia his additur, nonnunquam multis inciſuris ſponte fœdantur: Sed rationem quæram in vitri ſcabritie, ubi particulæ acidæ corroſivæ promtius ſeſe cavitatibus illis inſinuare, & in alkali vitri agere potuerunt; Cuilibet enim eſt notum, vitra ex parte, qua ſunt inciſa, longe eſſe ſcabriora, quam locis non inciſis, hinc etiam inciſio hac arte facta è pellucidis opaciora reddit; in bulla vitrea autem læviori ſpiculis Salinis non datur adeo promte hærere, quamquam *Borellus microſcopic. obſerv. 28.* vitri ſuperficiem læviſſimam eſſe ſcabroſiſſimam viderit, rimis, fiſſuris & ſcabroſis irregularitatibus ſcatentem, unde & humoribus perfuſum madeſcit, & muſcæ ac inſecta perrepere poſſunt, quibus rationibus poros vitri adſtruere ſatagit Eraſm. Bartholinus *tr. de poris corp.* ſed rectè à toties laudato *Morhofio* non tam poris vitri, quam ſcabræ ejus ſuperficiei adſcribitur. Sic & *experimentum Helmontianum* contra eundem iſtum Auctorem feliciter nobis inſervire videri queat ad poros vitri ſtabiliendos, cum *tr. tumul. peſt. p. m. 263. ait: Vitra, quibus eſſentiæ ſeu Magiſteria Zibethæ &c. inerant*, ſe vidiſſe *tædioſiſſimis repetitisq; ablu-*

*ablutionibus, odores illos peregrinos servasse: Immo & vitrum magnetis vim tractoriam sic servasse, eo, quod Magisterium magnetis in eo fabricatum fuerat.* Ipse testor, me aliquando aquam simplicem è Cucurbita destillasse, è qua antea flores sulphuris sublimaram, sed hactenus nullo pacto è vitro recipiente sulphuris odorem posse eluere, ut intra intimos porulos sulphuris quædam effluvia vitrum recepisse, & pertinaciter fovere videatur. Sed & idem fortè externis vitri cavitatibus & superficiei scabrosæ quis adscribere possit. *Pergit* autem *ex Bartholino vitri porositatem probare Morhofius*, quia subtilissimorum Spirituum minima effluvia ipsas etiam sigillatas vitreas phialas permeare queant, quod odore deprendere liceat: *de quo experimento Ill. Borrichius*, Fautor noster magnus *in Act. Med. Hafn. vol. 1. obs. 62.* merito dubitat, cum recentissimum vehementissimumque Spiritum Salis armoniaci vitro infusum nil odoris spirare senserit, quod neque ego unquam deprendere potui. Sed *eleganter huc facit* dicti *Excell. Borrichii experimentum* l. c. institutum, quod est tale: Cepit florum Sulph. ℥vj. nitri orient. ℥j. M. accuratissime, mixturam infudit retortæ vitreæ vulgatæ, sed longioris rostri, appositoque perfunctorie, metu rupturæ, excipulo, ignem arenæ ministravit, modicum illum initio ad horas sex, post sensim validiorem; tandem arena in cacabo ferreo efficacius calefacta, primum coloris cœrulei flammula in retorta se prodidit, & mox luculenta flamma totum adeo vitrum implevit. Extincta autem novissime flamma sponte sua, vitrum, subducto igne, ad frigus nativum rediens intuitus est, nihil usquam fractum læsumve reperit. Quod experimentum, ni de vitri poris testatur, nescio, unde sint planiora experimenta conquirenda: Tametsi & antecedentia ibidem *Domini Auzotii de poris vitri* æque *testimonium* perhibere valeant: Sufficit enim, admoto speculo caustico Sulphur in vitro hermetice clauso fumasse, licet nil odoris fuerit extus perceptum: Sufficit itidem pulverem pyrium fumasse, explosum esse, vitrum disjecisse;

Calorem

Calorem enim non esse nudam qualitatem sine subjecto, nec sine veste corporea quælibet subintrare & afficere, hodie novimus. Namque si vitrum poros non habet, per quas vias particulæ calorificæ ad sulphuris & pulveris pyrii incendium penetrarunt? *Idem obtinet in frigore*, ubi recte *Morhofius* glaciem vitro admotam frigus in illud transferre non posse, si poris careat, statuit, & insuper allegat *M. Ducis Hetruriæ experimentum*, qui alembico vasi vitreo accurate juncto nivem superposuit, quæ spiritum è vino provocavit, ut per alembici rostrum stillavit absque igne: Uti enim calor, ita & frigus, non est qualitas nuda, sed corpusculis suis, ceu vehiculis inhærens, quorum ope corpora subintrat. Pertinet huc paradoxum illud *Boylei* ex stabilitate & ponderabilitate ignis in vitro detecta profluens, scil. posse flammam agere ut menstruum, & coalescere cum corporibus, in quæ operatur, & nemo forte negare ausit ignem etiam mediatum, sese immiscere corporibus per minimas sui particulas, atque adeo Spiritus, quin & aquas recenter destillatas, multum alterari à particulis flammæ, proinde omnes esse calidas, dum sunt recentes; particulas vero ignis sensim rursus avolare, adeoque & destillata omnia, non esse intra corpus sumenda, dum sunt recentissima. *Idem* non sine honore præfato allegandus *Borrichius* l. c. ex aliorum fide *recenset*, vulgata Chimicorum vitra, phialas, retortas, cucurbitas, ita vacuis hinc inde spatiolis, seu poris, scatere, ut, si quis eas inanes & Hermetice clausas in vinaceis calentibus, per aliquot menses relinquendo, tandem in vasis notabilem liquoris copiam, ex tantilla aëris inclusi portiuncula, nullo modo oriundam posset colligere. *Sed lubet ulterius ex Ill. Boyleo probare vitri poros, ex effluviis magnetis vitrum penetrantibus tr. de mira subtil. effluv. c. 4.* quod non tam exemplo pyxidum nauticarum probat (ubi effugia quærere licet, effluvia magnetis magis parietes pyxidis nauticæ ligneas, aut hujus cum vitro commissuras, quam ipsum vitrum penetrare) quam *experimento acuum nauticarum vi-*

*tris Hermetice sigillatis inclusarum*, quibus impositis superficiei aquæ, acus inclusæ non modo actutum vim magnetis extus applicatæ, licet debilioris duntaxat, sentiebant, sed ei adeo obtemperabant, ut facile acus beneficio potuerit citra contactum, dirigere totum talum, ad quamcunque superficiei aquæ partem placeret. Huic parallelum fere, *de tinctura ferri vitrum transsudante ad magnetis contactum*, *è Schotti Technic. Curios. l. 5. p. 250. Morhofius adducit; it. ex Magnano Mercurii per vitrum penetrationem*, quamquam idem *Boyle* de mercurii & liquorum Chimicorum, itemque aëris penetratione dubitet, quod ultimum ipse non credo, primum in dubio relinquo, medium autem supra satis probatum existimo. *Porro vitri porositatem probare videtur horum intumescentia, dum conflantur.* Cum enim massa vitrea insufflatur intra thecam, quæ adornata est, ut vitro justam aliquam figuram & magnitudinem largiatur, vitra hæc, ubi refrixerint, rursus iisdem thecis inseri nequeunt, cellulasque, in quibus deinceps recondantur, aliquanto largiores requirunt. *Denique ab effluviis, & minimarum particularum perpetuo motu in ipsis vitris idem confirmatur: Quod*, nisi experimenta comprobarent, *durum* sane *creditu foret*, corpus inter fere omnia quæ dantur, compactissimum, effluvia prodere & per minima moveri: *Atqui nullum fere corpus datur, quantumlibet densum, durum & compactum, quod hisce intestnis motibus & effluviis careat. In metallis certissimum est*, atque ipsis adeo sensibus externis obvium, quælibet odore suo specifico gaudere, qui certissimus effluviorum testis est. Monetam adulterinam solo odore deprehendere licet. Chalybs etiam durissimus de se spirat odorem suavem, quin, adeo scaturit effluviis, ut etiam linguæ ea communicet ad distans. Quoties ego politum chalybem ori, ad spithamæ fere distantiam, admoveo, sapor dulcissimus linguam meam afficit, & Salivam in ore cumulat. Cumprimis vero *nobile exemplum tr. de absoluta q[illegible]ete in corp. Sect. 13. Boyle suppeditat*: qui, cum studiose quæsivisset ex

artificibus

artificibus vitrariis aliisque, qui cum vitris opticis negotiantur, annon aliquando, hyeme præsertim & humidis tempestatibus, efflorescentiæ speciem salini saporis in superficiebus vitri clare satis deprehenderint? responsum ab horum aliquo tulit: se id sæpius observasse, & gustu suo exsudationes illas sensibiliter salsas notasse: Unde meo quidem judicio effluvia alkalina, quibus partibus maxime vitrum constat, ab aëre udo solvi, & per frigus condensari probatur. *Præterea Boyle vitrorum effluvia probaturus confricuit ad invicem 2. vitri frusta solida, & ipsa non modo odorem sensibilem, sed adeo quandoque gravem, ut offenderet, suppeditasse observavit*, atque inde refellit *Cartesium*, opinantem, vitrum esse nimis fixum ad emittenda effluvia, proindeque, cum corpora levia electricorum more attrahat, corpora electrica non emananter operari. Hanc de vitri particularum intestino motu opinionem ulterius *à tota hac Sect. 13. usque ad finem* curiosissimus auctor probat, quem lege sis, ne omnia expilasse videar. *Præcipuum in eo consistit, quod vitra* sua sponte *nonnunquam* & sibi *relicta, absque omni caussa externa, rumpantur, unde hariolari liceat, quod sit constans aliquis exiguarum vitri partium motus intestinus, pro ratione atomorum constituentium, quæ extricare se, ac avolare laborant, quod tandem in effectum deducunt fractione vitri, in loco fragiliori, vel ad frangendum aptiori.* Commemorarem hic etiam *experimentum Borrichianum* elegans, *in Act. Med. Hafn. vol. 1. & 2. obs. 76.* adductum, ubi Salia quædam externis superficiebus operculorum adnata visebantur, interna superficie, & vitrorum, quibus claudebantur acidissimi Spiritus, & operculorum è chartis & vesicis bubulis constantium, politissima relicta. Sed, quoniam hoc experimentum non probat Salia vitri poros transsudasse, sed alia via per opercula datur, ideo hæc intacta relinquo, saltem addens, me suspicari, propterea particulas salinas exteriori operculorum superficiei adglutinari, quod, dum adhuc in vase vitreo continentur, subtiliores sint, quam ut in salia vi-

ſibilia cogi queant; dum autem operculorum texturam penetrarunt, ab aëre externo craſſiori ſtatim denſari & in Salia quaſi figi, hinc, præſente licet ſumma acrimonia, volatilitatem tamen ſuam maximam partem amittere. Denique, *ut hanc pororum vitri demonſtrationem claudam, unicum adhuc addo argumentum à receptione variarum tincturarum in vitro colorato deſumtum:* nimirum, vitra varias admittere tincturas metallorum & mineralium, albas, flavas, rubras, cœruleas, & quidem per ſui minima (vid. iterum *Boyle de color. experim. 48*) ita, ut ejusmodi colores officiant vitrorum pelluciditati, atque ſic etiam poros in vitro neceſſario requiri. Sic tandem ſufficienter, opinor, his adſtructis, *ad alia progrediemur.* Nempe, quia ex hoc noſtro phænomeno luculenter apparet, dari ad minimum vitrum quadamtenus flexile, *quid ſit de vitri mollitie, aut emollitione ſtatuendum? Seu, an dari poſſint, aut data ſint unquam vitra mollia, malleabilia, ductilia?* Famoſiſſimum eſt vitrum ductile ab artifice quodam tempore Tiberii Cæſaris exhibitum, cujus primi ebuccinatores *Dio Caſſius lib. 57. p. 614. & Plinius lib. 36. cap. 26.* extitere, & præter *Zeiler Epiſt. 29. p. m. 180.* his verbis *Guido Pancirollus l. 1. rer. deperd. p. m. 238.* recenſet: Fertur, Tiberio Principe, excogitatum vitri temperamentum, ut ductile & flexibile id, inſtar chartæ fieret, atque inventorem hujus morti propterea deditum, quod, cum magnificentiſſimum Romæ erexiſſet Palatium, quod ruinam minabatur, & Tiberius, pretio exſoluto mandaſſet, ſuum ad obtutum poſthac ne perveniret, ille poſtea flectendi vitri ratione inventa, Tiberio hanc monſtratum veniſſet, præmium inde exſpectans ſcil. *ut Dio ſcribit.* At *Plinius* (l. c.) refert, totam officinam artificis ejus fuiſſe abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur. Sunt, qui velint, malignitate id factum eſſe Tiberii, qui viros ingenioſos & virtute præſtantes odio habuerit. Hucusque *Pancirollus.* Ipſa Dionis verba adjicit in notis ad Pancirollum *Henr. Salmuth,* & artificis ne quidem nomen fuiſſe notum,

quod

quod invidens miri artificii Tiberius in libros id referri prohibuerit, insuper addit, quem prolixius ibi loquentem videsis. Similem vitri ductilis historiam recenset *Petronius*; Sed optime *decus nostræ Societatis Wedelius in Chimia in art. form. red. lib. 2. Sect. 5. cap. 5. §. 3.* Qui ex Dionis contextu, ut de dubitatione ipsius Plinii nil dicamus, id (vitri puta ductibilitatem) elicuerit, næ felix admodum fuerit criticus: Expressis enim verbis *Dio* apud eundem Salmuth, *vitrum confractum manibus artificem refecisse adserit.* Fractum ergo fuit, non ductile, quale si fuisset, non erat metus, ut collisum diffinderetur, quanquam non minus sit artificii, *confracta vitra manibus reficere. In MSS. Chimico vetusto tale reperi experimentum*, cujus, qui volet, periculum faciat: Lutum ad vitra fracta reficienda: Capiatur vitrum aliud huic scilicet fracto, simile, e. g. in fractis fenestris, frusta fractarum fenestrarum, pulverisetur subtilissime instar alcohol; postea capiatur solutio fortis gummi arabici, & cum alcohol vitri in postam redigatur, & vitri fissuris illinatu, ardspergatur postea calcis vivæ optime percoctæ pulverisatæ tantillum, & applicetur fornaci, augendo per gradus calorem, usque dum lutum fluat & cum vitri substantia uniatur. Quantum conjicere licet, methodus illa est analoga operationi aurifabrorum, quam vocant löten; non enim est simplex aliqua fissurarum vitri lutatio cum materia quadam, quam inde hyalocollam, Germ. Glasleim/ appellitare consueverunt, sed fit per intimam rimarum conglutinationem, quanquam haud dubium sit remansurum quasi vitri callum quendam, qui de antecedaneo vulnere testimonium perhibeat, cum vitra limam æque non ferant, atque metalla. Sed *pergo historiam vitrorum ductilium pertexere:* Ita enim supra laudatus *Zeilerus loc. cit.* ex quo, nescio, Auctore: quod in Latinum sic vertere placuit: Matthias Imperator, cum post finita Ratisbonæ Comitia aliquandiu Linzii moraretur, artifex ibi repertus est, qui fragmenta vitrorum crystallinorum reficeret,

ret, vitra quoque ſcindere, & ſic aptare poſſet, ut ad modum chartæ complicari, quin duci, ſeu expandi ſe, paſſa fuerint, qualia tunc egometipſe dicta in urbe vidi: Ad marginem hæc ſcribit Auctor: licet quidam dicant, hanc artem nondum reſtauratam eſſe. Aliqua & ipſe toties allegatus *Morhofius* in dicto erudito tractatu recenſet: Narratum ſibi à viro fide digno, fuiſſe in aula Regis Poloniæ Caſimiri *Italum* quendam, qui *certo quodam Spiritu vitrum frigidum ita ſubigere & emollire noverit, ut nummos ex eo & imagines formare, & quaslibet imprimere formas potuerit*; quin & in Anglia morari, quibus idem cognitum ſit artificium, *ſed id poſtea priorem fragilitatem recepiſſe; unde patere concludit, non uſque adeo impoſſibile eſſe, vitro dare flexibilitatem.* Plane curioſum eſt (quid autem poſſit à tanto viro aliud exſpectari) quod ex Auctore quod *Magnif. Helianthus noſter* per litteras *communicavit: Laboratorem* ſcil. *quendam Chimicum* longo tempore *Spiritum aquæ fortis in vitro adſervaſſe, quod, cum denique apprehendiſſet, digitis emollitum ceſſerit, ſed priſtinam duritiem, liquore vacuum recuperarit.* Dolendum, quod neſciamus, quid ſibi dictum velit iſte Chimicus cum Spiritu aquæ fortis; inſolita namque eſt hactenus illa nomenclatura, cum ipſa aqua fortis ſit Spiritus, à qua communi hæc in vitra poteſtas à nemine ſit hucusque expectata. *Solent* alioqui *magmata à nonnullis conſcribi, unde vitra molleſcant*, ex allio, lacte, ſanguine hircino &c. *Sed* quæ equidem *me arbitro principiis ſat ficulneis innituntur*, & forte ſunt inanes magis ſpeculationes & ſomnia Chimica, examen vix ſuſtinentia. *Unum allegat Morhofius ex Monconitii Itinerario part. 1. p. 42,* Vitrum nempe intus & extus allio illitum in aqua aluminis mollíri poſſe; *Aliud Ill. poſt fata Bartholinus ad Act. Med. Hafn. Vol. 2. obſ. 123. communicavit:* Recipiatur Sanguis hirci & anſeris, feces olei & acetum; Miſceatur in olla fictili incruſtata & parum coquatur, cui indatur vitrum, donec emol-

leſcat.

lescat. In hoc experimento unice desidero tempus ad ejusmodi emollitionem requisitum; vereor enim, ut septimanis aut mensibus, nedum diebus dimetiendum sit. *Longe recensita superaret* ob usum illustrem, quod nunc recenseo, *ex MSS. quodam Chimico pervetusto experimentum, nî & de hujus successu* fido *sana ratio me dubitare juberet; interim reticere nolui*, si forte quis esse tam curiosus velit, & ejus facere periculum: *Ut omnia metalla fiant malleabilia, quin & ipsum vitrum atque crystallus: Recipe* lactis vaccæ junioris, quantum vis, cola per pannum; postea cape Salis alkali, boracis Venetæ, Salis communis decrepitati & sanguinis hircini ana, & cum lacte probe permisce ad consistentiam pulticuli tenuis, quem inde vitro lati orificii & fundi angusti, ad modum infundibuli conflati, suspende ad radios Solis, aut calorem analogum, tamdiu dum consumto liquore, materia induruit, quam exêmtam in subtilissimum pulverem converte, hujusque ℥ß. misce cum ℔j. Mercurii currentis, aut alius metalli immalleabilis, quin & vitri, crystalli &c. funde in crucibulo, & cum refrixit, habes, quod petis, nimirum *malleabilem Mercurium*, aut aliud metallum, vitrum, crystallos. *Et hunc Auctor MSS. appellat verum boracem Philosophorum.* Hoc fateor, esset arcanum non è trivio desumtum, sed omni auro pretiosius, ni fidem experturi falleret, quanquam sine magnis sumtibus in examen vocari posset. Nec enim, quod probe advertendum, vitrum hac arte emollitum pristinam fragilitatem recuperaret, quod videmus alioqui fieri, dum varia traduntur artificia lapides, ossa, testas, quin & vitra emolliendi, ut ceræ ad instar tractari se patiantur; sed ubi in aquam frigidam injiciuntur, pristinam duritiem & fragilitatem induunt. In hoc vitro tractabilitas, ut ita loquor, constans perdurabit, & non secus malleabile futurum est, quam ejus artificis, cujus supra è Plinio facta est mentio, dummodo & vitro hac ratione mallea-

malleabili salva maneat sua perspicuitas, de qua infra forte plura. Vana mihi, uti præcedentia duo experimenta, quorum primum ex *Menconisio* ipse *Morhofius* corvos hiantes delusurum suspicatur, ita & hoc ipsum ultimum quadamtenus mihi suspectum videtur. Quanta enim se specie commendant egregie fusionem & ipsam adeo malleabilitatem promoventia, Sal alkali, borax, Sal commune decrepitatum, tanta se suspicione produnt sanguis hircinus & lac vaccinum. Sanguinis hircini adamantem solvere crediti fabula, potuit & huic commento ansam dedisse, & illis quoque, qui primi ad sanguinem coagulatum resolvendum, eundem non sine fructu eximio propinare cœperunt. Sed uti facultas ista dissipandi adamantis est imaginaria, ita non possum videre, qua ratione queat hujus beneficio aut crystallus, aut vitra emolliri. Lac vaccinum quod attinet, multo sane longius à ratione abest, tanta id pollere virtute, quam quodvis aliud è recensitis. Quicquid sit denique, multa latent in Natura, quæ ne Argus quidem eruerit, ni foret experientia, rerum abditarum detectrix. Interea miror, industriam physicam & Chimicam, circa omnia propemodum corpora naturalia, mineralia, vegetabilia, animalia, circa sanguinem & viscera, circa stercora & urinas (quod vel fumosi Phosphori satis testantur) fuisse occupatissimam, in lacte vero hactenus aut parum fuisse, aut nihil tentatum vel quæsitum: Cum tamen & esse in hoc forte, quod miremur, partes ejus heterogeneæ haut obscure innuant. Sed nec serum lactis, nec butyrum, nec caseus (nisi horum quædam in unguentis) Medicos hucusque sunt ignes passa, quantum quidem ego sciam. Et optandum sane esset, ut, qui hisce laboribus immorantur, & hic operam suam nec sumtuosam, nec injucundam collocarent. Memini autem me hactenus legisse *aliquot circa boracem processus*, quos vocant, non sine lactis, quin & butyri, ministerio peractos. Nullius autem, ut verum fa-

tear,

tear, ipſemet feci periculum, tametſi Amicus quidam meus, induſtrius & inſignis Chimicus, ſe non eſſe laborum penitus fruſtratum, adſeveravit. *Taceo quosdam alumen crudum pulveriſatum in lacte caprillo* per octiduum *ſolvere & digerere, hinc rurſum coagulare & boracis loco in uſum trahere. Placet tamen unicam boracis confectionem, quam Venetiis eſſe uſualem in MSS. quodam Chimico legi, heic adducere*, quæ de verbo ad verbum ſic ſe habet: Recipe lactis vaccini deſtillati ℔ij. mellis deſpumati ℥iiij. croci ʒiij. nitri purificati, ita ut nullam amplius acrimoniam habeat, ſed ſubdulce ſit, ℔iiij. incorporentur omnia cum lacte, diſſolvendo ad ignem; demum mitte in olla vitreata in locum humidum & frigidum per menſem, lapis deinde in fundo repertus iterum depuretur ſic: Recipe dicti lapidis ℔j. aquæ ſimplicis deſtillatæ ℔iiij. ad ignem omnia diſſolve, ſimulq́ue deſpuma, & cum nulla ſpuma ſuperfuerit, refrigerata jam aqua effundatur, & invenies boracem veriſſimum. *Conſtitueram equidem boracem philoſophorum ſupra dictum, pro emolliendis vitris ſub examen vocare*, & ſtudioſe omnia, quæ in ipſo proceſſu docebar, obſervavi: Primis diebus ſanguis hircinus, quamquam eſſet in calore vas poſitum, in lacte ſolvi reſpuebat, & ſemper in fundo, reliquis ſalibus ſolutis, hærebat, ut jam experimenti fidem mihi dubiam faceret; poſt ſenſim cœpit attolli & menſtrui particulas in ſinu ferre, magma autem, ubi confunderetur, odorem viroſum, vel hircum potius aut libidinem redolebat, hinc ſpe tantilla erectus, pergo in digeſtione; *Sed* cum per 3. jam ſeptimanas vitrum in calore detinerem, non potui tamen voti compos fieri, quod erat, ut ſanguis hircinus, more boracis ipſius, & additorum ſalium plane ſolveretur, quin ultra menſtrui medietatem non aſcendebat. Ideoque liquorem per filtrum trajeci, aliquantum ejus evaporavi, reliquum ad cryſtalliſandum repoſui, *adquiſivi tunc lapidem fuſcum, & qui*

*candoris boracini nihil ostenderet.* Nunc superest, ut fusionis cum eo periculum faciam in corpore aut metallico, aut crystallo vel vitro, quod hactenus ob impedimenta effectum dare non potui, quemadmodum & alia circa boracem experimenta ob occupationes, quas *Physicatus Nördlingensis, mihi nuper, ita Deo volente, collatus*, humeris meis accumulavit, tantisper differre cogor, *Illustri Societati* eorum successum lubentissime communicaturus. Frustraneum autem existimo ante differere, ex quo fundamento seu principio lacti tanta virtus attribui queat, quam de successu ipsius experimenti certi simus. Cum tamen supra in boracis Veneti descriptione sit lactis destillati facta mentio, ex quo facta simplici destiilatione vix aliud, quam serum, quis evocarit; fortasse an in Sale magis quærenda virtus, ni obstaret butyrum, atque id quidem insulsum, quod & ipsum ad boracis confectionem, aliquibus usurpari supra monitum. Sed *pergo de vitri malleabilitate differere, atque, ut maxime detur malleabile vitrum, an possit malleabilitas cum ejus perspicuitate consistere, inquirere?* Corporibus fluidis, quorum sunt multa perspicua, qualis est ipsa aqua communis pura, malleabilitas attribui non potest; horum enim particulæ aut non, aut ægre tamen cohærent, ideo suis difficulter terminis continentur, & cancellis certis aut carceribus opus habent. Quo autem est liquor quilibet spissior, eo minus obtinet perspicuitatis, quod in oleo, melle &c. videre licet. Gelatinæ sunt equidem consistentes & transparentes, sed harum particulæ anguilliformes implicantur aliquibus viscidis & ramosis, ut circum sese repere & moveri nequeant, sed sibi cohæreant; malleum tamen non ferunt, &, quo magis sunt visco seu glutine suo saturatæ, eo minus evadunt perspicuæ. Propius ad malleabilitatem accedit oculi humor crystallinus, sed & ipse, dum humor est, & nominari potest, non secundum omnes suas dimensiones ex-

tenditur,

tenditur, dum malleum adhibes, ſed hiſcit hinc inde & diſcontinuatur. Dum autem exaruit, deſinit obedire malleo, ſed in innumeras pelliculas, cæparum ad inſtar, reſolvitur. Igitur *ſolis corporibus ſolidis malleabilitas competit, Corpus autem ſolidum, malleabile & ſimul perſpicuum hactenus ego nullum novi.* In regno animali ſe ſiſtunt membranæ, quæ quidem nimium, & qua licet, extenſæ, ubi diſſipato humore aruerunt, quadamtenus transparent, ſed malleabiles non ſunt. *Excellent. Borrichius novi generis feneſtras proponit, in Act. Med. Hafn. volum. 5. obſervat. 45.* Islandis egentioribus uſuales, & *ex tunicis allantoideis vaccarum confectas, & ita translucidas, ut vitrum vulgatius provocent*: miſſas ſibi ex illa Inſula id genus feneſtras, de ſolertia gentis teſtantes: Sed utrum fuerint fragiles, an tenaces, non liquet, tametſi hoc ultimum exiſtimem verum, & artificium primum in extenſione, hinc depuratione peculiari encheireſi, & ſine mallei ope, inſtituta conſiſtere exiſtimem. Cornua & ungulæ transparent quidem, certo modo præparatæ, ſed & eadem malleo reſiſtunt, ubi induruerunt, &, dum emollita ſunt, pelluciditatis nil obtinent: Nec vero ex Ichthyocolla paratæ icunculæ & alia, cum malleo quidquam habent negotii, & vitra ſuccinea ex ovis concreta fragilia ſunt. In vegetabili regno malleabilitas quævis exulat, nec datur ibi quidquam transparens, quam forte flores quidam tenuiſſimi, & membranulæ aut pelliculæ, quæ, ubi humore turgent, non ſunt æque transparentes, ubi exaruerunt, leviſſimo attactu franguntur. Gummi nullum, nulla reſina, utut tralucentia aliqua, malleo tractari cupiunt, ſalva ſua conſiſtentia. In regno minerali occurrunt lapides & metalla, horum ultima non pellucent, priora malleo tangi nolunt. *Penitius* ideoque *tum in malleabilitatis, tum pelluciditatis naturam inquirendum. Differunt* igitur *malleabilitas & flexibi-*

*xibilitas ;* ſiquidem ramus ſalicis uti flexilis, ita malleabilis non eſt; pari ratione linum, lana, goſſypium, & ex eis arte facta ſunt flexibilia, non item malleabilia; Idem de corio, quin & ipſis carnibus, membranis & pilis, denique papyro, quin plantis propemodum omnibus, gramine, foliis &c. recentibus ſtatuendum venit. Omiſeram fere vitrum, quod & ipſum exemplo vitri anaclaſtici, eſt aliquo modo flexile, minus malleabile. Cum autem nullum dari malleabile corpus exiſtimem, quin idem quoque flecti aliquo modo queat, modo adſit inter flectens & flexile impetus ſufficiens & certa proportio; ideò non erit adeo magna inter flexile & malleabile differentia, ſed inter ſe quadamtenus hæ binæ corporum affectiones convenient. Quamquam igitur aliqui ſubtiliter ſatis philoſophentur, dum omnes ejusmodi affectiones non mollecularum variæ figurationi, ſed potius aëris elateri ad corporis texturam varie comparato adſcribunt; atque ſic ductibilitatem definiant, quod oriatur à copioſo interno aëre, qui renititur ambienti; hincqúe omnia corpora emolliri, ac reſolvi posſe, ſi particulæ elaſticæ de igne & menſtruis iisdem impingantur: Flexibilitatem vero, quod deduci debeat ex æquali aëris inſiti elatere, unde æqualis ubique reniſus oriatur, quod ſupra aliquo jam modo tactum; attamen nos receptiori philoſophiæ innutriti, magis *perſpicue rem poſſe tradi confidimus, tantiſper adſtruendo: in corporibus malleabilibus atomos eſſe magis ramoſas, & pluribus extuberantiis ſeu pedunculis ſibi invicem implicatas, quibus quidem cohærent, uncis vero quia carent, facilè ab impetu externo coguntur, ut aliquatenus ab invicem ſecedant, ramoſæ autem exiſtentes & ſeſe intimius contingentes, omnino non discontinuantur, quin aliæ ſemper in locum ſuccedant, & harum vicem ramis ſuis ſuppleant, hinc aliæ ſubinde aliis denuo implicentur, atque adeo ejusmodi corpora non ſunt fragilia.* Ut melius,

lius, quid velim, intelligatur, *crassius exemplum*, tametsi paullo inconvenientius, exhibere nullum valeo, quam, si quis consideret acervum plumarum arctius compressarum pro lectis farciendis, quæ adeò sibi invicem implicatæ sunt, ut unum corpus continuum temerè intuenti videantur, sed remotis carceribus, ubi rursum comprimuntur, plumulæ illæ ramosissimæ cedunt quidem manui prementis, & peripheriam subinde latiorem circumscribunt, attamen semper aliæ aliis implicantur, nec ullum hiatum aut fracturam ostendunt. *Flexibilia autem, quæ sunt particulis etiam quidem ramosis existunt, sed ramis tamen aliqua longe paucioribus & rarioribus seu minus densis, atque malleabilia, hinc ubi inflectuntur illa corpora, situm equidem particulæ mutant, sed & ipsæ quibusdam ramulis impeditæ non discontinuantur, nisi, ubi usque adeo intra flexuram comprimuntur, & supra eam expanduntur, ut ramuli atomorum se amplius contingere nequeant, unde necessario ruptura sequitur.* Ita enim, quod supra dixi, est cum fragilibus comparatum, ut, cum exiguis sese punctis tangant atomi, facile disjungi possint. Ejusmodi rerum flexibilium, & una aliquo modo transparentium atomos concipere licet inspiciendo craticulam, super quo botuli assantur, vel instar scalarum ad patibula quædam fabricari solitarum, ubi utrimque per Columnam intermediam terebratam paxilli in modum crucis transfiguntur, quibus manus & pedes ad successivam adscensionem innitantur. *Ex hisce præsuppositis duo quasi consectaria huc pertinentia exsurgunt*, quorum *primum* est: *Non esse refugiendum ad viscum quendam aut humorem glutinosum in corporibus malleabilibus, cui malleabilitatem suam acceptam eadem ferant.* Immo corpora quædam viscedine oleaginea refertissima esse maxime fragilia: qualia sunt ex animali regno butyrosa, caseosa &c. omnia, & quæ sunt è sebo confecta;

 quin

quin quo magis butyri libis & artocreati miſcueris, eo minus tenacitatis obtinent, & promtius franguntur: Vegetabile regnum oſtendit fungorum & tuberum genera pleraque, vix manum tangentis, quin frangantur ferentia: Generantur autem hæc è flatulento glutine terræ, quaſi dixeris eſſe Terræ crepitus aut ructus, quod alibi latiùs monſtravi, facillimoque negotio in mucaginem propemodum, excepto ſolo lupi crepitu, reſolvuntur: Minerale regnum pauciora quidem exhibet, at terra fere quævis recens, quantumvis humida, facile frangitur; nec exiſtimem metalla cum antimonio fuſa propterea malleabilitatem ſuam exuere, quod humidum illud ſeu glutinoſum per fuſionem exhalarit; cur enim non exhalat ſine additamento antimonii? Et, cur id non magis fit in detonatione cum nitro facta? Contrarium autem demonſtrat vel ipſum antihecticum Poterii, quod legitme paratum, unctuoſitatem ſuam vel ipſo tactu prodit, & hinc eſt hecticis quoque, præter alias dotes, utile medicamentum! Præterea Salia, ad tactum ſicciſſima & fragilia, in cella autem haut difficulter liquabilia ex alio principio hæc omnia (nimirum diverſo particularum ſitu & textura) deducenda, ſuadere videntur. Nec mineralium & metallorum vitrificatio huc quidquam confert: Quamquam enim Saturnus ad vitrificationem ſit aptiſſimus, quod unctuoſitati per vitrificationem exhalanti patrocinari videri poſſet; attamen experientia teſtatur, & alia metalla minus unctuoſa aut malleo obedientia non tantum poſſe vitrificari, ſed per artificioſam reductionem priſtinæ texturæ reddi: Tale eſt argentum, cujus vitrificationem, & ope Salium per cæmentationem in argentum reductionem *Tackius Phaſide Sophico tertio p. 57.* docet, ſeſeque ipſum ſuis manibus aliquoties hoc opus feciſſe teſtatur, quin addit, Amico cuidam ſuo accidiſſe, ut pro auro ex cupella vitrum collegerit, unde ejus-

ejusmodi metallorum perfectorum vitrificationes non entium Chimicorum Catalogo eximendæ censebuntur. Jam, qua ratione unguen illud seu unctuositas in reductione horum vitrorum metallicorum ipsis restituitur, si per ignem in vitrificatione ipsa exhalavit? Et si malleabilitas ab unctuoso principio dependet, certe non audiendus est *Verulamius in histor. vit. & mort.* qui vitrum, lateres &c. utpote ignem passa, propterea diutius durare asserit, quod emisso humore aqueo, humor oleosus diutius se sustineat, siquidem hoc pacto non video, qua ratione etiam vitro malleabilitas negari queat. Adeo *Digbæus de natur. corp. cap. 15.* non videtur flexilitatis causam penetrasse, quando mollem quandam, humidamque substantiam in illis postulat, quod late dicto loco deducit, *elegantissime* autem *fulgidissimus Hesperus noster in obs. 239. Ann. III. Dec. 1. Ephem. curios. refellit*, tum ita statuentem *Lcë-nium* ex professo, tum *Digbæum* ex consequenti, quorsum L. B. ablego. *Secundum est: flexibilitatis & malleabilitatis aliquam hinc differentiam apertissime monstrari, & corpora quædam salva sua perspicuitate, posse quidem dari flexibilia non item malleabilia.* Talcum enim Moscoviticum, quod *Excell. Major* allegat l. c. seu glacies Mariæ, ut sit flexile, malleabile tamen non est; nec apud *acutiss. Borrichium de ort. & progr. Chimiæ p. 114.* lego, Salem ductilem, ex Sale armoniaco in amplo vitro sæpe soluto, sæpe & lente in strias coacto, & in crystallos vel in sex digitorum longitudinem porrectos, digitorum ministerio hac illac flexiles, protensum, & ipsi malleo obedisse: Minus id ex ipsa *Majoriana observatione* quis collegerit, cum lamella tenuissima liquori innatans, undulans & flexilis â curiosissimo Auctore, non nisi oculis usurpata fuerit, ut proinde de ejus malleabilitate nil concludere liceat. *Proximum nunc est, ut etiam in diaphaneitatis & opacitatis quorundam corporum caussam inquiramus. Describitur proinde*, &, me quidem Judice, *rectis-*

*sime*,

*ſime, diaphaneitas, quod conſiſtat in eo; quod globuli ætherei ad actionem luminis ad lineas rectas transferendum, per alicujus corporis poros in omnes partes libere poſſint tranſire; Opacitas autem, quod ex eo originem ducat, quod pori alicujus corporis præcluſi, vel interrupti impediant, quo minus radii luminis undique ad lineas rectas, vel æquipollentes pro actione luminis transferenda, neceſſarias tranſire queant.* Jam, ſi ad normam hujus hypotheſeos examinemus pororum in corpore malleabili ordinem, & particularum diſpoſitionem, facile cuilibet erit concepta, *vix eſſe poſſibile, ut dari queat vitrum malleabile, ſalva ſua perſpicuitate*; ideoque, ut forte concedamus, poſſe certis liquoribus chimicis aut fuſione cum borace certo vitrum malleabile reddi, in ſtatu malleabilitatis ſuæ, non eſſe perſpicuum, niſi forte tantillum, quaſi charta lumini obverſa, audacter pronunciamus, donec contrarium, aut ratio nobis, aut experientia rationum victrix, demonſtrarit, quicquid denique de famoſo artifice aut Dio cupiat, aut Plinius conſignare. Etenim ſi, quod ſupra oſtendimus, malleabilitas conſiſtit in atomorum ramoſitate, & intricata proinde textura, veluti ſi quis denſam Silvam contempletur, aut ſarmentorum faſciculos (Reiſich) globuli ætherei, ſeu radii luminoſi uſquequaque allidunt & offendunt, atque propterea impediuntur, quo minus totam corporis texturam penetrare queant, hinc idem redditur opacum. Cum autem corporum flexilium non ſit tanta ramoſitas, ſed rami rariſſimis (pro conditione corporum plus minus) intervallis diſpoſiti, veluti ſilvam raram & cæduam, idque hiemali tempore contemplere, eſſe his quidem perſpicuitatem concedendam, eoque majorem, quo rariores rami (tametſi, quo magis perſpicua ſint, eo minus tenacia, eoque propius ad fragilitatem accedant;) hinc quoque dari vitrum quadamtenus flexile, excluſa malleabilitate, utique pateſcit. Ut hanc de vitri flexilitate cum perſpicuitate

cuitate difficultatem *Excell. Hesperus* evitaret, elegantissimam & *curiosam commentus est vitri texturam l. c. ad instar loricæ ferreæ, quæ quidem constat ex meris annulis ferreis, oblique in se invicem contortis, quia tamen singuli in ordinatam seriem sibi implicantur, ex irregularitate figuræ, quæ seorsim in omnibus conspicua est, texturæ totus ordo congruus emergit, ac pulcritudo notabilis.* Atque si plures loricæ ejusmodi, tanquam lorica una crassa ac densa, perita manu, conjunctim Soli obvertantur, eo modo, ut annulorum series omnes, in una lorica, seriebus loricæ secundæ, tertiæ &c. exacte respondeant, interstitia annulorum etiam ex amussim sibi responsura sunt, & radii Solares per illa, tanquam per poros rectos unius alicujus continui ac solidi corporis, inoffensis motibus pertransibunt. Similem fere hypothesin *ex Borello* amplecti videtur ejus Dom. Collega, *perspicacissimus Morhofius.* Sed, num ex ista hypothesi, quod ibi spondet Nobiliss. Auctor, possit corporum, vel etiam vitri malleabilitas ostendi, ut verum fatear, hucusque non concipio: Novimus corporis malleabilis, dum malleo percutitur, substantiam dilatari, quod secus fieri non potest, nisi, uti supra dictum, particularum corporis aliæ in aliarum locum succedant, & cascam sedem relinquant. Jam, si consideremus corpus perspicuum hoc modo loricatum, utcumque parallelo & harmonico situ, annuli isti sibi respondeant, eorum tamen situs, dum malleo percutiuntur, haud dubie mutabitur, & mutari debet, siquidem in latitudinem extendendum sit corpus: Jam, ubi situm hi annuli mutant, & parallelo harmonicoque positu, sibi invicem respondere desinunt, cuilibet planum existit, quantum perspicuitati illorum decedere oporteat. Ut ne dicam, vitrum ex ejusmodi annulis in se invicem contortis efformatum non esse inter fragilia censendum, & fortasse gemmis magis hanc orbicularem texturam competere, utpote duris-

ſimis & tamen perſpicuis. Sed flexilitatis par ratio non eſt, *unde rurſum concludimus, poſſe quidem dari vitra quadamtenus flexibilia, non item malleabilia.* His ita præſuppoſitis omnibus *progredimur poſtremo ad ipſum vitri anaclaſtici phænomenon, quod ſequentem in modum explicamus.* Vitrum conſtat ex particulis oblongis, utraque parte tantillum contortis & uncatis ad formam litteræ (*ſ.*) Hæ extremitates uncatæ ſeſe invicem quoad earum curvatura patitur, amplectuntur, atque adeo cohærent: Eſt tamen harum particularum ſitus harmonicus ſibi invicem oppoſitus, quod ſupra de lorica dictum (nulla differentia, niſi quod hic annuli orbiculares ſupponantur) ut liber ſit radiis luminoſis per vitri poros tranſitus, & proinde transparens exiſtat. Jam *quando in vitrum anaclaſticum, anguſto orificio, & tenuiſſimo convexoque fundo præditum, flatus oris immittitur* (tunc quidem, quando fundus eſt intra ſuperficiem vitri) particulæ aëris inflati, ætheris in poris vitri contenti particulas in motum expanſivum cient & propellunt, quo impetu ipſe *vitri fundus expellitur, illæſa ejus continuitate*, quia uncinulis atomorum vitrearum datum ſic eſt, quadamtenus impetui aêris inflati cedere, dum elongantur equidem quodammodo, ſed non diſcontinuantur, quod neceſſario fieri deberet, ſi vitri particulæ eſſent rigidæ, oblongæ & exiguis tantum punctis ſe invicem contingerent, ſic enim à motu leviſſimo inevitabilis ruptura diſcontinuatis à moventis impetu ſe contingentibus punctis, ſequeretur. *Iſta vero fundi expulſio, abſque ſonitu fieri non poteſt:* Ab aêre enim per flatum immiſſo particulæ vitri flexibiles comprimuntur, & una cum iis etiam aër, ſeu æther, ſeu quomodocumque materiam illam ſubtilem nominare placet, intra vitri poros contentus coarctatur & exprimitur, aêremque externum in motum vibratorium & undulatorium cum impetu ciet, Hinc ſonus. *Par ratio eſt quando fundo vitri anaclaſtici expulſo os*

*orificio*

*orificio admovetur & aër retrahitur, seu inspiratur:* tum enim à maxillarum extensione propulsus aêr externus, cum non habeat quorsum cedat, externam fundi vitri superficiem comprimit, & vi, rursum cum sonitu, introrsum resilire cogit, iterum salva ipsius vitri cohæsione. *Ubi attendendum, in expulsione fundi sonum observari depressiorem,* ob majorem aëris capacitatem, seu, quod majus spatium occupare queat: In ejus autem repulsione sonum altiorem percipi & acutiorem, cum tantum spatii tunc aër non occupet, seu quod in expulsione fundi magis aër externus, qui amplum spatium obtinet; *in repulsione autem* internus intra vitrum anaclasticum, spatio capacitati vitri respondenti inclusus afficiatur. *Sed hæc omnia sic denique se habent*, ubi est moderata & proportione particulis vitri flexibilibus respondens aëris aut immissio aut suctio, nî enim utraque sit sufficiens, fundus nec expelletur, nec repelletur, si autem justo impetuosior, non potest, quin vitrum rumpatur. Dum enim curvaturæ particularum vitri, seu incurvatæ harum extremitates, quibus, sese invicem amplectuntur, extendi & flecti possunt, non est fractionis metus; sed, cum jam sunt elongatæ, quorsum per vim majorem coguntur, sese invicem dimittunt, & per consequens vitrum frangitur. *Jam, ni fallor, satis ostensum dedi* (*1.*) *Vitri cujuslibet texturam è Physica corpusculari seu atomica.* (*2.*) *porositatem.* (*3.*) *flexibilitatem.* (*4.*) *Vitrum malleabile vix dari.* (*5.*) *præter alia curiosa Naturæ phænomena penetrationis dimensionum à nonnemine in gratiam Helmontii defensæ impossibilitatem*: Quæ de vitris anaclasticis sic satis dicta sunto! Ingenue fateor, hæc omnia latius debuisse & acutius quoque describi: item, aliqua levissime tacta, aliqua prætermissa, quæ tamen ad illustrationem materiæ multum sane contulissent, qualia sunt experimenta quædam de borace, de natura soni, & forte alia. Sed Deum Summum testor, me hæc ipsa furtim quasi congessisse & deproperasse,

 cum

cum tempus appropinquet, *ut ephemeridum nostrarum Annus III. Decad. II.* in lucem prodeat, & mille occupationes me impediant, quo minus ex voto queam huic argumento immorari. Postquam enim *à Nobilissimo Magistratu Nördlingensi* haut ita pridem, *in* præmaturo & lugubri fato erepti *D. D. Hilbrandi, Physici illius urbis*, dum esset, dexterrimi, *locum fui suffectus*, nunc totus in eo sum, ut, quam licet, maturrime familiam meam illuc transferam, quæ res, mirum quantum, meditationes meas intersecat. Spero tamen fore, ut aut alii me longe acutiores, aut fortassean ipse egomet, olim in hac materia simus diligentiores futuri. Hæc ipsa boni consulite, *Illustres Viri & Excellentissimi, Patroni & Collegæ æstumatissimi*, & Clientem vestrum exoptatissimo vestro favore ulterius prosequimini.

Tantum!



COROL-

# COROLLARIUM PHYSIOLOGICUM,

*ex*

DISPUTATIONE INAUGURALI

# HIPPOCRATES REDIVIVUS

indigitata

*Sub umbone*

D. JACOBI WENCESLAI DOBRZENSKI
de Nigroponte,
Phil. & Med. Doctoris, & in Universit. Pragens. Professoris Ordinarii &c.

*habitâ*

à

JOH. IGNATIO FRANCISCO VOITA, Boëmo,
AA. LL. & Philosophiæ Doctore Med. Cand.

*Anno 1684. Mense Martio.*

*Præsens Corollarium;*

Quod ad me in thermis Carolinis Anno LXXXIV, Menſe Aprili valetudinis Gratiâ commorantem, miſit Perilluſtris & Excellentiſſimus Dominus Dobrzenski &c. noſtris Ephemeridibus inſerendum eſſe, quia ob curioſitatum amœnitates meritò applauſum meretur, cæteris fuit viſum adjungi digniſſimum. *Helianthus.*



# COROLLARIUM PHYSIOLOGICUM
## Principia Corporum Naturalium breviter insinuans.

HActenus solertiores, altiorisque animi Medici, communi in Scholis usitato modo, per Materiam & Formam Aristotelicam, constitutionem corporum Naturalium, & consequenter hominis in abstracto solùm explicandi non contenti de quaternario Elementorum insuper, sive realiter sive virtualiter corporibus inexistente, dubitantes, obstetricante Chymiâ, corporum naturalium Resolutrice & Anatoma, per experientiam rerum omnium Magistram, id tentârunt, quod ratione assequi non licuit. In hanc rem explanandam plurimùm insudârunt, præterito, Theophrastus Paracelsus Helvetus, hoc seculo Helmontius Belga, Renatus des Cartes, Thomas Willisius, Franciscus Boylæus, de le Boë Sylvius, Otto Tackenius, Bernardus Svalve, Thomas Schirlæus, & innumeri alii: Stetit enim per multa secula Medicina immota, soliq; Græcorum & Arabum Authoritati innixa, quiescebat; Nulla tunc fiebant experimenta, meræ regnabant Authoritates. Donec Paracelsus acris ingenii Vir, Philosophiæ & Medicinæ fundamentis lustratis, primus eadem igne adminiculante probaret & reformaret, primusque libertatem philosophandi sibi assumeret, pudori ducens servili ingenio sub cæcis ductoribus caligare. Hunc integrô ferè seculô post, secutus est, stupendum ingenii miraculum Joannes Baptista Helmontius Nobilis Belga, qui teste Osvaldo Crembsio, animo plane terrestrium speculatione haud contento, miraque

raque

raque intellectûs ſublimitate, corporis ſeſe propemodum vinculis exemit, idque ipſum indagare auſus eſt, quod tactu, viſu, auditu, aſſequi non licebat; ideâ ſibi efformatâ, quâ abſtruſiſſimarum rerum naturalium cauſas intueretur, exindeque per inaudita Nomina & allegoricos ſenſus, effectus ex cauſis, cauſasque ex effectibus deducendo, Artem Medicam ſcientiam fecit: quod Theophraſtus magno auſu aggreſſus eſt, felici vix non eventu conſummavit, magnumque Phyſicæ Ariſtotelicæ, & Methodo Galenicæ vulnus inflixit. A ſanioribus ævi noſtri Medicis, Paracelſus, Arcanorum Chymico-Medicorum Monarcha cenſetur, Helmontio verò donum Theoriæ ſuper eadem attribuitur, utríque honor & laus magna à Poſteris debetur. Hi inquam, Anteſignani, & poſt illos innumeri alii, omnes quidem intentionem ſuam eò converterunt, ut ope deſtillationum, ſublimationum, digeſtionum, fermentationum, calcinationum & præcipitationum (quæ ſunt operationes vi ignis elicitæ, partim blandæ & Naturæ conformes, partim violentæ) corpora compoſita in partes ſimpliciores dividerent, ſupponendo, quòd quidquid eſt compoſitum, è ſimplicioribus priùs debeat eſſe conflatum, adeòque ſimplicia compoſitis priora eſſe, & quò quæ res ſimplicior, eò cæteris prior, ac tandem cùm à progreſſu in infinitum abhorreat natura, illa quæ in priora alia, tanquam ſimpliciora à nobis reſolvi nequeunt, omnium prima dici debere, adeòque citrà omne dubium, illa naturalium corporum vera & genuina principia conſtituenda fore, quæ in rerum naturalium ordine ſimpliciſſima ſunt, ſeu in quæ ultimò res corporeæ reſolvuntur, ità ut in alia priora reſolvi nequeant. Sed necdum ità progrediendo adhuc integrè inter Doctiſſimos viros, circa rerum naturalium principia compoſita lis eſt, quin adhuc ſub Judice ſit, magis nihilominùs magisque, DEO illuminante, illuceſcit etiamnum Veritas. Reperiuntur enim quidam, qui corporibus reſolvendis operam dantes, docent illa reſolvi poſſe in Sal, Sulphur & Mercurium; Alii in Spiritum, Sal, Sulphur, aquam,

aquam, & terram: Alii, è ſucco v. g. uvarum præmiſsâ fermentatione ſeparari Spiritum ardentem, oleum, aquam acidam inſipidam, Sal volatile fixum, Tartarum, Terram: Alii denique cuncta corpora ex unico univerſali principio aqua Elementali, tanquam cauſâ materiali, & ſemine tanquam cauſâ formali, docent exiſtere. Subtiliſſimus Helmontius, quaternarium Elementorum inveſtigans, duo tantùm Elementa primitiva, Aërem & Aquam, eſſe obſervat, Terram fructum aquæ eſſe, & per reſolutionem Chymicam in aquam reduci poſſe, experimento fulcit; Ignem nec eſſe Subſtantiam, nec accidens, ſed cùm de utroque aliquid participet, corpus neutrum potiùs dici debere. Aſſerit ille aquam, nec per calorem, nec per frigus perire, aut in aërem ullius naturæ vel artis conatu mutari poſſe, & viciſſim aërem nullis ſeculis aut diſpoſitionibus in guttam aquæ redire poſſe, Elementa hæc duo ex natura ſua eſſe frigida, per accidens calida. Et aquam quidem univerſale corporum naturalium omnium Nutrimentum, atque ſic principium materiale eſſe probat, dicit enim Tractatu de complexionibus: *Corpora quæ creduntur mixta, materialiter ſolius aquæ fructus ſunt:* & paulò pòſt: *Corpora, ſive opaca, ſive diaphana, ſolida ſive fluxilia, homogenea ſive diſſimilia, puta lapides, metalla, oſſa, cerebrum, ligna, cortices, frondes, mel, ceram, olea, tandem cuncta atque ſingula in aquam omnino inſipidam totaliter reducuntur, adeoq; ſolâ aquâ ſimplici conſtant, & contenta ſunt.* Huic ſententiæ adſtipulatur Theodorus Moretus, S. J. in Univerſitate Pragenſi Matheſeos olim Profeſſor, qui Theſium ſuarum hydroſtaticarum 22. dicit, *omnia terreſtria de aqua & per aquam conſiſtere:* Hinc illud:

*Aqua proveniunt omnia, fertur aqua.*

Magnus ille hujus ſeculi Vir Athanaſius Kircherus, Itiner. Extat: 2. Dial: 1. c. 1. Aquam ſic introducit de ſe loquentem: *A me, tanquam ab inexhauſtis uberibus, Univerſa mundi machina neceſſarium ſibi nutrimentum trahit;* & paulò infrà: *Scias*

*itaque*, inquit, *in tribus maximè rebus, quæ externam Geocosmi faciem concernunt, quà rectè constituendis, quà elaborandis, meam desudare industriam, & est primò quidem ipsum telluris corpus, 2. arbor, herbarumque genus: 3. animalium, quadrupedum, quà volatilium, aquatilium, reptiliumque varietas, quibus omnibus ego & singulis alimentum suppedito, & per occultissimas Naturæ semitas commixta Vitam largior.*

Anno hoc præsente 1684. prodiit libellus, *Pansophia Enchiretica*, inticulatus, Authore Arnoldo Bachymio Denstonio, in quo juxta Authoris mentem, Natura Universa rerum omnium vestibus denudata, in Virginitate & simplicitate sua, omnium oculis spectabilis exponitur, igne examinante & probante. Hic Author quatuor rerum assignat principia, unum purè activum, *Lucem* sive *Animam mundi*, duo purè passiva, *Aquam* & *Terram*, unum Activo-passivum, *Salem*, vinculum, per quod *Lux* seu *Anima mundi*, terræ & aquæ conjungitur: Admittit itaque exclusâ vi propria seminibus inditâ, *Animam mundi*, quam per *Lucem* intelligit, pollentem ratiocinio, secundùm dispositiones faciendi hoc vel illud, dum Thesi suâ 191. sic scribit: *Hic est ille Spiritus, quo omnia vivunt, nutriuntur, augescunt, crescunt & ratiocinantur multùm vel parùm, deficiunt ac pereunt: Unus omnium rerum Director, totam machinam Universi disponens, juxta intentionem & ordinationem sui Creatoris.* Et paulò post Thesi 193. *Lux igitur creata, quam nos videmus, inquit, cujus generationes sentimus, palpare tamen ob subtilitatem non possumus, est illa Anima mundi, ille Spiritus mundi, omnia totius mundi subjecta penetrans, illuminans, actuans, movens, mutans, corrumpens, nobilissima & subtilissima quinta essentia semispiritualis, post Angelos ac Animum, Creatura, quæ omnia implet, nihil sibi præclusum inveniens, atque in centro terræ usque ad cœlum empyreum instar globi expansa.* Hæc ille. Quid nobis, cùm super hujus, tum aliorum hac de materia placitis videatur, qualemque circa seminum, evolutionem, & miram corporum Naturalium Genesim foveamus

mus opinionem, ſequentibus, magno labore partis, ſolidè ruminatis, Authoritate, experientiâ, ratione fulcitis obſervationibus, tum pro confirmatione dictorum, tum pro clariori, aurei illius Hippocr. textûs: *Ineſt in homine*, demonſtratione & intelligentia, palam faciemus. Sit itaque.

# EXERCITATIO PHILOSOPHICO-MEDICA,

*Sive*

## Obſervationes circa operationes, quibus Natura ex Voluntate & Benedictione Divina in producendis rebus utitur.

OBſervamus 1. Deum Omnipotentem, Mundi Creatorum, Providum Creaturarum ſuarum Oeconomum, cùm hæ æternare non poſſint, ſaltem in ſpecie ſua ut perpetuarent, ſingulis de ſemine providiſſe, Eique talem & tantam vim indidiſſe, ut intra exiguam molem ſuam, contineat occultè ſimilitudinem, & alias dotes rerum, ex quibus ortum duxit.

*Obſerv. 2.* Naturam Dei Omnipotentis Miniſtram, circa haseasdem à Deo creatas res in hoc mundo ſingulariter etiamnum ſollicitam eſſe, ſummôque ſtudio attendere, ut quodlibet individuum in ſua ſpecie ad ſeminis usque productionem deducat, quatenus tali medio perpetuare poſſit.

*Obſerv. 3.* Naturam conſecuto ſemine, ad hoc, ut explicare ſeu in actum vitæ deducere poſſit, indigere aliquot rebus, partim ab intrà, partim ad extrà, neceſſariis, quales ſunt: *Nutrimentum, vis fermentalis, locus, calor.*

*Obſerv. 4.* Semen eſſe corpuſculum quoddam mole exiguum, ideam ſeu imaginem rei futuræ in ſe continens, virtute pro-

propagativa & multiplicativa præditum, adeoque in occulto & potentia vitale, notitiamque continens modi, quô agere à principiò usque in finem debeat.

*Obſerv. 5.* Dum res aliqua creſcit, augetur in mole, & tendit ad multiplicationem, dicitur vitâ vegetativâ vivere; vitæ enim tali hæc prædicata competunt: caditque ſub eam Regnum tam vegetabile, quàm minerale, imò & animale.

*Obſerv. 6.* Ad hoc ut vita ſeſe in ſemine manifeſtet, & id, ad quod ordinata eſt, faciat, debere in ſemine excitari fermentationem, alioquin æternùm ſemen otioſum manſurum.

*Obſerv. 7.* Vitæ maximam activitatem & potentiam, uti & deſtructionem & tandem Mortem, dependere à vi fermentali; debitè vel indebitè in actum fermentationis deducta, quam continet intra ſe omne ſemen, modò requiſita cætera omnia adſint.

*Obſerv. 8.* Omnes alterationes & transmutationes rerum fieri, vi fermentorum variorum ſpecificorum, à ſeminio proprio dependentium, ſubjugatâ formâ debiliori dominium ineuntium.

*Obſerv. 9.* Fermentationem absque fermento prævio, ſive à natura ad intrà, ut in muſto & ſuccis fructuum, ſive ab arte ad extrà, ut in Cereviſia, Pane, appoſito, in nullo ſubjecto poſſe introduci.

*Obſerv. 10.* Fermenti Naturam in temperata aciditate, in omni alioquin ſemine naturaliter deliteſcente, conſiſtere, eſſeque fomitem & excitabulum, absque quo ſicuti nec lapis daret ignem, ſic nec in ſemine ullus motus fieret, conſequenter nec ulla fermentatio.

*Obſerv. 11.* Omne ſemen in actum fermentationis deductum ſpirare odorem quendam acidum, activum, fermentativum, ſenſimque ſubjectum aptum in ſibi ſimile diſpoſitivum.

*Obſerv. 12.* Hanc aciditatem, in omnibus creatis ad vitam tendentibus, reperibilem, 1. Eſſe illum decantatum Spiritum Uni-

Universalem, seu animam Mundi (quam si per *Lucem* paulò ante nominatus intelligit Denstonius, sententiæ nostræ Amicus est) à tot magnis Philosophis assertum, à paucis cognitum, à nemine baptizatum; 2. Esse subjectum aptum jungi omnibus formis, & per viam seminificam, aliàs Universalem & Communem, identificari in particularem: 3. Esse promotorem & excitatorem, quo excitentur semina, ut vivant & agant, nutriantur verò, ut crescant; sive hunc Spiritum esse stimulum & excitatorem formæ Spiritûs insiti, Archæi, tanquam Oeconomi & Rectoris omnium actionum Naturalium & Vitalium, abstrahendo ab omni rationalitate ejusdem Spiritûs Mundi.

*Observ. 13.* Spiritum illum acidum esse purum ignem, primum & ultimum omnium Spirituum Spiritum: Esse Universale omnium seminum fermentum, in omni semine naturaliter delitescens, à natura suaviter confermentatum & unitum.

*Observ. 14.* Ad hoc, ut semen vim suam propagativam exerat, debet ipsi apponi competens & conveniens humiditas, quæ communiter vocari solet Nutrimentum, seu Menstruum, & tum blando mediante calore effervescit semen cum Nutrimento, & sequitur continua fermentatio, Antiquis putrefactio dicta: Sic enim è potentia in actum vita latens sese manifestat.

*Observ. 15.* Nutrimenti hujus humidi proprium esse *Primò:* Dum apponitur semini, illud priùs emollire, aperire, & dissolvere, perque levem calorem externum fermentatione internâ introductâ, adjuvare ut crescat, & in mole augeatur, priùs quidem rudi, sensim tamen majori, proque formæ intentione magis magisque artificiosa: *Secundò*: Factâ emollitione, apertione & dissolutione seminis, adeoque sensim introductâ mutuâ confermentatione, infici ab odore illo acido seminis, fierique paulatim ex semine & Nutrimento unam rem, servireque deinceps Nutrimentum pro corpore materiali

teriali rei, cujus Ideam & imaginem in ſe ſemen continebat, tam diu, quàm diu imago tota ſeſe explicuerit, & magnitudinem, quam affectat, non conſecuta fuerit.

*Obſerv. 16.* Semen cum Nutrimento, ut aptè invicem agere, id eſt, fermentationem debitam peragere poſſint, debito quoque loco debere collocari: Debitum autem locum hunc eſſe illum, in quo aut à Natura, aut ab Artifice collocatur aptè ſemen, poſteaque inſtillatur eidem ſenſim Nutrimentum.

*Obſerv. 17.* Locum, vas, agrum, nihil conferre de ſe rei creſcituræ, ſed ſolùm ſervire pro receptaculo & fomento. Quibus tamen ritè munitis nî calor extraneus, naturalis ut Sol, artificialis ut ignis, in debito, eoque remiſſiſſimo gradu addatur, nullum motum rei creſcendæ ſequi, ſed omnia otioſa manere. Neceſſarium proinde eſſe calorem ad omnes motus propagationis, multiplicationis, maturationisque accelerandos, & quidem non exceſſivum, cujus eſt deſtruere, ſed temperatum cujus eſt, cuncta ad pullulationem promovere, & ſic ſe habet calor externus per modum cauſæ excitantis ad calorem internum in ſemine latentem propulſandum, unde bene Helmontius: *calor externus*, inquit, *efficienter non digerit, ſed excitativè tantùm*.

*Obſerv. 18.* Motum formæ ſeminis cum Nutrimento propriè eſſe efferveſcentiam: Hanc verò non aliter contingere, quàm veluti applicationem ignitabuli ad lapidem, ut excitetur ignis: Seu efferveſcentiam illam nil aliud eſſe, quàm colliſionem ſeu unionem virtutis potentiæ fermentalis, quæ eſt acida, cum virtute & potentia ſeminifica, quæ eſt ſulphurea, mediante proportionato ſero, id eſt, Nutrimento, & calore externo coadjuvante ad ignem vitalem ſeu Spiritum ardentem, Rectorem totius Oeconomiæ vitalis, ſub particulis oleoſis ſeu ſulphureis deliteſcentem, pòſt, per Analyſim Chymicam ſeſe manifeſtantem, producendum: Sive efferveſcentiam illam nil aliud eſſe, quàm applicationem acidi naturalis interni,

aut

aut externè ab Artifice appoſiti, ad Salſo-amarum, id eſt ad bilem, id eſt, ad ſulphur.

*Obſerv. 19.* Duas manifeſtas, & quidem ad ſenſum contrarias in actione fermentationis fieri operationes: Unam liquationis ſeu diſſolutionis, coagulationis & fixationis alteram: Illam comprehendere ſub ſe evolationem ſubjecti ſeminifici, in mole auctionem & ejusdem incrementum: Hanc, maſſæ mollis in materiam corpoream & duram pro intentione directiva formæ ſeminis, compactionem & ſoliditatem. Utriusque operationis finem eſſe, figuram debitam & aptam ad fructificandum & ſeminificandum in multiplicitate conſtruere.

*Obſerv. 20.* Vim fermentalem, ſeu Spiritum acidum, in ſe quidem volatilem, eſſe tamen naturæ figentis, eſſe internum & radicale concretionis & coagulationis omnium rerum principium, eſſe vinculum & gluten omnium rerum.

*Obſerv, 21.* Vim ſeminificam ſeu formam, eſſe merum Spiritum ſulphureum volatilem, Spiritum liquefacientem & fundentem, eſſe internum & radicale expanſionis & incrementi omnium rerum principium, eſſe virtutis multiplicativæ, ſi non certis limitaretur terminis, infinitum Promum Condum.

*Obſerv. 22.* Hæc de productione rerum ratiocinandi principia, poſſe experimentis ab arte petitis comprobari; Qualia eſſe poſſent, aceti ex fructibus acerbis expreſſio: Aceti ex lignis combuſtis deſtillatio: Vini ex muſto confectio: Cereviſiæ ex tritico, hordeo, oryza, leguminibus, præparatio: Olei ex omni ſemine expreſſio: Spiritûs ardentis ex fructibus & omni vegetabili eductio: Panis ſtructura, amyli, ſmegmatis, caſei, vitri compages &c. Ad hoc enim, ut naturales, mutæ & cæcæ nobis operationes aliàs rectè intelligantur.

*Obſerv. 23.* Debere priùs ſimilia, obvia jam quidem, at ſummo ſtudio & diligentia olim ab Artis peritis inventa, bene ruminatis & examinatis eorundem cauſis, præmitti,

OBSER-

# OBSERVATIONES Particulares genesim Vegetabilium spectantes.

OBservamus 1. Omnia entia, intra numerum vegetabilium comprehensa, semen producere, aut immediatè, aut mediante flore, vel fructu; Illudque cujusque rei esse minimam partem, ab eo, unde originem duxit, mole & figurâ differentem, & tamen vim plasticam floris, plantæ, fruticis, arboris occultè & potentialiter intrà se continere.

*Observ. 2.* Omne semen constare communiter materiâ lacteâ, ad saporem acutâ, aromaticâ, ad odorem verò aut fætidâ, aut gratâ plùs minùs; Omnisque seminis oleum, quod etiam accendibile ex omni semine haberi potest, differenter olere, differenter sapere.

*Observ. 3.* Omne oleum vegetabilium per fermentationem intrà phlegma, maxima ex parte se amittere, & transire in Spiritum ardentem, qui nihil aliud est, quàm oleum resolutum intrà aquam. Aquam verò & oleum, aliàs non unibilia, vi fermenti tamen salso acidi uniri & fieri unam rem.

*Observ. 4.* Menstruum rerum vegetabilium, seu medium, quo vim suam propagativam exerere possint, esse illam mirabilem & nunquam satis à priori conceptibilem Creaturam Dei, Elementum Aquam. Aquam, inquam, illum radicalem humorem, quo aperiantur, & ex otio ad laborem, excitentur semina: Esse nutrimentum universale non solùm vegetabilium, sed & mineralium & animalium: Esse non tantùm clavim, non tantùm menstruum, seu nutrimentum, sed necessariam pro corporibus efformandis, materiam.

*Observ. 5.* Hanc (aquam) tria facere circa semen: *Primò:* Suppeditare vehiculum pro emollienda duritie seminis: 2. Emollitione factâ, suppeditare pabulum, ut semen turgere & incrementum capere incipiat: 3. Tandem in motum acto semine, dare eidem materiam, pro competente corpore, ad inten-

tentionem formæ ſeminis, id eſt, ad maturitatem, usque dum novum ſemen conficiatur.

*Obſerv. 6.* A principio motûs ſeminis, usque ad ipſum finem ſcenæ illius vegetabilis (præter lucem Solis, ſeu Spiritum potius illum vivificum, ſed acidum univerſale ſubtiliſſimum cum luce effluens, ſine quo nihil unquam creſcet) nullâ aliâ re materiali opus eſſe, quàm frequenti, at moderatâ aquæ irroratione, ad hoc ut vegetabile pullulet, creſcat, & ad finem ſcenæ ſuæ deducatur.

*Obſerv. 7.* Abundantiam nimiam humidi, & impotentiam abſorptionis illius à terra, tanquam matrice, cauſare putrefactionem ſeminis, aut ſi jam in via pullulationis ipſum vegetabile eſt, ejusdem hydropem & reſolutionem: defectum verò humidi impedire progreſſum ulteriorem illius vegetabilis, ita ut illud ſiccari & marceſcere oporteat.

*Obſerv. 8.* Humidum vegetabilium uſui ſuppeditari à natura & arte: à natura per pluvias & Rorem, Rorem ſc. matutinum, qui ſemper ſalubrior; Ab arte, nempe à vegetabilium Cultoribus: Et Rorem quidem & pluviam, temperata, non tantùm nutrimentum de ſe conferre vegetabilibus, ſed ſimul etiam ſervire pro vehiculo materiæ fermenti illius ſeu acidi univerſalis, pro fœcundandis magis ipſis vegetabilibus.

*Obſerv. 9.* Totam Athmoſphæram repletam eſſe inſenſibiliter atomis hunc Spiritum acidum continentibus: omnesque exhalationes ex heterogeneis corporibus provenientes, tandem in Athmoſphæra purificatas & excoctas, tranſire ultimò in acidum illud volatile nitroſum; Sicuti ſalia omnium corporum per reſolutionem in cumulo aggeſto multis annis factam, tranſeunt in ultimum illud ſal univerſale, Spiritum illum acidum continens, quod utrumque experientiâ confirmari poteſt.

*Obſerv. 10.* Plerorumque Doctiſſimorum tam veterum, quàm recentiorum Philoſophorum, de origine & Patre hujus acidi univerſalis diſceptantium, mentem eſſe, illud Luci ſola-

ri ſuos Natales debere. Stante hoc igitur, ruit opinio omnium, Spiritum iſtum acidum formarum omnium Theſaurarium & diſpenſatorem proclamantium, confidentium, docentium: diverſum enim eſt, fœcundari, ad vegetationem promoveri, quod commune omni vitam habenti eſt, à tam varia innumerorum entium formalitate, quam ineſſe illi Spiritui inaniter Pnevmatiſtæ aſſerunt. Diverſum proinde illum tot formarum numerum, convenientius eſt, neque per hoc quidquam in S. Fidem peccatur, aſſerere, eſſe ipſas Creaturas DEI, in principio mundi ex nihilo ſui factas, terræ tanquam Matrici incluſas, tandemque juſſu Dei Genes. 1. c. *Producat terra herbam virentem* &c. germinare, fœcundari, & multiplicare ſeſe juſſas.

## OBSERVATIONES particulares geneſim ſubterraneorum concernentes.

O*Bſervamus 1.* Orbem terreſtrem ex multis rebus heterogeneis conſtare: Conſtare ex materia liquida, Aqua, materia ſolida, Terra.

*Obſerv. 2.* Materiam ſolidam, ſive Terram, variè inter ſe iterum differre, variisque mollitiei & duritiei gradibus eſſe ſubjectam: Mollem enim Terram, Limum & Argillam, duram autem, Arenam, Sabulum, Silicem, Tophum, Lapidem, Saxum, Petram, communiter vocari.

*Obſerv. 3.* Terram præterea ſive illa ſit mollis ſive dura, varios colores, variarum differentiarum terræ indices, præ ſe ferre. Illam verò colorum differentiam à diverſis ſeminibus terreſtribus, intrà Terram pro geneſi ſubterraneorum deliteſcentibus, procedere.

*Obſerv. 4.* Univerſum globum terreſtrem ad intrà plènum eſſe variis formis ſeminalibus, pro variis glebis, lapidibus, & metallis efformandis, hinc inde pro diverſis climatibus in uſum humanum à Summo Deo Creatore omnium mirabiliter diſpoſitis.

*Obſerv.*

*Observ. 5.* De facto lapides, mineralia, & metalla, vegetari, in mole crescere, vitaque vegetativâ suo modo vivere, quod tum materia seminalis, ex magis activis & ad sensum acidis & sulphureis particulis constans: Universale Nutrimentum, Aqua; Fermentum Universale salinum secum advehens: *Locus*, ipsa viscera terræ: *Calor*, tam Solaris ad extrà, quàm subterraneus ad intrà, (quæ pro ulteriori productione & vegetatione rerum requiruntur & sufficiunt) abundè comprobant: Ergò nullam suppetere rationem, cur mineralibus vita debeat negari.

*Observ. 6.* Lapides, Mineralia & Metalla, nullum quidem semen particulare, uti vegetabilia & animalia, deponere, nihilominùs tamen tota & in singulis suis particulis, quàm diu sunt in visceribus terræ, necdum ignem externum experta, viva seu apta ad sese multiplicandum esse. Postquam verò per ignem transierunt, & fusibilia facta sunt, pro mortuis reputari.

*Observ. 7.* Metalla etsi pro mortuis habeantur, modò iterum radicaliter aperiantur, aliquâ nempe convenienti humiditate metallica, quæ reddat illa iterum fermentabilia) illicò esse apta, ut vim suam internam, tam medicinalem, quàm multiplicativam, in apto subjecto, possint explicare.

## Observationes particulares Oeconomiam Animalem, præcipuè hominis spectantes.

Observamus 1. Singula animalia, sive Ovipara, sive Vivipara, ex semine produci, & circa utraque *Primò:* Juxta conformitatem in superioribus observationibus enarratam, Naturam procedere: *Secundò:* In utrisque tam diu, quam diu membra omnia ad certam maturitatem non sunt perducta, Oeconomiam naturalem seu nutritionem & vegetationem in Viviparis à Matre, in Oviparis à liquoribus, vitellô & albumine ovi intrà corticem contentis, suppeditari.

*Observ. 2.* Quando igitur animalia uteri carcerem excusserunt, cujus in oviparis supplet vices cortex ovi, & non jam amplius vena umbilicalis præparatum nutriendo corpori liquorem defert, tum fœtus ipse stimulante ventriculi humore fermentali, per os alimentum appetit, quô sumptô incipit concoctio prima, secunda, tertia, virtute propriorum fœtûs viscerum, fieri: Quæ viscera mediantibus certis liquoribus, (antiquis dictis humoribus) eos ex se stillantia totam Oeconomiam Animalium dirigunt.

*Observ. 3.* Singulos homines, imò singula ferè viventia, *liquorem Salso-Amarum*, id est, *Bilem*, & *Succum acidum*, in se habere, Bilem generat hepar, Succum acidum, glandulæ salivales in ventriculo, Lien, & Pancreas: Prædominium unius aut alterius in corpore fit causa Temperamentorum & Complexionum: (non autem prædominium unius aut alterius qualitatis elementariæ) Hinc, in quo corpore prædominatur Bilis, talis *complexio Cholerica*, in quo, Acidum, talis vocatur *complexio Melancholica*, ex debita utriusque proportione resultat *complexio sanguinea*, ex interveniente copioso sero *complexio Phlegmatica*.

*Observ. 4.* Bilem amaram & succum acidum, utrâque naturaliter se habentia, esse necessaria ad vitam humanam, & Oeconomiam Naturalem conservandam; Deficientia verò aut excedentia, esse causas omnium morborum, & tandem mortis.

*Observ. 5.* Vehiculum, in quod hæc duo sese exonerant, in quo effervescunt & contemperantur, esse serum seu liquorem aquosum, Helmontio dictum Laticem: Ejus verò materiam cibum & potum, plus tamen hunc, utpote magis fluidum, quàm illum.

*Observ. 6.* Ut bona ingestorum, præsertim solidorum mixtio, post digestio, seu confermentatio, apta denique in vasa pro nutritione necessaria, deductio fiat, necesse esse, ut liquidum superet fluidum, ad summum ternis vicibus, & sic ad unam

siccum

nam

nam Lib. esculentorum, tres Lib. potûs requiri: Quæ dosis si superetur, pro excessu censendam esse, servireque imposterum pro occasione morbifica, licet non statim sequatur effectus.

*Observ. 7.* Humorem biliosum, ex vesicula biliaria defluum, non esse excrementum inutile, sed liquorem summè necessarium, esse balsamum & sulphur naturæ, ignem vitalem potentialiter in se continens.

*Observ. 8.* Acidum naturale, seu ex Ventriculo, seu Pancreate, aut Liene, adveniens, esse fomitem seu excitabulum latentis istius ignis, absque cujus cum bile collisione, necessaria nunquam fieret effervescentia: Sicuti enim apposito, & alliso ad lapidem ignitabulo accenditur sulphur, in lapide delitescens, & in scintillas prorumpit: Apposito fermento acido, effervescunt particulæ sulphureæ in farina, aut decocto hordei, vel tritici latentes: Ità apposito acido ad bilem, & ad invicem debitâ proportione commixtis, fit blanda effervescentia, causa generationis sanguinis, & in eo latentis ignis seu Spiritûs vitalis, Rectoris totius Oeconomiæ Naturalis.

*Observ. 9.* Ex commixtione illa acidi liquoris cum bilioso, mediante copioso, proportionato tamen, sero, sequentes emanare actiones Oeconomiæ naturali perquam utiles: *Primò*: Ope hujus blandissimæ effervescentiæ, seu collisionis, movetur digestio & dissolutio ciborum: 2. Instituitur segregatio puri ab impuro, excrementi à nutrimento: 3. Omnia digesta, etiam diversissima volatilizantur, & ex gravibus levia, & spongiosa fiunt. 4. Omnes cibi diversorum saporum, disponuntur paulatim ad unum saporem à natura intentum, nimirum dulcedinem, quæ est amica & requisita naturæ, dispositio maturitatem designans. 5. Ponitur fundamentum tincturæ sanguinis: 6. Tandem præmissis his, chylo ità præparato, per modum musti se habente, fit vinum humanum, sanguis, spiritum ardentem seu vitalem in se continens & deferens. Dulcedinem autem adesse debere, convincunt sequentia: Ex uvis acerbis, austeris, acidis, ex fructibus item similibus, nullâ arte spiri-

tus ardens educi poteſt, at bene ex muſto dulci, ex fructibus maturis, id eſt, dulcibus: Ita conformiter in nobis debita dulcedo, mediante iſtâ efferveſcentiâ, induci debet, ad hoc ut vitalis ſpiritus in ſanguine producatur, quod nunquam fieret, niſi debitè iſta colliſio præceſſiſſet. Et ſicuti proportionata hæc fermentatio cauſat ſanitatem, & ejusdem effectus ad ultimas usque corporis partes pertingit, ita viciſſim diſproportionatè in exceſſu unius aut alterius horum liquorum, in quantitate aut qualitate, errores, ad ultimos usque corporis transferri articulos.

*Obſerv.* 10 Bilis effectus eſſe liquare, rarefacere, exaltare, calefacere, tandem ſiccare: Acidi verò, coagulare, condenſare, indurare, frigefacere. Excedentis bilis morbos communiter per qualitatem calidam, excedentis acidi per qualitatem frigidam, excedentis ſeri, per copiam humidi ſeſe prodere, manifeſtare.

*Obſerv.* 11. Præter jam dictos excedentium horum liquorum effectus eſſe ſequentes: Nempe degeneres in nobis & excrementitios producere humores, ex diſproportionato eorundem congreſſu, & mutuâ luctâ, qui per diverſos exinde natos ſapores ſeſe manifeſtant, & ſunt tot diverſiſſimorum cauſæ morborum: Sicuti enim harmonia & debitum horum liquorum æquilibrium ſanguinem ſaporis ſuavis & dulcis efficit, ita bilis in gradu aucta, ſalſi, amari, tandem acris & armoniaci ſaporis ſanguinem & ſerum reddit; Ita acidum in gradu auctum, primò humores acido, tum auſtero, tandem acerbo ſeu Vitriolico ſapore inficit.

*Obſerv.* 12. Enarratô modô ſaporem præ ſe ferentes humores, eſſe cauſas productivas qualitatum ſequenti ſerie: Salſus ſapor producit calorem in gradu primo, amarus in gradu ſecundo, acer in gradu tertio. Acidus producit frigidum in gradu primo, auſterus in gradu ſecundo, acerbus in gradu tertio. Ignorantia diſproportionis horum duorum liquorum inter ſe, fecit hactenus Medicos perplexos in curando.

*Obſerv.*

*Obſerv. 13.* Alterantia humores ſecundùm Galenicos, nil aliud eſſe, quàm contemperantiam exceſsûs, defectûs, degenerationis in enarratos liquores acidi & bilis: Sic, quæ in catalogo ſimplicium reperiuntur calida in primo, ſecundo, tertio, gradu, opponuntur morbis acidis, acerbis, auſteris, & quæ frigida in primo, ſecundo, tertio, opponuntur morbis, ſalſis, amaris, acribus.

*Obſerv. 14.* Purgantia nullô aliô fine dari, niſi ut mala, ex degeneratione efferveſcentiæ ſeu malæ horum duorum liquorum confermentationis, producta, cum alimentis in primis & ſecundis viis ſtabulantia, educantur.

*Obſerv. 15.* Methodum medendi Antiquorum optimè conciliari poſſe cum Neotericorum recenter inventis, atque clariùs illuſtratis, neque rejicienda eſſe alterantia, incidentia, deobſtruentia, & evacuantia.

## OBSERVATIONES particulares Reſolutionem corporum concernentes.

O*Bſervamus 1.* Medicos Solertiores duplici fine Reſolutioni corporum ſtudere. 1. Ut ſciant ex quibus rebus omne corpus conſtet. 2. Et cum vix aliquod corpus ſit, quod non in uſum Medicum trahi & applicari poſſit, ut tali indagatione factâ ſeparent inutilia ab utilibus, impura â puris, ut diffuſam remedii virtutem, in modicam uniant & concentrent quantitatem, conficiendo inde Olea, Spiritus, Eſſentias, Tincturas, Salia, Magiſteria, Extracta, & tandem Elixiria, morbis magis pertinacibus longè proficua, virtus enim unita fortior: Hinc arte chymica parata ritè remedia, tam deprædicata ſunt, ex eo nempe, quòd parvâ ſui doſi magnas in medicando vires præſtent, & unum aut duo grana extracti, quinque aut ſex guttæ Eſſentiæ, una gutta olei, tantum efficiant, quantùm aliquot Unciæ, imò Libræ decoctorum, Syruporum, & aquarum diſtillatarum.

*Obſerv.*

*Observ. 2.* Duplici etiam viâ resolutionem corporum fieri solere, unâ naturali, dum illa per se corrumpi sinuntur, alterâ artificiali, dum curiosus indagator, sive Philosophus sive Medicus, arte chymicâ adminiculante, veluti cultro aliquo Anatomico, omnes cujusvis corporis partes diligenter separat, & de illis ratiocinando solerter inquirit & rimatur, adhoc, ut ipsi constet, ex quibus, qualibus, & quot particulis, singulum corpus constet, & sit compactum: De utraque via occurrunt res consideratione dignæ.

*Observ. 3.* Dum naturaliter aliquod corpus resolvitur, v. g. planta, lignum, metallum, animalis alicujus cadaver, communiter sequentia contingere solere. Si planta, lignum, metallum, cadaver, priùs à suo humido separentur, & omnia hæc locô siccô conserventur, longô tempore, imò multis annis, figuram & formam retinere, tandemque magis magisque arefacta, cariem, metalla æruginem contrahere, & in pulverem levem modicissimo sale refertum converti. Si verò à suis humiditatibus arte non liberentur, ut communiter contingit in cadaveribus, plantis hortensibus, arboribus sylvestribus, &c. Imò locô aëris injuriis perviô, resolvi sinantur, tum plantas, ligna, lapides, & cadavera animalium, humiditate roris & pluviarum, receptâ, infinitis priùs generatis vermiculis, & iis in Muscas, pulices, papiliones, diversissimarum specierum, transmutatis, metallis in calcem subtilissimam arrosis, totum corpus abire in limum quendam humidum, qui tandem sensim exsiccatus, transeat in pulverem levissimum, modico sale refertum.

*Observ. 4.* Ex utraque observatione recollectum pulverem, si in aqua calida solvatur, deponere in eadem illud modicum salis: Hanc verò si filtretur & siccetur, daturam sal fixum, amariusculum, virtutem aliquam sui compositi redolens, quia ex planta aut arbore collectum, iterumque seminatum, vi seminali necessariò sibi retentâ, pullulare faciat plantam, ejusdem speciei cujus ante fuit.

*Observ.*

*Observ.* 5. Dum artificialiter corpus aliquod resolvere volumus, per viam siccam, & per viam humidam id à nobis institui. Per viam siccam adurendo herbam, lignum, radicem, cadaver, usque in cinerem reducatur corpus, quod fit aut igne aperto, aut intermedio vitro, retortâ. v. g. Alembico cum suo pileo camino: *S*i igne aperto fiat, nil aliud comparere, nisi magnam fumi prodeuntis copiam, ad usque corporis incinerationem. Hic fumus si excipiatur camino dabit fuliginem, quæ collecta & distillata dabit phlegma. spiritum acidum, oleum fætidum, sal volatile urinosum, empyrevma seu fumum redolens. Si fumus excipiatur vitris, idem prodibit, relictâ in fundo modicâ terrâ nigrâ, quæ combusta dabit cinerem, qui elixiviatus dabit sal fixum. Per viam humidam si corpus tractetur, e. g. vegetabile, aut exprimitur ejusdem succus, aut ex succo corpori affunditur magna copia aquæ, ut humefiat: Hic succus si distilletur & vegetabile sit multo spiritu refertum, distillante tum aquâ prodeunt guttæ olei fragrantissimi, odorem vegetabilis illius, dum integrum fuisset, referentis: Si autem vegetabilis succus aut humiditas cum herba sicca commixta priùs permittatur fermentari, tum non prodit oleum in distillatione, sed spiritus ardens, quod indicat oleum sulphureum ardens in spiritum sulphureũ ardentem mutatum fuisse, nec abiisse, sed in phlegmate solum modò resolutum esse, rebus enim in fermentatione exist[illegible]tibus, si vel modicâ quantitate olea affundantur, sim[illegible]ul in spiritum abeunt. Item si olea Aromatica spiritui Vini guttatim affundantur, tum ab eo absorbentur & in spiritum transeunt. Hæc vegetabilium olea, essentialiter sunt salia volatilia concentrata, distillata enim in sal volatile sublimantur, saporem & odorem vegetabilis referens. Animalium olea & pinguedines sunt salia quoque volatilia concentrata, ab occulto quoad sensus acido paulisper suppressa, æquè ac oleorum vegetabilium salia demonstrabilia; Axungia enim canis, vitro imposita, Soli per aliquot dies exposita, sal volatile sublimari facit, hinc Phthisicis valdè

valdè proficua. Oleum C C totum in Sal volatile sublimari solet. De his etiamnum Helmontius c. 14. de febrib. *Si noveritis* inquit *Olea mutare in salia volatilia, nacti eritis medicamenta:* Prouti ex vegetabilium & animalium, ità etiam mineralium & metallorum sulphuribus olea haberi, & hæc in salia volatilia possunt mutari.

*Observ. 6.* Extractis tali pacto per viam humidam ex cunctis corporibus, sulphuribus, seu vi seminali sub figura spiritûs ardentis, olei, salis volatilis ludentibus, & distillatâ omni humiditate, manet à singulis rebus in fundo Cucurbitarum aut Retortarum, quoddam gummi instar picis liquidæ, quod si igne vehementiori urgeatur, necdum effœtum, & omni seminali virtute privum est, dat autem ex se spiritum urinam fœtentem, urinosum dictum, pòst etiam salvolatile similiter urinam redolens, & tandem expirante omni fumo, dando fortissimum ignem, illud quod fuit gummi evadit modica terra nigra levis, quæ fortissimè calcinata fit cinis, qui elixiviatus dat modicum salis fixi. Hæc fœtida producta, similia sunt iis, quæ per incinerationem seu viâ siccâ virtute ignis fiunt & communiter Tartari nomine indigitantur; Hi spiritus urinosi, ejusdem sunt cum spiritu fuliginis, vel etiam Tartari vini, indolis, sunt salia volatilia alcalina, in phlegmate resoluta: Vegetabilium enim succis omnibus inest Tartarum tale, quale vinis, unde spiritus illi per incinerationem producti, prouti spiritus Tartari vini è suis Tartaris iisdem omninò salibus acido-alcalicis constant, acidum enim & alcali mutuò coagulata, in vegetabilibus, Tartari nomine compellantur.

*Observ. 7.* Sal fixum, quod ex cineribus elixiviatur, non saporis acidi, sed alcalici, id est, lixiviosi, ante incinerationem in mixto non præextitisse, sed fuisse sal volatile, per torturam autem ignis, qui definitur esse motus velocissimus particularum sulphurearum acido-volatilium, productum, seu fixum ex volatili esse, per acidi & alcali cum terrestribus particulis colliquationem.

*Observ. 8.*

*Observ. 8.* Corpora omnia, dum naturali viâ, & ſuô modô creſcunt, vegetantur, & ope fermentationum in varias formas transmutantur, etſi uti diximus, aciditate naturali virtutem coagulativam habente, prædita ſint, aciditatem tamen illam volatilem eſſe, prout & ſulphur ſeu vis ſeminalis ſub nomine Alcali hîc vocata, volatilis eſt; Unde etſi dura, compacta, lapidea & ferrea corpora naturalia ad ſenſum externum videantur, ſuavi fermentatione in ſupra enarrata reſolvi poſſe, & quamvis coagulata, fixa tamen non eſſe, adeòque nullum fixum ſal in ſe continere: Ab igne tamen excruciatum vi & potentiâ ejusdem acidi, aliquam & quidem ſulphuream, quam lixivioſam ſeu alcalinam vocavimus, partem, figi, ſeu Tartarum evadere, id eſt terram nigram Tartaream, necdum tamen damnatam, utpote ex qua, ſal fixum, quod antea volatile præextiterat, poſſit extrahi. Imò, ſi omnia hactenus enarrata extracta volatilia, ſpiritus urinoſus, ſal urinoſum volatile, ſive ſeorſim ſive junctim accipiantur, & continuo per Cucurbitam vitream igne cohobentur, diſtillentur, omnia tandem paulatim vi ignis figi, & ex volatilibus fixa fieri, id eſt, in Tartaream terram converti, ad apparentiam quidem mortuam, valdè nihilominus olim, in uſu præſertim Medico glorioſam: Inde enim elixiria, extracta & tincturæ ſuam ducunt originem: Præterea ſi mixtura hæc terrea igne adhuc vehementiori urgeatur, obſervamus eam tandem in vitrum faceſſere. Proinde, ex hucusque dictis, reſolutione hac corporum præ oculis habita, circa rerum principia, itâ nobis videtur. *Primò:* Quaternarium Elementorum ſimul ſumptorum hîc non ſubſiſtere, utpote in quæ, ultimatò tandem, nullum mixtum poſſit reſolvi formaliter, ſed ſolùm allegoricè. *Secundò*: Spiritus ardentes, Olea, Salia, ſive acida, ſive Alkalina, Principia non eſſe, ſed principiata, ſub his tamen formam ſeminis, variam larvam & figuram præ ſe ferentem, deliteſcere. *Tertiò:* Aquam elementalem titulum veri Principii materialis omnium corporum, mereri, ipſamque tanquam ſeminum nutrimen-

nutrimentum, ab acido eorundem fermento, modò in plantam, modò in metallum, lapidem, pro ſeminis directione coagulari. Alterum verò Principium corporum formale, eſſe ſemina, entia â DEO in principio mundi creata, & terræ tanquam utero indita, Ideas ſeu imagines rerum futurarum intra ſe continentia, ex quibus omnia uniformiter in toto hoc Orbe creſcunt, vegetantur, multiplicantur, Scenamque imaginis ſibi â DEO inditæ mirabiliter peragunt, mediante quidem aquâ, tanquam materiâ, fermentô acidô, tanquam igne interno ſemini incluſo, cooperante calore externo ſive per Solem, ſive aliô modô, blandè excitato, ad ſuſtentandā continuam fermentationem, ad finem usque Scenæ ſeminis ſeſe evolventis, neceſſariam. Omnia ergò corpora conſtare duobus principiis, *materiâ & ſemine*, illâ ut materiali, hôc, ut formali principio, quod Ariſtoteles per *Materiam & Formam*, alii, per *Pugiles & Digladiatores*, per *Litem & Concordiam*, *attractum & repulſum*, *rarefactionem & condenſationem*, Maſculum & Fœminam, &c. Venerandus demum noſter Hippocrates, innuit, per Acidum & Alkali, ſive Aquam & Ignem mollem. Hæc pro tantilla ingenii noſtri tenuitate dicta ſufficiant; Si cuipiam fortaſſis plus hîc obſervâſſe quam probâſſe, videbimur, is, relictâ inani carpendi methodo, ad experientiam, optimam noſtri Magiſtram, ſe conferat, probet, experiatur, tentet, dicta noſtra facta faciat, & videbit, nos â proximo veritatis ſcopo, vix latum quidem unguem diſcedere.

F I N I S.



OOLOGIÆ

# OOLOGIÆ CURIOSÆ
## SCIAGRAPHIA

S. R. I.

Academiæ Naturæ Curioſorum
exhibita
à

ROSINO LENTILIO, Med. D. Phyſico
Nôrdlingenſe
*Academiæ Curioſæ Oribaſio.*

---

*NORIMBERGÆ,*
ANNO M DC LXXXV.



# S. R. I.

## Academiæ Naturæ Curioſorum,

*Illuſtris & Magnifice*
*Domine*

## PRÆSES

*Nobiliſſimi, Excellentiſſimi, Experientiſſimi*
*Domini*

## ADJUNCTI & COLLEGÆ,

Patroni, Fautores, Collegæ æſtumatiſſimi, honoratiſſimi!

P*Oſtea quam haut ita pridem, nullo meo, vel in Vos, vel in Rem Litterariam, & cumprimis, Medicam, merito, ex amica commendatione Excellentiſſimorum,* CELSI *&* CHIRONIS *(quibus proinde gratiæ heic à me decentiſſimæ nuncupantur) in fulgidiſſima Cœli Veſtri Sidera, ſtella magnitudinis ultimæ, benevolentiſſime ſum receptus; nihil quidquam antiquius habui, quam, utì jubar, quale à tantilla ſtella poteſt exſpectari, evibrarem. Neque enim alia de cauſſa factum exiſtimo, quod Illuſtris Dominus Præſes, Illuſtri* Oribaſii *nomine, ſub primum ſtatim acceſſum, memet inſignem voluit, quam, ut in eam non ſolum curam incumberem, Magni Imperatoris Archiatrum, & inter Medicorum Principes ſubſellii non extimi Virum, ut, quo id licet, gradu æmularer; verum etiam, ut abſoluto maturrime penſo, quod Collegarum cuilibet Sacrarum legum vigore, incumbit, cognomen tale quadamtenus promererer, nec Imperiali Societati anſam præberem, illud Alexandri M. in me derivandi;* Aut nomen muta, aut mores! *Cum itaque laudatæ leges facultatem unicuique concedant, eligendi materiam; Ego vires ingenii qualiscumque in* Ovo *periclitabor, multis eo cauſſis permotus, quarum explicatio ipſi Tractatui reſervabitur. Ex litteris autem ab Excellentiſſimo Helianthо ad me datis, vidi, Illuſtrem Dominum Præſidem optaſſe, ſi forte*

*si forte potuisset,* Oologia *mea Ephemeridum Curiosarum Appendicem alicubi augere. Verum enim vero, quando hæc materia tam late per omnes variæ litteraturæ campos vagatur, ut verear, ne opus in tantam molem excrescat, quæ sibi relicta, Ephemeridum volumen integram præponderaret, ut taceam, operis umbilicum ob experimentorum copiam adhuc in longinquo situm, facile est cuilibet deprehendere, quam potuerim huic desiderio minime velificari. Apud animum potius meum constitui, totius Oologiæ Sciagraphiam quandam, aut Sceletos, Illustri Societati conspiciendum præbere, ea fini, ut, si forte Collegarum nonnulli existant, uti sane quamplurimi existent, qui, ad fulgentiorem operi splendorem conciliandum, observationum suarum, quamdam Symbolam contribuere possint, illa, qua licet primum occasione, me opulentum faciant. Non enim omnes omnia aut legere possumus, aut judicare, nec omnia omnes aut notamus, aut excerpimus; Sed uti heic sua quemque voluptas trahit, ita hic sibi notandum sumit, quod alter, ceu notatu minus dignum, prætervolat. Ego sane, si temporius materiæ vagam ubertatem prævidissem, quamvis potius aliam, quam isthanc elegissem, quam, si quis penitus exhaurire sustinuerit, non sane huic unum volumen satisfecerit, prout hoc ipso Specimine planum efficiam.*

*Vestrum erit, Honoratissimi Domini Collegæ & Fautores, petito meo tam honesto gratificari, prout & ipsa humanitas, & Leopoldina Societas, hujusq; leges, quibus devincti sumus, id postulare videntur. Ego autem faxo, ut ne quid in ipsa Tractatione omittatur, quod, aut sim in isto Specimine pollicitus, aut ad ejus perfectionem necessario requiri videatur: Et sicuti Illustri huic Collegio Sacramentum dixi, meumq; inter Collegas nomen professus sum, ita nihil à me desiderari patiar, quod abditas ditissimæ Naturæ vires, in apricum collocare queat, quantum equidem in mea tenuitate futurum est, universæ Societatis Imperialis exoptatissimo favori, me meaq; studia Studiose commendans. Scribo in Musæo d. 2. Januarii A. O. R. 1685.*

Oribasius.

# OOLOGIÆ CURIOSÆ
## LIB. I.
## ΩΟΝ ΠΑΝΣΠΕΡΜΟΝ
## SECT. I.
## *OVI ETYMOLOGIA.*
### Cap. I.
### *Ovi.*

I. *Onomatologia*: an ſit originis Latinæ, an Græcæ? an primitivum, an derivativum? Ubi de vanis linguarum confuſionibus in ridicula vocum tranſlatione in illarum opprobrium aliqua non injucunde notantur.

### Cap. II.

II. *Homonymia*: Heic *ovi* nomenclaturam ſibi adſciſcunt.

*Mundus*, antiquioribus Philoſophis *ovum* dictus.

*Conceptus uterinus* Ariſtoteli, Harveo &c. *Ovum* aut nominatus, aut illi certe comparatus.

*Teſticuli viriles*, *ova* ab Avicenna, Rhodigino teſte appellati.

*Calvities* Medicorum nonnullis *Ovum* dicta.

*Ova Indorum Cubaguenſium*: ubi de *piſcatura margaritarum* quædam.

*Fritillaria* ſeu *meleagris* herba, *ovum Gaviæ* dicta.

*Fungorum fetidorum* certa ſpecies: *Ova Dæmonis* aut *manium* ſalutant Ephemerides noſtræ. D.I.A.II.O.54.p.107.

*Lapis Philoſophicus* aliquibus *ovum*, & cum additamento, *Naturæ* nuncupatus.

*Ovum Neapolitanum*, *ſeu Caſtellum ovi*, cujus deſcriptio è variis, cumprimis Paulo Jovio petenda.

*Cœnacula veterum* ob fabricæ analogiam *Ova* appellata, ubi diſquiritur, cur locus, in quo Pentecoſtali tempore Apoſtoli congregati fuerunt Act. I. v. 15. ὑπερῷον dicatur?

*Phialarum vitrearum* aliquæ, *Philoſophici ovi* nomenclaturam ſibi vendicantes.

*Si forum*

*Ovum ligneum Kircherianum*, ad aquarum craſſitiem, & admixtorum Salium Naturam explorandam.

*Limites* denique nonnullibi *Ova* vocati, ex Wehnero.

Cap. III.

III. *Synonymia* cumprimis *Orientalis* attendi meretur; Sic enim apud Hebræos, Chaldæos, Syros, Arabes, Samaritanos, Æthiopes, *Ovum* aut hujus certe *vitellus*, non analogia Characterum modo, ſed & ſenſus, *Somnium* æque ſignificat, ac *valetudinem*.

*Græca, Latina, Germanica.*

Cap. IV.

*Ovi* definitio generalis, tanquam *principii*, vel *primi rerum omnium conceptus*.

## LIB. I. SECT. II.
## *OMNIA EX OVO.*

Cap. I.

### *Dii ex Ovis.*

*Cupido* Deorum antiquiſſimus, ex *ovo noctis* prognatus, ſecundum *Ariſtophanem* & *Orpheum* antiquos Poëtas. *Dii Syri* ex *Ovis* juxta *Natalem Comitem*. *Ovum Oromaceni* 24. *Deos* continens, ex *Pierio Valeriano*.

Cap. II.

### *Mundus ex Ovo.*

Non tantum juxta Veterum Ethnicorum Philoſophiam, ubi larga diſſerendi materia de *Ovo Orphei* & *Platonico* ὤν: *Ovo Zoroaſtræo* ex *Kircheri Obeliſco Pamphilio* cum icone: controverſia *Plutarchi, Macrobii* & aliorum, ſintne *ova gallinis* priora? Quin etiam *Paracelſica Mundi* cum *ovo* comparatio, & analogia *quatuor Elementorum*, *triumq́ Principiorum Chimicorum*, & quæ huc alia pertinent, in *Ovo gallinaceo* ſeu oviparorum quolibet demonſtratur, & Textus Geneſ. 1. v. 2. ad hanc ſententiam applicatur:

Sed & *Sinenſium* hodiernam, *ovum primordiale*, ex eoque primi

Hominis ortum, item Cœli, Terræ, Elementorum, &c. divisionem adstruentium: & Siamensium, *futuri Mundi* originem ex duobus *Ovis* educentium.

Cap. III.

*Mineralia ex Ovis.*

Hic mineralium & metallorum genesis & prima seminia è Philosophia moderna eruitur, itemque disquiritur, num vivant metalla, & qua vita vivant? & triplicis vitæ ratio ad mentem Helmontii & Kergeri indagatur.

Cap. IV.

*Vegetabilia ex Ovis.*

Non tantum sensu *fabuloso*, qualia *semina oviformia* ex *Alkorano* petentur:

Sed etiam *vero*; ubi demonstrabitur, parum *semina*, alia tamen magis, alia minus ab *ovis* differre; item *hilum* seminum vim *cicatriculæ* in *ovo* gallinaceo possidere. Heic etiam circa vegetabilium anatomen & vegetationem plantarum occupabimur.

Cap. V.

*Animalia ex Ovo.*

Quæ sententia heic in genere tangitur; item disquiritur de animalium distinctione in ovipara & vivipara, & qua ratione sit restringenda?

Cap. VI.

*Insecta ex Ovis.*

Heic in specie dogma de spontaneo viventium ortu excutietur, & agetur curiose de *ovis* formicarum, pulicum, pediculorum, aranearum, acarorum casseariorum, eorumque admiranda generatione.

Cap. VII.

*Vermes ex Ovis.*

Ubi de *ovis* bombycum, papilionum, Salamandræ & lacertarum, Serpentum (qualia analogice Erasmus in Colloquiis

*Ponti-*

*Pontificiorum Rosaria* vocavit) viperarum, & circa hæc ultima plurimis exortis inter eruditos controversiis apprime curiosis.

Cap. VIII.

*Testacea & Amphibia ex Ovis.*

Hic de *ovis* Crocodili, Testudinum, Cancrorum, Spermate ranarum &c.

Cap. IX.

*Pisces ex Ovis.*

Heic in specie de *anguillarum* generatione naturali & artificiali, illas enim aliqui à putredine Sola gigni volunt; item an sint *viviparæ* an *oviparæ*. De *murænarum* cum viperis coitu: De *ovis* Salmonum &c.

Cap. X.

*Homo ex Ovo.*

Sensu non tantum Poëtico & fabuloso, quo *Castor* & *Pollux* cum *Sororibus* ex *ovo* prodiisse dicuntur; it. *gigantes*, unde latus disserendi campus aperitur; it. *Sinarum* opinione, qua primus Homo *Puoncuus* ex *ovo* generatus putatur:

Nec analogico, cujus supra facta mentio:

Sed etiam vero: Ubi *ovarium humanum* cum *ovis*, *oviductibus*, & aliis ad anatomen spectantibus adducuntur; it. ob analogiam & ipsa quadrupedia huc trahuntur.

Cap. XI.

*Conceptus Humanus.*

Sententia hæc latius explicatur, per *Generationis Humanæ* historiam, & hypotheseos cum facilitate junctam utilitatem. Heic de monstris, molis, partu numeroso; it. quæ ad animæ cognitionem spectant.

Cap. XII.

*Homunculus Paracelsicus.*

Cumprimis tractatur nobilis controversia, num hic Paracelsi de Homunculo locus ad litteram, quod aliquibus placet, sit in-

intelligendus; an vero mystice hic, ut sæpe solet, Auctor sit locutus, ex ipso fonte de generat. rer. natur. l. 1. decidet.

Cap. XIII.

*Animalium ortus fabulosus.*

*Agnus vegetabilis* & *Anser Scoticus* examinantur: *Trajanus Boccalini Catonem Gynæcomastigen* loquentem introducens notatur: *Aurei velleris* affaniæ de *avibus ex aqua immediate prognatis* discutiuntur: *Phœnix*, avis *Kankis* aliæque fabulosæ è Rabbinis citantur: *Alcyonis ovum* fabulosum è *Luciano* allegatur.

LIB. I. SECT. III.

*AVIS EX OVO.*

Cap. I.

*Gallus Gallinaceus.*

Tribus verbis ex *Apulejo*, num recte aves Aëris *incolæ* dicantur? *Galli* etymologia, descriptio, delectus, cura, partes genitales, semen: Quot gallinis unus sufficiat? *Galli* dignitas: Æsculapio sacer avis: *Alectriomantia*: Cur *gallus gallinaceus* & *gallina Hierosolyma* pulsi: *Gallicinium* à *Paracelso* astris & Spiritui Caballistico adscriptum: *Spectaculum Gallorum* apud Græcos Veteres: *Gallus gallinaceus Persarum Rex* ex *Aristophane*: De voce **Hahnrehe** Parecbasis. Lapis Alectorius.

Cap. II.

*Gallina.*

Huc è superiori capite aliqua: *Gallinæ* descriptio, genitalia, cura, nutritio, delectus, ut ova & plura & grandia pariant: *Gallinarum* albarum esus *à Pythagora* prohibitus: Gallinæ se *Christus* comparavit.

Cap. III.

*Coitus Galli cum Gallina.*

An sine coitu quædam animalia concipiant? *Conceptio anemia vulturum* è vetustioribus *Ornithologis*: Coitus *gruum*: An omnia animalia, excepto *Gallo*, post coitum tristentur?

Cap.

*Mundus Ovalis*, ad quorundam Philoſophorum mentem: Terra *vitellus; duo cacumina* poli &c.

*Cœlum ovale* ex eorundem placitis.

*Sol & Luna* ad Mathematicorum quorundam mentem *ovales;* quin & Planetarum motus *ovatus.*

*Terra ovalis* ex Antiquis & modernis, cumprimis *Helmontio.*

*Germania ovalis* ſeu potius *Imperium Romano-Germanicum*, cujus *mappa* quædam Generalis exhibetur.

*Franconia ovalis*; cujus itidem Generalis mappa præbetur.

Caſtellum *Neapolitanum del Ovo* à figura dictum.

*Portus Marſilianus ovalis* ex Welſchii Itinerario.

Antiquorum *Amphitheatra ovalia* & cur? ex *Caſſiodoro: Ludi Circenſes* ubi omnia *ovata*, notantur.

*Homo* in & extra uterum, & præcipuæ corporis *humani* partes, tam internæ quam externæ *ovales.*

*Foramen ovale* deſcriptum: Ubi ſimul *Cornelii Conſentini* ſententia conſideratur, ſtatuentis, *Hominem* poſſe *amphibion* artificio reddi.

*Ova viviparorum* nonnunquam *ovalia* reperta.

*Sal abſinthii ovali* figura *Hornio* in *arca Moſis* delineatur.

*Inſtrumenta Muſica* cur pleraque ſint *ovalia* ex natura *ſoni* curioſe disquiritur.

*Moneta Muſcovitica ovalis.*

Multa ædificia, inſtrumenta & alia arte facta *ovalia.*

*Poëmata ovata; Ovum Simmiæ Rhodii* Poëtæ.

Cap. XIII.

## *Ovi quantitas.*

*Ova* magna *Centenina* & *Decumana* dicta: Avis *Bar Juchne* Hebræorum, ejusque portentoſum *ovum*: *Ovum Alcyonis* ex *Luciano*: *Anca* & *Ruch* aves Rabbinicæ, harumque *ova*: *Struthionum ova* &, quid ſibi velit cum *ovo paſſeris marini* Poëta *Burdigalenſis*: *Ovum* avis *Daje*: *ovum* aviculæ *Govambuch*: Ut *ova* majora ponantur à *Gallinis*, quid faciendum?

Cap.

Cap. XIV.

*Ovi pondus.*

Quod tàm per ſe ratione avium variat, quam per accidens, ſecundum ovi variam ætatem, aut bonitatem.

Cap. XV.

*Ovi partus.*

Qui *gallinæ* & *avibus femellis* ſolis adſcribitur; *gallinæ* vox ſingularis in partu notatur: De *pericarphiſmo* ſeu luſtratione *Gallinarum* poſt *ovorum partum* ex Plinio, Cœlio Rhodig. &c. Quo anni tempore *Gallinæ* frequentius *ova* pariant? Quid faciendum, ut multa pariant? De induratione putaminis momentanea in partu; ubi de Coralliis quædam: Nulla avis pullum parit, quod tamen de *Gallina* ceu prodigium recenſet *Apulejus*; de *aquila per enoptero* & *vulture Ælianus.* Ova *Manucodiatæ*, *Cuculi*, *Alcyonum* & *Alcyonia*, *Motacillæ* & inde Zingalorum (der Zigeuner) nomen, examinatur; & *Colubri* aves fabuloſæ ex *Alkorano* citantur.

Cap. XVI.

*Ova Gemina.*

Duobus aut tribus *vitellis* prædita, & binis pullis inde prognatis. Certum albarum *Gallinarum* genus per omnes generationes ſuas, quaſi jure hæreditario ova gemina parit, ſingulis tamen unum pullum tantum excludentibus.

Cap. XVII.

*Ova ſubventanea.*

*Anemidia*, *hypenemia*, *Zephyrea*, *urina*, *cynoſura*, *fatua*, & fabuloſa Veterum ratione, unde hæc oriantur, una cum eorum differentiis & vera geneſi.

Cap. XVIII.

*Ova monſtroſa.*

*Ovum Romanum*, Cometæ figuram; & *Argentoratenſe* Eclipſeos Lunaris faciem oſtendentia, ubi de viribus imaginationis etiam in brutis animalibus diſcurſus amplus: *Ova* a-

liis

liis *ovis* prægnantia: *Stellatum* mirabile ex *Stengelio:* anatinum caudatum: pyriforme & plura monſtroſa tum ex Ephemeridibus noſtris, tum aliis Scriptoribus & propria experientia.

Cap. XIX.

*Ova volucrum marium.*

Ut *Gallorum*, *anſerum*, &c. ubi obſervationes de hiſce exſtantes ponderantur. *Baſiliſci* hiſtoria ſacra & profana, antiqua & moderna: *Regulus* artificialis *ex ovo* producendus *Portæ* & Weckeri.

Cap. XX.

*Ovorum partus Magicus.*

Ubi hiſtoriæ recitantur tum utriusque ſexus hominum, tum quoque canum *ova* arte Magica, adſumtis certis intritis, parientium: Incidenter de abortibus *feminarum oviformibus* ex Bartholino & aliis.

Cap. XXI.

*Ova Magica Burchiana.*

Quorum *Tackius* in *Chryſogonia animali & minerali* meminit, quid de illis ſperandum?

Cap. XXII.

*Ova Selenitidum.*

Ex *Cælio Rhodigino* fabuloſa in regionibus Lunaribus edita, & *gigantes* producentia.

LIB. II.

ΩΟΝ ΠΑΝΧΡΗΣΤΟΝ.

SECT. I.

*OVI USUS PHYSIOLOGICUS.*

Cap. I.

*Avium ortus ex ovo.*

*Ovorum* delectus & numerus pro incubatione: an *impar* hic debeat eſſe ad mentem *Plinii:* An ex *ovis* eorumque externa facie dignoſci queat, num maſcula proles inde ventura ſit,

ſit, an ſequior? Qua ratione ſint ad excluſionem *ova* præparanda? num poſſint certo modo præparari, ut inde pulli quolibet colore prodeant?

Cap. II.

## *Ovorum per incubationem excluſio.*

Apparatus pro *ovorum* incubatione: *Gallinæ* incubantis cura: Incubationi accommodum tempus: Eductio animæ ex potentia materiæ per calorem externum, & principio vitalitatis: Impedimenta excluſionis, horumque remedia: Huc inſpectio *ovorum* à principio usque ad finem, cum variis iconibus ex *Harveo*, *Stenone*, *Malpighio*, *Aldes* & propriis obſervatis: *Ova Pelicani*.

Cap. III.

## *Ovorum per calorem fornacis & fimi excluſio.*

Pullities *Ægyptiorum*, *Sinenſium*, *Danorum*, *Hungarorum Superiorum*, *Inſulæ Malthæ* &c. per calorem fornacis & fimi adquirenda, una cum fornacum iconibus, & *Joh. Bapt. Portæ* machina, itemque hujus pullitiei veſtigiis apud *Ariſtotelem*. De pullitie per *furnum digeſtionis* cum *igne Lampadis* procuranda, ex propria experientia.

Cap. IV.

## *Ovorum per calorem Solis & pellium excluſio.*

*Teſtudinum*, *Crocodili*, *Lacertarum*, *Struthionum*, *avis Mexicanæ Aurus dictæ*, gallinarum *Ternatenſium* in Inſula *Kel Moto* &c. *Ovis*. Quales ſint Ciconiæ, quarum fit mentio apud Hiobum c. 39. v. 17. *Ova* avis *Scythicæ* per leporinas aut vulpinas pelles excluſa.

Cap. V.

## *Ovorum per calorem corporis Humani excluſio.*

Liviæ Oomantia ex Plinio & Suetonio notatur.

Cap. VI.

## *Nutritio pulli in ovo.*

Heic ad nutritionem fetûs in utero digreſſio fit.

Cap. VII.

*Vitelli in intestina pulli transitus.*

Cap. VIII.

*Exitus pulli ex ovo.*

Ubi de pullis in testa pipientibus ex *Boyleo*, & incidenter de *vagitu uterino;* item *respirationis* usu aliqua. De exitu pullorum quorundam inverso putatitio Ornithologorum.

Cap. IX.

*Partus ovorum monstrosi.*

Pulli gallinacei terni cum ternis pedibus nati, ex *Livio:* alii ex *Thuano* & propria experientia: Serpentes, Scorpiones, vermes, Medusæ caput, Figura Hominis in *ovo* reperta, *Gallina* felem utero gerens ex variis Auctoribus: An ex anatum ovis frequentissime serpentes, & qua ratione enascantur?

LIB. II. SECT. II.

*OVI USUS DIÆTETICUS.*

Cap. I.

*Ovi facultas nutriens.*

*Ovorum* temperies: *Ova* optimum nutrimentum, quod Natura nunquam fere aversatur, aut ejus tædio capitur: Quidam tamen *ova* est aversatus, teste Silvatico &c. Heic de certorum eduliorum aversatione, & ratione probabili: Determinatur partium *ovi* in nutritione prærogativa: Quidam velut in antecoênium *ova* 25. exsorpsit, & tamen esuriit: *Ovorum* Hecatombe. *Oonæ* Insulæ ex Plinio & aliis describuntur: Jam è *Plutarcho* disquiritur, *an ova sint edenda?* ubi incidenter nonnulla de *Benjanis* & *Brachmanis* & antiqua *Pythagoræorum metempsychosi:* De *Americanis* ab *ovis* abstinentibus: De *Manichæis*, cur *ova* non sumant: Cur ex Hebræorum instituto venam tundentibus *ovis* vesci non liceat? An sub carnium prohibitione jejuniorum tempore & *ova* comprehendi debeant? Allegatur in transitu *Lex Fannia*,

*Fannia*, & abſtinentia *Nobilis Veneti Cornarii* peculiari tractatu ab ipſo Auctore deſcripta commendatur: De temperantia quædam: An *ova* cruda ſint veſca? *Ovicænium* Græcorum & Latinorum è diametro ſibi contraria: *Ova* in pleriſque morbis conceduntur; Sunt tamen, qui in febribus putridis prohibeant.

Cap. II.

*Ova ſorbilia.*

*Ovorum* coctio in genere, per agitationem fundæ *Babyloniorum* ritu, per aquas thermales, per flumina ferventia in *Regno Tartariæ Ceilum*, per ſpeculum uſtorium, Calcem vivam, ſabulum ardens in ponte *Tiberino Romæ*: De *ovis* ſorbilibus, eorumque ſalubritate: De coctionis *ovorum* impedimentis: Ab *ovorum* ſorbilium eſu alicui mota alvus: Alii labia intumuere & maculis collum fœdatum: *Ova* quomodo edenda & quando? ridicula ſolicitudine à *Judæis* eduntur & coquuntur: quid tenendum de regula: *Singula poſt ova pocula ſume nova?* an teſta ter cultro perfodienda, aut frangenda in minutias, contra veneficia.

Cap. III.

*Ova tremula.*

Cap. IV.

*Ova dura.*

An ab his caſtrati abſtineant? de horum largius comeſtorum ferali noxa ex Stengelio & propria experientia.

Cap. V.

*Ova aſſata.*

Cap. VI.

*Ova ſuffocata.*

Vas peculiare pro his *ovis Æginetæ* deſcriptum, quod *Diploma* appellatur.

Cap. VII.

*Ova frixa.*

Cur ſuper charta illæſa *ova* frigi queant?

Cap. VIII.

*Cibi ex ovis compositi.*

Horum multiplex cum aliis cibis miſcella, quos omnes ſapidiores reddunt: De panatellis variis, pane azymo Judæorum, Olla Rhoduntia *Jonum* cibo, Oogala, *ovis* fictitiis, delicato cibo, ex *Petronio*, it. quid apud eundem ſint *ova pileata?*

Cap. IX.

*Poculenta Ovaria.*

De Sambajon Valleriolæ: Seiff apud Schrőderum: Matſak Orientalium potu: Akay Guineenſium potu &c.

Cap. X.

*Ova maleficiata.*

Cap. XI.

*Ovorum delectus.*

Optima recentia; vetuſta peſſima: *Ovorum* inſignis fetor, ubi computreſcunt, curioſe examinatur, facta hic digreſſione ad alia facile putreſcentia: Vermes ex ovorum contentis conquaſſatis enati: Plena & recentia, ut cognoſcenda? De Judæorum notitia, num *ovum* ſit *gallinæ* albæ an nigræ ex Thalmudo: De *Deliacis Gallinariis* ex *Cicerone*: *Velitrarum ova* optima.

Cap. XII.

*Ovorum adſervatio.*

Quomodo *Turquinenſes ova* per condituram muriaticam, item *Indiani Mogurenſes* immerſione in certum oleum ad 2. 3. annos adſervare queant? Qua ratione aqua Salſa in putamina & *ova* penetret? De incorruptibilitate *ovorum* æquinoctialium: Horum in aqua vitæ conſumtione, & in aceto deſtillato emollitione: De *ovis* congelatis regelandis, & qua ratione Homo eodem modo gelatus regelari queat è Transactionibus Anglicanis.

Cap. XIII.

*Ovorum hoſtes.*

Ut arcendi; cumprimis muſtelæ: quæ aves aliarum avium

*ovis*

*ovis* insidientur? Canes Oophagi, immo ipsæ quandoque *gallinæ;* ubi docetur, quo stratagemate *ova* sua *Gallinæ* sorbere dediscant?

Cap. XIV.

*Ovorum pretium.*

Corona *Ovata Imperatricis Turciæ* ex *Nicephoro*: Epitaphium *Svveppermannianum*, cum ejus origine.

## LIB. II. SECT. III.

## *OVI USUS PHARMACEUTICUS.*

Cap. I.

*Medicamenta ex ovis integris crudis.*

Et quidem vel non fractis, ad vomendi conatum inhibendum collo applicatis; vel fractis, tam internis, quam externis, variarum avium. De Spiritu *ovorum gallinaceorum.*

Cap. II.

*Medicamenta ex integris ovis sorbilibus.*

Cap. III.

*Medicamenta ex integris ovis duris.*

Cap. IV.

*Medicamenta ex ovi putamine.*

Ubi de calce *ovorum* varie parata & ejus eximio plane usu.

Cap. V.

*Medicamenta ex ovi membranulis.*

Cap. VI.

*Medicamenta ex ovorum albuminibus.*

Ubi cumprimis de oleo *albuminum ovorum* rubicundissimo, olei sanguinis humani æmulo: item de aqua *albuminis ovorum.*

Cap. VII.

*Medicamenta ex ovi Chalazis.*

Cap. VIII.

*Medicamenta ex ovi vitello.*

Ubi de oleo *ovorum* & communi & albo curioſo; *vitelli* inflammabilitate; Electuario *de ovo* communi & Cnöffeliano.

Cap. IX.

*Medicamenta ex ovis putridis.*

Cap. X.

*Medicamenta ex ovis piſcium.*

Cap. XI.

*Medicamenta ex ovis formicarum.*

Cap. XII.

*Medicamenta ex ovis viperarum.*

LIB. II. SECT. IV.

*OVI USUS CHIMICUS*

Cap. I.

*Ovum materia Philoſophorum.*

Hic multa curioſe de *lapidis Philoſophici* exiſtentia & materia probabili. Cumprimis deſcribitur proceſſus ex *ovis gallinaceis* ad *Tincturam univerſalem* plane curioſus, à Chimico non ita pridem in *Bosphoro Franconico* degente & nomine ficto *du Humain* ſe appellante, mihi communicatus.

Additur ænigmatica Lapidis Philoſophici præparatio, deſumta inventione ex *Ovo aviculæ Govambuch* ſive *Ouriſſia, Braſiliana;* item ab *Ovo Ledæ.*

Diſquiritur, quid ſibi velit cum vocibus ex *Ariſtotele* deſumtis (*TERMINUS OVI*) *Tackius* in *Chryſogonia animali & minerali*, quæ duo vocabula tot anagrammatiſmis transformavit.

Cap. II.

*Uſus putaminum ad Chimiam.*

Ubi horum præcipue calx commendabilis eſt.

Cap.

## Cap. III.

### *Usus albuminum ad Chimiam.*

Ad luta & emplastrationes vitrorum; item clarificationem Siruborum & Succorum: Usus aquæ *albuminis ovorum* ad *Mercurium Corollatum Paracelsi.*

## Cap. IV.

### *Usus vitelli ad Chimiam.*

# LIB. II. SECT. V.

# *OVI USUS MECHANICUS.*

Hic diversis capitibus secundum *ovi* partes digestis, agitur, quos usus omnibus fere artibus & opificiis *ova* præstent: Ubi jucunda pariter & curiosa erit consideratio, poculorum & variorum è *testa ovi struthionis* concinnatorum; item Lybiæ pileorum è *Luciano*: *Crustularii* & *Dulciarii* varia sua bellaria, panes Martios, pastas regias & alia in Scenam producent: *Figuli* vasa murrhina factitia exhibebunt, ubi simul historia vasorum murrhinorum ex antiquitate, & porcellana *Chinæ* sistetur. *Gypsarii* marmor factitium dabunt: *Laniones* botulos ex varia *ovorum* admixtione sapidissimos ministrabunt. *Vietores* vinorum acrimoniam injectis *ovis recentibus* mitigabunt, ubi in specie depuratio vini Judaica *ovi* ministerio facta proponetur: *Zythopœi* iisdem acorem cerevisiæ, ut in usque Jamaicam illibata ferri queat, præcavebunt: *Pictores* pigmenta sua *ovorum albuminibus* temperare docebunt: *Scriniarii* his vernices miscebunt: Quin immo nec *Sutores*, nec *Sartores*, & hi quidem ad emaculandas potissimum vestes (ubi cursim, quid Rabbini sibi cum *sanguine dubio* velint, cujus maculas *ovo* delere prohibuerunt, tangetur) his posse se commode carere fatebuntur.

LIB.

LIB. II. SECT. VI.

# OVI USUS MORALIS.

Cap. I.

## *Ova ſacra.*

Et *luſtralia*, ad quæ ſacrificia & Deorum Dearumve Sacra ſint ab Ethnicis adhibita: Teſtæ *ovorum*, *Guineæ* Deaſtro Fetiſſo ſacræ.

Cap. II.

## *Oomantia.*

Superſtitioſæ Divinationes ex *ovis* varie tractatis deſumtæ: Huc è priori capite ab *ovis* ſacrificatis capta auguria: Superſtitioſa *ovorum* die *Paraſceves* poſitorum, ad extinguenda incendia, adſervatio; cum epicriſi *Delriana;* Prædictio Salutis & mortis ex *ovo* cocto. *Ova* veneficiis adhibita ex Horatio.

Cap. III.

## *Ova paſchalia.*

*Pontificiorum*, *Ruſſorum*, Judæorum: Cur noſtratibus pueris dicantur à lepore poſita: quænam ſint ova, quæ vocantur Antlas-Eyer.

Cap. IV.

## *Ova nuptialia.*

*Judæis* ad menſam recenter nuptis miniſtrata.

Cap. V.

## *Ova lugubria.*

Lugentibus more *Judæorum* mitti ſolita, quem etiam Latinis fuiſſe uſitatum ex antiquitate probare conabimur.

Cap. VI.

## *Ova pollincturæ adhibita.*

More rurſum *Judæis* ſolemni.

Cap. VII.

## *Ova Patrina.*

Quæ Suſceptores iis donare ſolent, quos è Sacro Baptiſmatis fonte levarunt; deque hujus ritus ratione.

Cap.

Cap. VIII.

*Ova ludis adhibita.*

*Ova* bacchica: Tripudium *ovi*, Eyer-Tantz: *Ova* legere, Eyer klauben. *Ova* ludis Circensibus adhibita, & cur ibi omnia ovata.

Cap. IX.

*Ova Sostri loco data.*

Exemplo antiquo Medicorum *Cosmæ* & *Damiani*, & modernis Rusticorum nostratium.

Cap. X.

*Ova mensuris liquidorum adhibita.*

Cumprimis more *Judæis* antiquissimo, quod mensuræ genus *Log* vocabatur; heic disquiritur, cur noluerint *Rabbini*, oleum ovi testis pro usu lampadis infundi.

Cap. XI.

*Ovi usus in arte Heraldica.*

Ubi inter alia de *Ovo Austriaco*, *Archiducum Austriæ* Insigni gentilitio.

Cap. XII.

*Imaginatio ovaria.*

Cap. XIII.

*Somnia de ovis.*

Ubi de Somniis plura, & inter alia *Paracelsi* opinio, de Spiritu Gaballistico, somniorum patre; item de homonymia Orientali *Somnii*, *Ovi* & *valetudinis*.

Cap. XIV.

*Ova comparationibus accommoda.*

Philosophia *Ovum* ex Diogene Laërtio: *Ovum* futuræ gloriæ Symbolum: Grandines, tubera &c. cum *ovis* comparantur.

LIB. III.

# ΤΕΜΠΕ ΥΠΕΡΩΑ.

## Cap. I.

### *Psychagogia Oodes.*

Varia ludicra, de *ovorum* puta inſcriptione & tinctura, continet; it. *Ova*, ut in Cacabo ſaltent: Ut crines & ſanguiſugæ ſint intrudendæ: Ut volent, gradiantur &c. Ut tam grande, atque eſt humanum caput, artificio fingantur? Ovorum vitrificatio; in Caraben transmutatio: Janitzariorum ſagittandi peritia, qua ova intra digitos ſumta, his illæſis, transfigunt. &c.

## Cap. II.

### *Mythologia Oodes.*

Non tantum fabulas, verum & hiſtorias, addito ſemper morali de *Ovis* recenſebit.

## Cap. III.

### *Parœmiologia Oodes.*

Proverbia de *ovis*, Græco-Latino-Germanica ſiſtet.

## Cap. IV.

### *Apophthegmatologia Oodes.*

## Cap. V.

### *Emblematologia Oodes.*

## Cap. VI.

### *Ænigmatologia Oodes.*

Quid ſibi velint, per ſe pateſcit.

*F I N I S.*

# DN. D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI,
Curioſor. Arionis,

# SYNOPSIS CYNOGRAPHIÆ CURIOSÆ

toties à Literatis expetitæ, ſub prælo

*Sumptibus JOHANNIS GEORGII ENDTERI Norimbergæ, deſudantis.*

I. Præfatio ad Lectorem. II. Emblemata in fronte explicata. III. Applauſus & cenſuræ Eruditorum.

Sectio I. Philologico-Phyſico-Anatomica. 1. De nomine. 2. De definitione & differentia. 3. De ſpecialiori canis deſcriptione à vertice ad plantam.

Sectio II. eſt Hiſtorica, cujus Membrum Primum, agit de uſu canis ſacrô. 1. De cane pro Deo culto. 2. De uſu canis in ſacrificiis. 3. De periſcylaciſmo. 4. De uſu canis in ſervando Jona. 5. in Somniis. 6. Portentis & miraculis. 7. Juramentis.

Membrum II. ejusque Pars I. De uſu canis Politico-togato. 1. De uſu canis in regimine obtinendo. 2. Adminiſtrando. 3. In denominandis urbibus, aliisque locis. 4. In fundandis novis familiis. 5. Societatibus illuſtribus. 6. In ludis, ſtatuis & ſimulacris. 7. In moneta. 8. In inſignibus. 9. In funeribus. 10. In plectendis ſontibus. 11. Inſontibus.

Membri II. Pars ſecunda de uſu canis Politico-ſagato. 1. De uſu canis in fallendo hoſte. 2. in luſtratione exercitus. 3. in victoria prænuncianda. 4. in prænuncianda clade, morte &c. 5. in armis & caſſidibus militum. 6 in quærendo hoſte & ipſo prælio.

Membrum III. De uſu canis Oeconomico. 1. De uſu canis in purpuræ inventione. 2. in ovis excludendis. 3. in vectura. 4. in monſtranda via, re pecuaria, cuſtodia domûs &c. 5. in cibis.

Membrum IV. ſeu Παρέκβασις de uſu canis Satanico. 1. De uſu canis in fallendo Agrippa, aliisque illuſionibus Satanicis. 2. De κυνανθρωπία phantaſtico-diabolica. 3. Pythagorica.

Sectio III. eſt Chymico-Medica, 1. De vivi canis uſu in Medicina. 2. De calvaria, cerebro & oculis. 3. De dentibus. 4. De lingua. 5. De corde & hepate. 6. De felle, ſplene ac inteſtinis. 7. De teſticulis. 8. De pilis. 9. De Pelle. 10. De pinguedine. 11. De carne. 12. De oſſibus. 13. De lacte. 14. De ſanguine. 15. De urina. 16. De ſtercore. 17. De vomitu. 18. De catellis.

Sectio IV. eſt Phyſico-Medica de Rabie ſeu ὑδροφοβία. 1. De nomine: & an priſcis nota fuerit? 2. De ſcrutinio cauſæ morbi. 2. De vermibus ubique in Macrocoſmo. 4. Παράδοξον de igne fatuo verminoſo. 5. De objectionibus cum reſponſis. 6. De vermibus ubique in Microcoſmo. 7. Juſtiſſimi Dei flagellis. 8. De morbis abſtruſis à vermibus ortis. 9. De lue venerea verè verminoſa. 10. De Jobo Verminoſo. 11. De vera rabiei cauſa, ſignis, remediis &c.

Mantiſſa curioſa continens 1. Joh. Caji libell. de canib. Britannicis. 2. D. J. Henric. Meibom. epiſtol. de κυνοφορᾷ.



SPE-

SPECIMINA VII.

# HISTORIÆ LITERARIÆ MEDICÆ

S. R. I. ACAD. NAT. CUR.

*complectentis*

Recensionem & Contenta Librorum à quibusdam Illustr. SOCIETATIS LEOPOLDINÆ Fautoribus & Collegis editorum & porro edendorum

à

MICHAELE BERNARDO VALENTINI, Med. Doct. Pract. Giesseno Sq; R. I. Acad. Nat. Curiosorum Collega d. Thessalo.

ANNO cIↃ IↃC LXXXV.



# PRÆFATIO
*ad*
# LECTOREM.

D*Eliberatum olim fuit inter Eruditos, GRATIOSE LECTOR, annon possibile sit, ut in tantâ Scriptorum prodigalitate omnes aut saltem potiores libri in unum Systema redigantur, aut verò ea, quæ ab aliis vel noviter excogitata vel eximiè dicta sunt speciatim in usum seligantur. Illius telam à Dominis Jurisconsultis jam olim esse cœptam, iis fortè ignotum esse non poterit, quibus pretiosus ille & spissis voluminibus constans* Tractatus Tractatuum *ad manus unquam fuit. Hujus autem vestigia novissimè apud Illustrem Dominum CARTESIUM* Part. 2. Epist. C. p. m. 326. *leguntur, cui hoc quidem consilium haud multùm displicuisse videtur, de possibilitate verò ejus dubitat admodum.* Difficile enim esse de alienis judicare & utilia inde desumere, quin neminem huic negotio parem esse *credit. Cæterùm si revivisceret hodie Vir Nobilissimus, hanc procul dubio sententiam prorsus abdicaret. Quid enim tot hactenus in diversis EUROPÆ locis, ANGLIA, GALLIA, ITALIA &c. instituta Collegia & Eruditorum conventus aliud sibi volunt, quàm ut librorum undique conquisitorum nucleum demptô qs. cortice evolvant, contenta breviter enarrent, suumq́ subinde judicium interponendo alios in molesta lectione sublevarent? Quod saluberrimum & omnium Facultatum scientiis apprimè proficuum institutum nunc & in mediâ nostra GERMANIA quoque viget, cùm aliquot abhinc annis Celebratissima ERUDITORUM LIPSIENSIUM Societas simile quid felicissimè tentaverit,* Actisque *suis nullibi non æstumatissimis universam sibi Doctorum familiam obstrictissimam reddiderit.*

*reddiderit. Certè si compendiosa hæc emergendi via ab initiô usque Mundi calcata fuisset, asserere non vererer, uni fere volumini haud difficulter includi posse omne, quidquid & rarioris & elegantioris literaturæ Orbis unquam vidit. At verò cùm conditio si, nihil ponat in esse, sufficiat nobis Modernorum solertia, quæ hunc Venerandæ Antiquitatis defectum suppletura circulis suis & conventibus non de nostrô saltem seculô optumè mereri, sed & serò secuturæ posteritati Scriptorum suorum compendia in* Diariis *relinquere amant, quæ ut omni meliori modo commendanda sunt, sic Illustrissimæ S. R. I. Nat. Curiosorum Academiæ ulteriorem quoque ansam dedêre, ut & hoc in punctô suum insimul conferre Symbolum nullibi intermissura sit. Quo fine nuperis* pro anno 1684. *evulgatis* monitis *de novô cautum est, ut in Legum Leopoldinarum, Dominorum Collegarum scripta, si breviora in appendicem referantur, sin verò prolixiora & seorsim edenda, eorum tamen in annuis Ephemeridibus, brevis & in Synopsi qs. mentio quoque fieret. Quandoquidem autem hujus rei expeditio missis haud ita pridem à Magnif. Dn. PRÆSIDE literis meæ speciatim tenuitati commendata sit, nunc primum ejus periculum faciendum erat. Collegi hunc in finem nonnulla Societatis Nostræ opuscula, atque eò, quô unumquodvis ad manus primùm venit, ordine recensui, sine omni vel Dignitatis vel Eruditionis præjudicio, quod contra solennissimè protestor. Tu vero, Benignissime DEUS, Pater Fili & Spiritus Sancte, DEUS Ter Optume Ter Maxume, cæptis nostris Gratiosè fave & quàm pro Sacro-Sancti Nominis Tui Gloria, proximiq; sublevamine unicè militare nosti, ACADEMIAM GERMANORUM CURIOSAM sub alarum Tuarum umbrâ Clementissimè protege & conserva! Tuus erit omnis Honos, Decus & Gloria καὶ νῦν καὶ ἐς ἀεὶ εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος!*

JOH.



# JOH. LUDOVICI GANSII, M. D.
# CORALLORUM HISTORIA

*Imp. Francof. Anno 1630.*

QUandoquidem hujus æquè ac ſequentis Libri mentio ſpeciatim fiat in *Legibus Noſtris §. XI.* & pro normâ quadam, ſive regulâ commendetur, operæ pretium eſſe duxi propoſitum inde noſtrum feliciter auſpicari. In fronte autem hujus Tractatus Author Nobiliſſ. antiquiſſimum illud carmen de corallio ponit, quod *Orpheo*, primo Gemmarum Scriptori, tribuitur. Cùm autem Græcô idiomate ſit conſcriptum, aliquot ejus verſiones addit tam ligatæ quàm ſolutæ Latinitatis cum puro Commentario. Abhinc præmiſſa *Etymologia* Coralliorum *ortum* locumque *natalem* conſiderat & cum aliis ejus eſt opinionis, quòd Corallia ſub aquis molliuſcula fere ſint, aêri verò reddita lapidis demum duritiem induant. Coralliorum deinde *differentias* addit partim à colore, partim â figurâ, ubi iconem habet elegantiſſimæ arbuſculæ corallinæ, qualem & inter rariora Beatiſſimi D. D. TACKII olim vidi & Dn. F. HOFFMANNUS apud Cel. ROLFINCIUM. Abſolutâ ſic conſideratione Phyſicâ *uſum* eorum Pharmaceuticum atque medicinalem oſtendit. Illic varia inde præparata aq. ſpirit. liq. magiſt. pulv. ſimpl. & compoſ. Hîc verò vires eorum tam in genere, quàm in ſpecie, omnis generis morbis applicando, tradit; initium faciendo à capitis affectibus, Epilepſia, Apoplexia &c. ubi *pag. 120.* addit inter alia decantatiſſimi hodie *ſpirit. Vitriol. epilept.* deſcriptionem. Ad pectoris verò vitia, Phthiſin, tuſſim &c. maximè commendat *flores ſulphuris corollatos*. Imprimis verò cordiale in-

insigne esse corallium fusè probat; Quin & in infimi ventris affectibus, cùm destillatione opus est, suum quoque symbolon conferunt, ardore v. g. stomachico, singult. Diarrh. Dysent. &c. ubi benè monet, ne quis in dysenteriâ magisterio utatur, nisi purissimè edulcatô, ne augmentum inde capiat morbus. Ex aliorum hypothesi venerem quoque stimulare tradit, idque vel collo vel manibus appensa, unde dubitat (nescio iocô an seriò) an fæminis armillas inde paratas concedere debeamus, cum sine illis rerum harum satis appetentes sint, neque ad Virginum quoque ornamentum adhibenda corallia, sed defloratarum potius indicem esse suadet. Ad arthritidem porrò usum eorum maximè commendat ad imitationem *Alexandri Tralliani*, qui diacorallium per 100 dies continuando & per intervalla repetendo malum hoc percurasse fertur.

Tandem & incantamentis resistere probat corallia nostra, 1. ex authoritate Veterum atque Recentiorum, *Zoroast. Metrodori, Orphei, Alb. Magni, Paracelsi, Libavii* &c. 2. Experientiâ. Novit enim Medicum magni nominis, qui plurimos à veneficis incussos morbos seq. pulv. profligavit:

℞. Corall. rubr.
alb.
dent. hom. demort. aa. ʒj.
Herb. & sem. anthirrin. ʒij. M. F. pulvis

quô suffumigentur partes affectæ, donec cesset malum. Fulmina verò, tempestates, grandinem, sterilitatem agrorum & insecta arcere viatoresque defendere eadem, dictu incredibile & superstitiosum esse credit.

# JOAN. CAROLI ROSENBERGII
# RHODOLOGIA
*Seu*
## Philoſophico-Medica generoſæ roſæ deſcriptio.

*Francofurti Anno 1631.*

AUthor hujus πολυμαθέςατ🙝 nominis fortè amore ductus elegantem hanc roſarum anatomen inſtituens, in *præludio* non ſine ratione increpat eos, qui inſuper habitis domeſticis & vernaculis, medicamenta ſua ex mediâ Barbariâ petere ſolent, cùm vel ex ſolâ rosâ integra Pharmacopœia formari poſſit. Ipſam verò tractationem in 2. partes dividit. In priori *Philologum* agit & varia roſæ encomia, inſignia Principum & Nobilium rosâ decorata, allegorias, ſimilitudines & alia collegit, quibus in fine elegantem B. Domino Parenti filiali pietate conſecratam parentationem jungit. Speciatim autem hac in parte curioſè inquiſivit in originem proverbii omnibus ferè nationibus uſitati, cùm ea, quæ ſub ſilentii fide aliis confiduntur, *ſub rosâ dici* dicuntur, id quod inde fieri credit, quòd Cupido Veneris filius, ut Poëtæ ludunt, Harpocrati, ſilentii Deo, digito labia compeſcenti, roſam donaverit, ne ſecretiora Veneris peccatilla (ut loqui amat) propalentur. In parte ſecunda verò elegantem primò roſæ *hiſtoriam Botanicam* tradit, non quoad ſpecies ſaltem varias & differentias, ſed & cauſas, culturam ejus atque qualitates tam manifeſtas quàm occultas. Abhinc *rhodopharmaca* ſimpl. & compoſita, officinalia, Chymica atque Galenica variæ formæ recenſet, & pro applicatione ſpeciali deinde per *ſingula morborum capita* fusè graſſatur, factô *à febribus* initio, ubi *Veteres* maximæ confuſionis arguit, quòd in tantùm multiplicaverint

febrium

febrium numerum atque nomina, ut & verſatiſſimi ſæpe Practici inde ſe vix extricare poſſint. Major (inquit Nob. Author) eſt inter febres affinitas, quàm quidem Veteres putavére, qui tot ferè febres, quot humorum ſpecies, ſpecierum mixtiones aut febrientes conſtituerunt: Hinc tot curæ variationes, tot remediorum cumuli, cùm tamen vel ſola roſâ perdomari ſæpe poſſint, ſicut id fusè probat. In *Hecticæ* quoque Ætiologiâ à Veteribus diſſentit, quam non tam in humidi radicalis defectu (quod nunquam, etiam in ipſa morte, penitus depaſci poſſe credit) quàm potiùs *ellychnii* mala diſpoſitione quærit. Sicut enim in lucernâ pro flammæ conſervatione non tantùm oleum ſed & ellychnium requiritur, pro cujus conſtitutione firmiori vel debiliori flamma plus minùs durare ſolet, ſicut id in amiantho lapide videre eſt, ita in conſervationem pariter flammæ vitalis rem ſeſe habere putat. Per *ellychnium* autem in Oeconomiâ animali fibras intelligit viſcerum æque ac partium externarum, quæ pro majori vel minori firmitate plus minus attraherent humidum nutritivum: Si verò flaccidæ nimis aut rigidiores ſint, varios inde morbos evenire credit; unde triplex fingit ellychnium, naturale, vitale, & animale. Illud in ſcirrhoſa hepatis ſiccitate corrumpi docet, unde Obſtructiones variæ, hydrops &c. Iſtud in tabeſcentia cordis, unde Hectica.

Hoc autem in nimia cerebri flacciditate, quæ catarrhos, paralyſes &c. producere poteſt. Sicut ergo in Phthiſi pulmonum ellychnium flacceſcat, in calculo renale, in podagra arthriticum, ſic in *Hectica* cordis & artuum fibras nimis exſiccatas, ellychnii attractionem impedire putat à juvantibus, cùm humectantia utramque paginam abſolvunt, v. g. cura lactis emulſ. & externè ol. roſaceum &c. Sed ad alia. *In capitis affectibus* maximè commendat *Rhodopium* ſuum ſeu Opium cùm acet. roſ. impaſtatum & per toſtionem ſimultaneam correctum. In oculorum læſionibus laudat *infuſ. vitr. antimon. cum aqua roſ.* quam inf. croc. met. præfert. *in Pectoris affectibus*,

 Phthiſi

Phthisi sc. &c. *Conservæ rosarum* usum contra alios defendit, ut & *sacch. candum rosaceum* cujus præparationem addit. Sic & *acet. ros.* in lipothymia usum propugnat distinguendo inter vires oppressas & resolutas. Et tandem *infimi ventris & artuum morbis* rosarum usum fusius applicat; quibus in fine quædam *rosarum resuscitationem* concernentia experimenta jungit, de qua ex professo agit B. D. D. TACKIUS in peculiari Tr.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII
Med. D. & PP. Medicique Duc. Sax.

# OPIOLOGIA

Ad mentem Acad. Nat. Cur.

*Jenæ 1674.*

VIr Excellentissimus pro liberandâ fide Societati Nostræ olim datâ, polychrestas opii opes ex reconditis Naturæ æquè ac Artis Medicæ thesauris reclusurus, præmissis, *nominalibus*, in *qualitates* opii primùm inquirit & calidum illud esse pluribus evincit; Pro confirmatione verò ulteriori, *analysin* ejus *Chymicam* instituit, quæ per Retortam copiosissimum oleum cum Salis vol. quantitate non exiguâ fundit, remanentibus in fundo Sale fixo & capite mortuô: *Vim* autem ejus *narcoticam* sulphureæ potissimùm substantiæ ascribendam docet. Ut verò in *agendi modum* penetret, varia primùm remedia somnum inducentia recenset, & exinde certò concludit opii ἐνέργειαν in blandâ quadam ἀναθυμιάσει consistere, qua mediante ipsius cerebri porulos à vigiliis diuturnis dilatatos obstruat, quasi & hâc ratione nimios Spirituum excursus sufflaminet.

Curiosissima speciatim ejus est experientia, qua & purgantia somnum induxisse vidit, idque in puerulis, non tantùm quòd humores evacuando materiam malo subtrahant, sed & quòd Sulph. quoque & Sal vol. turgeant, & infantes copiosô sero scateant, quòd aliàs opiatorum vim mirè quantum auget. Ex propria enim observatione hanc regulam

gulam ponit Author Illuſtris: *Opium non operari, niſi ſerum ſit in ſanguine proportionatum.* Hinc, qui temperamenti ſunt ſeroſi ab opiô facilime ſopiuntur, id quod in moderandâ doſi accuratè obſervandum. Contra verò ubi ſerum eſt exhauſtum, in magna licet quantitate vix operationem exſerent inde parata medicamina, quod in *maniacis* ad oculum apparet, quorum ſanguis V. S. extractus ſero prorſus deſtituitur.

Unde ſi voti tui compos fieri velis, in morbis hujusmodi humectantia prius & alterantia uſurpanda aut opiatis commiſcenda ſunt. Cur vero non omnia pariter Sulphura vi ejusmodi narcotica gaudeant, hanc rationem addit, quòd opii ſulphur præ aliis facile reſolubile ſit, quod ex eo apparet, quòd in omnis generis menſtruis ſolvatur, ſalinis, aquoſis, ſpirituoſis

Quo & elegantiſſimum BORRICHII experimentum facere videtur qui oleoſam opii ſubſtantiam ſub deſtill. in confertiſſimam nebulam abire vidit, quæ reſolutionis ejus facilitatem magis approbare poſſet. Abhinc ad *correctionem opii* abit & *extractionem* per varia menſtrua, ſalina, ſulphurea & aquea, ut, jam ante dictum.

Præfert tamen reliquis ſulphurea atque Spirit. Vini, qui ſulphur ejus & reſinam narcoticam acriùs attingit. Notatu enim dignum eſt, opium per ſpiritum Vini tractatum majori gaudere narcoſi, quàm alia menſtrua, in qua ſententia præter experientiam conſentit denuo Celeb. BORRICHIUS *Diſſ. de ſomno & ſomniferis.* His *medicamenta varia* ex opio parata ſubjungit, in *forma media, ſolida*, atque *liquida. Illic* epicriſin ſuam de laudanis aliorum opiatis addit, Simplicitatem amans. *Iſtic* pulv. & magiſt. anodynum tradit cum cinnab. & extr. opii facilè parabile. *Heic* verò Tincturam opii guttatim diſtribuendam docet, cum ſingulorum doſi atque prætio. Poſtmodum verò *uſum opii* tam *generalem* quàm *ſpecialem* ſubjungit. *Illum* ad ſopiendos do-

lores, vigilias, fluxiones tam serosas quàm sanguineas; Quin & sudorem movere ac subinde purgare docet, sicut in priori casu eleganter consentientem habet Beatiss. Dn. ETTMULLERUM, *de vi opii Diaphoreticâ.* Curiosum quoque est quod Veneri favere & aphrodiasticum esse observarit, cum ambratis nempe propinatum, inde enim pollutionem nocturnam vidit aliquoties. *Usum verò specialem* in omnibus fere morbis per tres corporis regiones fusè ostendit & peculiari quoq; capite *cautelas* in ejus exhibitione observandas addit, ut sc. tempestivè adhibeatur nec semper expectetur usq; dum vires sint collapsæ. Passiva sanè est vulgata Practicorum opinio, opium non nisi in extremô necessitatis casu usurpandum esse, de qua fortè alibi. Prorsus verò non audiendi sunt ii, qui opii nostri usum penitus exterminare volunt, quorum objectionibus satisfecit circa finem Author Celeberrimus & tandem problemate illo concludit: *An opium sit Maslach Turcarum?* quod tamen in ambiguô potius relinquere quàm certi quid determinare maluit.

JOAN. FERDINANDI HERTODT, Ph. & Med. D. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Colleg. Reg. Civ. Brunensis Phys.

## CROCOLOGIA

*seu*

Curiosa Croci Regis Vegetab. Enucleatio &c.

*ad norm. & form. Acad. Nat. Cur. Jenæ A. 1671.*

NObilissimus hujus Author Legibus Illustris Acad. Germ. Curiosæ satisfacturus florem elegit Territorio suo indigenum atque vernaculum *Crocum* puta, cujus (præmissa tamen *Onomatologia*) varias primò *species* evolvit, communis æquè ac insolitas rariores ex BAUHINO, CLUSIO, LOBELIO, TABERNÆMONT. DODONÆO, DURANDO &c. additis elegantissimis *figuris* ex HORTO EYSTETTENSI libro nescio an caritate magis an rarita-

raritate insignis, quem pro collatione ex Bibliotheca Nostra Giessena nuper mutuò tenui.

Abhinc de *natalibus* ejus agit, de *tempore* itidem quo se in florem induit, *cultura*, *electione* atque *viribus*, ubi præter qualitates primas & secundas, ut vulgò audiunt, vim ei tribuit paregoricam & insigniter anodynam. Cordialibus etiam annumerat, ita tamen, uti, si in dosi excedatur, veneni quoque naturam assumere possit, sicut ejus rei non unæ observationes in apricô sunt. Hoc enim peculiare habet, ut in excessivâ quantitate intus sumptus, cachinnos atque risum plus quam Sardonium inferat, cujus vivum Author in Hispania vidit testimonium, dum Aromatarius quidam plurimum croci in ollam carnes jurulentas continentem, injiciens, post illarum esum in tantum est solutus risum, ut parum abfuerit, quin medios inter cachinnos animam efflaverit. Quare ad legitimum pretiosi hujus condimenti *usum* progreditur eumque triplicem, *Medicum*, *Culinarium* & *Mechanicum*, hinc varias ejus præparationes Tinct. Extr. Elix. Mixtiones itidem tam magistrales, quam officinales croco insignitas accensuit. Pro *specialiori* verò *applicatione* deinde ad normam Acad. N. C. plerosque C. H. affectus p. n. à capite ad calcem eleganti ordine recenset, uni cuidam morbi definitioni, singularem semper præfationem præmittendo cum eleganti applicatione, subjunctis deinde tam propriis quàm aliorum *formulis* crocô insignitis, quas inter specialim excellit *Spiritus asthmaticus de gummi ammoniaco*, qui à nonnullis in arcanis habetur, & ob singularem efficaciam mereretur certè, ut in omnes officinas introduceretur. Præparatio ejus hæc est: ℞. Virid. æris ℔ß. gum. ammon. ℔j. distill. inde Spirit. qui ab oleo separatus, rectificetur, impositâ rostro capitelli croci austriaci ℥j. Dos. g. x. ad ℈j. In Mixturis.

Tandem pro coronide addit *quæstiones* aliquot & *problemata* crocum concernentia, quorum 1. est: *An crocus sit na-*

*pelli*

*pelli antidotum?* cujus Aff. confirmat literis B. Domini ETTMULLERI, qui ab Amico ex Polonia habuit, illius Regni Incolas napelli flores quotidie in acetariis assumere, sine omni damno, & hoc quidem ob familiarem croci usum, quo Poloni quoque immensè delectantur, ita ut ad ℥j. sæpe cibis suis admisceant. Quærit *2. an crapulam arceat & an 3. somnum inducat*, utrumque affirmando.

*Quartò* & ultimò, *an fœtum in utero tingere possit?* Affirmativam pariter ex AMATI LUSIT. proprioque experimento demonstrat. Canem enim gravidam aliquamdiu multô crocô pavit; postmodùm verò appropinquante partûs tempore Spectatoribus in Theatro Publico ad oculum ostendit non fœtus solum sed & secundinas croco penitus flavescentes.

Magis verò mirum est, quòd & extus corpori admotus, totam cutis peripheriam inficere possit, sicut id in puerperis videre est, quæ ad expellendum Icterum crocum melli & farinæ mixtum umbilico applicare solent, quatenus omnes puerperas Ictero necessariò corripi debere persuasæ sunt, quem tamen croco potius imputandum esse cum *cap. de Ictero* tum hoc quoque locô demonstravit.

## OPUS MIRIFICUM SEXTÆ DIEI
id est
# HOMO
Physicè, Anatomicè, & Moraliter consideratur
à
JOH. FERDINANDO HERTODT,
Ph. & Med. D. &c.
*Jenæ Anno 1671.*

QUàm in prosâ Alii aut Carminibus prosecuti sunt Corp. Hum. descriptionem, eam in opusculo hôc priori annexo elegantissimis *Inscriptionibus*, seu ut vulgò audiunt, Lapidariis absolvit Author Excellentissimus,

tiſſimus, à ſuprema C. H. regione ad infimam & artus progrediendo, quæ eò acceptiores mihi quidem videntur, quo majori in pretio hodiè id dicendi genus haberi conſuevit.

EHRENFRIDI HAGENDORNII, Med. D. & Pract. Görlic.

## TRACTATUS de CATECHU ſeu TERRA JAPONICA

*ad normam Acad. N. C. Jenæ Anno 1679.*

LIbrum præſentem *V. Sectionibus* abſolvit Doctiſſimus Author (cujus elegantem pariter *Cynosbatologiam* alibi recenſebo.) *Prima Philologica* eſt, atque medicamentum hoc impropriè *terram*, *Japonicam* autem à Patria dici docet, quid verò vox *Catechu* ſibi velit, usquedum in dubiô manet. *In Sectione II. Phyſiologica Ortum* & progreſſum conſiderat & quandoquidem GARZIAS ab HORTO Europæis illam primò detexerit, Recentiorum inventum eſſe probat. Dum verò in *naturam* ejus atque quidditatem inquirit, inſtitutis variis tentaminibus tandem invenit *mixturam eſſe compoſitam* ex ſucco cujusdam arboris cum miſcela pulverum vegetab. oriundam, idque confirmat 1. quòd per *trituram & microſcopium* varia inibi deprehenderit, fruſta lignorum, ſemina, lapillos &c. 2. quòd omnibus ferè *menſtruis* obediat, aquoſis, ſpirituoſis & oleoſis.

Porrò in *patriam* ejus inquirit, *differentias, electionem & temperiem*, quam temperatam eſſe putat ad ſiccitatem tamen modicè vergentem. *Tertia Pharmaciam* expedit, varias ſc. *præparationes* & compoſitiones, quas inter imprimis Tincturam ejus laudat c. quadruplo ſpirit. vini vel alius ſpirit. appropriati paratam atque decenti vehiculo doſiq; ſumptam. In ſubſequenti vero *Sect. IV. Therapeutica* tractat & quoad *vires* ejus *generales*, vim adſtrictivam inibi excellere probat, con-

junctâ tamen qualitate præcipitatoria ob pulveres intermiſtos. Anodynam tamen inſimul eſſe ob ſemen *bangue* cujus intuitu & Venereis accenſetur: Quin & alexipharmacam eſſe contra alios ſuſtinet, cùm auſtera, tantùm non omnia, hâc facultate gaudeant, exemplo, tormentillæ biſtortæ &c. quia M.S. à Sale vol. venenoſo nimis rarefactam in priſtinam conſiſtentiam vindicare ſolent. Maſticatorium quoque eſt & traumaticum egregium tam intus quàm extus adhibita; Quæ omnia poſtea *ſpecialius* oſtendit Author & propriis obſervationibus omnibus C. H. affectibus internis & externis, ubi vi quadam adſtrictiore & anodyna opus erat, explicavit. *Sectio* tandem *quinta mechanica* tradit experimenta Pictoribus & Coſmeticen amantibus haud ingrata futura.

JOHANNIS DOLÆI, Med. D. Conſil. ac Archiat. Haſſo-Caſſ. S. R. I. Curioſ. Collegæ.

## ENCYCLOPÆDIA MEDICINÆ THEORETICO-PRACTICÆ.

*Francof. ad Mænum Anno 1684.*

ELegantiſſimi operis hujus Author in præfatione inſtituti ſui rationem redditurus, quædam veluti fundamenta præmittit & præter animam rationalem in homine aliam reperiri plurimis argumentis adſtruit, ſenſitivam ſc. ſeu brutalem, quam tamen non ſanguinem cum CARTESIO, neque flammulam cum GASSENDO nec etiam ſpiritus ſeu vitales ſeu animales cum WILLISIO eſſe credit, ſed aliud quid à ſpiritibus omninò diverſum, in materiâ magis ſubtili æthereaque conſiſtens. Hinc actiones œconomicas in brutis æquè ac hominibus non à ſolo ſpirituum motu deduci poſſe putat, ſed alium requiri *Microcoſmotorem*, qui veluti Rex quidam iis præſit, cui deinde Vice-Reges in viſceribus principalioribus adjungit, non quòd plures admittat animas ſenſitivas, ſed ſolùm portionem quandam ſubti-

lissimæ materiæ & congeriem quasi Spirituum animalium in visceribus illis intelligit, quæ in præcordiis *Cardimelech* in abdomine vero *Gasteranax* Nobilissimo Viro audire solet. Hisce præmissis omnem ferè Praxin superstruxit & universum morborum catalogum à capite ad calcem hâc fere methodo recenset, ut præmissâ *definitione* tam *nominali* quam *reali* varias variorum *causas* enumeret, tam Veterum quàm Recentiorum, PARACELSI puta, HELMONTII, SYLVII, WILLISII, CARTESII &c. Addita postmodum propriâ decisione & epicrisi. Subjunctis deinde *signis* & *diagnosticis* & *prognosticis curationem* Veterum æquè ac Recentiorum eodem omninò ordine superaddit, & propriis sæpe *Observationibus* magis magisque illustrat. Totum verò opus in VI. libros dispescuit. In 1. Capitis affectus. 2. Pectoris. 3. Abdominis. 4. Febres. 5. morbos Mulierum & tandem 6. affectus Puerorum absolvit, adeò ut inde haurire possis omne, quidquid vel Antiquorum experientia vel Modernorum industria ad curandos feliciter morbos unquam contulit, eoque magis, si *Encyclopædiam* quoque *Chirurgicam* addiderit Vir Excellentissimus, cujus sæpius illîc fidem dedit.



# GEORG. ABRAHAM. MERCKLINI
# EPISTOLA
## ad Inclytos S. R. I. Acad. Nat. Cur. Socios, omnesque alios Cordatos Viros Medicos,

*quâ* [illegible]

## Renovatio Lindenii de Scriptis Medicis intimatur.

QUod olim in more positum fuisse scimus, ut Libros evulgaturi Scriptores, super iis Doctiorum prius expiscarentur judicia, quàm in publicum eos emitterent; id ego quoque facere, apud animum meum conclusi, dum Lindenium de Scriptis Medicis continuatum renovatumque in lucem edere decrevi.

Hunc laborem intra hos tredecim circiter annos, quibus eum surreptitiis à concatenatâ penè Praxi horis, animi relaxandi gratiâ, egi, eò perduxi, ut aliquot Amici, quibus cum familiarior mihi intercedit consuetudo, literis sæpius me admonitum rogarint, ut aliquando Lindenium meum typis non indignum in publicum prodire paterer. Horum petitioni, vel potius jussui renuere, religioni mihi duxi. Parui ergo, jecique alcam, & Opus, necessarios sumptus ultrò promittente Nominatissimo Dn. Joh. Georg. Endtero, Bibliopolâ apud nos celebri, typis commisi.

In hoc, ut ordinis rationem reddam, Lindenii vestigia, quoad primum Librum, pressissimè legi, Scriptoribus juxta Prænominum Alphabeticam seriem ita locatis, ut præmissis Abdiis, Abrahamis, Andreis, Antoniis &c. cæteri Alphabetico ordine subsequantur; id quod plerique malè hactenus interpretati sunt, opinati, Cognomina potiori jure præponenda esse, & Prænomina postponenda: ut, Trevv: *Abdias*. Muntin-

tingius: *Abrahamus*. Libavius: *Andreas*. Deusingius: *Antonius* &c: siquidem pluribus cognomina Authorum, paucioribus autem prænomina eorum nota sint. Equidem fateor, hunc ordinem & mihi præ illo Lindenii placuisse, servare tamen illum non licuisse, eo quòd ingenti labore totum Lindenium describere, & penè invertere, planeque novum Opus ex eo formare fuisset necesse. Unde pristinum retinere ordinem, visum est. Quò autem nihilominus metuendæ inde difficultati succurreretur, peculiaris Index sub finem annexus est, quo Cognomina Auctorum præmittuntur, & Prænomina postponuntur, à me demum simul additis numeris paginarum, quibus ipsa singulorum Authorum Scripta continentur; ut hac ratione inquirentium studium eò reddatur facilius.

Secundus Liber planè novus, totusque alius est ab illo Lindenii. Lindenius enim Libro secundo Syllabum præcipuorum duntaxat Capitum sive generalium Classium & Partitionum Universæ Medicinæ complectitur; nullo Alphabetico, sed tantùm Systematico servato ordine; quo factum, ut, quoniam Medicina aliâ atque aliâ Methodo tradi hodie solet, non nisi difficilimè invenire licuerit, quod quis quæsivit. Nos verò secundo illo Libro comprehendimus Indicem Rerum sive Materiarum, hoc est, omnium Titulorum vel Thematum Medicorum potiorum Loca Communia, eaque Alphabetico ordine ita non sine labore concinnata, ut inquirenti, quicquid desideraverit, velut digito, in multiplicem usum, clarissimè monstretur.

Post hæc nec illud reticendum, Authores incertos & varios, eosque cùm Chymicos, tum Medicos omnes, quos Lindenius ad Literam A. retulit, nos non sine ratione sub finem in Appendicem cum Scriptis rejicere, consultiùs duxisse, sive Alphabetico adeoque novo, sive veteri Lindeniano, sive quo demum alio ordine, (ipsi enim adhuc incerti sumus) collocandos.

Et Libros, quos seriùs vidimus, Mantissæ inclusimus,

 suis

ſuis locis impoſterum inſerendos. Atque hæc de ordine totius Operis.

Reſtant dubia, ex quibus potiſſimùm extricari cupio. Sunt autem hæc ferè, tumultuariè notata. Lindenius in Indice Cognominum habet quendam Auguſtinum Schurffium; ſed talem hujus nominis Authorem ſuo loco ibi reperire non licet, nec mihi videre contigit, utut ſedulò inquiſiverim. Idem dicendum de Andrea Romano. Quæ ergò illa illius Schurffii, hujusq; Romani Latinè edita Scripta? Savanarolæ nunc præmittitur nomen Michaelis, nunc Joh. Michaelis. Anne differentia inter hæc nomina, aut quodnam huic Authori verè debetur? Illi à Cella nova an Andreæ, an Joh. Andr. prænomen eſt? Adam. Lonicerus Latinóne idiomate, & quidem 1673 ut non nemo vult; an vero, ut vero videtur ſimilius, Germ. 1573 Tractatum de Obſtetricatu in publicum emiſit? Legendumne Guiffardus, an Griffhardus; & quidem an cum Prænomine Jacobi, an cum Prænomine Petri? Joh. Baptiſt. Birelli Alchymia nova typis ne exſcripta eſt Francofurt. 1603. an potius Hafniæ 1654? Scribendumne Joh. Baptiſt. Imperialis, an tantùm Joh. Imperialis? Scripta certa & huic, & illi attributa eadem videntur. Janus Chunrad Rhumel. Joannes Chunrad Rhumel & Joannes Pharmundus Rhumel, an & quo modo differant, nondum eſt in liquido. Alii ſcribunt Gerard. Cremonenſis, alii Carmonenſis, Scribunt alii Andr. Revinus, alii Rivinus: Alii Andr. Sganbalus, alii Joh. Andr. Sgambalus. Anton. de Schobbis Novum & univerſum Theatrum Pharmacevtic. Italicè exaratum, an in Latinum verſum, & Heidelbergæ in fol. excuſum, uti quidam Librorum Med. Catalogus aſſeverat, publicè jam proſtat? An Hoboken ſcripſit Errores Vulgi circa Generationem? prout eorum mentio fit in Epiſtola Thom. Bartholin. præfixâ Anatomiæ Hobokeni ſecundinæ Vitulinæ. An quidam Commelinus edidit Obſervationes Svvamerdami circa Stomachum? uti conſtat ex hujus Fabrica Uteri Mul. Quis eſt ille Martinus Wendelinus cum ſuis Axiomat. Medic. qui allegatur à Frid. Deckers Method. Medend.?

dend.? Joh. Andr. Schlegelii Tractatus de Theriaca & Mithridatio, cujus ipsè mentionem facit suâ Dissertat. de Venenis, estne Latinus? Non licuit indagare Joh. Websteri Metallograph. à Borrichio in Sapientia Hermet. citatam. Felicianus Betera allegatur à Gideon. Harvey de Febribus. Quis autem ille Betera? & quæ ejus Scripta edita? Idem Harvey in Præfatione dicti Tractat. aliorum à se editorum Tractatuum mentionem facit, de quorum tamen nullo præter illum de Febribus typis Latinis excuso quicquam rescire hactenus mihi licuit. Ubi excusæ sunt Guilielm. ten Rhyne Observationes Japponicæ? Ubi Starckæi Pyrotechnia? ubi Hug. Platti Hortus Eden? Ubi Kays Catalog. Plantar. Anglic.? ubi D. H. Cause Hortulanus Regius? ubi Guil. Hugo de Plantis Americanis? ubi Roberti Bayfield Exercitationes Anatom.? ubi Guil. Clement. Sententiæ Principum Medic. Porro an unquam publicam vidit lucem J. D. Majoris Aloë? Ejusdemque Consilium de Concipienda Anatome nova? & Historia Anatomiæ Kiloniensis? item Consideratio Ferri Radiantis? item de Vivacitate Patriarcharum? item Considerat. Physiol. occurrent. in Epistol. Burrhi de Cerebro & Ocul.? G. Sebast. Jungius in suo Malo Aureo promittit jam ad umbilicum productam Hæmatologiam, num verò emissa sit, dubito. Dubito etiam, an publicè prostet Simonis Paulli Machina Anatomica: item an interea prodierit Ambrosini Phythologiæ Tom. II. & III. quos pollicetur in ejusdem Præfat. ad Lector. Tom. I. Nec videre hactenus licuit Gualter. Charleton. Dissertat. Epistol. de Animæ Human. Ortu, quam impugnat Deusingius. nec Illmer. Exercitat. Adenograph.

Hæc & similia plura, quæ hîc intacta prætereo, dubia atque errata advertere licuit; ex quibus ut me expediatis, Viri Excellentissimi! præsentibus hisce vehementer rogo, quò Opus emaculatiùs coram oculis Vestris comparere aliquando possit. Quâ re gratissimum facietis cùm universæ Reipubl. Medicæ, tum verò imprimis mihi, non defuturo olim, cujus-

libet

libet mihi præſtitam operam publicè deprædicare, exemplo ipſius Lindenii noſtri, qui Clariſſimorum Celeberrimorumq; illorum Virorum, Doreſmieuxii, Farvacii, Neuratii, Wittii, Patini, Hornii, Offredi, Clauderi, Colbii, Hoevii, humaniſſimum ſtudium, quo tùm Opus adjuvare ac liberaliter locupletare annisi ſunt, digno præconio, meritâque honoris præfatione proſecutus eſt.

Agite ergò, Viri Meritiſſimi! certatim curate, ut ſentiat Orbis promptitudinem Veſtram, Medica ſtudia promovendi, evehendique, certò perſuaſi, me non ignavum meritorum Veſtrorum fore præconem, eoque futurum Vobis obſtrictiorem, quò citiùs, quicquid circa præſens inſtitutum ſubmonendum cenſueritis, ad me tramittere dignabimini, quando typi jam poni cœperunt, & præli curſum cohibere non licet. Valete, Viri Incluti, Fautores & Amici Honoratiſſimi! &, ſi merebor, favere mihi pergite.

Noribergæ
9. Calendar. April.
M. DC. LXXXV.



INDEX

# INDEX
## Ephemeridum S. R. I. Acad. Natur. Curiof.
### *Decur. II. Anni III.*

Arthritidis Remedium. 195

Khato

## N.

## Q.



R. Rabio-

## R.



## S.




# *Errata.*

PAg. 7. lin. 15. leg. cum. 10. l. 14. Idolorum. 14. l. 14. Veslingius. 17. l. 16. semen Zedoariæ dicatur, ibid. (Luc. Schröck, L. F.) 19. l. 28. Sandaraca. 30. l. 16. fossile, 28. viridis. 31. l. 1. colorum, 2. mixta. 32. l. 27. factitiâ, ult. ante: umbras add. ad. 35. l. 24. conflata sit, Sol. 36. l. 28. confutandam 37. l. antepen. D. Georg. Hieron. 39. l. 22. itidem. 43. l. penult. Fig. III. 44. l. 22. figuram. 45. l. 25. inhorrescit. 51. l. 22. intempestivè, l. 25. 204. 57. l. 24. me. 62. l. 21. eas. 65. l. 9. investiebatur. 66. l. 22. exulcerato, 23. exemtas. 68. l. 2. post: hîc add. tamen, 12. abscedente. 80. l. 1. XXV, 14. Androdamantes, 86. l. 9. del. punctum. l. 13. auri. 88. l. 25. sal, 30. pro sulphuris leg. Tartari. 91. l. 29. post: animal add. punctum. 92. l. 11. Magnenum. 101. l. 10. coagulantur, l. antepen. pro atque leg. etiam. 103. l. 25. post lib. 1. add. sect. 2. l. 31. post Casp. add. Theoph. 104. l. 21. post quoque add. in. 105. l. 7. quicquam, 9. Has. 106. l. 14. compressa. 110. l. 11. immutanda. 112. l. 3. periodos. 114. l. 5. probatum. 115. l. 14. pomeridiana, l. 18. fundatam, l. 26. post: numero add. comma. 121. l. 31. limi. 125. l. 3. del. comma post: arteria, 21. progenerarat. 126. l. 2. pars. 129. l. 30. admiscetur. 131. l. 6. naturali. 132. l. 18. agitando. 136. l. 13. venereo. 140. l. 19. ptarmicum. 144. l. 22. Borrichius, 29. Uti. 148. l. 15. deglutitioni. 157. l. 12. del. semicolon. 159. l. 11. adhibetur. 163. l. penult. post: alii ponatur comma. 164. l. 17. Mareschalli, 22. post: corripitur del. comma. 167. l. 4. edit. 168. l. 10. alcalicâ, l. 12. del. punctum. l. penult. post serpentum add. comma. 172. l. 24. excernebantur. 174. l. 15. post: portione add. comma. 184. l. 2. post complexionis add. comma. l. 15. chymiatrica. 191. l. 20. habuerint. 192. l. 13. legi. 194. l. 21. concitare. 195. l. 8. arthritide. 196. l. antepen. arthritidem. 197. l. 4. contingit, post: sanguinem add. massam. 199. l. 2. confusionem. 203. l. 22. post: novi add. comma. 210. l. 14. suppositorium. 229. l. 3. penetrarat, l. 8. lymphatici. 232. l. 12. 13. succussione, l. 20. quod. 235. l. 14. cicutæ aquaticæ, l. 29. aquosæ. 236. l. 7. del. punctum, l. 11. exhibiti, l. 23. pomæria. 240. l. 8. Puerperarum, l. 17. del. &. 242. l. 4. defendebatur, l. 27. debilitatum, l. 29. confertim. 246. l. 25. pro prorsus leg. porosque. 247. l. ult. del. punctum. 250. l. 5. suggillationis, l. penult. del. comma. 251. l. 15. pro illa leg. ita. 252. l. 20. & vix notabile. 253. l. 1. CXXII. 254. l. penult. de membro. 255. l. 22. del. colon, l. 27. dilatatorium. 263. l. 23. tumore hoc. 264. l. 11. sive. 265. l. 2. viro, l. 23. præcipitatum. 269. l. 6. oblatum, l. 26. cantii. 272. l. 27. dilatando. 278. l. 4. immissam. 283. l. 2. subsequente, l. penult. separata. 284. l. 23. illiusve. 285. l. CXLIII. 286. l. 24. sanguini. 290. l. penult. atque. 291. l. 5. CXLVII. 296. l. 8. inunxi, l. 10. porrexi. 297. l. 18. CALCULO. 300. l. 1. & 2. CLIV. l. 27. Apollineæ. 303. l. 20. elatio-

Hhhh re.

re. 309. l. 20. quidam. 315. l. 6. pro cui leg. qui. 340. l. 2. die pituitæ. 355. l. 8. ſuperius. 359. l. 28. folliculo. 366. l. 5. αὐτόχειρον. 371. l. 31. del. etiam. 385. l. 23. deliquii. 394. l. 9. torrefactis. 395. l. 14. Chocoladam. 408. l. antepen. pro nec. leg. &. 415. l. 31. defoſſi. 417. l. 6. ſpiritus. l. 7. cinis. ult. Tutecoryn. 418. l. 6. Tutecoryni. In Dedic. pag. 3. l. 3. ex quibus. In Catalogo eorum qui Obſ. communicarunt p. 2. add. D. Garmanno epitheton. Acad. Cur. in Indice Obſ. p. 9. l. 17. inſignibus.

*Cætera, quæ ob temporis anguſtiam obſervari non potuére, ſi quæ adfuerint errata, benevolus Lector ipſemet emendabit.*



*Sylloge*

Minutiarum

# LEXICI

# LATINO-SINICO-CHARACTERISTICI,

*Observatione sedulâ*

ex

Auctoribus & Lexicis Chinensium

Characteristicis eruta,

inque

*Specimen*

Primi Laboris ulteriùs exantlandi

*Erudito & Curioso Orbi*

exposita

*à*

CHRISTIANO MENTZELIO D. Seren. Elect.

Brandenb. Consil. & Archiatro.

---

*NORIMBERGÆ,*

ANNO M DC LXXXV.

*Ad*

# SYLVULAM LEXICI
## Latino- Sinico- Characteristici,
### compendiosa semita.

OBservationes à Clariss. Dn. Dn. Collegis, Academiæ per Germaniam Naturæ Curiosis, per duodecim jam annos editæ, cùm non solùm Physica & Medica tractent, sed etiam Mathematica & alia curiosa, rara, & notatu digna, me quoque non multùm à tramite recto deflectere, puto, si Chinensium, remotissimorum Asiæ populorum Scripturæ genus, quod per Characteres fit, quantùm per anni ferè spacium Observatione sedulâ ex Autoribus & Lexicis Sinicis Characteristicis excerpere licuit, contractè per quasdam minutias in medium proferam, præsertim cùm juxta Vallam l. 4. Observare idem sit, quod custodire aliquid oculis, animoque in modum speculatoris, ne nos silentiô prætereat. Etsi verò non nesciam, quòd labor hic meus potiùs ad eos spectet, qui orientalium linguarum peritissimi, vel in ipsis Chinæ regionibus vixerunt, huncque thesaurum linguæ nobis Europæis faciliùs & meliùs depromere possint; tamen quia in hunc usque diem linguæ hujus & characterum specimen, quod sciam, nullum fuit editum, vel quòd illi, qui in China vixerunt, rebus seriis fuerint intenti, vel alia forsan latens, quæ per me lateat, subsit causa, jacta à me sit hîc omnium primò in medium alea, quæ licet primâ hac vice numerum valdè minutum ostendat, eô tamen minimè perterritus sic abibo, ut ex eruditis spectatoribus, hujusque rei amatoribus non aliquem ad ludum hunc alliciam, in posterum, si fata sinant, aleæ hujus numeros plures majoresque feliciore jactu ostensurus, cùm in humanis rebus sors variè ludat. Sunt autem laboris hujus primitiæ non alicujus gloriolæ capessendæ, aut doctrinæ causâ, sed tantùm, uti observata, boni publici ergo à me susceptæ, in gratiam eorum, qui orientalium linguarum amatores, etiam hujus linguæ per infinitos ferè characteres expressæ aliqualem cognoscendi aditum sibi parare cupiunt. Et licet hic aditus vel compendiosa semita ad penetralia hujus linguæ nondum ducat, sed per devia quandoque parùm aberret; tamen, cùm principium in re,

præſertim proprio Marte ſubeundâ, ſit grave, ſpes erit, finem in progreſſu, ubi parùm adjumenti acceſſerit, fore feliciorem. Sed ne modum obſervationis proëmio quodam excedam, cùm neminem hîc docere, ſed obſervata fideliter afferre conſtituerim, placet ea per paragraphos aliquot proponere, quæ ſedulò excerpſi ex Autoribus & Lexicis Chinenſium Characteriſticis, in ipſis Chinæ regnis impreſſis, & ad nos transmiſſis, duobus nempe, quorum alterum vocatur çú-choly' (aliis çú guéy) characteriſticè ita : 字 quod ſupra 36000 Characteres continet; alterum verè dicitur, 彙 çú-háy, (aliis háy-pieñ) characteriſticè, ita: 字 quod ſupra 66000 characteres comprehendit. Ex his, & aliis Au 海 ctoribus obſervata ſequentia depromo per certos paragraphos, qui præmittunt generalia quædam circa hanc linguam, & poſtea diſpoſitionem aliquam de ejus characteribus ratione Orthographiæ vel conſtructionis, eorumque ſignificationis ſequenti modo:

## *De Characteribus Chinenſium in genere.*

§. 1. Scripturæ genus Chinenſium non componitur literis tanquam vocabulorum elementis, uti apud Europæos & cæteras gentes; ſed fit per characteres & ſimplices & compoſitos, qui integram vocem vel plures, integrum ſenſum conſtituentes, denotant, ſecundùm varium interpretandi modum.

§. 2. Character Sinicus, quoniam antiquitùs ex veterum Ægyptiorum hieroglyphicis oriundus perhibetur, & non literam nudam, ſed rem voce unicâ vel pluribus eloquendam ſignificat, nec non penicillô pingitur, potiùs ad figuras, picturas & imagines, quàm ad ſcripturam ex literis elementaribus conſtantem, vel ad aliquod ex his ambobus mixtum referendus eſt.

§. 3. Pingitur Character Sinicus penicillô, & imprimitur æri, marmori aut ligno inciſus eorum chartis ſericinis duplicatis, & quidem unico ſaltem chartæ lateri, quoniam charta ſericina ob ſubtilitatem characteres inſcriptos averſæ parti transmittit & conſpiciendos reddit, unde ad evitandam characterum confuſionem folia eorum complicantur, quò characteres,

racteres, alterutri tantùm lateri impreſſi, paginas ex integris foliis exhibeant.

§. 4. Conſpiciuntur autem eorum folia duplicata octo, decem, & pluribus quandoque columnis diſtincta, ex quibus per lineas transverſas cellulæ quadratæ fiunt, figuram quadrilateralem æqualem conſtituentes, in quibus characteres & ſimplices & compoſiti, totum cellulæ ſpacium implentes, exquiſitâ dimenſione pinguntur, unde opus eſt priùs quadrata iſta formare, quàm characteres iis inſcribere.

§. 5. Characteres Sin. pinguntur & leguntur more quidem Orientalium populorum, incipiendo à dextra, & progrediendo ſiniſtram versùs; ita tamen ut quævis columna (quorum prima à dextris incipit) à ſuprema parte rectà deorsùm ad imam usque partem, characteribus ordine in ſuis cellulis locatis, ſcribatur, & ſic conſequenter omnes columnæ, hanc primam ſiniſtrorſum ſubſequentes, eodem modô legantur. Et hoc accidit eis nutu quodam capitis, quemadmodum reliquis gentibus circumſpiciendo capite gyratô, Europæis quidem dextrorſum, Aſiaticis verò ſiniſtrorſum, tanquam naturâ hoſtibus, inter ſe etiam literis, veluti gladiis, dimicantibus. Notandum autem quod Sinenſes aliquando Herbarum aut aliarum rerum nomina, duobus vel pluribus characteribus conſtantia, cùm tituli vicem ſubeunt, non deorſùm ſed transverſim, more Ebræorum aut Arabum ſiniſtrorſum ponant, etſi poſtea explicationes vel deſcriptiones earum rerum more ſolitô deorſum verſus efficiant.

§. 6. In explicandis characteribus Sinenſes ſæpius ſub charactere majore duas columnas ex minoribus characteribus conſtantes ponunt, qui characterem majorem explicant, ubi una columna minor poſt alteram in majore columna prius eſt legenda, quàm ad ſubſequentem columnam majorem itidem ex duabus minoribus conſtantem & eôdem modô legendam aut ſcribendam, aſcendatur. Vide Tabulæ Numerorum Sinenſium columnam primam poſt abſolutam ſylvulam vocum in fine.

§. 7. Character Sinicus in genere quoque eſt vel rectus vel curvatus. Hic pingitur vel exprimitur lineis inflexis vel incurvatis, videlicet: ita: 四 Ille verò conſtat lineis rectis ad angulos rectos pictis: videl. 四, qui character idem eſt, ac prior, & quartum numerum vel quatuor, quater, quartum ſignificat. Deinde character Sinicus etiam eſt vel Rubricarum ſive titulorum majorum alicujus libri, qui characterum omnium

 eſt

eſt maximus: vel eſt textuum, procemiorum, indicum &c. qui mediocris cenſendus & inter ſe quoque ratione magnitudinis differt: vel characteres deniqueſunt Explicatorii, qui ſunt minores, minimi, vel omnium minimi.

### *De Orthographia Characterum, ſive modo conſtruendi eos.*

§. 8. Characteres Sinenſes ſunt vel ſimplices vel compoſiti. Simplices ex elementis mathematicis conſtant, uti puncto & lineâ. Horum ferè ſex reperiuntur, videl. [figures] & [figure] Ubi notandum 1, quòd lineæ quædam rectæ inter ſe differant, ita ut quædam ſint ſubtùs parùm inflexæ, quædam ſimpliciter rectæ, videl. [figures] 2. quòd quædam lineæ videantur ex duabus conſtare, quæ ſaltem pro una linea habentur, videl. [figures] et [figure] pro [figure]

§. 9. Characteres compoſiti ex elementis ſuis ſive ſimplicibus variè componuntur, ita ut in uno charactere quandoque plus quàm viginti lineæ numerentur.

§. 10. Characteres porrò & ſimplices & compoſiti ſunt vel primarii vel ſecundarii. Primarios etiam titulares appellare lubet, quoniam in Lexicis eorum tituli vicem ſubeunt pro evolvendis characteribus: Secundarios etiam Adjunctos vocare placet, quia variè adjunguntur primariis, jam ſupra, nunc infra, aut ad latera: ambo autem unum characterem efformant.

§. 11. Etſi autem characteres titulares in ſua elementa reſolvantur pro evolvendo in Lexico Sinico charactere; tamen ubi Adjunctus ei Character evolvitur, isque invenitur, tunc Adjuncti Characteris elementa ſaltem quæruntur, omiſsô vel non numeratô Primariô vel titulari charactere. Ejusmodi Characteres titulares in Lexico Sinico çú - choly' dantur 240; in Lexico verò çú - hay' habentur ſupra 1000. Characteres titulares juxta numeri ordinem eorumque elementa diſponuntur, ut ita evolvi & inveniri poſſint. Hôc modô Lexicon çú-choly' eſt diſpoſitum: in Lexico verò Hay'-pieñ vel çu-hay' alia adeſt diſpoſitio.

§. 12.

§. 12. Ordo itaque evolvendi characteres in Lexico Sinico çú-choly' consistit in eorum quantitate, incipiendo à simplicioribus & progrediendo per compositiones characterum titulariorum ex lineis pluribus, donec inveniatur. Et hic ordo etiam observandus est in characteribus Adjunctis, qui sub quolibet Charactere titulario per numeros Sinicos exhibentur.

§. 13. Verùm, quia characteres compositi, titulares & Adjuncti ex iisdem numeris constant, adeò ut etiam character primarius, ex paucis tantùm lineis constructus, nihilominùs etiam habeat Adjunctum characterem ex pluribus elementis compositum, solent quoque characteres & primarii & secundarii, qui ambo unam eandemque figuram sive characterem constituunt, in Lexicis Chinensium juxta omnes ipsorum formas æstimari & judicari, sicuti in Lexico çú-guey' sub titulo 畫 apparet.

§. 14. Characteres simplices & compositi quandoque inter se permutantur: ita in simplicibus pro puncto interdum vel linea recta vel transversa ponitur, videl. 亠 丄 二 iidem sunt characteres. Eodem modô sequentes pro iisdem habentur 求 乘 平 求 言 言 斗 斗 汞 汞 户 户 亡 亡 乍 乍 夕 夕 巨 巨 朋 朋 pro 月 dummodo linea pro puncto accipiatur. Verum aliquando character ex tribus aut quatuor lineis constans pro paucioribus sumitur, quod tamen raró fit. videl. 了 & pro una & pro duabús sumitur. Item 矢 pro 大 巨 步 pro tribus præsertim cùm præcedit 匕 厶 内 pro 3. 瓦 pro 5. lineis, proveniens ex 瓦 匠 pro 亞 proveniens ex 臣

§. 15.

§. 15. Aliquando puncta quatuor contrahuntur in unam lineam circumflexam: vid. 匆匆勺 勿匀 Aliquando duæ lineæ in unam coëunt, vid. 區區僉僉开开毋毋寿寿主主 Aliquando resecantur lineæ vid. 冂冖宀宀雨雨

§. 16. Chinenses & alii Orientales populi, v. g. Tartari, Cossaci, Moschi &c. in eorum scriptis abbreviationum sunt studiosi: sic ponitur pro 雀 雀 牛牛

§. 17. pro 匕 aliquando 七匕 pinguntur pro 冫 pro 冰 水禾 pro 卌 pro 四 目回 pro 首首首 & 白白 叟叟

§. 18. ク supra characterem pro una linea sumitur. pro duabus, aliquando pro tribus sumitur. 止 pro tribus, aliquando pro quatuor lineis ponitur. Sic pro iisdem habentur 証証

§. 19. Aliquando character diversâ figurâ pingitur, idque sæpè accidit, juxta positionem in charactere composito, cùm ab initio, aut supra vel infra & in fine aliam atque aliam sortitur figuram, videl. 朋月 火 川 仈 阝 扌 犬 氵水 王玉 八ハ 又又 &c.

§. 20. Ut cellula quadrata charactere ſuo figurâ quadratâ impleatur, ſolent lineæ in medio abbreviari aut contrahi, vel, ubi opus, & ſpacium ſupereſt, ad implendum illud, prolongari in fine ſemper transverſæ lineæ, obliquæ pinguntur. Videl. 禾禾 ᄭ 㠯 止 步 匕匕 孑子 &c.

§. 21. Characteres iidem compoſiti juxta varietatem poſitionum etiam inter ſe variant, & accedente alio charactere aliter etiam collocantur. Videl. 肈 ⿰ 埶 ⿰ 黍 黎 ⿱ ⿱ in fine 食

§. 22. Character aliquando in ipſis columnarum lineis ponitur, ut ſenſus vel ambiguus ſit, vel communis cum characteribus proximæ columnæ. Differunt etiam characteres iidem minores & ad latus columnæ poſiti ab iis qui majores in medio ponuntur vid. 行 亍

## *De partibus reliquis Grammatices.*

§. 23. Quoniam Chinenſes non ſcribunt per literarum elementa, uti eſt mos & Europæis & aliis gentibus, ſed, per characteres ſuos res præſentant, tanquam per imagines, ideoque Characteres eorum non per Grammaticæ partes, v. g. Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Adverbium &c. poſſunt examinari; ſed quandoque unus character plures Grammaticæ partes exhibet, juxta materiam characterum, ſermonibus demonſtrandam, & ſecundum interpretandi varietatem: videl. 讀 xuě, ſignificat, Doctrinam, Doctorem, doctum, doctè, docentem, docere. Sic 言 yeñ denotat, verbum, vocem, loquelam, loqui, inquam &c. quæ omnia ex antecedentibus, & conſequentibus characteribus ſunt haurienda. Unde patet Linguæ hujus difficultas & labor.

§. 24. Superlativa nomina, & intendendi verba per characterem 高 kaò i. e. valdè exprimitur, ſed frequenter per repetitionem characterum bis vel ter, more Gallorum, qui per vocem (tres) ſuperlativum

 red-

reddunt, quod Chinenſes per repetitionem Characterum faciunt. Videl.

明 mîn }
明 mîn } i. e. illuſtriſſimus, clariſſimus &c. tres-illuſtre, Gall:

§. 25. Particulæ tamen, Conjunctionum, Præpoſitionum, &c. per integros characteres exhibentur, videl. 而 ulh, Et, etiam, 於 yú, a, ab. Quandoque tamen etiam illæ ſubintelliguntur tantùm per alios characteres.

## *De distinctionibus periodum per commata, puncta &c.*

§. 26. Ubi ſenſus periodi deſinit, ſolent transgredi, vel omittere unum, duo vel plura cellularum quadrata, eaque vacua relinquere; vel loco commatis aut puncti ponitur ad latus characteris ultimi, in fine circulus parvus. Ubi verò titulus magnus vel parvus incipit, integra columna vacua omittitur, titulusque nunc ſupremam columnæ partem, nunc paullò inferiorem, nunc mediam occupat, prout diſpoſitio diverſa titulorum illud poſtulat.

## *De paginis Sinenſium pro evolvenda librorum materia.*

§. 27. Paginæ, quibus Europæi & alii populi pro evolvendis librorum contentis utuntur, hîc in libris Sinenſium *Claviculæ* poſſunt vocari, quoniam inſtar clavium parvarum libros reſerant pro invenienda eorum materia. Conſiſtunt autem claviculæ in extremitate marginis duplicati folii, ex utraque ejus parte conſpicuæ, ut faciliùs inveniri & characterum materia evolvi poſſit. Conſtant plurimùm tribus characterum generibus, videlicet in ſuprema folii duplicati parte, titulus Libri extat: in medio numerus Tomi vel Sectionis ejus libri: in fine verò extat numerus foliorum Sectionis. In quibusdam libris inſuper quadrata quædam atrô colore tincta in iisdem foliis duplicatis in margine viſuntur, per tot decurias à ſummo ad imum deſcripta, quot folia liber iſte continet, quò memoriæ etiam per has quadratorum atrorum decurias contenta imprimi & ea faciliùs evolvi poſſint.

## *De Significatione Characterum Sinenſium.*

§. 28. Characterum Sinenſium ſignificatio partim ex antecedentibus, ubi de partibus Grammatices, Nomine, Pronomine &c. egimus, patet. Et quoniam Characteres iſti ex varia conſtructione linearum & principiorum Mathematicorum conſtant, naturamque Figurarum & imaginum induunt, ſequitur eos plurimùm continere Figuras Rhetoricas, tropos, ſimilitudines, & metaphoras, adeò quidem, ut, teſtimonio clariſſ. Virorum, qui in iſtis regionibus vixerunt, vel propè eas habitarunt, Sinenſes vix aliquod verbum ſine quadam metaphora proferre valeant. Hinc patet, ſignificationem horum

Chara-

Characterum, quos Reges Sinensium, eorum Philosophi, Mandarini dicti & Regnorum Antistides, longâ seculorum serie, successivè, partim ex ipsorum cerebris, partim superstitionum suarum fontibus adinvenerunt, esse difficillimam. Videatur Nicol. Trigautius l. 1. c. 5. &c.

§. 29. Et cùm quidam statuant unicum aliquando characterem plures, easque diversas significationes habere, possibile est, unicam rem quandoque ipsis per plures characteres præsentari. Illud autem, ni fallor, plurimùm provenire arbitror, ex interpretantium varia scriptura. Ut enim Latialis sermonis, cui eruditi Europæi hodie inhærent, Majestas peramplа est, adeò ut unius rei multa dentur Synonyma, multaque vocabula sive naturâ suâ, sive per similitudinem & tropicè rem unicam exprimant; ita quoque Characterum Sinensium Iconismis talia accidere ratio dictitat, sic ut plura latina verba ad unicum characterem declarandum inveniri possint, præsertim si character non propriè, sed tropicè interpretur: videl. character hic 訕 xán. exponitur per τὸ irridere, calumniare, grandiloqui &c. quæ verba character non propriè sed tropicè & per consequentiam significat, cum 山 xañ significat montem & 言 yeñ, loqui, quasi dicas montes loqui. Grandiloquus enim tanquam montes loquitur & alios contemnere & irridere aut calumniari solet: adeò ut crediderim, Sinenses, uti populi astuti & callidi, suos characteres cæcâ quadam ratione minimè invenisse, neque eosdem, si quæ res nova emergit, hodiè absque ulla, sive rectâ, sive superstitiosa ratione construere.

## *De Pronunciatione Characterum & Sermone Sinensium.*

§. 30. Sinenses Characteres suos simplices & compositos omnes monosyllabicè efferunt, idque elevatione & summissione vocis & cantu quodam. Nam cùm eorum characteres numeris suis constent dimensis & mathematicè in lineas resolvantur, hinc sermo eorum Musicam quandam vocalem numeris suis constantem referre facilè præsumitur. Unde supra voces monosyllabicas per vocales simplices, sive diphthongos prolatas, varii ponuntur accentus, uti apud Græcos inveniuntur, scilicet, gravis, acutus, circumflexus, asper, semicircularis &c. sicuti Autores de iis tradunt.

§. 31. Sed quoniam enunciatio vocis humanæ nullô unquam tempore & loco eadem permansit, & loquelæ hominum infinitè varient, etiam in ipsis

vaſtis Sinenſium regionibus non unicum erit linguæ, Idioma, nec ſemper & ubique conſtans, hinc gravior emergit difficultas circa Sinenſium pronunciationem, quàm eorum characteres cognoſcendos. Unde conſultiùs erit, Europæos non tam ſollicitos eſſe debere circa vanam & difficillimam eorum pronunciationem, quàm characterum ſignificationem. Hanc enim quilibet ſuâ maternâ, aut aliâ, quam addidicit, linguâ exprimere poteſt, more populorum, qui Regnis Chinenſium in Inſulis adjacent, ut ſunt, Japones, Corei, Ceramenſes, Celebes &c.

§. 32. Atque ut obſervatorum meorum finem faciam, ultra limites Obſervationis non tranſiens, atque aliqua in futurum, ſi operæ erit pretium, reſervans, unicum adhuc obſervatum de pronunciatione Sinenſium circa Characteres compoſitos addam, nempe: Sinenſes plurimùm Characterem primum, qui in compoſito occurrit, ſive is fuerit ſupra Characterem, ſive ad latus dextrum omnium primò poſitus, ſaltem linguâ ſuâ eloqui videl.

[illegible] kān 亡 vâm 時 xî 孛 xě 詞 sú 清 cyñ 洪 kūm &c.

Licet id non in omnibus obſervetur. Et ita cum ſequente Indiculo Latino-Sinico-Characteriſtico, unicô Paradigmate, nempe, de Numeris Sinenſium ad morem eorum uſitatum deſcriptis, concludo, in poſterum, ſi DEO placuerit, Indiculum Characteriſtico-Sinico-Latinum ad ritum Sinenſium, & mentem Excellentiſſimi Domini Hiobi Ludolfi, Conſiliarii S. Cæſ. Maj. & Ser. Elect. Palatini, viri in Sinenſium Characterum rerumque Orientalium cognitione curioſiſſimè & profundè docti, nec non alium, nempe Sinico-Characteriſtico-Latinum editurus, cujus ope Librorum Sinenſium argumenta cognoſci, atque dijudicari poterunt.

Nota: *Pronunciationem vocabulorum Sinicorum Luſitanorum more fieri debere ex. gr. X. per Sch. Ch. per tſch. & ita porrò.*



A ab

| | | |
|---|---|---|
| *A, ab, absque* — — — | yú | 於 |
| Abyſſus, v. profundus | | |
| *Abluere* — — — | tŭ | 滌 |
| *Abolere* — — — | fă | 撥 |
| *Abſcondere* — — — | yŭ | 隱 |
| *Abſolvere* — — — | sò | 索 |
| *Accerſere* — — — | yaò | 邀 |
| *Actio, agere* — — | yum̃ | 用 |
| *Ad, in* — — — — | y' | 以 |
| Adeptus, adipiſcor, v. conſequi | | |
| *Adjuvare* — — — | çú | 資 |
| *Adjutorium* — — — | pí | 庇 |
| *Admonere* — — — | Haó | 告 |
| *Adorare* — — — | ſén | 尊 |

Ad æ

| | | |
|---|---|---|
| *Adunare, diſponere* — | cy'm | 清 |
| *Ægrotare* — — — | pím | 病 |
| *Æqualis* — — — | kieñ | 均 |
| Æquus, v. rectus | | |
| *Affectus, paſſio* — — | cym̃ | 情 |
| Afferte, v. portare | | |
| *Afflictus* — — — | muén | 悶 |
| *Albus* — — — — | pĕ | 白 |
| Algeo, v. frigeo | | |
| Alere, v. nutrire | | |
| *Aliquis*, v. quidam | hoĕ | 或 |
| Aliquando, v. interdum | | |
| Aliquoties, v. tunc | | |
| *Alius pro (unus)* — — | tem̃ | 等 |
| | yĕ | 一 |
| *Altare* — — — | ta'm | 壇 |
| Alter, v. ſecundus | | |
| *Altus* — — — — | kiĕ | 極 |
| *Amor* — — — — | ngeñ | 恩 |
| *Amplus* — — — — | quò | 闊 |

*Annuncio* — — — kaò 告

*Annus* — — — niên 年

*Ante, præpos.* — — cyên 前

*Anser* — — — — yă 鴨

*Antea* — — — gêm 仍

*Antiquus* — — — yuên 元

*Aperire* — — — kaȳ 開

*Appellere* — — — yuĕ 曰

*Appendere* — — hiuên 懸

*Appetituum, fluctuatio* — tâm 蕩

*Aqua* — — — — xuỳ 水

*Arbor* — — — — lîm 林



*Arcus & arma* — — cum̃ 弓

*Arctus* — — — — pĕ 迫

*Armiger* — — — giûn 戎

*Artifex* — — — ſcyúm 匠

*Aſcendo* — — — xim 舉

atque, v. &

*Attingere* — — — kŏ. 攀

*Aula* — — — — tám 場

*Aura* — — — — fum̃ 風

*Auris* — — — — lh̃ 耳

*Auſter* — — — nân 南

*Autumnus* — — — cyeñ 秋

*Auxiliari* — — — çú 資

*Babti-*

B C

| | | |
|---|---|---|
| *Babtismus* | yŏ xuy' | 浴水 |
| *Barba* | sîn | 鬚 |
| *Barbarus* | mâm | 蠻 |
| *Beatus* | fŏ | 復 |
| *Beneficium* | sù | 賜 |
| *Beneficentia* | tay' | 貸 |
| Bini, v. secundus | | |
| Bona, v. opes | | |
| *Bonitas* | xén | 善 |
| *Bonus* | leâm | 良 |
| Boreas, v. Septentrio. | | |

C.

| | | |
|---|---|---|
| *Cælum* | t'ieñ | 天 |
| *Cæruleus* | cym̃ | 青 |
| *Calamitas* | kú | 苦 |

Ca

| | | |
|---|---|---|
| *Caput* | xeū | 首 |
| *Carere* | uû | 无 |
| *Causari* | y' | 以 |
| *Centum* | pĕ | 百 |
| *Charitas* | gîn | 仁 |
| *Character simplex* | çú | 子 |
| — *Compositus* | çú | 字 |
| *Cibare* | fàm | 飯 |
| *Circuitus* | yún | 運 |
| *Civitas* | fù | 府 |
| *Clam* | cheú | 鈿 |
| *Clarus* | kìm | 景 |
| *Claudere* | muēn | 閔 |

*Clemen-*

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Clementia* | çú | 慈 | *Conquirere* | fă | 伐 |
| *Coacervare* | ſyú | 聚 | *Conſequi* | tĕ | 得 |
| *Cœpiſſe* | çŏ | 祚 | *Conſpicuum reddere* | hûm | 宏 |
| *Cogitare* | liú | 慮 | *Conſtellatio* | sŏ | 宿 |
| *Cogere* | kiám | 強 | *Conſtituere* | liĕ | 立 |
| *Color* | sĕ | 色 | *Conſuetudo* | sŏ | 俗 |
| *Columna* | çeú | 暫 | *Conſumere* | pú | 畢 |
| *Commovere* | kú | 鼓 | *Contemplari* | uañ | 望 |
| *Comparare ſibi commodum* | cy̆ | 齊 | *Converſari* | hîn | 行 |
| *Componere* | ſieñ | 修 | *Convivium* | chuèn | 餞 |
| *Conferre* | xí | 式 | *Convenire* | y'm | 雁 |
| *Congregare* | hŏ | 合 | *Convocare* | cyĕ | 集 |

Co

*Cor* — — — — ſīn ſȳn 心

*Cornu* — — — — kiŏ 角

Creare, v. conſtituere
*Creator* — — — hoâ 化

*Creber* — — — — miĕ 密

*Creditum, fides* — — t'ŏ 信

*Crux* — — — — xĕ 十字

Cum præp. v. A, ab
*Cumulare* — — — hieú 休

*Cùm* — — — — yú 乎

*Curare ægros* — — leáo 療

*Currus, curſus* — — kiā 駕

*Caſtos* — — — — chín 鎮

D

*Debere* — — — nêm 能

*Decem* — — — — xĕ 十

*Decipere* — — — kiáo 矯

*Decurrere* — — — chî 馳

*Deferre* — — — ſúm 送

Denuo, v. iterum
*Dens* — — — — yă 牙

*Deſcendere* — — lîm lây 臨

*Deſcriptio* — — — tú 圖

*De ſe ipſo* — — — puên 本

*Deſiderare* — — — haó 好

*Deſtruere* — — — pŏ 破

*Diabolus* — — — mŏ 魔

*Diadema ferre* — — quoñ 冠

*Dicere* — — — — yeñ yuě 言

*Dies* — — — — gě 日

*Difficile* — — — nân 難

*Dilatare* — — — lieû 流

*Diligens* — — — kèm kim 更

*Directio* — — — cheú 占

*Discipulus* — — — suì 緒

*Dispersus* — — — yûm 融

*Disponere* — — — cy'm 清

*Disrumpere* — — cyuě 絕

*Distribuere* — — — xí 施

*Diu* — — — — kieú 久

*Divitiæ* — — — hǒ 貨

*Divulgare* — — yám 揚

*Donare, dare* — — sú 賜

*Doctrina* — — — xuě 說

*Dolus* — — — — vám 妄

*Domus* — — — — lâm 廊

*Dominus* — — — chù 主

*Dormire* — — — ngó 臥

*Draco* — — — — lûn 龍

*Duo* — — — — lh 二

*Ecclesia*

*Ecclesia* — — — kĭ 寺
E', v. ex
*Edictum* — — — lím 令
*Effigies* — — — ſyĕ 傌
*Ego, nos* — — — ngò 我
Egredi, v. prodire
*Elargiri* — — — pí 技
*Eleemoſina* — — — xí 施
*Elevare* — — — liĕ 立
*Eliminare* — — — ſaò 掃
Emanare, v. prodire
*Erogare* — — — — y' 遣
Erigere, v. elevare
Eſſe, ſum, v. habere
*Et* — — — — — lhˆ 而
*Etiamſi* — — — ſuȳ 雖
*Ex, e*, (eſt & nota genitivi) chī 之
chūm 中

*Exæquare* — — — chĕ 尺
*Examinare* — — — ngán 案
*Excelſus* — — — miáo 妙
*Excellens* — — — yuên 玄
*Exemplum* — — — cyĕ 迹
*Exercere* — — — ſyueñ 修
*Exercitus* — — — kiún 軍
*Exornare* — — — hoâ 華
*Externus* — — — kieñ 間
*Extra* — — — — uáy 外
*Extinguere* — — miĕ 滅
*Extinctus* — — — uâm 亡
*Exundare* — — {poey' 沛 / sĕ 澤}

Fa | Fl, G

*Facere* — — — — çáo 造

*Facinus, factum* — — sĕ 也

*Famelicus* — — hiañ 餞

*Familia* — — — kiā 家

Fatum, v. necessitas,

*Felix* — — — hieū 休

*Felicitas* — — fŏ, fó 富

*Festum* — — — kiñ 慶

*Fides* — — — fyñ 信

*Filum* — — — guéy 維

*Finis* — — — 完

*Finire* — — — mŏ 末

Fio, v. facio

*Floridus* — — — hoā 花

*Florere* — — — chañ 昌

*Fœmina* — — — nyù 女

*Fortitudo* — — — kú 固

*Fovere* — — — hió 畜

*Frigere* — — — hâm 寒

*Frontispicium* — — ngĕ 頞

*Frustraneus* — — guey 為

*Fulgere* — — — y'm 映

*Furere* — — — — foĕ 沸

G.

*Gaudere* — — — miñ 使

Gehenna, v. igneus locus

*Gemma*

*Gemma lucida* — — paó 寶

*Generatio* — — — táy 代

*Gestire* — — — láy 賴

*Gloria* — — — fó 福

*Gradus* — — — kiaȳ 偕

Gradiloquium, v. irrisio

*Gratiâ, causâ, ergò* — — t'â 圖

*Gratiæ, arum* — — paò 報

*Gratitudo* — — — hoéy 恵

*Gubernare* — — — lì 理

## H.

*Habere*, v. sum — — yeù 有

Habitaculum, v. Domus

*Hic, hæc, hoc, jam* — — kín 今

*Hîc* — — — — sû 斯

*Homo* — — — — gîn 人

*Homo magnus* — — cyeñ 仙

*Honorare* — — — çún 尊

*Humilis* — — — pí 敝

*Hyems* — — — tañg 冬

## I.

*Jam, modo, hic* — — kiñ 今

*Idem* — — — — gēn 然

*Ideò* — — — — sò 所

*Ignis* — — — — hǒ 火

Ignoscere, v. veniam dare

*Ille, iste, suus* — — — kî 其

*Illuminare* — — chaô 昭

I

*Illuſtris* — — — mîn 明

*Imago* — — — ſyán 像

*Imitari* — — — cyén 纉

*Immortalis* — — — uám 望

*Imperator* — — — ty' 帝

*Impetus* (furentium) — foĕ 沸

*Implere* — — — múon 滿

*In* (v. A, ab) — — hîn 行

Inanis, v. vacans

*Incendere* — — yám 鍚

*Inchoare* — — — çō 初

Incipere, v. cœpiſſe

*Inclinare* (ruinam minari) kim̃ 傾

*Incrementum* v. lucrum — lí 利

Indagare, v. inquirere

I

*Inferior, infera, infra* — hiá 下

*Infinitus* — — { uú 無 / pień 邊 }

*Infortunium* — — çây 災

*Ingredi* — — — pién 開

*Initio* — — — — chĭ 始

*Inquio* — — — — yuĕ 曰

*Inquirere* — — cyâm 詳

*Inſervire* — — — kieú 事

*Inſtar* — — — chueñ 舟

*Inſtituere* — — — pi 牧

*Integer* — — — hoên 渾

*Intellectus* — — — chĕ 識

In-

I

*Intelligens*, ſpiritualis — lîm 靈

*Intentus* — — — chī 肯

*Interdum* — — — hoĕ 或

*Intra* — — — — nuy' 內

*Interiùs* — — — pĕ 白

*Inventio doloſa* — — ym 營

Ipſe, v. ille, Ipſe idem, v. idem.

*Irridere, grandiloqui* — xán 訕

*Irrigare* — — — cyaō 激

Is, v. ille

*Ita, ſic, talis* — — gên 然

*Iter* — — — — lú 路

*Iterum, rurſus* — — fŏ 復

Jubere, v. mandare.

*Juſtitia originalis (bona pax)* leám 良 hŏ 和

L

*Laborare* — — — mam̃ 茫

*Labor* — — — — kiū 㧕

*Lætitia* — — — lŏ 樂

*Lapis* — — — — xĕ 石

*Lapis memoriæ* (monumentum) poeȳ 碑

Lapis pretioſus, v. Gemma.

*Largus* — — — quām 廣

*Largiri* — — — xí 施

*Lavacrum, Babtiſmus* — yŏ 浴 xuȳ 水

*Lavare* — — — uón 綄

*Laudis oratio* — — çán 讚

Legitimus, v. ordinarius.

*Levis* — — — — hî 希

*Lex* — — — — fă 法

*Liber*

L

*Liber* — — — — xū 書

*Licet, quamvis* — — ſuȳ 雖

*Lignum* — — — mŏ 木

*Litera*, character ſimplex çú
*Litera*, character compoſitus çu 字

*Locus* — — — kím 境

*Longinquè* — — yuên 遠

*Loqui*, v. dicere, appellare xuĕ 說

*Lucidus*, v. illuſtris — hoéy 輝

*Lucrum* — — — lí 利

*Lumen*, v. claritas — hoéy 耀

*Luna* — — — — yuĕ 月

M

*Magis* — — — kím 更

*Magiſtratus* — — sū 司

*Magnificare* — — cuñ 弘

*Magnificus, magnus* — kiú 區

*Majeſtas* — — — guéy 威

*Majores* — — — cyên 纘

*Malitia* — — — fi 非

*Mandare* — — — lim 令

*Mandatum* — — min 命

*Manſio* — — — cuñ 宮

*Manus propria* — — hieñ 巖

*Mare* — — — háy 海

Maximus, v. magnus.
*Medius* — — — chuñ 中

Mederi, medicus, v. curare ægros.

*Memi-*

*Meminisse, memoria* — poeӯ 甲

Miles, v. armiger.

*Minium* — — tañ 丹

*Minimùm* — — liŏ 偹

Misericordia, v. clementia.

*Mittere* — — çum̃ 揔

*Modò, jam, hic* — kin 今

*Modus* — — chím 政

*Mons* — — xañ 山

*Monstrare* — — chí 指

Monumentum, v. lapis memoriæ.

*Mori* — — sù 死

*Mortalis, homo* — chîm 惑

*Mortuus* — — çân 殘

*Mos, actio* — — yúm 用

*Mulier* — — nyù 女

*Multus* — — chún 重

*Mundus* — — fam̃ 方

*Mutare* — — y' 易

*Mutus* — — yà 啞

N.

*Natalitia* — — tám 誕

*Natura* — — çym̃ 性

*Navis* — — hâm 航

Ne, v. nunquam.

*Necessarius* — — siaò 宵

*Necessitas statuta* — — yaó 要

*Negotium* — — sú 事

*Nempe* — — cyĕ 且

*Niger, cæruleus* — çym̃ 青

*Nihil* — — hoá 化

*Nisi* — — pú 不

*Nobilis* — — kuèy 貴

*Nomen* — — mîm 名

*Non* — — uû 無

Norma, v. lex.

*Nosse* — — nêm 能

Nos, noster, v. ego.

*Novem* — — kieú 九

*Novus* — — sȳn 新

*Nox* — — yĕ 夜

*Nubes* — — yûn 雲

Nullus, v. nisi

Nusquam, v. nisi

*Nuncupare* — — yuĕ 曰

Nunquam, v. nisi.

*Nutrire* — — sun̄ 存

O.

Obèdio, v. obsequor.

*Oblivio* — — uâm 忘

*Obscurus* — — ngān 暗

*Obsequi* — — giŏ 若

*Obvius* — — ŷm 迎

*Occidens* — — çȳ 西

*Occultus* — — mîn 冥

*Octo, octavus* — — pá 八

*Oculus* — — mŏ 目

O

*Odium* — — kiĕ 嫌

*Odor* — — hiam̃ 香

*Offerre* — — cum̃ 貢

*Omnipotens* — kiuen 權

*Omnis* — — chum̃ 衆

Operari, v. laborare, opus &c.

*Operire, tegere* — cyĕ 戢

*Operâ, auxiliô* — yĕ 業

Opes, v. beneficium.

*Opus* — — chîm̃ 成

*Oratio*, v. Sermo — kim̃ 經

*Orare* — — chŏ 祝

*Ordinarius, legitimus* — chân 常

*Ordinare* — — chi 置

O P

*Ordo* — — kieû 結

*Oriens* — — tum̃ 東

*Origo*, principium — yuén 元

*Ornatus* — — uên 文

*Os, oris* — — kèn 口

*Otiosus* — — hiên 閒

P.

*Pacificus* — — kim̃ 康

*Pacificare, unire* — hŏ 合

*Palatium* — — cum̃ 宮

*Parens, pater* — — çún 宗

P

*Paries* — — piĕ 壁

*Parĕre* — — tán 誕

Pars, v. ſectio

*Parvus* — — ſiaò 小

*Paſcere* — — fàm 飯

Pater, v. parens

*Pax* — — hŏ 和

*Pauper* — — kím 窮

*Pellere* — — yú 舒

*Penetralia* — — guêy 闈

*Penetrare* — — túm 通

*Per, ad* — — y 以

*Perdere* — — mî 迷

*Perfectus*, v. opus — teiuên 全

P

*Perficere, agere* — cyñ 盡

*Periculum* — — hién 險

*Permanere* — — xĭ 是

Perſcrutare, v. inquirere

Perſona, v. ego

*Perſonaliter* — — cyñ 親

*Pervenire* — — chĭ 至

Petere, v. orare

*Petra, lapis* — — xĕ 石

*Pius* — — gîn 仁

Pictura, v. ſcriptura

*Pingere* — — ſyĕ 寫

*Plenus* — — y̆m 盈

*Plebs, vir vulgaris* — sû 士

*Pluvia* — — y̆n 雨

*Polus*, v. altus — — kiĕ 極

*Popu-*

P

*Populus* — — sem 生
*Porta* — — mûen 門
*Portare* — — yueñ 遠
*Possum, scio* — — nêm 能
*Posteaquam, postquam* nay 乃
*Posterior, inferior* — heñ 下
Potens, robur, v. possum
Præ, v. ante
*Præcipere*, v. mandare — lím 令
*Præstare* — — taò 儔
*Præterquam* — — fi 非
Precari, v. orare
*Primus, unus* — — yĕ 一
*Principium* — — yuên 元
Prior, v. superior
*Pro, ad* — — y 以
Prodĕre, v. profundere
Prodesse, v. proficuus

P

*Prodire, excrescere* — chŏ 出
*Producere* — — sem 生
Proficisci, v. iter dirigere
*Proficuus* — — cy 齊
*Profundus* — — chín 涂
*Profunditas abyssi* — yuên 玄
*Profundere, emittere* — kiĕ 汲
*Prologus* — — siú 序
*Promanare* — — kí 洎
*Promulgare* — — lieû 流
*Prophetia* — — xuĕ 說
*Proponere* — xĕ 設
*Propter, causâ* — guéy 為
*Prosequi* — — çûn 從

*Prudentia* — — chĭ 智

Publicare, v. promulgare

*Pulcher* — — múy 美

*Pulſare* — — kiĕ 擊

*Purificare* — — kiĕ 潔

*Purus* — — cím 净

Q.

*Quamvis, licet* — ſuȳ 雖

*Quartus, quatuor* — ſú 四

Quemadmodum, v. inſtar

*Quoniam, quis* — chĕ 者

*Quidam* — — hoĕ 或

*Quies* — — çyĕ 寂

*Quietùm facere* — ngēn 安

*Quilibet* — — muy 每

*Quinque* — — û 五

Quis, qui, v. quia, quoniam

*Quotidie* — — gĕ 日

Quoque, v. &

R.

*Radix* — — keñ 根

Radicalis, v. parens

*Ratio, cauſa* — — lì 理

*Rebellare* — — chîm 鏖

*Recedere* — — xím 昇

Reconditus, v. excellens

Recordatio, v. memoria

*Rectus, æquus* — chím 正

*Redire* — — lây 來

*Reditus*

R

*Reditus* — — lŏ 禄

Referre, v. dicere

*Regia, aula* — — kiñ 京

Regius, v. cœleſtis

*Regnum* — — kuĕ 國

*Regula, lex* — — fă 法

*Remanere* — — leû 留

Reminiſci, v. memoria

*Renovare* — — ſyñ 新

Replere, v. implere

*Reponere* — — cyañ 搶

*Repræſentare* — — kién 覷

Reprimere, v. ſiſtere

*Res* — — uĕ 物

*Reſarcire* — — nieñ 細

*Reſerare* — — chañ 張

Reſiſtere, v. ſiſtere

Reſpicere, v. contemplari

*Reſplendere* — — çañ 粲

R S

*Reſpondere* — — yñ 應

*Respublica* — — cûm 公

*Rete* — — lŏ 羅

*Reſuſcitare* — — çû 蘇

*Reverenter* — — cúm 供

*Revereor* — — çún 尊

*Revolvere* — — chuén 轉

*Rex, Dominus* — chù 主

*Robur* — — uû 武

Rogare, v. orare

Rurſum, v. iterum

S.

*Sacerdos* — — ceñ 僧

Sacri-

S

*Sacrificium* - - sú 祀

*Sacrificare* - - lì 禮

*Saluti, auxilio esse* - kiéu 救

*Sanctus* - - - xím 聖

Sapiens, v. illustris

*Satellitium* - - çâm 臧

Satiare, saturare, v. pascere

*Sceptrum* - - chám 仗

Scilicet, v. nempe

Scientia, v. intellectus

Scio, v. possum

*Scriptura* - - xū 書

Scrutari, v. inquirere

*Sculpere* - - kĕ 刻

*Secretum, abscondo* - yù 隱

*Secta* - - chūm 種

*Sectio libri, tomus* - - pú 部

*Seculum* - - táy 代

*Secundus* - - lh' 二

S

*Sed, postquam* — nay' 乃

*Semper, virtus* — châm 常

*Sepelire* — — çàm 葬

*Septem* — — cyĕ 七

*Septentrio* — — pĕ 北.

*Sequi, v. prosequi* — hîm 行

*Serenus, v. illustris* — chē 淸

*Sericum* — — kiuên 絹

*Sermo* — — sû 詞

Servitus, v. negotium

*Sex* — — — lŏ 六

*Sic, ita* — -- gên 然

*Sicuti, v. instar* - - giû 如

Sidus, v. constellatio

*Significare* - - syueñ 宣

Signum, v. character

Similis, v. talis

*Simplex*

| | | |
|---|---|---|
| *Simplex* — — — | cyñ | 精 |
| *Simul* — — — — | tûm | 同 |
| *Sinè* — — — — | vàm | 亡 |
| *Siſtere, reprimere* — — | chì | 止 |
| *Sive* — — — — | hoĕ | 或 |
| *Sol* — — — — — | gĕ | 月 |
| *Solidare* — — — — | yaò | 拺 |
| *Solus, tantùm* — — | guéy | 惟 |
| *Speculum* — — — | kím | 鏡 |
| *Spiritus* — — — | fuñ | 風 |
| Spiritualis, v. rationalis | | |
| *Splendor* — — — | hoéy | 輝 |
| *Statuere* — — — | kĭ | 起 |
| *Stella* — — — — | ſy'm | 星 |
| Stipendium, v. ſuſtentaculum | | |
| Studioſus, v. diligens — | yeû | 猷 |
| *Stupor* — — — — | yá | 訝 |
| *Subjicere* — — — | fō | 伏 |
| *Subire* — — — — | teñ | 登 |
| *Subſcribere* — — — | yū | 書 |
| *Subſtantia* — — — | xiñ | 身 |
| *Subſtituere* — — — | yeû | 幽 |
| *Suburbanus* — — — | kiaó | 郊 |
| *Succurrere* — — — | c'y | 齊 |
| *Suiipſius* — — — | puên | 本 |
| *Sum, eſſe, habeo* — — | ngō | 在 |

*Summus, supremus* - - tá 大

*Superior* - - - kaò 高

*Superficies* - - feú 浮

*Suscitare* - - kién 建

*Sustentaculum* - - syueñ [illegible]

*Suus, ille, is* - - kî 其

T.

*Tabula* - - - pàn 牓

*Talis* - - - kò 可

Tanquam, v. instar

Tantùm, v. solus

*Tela, textura* - - piě 疋

*Templum* - - xí 寺

*Tempus* - - cyñ 清

*Tenebræ* - - cy'm 晶

Tentatio, v. calamitas

*Ter, tres, tertius* - sañ 三

*Terminus* - - kiáy 界

*Terra* - - - hě 土

--- fañ 方

*Texēre* - - chē 織

*Timor* - - - chiú [illegible]

*Titulus* - - fuñ 封

Tomus, v. sectio

*Totaliter* - - yú [illegible]

syě 悉

*Traducere* - - fám 翻

it. transferre,

Tres, Trinitas, v. ter

*Truncus* - - cañ 干

*Tu, tuus, vos* - - ùl 爾

*Turba* - - lúm 乱

*Tunc, aliquoties* - xî 時

*Vacuus*

| | | |
|---|---|---|
| *Vacuus* - - | chim̃ | 空 |
| *Valdè* - - - | kaò | 高 |
| *Vasallus* - - | chîn | 臣 |
| *Ubilibet, ubique* - | kŏ | 各 |
| *Vel, v. sive* - - | hoĕ | 或 |
| Veluti, v. instar | | |
| *Venenum* - - | tŏ | 毒 |
| *Venerari* - - - | çún | 崇 |
| *Veniam dare, ignoscere* | xŏ | 恕 |
| *Venire* - - - - | lây | 來 |
| Ventus, v. Spiritus | | |
| *Ver* - - - | chim̃ | 春 |
| *Verbum, v. loqui* - - | yeñ | 言 |
| *Verecundia* - - | quey | 愧 |
| *Verificare* - - | chum̃ | 證 |
| *Verus* - - | chiñ | 真 |
| Vester, v. Tu | | |
| Vestibulum, v. frontispicium | | |
| *Vestigium* - - | chĕ | 轍 |
| *Vestire* - - - | ȳ | 衣 |
| Vices aliquot, v. tunc | | |
| *Vicinus* - - - | chì | 咫 |
| *Videri* - - | kieñ | 見 |
| *Viginti* - - | lh' xĕ | 二十 |
| *Vincere* - - | ty'm | 尋 |
| *Vir, plebs* - - | sú | 士 |
| *Virgo* - - - | xĕ | 室 |
| *Vires* - - - | choám | 壯 |
| *Virtus* - - - | tĕ | 德 |

V U

*Vita* -- -- - ſeñ 生

*Umbra* -- -- ỹm 影

*Unà, ſimul* -- -- cūm 共

*Unguis* -- -- chaō 爪
Unicè, v. ſolùm
*Univerſus* -- -- kuñ 洪

*Unus, primus* -- -- yĕ 一

*Unire, unitas* - -- hŏ 合

*Vociferare, cantare* -- yñ 音

*Vocare* -- -- chúm 稱
Voluntas, v. intentum
Vos, v. tu
Uſus, v. actio
*Ut, ad* -- -- -- y̆ 以

*Utilis* -- -- - lí 利

*Utor* -- -- -- yuñ 用
*Vulgaris*, v. inferior 下
Vulgus, v. plebs, vir.

*Tabula, exhibens numeros Sinicos, Characteribus eorum, cum pronunciatione Sinica & numeris Europaeorum expressos.*

**Col. 1.**

1 一 yĕ

一音乙說文曰惟初太始道立於一造分天地化成萬物道德經云昔之得一者天得一以清地得一以寧神得一以靈谷得一

**Col. 2.**

- 2 二 lh
- 3 三 san
- 4 四 sū
- 5 五 ù
- 6 六 lŏ
- 7 七 cyĕ
- 8 八 pă
- 9 九 kéu
- 10 十 xĕ
- 11 十一 xe ye
- 12 十二 xe lh
- 13 十三 xe san
- 14 十四 xe su

**Col. 3.**

- 15 十五 xĕ ù
- 16 十六 xe lŏ
- 17 十七 xe cye
- 18 十八 xĕ pa
- 19 十九 xĕ kieu
- 20 二十 lh xĕ
- 21 二十一 lh xe ye
- 22 二十二 lh xe lh
- 23 二十三 lh xe san
- 24 二十四 lh xe su
- 25 二十五 lh xe ù
- 26 二十六 lh xe lo
- 27 二十七 lh xĕ cyĕ

**Col. 4.**

- 28 二十八 lh xe pa
- 29 二十九 lh xe kieu
- 30 三十 san xĕ
- 31 三十一 san xe ye
- 32 三十二 san xe lh
- 33 三十三 san xe san
- 34 三十四 san xe su
- 35 三十五 san xe u
- 36 三十六 san xe lo
- 37 三十七 san xe cye
- 38 三十八 san xe pa
- 39 三十九 san ye kieu
- 40 四十 sū xĕ

**Col. 5.**

- 41 四十一 su xe yĕ
- 42 四十二 sū xe lh
- 43 四十三 sū xĕ san
- 44 四十四 sū xe sū
- 45 四十五 sū xĕ ù
- 46 四十六 su xe lo
- 47 四十七 sū xe cyĕ
- 48 四十八 su xe pa
- 49 四十九 sū xe kieu
- 50 五十 ù xe
- 51 五十一 ù xe ye
- 52 五十二 ù xe lh
- 53 五十三 ù xe san

**Col. 6.**

- 54 五十四 ù xĕ sū
- 55 五十五 ù xĕ ù
- 56 五十六 ù xĕ lŏ
- 57 五十七 ù xĕ cyĕ
- 58 五十八 ù xe pă
- 59 五十九 ù xe kieu
- 60 六十 lŏ xĕ
- 61 六十一 lo xe ye
- 62 六十二 lŏ xĕ lh
- 63 六十三 lŏ xĕ sān
- 64 六十四 lŏ xĕ sū
- 65 六十五 lo xe ù
- 66 六十六 lŏ xĕ lŏ

**Col. 7.**

- 67 六十七 lŏ xĕ cye
- 68 六十八 lo xe pa
- 69 六十九 lŏ xĕ kieu
- 70 七十 cyĕ xĕ
- 71 七十一 cye xĕ ye
- 72 七十二 cyĕ xĕ lh
- 73 七十三 cyĕ xĕ sān
- 74 七十四 cye xe sū
- 75 七十五 cye xe ù
- 76 七十六 cye xe lŏ
- 77 七十七 cye xe cyĕ
- 78 七十八 cye xe pa
- 79 七十九 cyĕ xĕ kieu

**Col. 8.**

- 80 八十 pa xe
- 81 八十一 pa xe ye
- 82 八十二 pa xĕ lh
- 83 八十三 pa xĕ sān
- 84 八十四 pá xĕ su
- 85 八十五 pa xe ù
- 86 八十六 pa xe lo
- 87 八十七 pa xe cye
- 88 八十八 pa xe pa
- 89 八十九 pa xe kieu
- 90 九十 kieu xe
- 91 九十一 kieu xĕ yĕ
- 92 九十二 kieu xe lh

**Col. 9.**

- 93 九十三 kieu xe san
- 94 九十四 kieu xe su
- 95 九十五 kieu xe ù
- 96 九十六 kieu xe lo
- 97 九十七 kieu xe cye
- 98 九十八 kieu xe pa
- 99 九九 kieu xe kieu
- 100 百 pĕ
- 101 一百一 yĕ pĕ ye
- 202 二百二 lh pe lh
- 403 四百三 su pe san
- 505 五百五 u pe u
- 606 六百六 lo pe lo

**Col. 10.**

- 707 七百七 cye pe cye
- 800 八百 pa pe
- 910 九百十 kieu pe xe
- 1000 千 chūm
- 1004 一千四 yĕ chūm sū
- 2050 二千五十 lh chum ù xe
- 10000 萬 vam
- 1685 一千六百八十五年 ye chum lo pe pa xe ù nien

## *Opusculi Conclusio.*

HOc, erudite Lector, Specimen tantùm est, & inconditum adhuc inchoamentum Sylvulæ, sive parvi Lexici Latino-Sinico-Characteristici. Ut enim ad extruendam urbem omnium primò non ex asse statim juxta leges Architecturæ constituuntur ædes, mœniaque exurgunt alta; Sed fiunt saltem pro necessitate tuguria, sepibus vel nullis primò munita, plurimaque elaboranda futuræ relinquuntur diei. Sic ego hac in materia, fateor, me commisisse multa adhuc imperfecta ex non sufficiente & exacta cognitione rei: nec ego dissimilo, quædam studiô fuisse omissa, quò Doctiorum hac in re sententias elicerem, & peritiorum censuræ relinquerem ea, quæ rationum conflictu mecum possint communicare. Perinde erit, sive cum Lecho per errores, sive per ambages curramus, dummodò metam consequamur. Vale.



*Errata tardiùs animadversa.*

In Catalogo Collegarum cum agnominibus. Num. 121. Joh. Maurit. Hofmann *dele* Mesue, *lege* Heliodorus. Num. 122. Joh. Conrad Rapp. *dele* Heliodorus, *lege* Serapio II. In Catalogo Medicorum, Observationes communicantium Num. 35. Carol. Ohmb, Phys. Vratisl. *adde* Acad. Curiosus. p. 31. lin. penultimâ, post coccifera *adde* vel è polygono coccifero Polonico, Vide Eph. Nat. Cur. Dec. I. An. III. Obs. 104.